
43
10 H
10





De L. Tarutio firmano fol 384

# ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI.

TOMVS IV.



*Suspice cœlum, et numera stellas, si potes.*

*Inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. Gen. 11.*



# ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMĒTI

Quibus connexi sunt

*ANNALES IMPERII ASSYRIORVM, BABYLONIORVM, PERSARVM, GRÆCORVM, ATQVE ROMANORVM,*

*Autore IACOBO SALIANO Auenionensi Presbytero Societatis IESV.*

*TOMVS IIII.*



*Sic erit semen tuum. Gen. 15.*

*Contrita sunt ferrum, testa, æs, argentum, et aurum. Dan. 2.*








LVTETIÆ PARISIORVM
*EX OFFICINA NIVELLIANA.*
*Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, sub Ciconiis.*

*Cum priuilegio Regis. Et superiorum permissu*

*Leonardus Gaultier incidit. M.D.C.XXII.*

# ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI.

In quibus res gestæ ab Orbe condito ad CHRISTI Domini natiuitatem, & mortem, per annos ferè singulos digeruntur, & explicantur.

*QVIBVS CONNEXI SVNT.*

ANNALES IMPERII ASSYRIORVM, BABYLONIORVM, PERSARVM, GRÆCORVM, ATQVE ROMANORVM.

*Quantum ex sacris, profanisque Scriptoribus agnosci, atque ordinari potuerunt.*


AVCTORE IACOBO SALIANO AVENIONENSI,
Societatis IESV Presbytero.

TOMVS QVARTVS.

*Qui continentem habet expositionem eorum, quæ de vtroque regno Hebræorum, à Roboamo ad Zorobabelem, libris Regum, & Paralip. continentur.*

Accedunt & quæ in Esaia, Ieremia, Ezechiele, Daniele, & 9. minoribus prophetis ad historiam horum temporum pertinent, vnà cum Tobiæ, & Iudithæ libris.








LVTETIAE PARISIORVM.

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, sub Ciconiis.

M. DC. XXII.

*CVM PRIVIL. CAESAREAE MAIEST. ET REGIS CHRISTIANISS.*



# FERDINANDO
## SECVNDO;
# IMPERATORI
## AVGVSTO, POTENTISSIMO,
### INVICTISSIMO,
## GERMANIÆ, HVNGARIÆ,
### BOHEMIAE, DALMATIAE, CROATIAE, SCLAVONIÆ, &c. REGI,
### ARCHIDVCI AVSTRIAE,
### DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET VVIRTEMBERGÆ, &c.
### COMITI TIROLIS, &c.



*TSI infinitus est diuinæ maiestatis amor in mortales omnes, quos vult præmium æternæ felicitatis adipisci, Augustissime ac gloriosissime Imperator, in eos tamen maior, atque infinitior eius videtur beneuolentia, quos efficaci gratia donatos, ad maximum quendam gloriæ gradum in cœlis certissime vult peruenire: & quibus ea concedit posse perficere, quæ maximos meritorum thesauros accumulant; quod nemini facilius quam principibus viris, magnificentiusque contingit.* I.

II. *Cum autem multa ſunt in talium virorum operibus illuſtria, & plena dignitatis, ſiue quæ valent ad nominis immortalitatem, vt bella fortiter geſta, confectáque feliciter, opima ſpolia, illuſtres victoriæ, glorioſi triumphi: vt vrbium molitiones, pyramidum, aut ædificiorum inſanæ ſubſtructiones, & æquatæ cœlo moles; vt præclara ingeniorum monimenta, quæ propagentur in omnes annos conſequentes; ſiue quæ certiorem muniunt ad beatam æternitatem viam; omnium profectò præſtantiſſima ſunt, ſi ſapienter, ac vere æſtimare volumus, quæ altiſſimas tranſgreſſa nubes, ipſoſque cæleſtes orbes, atque beatarum adeo mentium ſedes, ipſum adeunt, atque attingunt Deum; eique quam iuſtiſſimam venerationem, & quam religioſiſſimum cultum deferunt, aut interpellatum, interruptúmque reſtituunt. At quorum ſunt iſta opera, niſi eorum, qui inter mortales ſunt, non pietate ſolum, ſed potentia etiam, atque autoritate principes? Et ne longius abeam, in hoc ipſo volumine Annalium noſtrorum, quod Tibi meritiſſimò cupimus eſſe conſecratum, non niſi à clariſſimis regibus, quorum exempla laudatiſſima præclare imitatus es, Aſa, Ioſaphato, Ezechia, Ioſia, pulſam idololatriam, & pietatem, cultúmque Dei religioſum legimus reſtitutum.*

III. *Neque vero obſcurum eſt diuinæ ſapientiæ in hac principum virorum electione conſilium. Nimirum eorum facta dictáque, vtramuis in partem, obſcura eſſe non poſſunt, quòd in eos omnium oculi, ſicut in horologia celſis in turribus collocata, coniecti ſint; ideoque diuina miracula in ipſis, aut per ipſos edita, clareſcunt magis, faciliuſque vulgantur.* Diues locutus eſt, *ait Sapiens*, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent: Pauper locutus eſt, & dicunt, Quis eſt hic? *Adde quod plebeiorum virtutes fere plebeiæ ſunt, magnorum autem virorum, heroicæ. Ac ne in vitiis quidem quidquam eſt in illis vulgare, atque mediocre; quales prophetica illa ficus, vel optimæ plane, vel deterrimæ. Et ſicut in brutis animantibus quædam ſunt vmbræ virtutum, prudentiæ, humanitatis, ſimplicitatis, fortitudinis, vt in leone, ſerpente, oue, columba, formica; in hominibus autem veræ germanæque virtutes. Ita plebeiorum virtutes vmbræ ſunt regiarum; tantóque proceres interuallo plebem ſuperare debent, quanto plebs mutas pecudes antecedit.*

Eccli. 13. 28. 29.

Iere. c. 24.

IV. *Elegit ergo magnus ille Mundi Rector, & Dominus principem* FERDINANDVM, *Chriſtiani orbis imperio deſtinatum, virum ſecundum cor ſuum, in quo, & per quem egregiarum virtutum, atque operum miracula mundo patefaceret; quæ*

*vt euangelica illa Christi prodigia, in salutem innumerabilium animarum redundarent. Nam qui hanc à præpotenti Deo gratiam sunt consecuti, Princeps augustissime principum* FERDINANDE, *vt coram eximias istas, veréque heroicas virtutes, & proximam Deo Maiestatem spectare possint, habent enimuero vnde subinde animos, ad laudem diuinæ largitatis exsuscitent; & in admiratione illius beneficentiæ vocem diuinæ Matris accommodent;* Fecit tibi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Luc. 1. 47. *Fecit omnino magna, qui tam potentem effecit, tamque gloriosum, quantum omnium Regum, qui solem intuentur, debita veneratio, debitus cultus, obseruantiáque testantur.*

*Arguar fortassis imprudentiæ, si puerilem institutionem in literis, omnique pietate in hoc Admirandorum ordine posuero: sed ipsa insolentia, & raritas eruditorum principum, qui non addicantur clero, facit vt* FERDINANDI *eruditio, & philosophiæ curriculum Ingolstadij cum Bauariæ Principe Maximiliano, magna cum laude inchoatum, & vigesimo ætatis anno feliciter absolutum, in prodigiis hoc seculo numerari possit. Et progressus esset vlterius discendi ardor, nisi gloriosæ memoriæ* CAROLI *parentis inopina mors, iuuenem ad paternæ hæreditatis prouincias administrandas euocasset. Quo tempore egregio plane argumento docuit quam solida pietatis fundamenta, cum politiori literatura, philosophiáque posuisset. Et vt priuatam pietatem, quæ maiora in dies singulos accipit incrementa, & ipsis religiosis viris admiranda, æmulandáque iudicatur, tacitus prætermittam; & sic eximiæ isti modestiæ gratificer, illud certe in omnium ore, oculisque positum pietatis documentum, sine ingenti piaculo præterire non possum.* V.

*Nam cum Stiriam, Carniolam, Carinthiam, aliasque prouincias hæresum sordibus cerneret inquinatas, ingemuit pius Princeps in tam luctuosa animarum sibi subditarum clade; neque ferendum putauit vt alieni à religione Catholica proceres, subditos suos quotidie ad eandem cum dominis suis impietatem profitendam compellerent: Catholici autem principes eodem iure, aut multo potius meliore non vterentur, & prouincias sibi diuinitus commissas, pro quibus rationem Deo reddituri essent, à tam virulenta scabie non expurgarent. Hanc ergo mentem cum sibi diuinitus immissam sentiret, vt felicem tantæ res exitum sortiretur, ad Clementem octauum Catholicæ tum Ecclesiæ Antistitem, Apostolicæ benedictionis causa profectus est; qua benignissimè impetrata domum reuersus, edicta minacia variis in vrbibus ditionis suæ af-* VI.

*fixit, quibus hæreticæ prauitatis Ministris aqua & igni interdixit, nisi ante certum tempus aut resipiscerent, aut certe longe facesserent; Ergo qui dicto audientes non fuere, missi sunt ad triremes.*

VII. *Hinc illæ lacrymæ, & seriæ querelæ nouorum Euangelicorum, qui religiosissimum Imperatorem Euangelij, Lutherani scilicet, aut Caluiniani, insectatorem dixere; & tanquam Deo inimicum, diris deuouere non dubitarunt; quos præclare irrisit Dominus, qui tam egregium facinus, præter mercedem omni opinione maiorem paratam in cælis, tot deinde prouinciarum, ipsiusque Imperij magnificentissima largitione muneratus est: Vt videatur Diuinam inter ac Cæsaream Maiestatem certamen institutum, illa vt FERDINANDVM omnibus cumulet bonis, hæc vt eius religionem, eiusque cultores, & administros vbique constituat, foueat, locupletet; & immensa quadam beneuolentia, & plusquam paterna charitate complectatur. Nempe vt sint eorum domus totidem propugnacula, quibus hæreticorum obstinatus frangatur furor, impij errores, & vitia, verbo, scripto, vitáque ipsa refellantur; auita religio, pietásque stabiliantur: & si qui ab hæresum naufragio emergere, Deo velificante voluerint, velut optatissimo in portu conquiescant. Quidni ergo qui tantum, tamque admirabile veræ pietatis studium, quo nihil est in hac vita diuinius, diuinitus accepit, illud gratissima voce iterare pergat,* fecit mihi magna qui potens est? Luc. 1. 49.

VIII. *Sed maiore etiam miraculo in rerum humanarum vertice constituto demissionem animi tribuit, sanctámque contemptionem, ac despicientiam sui; quæ cæterarum omnium virtutum regiarum septa comitatu, mirabiles coram fruentibus excitat amores sui; adeo vt in nos quoque, tam longe positos, copiose deriuentur, & ad tanta ornamenta prædicanda inuitent, planéque compellant; sic nimirum fulgur atris excussum nubibus, radiantem ex ea lacerata fulgorem, ab ortu ad occasum vsque diffundit. Meliorem tamen multo conditionem esse Germanorum, tanto principe fruentium, quam cæterarum nationum negare non possumus: aut inficiandum est certe, feliciorem esse conditionem eorum, qui æterno Numini, quam Cæsarea Maiestas primario nomine repræsentat in terris, assistunt in cælo, & reuelata facie coruscantem infinita gloria intuentur Deum: quam nostram, qui tanto interuallo ab illis disiuncti sumus, & ad illos spe duntaxat, desiderióque excitamur, carneis adhuc vinculis alligati; quibus & dicimus.* Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10. 23.

*Felices Germani qui tot titulis illustre caput, tot tantarúmque prouinciarum Dominum, Comitem, Ducem, Archiducémque, tot regnorum florentissimorum Regem maximum; denique inuictissimum, Augustissimúmque Christiani orbis Imperatorem videre potuerunt, non in throno sedentem aureo; non diademate, coronáque, auro gemmísque vndique fulgurante, redimitum; non acupicta in chlamyde clarissimorum Principum, ac legatorum obsequia recipientem; aut grauissimis de rebus iura dicentem, vel in bello cataphractum, contra hostes diuini numinis, ferro fulminantem: sed oblitum, aut negligentem sui, ad pauperculorum duodecim abiectum pedes, eósque propriis manibus abluentem, extergentem, exosculantem, eisdémque ad mensam famulari in veste ministrantem.* IX.

*Ne mihi deinceps aurea, ac beata patrum ætas, exconsulem atque expatricium Gallicanum admirare, lauantem pedes, ponentem mensam, aquam manibus infundentem, languentibus sollicitè ministrantem, & cætera Christianæ humilitatis officia alacriter obeuntem. Nam qui populari vanitate abdicata, diuino se famulatui manciparit, quod Gallicanus in Ostiensi monasterio, sub sancto Hilarino fecerat, si hæc verecundia impeditus prætermittat; imo nisi hæc, aliáque his maiora faciat, non eum laude, sed ignominia, & reprehensione dignum puto, qui quod religiosa professione pollicitus sit, non exequatur. At Cæsaream Maiestatem, Imperij Augustissimi Principem, & secundum Deum Orbis vniuersi antesignanum & caput, hæc ipsa ministeria non erubescere; sed amare, ambire, exosculari; hoc nimirum est hæredem esse, atque imitatorem gloriosissimi Constantini, qui duodecim terræ cophinos, in honorem duodecim Apostolorum, quibus templum ædificabat, in humeros sustulit. Imo hoc est illius verum esse discipulum, atque adeo in mundi gubernatione Vicarium, qui cum sciret Patrem æternum sibi omnia dedisse in manus, ab eo exiuisse se, ad illúmque postmodum triumphata morte reuersurum; surrexit tamen è cœna, positísque vestimentis, discipulorum suorum, atque adeo importunissimi proditoris abluit sacrilegos pedes; & imitandæ humilitatis exemplum, & præceptum dedit.* X.

*Neque vero mihi quisquam ita desipiat, vt infracti animi, ac pusilli hanc arbitretur esse virtutem, & non magni potius, atque exaggerati, qualem oportet esse imperatorium. Qui enim ita senserit, illi ne magnus quidem Constantinus, Imperatorum decus, ac pene miraculum, magnanimus fuerit, neque sanctissimus Galliarum rex Ludouicus, aliique clarissimi heroës, qui cæteras princi-* XI.

*pum virtutes, sancto sui contemptu cumularunt. Abiecti etiam animi calumnietur illum, qui diuina fortitudine, ne crucis quidem patibulum, pro hominum salute, confusione contempta recusauit. Sic itaque statuo, nihil vera animi demissione fortius, nihil inuictius, nihil solidioribus innixum firmamentis. Quos enim vulgus imperitum fortes arbitratur, illi fere propriis opibus, aut amicorum præsidiis nituntur, quibus nihil est inconstantius, aut pronius ad ruinam; aut certe in nonnulla scientia, vel rerum gerendarum prudentia spem suam collocatam habent, quæ mille modis aut aliena solertia, aut casibus inopinatis eludi potest; quibus non raro ad desperationem, & scelerata consilia compelluntur. Vt ille in sacris literis celebratus Achitophel, cuius consilium erat,* quasi si quis consuleret Deum. 2.Reg.16.23.

XII. *At verus humilis,* qui habitat in adiutorio Altissimi, *& eo vno nititur, qui vnus dicere potest,* Ego Deus, & non mutor, *cuius scientiæ nihil absconditum, cuius potentiæ nihil difficile, cuius prouidentiæ nihil inopinatum, nihil nouum; ille nimirum solidissimo fundamento diuinæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis nixus, non humanis præsidiis, quæ tamen secundum Deum minimè negligit, omnibus in casibus, ac procellis inuictus manet; vt de illo vno vere illud vsurpari possit,* Si fractus illabatur orbis Impauidum ferient ruinæ. *Hinc illa in ipso vultu constans, perpetuáque serenitas, firmitatis animi comes, ac nuncia, quæ nec prosperis efferatur insolentius, neque frangatur aduersis. Sit ergo hoc tertium diuinæ benignitatis in Augustissimo Imperatore miraculum fortitudinis, atque constantiæ; quam Dominus ipse qui dederat, cum otiosam esse nollet, hisce annis vehementer exercuit, vt non solum mira & magna in ipso, sed etiam circa ipsum faceret. Exercuit ergo,*

XIII. *Itáque exercuit, vt in eius perniciem cœlum, ac terra, inferique arma sumpsisse, imo cœlum fragoribus ruere, terra tremoribus concuti, inferi vlulatibus personare, & horrenda incendia eructare viderentur: quando nihil factum est propius, quam vt in ipsa vrbe, quæ Imperij domicilium, ac præsidium est, Cæsarea Maiestas in perduellium, & coniuratorum manus incideret. Repete obsecro memoria illum diem, Augustissime princeps, repete, inquam, memoria diuinam illam erga te prouidentiam, cum impia coniuratorum manus armatas afferebat preces, & cum iniquissima postularet, non tam extorquere petita cupiebat, quam repulsam pati, vt iure aliquo iniuriam facere ab insipientibus credi posset. Cum Deus repente panicum illis iniecit terrorem, tanquam validissimo exercitu cinctus esset Imperator, illisque copiis quamprimum*

*seditiosi*

*seditiosi ac rebelles concidendi forent; vt statim qui grandia verba crepabant, tum latebras peterent, tum se ad pedes, proni supplicésque abijcerent, veniam, verbis violatæ maiestatis, vitámque acerbæ morti debitam postulantes. Nihil ergo mirum istam fortitudinem, tanta nixam prouidentia, non fluctuare.*

*Quid illam memorem prouidentiam, quæ, dum grauissimis adhuc cum difficultatibus, in prouinciis paternæ hæreditatis, luctarere, & à potentibus aduersariis numeroso exercitu pene oppressus iaceres, in regnum Bohemiæ necopinantem euexit, vt regia potentia, & dignitate auctus, hostibus tuis facile par esse posses. Neque passus est eius regni proceres differre tantisper suffragia, aut hærere in illius principis electione, quæ simul periculosi belli aleam contra ipsos euocaret. Nimirum rem totam moderabatur mirabilis illa prouidentia, quæ multo constantiæ tuæ, ac meritorum incremento, pacem rebus attulit, belli ciuilis furorem extinxit.* XIV.

*Ecce autem & tertium eiusdem prouidentiæ miraculum, eiusdem constantiæ, ac fiduciæ firmamentum. Optarunt Vngari sibi regem* FERDINANDVM, *pridem Archiducem Austriæ, nuper Bohemiæ regem, primarium in laicis principibus Imperij Electorem, Imperio dignum caput. Furebat interim tartarea illa bellua, luculentam aliquam sibi ab hoc principe metuens plagam; & regni comitia decumanis pene fluctibus quatiebat. Cum repente horribilis exoritur ex aquilone tempestas, principum Bohemicorum defectio, immanissimis criminibus cumulata; adeo vt viri summo loco nati, omnique virtute clarissimi, primario magistratu Regis nomine fungentes, ex altissimis arcis regiæ fenestris darentur in præceps, in summam Principis iniuriam, atque contumeliam; sed in maius diuinæ in suos prouidentiæ argumentum; quæ è fenestris altitudinis amplius 40. cubitorum deturbatos, saluos atque incolumes, magno miraculo, magna omnium admiratione conseruauit. Non contentus enim Dominus in Te miracula edere, ea etiam in gratiam Tui, propagat in tuos.* XV.

Guilielmus Slauata, Iaroslaus Borzita, Philippus Fabricius.

*Quis hic non putaret omnia Vngarorum de nouo rege consilia disiectum, ac disturbatum iri? Bohemica præsertim coniuratione multas late prouincias depascente, & Vngaros electores omni ope ab inceptis reuocante, atque absterrente, metu formidolosissimi belli è propinquo regno imminentis, quod ista secum electio trahebat? Excussit illam cogitationem, compescuit istum metum; omnia impedimenta perrupit summus ille regnorum moderator Deus:* FERDINANDVM *sibi Regem Vngariæ communibus suffragiis elegit, dixit, cooptauit; eóque regio in throno collocato,* XVI.

*ſceptro dexteram, corona caput, humeros purpura decorauit. Vbi ſunt inſani illi, qui diuinam prouidentiam, in Mundi gubernatione dormitare mentiuntur? quorum ſi os ferreum prædicta iam prouidentiæ miracula verberare potius, quam frangere potuerunt, accedat etiam quartum quod ipſa prope ratione deſtitutas animantes, imo potius beatas illas mentes, diuinorum prodigiorum adminiſtras, quotidianis aſſuetas miraculis, admiratione defigat.*

XVII. *Bohemica ſectariorum perfidia, non eo ſe regno, in quo nata fuerat continebat, ſed toto pene Septentrione graſſabatur, Morauiam in defectionis ſocietatem induxerat, ingentes contraxerat copias, ciuitates occuparat, magiſtratum ciuicum exauthorarat, eccleſiaſticum faceſſere iuſſerat, proceres, ob fidem Deo, regique ſeruatam, tanquam patriæ proditores proſcripſerat. Inde in Auſtriam, furioſo progreſſa impetu, vrbes obſidebat, traiectóque Danubio Viennam ipſam Archiducatus metropolim attentabat. Vngaria nouis tempeſtatum fluctibus iactabatur, Turcarum cliens Tranſyluanus ad eius ſpem regni euocabatur, Palatinus Elector, electione ſacrilega in alieni regni ſedem ac coronam inuaſerat. Sileſia, & Luſatia dederant manus, nutabat Auſtria, Germania vniuerſa tam ancipiti futurorum expectatione pendebat; Cum Francofurti indictis, nouo Romanorum regi creando, comitiis, Principes Electores vnanimi conſenſu, perinde ac ſi omnes prouinciæ per legatos FERDINANDVM Imperatorem depopoſciſſent, nullo tumultu, nulla tergiuerſatione vſi, Romanorum regem, atque Orbis Chriſtiani Imperatorem dixerunt; (ne illo quidem excepto, qui capitali facinore regnum illi Bohemicum rapiebat) Imperijque diademate, atque inſignibus ornato, vt legitimo Domino, fideles obſequenteſque ſubditi, fidem ſolenni iureiurando ratam, ſanctámque eſſe voluerunt; vt ſuopte ipſi ore nonnulli perfidiam ſuam maturè condemnarent: & æternus Imperij princeps è cælo ſubſannaret eos, qui ſibi potentem Dominum, propriis eorum conſiliis infenſum, inconſulta temeritate conſtituiſſent, & ei gladium, quem in eos quamprimum ſtringeret, porrexiſſent.*

XVIII. *Acceſsit ad cætera miracula nihilo minus admirabilis imo multis magniſque fœta prodigiis ipſa victoria, qua Dominus exercituum iudicauit cauſam ſuam. Opportunum caſtris collem Anhaltinus perduellium ductor inſederat; is viginti quinque hominum millia ſub ſignis habebat, vallum inſequenti hoſti obiecerat, Pragam à tergo habebat, quæ vel laboranti exercitui præſidio eſſet, vel victo receptui. Inferiore conditione erat Cæſarianorum*

*exercitus, vel numero militum, vel iniquitate loci, vel nocturni itineris defatigatione; vna tantum causa bonitate, & militum alacritate superior. Humano quoque timori occurrens magnus ille cœli ac terræ Imperator, integram victoriam aliquot lætis velitationibus prælibandam dederat: & eo ipso articulo temporis tum intus animos eximia fortitudine roborabat, tum foris religiosissimi viri P. Dominici, è Carmelitarum excalceatorum familia, diuina futurorum præsentione clari, imminentis promissione victoriæ animabat: vt postea minimè dubium esset eius esse victoriam qui promisisset, quique facit mirabilia magna solus.*

*Ergo vt visum est ducibus nostris ineundum esse certamen, & in Dei, sanctissimæque genitricis eius, ac sanctorum omnium, quorum eo tempore festus agebatur dies, patrocinio fiduciam collocandam: hinc Bauarus, inde Buquoius hymno ad Beatissimæ virginis opem implorandam, ab vno è patribus nostris decantato, signa prælio tubarum clangore dari iubent, & militem infestis animis, telísque perfidum hostem inuadere. Visus est à principio Catholicorum exercitus, vt scribit ipsemet Bauariæ dux, suis ad summum Pontificem literis, nutare nonnihil; cum se Vuallonum fortissimus cuneus occulto è calle in hostem improuisus infudit, magnámque hosti trepidationem iniecit. Timore in primis perculsus est Vngarus, quem pridie Cæsareus equitatus non sine clade in fugam dederat; cúmque loco pulsus esset, toti exercitui terrorem attulit, suáque fuga omnes partium suarum ordines perturbauit. Hic videlicet Catholicis ex hostili timore crescit audacia, toto monte præcipites agunt perduelles, & Pragam vsque, cæsim punctímque feriendo, & dorsa fugacia ignominioso vulnere fodiendo persequuntur. Cúmque è nostris vix trecenti ceciderint, perfidia in Deum, Principémque suum pœnas dedere, hæreticorum cæsa minimùm quinque millia; mille circiter & quingenti Moldæ fluctibus hausti; bis mille capti, in quibus comites duo, & ipse Anhaltini primogenitus, plurimáque nobilitas. Cæteri fuga lapsi diuinam in se non effugere, sed distulere vindictam.* XIX. (8. Noueb.)

*Castra referta diuitijs à milite direpta: capta decem ænea tormenta maiora, & centum plus minus vexilla militaria. Huius victoriæ, & hostis muris iam portísque imminentis nuncius, statim Pragam turbidè, vt fit, ac tumultuosè delatus, Palatinum inde regni adulterum cum vxore, Anhaltinum item, aliósque primarios belli ciuilis authores, turpi fuga in Silesiam excussit; & qui Romanum Imperium spe deuorauerant, animis viribúsque fracti, vix inuenere quò se pauidi tutò ex fuga reciperent. Ergo* XX.

*Praga minor postridie deditionem facit; quatuor præsidiariorum millia à tyrannorum dominatu, ad legitimum principem transeunt: magna Nobilium pars, siue ad improuisam fugam non satis expedita, siue incerta quò fugeret, cum regni corona, opibusque regiis, filio, atque vxore Turriani, in Catholicorum ducum potestatem venere. Inde proxima luce, quæ S. Martino sacra, noua, vetusque Praga fore se in potestate Cæsaris, sine vlla exceptione recepit, veniáque à Bauaro principe, qui gerebat Imperatoris vices, postulata, & perfidiæ crimen publicè detestata, omnia fœderum cum variis Imperij Romani hostibus instrumenta illi in manus dedit; neque ita multo post exemplum suæ metropoleos vniuersa pene Bohemia secuta est.*

XXI. *Quis hic cum regio propheta non exclamet,* A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris? *imo & ipsorum hostium. Nam si quis hic diuinæ potentiæ miracula non videt, cæcus est, si quis non agnoscit, insanus. Istis certe Dominus eodem ipso die in Ecclesia verbis illis insultabat,* Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. *At Principes Catholici, belli duces, postridie vrbem ingressi templum adeunt, Dei beneficium agnituri, ac palam prædicaturi; quod & propriis ad summum Pontificem literis professi sunt,* Non manus nostra excelsa, *inquiunt,* sed Dominus fecit hæc omnia. Dom. 21. post Pét.

XXII. *Hæc tuis auspiciis religiosissime Imperator, ad Dei gloriam suscepta, perfectaque, tuis in primis apud Deum precibus, meritisque; hæc incensis fidelissimorum subditorum votis, supplicibusque desideriis; hæc totius Ecclesiæ Catholicæ sacrificiis, & voluntariis corporum afflictationibus, pro imperio tuo vltro susceptis; hæc tot sanctissimorum virorum exiliis, proscriptionibus, suppliciis, mortibusque debebantur. Viue igitur inuictissime Auguste, viue diuinorum beneficiorum perpetuo memor, quia fecit in te, & per te magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Nemo à diuina largitate te maiora beneficia, vel ab ipsa infantia, accepit in terris, nemo maiore culpa ingratus esse potest. Sed eximia ista pietas, à teneris instillata menti, ingratum esse non sinet; maiora potius, in Dei honorem & salutem animarum, molietur, quoniam & hic, & ille zelus otiosus esse non potest. Hoc ante acta vita, præclarissimis ad Dei gloriam operibus locuples, quæque fructus edunt, edentque porro, nullo vnquam tempore marcescentes; hoc proscripta pridem, & recens debellata Caluiniana pestis; hoc publicus, professusque reliquorum Sectariorum timor; hoc tot aduersa res in eundem finem incredibili constantia tolerata, ac præter spem omnem*

*deuictæ; hoc rerum gerendarum in matura ætate prudentia, atque felicitas; hoc diuina in tot animas, tot iam annis, totque locis misere pereuntes, misericordia pollicetur.*

*O si profundat illa sese, vti cœpit, in optatissimi Imperij tui tempus vniuersum: O si Spiritus ille diuinus, non effuso multo mortalium sanguine, sed infusa pereuntium pectoribus efficacissima gratia, Lutherum, Zuinglium, Caluinum, cæterasque pestes, in tot regnis, prouinciisque Germanicæ, Polonicæ, Vngaricæque nationis, Catholica pridem pietate florentissimis, perniciosissimè grassantes excutiat; & quæ creauit corda ita possideat, vt sancto feruore pro auita religione repleti, in perniciem hostium nominis Christiani vnanimes arma capiant: Et Orientis tyranno immanissimo tot nobilissimis gentibus, & imperiis incubanti, iugum durissimæ seruitutis imponant; cui nuper istæ Christianæ religionis vomicæ, atque propudia, tributum annuum per Palassum, & Corlatum legatos, coniuratorum nomine obtulerunt, ad Imperatoris* FERDINANDI*, id est reliquam, si superi sinant, orbis Christiani cladem, Fileco, Nouigrado, Palanca, Scatzino, aliisque Hungariæ propugnaculis oppigneratis.* XXIII.

*At vos contrà Germani principes, germana Christi seruatoris progenies, beatæ immortalitatis candidati, accipite vocem Domini vestri per prophetas suos, contra Babylonem istam loquentis.* XXIV.
Esa. 21. Iere. 51. Surgite principes, arripite clypeum, acuite sagittas, implete pharetras, quoniam vltio Domini est, vltio templi sui. *Audite vos quoque populus ab Aquilone, gens magna, diuinæ hæreditati destinata, persequimini, cælo terráq; fauentibus, vti cœpistis, ô inuicta pectora Polonorum, inuadite, ac comprehendite immanem illam belluam, & quasi alteri Tamerlanes, pari felicitate, meliore causa consilióque, istum è colubro Baiazeto regulum contusum, ac contrucidatum, ferreis clathris includite, ad ignominiam sempiternam. Euomat multo cum sanguine, quidquid hactenus deuorauit, atque absorbuit; vindicate magnos illos Constantinos, atque Theodosios, imo Christum ipsum, & blasphemas canum istorum in illum voces: in tali tantáque causa & vincere, & vitam profundere gloriosum est. Hoc illius votum est, qui tibi, ô maxime ac gloriosissime principum, in ista vitæ sanctitate constantiam, in victoriarum cursu perennitatem, in subditorum amore atque obseruantia inconcussam firmitatem, à præpotenti Deo, hoc tantillo, quod illi superest, vitæ tempore, nunquam desinet postulare. Parisiis, ipsis Cal. Ianuarij, anno à Virginis partu 1622.*

CÆSAREÆ MAIESTATI SACROSANCTÆ,

Addictissimæ Societatis IESV minimus in Christo seruus

IACOBVS SALIANVS.



# FACVLTAS R. P.
## PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV.

EGO STEPHANVS CHARLETVS *Præpositus Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. nostro Mutio Vitellesco Præposito Generali eiusdem Societatis* IESV, *facultatem concedo, vt quartus Tomus Annalium Ecclesiasticorum veteris Testamenti, à P. Iacobo Saliano compositus, & eiusdem nostræ Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem hasce literas, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Parisiis, 12. Septembris, anno Domini 1621.*

STEPHANVS CHARLETVS.

# CANDIDO LECTORI, S.

*Habes in hoc opere, erudite Lector, non solùm vniuersam veteris scripturæ historiam, per annos suos digestam (nam id in Euangelica quoque præstitimus) sed etiam enarratam, cum expositione quamplurimarum, grauissimarúmque difficultatum.*

*In eodem Fl. Iosephi infinita errata ex Scriptura ipsa, & certiore historia corriguntur. Emendatoris etiam temporum vis ingens errorum, parachronismorum, & supputationum erronearum demonstratur.*

*Scriptores fere omnes, qui historiam sacram, profanamve, aut ex professo tractarunt, aut obiter attigerunt, in annos suos digeruntur, traduntur que compendio; vt propemodum quæcumque ab iis narrata sunt, paucis comprehensa ad sua tempora reuocari possint.*

*Stemmata familiarum illustrium, sacra, prophanaque historia, disposita, suisque auctoribus testata proponuntur.*

*Pontifices Hebræi ad mille quingentos annos, ab Aarone scilicet ad Christi Domini passionem, per annos singulos annotantur.*

*Addimus denique παράλληλα illustrium quarumque personarum veteris Testamenti cum Christo Domino, & illustrium fœminarum cum beatissima Virgine.*

# OPERIS TOTIVS DIVISIO.

## TOTVM OPVS IN SEX TOMOS, SIVE PARTES DISTRIBVTVM EST.

Primus Tomus ab Orbe condito ad ortum vſq; Moſis, annos bis mille quadringentos & ſexaginta tres complectitur, totámque Naturæ legem, libro Geneſeos comprehenſam.

Secundus à Natiuitate Moſis, ad pontificatum Heli, & Samuëlem Prophetam progreditur; geſta Moſis, Ioſue, Iudicúmque duodecim comprehendit; & annis ſex & ſeptuaginta, ſuprà quadringentos circumſcribitur. Ab Exodo vſque ad libros Regum.

Tertius habet regnum Iſraëlitárum ſub Saüle, Dauide, & Salomone; Heli & Samuële præmiſſis: centum & ſexaginta annorum decurſu: ex libris Regum, & Paralipomenon.

Quartus hic Tomus à diuiſione regni Iſraëlitici ſub Roboamo, vſque ad Nabuchodonoſorem, & captiuitatem Babylonicam exeuntem, ad quadringentos & quinquaginta ſeptem annos protenditur, ex iiſdem libris; additis Tobia, Iuditha, & prophetis eorum temporum.

Quintus ab Imperio Cyri orditur, & Perſarum Monarchiam, magnámq; partem Imperij Græcorum amplectitur. Ibi Eſdras, Nehemias, Eſther, & vltimi Prophetæ.

Sextus & poſtremus à regno Antiochi Epiphanis, ad Chriſti Domini mortem decurrit; eóque libri Machabæorum elucidantur, Euangelici libri in ſuos annos digeruntur.

# PRIVILEGIVM SACRAE CÆSAREÆ MAIESTATIS.

FERDINANDVS SECVNDVS DIVINA FAuente clementia electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Vvittembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium vniuersis; quod cum demisse nobis exponi curarint, NICOLAVS BVON, ET SEBASTIANVS CRAMOISY Typographi Parisienses percupere sese, vtilitatis publicæ causa, *Annales Ecclesiasticos veteris Testamenti, quibus connexi sunt Annales Imperij Assyriorum, Babyloniorum, Persarum, Græcorum, atque Romanorum, auctore P. Iacobo Saliano Aueniomensi Societatis* IESV *Presbytero*, suo prelo subiectos in publicum procudere. Metuere autem ne æmulorum fraude, qua recentes id genus editiones lucri captandi causa præproperè, nonnunquam etiam mendosè imitari consueuerunt, ipsi debito & sperato laboris, atque sumptuum suorum fructu ab aliis præoccupato destituantur. Ac proinde suppliciter nos rogarint, vt indemnitati illorum hoc loco diplomate nostro Typographico ad certum tempus benigne concesso, clementer consulere dignaremur. Nos pro singulari nostro affectu, & propensione ad rem litterariam promouendam, cum vel maxime iis qui dictum opus magnoperè nobis commendarunt, gratificari cupientes, precibus istiusmodi haud grauatim annuendum duxerimus, quemadmodum vigore præsentium annuimus, omnibusque & singulis Typographis, Bibliopolis, aliisque quibuscumque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prænominati Auctoris Annales quocumque modo, charactere, aut forma, siue integros, siue aliquam eorum partem, citra memoratorum Typographorum voluntatem & assensum intra DECENNIVM à prima editionis die computandum recudere, aut alij recudendos dare, siue alibi etiam impressos intra sacri Romani imperij, regnorumque & dominiorum nostrorum hæreditariorum fines apportare, vendere, vel distrahere audeat, ac præsumat. Si quis autem edictum hoc nostrum transgredi, violare, aut contemnere deprehendatur, eum non solum eiusmodi libris perperam recusis & apportatis, quos dicti Typographi eorúmve hæredes, vbicumque inuenti fuerint, siue propria, siue magistratus ibidem authoritate atque auxilio sibi vendicare poterunt, priuandum, sed & pœnâ decem marcharum auri puri, cuius semis prædictis Typographis, eorúmve hæredibus, alter vero semis fisco nostro Imperiali fraudis vindici, toties, quoties contra factum fuerit, pendatur, omni spe veniæ sublata mulctandum decernimus, dummodo tamen eiusmodi Annales nihil in se scandalosum, aut orthodoxæ religioni Catholicæ, sacrique Romani imperij constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium, siue in præfatione, siue in contextu, seu alias quocumque modo contineant, & dicti Typographi terna, vt minimum memoratorum Annalium exemplaria suis sumptibus, quamprimum ad cancellariam imperialem aulicam transmiserint. Mandamus ergo vniuersis nostris, & sacri Romani imperij, regnorumque ac ditionum nostrarum hæreditariarum subditis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis existant, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, præsertim vero iis qui in magistratu constituti, vel proprio, vel superiorum nomine & loco, iuris & iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam priuilegium hoc nostrum Cæsareum temere & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos fortè

compererint, præscripta pœna mulctari, aliisque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam euitare voluerint. Harum testimonio litterarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in Ciuitate nostra Viennæ, die decima tertia mensis Augusti, Anno Domini millesimo sexcentesimo, vigesimo, regnorum nostrorum Romani primo, Hungarici tertio, & Bohemici quarto.

FERDINANDVS.

*VTH. L. VON. VLM.*

*Ad mandatum sacræ Cæsareæ Maiestatis proprium.*

HERMANVS QVESTAMBERGH.

# Priuilege du Roy.


OVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre: A nos Amez & feaux Conseillers les gens tenants nos Cours de Parlemét, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, ou leurs Lieutenans, & autres nos Iusticiers, & à chacun d'eux ainsi qu'il appartiendra, Salut. Nos chers & bien amez NICOLAS BVON, & SEBASTIEN CRAMOISY Marchans Libraires demeurans en nostre ville de Paris, nous ont fait tres-humblement remonstrer que le R.P. IACQVES SALIAN Religieux de la Compagnie de IESVS les a choisis pour imprimer vn grand Oeuure par luy composé, & lequel il desire faire veoir, & mettre en lumiere sous nostre bon plaisir, iceluy intitulé *Annales Ecclesiastici veteris Testamenti, ab origine mundi vsque ad Christum passum: Quibus annexi sunt Annales Assyriorum, Babyloniorum, Persarum,* &c. & qui doit contenir six volumes: lequel Oeuure ne se pouuant faire qu'auec long espace de temps, & grandes aduances & despences, lesdicts Buon & Cramoisy n'oseroient en faire l'entreprise, craignans qu'apres auoir employé leur temps & despenses, autres personnes nos subiets le fissent, ou suscitassent les estrangers à ce faire, si par nous n'y estoit remedié, leur donnant pour ce nos lettres de Permission & Priuilege necessaires. A CES CAVSES, inclinans à l'humble supplication desdits exposans, & voulans leur ayder à l'execution de la bonne intention qu'ils ont de seruir au public, par l'impression d'vn si bel Oeuure, & aussi pour leur augmenter le courage à continuer de bien faire, apres qu'il nous est apparu de l'acte d'approbation dudit Oeuure du R.P. Estienne Charlet Prouincial de ladite Societé, en datte du premier de ce mois, & seellé, cy attaché souz le contresel de nostre Chancellerie, leurs auons permis & octroyé, permettons & octroyons de grace speciale par ces presentes, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre & distribuer, tant de fois, en telle forme & maniere que bon leur semblera, ledit Oeuure entier ou separément, ou par Epitome ou Abbregé, tant en Latin qu'en François. Faisant tres-expresses inhibitions & defenses à tous Libraires, Imprimeurs & estrangers, & à toutes autres personnes de quelque qualité qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer ledit Ouure entier ou separément, ou par Epitome & Abbregé, ny en Latin, ny en François: & de n'en vendre, ny distribuer aucuns autres exemplaires que de ceux qui seront imprimez par lesdits supplians, ou de leur commun consentement & volonté: & ce pendant le temps & espace de dix ans entiers & consecutifs, à commencer du iour de l'acheuement de l'impression dudit Oeuure, à peine de confiscation de tous les exemplaires qui se trouueront auoir esté faits au preiudice, & contre l'authorité de cette nostre volonté, & de trois mil liures d'amende, le tout applicable au profit desdits supplians, & de tous leurs despens, dommages & interests: à la charge d'en mettre deux exemplaires à nostre Bibliotheque publique, à present gardee au Conuent des Cordeliers de ceste ville de Paris, auant que les exposer en vente, suiuant nostre Reglement, à peine d'estre de-

cheuz du present Priuilege. Si vovs mandons que du contenu en ces presentes vous faciez, souffriez & laissiez iouyr lesdits Buon & Cramoisy plainement & paisiblement, & à ce faire souffrir & obeyr ceux qu'il appartiendra, en mettant au commencement ou à la fin dudit Oeuure ces presentes, ou vn bref extraict d'icelles, voulons qu'elles soient tenues pour deuëment signifiees. Et pource que desdictes presentes lesdits exposans en pourront auoir affaire en plusieurs & diuers lieux, voulons qu'au Vidimus d'icelles deuëment collationné par l'vn de nos amez & feaux Conseillers, Notaires, & Secretaires, ou faict sous seel Royal, foy y soit adioustee, comme au present original: Car tel est nostre plaisir. Donné à Paris le 17. iour de Ianuier, l'an de grace mil six cens dixneuf, & de nostre regne le neufiesme.

Par le Roy en son Conseil, RENOVARD.

*Desierunt Operæ typographicæ in hac quarta Operis parte laborare, die 25. Ianuarij 1622.*

PRÆFATIO



PRÆFATIO

# AVTHORIS

## IN TOMVM QVARTVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI.

*Candido, atque erudito Lectori,*

*S. P. D.*



VOD singulis adhuc annis, voluminibusque nostris contigit, erudite Lector, vt nobis de illustribus quibusdam locis, vel iudice te vel arbitro in aditu nouæ disputationis disserendum esset, idipsum hoc anno, quartoque volumine video contigisse. Ac primum satis illis faciendum fuit, qui aut totum hoc scriptionis genus, tanquam parum vtile, vel necessarium improbabant; aut ipsum tractationis nostræ modum non satis probandum ducebant; aut Theologicarum rerum, quamuis non subtili ac spinosa disquisitione offensi: aut à longitudine narrationis vniuersæ alieni, ab Annalium lectione retardabantur. Deinde multorum virorum eruditione, atque authoritate præstantium accusationi, vel certe admirationi occurrendum fuit, in vtriusque Iosephi causa, Iudæi nempe, atque Sectarij: Iudæi præsertim, quem non raro inter agendum, pro tutanda Sacrarum literarum veritate, ac maiestate animosius fortassis inuadimus: quod à nobis non indiligenter, in ipso limine secundi voluminis, præstitum arbitramur. I. *Occasio monendi.*

Eo nobis labore perfunctis, tertia successit de Christi Domini progenitoribus aliquot, ex sacris Euangelij tabulis eiiciendis, controuersia; in quo argumento nonnihil sane impedito, cum viro multarum literarum nobis differendum fuit; viro, qui studiosè omnium antiquorum monumenta, ad eam quæstionem illustrandam, vel opinionem persuadendam peruolutarat. In qua velitatione, non tuæ solum æquitati, studiose lector, sed ipsius quoque, quocum nobis erat suf- II. *In singulis tomis.*

ſcepta diſputatio, ex ſecuto ſilentio apparet fuiſſe ſatisfactum : haud obſcuro vtique indicio non contentionis aut vanitatis ſtudio, ſed veritatis inquirendæ aut patefaciendæ deſiderio, à viro illo fuiſſe certatum.

III. *Et nominatim in quarto.*

NVNC autem, atque in hac quarta totius operis parte adeunda, nobis cum viris religioſiſſimis atque amantiſſimis, viris ſacrarum literarum doctrina præſtantibus, omnique humanitatis elegantia politiſſimis; quique in illuſtri eruditorum hominum luce, magna quotidie cum approbatione, aut, vt verius dicam, admiratione verſantur, diſceptatio ſuſcepta eſt : quibus arbitror pro mirifica illa humanitate ſua, hunc conatum noſtrum in diſquirenda veritate non ingratum fore, qui illud pridem, quod hoc etiam loco iterare non piget, ex Romanæ facundiæ principe didicerint. *Et refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſimus.* (2. Tuſc.) Præſertim cum & ipſi opiniones ſuas noſtris aduerſarias publici iuris fecerint; & nos propugnandæ, dum viuimus, tutandæque ſententiæ noſtræ, quam nondum ſatis labefactatam, nedum conuulſam putamus, iuſtiſſima obligatione teneamur. Nondum enim nos eorum pœnitet, quæ de pontificibus Hebræis variis in locis, aut de Magni Nabuchodonoſoris ſucceſſoribus in Babyloniorum imperio, in hoc ipſo quarto Annalium volumine diximus.

IV. *Quæſtio de tribus Phinees ſucceſſoribus.*

ATQVE vt cætera prætercam, quæ de Hebræo pontifice, perquam accurata diligentia, tradidit amicus ille noſter; vt quæ minus ſint ad inſtitutum hocce noſtrum accommodata, illa certe in Pontificum ſerie probare non poſſumus. Primùm quod vno duce, atque authore Ioſepho, cuius fidem ac diligentiam ſexcentis iam locis deſiderari, ex ſacris ipſis codicibus demonſtrauimus, inter Phineem Aaronis nepotem, & Heli Ithamaræum pontificem, tres tantum ſummos interiiciat ſacerdotes, Abiſuem, Boccium, & Ozium, eiuſdem Phineis filium, nepotem, ac pronepotem; Id enim ſi admittimus, centenis pene annis ſingulos pontificatum geſſiſſe fatendum erit, quod refugit animus, aureſque ipſæ reſpuunt. Nam ſi nonagenarium Phineem obiiſſe dixerimus, vt cæteros fere illius æui optimates, inde ad ipſius Heli pontificatum annos ad ducentos & ſeptuaginta reperiemus, quos ſi in tres pontifices diſtribuerimus, neceſſe ait vnumquemque eorum annis nonaginta ſummum hunc magiſtratum geſſiſſe, quod eſt in omni memoria penitus inauditum.

V. *De Heli cum filio pontificatu.*

ALTERVM eſt controuerſiæ noſtræ caput, quod Phineem Heli filium, eiuſdem vel ſucceſſorem, vel collegam facit, duobus ſimul Pontificibus admiſſis; cum Ioſephus, qui illius ſententiæ putatur author, eo ipſo in loco Heli pontificem nominet, Phineem vero eius in functionibus pontificiis adiutorem, & quaſi vicarium, ſubleuandæ gratia ſenectutis, eſſe velit, cui ne in mentem quidem venerit aut Heli ante mortem exauthorare, negat enim hiſce temporibus ſucceſſum fuiſſe viuentibus, aut duos ſimul admittere pontifices. Quæ noſtra expoſitio cuius opinor melior videatur, atque mollior, quam nouo exemplo duo ſimul capita vni corpori tribuere; & temporibus minimè turbulentis, aut ambitioſæ cupiditatis infamia flagrantibus, bicipitem conſtituere Synagogam. (l. 5. ant. c. 11. — l. 10. ant. c. 8.)

VI *De Achitobo prætermiſſo.*

TERTIVS eſt de Heli morientis ſucceſſore locus, cui egregius ille vir

ſufficit Achiam, ſiue Achimelechum; nam geminum legimus vnius eiuſdemque Sacerdotis nomen. Et Phineem quidem omittendum eſſe conſtat, vt qui eodem ipſo tempore ſit mortuus quo parens, & quidem prior. cur autem Achiæ pater Achitobus prætermittatur, plane non intelligo. Erat enim Achias Achitobi filius, Phineis nepos, & Heli pronepos; cuius prætereundi quæ tandem cauſa fingi poſſit? cum hic idem Achias pronepos Heli, proauo moriente puerulus eſſet, ac fortaſſe ne natus quidem eſſet. Rectius itaque Conſtantinopolitanus ille Patriarcha Nicephorus, aliique ſine controuerſia viri doctiſſimi, in quibus magnus ille Abulenſis epiſcopus Alphonſus Toſtatus, & Aquenſium Archiepiſcopus Genebrardus, Carolus Sigonius, Auguſtinus Torniellus; & è Patrum noſtrorum cœtu Becanus, atque Serarius proauum inter ac pronepotem pontifices, Achitobum huius parentem, illius nepotem, nobis valde conſentientibus, inſeruerunt.

in c.14.1. Reg.& 1. Paral 6.

QVARTA eſt nobis de hoc ipſo pontificum numero quæſtio. Nam qui decem omnino pontifices admittunt, qui Tabernaculo Moſaico miniſtrarunt, videant quomodo cum Ioſepho, ſecum aperte pugnante, conſentiant, qui vno in loco tredecim omnino pontifices in mobili illo templo rem diuinam feciſſe ſemel, iterum, tertio profitetur: extremo autem quinto libro nouem tantum hoc honore dignatur. Nam præter Aaronem, Eleazarum, & Phineem, tres illos duntaxat, quos ante nominauimus, ad Heli vſque in album Pontificum legit; inde autem Achiam tantum, atque Abiatharem memorat: neque enim iſtum alterum Phineem vocauit, aut putauit eſſe Pontificem; vt qui affirmet, vt dixi, ad templum vſque Salomonicum viuenti pontifici ſucceſſiſſe neminem. Recte; nam ab ipſis Templi fundamentis, atque adeo ab ipſa propemodum inauguratione Salomonis, Sadoc Abiathari viuenti, & in ordinem redacto ſucceſſit.

VII. *De numero pontificum Tabernaculi.*

l 10. ant. c.8. l.5. c. 11.

l. ant. 10. c.8.

AT, inquiunt, quod eis ſane nollem excidiſſe, *tres iſtorum honorem geſſere à iactis Templi fundamentis, ad eius dedicationem; Iacta ſunt enim ſub Sadocho fundamenta Templi, quod longe poſtea dedicatum eſt.* Sed quam longe obſecro? Scripturam audio, *Anno quarto fundata eſt domus Domini, in menſe Zio, & in anno vndecimo menſe Bul, ipſe eſt menſis octauus, perfecta eſt domus Domini in omni opere ſuo.* Sex ergo menſes ſupra ſeptennium inter fundamenta & dedicationem templi interiecti ſunt. Præclarè igitur intra anguſtias ſeptennij tres pontifices inferciuntur, ab iis qui paulo ante totidem omnino Pontificibus ducentos ac ſeptuaginta annos aſſignarunt? Quid num Sadocus cum filio ac nepote, ad Tabernaculum Moſaicum, & non ad Templum Salomonicum pertinebunt? quos ipſimet cum Ioſepho, primos in octodecim, qui Templo deſeruierunt, poſtea collocarunt; qui quindecim duntaxat dicendi erunt; neque enim poſſunt ad vtramque claſſem, niſi alterutro numero deprauato, pertinere. Hebræi certe in minori chronico Achimaam Sadoci filium ad regnum Roboami referunt, quibus paſſim recentiores Chronologi ſubſcribunt.

VIII *Ioſephi de eo pugna non ſublata.*

l. 1. c. 6.

SVPEREST ille nunc nobis ſatis implicatus exſoluendus nodus, de Pontificum Hebræorum catalogo, in priore Paralip. deſcripto, quem amicus ille noſter ſerio nobis conatur eripere, & impulſu valido hanc

IX. *Impugnatur catalogus Pontificum.*

pontificiam omnem labefactare Chronologiam; quo magis euigilandum est nobis, vt huius arietis minacia cornua retundamus; tribus enim demonstrationibus, quasi totidem cornibus murum istum quatit, & sane, vt sibi persuadet, euertit. Prima ergo probatio, qua tam nouæ, tamque inopinatæ fiat assertioni fides, inde petitur, quod in eo catalogo pontificum, qui Salomonico templo ministrarunt, tres sint eodem Azariæ nomine pontifices, quorum nullus incidat in eos Azarias, qui à sacra Scriptura dicuntur fuisse pontifices.

X. *Satisfit primæ obiectioni.* RESPONDEMVS nihil mirum plures Azarias in Hebræis pontificibus reperiri, quod id boni ominis nomen plerique instar cognominis assumerent: quod de Ozia rege Iuda, qui & Azarias cognominatus est, Hieronymus ipse testatur. Hinc Ioiadæ filius non Zacharias solum, sed etiam Azarias à Septuaginta interpretibus, in editione Romana nominatur; Hinc Tobiæ ductor angelus, pro Raphaële Azariæ cognomen vsurpauit; Hinc Nerias, qui Iosepho, & Chronologis Hebræis testibus, Ezechiæ tempore pontificatum gessit, in posteriore libro Paralipomenon Azarias appellatur: sicut & qui Oziæ in templo restitit, & lepra perfusum, sacra pepulit domo, ab Iosepho, & Hebræis Ioëlus proprio nomine dicitur; à Scriptura vero Azarias illustriore vocabulo cognominatur: eadem ferme fuit ratio cognominis Barachiæ, vt alibi ex Hieronymo, & Eusebio docuimus. Necesse non habeo, ne actum agam in singulis istis Azariis immorari, qui suum quemque locum iure tenere, nec in alienum temere irruisse, singulis eorum pontificatus initiis, quantum res ferebat, ostenderim. Primum certe Azariam quem in capitis discrimen vocat Aduersarius, Sadoci nepotem, eundémque Templi pontificem Iosephus agnoscit, cum Hebræis in Seder Olam Zuta, regémque Abiam, sub quo gesserit pontificatum, notant. In cæteris valet gloriosi cognominis minime absurda, vel insolens vsurpatio.

*In ca. 1. Amos.* — *Tob. 5. 18.* — *ca 31. 10. 13.* — *an. m 3192. n. 18.* — *l. 10. ant. c 11.*

XI. *Satisfit & alteri.* FRACTVM est opinor cornu primum, aut non leuiter certe retusum; Age frangamus & alterum, quod non leuiter impetit pontificium tribunal. In hac enim tabula nulla fit quorundam mentio pontificum, qui aliis Scripturæ locis pontifices dicuntur. Nullus est enim hic Vrias, nullus Ioiadas, cum tamen prior, posteriorque in aliis Scripturæ libris pontifices nominentur. Verum non ardua videtur huius solutio demonstrationis, vt quæ eadem opera Esdræ genealogiam, non leuiter interruptam, repudiet; imo & catalogum progenitorum Christi Domini, quem Matthæus Euangelista conscripsit, quem, quod nemo ignorat, non vno in loco legimus intercisum. Quod ipse nobis de Christi Domini, aut Esdræ maiorum serie dixerit, hoc ipse idem sibi de hac Pontificia genealogia poterit respondere. Omissi sunt aliqui, fateor, caussam nouit qui Scriptori sacro dictauit, quos in hoc summorum sacerdotum album censuit esse referendos.

*4. Reg. 16. 15.* — *2. Paral. 22.* — *Esdræ 7. init.*

XII. *Diluitur tertia.* HI autem, vt postremum cornu conemur elidere, si accurata interpretum, ac Chronologorum diligentia, vt ratio postulat, suppleantur; nequaquam tribus viris ducenti ac triginta anni pontificiæ administrationis assignandi erunt. In nostra certe Chronologia, nemo Templo stante, nisi mediocri, & consueto fere annorum spatio pontificatum gessit. Retineatur ergo Chronologia pontificia, siue sacerdotalis, qualem

Abulens. Lyran. in Samuelis, Saulis. Esdræ. Iudithæ genere.

passim agnoscunt, nominántque interpretes, quæ nihilominus Iosedeci maiores ex accidente contineat. Neque enim Scripturæ mens est eo loco Iosedeci maiores percensere, vt quæ soleat illustrium virorum proauos, cum alibi sæpe, tum eodem ipso capite non descendendo, sed sursum ascendendo tradere. Aaronis ergo filios se percensere significat; in cuius rei confirmationem rursus eodem capite repetitur iste catalogus, vocatúrque *filiorum Aaronis*, neque ad Iosedecum vsque producitur: qui cum in templi Salomonis deflagrationem incidisset, iure fuit, non functione sacerdos.

v. 50. & 51. ad 54.

XIII. *Conclusio prioris controuersiæ.*

RETINEATVR inquam Chronologia pontificia, sed ita vt ex Hebræorum traditionibus, quæ Scripturæ sacræ minimè repugnent, in primisque Iosephi monimentis suppleatur. De singulis autem nihil est necesse pluribus hoc loco disserere, quando de iis hoc quarto volumine suis agitur locis. De iis verò qui ad nouum templum traduntur pertinere, alius erit, in duobus qui sequentur libris, dicendi locus. Hactenus ergo de Pontificibus, transeamus ad Reges.

XIV. *Proponitur quæstio de successoribus Nabuchodonosoris.*

PRINCIPIO vir disertissimus, nostrique amantissimus, ad euertendam communem, vt vltrò fatetur ipse, de Dario Medo, & successoribus Nabuchodonosoris, quam secuti sumus, sententiam (quod ipsum durum profectò censendum est, id enim est vnius hominis iudicium, & quidem proprium, multorum seculorum grauissimis scriptoribus anteferre) Ad eam ergo sententiam euertendam, quæ Darium Medum, Astyagis aut natura, aut adoptione filium affirmat, Cyrique beneficio Medorum regem constituit, post deuictum ab illo Astyagem; totum se ornando Beroso, Chaldæo scriptore contulit, vt paucuias eius sententias, ex vno Iosepho, homine Iudæo ac Syro mutuatas, pro oraculis haberemus: cum dubitari non possit, quamuis argenteos riuulos, per cœnosos lacus traductos inquinari, neque facile primæuam illam retinere puritatem. De qua tamen ipsa puritate veritatis non magis constat nobis, quam de pluribus scriptoribus, qui id videntur habuisse commendatum, *populo vt placerent quas scribebant fabulas.* Neque enim ignotum est quæ de Herodoto Ctesias & Plutarchus, quæ de Xenophonte Tullius, quæ de Iosepho Egesippus, quæ de plerisque aliis alij prodidere.

XV. *Historia Berosi temporibus nutat.*

ATQVE vt cæteros mittam scriptores, veri Dei cognitione destitutos, Berosi certe hac de re historia, & regum temporibus, & regibus ipsis nutat. Nam si literis sacris veritatis palma tribuenda est, necesse est vt vel Berosum ignorantiæ condemnemus, dum ea narrat, quæ congruere cum Scriptura non possunt; aut eum multis seculis non solùm mutilum, sed vehementer etiam deprauatum ad nostra tempora peruenisse fateamur. Nam si ab illo exquiras quot annis Babylone à magno Nabuchodonosore, eiúsque successoribus regnatum fuerit, vtique apud Iosephum, & Alexandrum Polystorem dicet Nabuchodonosorem tribus omnino, & quadraginta annis regnasse, Euilmerodachum duobus, Niriglissorem Nabuchodonosoris generum quatuor, Laborosardochum istius filium menses nouem, Nabonidum denique annos septemdecim; quandoquidem anno eius decimoseptimo, eodem Beroso assertore, Cyrus rerum Babylone potitus est, quod tempus annos omnino sex & sexaginta conficit, quæ ratio temporis cum Chronologia sacra conuenire non potest, quæ id tempus annis nouem & octoginta definit.

l. 1. contra Apionem apud Euseb. l. 9 de præ. c. vlt.

XVI. *Scripturaque Chronologia repugnat.* AVTHOR est enim Ieremias primum annum Nabuchodonosoris c. 25. 1.
cum quarto Ioakimi concurrere, qui cùm vndecim annis regnarit, octo 43
annis cum Nabuchodonosore regnauerit: tum filius Ioakimi Iechonias 2
tribus mensibus, cui successit Sedecias totis vndecim annis, quo debella- 4 ·9
to, vrbe capta, temploque incenso, desolatio annorum septuaginta sum- 17 66.9
psit initium, vt ex secundi Paralip. extremo capite liquet, quæ imperio 8.3
Cyri, Chaldæorum, siue Babyloniorum victoris, ineunte finita est, qui- 11. 70
bus annis recta supputatione collectis, is quem dixi numerus plane con- 89.3.
ficitur. Ergo tam exigui temporis Berosi Chronologia, vt viginti duobus annis & sex mensibus diminuta, à diuina Scriptura conuincitur falsitatis.

XVII. *Et regum numero.* DEINDE vt barbarorum vocabulorum inconstantem diuersitatem omittam, quæ est ista profanorum scriptorum licentia, vt pro tribus regibus, quibus diuinum Ieremiæ oraculum vult Iudæos Babylone obtemperare, quinque proferantur? Nonne ansa Iudæis offertur, tertio extincto rege, tumultuandi, & duorum imperium improbè, ac periculosè detrectandi; aut affirmandi certe deceptum fuisse prophetam, vel se ab eo in capitalem fraudem inductos? Dixerat sacer Historicus. *Si quis euaserat* 2. Paral. 36. 20.
*gladium ductus in Babylonem seruiuit Regi*, vtique Nabuchodonosori, Templi ac ciuitatis euersori, & *filiis eius, donec imperaret Rex Persarum, & compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra sabbata sua; Cunctis enim diebus Desolationis egit sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni.* Quis porro est hic sermo Ieremiæ? aut qui sunt isti filij
Regis, quibus seruiendum est? *Seruient*, inquit, *ei omnes gentes, & filio* ca. 27. 7.
*eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ eius*; quo scilicet tempore terra Babylonica transeat in potestatem, ac iura Persarum, vt sacer historicus declarauit.

XVIII. *Pro Balthazare Niriglissares ponitur.* FILIVM agnoscimus, ac fatemur omnes Euilmerodachum; nepotem quærimus & nisi falsi prophetam arguimus, *filium filij*. Ecce autem obtruditur nobis Neriglissares sicarius nescio quis, à Nabuchodonosoris sanguine alienus, denique gener eius non filius; ideóque à Propheta filij
nomine minimè intellectus. Et ne quis sibi de filij nomine pro genero à 1. Reg. 26. 17. 21.
Saule vsurpato blandiatur, quis non videt eam tum fuisse blandientis vocem, quam senes erga iuniores vsurpant, licet nulla eis necessitudine, vel affinitate iungantur? Qualis fuit ne longius abeam, illa senioris Heli vox ad Samuelem adolescentem, *Samuel fili mi*, &, *Non vocaui te fili mi,*
*Cum filio.* *reuertere & dormi.* At fallimur, inquient, aut certe fallimus; neque enim ij quibuscum nobis est ista velitatio, Neriglissarem Balthazarem esse dicunt, sed Laborosardochum eius filium; cuius obsecro? Neriglissaris, satísne cautè, cùm nos quæramus Euilmerodachi? Deinde, illum ne Laborosardochum malæ indolis puerum? illum ipsum. Pene libet exclamare, ô superi vestram fidem!

XIX. *Improbatur, primo.* QVI enim Balthazar puer, cuius iam multæ vxores erant, & concubi- Dan. 5. 2. 23.
næ? Num id conuenit Tutoris indigo, id est intra pubertatis annos constituto, nam Tutorem pueri fatentur Neriglissarem.

*Secundo.* Quidquod Laborosardochus puer Neriglissari, non Euilmerodacho successit? Hærent nihilominus in sententia. At puer hic nouem tantum regnauit mensibus, Beroso, Polystore, Iosepho, Eusebio, cæterisque te-

ſtibus. Balthazaris autem plures anni regni à Daniele memorantur. Videte hic obſecro acutorum hominum ad euadendum fallaciam, & quaſi ex machina, vt in ſcena Deum. Duos nimirum hic reges in vnum quaſi in fornace conflant, & vnius tempus alterius tempori agglutinant; *quia pater*, aiunt, *tutor erat filij, & pro filio regnabat.* Satíſne tu mihi hæc ex animi tui ſententia? haud ſane arbitror, vt qui probe intelligas, hæc neque à ratione, neque ab idonea cuiuſquam authoritate fulciri. Quo iure filii tutor pater, cùm Tutor in defuncti parentis conſtituatur loco? quo more pro filio regnet pater, & non vice verſa pro patre filius, quem in illius locum Deus & Natura ſufficiunt? qua lege pro filio parens, cùm filio ius regnandi à parente deriuatum eſſet, aut certe doceat, qui iſta ſentit, filias apud Chaldæos regni heredes extitiſſe. *Tertiò.*

XX. *Quarto diſcrepantia in regni & vitæ fine.*

VIDE autem obſecro, erudite lector, vtriuſque tam regni quàm vitæ admodum diſcrepantem finem, & quo vterque modo extinctus ſit, ille inquam verus, & iſte fictitius Laboroſardachus. Ille *quod nimis appareret malorum eſſe morum, ab amicis extinctus eſt*, vt totidem verbis Beroſus affirmat; iſte illa ipſa nocte qua epulabatur, ciuitate à Perſis ac Medis occupata, interfectus eſt, nimirum ab hoſtibus qui ciuitati potiti fuerant, vt Daniel haud obſcure ſignificat, confirmat Hieronymus, affirmat Xenophon, fauet etiam Ieremias. Ille ergo ab amicis, iſte ab hoſtibus, ille diſſimulanter & quiete, iſte aperta vi, & in maximo occupatæ vrbis tumultu, ille in publicum vtique bonum, quod peſſundaturus videbatur, extinctus eſt, iſte in ruinam imperii Babyloniorum iugulatus eſt, ille ſtante, ac perſeuerante Chaldæorum republica: cæſus eſt, iſte eadem ipſa nocte exciſa, atque collapſa. Quid cum videre dixerim, qui hæc toto cœlo diuerſa eſſe non videt? quid fateri poſſit, qui hæc ad diuerſas non fatetur pertinere perſonas? c.51.31.

XXI. *In ſucceſſione, An Nabonidus ſit Darius Medus.*

ADDE quod Laboroſardocho puero ſucceſſit Nabonidus princeps Babylonius, Balthaſari autem Cyrus Perſa, & Darius Medus. iuxta illud Danielis vaticinium, *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis*, &, *Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſſit in regnum.* Hoc alterum eſt huius diſputationis caput & firmamentum. Niſi enim Nabonidus cum Dario Medo belle congrueret, nunquam Laboroſardachus cum patre in vnum conflati, & noua Metamorphoſi in Balthaſarem conuerſi fuiſſent. Valde ergo probabile hoc eſſe par eſt, quod labantem fabulam probè fulciat, atque ſuſtentet. Quare ergo Nabonidus Beroſi, Labynitus Herodoti, & Naboandel Ioſephi, eſt Danielis Darius Medus? Quia Nabonidus Babylone regnauit, quod de ſucceſſore Balthaſaris Daniel non vno in loco affirmat, quod regnauit vltimus, & quod cauſam noſtram iugulare dicitur, quia nulla eſſet cum Laboroſardocho, ſiue cum ſtirpe Nabuchodonoſoris neceſſitate coniunctus. At noſter Darius capta vrbe, cum bona Cyri venia, profectus eſt ad Medos, abducto ſecum Daniele, vt Ioſephus eſt author; non ergo Babylone regnauit. Itaque aut falſum eſt Darium Medum ad Medos eſſe profectum, aut ſi Babylone regnauit, eum non alium eſſe à Nabonido dicendum eſt. c.5 28. c.5.31.& c. 91.1.

XXII. *Non ſatis probari.*

NON examino quantum ſit in hac argumentatione robur, quanta vis conſecutionis huius, Nabonidus vltimus Babylone regnauit, Darius

Medus vltimus Babylone regnauit, ergo Nabonidus est Darius Medus; aut istius quæ iugulum nostrum petit. Nabonidus nihil pertinuit ad stirpem Nabuchodonosoris, Darius Medus nihil pertinuit ad stirpem Nabuchodonosoris, ergo Nabonidus est Darius Medus. Rectius fortassis hocmodo. Vltimus posterorum Nabuchodonosoris successorē habuit Nabonidum, At vltimus posterorum Nabuchodonosoris successorem habuit Darium Medum, Ergo Darius Medus est Nabonidus. Verum diuersa successionis ratio vim argumentationis infringit, Nabonidum enim putat Berosus septendecim annis Babylone regnasse, vtique Chaldæorum imperio perseuerante. At nos fatemur Darium Medum successisse regno Chaldæorum, desinenti videlicet, ac diuiso, iuxta Danielis oraculum. *Imperauit Darius super regnum Chaldæorum*, quod scilicet hactenus fuerat Chaldæorum, & tunc in Persarum, ac Medorum iura transierat.

XXIII. *Videri id contra Danielem esse, ac Berosũ.* QVOMODO autem illi oraculo vim non afferunt, qui id regnum ad septendecim adhuc annos propagant, & non cum Daniele eadem nocte determinant? Prædicta enim diuisione regni, statim subditur. *Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum.* Denique ne cum Beroso quidem de hoc Nabonido consentiunt. Nam à Cyri victoria negat Berosus Nabonidum Babylone regnasse ait enim, *Nabonido vero oppugnationem non expectante, vsus clementia Cyrus, & dans ei habitaculum in Carmania, eum expulit Babylone. Nabonidus itaque reliquum vitæ tempus in illa prouincia conuersatus est.* Sic Berosus. Quid ergo necesse est Darium Medum, post Babylonem expugnatam, Babylone regnasse, cum id Beroso teste, in Nabonidum non cadat? Potuit autem absens cum Cyro desolatæ vrbi ac prouinciæ imperare: quo modo reges nunc quoque dum in vna regni prouincia resident, late per prouinciarum præpositos habenas totius regni moderantur.

XXIV. *An Darius Medus sit Astyagis filius.* NON omittam illam alteram de Darii Medi genere definire quæstionem; sed omnino paucis, quod iamdudum vereor ne lectori meo ipsa longitudine sim grauis, & aliò nos quoque tempus ac necessitas vocat. Ille ergo ipse amicus noster, vir eruditus, ac disertus in paucis, quocum suscepta est nobis amica ista disputatio, negat Darium Medum quidquam ad Astyagem, regnumue Medorum pertinere, vtpote Nabonidum Babylonium; oriundum tamen è Media, quod inde pater eius profectus, aut eius certe maiores Babylone consedissent. Negandi causa vna est, quod nullus ab Herodoto, nullus à Ctesia eius aduersario Astyagis filius agnoscatur; sed filia vnica, quam Herodotus Mandanem, Ctesias Amytin vocat. Itaque tacite vel Cyaxarem, vel Darium Medum facessere iubent, vt qui regnum Medorum, deuicto, atque in potestatem redacto Astyage, ad vnum Cyrum censeant peruenisse.

XXV. *Affirmari id posse.* QVID autem hic prohibet, quo minus cum Philosophis dicamus, tacitam authoritatem ad conclusionem negantem nihil efficere, aientem afferri oportere? Nullum memorat Herodotus Astyagis filium, nullum Ctesias, imò virili prole prior ille orbum tradit, non nego. Fallunt ergo Xenophon, ac Iosephus, Fallit Hieronymus ipse, vel fallitur, cæterique omnes, qui eos deinceps longo ordine secuti, Cyaxarem, siue Darium Medum Astyagis, vel ortu, vel electione, ac voluntate filium extitisse as- Theodoret. in Dan. fine &c.

seruerunt, hoc vero ego sane non concesserim. Nam quis obsecro dubitet, si testium numero atque authoritate pugnandum est, nostram fore sine vlla dubitatione victoriam? Præsertim cum Herodotus de Astyage non pauca prætermiserit, quæ à Ctesia referebantur; plura etiam secus dixerit quam veritas ferat. Quin etiam ipse Ctesias authore Photio, Herodoto fere in omnibus aduersatur, illumque in multis mendacem, & authorem fabularum appellitat.

NEC fortasse videatur sperneda illa ex ipsomet Herodoto suborta suspicio; non videri caruisse filio Astyagem, qui formidarit, ne filiæ proles aliquando pro ipso regnaret; & quidem vsque adeo formidarit, vt ad id quoquo modo prohibendum, primum non dubitaret filiam vnicam impari, atque ignobiliori matrimonio tradere; tum illam longius à regno suo, in Persidem vsque amandare; postremo auderet filiam prægnantem ad se accersere, enatam prolem auide excipere, & quam primum volucribus ac feris, in desertis montibus discerpendam dare. Nam si virili prole carebat, vt ille ait, quæ Mediæ regno se fato functo succederet, nec erat insanus, quid tandem causæ esse poterat, cur filiæ prolem hæredem imperii sui, non ambiret potius, quam timeret? Cui enim alteri potius regnum, quod perpetuum ipse habere non posset, maxime iam grandis natu, neque filio in manus tradere, desiderare posset, quam Mandanes filio, nepoti suo: præsertim si illam, ex Medorum legibus atque institutis, patri ius esset succedere? vt intelligi ex Xenophonte potest, apud quem Astyagis filius Cyaxares, filiam vnicam cum dotali regno, Cyro in matrimonium collocat. XXVI. *Ex ipso Herodoto colligi.*

AT enimuero timebat Astyages ne regnum eriperetur sibi, & à Medis transferretur ad Persas. Primum hoc non dixit Herodotus, sed magi quidam somniorum coniectores: sed dixerit hoc Herodotus, timuerit illud Astyages, quare ergo mortalium inconsultissimus, ne quid etiã acerbius pro rei grauitate dicam, generum quærebat in Perside, & iustam sternebat timori viam? Cur non in ipsa potius intima Media, vt ingenitus amor patriæ maximum afferret momentum, quò regnum à nepote nascituro in Media conseruaretur, & non transferretur in Persidem? Certe cum amor sit tanto potentior metu, ad animos in officio continendos, & ab iniuria reuocandos, filiam vtique & suum ex illa nepotem omnibus beneuolentiæ vinculis sibi adstrinxisset, vt istum haberet amantissimum atque obsequentissimum: vtque sub perquam indulgente auo dulcissimus nepos, sub senilis ætatis gubernatione florens adolescentia, in certissimam regni spem atque hæreditatem aleretur. Qui alia omnia cogitarit, feceritque, profecto iam tum furere cœpisse, ac Corybantum more insanisse dicendus est. Aut potius proprio filio, quem nepoti anteferret, timuisse fatendum erit, nec recte Herodotum ista omnia concinnasse. XXVII. *Non recte timorem Astyagis assignari.*

VT tamen mittamus Herodotum, nihil equidem dubitauerim Iosephum non leuiter Scripturarum luce perfusum, accedente præsertim S. Hieronymo, aliisque minorum gentium testibus, Ctesiæ isti anteferre. Quin etiam fas est arbitrari Iosephum, quem multos omnino antiquorum peruolutasse libros, eius contra Apionem libelli duo cumulate docent, in alia quædam de Astyage, Medicisque rebus monimenta incidisse, quæ Xenophontæum Cyaxarem, aut Darium Medum nominarent. Quanquam ne nostro quidem instituto necesse est Darium Medum XXVIII. *Et Iosepho credi posse.*

Astyagis filium esse; satis est cum virum principem, aut primariæ nobilitatis, in Mediæ regno extitisse.

XXIX. *Astyages Medorum rex vltimus,* ITAQVE placet agere liberaliter, & amico nostro gratificandi causa, dare Herodotum verè affirmasse nullam melioris sexus prolem Astyagi côtigisse, regnique successorē, præter Cyrum habuisse neminem; idemq. Ctesiā, Trogum, Iustinum, Eusebium, alios affirmare. Cuiuis nihilominus in promptu fuerit illa responsio, fuisse Astyagem vltimum Medorum regem, nimirum pleno iure regem, nec cuiusquam principis potentioris clientem, qualem Darium Medum fatemur, cui regnum Medorum, ex indulgentia Cyri sapienter permissum est. *qui habuerit Darium successorem.* Nam cum subactis Medis oporteret Cyrū, alia longe maiora molientem, & ad vniuersæ Asiæ imperium aspirantem, Mediam prouinciam non ipsum per sese, sed per aliquem de Satrapis ac proceribus administrare, eius sapientiæ fuit, virum illi præficere bonum atque sapientem, qualem in Danielis prophetia licet agnoscere Darium; virum amicum ac fidelem, qui tanto honore ac beneficio illum occupasset, quem iure belli poterat occidisse; virum natione Medum, qui nouum Medicæ seruitutis pondus subleuaret, oculosque non ingrato mendacio falleret, dum rursum regem è gente sua coram se, instar Astyagis intuentur.

XXX. *Conclusio Præfationis.* HÆC erant quæ de duabus hisce quæstionibus, veritatis aut patefaciendæ, aut indagandæ causa, hoc loco dicenda videbantur; quæ ita à candido, atque erudito lectore accipi desideramus, nihil vt propterea de grauissimorum virorum, qui aliter sentiunt, sapientia, atque eruditione detractum esse, aut detrahendum putet. Aequum nihilominus est visum, idque probatum iri speramus, etiam iis, à quorum opinionibus, non temere, opinor, discessimus, sententias, quas partim in totius operis decursu, partim in huius quarti voluminis extremo secuti sumus, propugnare, atque illustrare; quód sine cuiusquam iniuria, nostroque iure potuisse, omnes arbitror consensuros.

XXXI. *Scaligeri de hac quæstione sententia refellitur.* ILLVD postremo addiderim, si hæc recte dicta sunt à nobis, cuius rei candidi, atque eruditi Lectoris esto iudicium, totam illam synopsim [a] chronologicam, quam hac de re cum multo fastu, & contumeliosis doctorum virorum appellationibus Scaliger sibi construxit, plane corruere, ac pessum ire. In qua, vt alia taceam, Babylonicam Iudæorum transmigrationem toto cœlo, vt suo loco docuimus, à desolatione distinctam cū ea imperite confundit: ex qua permixtione consequens est omnia pene ipsius chronologiæ membra distorta esse, atque luxata. In qua etiam regno Magni Nabuchodonosoris, contra Berosi, quem hoc loco sequitur, Iosephi, Hieronymi, omniumque antiquiorum ac recentiorum sententiam, tredecim minimum annos confidentissime detrahit, & expeditioni tribuit, quæ viuo ac regnāte patre facta sit, nullo teste vsus, nulla ratione, nulla coniectura. Et maiore etiam culpa, contra apertissimam Scripturæ sententiam, eiusdem principis imperium, non quarto Ioachimi anno cum Ieremia, sed quinto Iechoniæ filii eius, id est tredecim annis serius quam veritas & scriptura postulāt, inchoauit: vt mireris hominis os, qui hæc omnia dicat ad vnguem cum sacra historia congruere; sibiq; etiam gratuletur, quod exotica scripta cum sacris monimentis præclare comparârit: quod cum hodierni chronologi neglexissent, inanibus coniecturis sacram historiam temerasse ait, rationes temporum conturbasse,

[a] in Euseb. n. 1431.

c. 25. 1.

cœlum mari miſcuiſſe, *cùm ſe ſolos*, inquit, *ſapientes, veteres autem fungos eſſe non ſolum putant, ſed aliis perſuadere conantur*: quo elogio non male ſane ſeipſe depinxit. Valeat ergo hic non Emendator temporum, ſed perturbator. Tu autem optime lector bene vale, & conatibus noſtris, vt cœpiſti, faue. Pariſiis in collegio Claromontano Societatis Ieſu, XIV. Ianuarii, anno à virgineo partu CIↃ. IↃC. XXII.

TVVS IN CHRISTO SERVVS

IACOBVS SALIANVS
Societatis IESV.





# ANNALIVM ECCLESIASTICORVM VETERIS TESTAMENTI.

## TOMVS QVARTVS.

ANNVS MVNDI 3060. DILVVII 1404. 5æ. ÆTATIS 121.
ROBOAMI REGIS IVDÆ 1. IEROBOAMI REGIS ISRAELIS. 1.
ACHIMAÆ PONT. 1. FVNDATI TEMPLI 38. TROIÆ EXCISÆ 189. LAOSTHENIS 32. IMPERII ASSYRIORVM 1119.

ANNVS ANTE CHRISTVM 993.



QVARTVS Rex Hebræorum Roboamus, Salomonis filius, Dauidis nepos, quarti Annalium nostrorum voluminis erit exordium. Salomonis filius & hæres, sed neque hæres sapientiæ, neque regni ex asse hæres, cui iam Dominus decreto suo, Ahia Silonite interprete, regni dextantem abstulerat, & æmulo dederat Ieroboamo. Dauidis nepos, sed neque auitæ pietatis successor, neq; fortitudinis æmulator: erat enim Roboam *rudi & corde pauido*, vt Scriptura testatur.[a] Rex quartus adest, qui alteram Israëlitarum principum synoridem expleat, aut regum potius antithesim: feroci enim Sauli opponitur mitis Dauid, & sapienti Salomoni stultus Roboam: & sicut quod primus deprauauerat, alter correxit; ita quod tertius fœdè peccauerat, quartus infœlix luit.

*NVM. I. Prolusio in Roboami regnum.*

*a 2. Par. 13. 7.*

*4. Regum antithesis.*

EXORDIVM erit Roboamus quarti voluminis, tam miserum & luctuosum, diro schismate viscera regni nuper longè florentissimi huc illucque distrahente; quàm horribilis erit finis, Sedecia denique imperante: finis vastitate, ac septuaginta annorum desolatione tam lamentabilis, vt propheticarum lacrymarum torrentes illi pares esse non potuerint. Sub initia, templum illud aureum, & sacrosanctum, & in mundi miraculis facile princeps, sacrilegè diripitur ab externo principe; medio tempore à regibus domesticis multipliciter contaminatur, extremo incenditur, disturbatur, æquatur solo. Inuenies, Christiane lector, toto pene decursu narrationis huius, quod nobiscum gemas, quo te cumque animo ac cogitatione conuerteris. In regno siquidem Israëlis, cui toties execratus Ieroboamus dedit initium, à principio ad medium, à medio ad finem, ab extremo regni angulo, ad alterum extremum, idolorum

*II. Et quarti huc volumen.*

*Eiusque epitome.*

cultus continenter grassatur, prophana altaria, vitulina numina, Priapeiæ sordes, Dagon & Baalim, Moloch & Astarot nefariè cumulantur, atque contexuntur; donec populus vniuersus, cum regibus suis, semel iterumque in longinquam, & perpetuam captiuitatem, ac seruitutem transporteretur. Videbis & in regnum Iudæ, proh dolor! & in ipsam sacrosanctam Hierusalem inuadentem Idololatriam, & cælestis domicilij simulachrum, factam impurissimæ nequitiæ officinam, & insaniam cum pietate in suis regibus alternantem; donec qui scelestissimorum dæmonum iugo ceruices subiecere, à barbaris eorum cultoribus, sub iugum missi, exhausti cladibus, Hierosolymam Babylone commutarunt, & *Domina gentium, princeps prouinciarum facta est sub tributo.* [a]

III. *Inuocatio Dei.* MVLTA omnino rerum varietas occurret ac copia; ipsis annis 457. Romanæ præsertim Reipublicæ, & sex regum eius: Græcarum item Olympiadum initiis, in hanc operis huius partem incurrētibus, ac supra ducentos annos progredientibus. Quo magis erit tuum, Æterna sapientia, Verbum Patris, Rex regum, & Domine dominantium; hæc omnia tenui, timidoq; stylo decurrentem, gratia prosequi singulari. Nam hoc quoq; volumen, & singuli eius apices tui sunt, domi tuæ nati, eductique; & sese cum authore suo ad illos abiiciunt pedes, qui pro nobis affixi sunt cruci: illam implorant sapientiam, quæ in libris suis sacrosanctis eructauit abscondita à constitutione mundi: illam fortitudinem, quæ in opere salutis nostræ eo vsque progressa est, dum consummata essent omnia.

IV. *Ac beatissimæ Virginis.* ADES tu quoque, benigna ac dulcis Mater; nec solum Dei, sed etiam peccatorum mater; vtrumque, sat scio, titulum diligis: vtrumque tibi nomen gloriosum est, istud beneficentiæ, illud maiestatis: illud diuinæ erga te liberalitatis; istud benignitatis erga nos tuæ. Si *beatius est magis dare quam accipere*, [b] iuxta verbum Domini Iesu, alterum te in Dei ære collocat, alterum nos in tuo. Ades ergo pia mater, atque adesse perge. Ecce enim iam aura fauoris tui benignissimè secundante, ad medium suscepti curriculi alacres hilaresque prouecti sumus, & stamus etiam nunc ad progrediendum erecti: nec formidatum deuexæ ætatis hominibus annum magnopere formidamus, aut potius, quæ est eximia suauitas tua, vix sentimus. Ades inquam, quando qualecunque est opus, tuum quoque est, matris quippe, ac filij bona sunt communia; & interest tua, si sic fas est loqui, ne tibi sit mœrori. Sciunt enim omnes inuocatam te à nobis hactenus, & proniorem ad ferendam opem. Norunt & illud *filius sapiens lætificat patrem, filius vero stultus mæstitia est matris suæ.* [c] Interest tua, quæ proximè omnium, secundum vnigenitum tuum, ad diuinitatem accedis, vt perficiatur annitente te opus, quod modis omnibus tuum esse desideramus.

V. *Primus Roboami annus infelix.* INGREDIMVR itaque primum Roboami annum, qui Hebræorum imperio omnium pene luctuosissimus illuxit, quo, vt ante diximus, teterrimæ atque obstinatissimæ idololatriæ patefactus est aditus, quæ ab Ieroboamo proseminata tam altas egit radices, in decem tribuum regno rebellante, tamque altam, & validam excreuit in arborē, vt quantislibet Iudæorum concussionibus impulsa, nunquam euelli potuerit, donec Assyriorum securi exscinderetur. Nec hoc vnicum malum fuit. simul enim multorum bellorum ciuilium sementis iacta est, quę maximas corporum, atque animorum strages inuehere solent. Etsi autem imperium monarchicum longe diuinissimum est, minus tamen deploranda erat diuisio, si vterque Princeps, quoniam visum fuerat Domino ea pœna Salomonis peccata castigare, in vnius Dei cultu, & vera religione perstitisset. Sed aliud impij populi peccata meruerunt.

VI. *Ætas Achimaæ Pontif.* FACTVS est ergo Rex hoc anno Roboam, filius Salomonis, anno ætatis quadragesimo primo; factus est & Ieroboam filius Nabat: eodemque & Achimaas pontifex, qui filius Sadoci ponitur, & in pontificibus numeratur in 1. Paral. [d] & in 2. Reg. ex quo loco intelligi potest, eum nunc admodum prouectæ ætatis fuisse. Trigesimus enim agebatur regni Dauidis annus, cum is fugiens à facie filij sui Absalonis, remisit Hierosolymam Arcam Domini, cum Sadoco, & Abiathare & filiis eorum Achimaa, & Ionatha, mandatis additis vt Pontifices, per filios suos, Dauidi nunciarent quidquid in vrbe ageretur. Non videntur tantarum rerum idonei nuncij pueri, siue quid verbo nunciandum erat, siue literæ tuto, &

a Thren. 1. 1.
b Act. 20. 35.
c Prou. 10. 1.
d 1. Paral. 6. 8 & 53. 2. Reg. 15. 27 & 36.

celeriter deferendæ, sed recte æstimari possunt annorum 25. quibus si addas decem reliquos regni Dauidis annos, & quadraginta Salomonis, egerit nunc annum 75. Rursus eodem anno Achimaas magna festinatione Dauidi victoriam nunciat, de quo Dauid, *vir bonus est, & nuncium portans bonum*; [a] non vocat adolescentem, vt seniores solent (agebat tum Dauid annum vitæ sexagesimum) sed virum, & quidem bonum, quod vix iuuenibus, nedum adolescentibus, tribuitur.

a 2. Reg. 18. 27.

VII. *Fuit gener Salomonis.*

Existimo autem hunc ipsum Achimaam eum esse, qui Basemath filiam Salomonis duxit vxorem, vt habetur in [b] 3. Reg. Neque enim absurdum erat filium Pontificis summi, quique in summo sacerdotio ei successurus erat, filiam regis habere coniugem. Nam regia tribus cum Leuitica non raro coniugia copulabant. Aaron enim accepit vxorem Elisabeth, sororem Naason principis in tribu Iuda. [c] Et Ioiada Pontifex, habuit vxorem Iosabetham filiam regis Ioram. [d] Nec absurdum est eum viuente adhuc, & pontificatum agente patre, præpositum fuisse tribui Nephtalim. Nam [e] inter tribuum præpositos aliqui Leuitæ numerantur, in quibus ipsemet Sadoc pontifex pater eius. Consentit quoque nomen in linguis omnibus; quod mirum est diligentissimum præteriisse Tostatum.

b 3. Reg. 4. 15.
c Exod. 6. 23.
d 2. Paral. 22. 11.
e 1. Paral. 27. 16.

VIII. *Sadoci successor.*

Successisse autem Achimaam Sadoco in pontificatu ex Scriptura perspicuum est, [f] cui consentiunt omnes, Iosephus in primus. *Primus*, inquit, *omnium in templo recens à Salomone extructo pontifex fuit Sadocus, cui filius Achimas successit, post Achimam Azarias*; [g] & Clemens Alexandrinus, [h] qui tamen eum vocat Abimelechum; quos sequitur Sigon.[i] Chron. breue Hebræor. cum Genebr. in Chronol. Abulensis in 1. Paral. 6. in expositione textus. Barad. t. 1. l. 5. c. 22. qui etiam refert eundem Abul. dicere Sadocum ante templum ædificatum obiisse, nimirum consentaneè opinioni suæ, [k] qua putauit Sadocum, etiam tempore Saulis, factum fuisse Pontificem, post interfectum Achimelechum Pontificem, cum 85. Sacerdotibus; anno qui fuit Saulis decimus tertius, id tamen apud eum non reperio, sed de re ipsa accuratius à nobis suo loco disputatum est. [l] Par est autem Iosephum loc. cit. & Clem. Alex libro 1. Strom. [m] sequi. qui primum in templo Salomonis Pontificem aiunt fuisse Sadocum; Et merito, vt qui secundo tantum anno Salomonis consecratus est pontifex, vt ibi dictum est. Minime tamen probandus est Clemens, qui Sadocum vocat octauum ab Aarone, cum is in Scriptura [n] reperiatur vndecimus, & is de quo nunc agemus Achimaas, duodecimus.

f 1 Paral 6 8. & 53.
g l. 10. ant. c 11.
h l 1. Stro p. 239 Græcolat.
i l. de rep. Hebr. 5. c. 2.
k in 1. Paral. 6.
l An. Saulis 13. n. 1. 2 & seqq.
m p. 239. Græc. Lat.
n 1. Paral. 6.

IX. *Roboamus an à populo Rex factus sit.*

Quod ad Regem attinet; [o] dicitur Roboam regnasse pro Salomone patre suo, nimirum illi hæreditario iure successisse; quod nequaquam in dubium reuocari potest. Quid est ergo, inquies, quod initio duodecimi capitis dicitur venisse Roboam in Sichem? (ea est ciuitas in tribu Ephraim non longe à Samaria) *illuc enim*, inquit, *congregatus erat omnis Israel, ad constituendum eum Regem*, nondum erat ergo Rex, sed populi suffragia expectanda erant, vt Rex fieret. An dicendum prima illa verba rem totam vniuerse comprehendisse: inde autem Scripturam incipere rem sigillatim explicare; quomodo scilicet, is cui iure naturæ vt filio Salomonis, & Dauidis regnum debebatur, (id enim Dominus Dauidi, & posteris eius dederat) [p] populi suffragio non electus sit, sed regni possessionem adeptus. Idemque de Saule, Dauide, Salomone, imo & de Ieroboamo dicendum est, quem constat à Deo electum in Regem decem tribuum, misso nominatim ad id ei denunciandum Ahia Propheta, vt supra dictum est. [q] Non factum autem à populo ex eo liquet, quod deficiente ab eo populo, Rex tamen absque aliis suffragiis, aut electione permansit.

o l 3. Reg. c. 11 fin. & 2. Paral. 9. fin.
p 2 Reg. 7. 11. 12. 16.
q An. Salom. 38. n. 25 26. &c.

X. *Ieroboam an euocatus à populo.*

Illa potius controuersa sunt. Primum an Ieroboam, audita in Ægypto morte Salomonis, sponte redierit in patriam; an vero inde euocatus fuerit à populo. Secundo an interfuerit comitiis regni, cum Roboam populi suffragiis, loco patris sui declaratus est Rex; an vero populi adhuc coacti orator, & legatus fuerit, ad petendam onerum leuationem. Res non admodum perspicuè vel à Scriptura, vel à Iosepho traditur; existimo autem eam

hoc modo fuisse transactam, iuxta ea quæ iam supra tradita sunt.

Primo Salomon moritur, & sepelitur; eius rei fama longe spargitur, peruolat etiam in Ægyptum, vbi Ieroboam metu Salomonis exulabat. Id ergo cum is audisset, *statim* in patriam *reuersus est*. [a] Vox *statim* (licet in Hebræo desit, & Græco) innuit eum sponte, amore patriæ reuertisse, nec expectasse dum publice à populo vocaretur; sed ab amicis tantum, vt significat Iosephus, admonitum quamprimum venisse. Quid enim causæ erat cur publico nomine vocaretur? Num vt eum Regem facerent? At de nouo Rege populus ne cogitabat quidem. Alioqui eum quamprimum, antequam confirmaretur in regno Roboam, Regem creauissent, aut certe mox aliquid causati essent, ne Roboamum suffragiis suis dicerent Regem. Postremo si defectionem ab eo molirentur, non eam Regi rogationem obtulissent, quam is posset, ac deberet admittere; sed quam plane recusare cogeretur, vt illi ausam arriperent dicendi, *Quæ nobis pars in David.* [b]

[a] 2.Par.10.2.

[b] 3.Reg.12.16.

XI. *Ordo rei gestæ.*

INTEREA indicuntur comitia, in certum diem, in vrbe Sichem, medio ferme totius regni loco. Tempus autem non nimium breue esse debuit, vt ex omnibus totius regni tribubus eligerentur, qui comitiis, totius populi nomine, cum iure suffragij interessent. Tertio Ieroboam, qui non dubia regni spe extimulatus patriam repetebat, in Sichem ipse quoque in comitia venit, 4. Communibus populi suffragiis stabilitur Roboami regnum, existimãte Ieroboamo nondum aduenisse tempus, quo diuina promissio impleretur. 5. Constituto Rege actum est de regni negotiis, in quibus erat in primis imminutio tributorum. Postremo re ex populi voto non succedente, consilium sibi capturus eum aduocat, congregato cœtu, eumque constituit Regem, vt mox dicetur. Data porro videtur à populo cura Ieroboamo, qui diu tributis colligendis in tota domo Ioseph præfuerat, totius populi nomine orandi Regem, vt onus tributorum à Salomone impositum imminueret. Neque tamen solus ipse petiit; allectabantur quippe eum omnes populi principes, qui vniuersam multitudinem Israëlis repræsentabant. Sed priusquam prouehamur vlterius, aliquid de reditu Ieroboami, ex libris Græcis addamus.

XII. *Reditus Ieroboami.*

SIQVIDEM in Septuaginta Sixti, & Aldi [c] aliqua inseruntur, quæ in aliis non habentur, & ad hunc locum pertinent. Vbi enim dixit fugisse in Ægyptum, [d] subditur. *Et audiuit Ieroboam in Ægypto mortuum esse Salomonem, & locutus est ad aures Susacim Regis Ægypti, dimitte me, & abibo ego in terram meam, & dixit ei Susacim, pete à me quidquid voles, & dabo tibi; & Susacim dedit Ieroboamo in vxorem Ano sororem Thecemina, quæ erat honorabilissima vxori suæ, hæc erat magna in medio filiarum Regis, & peperit Ieroboamo Abiam filium suum. Et dixit Ieroboam ad Susacim. Dimitte me obsecro, & abibo. Et exijt Ieroboam ex Ægypto, & venit in terram Sarira, quæ est in monte Ephraim. Et ædificauit ibi Ieroboam* Χάρακα, id est, fossam, aut vallum, vel vrbem potius ita dictam, cuius est mentio 2. Machab. [e] *Et ægrotauit filius eius*, &c. Nam hinc inde sparsa, ibi colliguntur, quæ viderat Sulpitius Seuerus libro 1. de sacra hist. vbi ait Ieroboam de stirpe regia vxorem in Ægypto duxisse.

[c] c. 12. 3. Reg.

[d] 1.3.c.11.

[e] c.12.v.17.

XIII. *Iugum Salomonis tributa.*

PETITIO autem hæc fuit. [f] *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum, de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Iugum grauissimum vocant non seruitutem; Nam *de filiis Israel* [g] *non constituit Salomon seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum, & equorum.* Nec boni sunt coniectores Hebræi, qui hoc iugum interpretantur, quod turmæ viginti quatuor millium, singulis mensibus Hierosolymis cum Rege morabantur. At id Dauidis erat institutum, non Salomonis, nec probant populi sumptibus eos apud Regem mansisse. Rectius ergo hoc iugum dicemus tributum, quod primo indictum videtur ad ædificandum templum; inde etiam perpetuo retentum, & pendi solitum, vsque ad mortem Salomonis. Hic enim mos est regibus, [h] aut eorum consiliariis, & quæstoribus, nunquam vt reditus Regios imminui patiantur, quacumque tandem ex causa, vel necessitate eos augeri contigerit, etiam necessitate cessante. Quam recte id autem, eodem Salomone teste [i] iudicabit is, qui *cuncta quæ fiunt adducet in iudicium.*

[f] 3.Reg.12.4.

[g] 3.Reg.9.22.& 2.Par.8.9.

[h] Vid. Abul.q.4.in cap.12.3.Reg.& q.9.in cap.2.Paral.

[i] Eccles.12.4.

ac 9.v.15 DE hoc ergo tributo in 3. Reg.[a] *Hæc est summa expensarum, quam obtulit Salomon ad ædificandam domum domini &c.* Hebraice ad verbum habetur. *Hæc est res tributi, quam exegit, vel ascendere fecit Salomon ad ædificandum domum Domini, & domum suam, & Mello, & murum Ierusalem, & Heser, & Mageddo, & Gazer,* &c. Subdit enim paulo post ædificationem reliquarum ciuitatum. Deinde vero cum in tot mulieribus inexplebili cupiditate flagrantibus, immanissimos sumptus faceret, non dubium est pensitationem tributorum nunquam fuisse sublatam, quantumuis ingemiscente populo; vt ex hoc loco satis apertum est. XIV. Eorum causa.

ITAQVE populus, qui prius pro ædificatione templi libenter vectigal graue pependerat, dolebat vtique se non vltra pro re sacra, sed ad profanos sumptus eodem tributo vexari; credidítque se, hac occasione recens aditi regni, posse aut liberationem, aut certe leuationem tributi obtinere; *& si nollet assentire, poterant ab eo licite recedere: ideo non peccauerunt Israëlitæ ponendo conditionem istam Roboam; & vsi sunt iure suo.* Sic Abul. loco citato. Audacter sane atque animose; sed præstat audire[b] Apostolum, *quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* & Petrus non solum modestis dominis, sed etiam dyscolis iubet Christianos obtemperare. Et sane ex Aristotelis, vbi de Republica Hippodami Milesij, & ipsiusmet Abul. doctrina, minus bonum maiore damno accersendum non est; at ciuile bellum quanto maius est malum, quam aliquanto grauiora onera tributorum? XV. Quam iusta populi querela.

b 1.Cor.6.7

a Polit.1.8.

REX nolens in promptu responsum dare, rem in tertium distulit diem. Quod non præpropere consensit populo, prudentiæ fuit. Recte enim Sapiens.[c] *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Didicerat fortasse illud Patris sui.[d] *Vidisti hominem velocem ad loquendum, stultitia magis speranda est, quam illius correctio.*[e] Iosephus[f] ait Roboamum statim in suspicionem venisse apud populum, quod sine mora votis eorum non annuisset. *Decere enim eius ætatem putabant, procliuem esse ad benemerendum; nonnihil tamen spei suberat, quod non statim essent repulsam passi.* Sic ipse. Hunc certe animum Regem decere huiusmodi tempore, iudicabat Dauid,[g] cum hominem quamuis nocentem nollet interfici, quo die regno restitutus esset. *An ignoro, inquit, hodie me factum Regem super Israël?* XVI. Rex differt responsum.

c Eccli. 33. 24.

d Prouerb. 29.20.

e Vide & Eccles. 5. 1. Eccli. 4. 34 Iacob 1.19

f l.8.c.3.

g 2. Reg. 19.22.

CVMQVE abiisset populus, *iniit consilium* Rex Roboam, *cum senioribus, qui assistebant coram Salomone, patre eius cum adhuc viueret; id est, cum Banaia filio Ioiadæ, & Iabel filio Achamoni, qui alio nomine Chilab vocatur;* ait Hieronymus in tradit.[h] & ex eo Comestor. Hoc quoque prudentiæ fuit, quod sapientes consuleret. Nam aliqui ita desipiunt, ita proprio iudicio, & voluntati adhærescunt, vt salutaria prudentum consilia aspernentur, & ne ad aures quidem admittant. At Roboam Senes consulit, quoniam vt ait Iob.[i] *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Sapiens quoque.[k] *Quam speciosum canitiei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium. Quam speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus, & consilium.* Prudentiæ quoque fuit, quod eos primum consuluit, antequam stultis iuniorum opinionibus occuparetur. Sed ipse iam à stultitia sua satis occupatus erat. Itaque id illi defuit, quod maxime intererat adesse, vt eorum consilio acquiesceret. *Qui dixerunt ei, si hodie obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus.* XVII. Consulit seniores.

h 2.Paral. c.10.

i Iob.12.12

k Eccli. 25. 6.

QVI *dereliquit consilium senum, quod dederant ei,* id est, præ se tulit se aspernari, antequam alios consuleret; id enim intelligi voluit Scriptura; alioqui satis erat dixisse; *adhibuit* autem *in consilium* etiam *adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi.* Apparet displicuisse id consilium Roboamo, quod eam verborum lenitatem, & cum subiecto sibi populo humanitatem, regiæ maiestati indecoram arbitrabatur, & abiecti animi, non regij; Verebatur etiam fortasse ne nunc facti voti compotes, vellent deinceps, quauis occasione data, Regem à propria sententia deiicere, & ad suam pertrahere, incusso defectionis metu. Seorsim porro cum iunioribus egisse, ex eo colligitur, quod totum argumentum, de quo erat quæstio repetiit Roboam; & Iosephus. *Accitis, inquit, æqualibus suis iuuenibus, & exposito seniorum consilio, quid ipsis videatur proferre iussit.* Oblitus videtur Iosephus Roboamum hoc tempore egisse annum primum, & quadragesimum,[l] quippe qui eum iuuenem vocat; nisi dicamus XVIII. Consulit iuuenes.

l Vt constat ex 3. Reg.14.21. & 2. Paral. 12.13.

iuuenem hic non ætate dici, sed moribus: iuxta illud Homeri. ναὶ δ' αἰεὶ ἀφραδίουσι. Idemque de iis dicendum, qui cum Roboamo adoleuerant; non erant enim hoc tempore adolescentes ætate, sed prudentia puerili.

XIX. *Quæ eorum sapientia.* Qvid ergo illi aiunt? denunciari populo iubent minimum digitum suum grossiorem esse dorso patris sui. Quibus verbis putat Pineda [a] alludi ad ætatem, qua Salomon regnum iniit, quæ erat 20. annorum, duplo scilicet minor quam Roboami. Allusum item ad corporis infirmitatem, erat enim tenerior, & delicatus eo tempore, vt Dauid quoque populo dixit. Quo etiam referri potest Chaldæus Paraph. qui ista sic interpretatur. *Debilitas mea fortior est robore patris mei.* Sept. *Paruitas mea fortior est lumbus patris mei* Potest tamē simpliciter, & sine allusione accipi, vt sit oratio hominis iactabundi, & timorem sui incutere volentis, quasi diceret, potentior sum ad pugnandū, quam pater meus, & mihi maiora etiam tributa necessaria sunt, quam patri; vnde sequitur. *Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue; ego autem addam super iugum vestrum. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Ferox oratio, & plane tyrannica vox, hominis, qui metui malit, quam amari. sed euentus docuit quam importuna fuerit ista ferocia. Cæterum scorpiones virgas esse spineas, vbique aculeatas, quales passim videmus in sepibus, mihi probabilius est, quam esse flagella, quæ in extremis chordis nodos habeant plumbeos, vt ait Abul. [b] Nā huiusmodi flagella proprio plumbatarum nomine dicebantur: Hebræa vero vox, & scorpiones significat, & spinas. Iosephus & Septuaginta habent σκορπίοις; Vatabl. flagris, vel rubis aculeatis, Chaldæus apud eundem, spinis.

[a] l. 7. c. 24. n. 4.
[b] In cap. 10. 2 Paral. in exp. text. 2. ex.

XX. *Roboami ad populum stulta responsio.* Placvit Roboamo consilium, verito, vt dixi, ne si à principio mitem se præberet, & facilem, à populo deinceps sperneretur. Iosephus. *His delectatus Rex, & ratus decere maiestatem principatus tale responsum, postquam tertia die populus ad audiendum conuenit, omnibus expectatione suspensis, & expectantibus benignum aliquid sibi proponendum, omisso amicorum consilio, ex iuuenum sententia respondit.* Qui nimirum innutriti deliciis, placidoque vsi, & perpetuo populi obsequio, imminentem defectionem suspicari non poterant. Quæ erat etiam conditio Roboami, qui sua maxime referre putabat, non æstimari patre Salomone minorem. Ac fortasse pro sua stultitia, ne minorem quidem se illo putabat, qui à Deo ipso audierat. [c] *Ecce dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit;* cum ipse hoc meruerit elogio à Sapiente notari. [d] *Et dereliquit,* nimirum Salomon *post se de semine suo gentis stultitiam* non stultum, sed stultitiam ipsam, quæ in tota gente poterat esse maxima, *& imminutum à prudentia Roboam, qui auertit gentem consilio suo.* Stultus, qui patris honorem imminueret, nec intelligeret hoc suum dedecus esse, non gloriam. *Ne glorieris,* ait Sapiens [e], *in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria, eius confusio. Gloria enim hominis, ex honore patris sui, & dedecus filij, pater sine honore.* Itaque licet sapientior patre fuisset, atque modis omnibus excellentior, minime tamen omnium ab eo dici oportebat, quibus se illi anteferret. Stultus, qui populum alienissimo tempore exacerbaret, & inanes, iniustasque intentaret minas.

[c] 3. Reg 3. 12.
[d] Eccli. 47. 27. 28.
[e] Eccli. 3. 12. 13.

XXI. *Et in ea diuinum iudicium.* Et *non acquieuit Rex populo,* inquit Scriptura, [f] *quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Ieroboam filium Nabat;* dimittendo eum propriæ superbiæ, ait Caiet. cui consilia iuuenum consonabant, & non dando ei tantum lumen vt probaret, & sequeretur consilium senum, & videret quam inconsultum, & temerarium esset consilium iuuenum: & consequenter voluntas in deterius prona, nec adiuta gratia, amplexa est quod sibi, ac toti populo perniciosum erat; nec tamen vllam ei Dominus iniuriam fecit, sed substraxit ei gratiam non debitam, maxime tamen necessariam, in vltionem scelerum Salomonis. Sicque intelligendus est Iosephus [g], cum ait. *Ibi Deus sine dubio mentem ademit homini, cui tam vtilis in omne tempus sententia, certe ad præsens ambienti regnum necessaria, non probabatur.*

[f] 3. Reg. 12. 15.
[g] l. 8. c. 3.

XXII. *Populus exacerbatur, & deficit à Roboamo.* Devs ergo qui peccata Salomonis permissione schismatis punire decreuerat, vti ante per Prophetam suum prædixerat; Roboami superbia vsus est, & linguæ intemperantia, ad diuisionis pœnam executioni mandandam. Itaque Roboam, quasi cum mancipiis omnium deterrimis, non cum subditis ageret,

voces plenas minarum, quas ante diximus, effudit. *Illi autem tam duris verbis, quasi ferro ictis*, inquit Iosephus, *non secus ac si à minis ad rem iam esset peruentum, per indignationem vno ore exclamant, nihil sibi futurum amplius cum Dauidis progenie.* Sic explicat illud; *quæ nobis pars in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Isai?* Arroganter locutus fuerat Roboam; superbe, & contemptim respondet populus, vocando Dauidem filium Isai, sicut olim Saul. Nimirum quemadmodum; *responsio mollis frangit iram*, ita *sermo durus suscepit furorem* [a]. Non didicerat filius insipiens à sapiente patre hoc prouerbium, sed experientia didicit magno suo cum malo. Didicerunt etiam seniores consiliarii illud Eccles. [b] neminem posse corrigere, quem Deus despexerit. Verba sunt deficientis populi à regia Dauidis familia, & abiicientis eius imperium, & quandam quasi formam repræsentāt diuortii, cuius erant illa solemnia. *Res tuas tibi habeto*, vel *agito*. Isti autem; *Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam Dauid*, id est prouide, ac prospice rebus tuis, ò domus Dauid.

a Prouerb. 15.1.

b c 7 14.

XXIII. *Et insultat domui Dauidis.*

Hæc sine dubio inter se dicebant seditiosi, Dauidi insultantes: quæ miror à Vat. putari verba seniorū, quos maxime credibile est fuisse de tribu Iuda, & regi contribules, atq. adeo Hierosolymitas; ideoq. neque discessisse ipsos schismate à Rege, neque aliis consilium discedendi præbuisse. Sed mirabilior est etiam Iosephus, qui domum hic templum interpretatur; ait enim dixisse seditiosos, haberet ipse templum, quod pater extruxisset; idque ita habetur in Gelenio, Rufino, & textu Græco, sed ei repugnat Scriptura, quæ vocat domum Dauid, non domum Salomonis. Repugnāt Septuaginta, qui habent, *Pasce domum tuam Dauid*. Repugnat Chald. qui vertit *nunc regna super viros domus tuæ Dauid.* Repugnat ratio, quia non ab istis profectum est consilium deserendi templum, sed ab Ieroboamo, vt postea dicetur. Repugnant denique omnes interpretes.

*Iosephus arguitur.*

XXIV. *An peccarit defectione.*

Illvd quoque minime dubium videtur, grauiter à desertore populo fuisse peccatum. Etsi enim Deus hanc defectionem, quatenus erat pœna peccatorum, voluerit, vti in reliquis quoq. pœnis contingit, non minus tamen qui damnum ex priuata sua voluntate infert alteri, male agit. Et quamuis tali supplicio digna erat familia Salomonis; non tamen propterea populus legitimum principem suum iuste deseruit: neque enim Dei mandatum de Roboamo deserendo acceperant. Roboami autem verba non tantam merebantur pœnam, neque tam subitā, & improuisam; quamuis ob nimiam vexationem, si ea postea contigisset, à Roboamo; parique modo prius à Salomone recedere potuisse fateatur Abul. vt ante dixi: si is populum seruilem in modum tractasset. Nec prophetica prædictio rei futuræ, causa erat iustæ discessionis: illa enim rei causa non est, sed eam quasi factam fuisse supponit. [c]

c Vide Abu. q.8.&. 9 in c.12.3.Reg.

XXV. *Abiit in tabernacula sua.*

Repvdiata itaque domo Dauid, abiit Israël in tabernacula sua. An videtur excitata fuisse in Sichem tentoria singulis tribubus, ad quæ indignabūdi, furentesque se receperunt Israëlitæ, consilium sibi capturi, resque suas per se acturi? aut potius hæc vis verborum est, posside tibi Israël vrbes, ac ciuitates tuas, desere Dauidem, eiusque familiam, & huius regis loco, alium tibi constitue. Sic Seba [d] iamdudum populū iratum huiusmodi verbis à Dauide distraxerat. Hæc cum quadam paraphrasi habentur in quibusdam libris Græcis, & nominatim Romanæ editionis, vbi hæc leguntur: *Et dixit omnis populus, quasi vir vnus, quisque ad proximum suum, & vociferati sunt omnes dicentes: Non est pars nobis in Dauid, neque hæreditas in filio Iesse. Quisque in tabernacula tua Israël, quoniam homo hic non in principem, neque in ducem*, aptus est. *Et dispersus est omnis populus ex Sichimis, & abiit vnusquisque in tabernaculum suum.* Sed hæc, & alia nonnulla adiectitia sunt, nec videntur multum habere authoritatis, cum nec in vulg. nec in Hebr. aut Chald. neque in aliquibus græcis habeantur.

d 2.Reg.18.

XXVI. *Aduram lapidibus obruit.*

Sensit tandem Roboam quantam securim iniecisset in domum suam, & recenti in vulnere medicinam facturus ad populum suaui, & humili oratione mitigandum destinat Aduran. Adoranum Iosephus vocat; idem videtur esse, qui [e] alibi dicitur Adoniram, filius Abda, præpositus super tributa: nam Septuag. Sixti Adoniram vocant. At populus eum propter tributa exosum habens, lapidibus obruit. Hic quoque deseruit Roboamum Dominus, vt ad resarciendum

e 3.Reg.4.6

schisma homine vteretur, qui illud amplificaret potius, quam tolleret; quod fieri posse videbatur ab homine, qui toti populo gratus esset: istius autem conspectus, in furorem egit, collecta in vnum superiorum temporum iracundia. Auxit autem hæc cædes inchoatum malum. Hoc enim facto veritus populus ne cruenta sibi immineret reconciliatio, tanto factus est in incepto durior, atque obstinatior. *Adeoque pertinax ira fuit*, ait Iosephus [a], *vt Adoramum quæstorem regium, missum ad excusandam iuuenilis linguæ petulantiam, placandosque concitati vulgi animos, ne auditum quidem lapidibus obruerint. Quo facto Roboamus ratus id quod erat, se in famulo saxis impetitum, veritusque ne conceptum semel odium in ipsius caput effunderetur, trepide conscenso curru, quantum potuit Hierosolyma properauit.* | a l. 8. c. 3.

XXVII. *Aduram petentem tributa.* SVNT etiam qui hoc loco Roboami insipientiam amplificent, quòd cum dicant misisse Aduram, ad exigenda importunissimo tempore tributa; idque ex eo colligunt, quod hoc esset istius officium, & solenne munus. Indeq. voluisse Roboamum certo cognoscere, an reuera populus à se defecisset, verum parum probabilis est ista temeritas. Nam non solum tempus importunum erat, & incommoda personarum dispositio, sed etiam locus. Non enim secum attulerant, quæ tributi nomine persoluerent, cum essent in comitiorum loco, vnde se tunc Roboamus proripuit. Quid si nondum eum populus regem dixerat? Sed priusquam eum regem cõfirmaret, diminutiones tributorum impetrare voluit, vt in huiusmodi negotiis fieri solet? Ita sentit Abulensis [b]. Propterea que ipsum nondum potuisse exigere tributa; & ideo eorum negationem non fore idoneum defectionis argumentum. | b q. 11. & 12 in cap. 12. 3. Reg.

XXVIII. *Num Aduram in Hispania sepultus.* SED addamus de Aduram, siue Adoniram, cum præfectum fuisse delectui eorum, qui per singulos menses decies milleni in Libanum mittebantur [c] Scribit Villalp. [d] Sagunti in regno Valentiæ citerioris Hispaniæ, inuentum esse lapidem sepulchralem, non longe ab arcis Saguntinæ porta, anno Domini 1480. in quo Hebraïcis literis inscriptum erat. *Hic est tumulus Adoniram famuli Regis Salomonis, qui venit ad exigendum tributum, & mortuus est.* Die. Reliqua fracta erant. Huius sepulchri meminit Franciscus Gonzaga Mantuanus Episcopus, in lib. de Orig. Franciscanæ relig. pag. 3. Erat is eius Generalis minister. Est & liber quidam manuscriptus, quem Saguntini exhibent, in quo fol. 104. ita legitur. *Apud Saguntum in arce, anno Domini* 1480. *plus minus, fuit inuentum sepulchrum vetustatis admirandæ. Intus erat cadauer, quod litum balsamo huc vsque fuerat seruatum, proceritatis non vulgaris, sed solito procerioris; habebat & hodie habet in fronte lineas duas, idiomate & literis Hebraicis; quarum sensus est huiusmodi. Hoc est sepulchrum Adoniram serui Salomonis Regis, qui ad hoc venit vt exigeret illius tributum*, &c. Verum si his fidem adhibendã putamus, dicendum est hunc Adoniram, qui in Hispania mortuus est, eoque profectus colligendi gratia tributi, siue sacri, siue prophani, ex Iudæis, qui ibi erant, alium fuisse ab eo, qui à populo tumultuante apud Sichimitas lapidibus obrutus est: quis enim credat eum inde in Hispaniam fuisse translatum? | c vt dicitur 3. Reg. 5. 14. d t. 2. p. 2. l. 5. c. 58.

XXIX. *Solane tribus Iuda cũ Roboamo remãserit.* SIC ergo Roboam comitiis finem, magno suo dedecore, & damno imposuit; non enim *secutus est quisquam domum Dauid, præter tribum Iuda solam.* Quæ scripturæ verba non leuem dubitationem ingerunt. Constat enim tribum Beniamin cum Roboamo perseuerasse; statim enim sequenti versu dicetur Roboamũ congregasse vniuersam domum Iuda & tribũ Beniamin. Idq; requirebat vaticiniũ Prophetæ, qui duas sibi pallii portiones retinuit, indices tribuum duarum, quas sibi domus Dauid retentura erat. Dici potest tribum Beniamin non statim secutam tribum Iuda, sed nutasse aliquandiu: veritam tamen Iudæ vicinitatem, cui perpetuo prædæ futura erat, & theatrum in quo vtriusque regis exercitus decertarent, ad Roboamum se contulisse. Dici quoque poterit tribum Iuda hîc vocari regnum Iuda, & tribum pro regno accipi, quod tribum etiam Beniaminiam comprehendit. Idque intelligi potest, ex eo, quod paulo ante dictum fuerat, regnasse Roboamum super filios Israël, *Quicunque habitabant in ciuitatibus Iuda*, significans se latius accipere Iudam; quod Abulensi quoque visum est. Quin etiam non desunt, qui Simeonis tribum cum Roboamo remansisse putent, quod sortem haberent cum Iuda commixtum. Quam tamen commixtionem isti docere non possunt. Et eas bellè separat Adrichom. quamuis olim in priore | v. 17.

sortitione, ea terræ pars, quæ mox Simeonis fuit, Iudæ fuisset assignata. Et alioqui inauditum est, & contra prędictum vaticinium, Simeonem remansisse cum Iuda.

XXX. Ieroboam fit rex.

Israelitæ autem intelligentes sibi infensum esse Regem, seque ei sine duce aliquo, ac principe, à quo regerentur, ac defenderentur, omnino impares fore, de rege deligendo deliberant, & Ieroboamum, casu aliquo tum absentem, communi consensu aduocant, & constituũt Regem super omnem Israël.[a] *Factum est autem*, inquit Scriptura, *cum audisset omnis Israel quod reuersus esset Ieroboam, miserunt, & vocauerunt eũ congregato cœtu.* Apparet abiisse animaduersa seditione, in qua occisus est Aduram; sed euocatus est iterum, à maioribus natu tribuum, regno idoneum existimantibus, virum multa rerum experientia clarum, Ægyptio Regi affinitate iunctum, atque ipsi Salomoni, cum is maxime saperet, primùm tanquam adolescentem bonæ indolis, & industrium, valde[b] charum, deinde etiam formidatum, tanquam virum fortem, ac potentem. Ergo communibus suffragiis *Constituerunt eum Regem super omnem Israel*, ipso vt credibile est, minime repugnante, qui memor esset, quid sibi non ita pridem Ahias Silonites vaticinatus esset, & pro sua prudentia, probe intelligeret, quo cum aduersario sibi futura res esset, quantumque sibi virium suppeteret ad resistendum duabus tribubus, qui decem haberet in potestate; crederetque Deum, qui eum in regem elegerat, sibi pręsidio futurum & collatum semel beneficium conseruaturum. Credibile autem est totum negotium, vt in re trepida, non magna celebritate fuisse transactum.

*& quare electus fuerit.*

a 3. Reg. 12. 20.

b 3. Reg. 11. 28.

XXXI. Sedē locat in Sichem.

Cæterum Ieroboamus cum vidisset Roboamum cum suis Hierosolymam profugisse, relicta vrbe Sichem; ipse eam sibi tantisper in sedem regni delegit, vt quæ in tribu Ephraim sita esset, ex qua ipse oriundus erat; eamque postmodũ muniuit ac renouauit, vt Roboamo facilius resisteret. Intelligebat enim eum non quieturum, sed omni ope adlaboraturum, vt tantam repararet iacturam, & decem tribus suo imperio restitueret, quod proximo anno factum est, vt dicemus. Id significat Scriptura.[c] *Ædificauit autem Ieroboam Sichem in monte Ephraim, & habitauit ibi, & egressus inde ædificauit Phanuel.* Quæ Iosephus sic explicat, *Ergo Ieroboamus regia Sichimis constructa, imibi domicilium optauit. Nec eo contentus apud Phanuelam vrbem aliam aliud ædificauit.* At Scriptura significat tantum vrbes ipsas restauratas, ac communitas, in omnem belli euentum, prout conditio temporum exigere videbatur; nihil tamen absurdi est Ieroboamum sibi in illis vrbibus domicilia construxisse, quod Iosephus affirmat. Cæteræ quoque vrbes decem tribuum à Roboamo deficiunt, & Ieroboami iussis obtemperant.

c 3. Reg. 12. v. 25.

XXXII. Roboamus bellum parat.

Roboam autem vice versa, vel sero sapiens, per fideles, atque idoneos viros ciuitates Iuda, & Beniamin, quoniam cæteræ, aut auersæ ab eo, aut præoccupatæ iam mandata facere recusabant, omni studio circumlustrat, & omni significatione lenitatis & indulgẽtiæ sibi deuincit, ac retinet, & ad arma sumenda prę parat, cum primum euocarẽtur. Id factum ratio exigit, & fortasse significat Scriptura illis verbis. *Et abiit Israel in tabernacula sua, super filios autem Israel, quicumque habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam.* Sed & Idumæi quoquo modo in fide mansisse videntur, & cum Roboamo perseuerasse, cum aliqua conditione tributi, fere ad tempora vsque Ioram, vt infra dicetur. Moabitæ vero Israëlitis pari ratione paruerunt, vtrique loci vicinitatem secuti. Nam Idumæi Iudæis contermini erant. Moabitæ autem Israëlitis, qui trans Iordanem; à quibus tamen post mortem Achabi defecerunt. Syri autem, iuxta ea, quæ supra diximus, an. Salomonis 38.[d] iam tum viuo Salomone ab Israëlitis defecisse videntur.

d n. 17. 18. 19

XXXIII. Simeonitæ dispergũtur

Putat etiam admodum probabiliter Torniellus[e] hoc tempore tribum Simeonis ex suis finibus egressam, quod nec Roboamo parere vellent, nec ei resistere possent, nec à cæteris tribubus longe distantibus iuuari, & armis protegi contra regem Iuda. Id tamen de omnibus dici non potest. Nam post annos ab hinc 35. regni Asa decimo quinto, aliqui de tribu Simeonis, Ephraim, & Manasse ad eum confugerunt, sicque impletum est quod illi prænunciatum fuerat à Patriarcha Iacob,[f] *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Quod ex eo confirmatur, quod Iudith, quæ erat de tribu Simeonis, sicut & vir eius, habita-

e an. 5. ætat. 38 & 39.

f Gen. 49 7

bat tamen in Bethulia, quæ communiter ab omnibus ponitur in tribu Zabulō. Obiicies eam prædictionem non solis Simeonitis factam fuisse, sed Leuitis. Ita est, sed Leuitæ quoq; per omnes tribus dispersi erant. At hi vice versa nunc magna ex parte congregati sunt in Ierusalem, & tribum Iuda, & Beniamin, cum idololatria in Israëlem paulo post inuenta est. Obiicies secundo tribum Dan etiam in sinu tribus Iudæ fuisse collocatam. Respondeo partem eius iam à temporibus Michæ [a] ad Iordanis fontes sedem fixisse, reliquos autem Danitas vicinos fuisse Ephraïmitis, quæ erat præcipua tribus regni noui, ideóque in eius tutela facile in propriis sedibus perstitisse, per quos etiam vicini Simeonitæ iuuari, ac confirmari in regno Ieroboami potuerunt. 3

a Iud. 17. &c. 3 ex.

## SCHOLIA.

1. N. VI. Corrigendum est mendum, quod irrepsit in numeros apud Seuerum Sulpitiū lib. 1. sacræ historiæ. Vbi ait Roboamum anno ætatis sexto, & decimo regnum patris tenere cœpisse. Nam vt recte notauit Sigonius, L. in V. versum est XLI. in XVI. Verum eodem fere modo erratum est in Septu. Sixti, & Aldi, in quibus in hoc capite plura inserta leguntur, quæ in regiis non leguntur; & inter alia. *Filius erat* (Roboam) *sexdecim annorum cum regnare cœpit, & duodecim annis regnauit in Ierusalem*, Aldus septemdecim, vt Hebr Lucifer Calarit. recitat ex script. 70. *& erat sedecim annorum cum regnaret, & viginti annis regnauit in Ierusalem.* l. de regibus apostaticis. Addunt etiam de matre, *& nomen matris eius Naanam, filia Ana filij Naas Regis filiorum Ammon*, &c. quæ ex parte habentur. cap. 14. nu. 21. Vtroque numero commutato, nec apparet vnde error emerserit.

2. N. XIX. Vulgo dicuntur: *des Esglantiers*, repugnante interprete Plinij. lib. 24 c. 14. genus rubi est, a Græcis dicti κυνὸς βάτος, id est, rubus canis, aut rubus ferens syluestres rosas, quem κυνόροδον vocant; quibus olim Sancti Martyres non tam cædebantur, vt virgis, quam dilacerabantur, vt gladiolis.

3. N. XXXIII. Pleriq. ad hunc ann. pertinere putant illū Ezechielis locum, in quo iubetur Propheta cubare super sinistrum latus 390 diebus, quot scilicet durauit obsidio Hierosolymorum extremo Sedeciæ regno: idque in pœnam totidem annorum, quibus Israelitæ Idola publicè coluerant, sumpto initio à diuisione regni Israelitici, vsque ad vltimum annum Sedeciæ. *Et quidem omnes fere Chronologi*, ait Pradus noster in eum locum, *consentiunt ex sacra historia regnorum colligi annos 390. à bipertita monarchia, seu ab initio regni Roboam & Hieroboam, vsq; ad Sedeciæ casum, vrbisq; excidium. Nosque in commentario chronologico eosdem demonstrauimus*, sic ipse. Verum qui 390. annos exacte constituāt Beroaldum reperio & Heluicum. Nam Constant. Phrygio annos memorat 378. Gordon. 384. Codoman. & Functius 386. Torniel. 387. Mercator 391. Caluis. & Capel. 392. Samerius 393. Genebr. 394. Bibliander 396. Adrich. 402. quidam etiam eorū annorum numerum ad Salomonem quoque pertinere putant, vt Pineda, Iunius & Tremel. Deinde quamuis anni accurate congruerent, constat certe multos annos idololatria vacuos fuisse, etiam ab eo tepore quo 10. tribus in captiuitatem abductæ sunt, Ezechiæ 23. Manasse minimum 15. Iosiæ 31. quia ab illis 390 ann. videntur eximendi. & sic annis culpæ dies pœnæ non respondebunt.



# ANNVS MVNDI 3061. DILVVII 1405. QVINTÆ ÆTATIS 122. ROBOAMI REGIS IVDÆ 2. IEROBOAMI REGIS ISRAELIS 2. ACHIMAÆ PONTIFICIS 2. FVNDATI TEMPLI 39. TROIÆ EXCISÆ 190. LAOSTHENIS 33. IMPERII ASSYRIORVM. 1130.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 992.



DVM vterque Rex pro instante, atque vrgente necessitate se contra aduersarium suum in regno suo communit, & armorum diuturna pace insolentem conuocat, conscribitque militem, delectum habet, arma, currus, equos, commeatum; hastas, gladios, arcus, machinásque studiose comparat, vt alter maximam regni partem recuperare, alter recens acquisitum regnum conseruare possit, reliquus annus abiit. Nam in Septuaginta Romanæ, Aldinæ, & Basiliensis editionis legitur ἐγένετο ἐπιστρέψαντος τοῦ ἐνιαυτοῦ. *Factum est ineunte anno*; quando scilicet solent Reges ad bella procedere: [a] *Congregauit Roboam omnem virum Iuda*, &c. Id si ineunte anno factum est, oportet ineunte secundo factum esse; præsertim cum non desint, qui Augusto mense, alij Septembri Ieroboamum regem factum tradant. Nam quod hæc aliqui ad primum annum referunt, minimè nobiscum pugnare arbitror: nimirum res intra circulum vnius anni contigit, quæ tamen duos annos Iulianos, quorum rationem habemus, attingit.

*I. Ratio temporis.*

*a 3. Reg. 12. 21.*

*Codom. Heluic.*

ROBOAM igitur regno suo quoquomodo composito, existimauit quamprimum vim adhibendam esse, ad reliquas tribus sibi adiungendas, antequam malum per longiorem moram inualescens, fieret insanabile. Erat ille quidem sibi conscius imprudentissimæ, atque inconsultissimæ vanitatis, sed non vltra verborum inanitatem ea culpa progressa fuerat. Cum vice versa populus, qui hæc dissimulare potuit, non secus ac quæ pars illius in fide permansit, virum primarium in pacem, ac reconciliationem animorum incumbentem, priusquam fortasse verbum fecisset vllum, iniusto furore peremisset. Ergo cui oblata satisfactio nihil profuerat, vt eum illata vis ad officium cogeret, [b] *venit Roboam Ierusalem, & congregauit vniuersam domum Iuda, & tribum Beniamin, centum octoginta millia electorum virorum bellatorum, vt pugnarent contra domum Israel, & reducerent regnũ Roboam filio Salomonis.* Addũt Septuaginta exercitum Iuda ascendisse in Sichem, ad pugnandum contra Ieroboam. Vbi scilicet ille constiterat, ac communiuerat sese, vt supra diximus, nec minoribus vallatus copiis opperiebatur hostem.

*II. Roboã [illegible] lum [illegible] Ieroboamo.*

*b 3. Reg. 12. 21.*

CVM ergo acies iam essent in procinctu profectionis, atque adeo in itinere, *factus est sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda, & ad omnem domum Iuda, & Beniamin, & reliquos de populo*, sacerdotes scilicet, ac Leuitas, & plerosque de tribu Simeonis, vt supra diximus: peregrinos item, atque proselytos, qui in eodem populo censebantur. Hos omnes ita Dominus alloquitur. *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel. reuertatur vir in domum suam: à me enim factum est verbum hoc*, Salomonis videlicet peccata, per imprudentiam Roboami castigante. Itaque aduersum me, non contra Ieroboamum pugnabitis: vtrique infœlicibus auspiciis, irritóque bello: atque adeo iniusto, vt putat Abulensis, quod propter onerum grauitatem iusta discessio facta esset. [c] Doctrina vtique periculosa, & quæ seditionibus, & defectionibus, bellisque ciuilibus, latissimum aditum aperiat. Nam populi non est iudicem se principis sui constituere, atque adeo æstimatæ vltorem iniuriæ, punitorem doloris sui.

*III. Reuocatur à Domino per prophetam.*

*c q. 8 & aliquot seq.*

IV. *Cui laudabili obedientia acquiescitur.*

Audierunt *sermonem domini, & reuersi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus.* Eximium plane, & admirabile Regis, & Principum eius, & vniuersi exercitus obedientiæ exemplum. Nam si rem ipsam intuemur, agebatur de re omnium maxima, de qua homines inter se contentiosissimè decertare solent, eámque rebus omnibus anteferre, rati regnandi causa, vt aiebat, cum Eteocle Iul. Cæsar, ius omne violari posse; cæteris autem rebus pietatem colendam. Quanto hic magis ad bellum inflammabantur animi, cum ad commune illud principum desiderium, vindictæ cupiditas, & ignominia amissi regni accederet, quibus quasi gladiis, ignis ille fodicaretur? Si gerendæ rei opportunitatem; collectus erat iam exercitus maximus, atque validissimus, stabant in armis acies; Si finem quærimus, causam iustam defendebant, iniustam defectionem puniturі, vt merito victoriam sperare possent. Si personam à bello reuocantem: vnus homo prohibebat, qui se Dei iussu loqui profitebatur, qui nullam pro se rationem, nullam causam, nullum miraculum proferebat. Quem plerique, vt delirum senem, cum contumelia procul amandassent: imo & vt proditorem, & ab hostibus subornatum, male mulctatum in crucem egissent. 3. Offic.

V. *Etiam ab ipso rege.*

Quid ipse Rex Roboam, nonne admirabilem exhibet patientiam, animique demissionem? qui ne verbo quidem vno contradicit Prophetæ; non opponit belli æquitatem, agi non de iniuste acquirendo, sed iuste recuperando regno. Non queritur iniuriæ sibi factæ atrocitatem; ereptam maximam regni partem, interfectum quæstorem regium; seipsum conuitiis appetitum, & ad fugam compulsum. Non obiicit collectum iam magno labore, magnisq; sumptibus exercitum; si dimittatur, hostes in armis quamprimum fore, aut etiam iam esse, qui reliquam regni partem eripiant.

*Non sine Dei ope.*

Oportuit vtique Deum totum exercitum à pugnæ cupiditate diuinitus auertere, metum, & terrorem, & victoriæ desperationem in corda eorum inijcere, eisque certo persuadere se contra Deum ipsum, non contra homines pugnam capescere. Et hûc videtur alludere Abia, qui Roboamo patri successit in regnum, cum fatetur eum fuisse rudem, & corde pauido; ideoque neque Israëlitis resistere potuisse. [a] Accedebat non ignotum Roboamo, & principibus Achiæ Silonitæ facinus, & vaticinium. Nec forte miraculum aliquod defuit; quamquam & hæc ipsa tam inopinata cessatio ab armis, non exiguum prodigium fuisse videatur. *Audierunt* ergo *sermonem Domini, & reuersi sunt de itinere, sicut præceperat eis Dominus.* a 2. Paral. 13.7.

VI *Timor Ieroboami à defectione suorum.*

Solutus hoc belli timore, ac cura Ieroboam, in omnem cogitationem stabiliendi regni sui intentus, *dixit in corde suo. Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini in Ierusalem, & conuertetur cor populi huius, ad dominum suum Roboam regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum.* Veritus ergo est, ne qui per vim regno priuari non posset, occasione pietatis, ac diuini cultus, non solum in ordinem redigeretur, sed etiam interficeretur; sicque (vt dicebant olim de Dauide Philistæi) populus dominum suum placaret in capite ipsius.[b] b 1. Reg. 29.4.

*Quam iustus esset.*

Nec fuit inanis, aut imprudens hic metus. Cum enim Pontifex, & Sacerdotes, & præcipui quique Leuitarum Hierosolymis habitarent, facile erat populum ad Sanctam Ciuitatem religionis causa proficiscentem, eorum opera religione tangi: & simul persuaderi facilem fore reditum ad domum Dauidis, cui Dominus sempiternum regnum iureiurando spopondisset; ideoque in perpetuo crimine, ac Dei odio victuros, & perpetuis ab eo suppliciis viuos, mortuósque mactandos. Eo autem facilius persuaderi poterant vt Roboamo reconciliarentur, quo minus illi deliberate, sed ex ira, metu aliáve animi perturbatione deliquerant; quæ facile legitimi Regis lenitate, promissisque contrariis sanari poterant. Accedebat authoritas virorum principum, qui domi, militiæque plurimum possent, quibus vel gratificari admittenda reconciliatione vellent, vel à quibus sibi priuatim merito formidarent.

VII. *Hoc maxime tempore.*

Subiit etiam fortasse animum Ieroboami priore anno ista cogitatio, sed tenuis, & in propinquam occasionem consultò dilata; quod perpauci, aut nulli potius, in hoc initio turbatarum rerum, omnibus vtrinque in bello apparando,

& vrbibus muniendis occupatis, Hierosolymam se conferre auderent. Id enim cuique videri poterat nihil esse aliud, quàm se maiestatis reos, vltro in carcerem, & mortem dare. Verum cum inchoatum ineunte anno bellum, vt diximus, statim diuina iussione resedisset, & adesset Paschale tempus, quo omnium frequentissimæ celebrabantur Hierosolymitanæ peregrinationes, commoti sunt plerique religione; eoque vehementius, quo magis periculi metus remittebatur; persuasis fortasse non paucis, Roboamum, qui collectũ exercitum dimiserat, malle regni partem nuper amissam seueritate verborum, beneuolentia, factorumque lenitate, quam armata manu, cum subditorum suorum strage, recuperare.

VIII. *Hierosolymitanam peregrinationem interdicit.* HIS ergo, non sine timore, animo perpensis; est enim timida semper ambitio, Hierosolymitanam profectionem interdixit, vt valde periculosam, laboriosam, & minime necessariam, quod ea ciuitas hostilis nunc esset, & ipsi deserti principis rei; quod multo à plerisque tribubus interuallo distaret, quodque Deum apud seipsi colere, non minore religione possent, vt qui pro vno templo, ac Deo geminum essent habituri. [a] *Viri populares*, ait Ieroboam apud Iosephum, *notum vobis existimo quod nullus locus Deo est vacuus, & quod is nullo certo loco includitur, sed vbique vota exaudit; vbique cultores suos respicit. Quare non placet mihi hoc tempore vos Hierosolymam, vrbem infensam, longo itinere proficisci religionis ergo. Homo illud templum statuit; quemadmodum & ego duas aureas vitulas consecraui, alteram in Bethele, alteram in Dana; vt pro locorum opportunitate, ex propinquioribus oppidis ad eas confluentes, illic Deum rite adoretis.* Sed hæc vitularum consecratio aliquanto post à Ieroboamo confecta videtur, delubris in vtraque vrbe raptim excitatis.

a lib. 8. c. 3.

IX. *Quæ illius mens esset.* VERVM non videtur ex Ieroboami mente hæc Iosephi ratiocinatio, qui nuper ex Ægypto reuersus, Apim, & Sarapim cogitabat, & vitulinos Deos, vt res ipsa docuit, postmodum enim ab eo audita est illa scelesta vox, in gratiam vitulorum. [b] *Ecce dij tui Israël*, &c. Et erat profecto longe minore in culpa futurus, si verum Deum veris, legitimisque ceremoniis, alieno duntaxat loco colere voluisset, & templum vnum, atque alterum, ad instar Salomonici construxisset. Nunc autem veri Dei cultum abiecit, & mutauit gloriam suam in similitudinem vitulorum comedentium fœnum. Præceptum Dei ceremoniale violasset, quod vsque ad Messiæ aduentum duraturum erat. Nunc præceptum naturale, & morale de vero Deo colendo, & non fabricandis, aut colendis idolis, quod ad infinitam pertinet æternitatem, summo omnium sacrilegio violauit. Apparet autem ipsum in Ægypto, in gratiam Sesaci Regis, cuius factus erat cognatus, accepta sorore vxoris eius in vxorem, Ægyptiis superstitionibus adhæsisse, vero Deo per nefariam apostasiam repudiato; nisi forte Deum, simul cum idolis, colere se posse existimauit.

b 3. Reg. 12. 28.

X. *Quemque imprudens consilium.* DEMENS qui abiecta in Deum fiducia, à quo illi destinatæ, promissæ, traditæque fuerant decem tribus, non sperauit eius beneficium constans sibi, ac perpetuum fore, nisi illius in se iustissimam indignationem horribili sacrilegio accerseret; & cum promissorum diuinorum firmitatem sua ipse experientia cerneret, ac manu ipsa teneret, alteram tamen promissionis partem, de regno eius in ipsius posteritatem longinquam propagando, si in viis eius ambularet, non crederet. Neque cogitaret corda hominum esse in manu Dei, & illum, qui arma de manu Roboami, in eius ruinam sumpta, nuper excusserat, eius quoque beneuolentiam conciliare posse: vt quoniam crederet à Deo factam esse diuisionem hanc, vt Semeias illi diuinitus nunciauerat, etiam persuasum haberet illam à Deo conseruari velle. Itaque fraternam cum eo contraheret amicitiam, vt neuter alterius subditos ad se attrahere, ac subornare cuperet. *Oportebat autem stolidum intelligere*, ait Theodoretus [c], *quod qui dedit regnum, id posit illi custodire, & confirmare.*

c q. 43 in 3. Reg.

XI. *Vitulos aureos cõficit, & consecrat.* ITAQVE *excogitato consilio*, inquit Scriptura, *fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, nolite ascendere vltra in Ierusalem. Ecce Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Hæc nimirum erant verba solennia, ab vltimo vsque principio, inchoatæ apud

Hebræos in deserto idololatriæ, repetita [a], quibus duos vitulos solenni ritu videtur consecrasse. Incredibili autem celeritate confectos illos vitulos, omnibus dæmonibus operam huic perniciosissimo scandalo diligentissimam nauantibus, ex simili celeritate, qua vitulus Aaronis ex fornace prodiit, facile conijci potest. Sed & delubra duo pari aliquot mensium diligentia fuisse constructa. Itaque in mensem octauum, diemque decimam quintam mensis, solennem vel templorum, vel vitulorum dedicationem indixit, vt Lyranus quoque notauit, & Dionysius, Adrichom. in chron. Author. Mirab. sacræ scripturæ, [b] Theodor. [c] die decimo quinto mensis septimi consueuerunt peragere ex lege festum Scenopegiæ, seu tabernaculorum, iste autem decimoquinto octaui mensis peregit festum iuuencarum. Quod probabilius est quam Ieroboamum festum tabernaculorum celebrare voluisse; quamuis id visum Iosepho. [d] Nam qui verum Deum in vitulos commutarat, itáque faciendum populo dementato persuaserat, nil mirum etiam diuersitatem locorum, & ceremoniarum, & celebritatum, sacrificiorum item, ac Sacerdotum persuasisse. Intererat autem quam solenniter idolorum cultum institui, ad populum à Ierusalem auertendum. Sic & Salomonis dedicationem imitabatur, quæ etiam à Iudæis celebrabatur quotannis; idque inde confirmatur, quod hoc ipso loco fit mentio Sacerdotum recens institutorum, & altarium consecratorum per oblationem, &c.

a Exod. 32. 4. 8.
b l. 2. c. 14.
c l. 3. q. 42.
d l. 8. c. 3.

XII. *In Dan & Bethel.*

ELEGIT autem duo loca in finibus regni sui, in quibus hæc delubra excitaret, alterum ad Septentrionem in vrbe Dan, vbi iam à temporibus Michæ, ante annos fere 440 sub medium Othonielis principatum, [e] infœlici plane exemplo sculptile collocatum fuerat, vt habetur Iud. 18. 30. ibique diutissime idololatria vel publicè, vel occultè viguerat. Quo magis eum locum videtur adamasse dæmon: Ieroboam, autem etiam credidisse ibi facilius receptum, firmiúsque retentum iri idololatriam. Alterum ad meridiem in Bethel, locum omnium opinione religiosum, ac sacrum, & iampridem, ab ipso Iacobo Patriarcha, consecratum, [f] quoniam ibi Dominus in somnis illi apparuerat, proptereaque admirans dixerat. *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli;* vnde *appellauit nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur;* ibique lapidem in titulum, & altare Deo consecrauit.

e an. mund. 2622 n. 2.
f Gen. 28. 19.

XIII. *Cur eas elegerit.*

EXISTIMAVIT ergo Ieroboam eò populum facile aditurum, & ibi vitulum aureum pro Deo adoraturum. Inde autem mutatum est vrbis nomen, & quæ hactenus Bethel, id est domus Dei, dicta fuerat, Bethauem, id est domus idoli, dici cœpit. Ita ex Hebræis diuus Hieronymus, in loc. Hebr. Vbi ait vehementer errare, qui Bethauem aliud oppidum à Bethel esse suspicantur. Verum cum ibi Hieronymus fateatur Bethel cecidisse in sortem tribus Beniamin, idque certum sit ex libro Iosue [g]. Beniamin autem Ieroboamo non paruerit, non facile intelligitur quomodo ibi idola coluerit, aut templum excitarit. Itaque Adrichom. eique consentit Vatablus [h], aliam Bethelem in tribu Ephraim constituit [i], duabus leucis à Samaria dissitam, iuxta viam quæ ducit Sichem, in alto monte collocatam. Verum vide quæ hac de re fusius disputauimus anno Iosue primo [k] & Othonielis 5. num. 8. & sequentibus.

g 18. 13. 22.
h 3. Reg. 12. n. 2.
i n. 17.
k n 134.

XIIII. *Vitulas côflasse, non vitulos.*

ILLVD quoque non satis perspicuum videtur, quod cum passim vitulos aureos Ieroboami legamus, Iosephus, *duas*, inquit, *vitulas ex auro fecit.* Quo modo legit & Ruffinus, & in græco legitur δαμάλεις, id est, iuuencas, buculas, sicut & in Septuaginta, Tertul. etiam in libro contra Iudæos c. 1. Sulpitius Seuerus lib. 1. Sacræ histor. Imo & Osee [l]; *vaccas*, inquit, *Bethauem coluerunt habitatores Samariæ.* Vbi Ribera ex 2. Herod. ait Ægyptiis boues fœminas ex omnibus pecudibus maxime honoratas, quod Isidis simulachrum muliebre esset, bubulis præditum cornibus, qualem Io Græci finxerunt, eique vaccas, & vitulas consecrarent; boues, & vitulos immolarent; vitulam autem nequaquam, vt D. quoque Athanasius scribit in epistola ad solitarios. Constat vero Iudæos sæpe Ægyptiorum superstitionem æmulatos fuisse, iam inde ab exitu Ægyptiaco; & Ieroboam non ita dudum ex Ægypto redierat, & simul, vt credibile est,

l c. 10 5.

animum idololatria Ægyptiaca infectum retulerat. Idque satis significat diuus Hieronymus in cap. 4. Osee. Itaque vitulos Scriptura dixit, indiscriminatim, non habita ratione sexus. Et ita habet etiam diuus Hieronymus in cap. 4. Osee, & alibi passim. Verum hac de re pluribus egimus anno Mosis 81.[a]

a n. 607. 8. & seqq.

XV. Ieroboam venit in Bethel.

C V M autem mensis octauus, diesque eius decimus quintus aduenisset, alij in Dan, alij in Bethel sunt profecti; vtrobique enim eodem tempore festum dedicationis agebatur; ipse autem Ieroboam loci opportunitatem secutus venit in Bethel; ibique altare ante vitulam posuit, *assumptaque*, ait Iosephus, *Pontificis persona, Sacerdotes pro suo arbitrio constituit, tam qui in vrbe Dan, quam qui in Bethel ministrarent.* Erant autem, vt notat Scriptura, non de tribu Leui. Noluerunt enim huic impietati Leuitæ seruire. Notat Vatabl. & innuitur in 2. Paral.[b] moxque Hierosolymam profecti sunt, vt postea ex eodem libro dicetur. Sed de extremis, siue de fece populi, vel ex aliqua parte vulgi; vt habent etiam Septuaginta. Idipsum vberius habetur infra[c]. *Fecit de nouissimis populi Sacerdotes excelsorum, quicumque volebat, implebat manum suam*, id est, accipiebat oblationem immolandam, vt ait Theodor.[d] Lyran. etiam putat pretio emptum Sacerdotium hoc fictitium. Vtramque expositionem amplectitur diuus Hieronymus in cap. 4. Osee. Et fiebat Sacerdos excelsorum, id est, dæmoniorum, & vitulorum quos fecerat[e], vt Scriptura ipsa interpretatur.

b c. 11. 14

c c. 13. v. 33.

d 3. reg. q. 42.

e 2. Par. 11. 15.

XVI. Cur nouos instituerit Sacerdotes.

C V R autem indiscriminatim de populo sacerdotes elegit, nulla vocatione, aut consecratione adhibita? An ad eleuandam Dei legem, quæ vni familiæ sacerdotium illigarat, cum cuiuslibet esse videretur Deum colere, illique sacrificare? An quia in diuersa religione diuersa quoque sacrificia, & sacerdotes esse oportebat? An toti populo gratificari voluit, honore sacerdotij, fructuoso in primis, omnibus communicato, pro quo Choritæ olim tanta contentione certauerant? Fortasse quoque veritus est ne à Leuitis, & Sacerdotibus desereretur, vt reuera postea desertus est. Sed prius suos ille Sacerdotes creauerat, quam à Leuitis desereretur. *Sacerdotes autem, & Leuitæ*, ait Sacer Historicus[f], *qui erant in vniuerso Israël, venerunt ad eum*, Roboamum *de cunctis sedibus suis, eo quod abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius, ne sacerdotio Domini fungerentur.* Cur autem præsenti supplicio affecti non fuerint, vt olim Chore, Dathan, & Abiron, & alij, qui sacerdotium temerè vel ambierunt, vel vsurparunt, cum multo grauius peccarent; causam fuisse putat Abulensis[g], quod lex, quæ morte proposita arcebat à sacerdotio, illos tangebat, qui se cultui Domini in eius sanctuario intruderent: quod isti non faciebant. Itaque hanc culpam Dominus cum idololatria distulit castigandam.

f 2. Par. 11. 13.

g q. 30. in c. 12. 3. reg.

XVII. Eum adit propheta. Iaddo.

E R G O Ieroboam tanquam pontifex, vt qui Sacerdotes consecraret ascendit super altare Bethel, vt conspicuus esset toti populo, incensum offerens coram vitulo. *Et ecce vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel*, verum scilicet oraculum afferens, *Ieroboam stante super altare, & thus iaciente.* Hunc hominem Dei, Iosephus Iadon vocat; diuus Hieronymus[h] Iaddo. *Agitur ait*, Hugo Card. de *prophetia Addo, qui alio nomine Gad dicitur.* Idem probabile putat de Addo Dionysius, & Lyranus post Comestorem, omnes à Iosepho mutuati. Hieronymus autem hunc eundem esse ait, qui Salomonis gesta in sua visione contra Ieroboam conscripsit[i]. Sed hoc profecto mihi valde dubium videtur. Cum enim hoc ipso tempore ille occisus sit à leone, in his Ieroboami initiis, non apparet quam ille visionem contra Ieroboam scripserit, vel quo tempore. Certe legimus[k] Addo Prophetam res gestas Abiæ filij Roboami diligentissime conscripsisse, nedum hoc tempore interfectum esse. Nisi dicas non scripsisse, vt historicum sed vt Prophetam, antequam res fieret. Malim tamen illum historicum ab hoc Propheta fuisse diuersum. Ipsum Epiphanius vocat Ioam, in libello de Prophetarum vita, & interitu; aitque à Samaria oriundum, contusum in via à leone, fato functum esse. Tertullian. autem libro de Ieiuniis cap. 16. Semiam vocat, qui leonis in via occursu pro-

l. 8. c. 3. & 10

h 2. Par. 10.

i 2. Par. 9. 29.

k 2. Par. 13. 22.

stratus, & apud exteros conditus, pœnam deserti ieiunij luit. Clemens etiam Alexandrinus [a] vocat Sameam filium Amame, qui etiam ex Iuda abiit ad Ieroboam, & prophetauit super altare. a l. 1. Strom. c. 21.

XVIII. *Thusne incenderit Ieroboam, an sacrificarit.*

NONNIHIL hic videtur Iosephus à Scriptura discedere, secutus Septuaginta. Cum enim illa dicat Ieroboamum adoleuisse thus, idq; in Hebræo, & Chaldæo quoque distinctè habeatur, ipse incensum in holocaustomata commutauit, quæ Ieroboam in conspectu totius populi pararet incendere. Id nimirum magnificentius, magisque regium arbitratus est. Habent quidem Septuaginta hoc loco vocem ἀνοίσων omnibus sacrificiis communem: paulo tamen post Theodoretus [b] effusam pinguedinem memorat, cum Septuaginta, & Zonara tomo primo Annalium: vbi nos cum Hebræo, cinerem effusum legimus. Septuaginta secutus est Epiphanius loco citato. *Is est ille*, inquit, *qui Ieroboam propter aureas, quas erexerat iuuencas corripuit, quique eiusdem hostias, sacrificiumque è medio sustulit, & abrogauit.* Author. mirab. sacræ Scripturæ [c] de hac re agens, holocausti etiam meminit. b l. 3. q. 42. c l. 2. c. 14.

XIX. *Vaticinium huius prophetæ.*

PERGIT autem Scriptura, *Et exclamauit contra altare in sermone Domini*, id est, ex mandato Domini, & ait, *Altare, altare, hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum*: iis videlicet impietate pares, *qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum*, tam præsentium, quam futurorum, *super te incendet.* Impleta est hæc prophetia à Iosia, vt scribitur in lib. quarto Regum [d], post trecentos, & quadraginta quinque circiter annos. *Deditque in illa die signum*, incredulis nimirum, & infidelibus, dicens: *Hoc erit signum quod locutus est Dominus. Ecce altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est.* Altare, rem licet inanimem alloquitur, etsi prophetia ad regem impium, populumque pertineret, quòd prodigium in ipso altari mox demonstrandum erat: & quia mala, quæ denunciabat, propter profanum hoc altare, euentura erant. Ideo enim impii sacerdotes occidendi erant, & eorum ossa cremanda, quia in illo altari fiebant sacrificia, quibus offendebatur Deus. d c. 23. 17. Abulens.

XX. *In eum rex irascitur, nec impune.*

CVMQVE *audisset Rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens, apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari, iuxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini.* Intremuit itaque tam præsenti animaduersione castigatus Ieroboam, simulque ad preces conuersus, ait ad virum Dei: *Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me; vt restituatur manus mea mihi. Orauitque vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat*: nimirum viri sancti iniurias suas facile condonant, & inimicorum suorum apud Deum patroni fiunt. Apparet autem hic inæstimabilis cæcitas, & obstinatio Ieroboami. Quot enim hic mirabilia congeruntur ad edomandam eius perfidiam? Gemina prophetia profertur, & vt alteri adhibeatur fides, altera statim in omnium oculis completur; deinde altare spontè sua disrumpitur, inuisibili videlicet Angelorum manu; huic miraculo succedit alterum. Cùm enim nihil commotus tam inexpectato prodigio, etiam superbe insolesceret, ac fortasse ei mortem pararet, nedum culpæ suæ veniam postularet, sensit vltricem Dei manum, & exaruit manus eius. Atque adeo brachium totum, vt significant ea verba, *Nec valuit retrahere eam ad se*; & constat huiusmodi extentionem, manus simul & brachii fieri.

*Ieroboami mira cæcitas.*

XXI. *Ex Theod. & Ioseph.*

VNDE rectè Theodoretus [e], *Ille sceleratissimus*, inquit, *cum oporteret eum admirari propheta miraculum, & timere eum qui miserat, extensa manu iussit apprehendi Prophetam. Sed manus mansit habens figuram extensionis, musculis, & neruis resolutis. Et quidem quod accidit altari eum non stupefecit: sed id quod manui, valde anxit. Cum autem esset valde stultus, supplex rogauit Prophetam, vt sibi peteret ab eo qui miserat, non sceleris remissionem, sed manus arefactæ curationem.* Iosephus quoque, *his Prophetæ verbis*, inquit, *iratus Rex intendit in eum manum, iubens hominem comprehendi, moxque sideratum brachium diriguit, vt reducere manum non posset, torpente membro, haud secus quam si esset exanime.* Sic ibi: Sensit vtique Rex impius sensu priuatum membrum: nec ta- e q. 41. in 3. Reg.

*Quæ tot miraculis non curetur.*

men resipuit. An quia auxilium à Deo postulat, non quasi à Deo suo, sed alieno? à quo scilicet ipse discesserat. Ait enim, *deprecare faciem Domini Dei tui*; non ait, nostri, sed tui. Quam interpretationem conditio personæ probabilem facit. Tertium adiecit miraculum Dominus, quod simul est beneficium, vt miraculo intellectus, beneficio voluntas inflecteretur; restitutum est in pristinam naturam, natiuamque molliciem brachium; & nihilominus ille magis animo diriguit. Accessit postremo mirabilis Prophetæ mors, & multis stupenda circumstantiis, vt dicetur; & tamen ille in sua impietate perseuerauit; vnde quasi admirans Scriptura subdit [a]. *Post verba hac non est reuersus Ieroboam de via sua pessima.* Vsque adeo violentam tyrannidem in seruos suos exercet ambitio!

a 3.Reg 13. 33.

XXII. *Recusat Propheta accipere cibum, vel potum in Bethel. Excommunicatio.*

NON caruit tamen humano sensu gratitudinis, erga hominem benefactorem suum, qui tanta erga Deum ingratitudine vtebatur. *Locutus est* enim *Rex ad virum Dei, veni mecum domum, vt prandeas; & dabo tibi munera. Respondit que vir Dei ad Regem, si dederis mihi mediam partem domus tuæ non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto; sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: non comedes panem, neque bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti.* Figura quidem hæc erat Ecclesiasticæ censuræ, vt notauit Rupertus [b], & longe ante Sanctus Cyprianus, & Lucifer Calaritanus libello de non conueniendo cum hæreticis, & post vtrumque Abulensis [c], qua censura cum hæreticis, apostatis, & id genus profanis hominibus, ab Ecclesia, gladio excommunicationis abscissis, communicare prohibemur; vt illi consortio bonorum priuati, confundantur, & resipiscant. Quod ipsum in Dei beneficiis, ad Ieroboamum ad se reducendum destinatis, numerari debet. Nec frustra, si Iosepho credimus. *Rex enim miratus viri continentiam, eo magis de se cœpit esse sollicitus, ex iis quæ viderat, & audierat, parum fœlicem rerum suarum exitum augurans.* Hæc ipse, viam sternens sequenti narrationi, ne dicam fictioni.

b l.5 reg.c. 6.

c q 8.in cap. 13.3.Reg.

XXIII. *Quam ob causam propheta respuat communicationem cum rege.*

VALVIT quoque hoc interdictum ad singularem loci, in quo erat idolum, detestationem; solum enim oppidum Bethel istiusmodi anathemate percellebatur, propter idolum illic venerationi expositum, in summam iniuriam Dei. Itaque existimat Abulensis, si quo casu contigisset, vt ei vel cibus sumendus esset in Bethel, vel moriendum fame, verbi causa, si ad plures dies detineretur in carcere, nec abire permitteretur, mortem potius subeundam fuisse, quam capiendum cibum. Particularia enim Dei iussa, quæ circumstantias, vtique à Deo præuisas, exprimunt, miti interpretatione explicari non possunt. Et Deus cum daret præceptum, quod huiusmodi inducebat incommodum; voluit sibi nihilominus obtemperari; quod longe secus contigit in iussionibus humanis. Eum consule. [d]

d q. 10.in c. 13.3 Reg.

XXIV. *Et eius munera.*

QVÆRAT aliquis an Propheta Ieroboami munera accipere potuisset, cum solus cibus, & potus ei esset interdictus. Vtique poterat: restringenda quippe sunt odia, non amplianda; recte tamen ea Propheta non admisit, ne quo modo ipsum qui dabat approbare videretur. Sed quid sibi vult illa viæ mutatio, tam accurate præcepta, & obseruata? An significare voluit etiam viam, qua itur ad impios, profanam esse, & periculosam, ideoque propter illecebras, quas habet peccatum, & naturæ nostræ infirmitatem, quantum fieri potest vitandam, vt si semel adire sufficiat, non iteretur via. Quod valet etiam ad execrationem loci. *Abijt ergo per aliam viam, & non est reuersus per iter, quo venerat in Bethel.*

XXV. *Abeuntem alius propheta adit, & quis origine. An pseudopropheta?*

PROPHETES *autem quidam senex habitabat in Bethel.* Hic propheta senex [e] venisse dicitur de Samaria, [f] & dixisse ventura, quæ prædicta fuerant, *contra altare, quod erat in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ erant in vrbibus Samariæ.* Quæ vox per anticipationem hîc sumitur: Nondum enim erat Samaria hoc tempore, sed venit hic propheta ex locis vicinis monti, in quo postea Samaria extructa est [g]. Abulensis [h] tamen maluit constructam iam Samariam, & postea restauratam à rege Amri. Inde autem profectus venit in Bethel, ibique habitauit, vt hoc loco dicitur. Primo videndum quis fuerit hic propheta senex incola Bethel.

e 4.Re.23 18

f 3.Reg.13 32.

g 3.Reg 16 24.

h q 40 in c. 13.in 3.Reg

Plerique eum falsum, alij mendacem, alij malum Prophetam vocant. Iosephus πονηρὸν ψευδοπροφήτην. Eum sequitur Comestor [a], cum ait per iniustum iustè locutum esse Spiritum sanctum: quæ ipse à D. Gregorio mutuatus est, qui & pseudoprophetam vocat, vt habetur in glossa ordin. Idem sentit Rupertus [b] qui etiam ipse pseudoprophetam appellat, Lyranus, Dionysius, Hugo, Caietanus, Vatablus, Sa, Chaldæus paraphrast. qui vocat prophetam mendacem nomine Michal. Angelomus item, Eucherius, Adrichomius, Baradius [c], Zonaras t. 1. Annalium.

a l. 3. c. 29. b l. 5. c. 6. c t. 1. l. 5. c. 21

XXVI. *An bonus, sed peccans officioso mendacio.*

THEODORETVS autem [d], & cum eo Procopius negant fuisse pseudoprophetam, sed verum Dei prophetam, falsis autem verbis vsum esse apud hominem Dei, non vt eum læderet, sed *vt benedictionem ab eo acciperet*, (id est gratiam, & meritum exhibitæ hospitalitatis; quod Iosephus quoque fatetur, qui ait expostulasse cum eo, quod non ad se diuertisset, hospitalitate fruiturus.) *Ostendit autem*, inquit Theodoretus, *eum esse prophetam, & non pseudoprophetam, quod & Deus per ipsum prædixerit homini Dei, id quod erat euenturum, & quod crediderit ea, quæ prædicta fuerant de Iosia. Et quod filiis suis mandarit, vt cum decessisset se cum eius corpore sepelirent*; quod non videtur desideraturus fuisse, si alia ipse religione viueret, aliumue Deum coleret. Sed nec Scriptura eum pseudoprophetam vsquam vocat, aut vllo modo significat; & in eo tantum, vt ait Theodoretus [e], se falsum prophetam præbuit, quod alterum prophetam ementito diuino oraculo fefellit.

d l. 3. Reg. q. 42. e Ibid.

XXVII. *Ex Augustino.*

NEC diuus Augustinus aliter eum, quam prophetam nominat [f] licet in hoc mendacio grauiter eum peccasse fateatur. Noluit quippe vir sapientissimus quidquam supra Scripturam sapere, nec eum damnare idololatriæ, cuius nullum in Scriptura vestigium agnosceret. Itaque mendacium eius tantum cum Scriptura reprehendit. *Affectu namque illo*, inquit, *quo nemo vnquam carnem suam odio habuit, prouiderat cadaueri suo, qui occiderat mendacio animam suam.* Putauit tamen officiosum dumtaxat esse mendacium, vt ait Torniellus, qui in hanc quoque sententiam pronus est, quæ est Abulensis [g], & Serarii in hunc locum. Caute quoque diuus Hieronymus, in c. 3. Sophoniæ, eum non nisi ex ore Iosephi, ausus est pseudoprophetam appellare; quæ est cæterorum quoque omnium causa. Non enim si pseudoprophetam vocant, ideo impium quoque, & vitulorum cultorem vocant, sed falsum tantum dixisse, & alterum prophetam mendacio fefellisse, censuerunt. Quod Scriptura quoque confirmat, & nemo negare potest.

f De cura pro mort. ge. c. 7. g q. 12. & 13. in c. 3. 3. Reg.

XXVIII. *Non fuisse idolorum cultorem.*

QVEM ergo Scriptura impietatis non condemnauit, nec ego condemnabo, nec ero Augustino, vel Hieronymo sapientior. Nec fas esse duco Scripturam in seueriorem partem interpretari, cum possis in mitiorem. Nec credibile est pseudoprophetam, qui in eorum classe esset, qui Domini prophetas capitali odio prosequebantur, hoc laborioso charitatis, & humanitatis officio erga eum vsurum fuisse, vt semel, atque iterum ad eum proficisceretur, eique iusta religiosè, dolentérque persolueret: [h] aut etiam sibi sepulturam, ad eius corpus electurum; quin id potius execratus, cadauer in flammas dedisset, & ventos. Denique neque impii, neque infidelis dæmonum, aut vitulorum cultoris videntur illa verba; *Profecto veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare*: sed Deum potius agnoscentis, & credentis summam, quæ falli non possit, aut fallere, veritatem.

h vide Abu. q. 45. & seqq. in c. 13. 3. Reg.

XXIX. *Idem confirmatur.*

NEQVE vero prædictis obstat, quod hic propheta agens cum viro Dei, qui venerat de Iuda, siue de Ierusalem, vt ait Iosephus, dixit ei, *Non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus*; non autem Dominus Deus noster, vel simpliciter Dominus, *quia ipse colebat vitulos aureos*, ait Caietanus, non recte. Nam ea verba ipse ex seipso non protulit, sed Deus per os eius locutus est, cuius verba examinare, nedum accusare, aut damnare non licet. Deinde huiusmodi locutio cum in vtramque partem accipi possit, pro ratione personæ loquentis interpretanda est; vnde eam de Ieroboamo impio paulo ante, quasi vocem infidelis, accepimus. Sic illam Pharaonis, *Peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos. Rogate Dominum Deum vestrum vt auferat à me mortem istam.* Secundo autem Regum [i] de prudente illa Thecuite, quasi vocem fidelis, accipimus, qua peculiaris amor Dei ad eum, ad quem sermo dirigitur, si-

i c. 14. 11, 17

gnificatur. Sic Moyses passim, *time Dominum Deum tuum. Audies vocem Dei tui.*

XXX. *Historia prophetæ huius ex Iosepho.*

AT Iosephus hunc Prophetam non solum mendacem, sed etiam impium facit, miraculorum illusorem, & Idololatriæ Ieroboami authorem. Contra Scripturam,[a] quæ affirmat consilium aureorum vitulorum ab ipsomet Ieroboamo excogitatum. Sed quoniam tota narratio elegans est, & examine digna, ne aliquid ei affingere videamur, eam integram adscribemus, licet aliquanto longiorem. Res fiet ipso examine, ac discussione illustrior. *Erat*, inquit, *in ea vrbe malus quidam pseudopropheta*, quem Hieroboamus in honore habebat, seductus ab illo, omnia ad gratiam loquente; hic tum decumbebat, quod esset senio languidus: cumque audisset à filiis de aduentu Prophetæ à Hierosolymis, & prodigiis per eum patratis, & quod Hieroboamus emortuam dextram ad illius preces sanam recepisset: veritus ne Rex de hospite melius quam de se opinaretur, mandauit filiis vt euestigio asinum stratum ad iter sibi expedirent, quibus impigre iussa exsecutis, conscenso iumento per vestigia prophetæ properabat: quem assecutus, interquiescentem sub quercu patula, & vmbrosa, primo salutauit: deinde expostulauit cum eo, quod non ad se diuertisset, hospitalitate fruiturus. Quo referente vetitum se à Deo ne apud quemquam in ea vrbe cibum sumeret: Certe apud me, inquit, licuit sumere: nam ego quoque propheta sum, eiusdem cuius tu cultor numinis: & nunc ipsius iussu venio, te ad nos adducturus, & prandio hospitali excepturus.

a 3. Reg 12. 18.

XXXI. *Pergit in eadem historia.*

TVM vates mentienti credens reuertitur. Adhuc autem illis prandentibus, & familiari sermone se oblectantibus, Deus apparuit Iadoni, pœnam inobedientiæ, pœnæque modum denuncians: fore enim vt in itinere a leone discerpatur, nec in paternum monumentum inferatur. *Hæc autem Deo volente contigisse opinor, quo minus apud Hieroboamum* Iadonis *verba fidem inuenirent, de mendacio suspecti.* Nam redeunti Hierosolymam leo factus obuiam, detractum de iumento necauit, nihil læso asino; imo & illum, & prophetæ cadauer seruabat accubans, donec viatores quidam rem visam pseudoprophetæ renunciauerunt. Tum ille filiis in hoc missis corpus eius in vrbem reportauit, inibique magnifice sepeliit, monitis filiis, vt se quoque post mortem in idem monumentum inferrent. Vera enim esse quæcumque ille præcecinisset de vrbe illa, & altari, & sacerdotibus, ac pseudoprophetis: ad se autem nullam post mortem iniuriam peruenturam, propter communem cum illo sepulturam, confuso ossium discrimine.

XXXII. *Additio ex Septuaginta.*

ALLVDIT vtique Iosephus ad paraphrasim à Septuaginta interpretibus additam, quæ in Romanis, Aldinis, aliisque codicibus legitur; *Iuxta ossa eius*, inquit, *ponite me, vt seruentur ossa mea cum ossibus eius*; quæ posteriora verba ab Hebræis libris absunt, & Latinis, tam correctis, quam aliis. Ea tamen apud Septuaginta legit Augustinus, in eodem libro de cura pro mortuis agenda. *Eum sane ipse qui deceperat in monumento proprio, satis honorifice sepeliuit, seque sepeliendum iuxta ossa eius curauit, ita sperans parci quoque posse ossibus suis, cum veniret tempus quod ille prædixerat*; quæ apud Eucherium quoque Lugdunensem leges, l. 4. Regum, aliosque patres, qui aut ipsos Septuaginta legerunt, aut ea versione vsi sunt, quæ dicebatur Italica. Idem etiam probat Abulensis.[b] Sed pergit Iosephus.

b q. 28 in c. 13 3 Reg.

XXXIII. *Reliqua historia ex eodem.*

POST iusta funebria prophetæ reddita, & iniuncta filiis mandata, cum esset vir malus, & impius, Hieroboamum adit. *Et quid ita*, inquit, *istius fatui turbatus es sermonibus?* Illo vero de altari, & sua ipsius manu referente, ac vere hominem Dei, vatemque optimum vocitante, cœpit hanc eius opinionem malitiosè labefactare, & probabilibus rationibus rei veritatem offuscare. Aiebat enim præ lassitudine manum eius obtorpuisse, dum altari inferret victimas; ac deinde post quietem, pristinum vigorem recepisse. Altare quoque recentis etiam tum structuræ, quod tot ac tantarum victimarum molem non ferret, disruptum concidisse. Postremo mortem vatis indicat, à leone esse necatum: adeo nihil diuinum nec in vita, nec in verbis eius fuisse. His dictis Regi persuasit, & mentem eius à Deo, & iustis ac piis operibus in totum auersam, in extremam impietatem præcipitauit. In tantum enim posthac contra omne ius ac fas debacchatus est, vt nihil aliud quæreret, quam quomodo in dies magis ac magis semetipse nouis sceleribus superaret.

XXXIV. *Examinatur & refellitur.*

NOTANDVS primo Iosephus, vt dixi, qui Ieroboamum ab hoc seniori propheta seductum dicit, cum ex Scriptura manifeste constet impium idololatriæ consilium ab ipsomet Ieroboamo excogitatum, postquam diu agitauit in corde suo, quam initurus esset viam, ne populus, qui regnum ad eum detulerat, rediret ad Roboamum. Nec nouum, aut mirum sit ambitionem esse sacrilegam. Notandus 2. quod hominem adulatorem facit, & omnia loquentem ad gratiam, sine vllo Scripturæ fundamento, 3. quod ambitiosum, & inuidum, vt qui vereretur ne Rex de hospite, melius quam de se, opinaretur. In quo merito quis Iosephi etiam prudentiam in fingendo requirat. Quid enim huic vel inuidiæ, vel ambitioni seruiebat, quod eum ad cibum capiendum reuocabat? Num propterea eius apud Regem existimationem minuebat? Num propterea eum Ieroboamo odiosum reddebat, quod eius hospitio vti noluisset, ad istum autem cibi causa reuertisset, cũ is in promptu nouum haberet oraculum, quo se tutaretur? Aut id ad idololatriam aliquo modo promouendam, vel stabiliendam valebat? 1. 2. 3.

XXXV. *Alia in eandem nota.*

NOTANDVS quarto quod ait illis prandentibus Deum apparuisse Iaddoni, eique denunciasse pœnam inobedientiæ suæ. Cum Scriptura dicat factum esse sermonem Domini ad prophetam, qui reduxerat virum Dei. Vnde Gregorius, *bene ex ore mali prophetæ sententiam mortis accepit, cuius seductione à præceptis vitæ declinauit. Vt inde pœnam veraciter sumeret, vnde culpam negligenter admisit.* Quæ ipsa verba apud Eucherium quoque reperies, & Angelomum. 4.

Notandus 5. quod prænunciatum illi ait, fore vt in itinere à leone discerperetur; cum tantum denunciatum fuerit fore vt cadauer eius in sepulchrum patrum suorum non inferretur; quod Diuus quoque Augustinus obseruauit; & verendum erat ne aperta denunciatio retineret amplius prophetam in terra impiorum, verentem leonis occursum. Vide hoc loco Tostatum. [a] Dionysius existimat non fuisse discerptum, sed simpliciter suffocatum, vt Sanctus Martyr Ignatius: Augustinus, & ex eo Eucherius morsu bestiæ interemptum; Scriptura [b] primum occisum, deinde etiam confractum ait, quod Abulensis interpretatur vulneratum, corpore integro remanente. 5.

[a] q. 21. in c. 13. 3. Regum.
[b] v. 24 & 26

XXXVI. *Iniurius videtur in Deum.*

NOTANDVS est sexto, quod Deo volente contigisse ait, vt propheta, qui Ieroboamo scissionem altaris prædixerat, & ruinam idololatriæ per Iosiam, à leone interficeretur, vt Ieroboamo fieret mendacij suspectus, eique minus fidem adhiberet. Inducit enim Deum cooperantem per miracula, obstinationi Ieroboami; & sic grauissimi peccati participem. Qui enim vult, & facit aliquod opus, vt alius peccet, puta non credat bene monenti, Dei nuncium mentiri putet, vult sine dubio peccatum inde sequens. Et cum ex eo fine malo, etiam medium malitiam accipiat, Deus dupliciter peccabit, & in bono opere, & in mala intentione. [c] 6.

XXXVII. *Religiosius Theodoretus.*

LONGE sapientius, ac religiosius Theodoretus, hanc Sancti prophetæ mortem interpretatur. [d] *Ego autem arbitror,* inquit, *ad confirmandum de altari factam prædictionem fuisse hoc supplicium. Neque enim fieri poterat vt talis & tanta lateret narratio, quæ sufficiebat ad incutiendum terrorem audientibus. Si enim cibus sumptus præter* Dei *mandatum, viro iusto tantum intulit supplicium, quales luent pœnas, qui* Deum *quidem relinquerunt, adorant autem simulachra rationis expertia?* Deus *autem eum honorauit, etiam post decessum. Nam occisorem ei induxit custodem; hac quidem ratione honorauit, vt prophetam; illa vero puniens tanquam transgressorem, & eos qui nunc sunt terrens, vt ne parua quidem* Dei *mandata despiciant.* Hactenus Theodoretus.

[c] Vid. Abul. q. 3. & 6. in c. 13. 3. Regum.
[d] l. 3. Reg. q. 42.

XXXVIII. *Calumniatur prophetam.*

NOTANDVS septimo, quod eundem prophetam tanquam diuinorum miraculorum illusorem calumnietur; & quidem non satis callide, aut probabiliter. Facile enim erat persuadere Regi hæc miracula fuisse fictitia, si ipsi de alio quopiam occulte gesta narrarentur. [e] At cum ipse ea in se, & in oculis suis, & in omnium conspectu esset expertus, plumbeus omnino fuisset, si tam frigidis interpretationibus passus esset se in fraudem induci. Præsertim cum hic ineptus interpres à spectaculo abfuisset, & ea doceret, quæ nuda ipse auditione accepisset. Quomodo autem lassitudo rigentem in aëre brachium retineat? demitteret potius, & in altum eleuari ægrè pateretur. Præsertim cum non victimas ipse intulerit, sed incensum tantum, in thuribulo quopiam aureo, vt in Hebræo, & 7.

[e] Vid. Abul. q. 44. in c. 13. 3. Reg.

Chaldæo, & Latino textu perspicue habetur, Quomodo post quietem pristinū vigorem recepit manus, cum ipse testis esset, vi precum prophetæ Sancti, sibi manum, & brachium restitutum? Quod si altare mole victimarum disruptum concidit, quomodo nemo omnium qui aderant id præuidit, aut prædixit, præter peregrinum vnum prophetam? Quomodo iratus est ei Rex ob eam denunciationem, qui eo facto gratiam merebatur? Diceret potius à malo quopiam dæmone retentum brachium, & naturali motu impeditum: diceret eundem humani generis hostem altare, maiore quam humana vi, diffidisse.

XXXIX. *Confirmantur miracula.*

ACCEDIT quod altaria infidelium fere solida erant, propter eaque Dominus sua inania esse voluit, vt viri docti obseruarunt; ideoque non videtur fuisse vllo modo probabile huiusmodi altare ponderi cedens fuisse discissum. Sed id quoque ad diuinam prouidentiam pertinuit, eo modo edere miracula, vt nulla possent tergiuersatione deludi; neque dæmon ea faceret, per quæ homines à simulachrorum cultu reuocarentur. Denique nec prophetæ mors vim verborum, aut gestorum eius eleuat; cum ea plena miraculis fuerit. Verbi gratia, quod hominē leo non discerpserit, comederit, vel in syluas, & alta nemora, sepultura cariturum, abduxerit; sed, quod vnum iussus erat à Deo, occiderit tantum: quod in medio itinere, nihil venatores, aut prætereuntes veritus, cadauer custodierit; quod asino nihil iniuriæ, aut læsionis intulerit, sed ipsum quoque, ne prætereuntium fieret præda, seruauerit. Quod alteri prophetæ venienti, ad cadauer transferendum ad sepulturam, nihil nocuerit, sed quasi deposito ei reddito, innoxius abierit.

*Mors prophetæ miraculis abundat.*

8. XL. *Ieroboamus non deprauatus à falso propheta.*

NOTANDVS denique Iosephus, quod Ieroboamum prædictis falsi prophetæ verbis persuasum dicat, vt impietati omni se dederet: nimirum deceptus fortasse illis Scripturæ verbis. *Post verba hæc non est reuersus Ieroboam de via sua pessima*: quæ oratio non docet istum prophetam deceptorem hominis Dei, allocutum fuisse Ieroboamum; verba enim illo in loco pro factis vsurpantur, & Hebræa phrasi, vt alibi passim. Quod si cum Ieroboamo collocutum fateamur, & eius verbis persuasum, stipitem profecto oportuit esse Ieroboamum, non bonæ indolis adolescentem, & virum industrium, & idoneum, qui à sapientissimo Salomone magnis negotiis præficeretur, [a] vt tam futili deprauatione miraculorum persuasus, mentem à Deo, & iustis, ac piis operibus auerteret, & in extremam impietatem præcipitaret. Mors potius hominis à leone occisi, in fraudem induxerit, opinantem fictam ab eo prophetiam in longinqua tempora; propter quam à Deo fuerit interfectus. Neque enim facile credere potuit, ob cibum sumptum in vrbe, & quidem cum ab alio propheta deceptus fuisset, à feroci bestia permissum interfici. Itaque cum iam fuisset in Ægypto animo deprauatus, & persuasum haberet noua religione populum retinendum esse, facile sibi persuasit rem ita se habere, quo eam modo ille se habere cupiebat. Vide Abulensem. [b]

a 3. Reg. 11. 28.

b q. 44 in c. 13 3. Reg.

XLI. *Salus Prophetæ occisi.*

IN salutem porro huius hominis Dei, à leone occisi plerique omnes consentiunt. Sit Sanctus Augustinus [c] instar omnium. *Hactenus*, inquit, *voluit Dominus seruum suum plectere; qui non sua contumacia spreuerat præceptum eius implere, sed aliena decipiente fallacia, obedire se credidit, quando non obediuit. Neque enim putandum est ita fuisse interemptum morsu bestiæ, vt ad supplicium tartareum eius deinde anima raperetur: quandoquidem ipsum eius corpus, idem leo qui occiderat, custodiuit, iumento etiam quo vehebatur illæso, & simul cum illa immani fera intrepida præsentia ad sui Domini funus adstante. Quo mirabili signo apparet, hominem Dei coërcitum potius temporaliter vsque ad mortem, quam punitum esse post mortem.* Ita Augustinus. Quæ totidem pene verbis repetit Eucherius. *Hic autem manifeste ostenditur*, ait Angelomus, *quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum; quia idem leo, qui viuentem præsumpsit occidere, ausus non est contingere occisum.* Vide Abulensem in hunc locum. [d]

c In c 7. lib. cit.

d q 31. in c. 13. 3. Reg.

XLII. *Multiplicatio idololatriæ in regno Ieroboami.*

CÆTERVM quæ hic propheta de omnibus fanis excelsorum dicit, aperte ostendunt; etsi duo tantum vituli fabrefacti, & consecrati essent in duabus vrbibus; multis tamen in locis crescente, & gliscente in dies impiorum Israëlitarum superstitione, lucos, & nemora altorum montium idolis fuisse consecrata; & ibidem fana, vel domos erectas; & consequenter variis in locis fecisse Iero

boamum Sacerdotes excelsorum de nouissimis populi. *Quicumque enim volebat*, ait Scriptura, *implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum. In tauro, & arietibus septem consecrabantur manus illius, qui sacerdos futurus erat*, hunc enim morem Ieroboam reperit ad Sacerdotes idolorum consecrandos. Vt ait Hieronymus in tradit. Hebr. [a] Nulla scilicet habita ratione generis, vel sanguinis, nec scientiæ, nec virtutis, neque dignitatis. *Et propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terræ*: post regnum scilicet filij eius. Longe etiam maiore affectus est supplicio cum suis omnibus, æterno nimirum. Sed Scriptura ea pœna homines à malo deterret, quam ipsi maxime apprehendunt; non quæ natura sua maxima est. — a ex 2. Paral. 13. 9.

XIII. *Quid interea Roboã.* INTEREA Roboam Hierosolymis habitabat, vt dicit Scriptura, [b] cæpitque ædificare ciuitates in Iuda, vel vt se ab hostibus nouis tutaretur, vel vt ipse domi satis munitus, impune deinceps hostem inuaderet. Hæc ergo, sicut & Ieroboami facinora, hoc anno inchoata, sequentibus perfecta sunt. — b 2. Paral. 11. 5.

---

*SCHOLIVM IN ANNVM ROBOAMI. 2.*

XVII. MAius Chron. Hebr. vocat Iddo. Sigon. in Sulp. Seuer. vocat Iad sed legendum Iaddo. Adrichom. Addo. D. Hier. in tradit. in 2. Paral. Addo & Iaddo idem esse ait. & mox c. 15. Odeth eundem esse ait cum Iaddo.



ANNVS MVNDI 3062. DILVVII 1406. QVINTÆ ÆTATIS 123. ROBOAMI ET IEROBOAMI 3. ACHIMAÆ PONTIFICIS 3. TEMPLI FVNDATI 40. TROIÆ EXCISÆ 191. LAOSTHENIS 34. IMPERII ASSYRIORVM. 1151.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 991.



I. *Plerique Israëlitarũ deserunt Ieroboamum.* HOC tertio vtriusque Principis anno, cum Idololatria inualesceret in dies magis apud Israëlitas, adeo vt Ieroboam subditos suos etiam vi, ad vitularum suarum adorationem adigere vellet, vt Iosephus affirmat, plerique variis ex locis patrias suas reliquerunt, vt Hierosolymis Deum verum colere sibi liceret. Id aperte testatur Scriptura. [c] *De cunctis tribubus Israël*, inquit, *quicumque dederant cor suum, vt quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum.* Nec venerunt tantum immolandi gratia statis temporibus, sed ad habitandum: vt liber illis esset cultus Dei. Hebræi enim [d] dicunt Ieroboamum adhibuisse custodes in finibus regni sui, ad obseruandos eos, qui Hierosolymam adorandi gratia proficiscerentur, & deprehensi diuersis mulctabantur pœnis; quas vt vitarent, sedibus emigrabant suis. Ex quo factum est consequenter vt Roboami regnum robustius redderetur, vt ait Scriptura [e]. Quod parum conueniret si ter tantum quotannis in vrbem ascenderent, & mox proprios repeterent lares. — c 2. Paral. 11. 16. — d Apud Tostat. q. 15. & 17. in c. 11. 2. Par. — e 2. Paral. 11. 17.

II. *Maxime Sacerdotes, & Leuitæ.* ISTIS autem præluxerunt Sacerdotes, & Leuitæ, qui erant in vniuerso Israël, [f] *qui venerunt ad Roboam de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transeuntes ad Iuda, & Ierusalem; eo quod abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius*, vel, vt est in Hebræo, & Græco, filij eius, patris vestigiis insistentes, ne sacerdotio Domini fungerentur; non abiecerat eos, quasi contemnens illos, & laïcos eligens in Sacerdotes vitulorum suorum: id enim discupiebat Ieroboam, magnoque emisset; sed impediebat ne adirent Hierosolymam, vbi tantum illis licebat fungi sacerdotio. Toti enim populo edixerat ne vltra ascenderent, in — f vt v. 13.

3. Reg. 12. 28. Ierusalem, quod maxime conueniebat Sacerdotibus, & Leuitis, quorum semper aliqui erant in itinere, ad obeundas Hierosolymis vices suas. Itaque eos ita impediendo, & templum cultu suo priuabat, & Leuitas subsidiis vitæ necessariis. Vnde & constituit ipse sibi pro arbitrio Sacerdotes, vt similes haberent labra lactucas.

III. Quamquam id congruenter.

ET certe par erat Sacerdotes, & Leuitas, qui singulariter dicati erant Domino, eius grauissimam iniuriam non dissimulare, sed vehementissime damnare, atque execrari: ideoque oportebat eos non solum idola vitare, sed eorum quoque cultores; alioqui si taciti cum ipsis manerent, eorum impietatem non improbare viderentur: sin autem arguerent, vitæ, atque omnium rerum discrimen adirent. Cumque iidem possessionibus carerent, & reliquorum Israëlitarum benignitate sustentarentur, necesse fuisset in cibo, & potu cum eis communicare, quod non placebat Deo, vt in morte Prophetæ nuper intellectum fuerat: imo & de cibis participare, qui essent idolis consecrati. Oportebat etiam populum pudore affici, ac rubore suffundi, dum se ab iis desertum cerneret; qui erant omnium optimi, atque præstantissimi; faciléque erat illis inde coniicere, se misero in statu viuere, maximáque in culpa versari, indéque ad saniora aspirare, talibus exemplis incitatum.

IV. Regnum Iuda roboratur.

HINC autem factum est regnum Iuda populosius, atque potentius, vt multas necesse fuerit vrbes aut nouas excitare, aut veteres reparare, atque amplificare, quæ eodem cap. 2. Paral. recensentur, & à Iosepho libro 8. cap. 3. & quindecim vtrobique numerantur. Crediderim etiam prodigia, quæ nuper in Bethel, in maxima populi frequentia facta erant, plurimos ab idololatria reuocasse. Illis enim Deus non vnum Ieroboamum sanare, sed illum in primis, & per eum populum vniuersum ab illa insania curare satagebat.

Dei in Ieroboamum prouidentia.

Potuit hic quoque populi sui defluxus Ieroboamum mouere, & ad saniorem viam reuocare. Non reuocauit tamen. Nec propterea Dominus eum deseruit penitus, sed altera etiam postea afflixit plaga, morbo scilicet, & morte filij sui, si quo modo se ipse respiceret. Addidit & comminationem seuerissimæ vltionis, quæ ex parte completa, posset de reliqua pœna fidem facere, nisi cum altero Pharaone actum fuisset. Sed hæc posterius videntur contigisse, vt suo loco dicetur, vt Deus tam initio, quam fine impietatis eius, salutis ipsius se cupidum demonstraret. Refert ad hunc annum Torniellus ortum Ioiadæ, quem nos in 34. Salomonis annum retulimus.



## ANNVS MVNDI 3063. DILVVII 1407. QVINTÆ ÆTATIS 124. ROBOAMI ET IEROBOAMI 4. ACHIMAÆ PONTIFICIS 4. TEMPLI FVNDATI 41. TROIÆ EXCISÆ 192. LAOSTHENIS 35. IMPERII ASSYRIORVM 1132.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 990.

I. Roboam deserit cultum Dei.



TAM luctuosus est hic annus quartus Roboami, ruina pietatis, & diuini cultus, quam lætus alioqui futurus erat, rerum temporalium incrementis. Vtrumque rerum statum paucis indicat Scriptura, [a] quæ recensitis plerisque, qui præter Sacerdotes, & Leuitas patriam suam deseruerant, vt proximo anno dicebamus, ne patriam, & auitam religionem desererent, subdit. *Et roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos.* Et recte quidem. Nam bonis bene esse optabile est, & malis male. Vt illi in virtute, Deo ipsis obsecundante, proficiant, & isti vel verberibus emendentur, vel eis vires ad mala agenda desint. Sed subdit, *ambulauerunt enim in viis*

a 2. Paral. 11. 17.

*Dauid, & Salomonis, annis tantum tribus.* Et iterum. [a] *Cumque roboratum fuiſſet regnum Roboam, & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Iſrael cum eo*, id-eſt, Iuda qui Roboamo parebat, ſicut Iſraël Ieroboamo: vel tum demum totus Iſraël deſeruit Dominum, cum duæ adhuc tribus pietatem retinuiſſent. Pertinet autem ad laudem Salomonis, quod Roboam factus impius dicatur Dauidis, & Salomonis vias, vt que poſtremas, deſeruiſſe. Non enim poneretur in exemplum, ſi vitam peſſimo fine terminaſſet, vt ſuo loco diſſeruimus. (a c. 12. 1.)

II. *Quod eſſet eius robur.* SVNT qui exiſtiment hanc regni confirmationem intelligi peculiarem Dei protectionem, aduerſus regnum Iuda, à quo pie colebatur, ita vt eo protegente, atque animante Iudam, nihil ab aduerſariis metuere poſſent. Cum autem poſt triennium deſeruerunt Dominum, ab eodem deſerti hoſtibus ſuis prædæ patuerunt, & proximo anno præda facti ſunt Ægyptiorum. Quæ expoſitio vt pia ſit, & alioqui vera, non videtur tamen ſatis Scripturæ conuenire, quæ ſignificat hoc robur animos feciſſe Iudæis ad deficiendum à Deo; niſi velimus hanc Dei protectionem, ab eis agnitam non fuiſſe, more hominum qui ſecundis rebus, quæ vtique à Deo ſunt, inſoleſcunt, nec benignam in ſe Dei manum agnoſcunt: roborati efferantur, nec ſentiũt à quo roborentur. *Ex multitudine populi.* Nihilominus videtur ſacri Hiſtorici mens fuiſſe potius, vt robur ad bellicos apparatus, & virorum multitudinem referatur. Cum enim dixiſſet Roboamum ædificaſſe vrbes munitiſſimas, & eas clauſiſſe muris, poſuiſſéque in eis principes, gubernatores ſcilicet, cum militari præſidio, ciborumque copia, & in ſingulis vrbibus fuiſſe armamentarium ſcutorum, atque haſtarum, firmaſſéque eas ſumma diligentia. *Et belli apparatu.* Moxque addidiſſet Sacerdotes, & Leuitas Hieroſolymam confluxiſſe, & pleroſque de variis tribubus eorum exempla fuiſſe ſecutos, poſtremo ſubdit. [b] *Et roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam; & cum roboratus eſſet dereliquit legem Domini.* (b 2. Par. 11. 17. c. 12. 1.)

III. *An ex animo Deum coluerit.* ITAQVE Roboam quandiu ſibi timuit à Ieroboamo, & viribus ei ſe imparem credidit (quid enim erant duæ tribus ad decem?) pietatem coluit, quam ſibi perutilem eſſe animaduertebat, vt quæ hoſtem ſuum debilitabat; vice autem verſa regnum ſuum roborabat. At [c] *incraſſatus, impinguatus, dilatatus* vrbibus auctus, & viris, *dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Prouocauit eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauit*, quæ ſcilicet hoc anno concitata in ſequentem annum erupit. (c Deut. 32. 15. 16.)

*Non videri.* Ex quo non temere, opinor, ſuſpicabimur, Roboamum pietatem fronte magis coluiſſe, quam corde; & cum Salomone quidem parente ſuo ſuperioribus annis æque deprauatum, non æque tamen ex corde ad Dominum reuertiſſe: ſed ad ſpeciem duntaxat externam, quod eam ſciret populo acceptam, cui ipſe alioqui exoſum ſe importunis minis, & ineptiſſima vanitate reddiderat: quodque perſpicue cerneret veræ religionis cultu regnum ſuum auctum iri. Si enim ex factis conſilia non temere æſtimari poſſunt, cum roborato regno, non metu aliquo vt Ieroboamus, ſed ſponte, ex innata ſtultitia, reliquerit pietatem, ſatis intelligitur quem ad finem eam ille retineret. Capitalis Roboam qui ſuauiſſimam illam Domini vocem in corde ſuo audire neglexerit: *ſi fornicaris tu Iſrael, non delinquat ſaltem Iuda.* [d] (d Oſee 4. 15.)

IV. *Impietas Iudæorum.* HOC ergo anno quarto inchoata ſunt, quæ illa triſtiſſima narratione continentur. [e] *Et fecit Iudas malum, coram Domino, & irritauerunt eum ſuper omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis ſuis, quæ peccauerunt. Ædificauerunt enim & ipſi ſibi aras, & ſtatuas, & lucos ſuper omnem collem excelſum; & ſuper omnem arborem frondoſam. Sed & effeminati fuerunt in terra, féceruntque omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorum Iſrael.* (e 3. Reg. 14. 22.)

Sed hæc vt dixi, inchoata hoc anno duntaxat, ſequenti etiam, noua vrgente calamitate, refrixerunt.

V. *Auita per, aut maior.* DICVNTVR porro Iudæi irritaſſe Deum ſuper omnibus, quæ fecerant patres eorum, id eſt, in omnibus imitantes quæ ab illis impie Iudicum temporibus fuerant perpetrata, cámque ſententiam reddunt Septuaginta, qui habent ἐν πᾶσιν ἐποίησαν πατέρες αὐτῶν. Hæbræus tamen liber videtur comparationem inſti-

tuere,

tuere, & nouam impietatem antiquæ præferre, quia malo semper superante, peior voluitur ætas. Addebant scilicet nouas ceremonias, quibus Idola magis honorarentur, & Deus vice versa maiorem in modum offenderetur; quo possunt etiam pertinere illi effœminati, qui præpostera, ac nefanda libidine de viris transibant in fœminas, non natura, sed obsequio execrando. Grauius etiam peccabant Iudæi, quam Israëlitæ, qui ex quadam necessitate, propter Ieroboami imperium, ac metum, peccabant, nec habebant apud se templum, & deserti fuerant à Sacerdotibus, & Leuitis, & optimis quibusque ciuibus, à quibus poterant officij sui commoneri. At Iudæi, nullo ad ruinam impellente, prolabebantur: imo vltro se in præceps dabant in oculis Domini, ac magnificentissimi templi eius, cui nescio quæ gurgustia, & lustra Idolorum vecordes præferebant, & Prophetis, sacerdotibus, Leuitis bene monentibus obstrepebant, & fontem perennis vitæ in cisternas dissipatas stolidi commutabant. *Etiam Israëlitica.*

*a 2. Paral. 11. 6.* ALTERAM etiam suggerit Scriptura [a] viam roborati regni Roboami, quod scilicet cognationibus, & affinitatibus potentissimos quosque regni sui sibi deuinxerit: quorum propterea interesset regem in regno suo quam florentissimum esse, qui vel filias, vel sorores haberent reginas. Ex quo alia quoque commoditas continendi totius regni in officio nascebatur. Nam ex multis vxoribus multos suscipiens liberos, eos per omnes ciuitates regni sui spargebat: fideliores vtique patri futuros, quam alienos. VI. *Roboami affinitates.*

Hoc vtrumque satis perspicue in Scriptura, præsertim in Hebræo textu Pagnini, continetur: vbi enumeratis multis Roboami vxoribus, ac liberis, subditur. *Et erudire faciebat, & dispergebat de omnibus filiis suis in cunctis terris Iuda, & Beniamin. In cunctis vrbibus munitis posuit escam copiose, & petiuit multitudinem vxorum.* Statim autem subditur. Cumque roboratum fuisset regnum Roboam &c.

EXCELSA porro hæc, in quibus idololatriæ seruiebant, crebro deinceps à Scriptura accusantur; perseuerauit enim malum, adeo vt post trecentos, & *b c. 3. 6.* quinquaginta annos Dominus per Ieremiam quereretur. [b] *In omni*, inquit, *colle* *c Ierem. 2. 2.* *sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternabaris meretrix*, & rursum. [c] *Abijt sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi.* At cur in collibus istis potius, quam in campestribus locis, & sub patulis arboribus, quam aperte sub dio sacrificabatur? An quia in montibus, & in lucis aliquid diuinitatis inesse putabant? Hinc Oreades Nymphæ, Dryadésque. Quo etiam referri *d 3 Reg. 20. 23.* potuit illud, *dij montium dij eorum.* [d] An quia talia loca eminus cerni possunt, sicque loci conspectus Idololatriæ animo iterandæ incitamentum foret? An quia talibus locis valde amœnis alliciebatur populus ad inuisendum, simulque ea occasione ad idololatriam frequentandam? Denique deiectus è cœlo Lucifer, vbi altissime voluit collocare thronum suum, in terra collocat cœlum versus quam altissime potest. VII. *Excelsa Idolorum.*

*e c. 11. 21.* QVOD ad vxores eius attinet in 2. Paral. [e] habetur eum vxores duxisse decem, & octo, concubinas autem sexaginta, & genuisse viginti octo filios, & sexaginta filias; tres autē nominatim recensētur, siue quia cæteris genere, opibus, dignitate præstarent; siue quia filios genuerant cæteris illustriores, præsertim Abiam, qui regno Roboami successit. In specie autem prima nominatur Mahalath filia Ierimoth, filij Dauid, quod Roboamo prima nupserit. Cum enim vellet scriptor meminisse matris Abiæ, præcedentes ordine temporis præmisit, *f q. 19. & 20 in c. 11. 2. Paral.* & in Maacha matre Abiæ, quam intendebat, substitit, vt notat Abulensis. [f] Iste Ierimoth nusquam nominatur in filiis Dauid, nisi hoc loco; fuerit fortasse vnus de filiis concubinarum, vt Diuus etiam Hieronymus notauit, quorum nomina tacentur; aut certe sub alio nomine ponitur. Potuit autem eam duxisse ætatis suæ anno vigesimo, aut non multo tardius, ne non satis temporis rebus consequentibus gerendis tribuamus. Sed nec necesse est id tempus anteuertere. VIII. *Roboami vxores.* *Prima Mahalath.*

SECVNDA vxor fuit Abihail filia Eliab, filij Isai. Cum dicitur filia Eliab intelligenda neptis, aut proneptis Eliabi. Is enim cum fuerit natu maximus IX. *Altera Abihail.*

fratrum Dauidis, eúmque decem annis minimum superarit; ageret hoc anno quarto Roboami 124. annos, & eius filia 80. vel 90. Huius ergo Abihail pater & auus omittuntur, & Eliab, primogenitus in filiis Isai, nominatur. Hanc autem Roboam duxerit ætatis suæ anno vigesimo primo, vel vigesimo secundo, & ex ea tres suscepit filios Iehus, Somoriam, & Zoom, qui hoc loco nominatim consentur, vt intelligatur Abiam Regem factum fuisse, non iure primogenituræ, sed patris voluntate, cæteris sapientiorem, fortiorémque præferentis, vt paulo post plenius intelligetur.

X. *Tertia Maacha, & quod genus eius.* TERTIA fuit Maacha filia Absalon, siue Abessalom, vt legitur in 3. Regum. [a] Septuaginta enim, & Iosephus passim pro Absalom dicunt Abessalom. Sed difficilius est quod 2. Paral. 13. vocatur Michaia filia Vriel, de Gabaa, quæ fuit ciuitas tribus Benjamin, Saulis patria. Absalom autem vel de Bethlehem dici debet, quæ fuit patria Dauidis, vel de Hebron, in qua natus est, [b] vel de Ierusalem in qua habitauit. Quæ omnes sunt in tribu Iuda. Itaque Absalon hic alius esse videtur à filio Dauidis Regis, vt affirmat etiam Diuus Hieronymus in 2. Paral. & Abulensis, [c] præsertim cum filia Absalonis Thamar dicta sit, [d] nec plures vna filiæ eius referantur. *Nati sunt autem Absaloni, filij tres, & filia vna nomine Thamar elegantis formæ.* Vbi Scriptura videtur referre omnes Absalonis liberos: neque plures alibi reperiuntur. Quin etiam apparet Thamarem, post incestum, cœlibem vitam duxisse; vt alibi cum Tostato diximus. [e]

XI. *Emendatur Iosephus.* ITAQVE corrigendus ex Scriptura Iosephus, qui [f] ait, filiam Absalonis Roboamo nupsisse, atque filium Abiam peperisse. Sed bene habet quod se ipse corrigit ex parte. Tollit enim ex ætate absurditatem, sed retinet generis, ac tribus. Nam lib. 8. c. 3. ait non filiam Absalonis, sed neptem Roboamo nupsisse. Superduxit, inquit, postea cognatam aliam Maacham ex Thamare Absalonis filia progenitam, ex qua Abiæ pater factus est. [g] Verum hic Absalon alius à Dauidico fuit, vt diximus, quod non paucos induxit in fraudem. Scriptione tamen in Hebræo non differunt, nec vox in Latino textu corrupta, licet vtrumque affirmet Abulensis. [h] Hic quoque iterum corrigendus Iosephus, qui noluit cum Scriptura sexaginta concubinas Roboami ponere, sed infideli pudore eas media ex parte diminuit. At satius fuerat omnes omisisse, quam, quod ex textu eius Græco, & Rufini, & Gelenij versionibus manifestum est, cum mendacio retulisse.

XII. *Maacha impia.* HÆC porro Maacha filia Absalonis Benjamitæ, siue Vrielis, admodum impia fuit, vt sequentia docent, adeo vt in turpissimis Priapi sacris princeps appelletur. Hæc autem cum in primis, & præ cæteris à Roboamo dilecta fuerit, vt hic v. 21. dicitur, non leuis coniectura est, ab ea vehementius in barathrum idololatriæ miserum Roboamum præcipitatum. Nisi id malum matri eius Ammonitidi potius, quam duxit Salomon tribuendum est, vt vult Vatablus. [i] Valuit enim non solum in Salomone, sed etiam in Roboamo illud quod Scriptura in Salomonis accusatione inculcat, de alienigenis mulieribus, quas Dominus duci vetuerat. *Non ingrediemini ad eas,* inquit, *neque de illis ingredientur ad vestras; certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* [k] Itaque vbi de Idololatria Scriptura incipit agere, præmittit matrem Roboami fuisse Ammonitidem. [l] Quin etiam apparet filium ipsius Abiam, alioqui bonum, vt ex eius ad exercitum Israëliticum oratione constat, ab auia in eandem voraginem esse pertractum.

XIII. *Ex ea filium designat regem.* QVATVOR ex Maacha liberos suscepit, Roboam, Abiam, Ethai, Ziza, & Salomith. *Constituit vero in capite Abiam filium Maacha ducem super omnes fratres ipsius: ipsum enim Regem facere cogitabat, quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios eius,* forte etiam in gratiam matris eius, quam præ omnibus vxoribus, & concubinis amauit. Non fuisse autem ipsum primogenitum ex eo non obscure intelligitur, quod videtur pater cogitasse illum præferre fratribus; Significat enim eum honorem illi iure debitum non fuisse, alioqui nihil noui diceret, & inanis esset ista cogitatio, & frustra causæ afferentur, cur ipsum pater fratribus eius anteferre voluerit. Vtrum autem eo facto filiis cæteris natu maioribus iniuriam fecerit, vide Abulensem. [m]

a 3. Reg. 15. 2. 10.
b 2. Reg. 3. 2.
c q. 1. & 6. in c. 13. 2. Par.
d 2. Reg. 14. 27.
e Dauidis 21 n. 21. & an. 28. 2.
f l. 7. ant. c. 8.
g Vide an. Dauidis 28. n. 9.
h q. 6. in c. 13. 2. Paral.
i 3. Reg. 14.
k 3. Reg. c. 11. 2.
l 3. Reg. 14. 21.
m q. 26. & 27. in c. 11. 2. Par.

In quo perspicuum est ius primogenituræ apud Hebræos prærogatiuam necessariam regni non habuisse. Nam, vt de Saule taceam, Dauid fuit minimus natu filiorum Isai. Salomon fere minimus natu Dauidis. Roboam cum vnicus fuerit, neutram in partem quidquam probat. Abia filius fuit tertiæ vxoris Roboami, quem ætate præcedebant filij Abihail, vt placuit Abulensi,[a] reliquos autem filios constituit præpositos in diuersis ciuitatibus Iudæ, & Benjamin, vt paulo ante diximus; quibus & copiosum præbuit commeatum. *Licet non primogenitum.*

[a] q. 20 & 26. in c. 11. 2. Paral.

XIV. *Quando eam duxerit.* HANC Maacham ducere potuit Roboam anno ætatis 23. aut 24. Sicque Abia filius eius vixerit cum auo Salomone 16. annis. Hoc autem 4. regni Roboami anno egerit vigesimum ætatis annum: in quo nihil absurdi est dicere Abiam duxisse vxorem, ex qua susceperit Asa. Etsi enim 2. Paral.[b] scriptum sit Abiam confortato imperio suo duxisse vxores quatuordecim, non tamen oportet in illis numerare matrem Regis Asa, ne præter Scripturam dicamus, Asam bimulum, aut trimulum regnare cœpisse; quod cum valde extraordinarium sit, fuisset vtique à Scriptura notatum. *Ætas Abiæ, & coniugium.*

[b] 13. 21.

Dicamus ergo probabiliter hoc circiter anno Abiam filium Roboami vxorem duxisse, ex eaque mox filium, Asa nomine suscepisse, qui 17. vitæ anno regni gubernacula acceperit.



## ANNVS MVNDI 3064. DILVVII 1408. QVINTÆ ÆTATIS 115. ROBOAMI ET IEROBOAMI 5. ACHIMAÆ PONTIFICIS 5. TEMPLI FVNDATI 42. TROIÆ EXCISÆ 193. LAOSTHENIS 36. IMPERII ASSYRIORVM 1133.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 989.

I. *Inualescit Idololatria in Iuda.* STRENVE inualescebat idololatria in regno Roboami; luci certatim super omnes colles plantabantur, dicabantur, aris & statuis ornabantur: nec vitulis solum, sed Priapo etiam sacrificabatur, annitente maxime Maacha regina, quæ apud Roboamum gratia plurimum poterat, vt dicebamus, & postmodum principi facta est probrosissimæ idololatriæ incentrix, spurcissimæque nequitiæ. *Deprauato enim Rege, populus quoque leges, ac pietatem, posito pudore, contempsit, ne iustitiæ studiis Regem suum offenderet,* vt ait Iosephus.[c]

[c] l. 8 c. 3. fine.

*Et Israële.* In regno autem Ieroboami altiores in dies agebat radices sacrilegium; hoc enim minus repugnante conscientia Israëlitæ vitulos adorabant, minusque Deum patrum suorum requirebant, quo magis eum ab illis ipsis contemni videbant, apud quos erat nobilissimum illud templum, & sacerdotium diuinitus institutum.

II. *Deus vlterem euocat Sesacum, & quis ille fuerit.* VERVM Deus hanc contumeliam per Susacum Ægyptiorum Regem, vt ait Iosephus,[d] quamprimum vltus est, *cuius,* inquit, *res gestas Herodotus, per errorem Sesostri adscribit.* Voluit, opinor, dicere eum in sacris literis Susacum, siue Sesacum dici, quem Herodotus, & Diodorus Siculus, & alij Sesostrem dicunt, quem Sesacum vocare debuissent. Idque ipse idem paulo infra aperte docet. Eum Sesacum in libris Regum, & Paral. Scriptura vocat, & quinto anno Roboami contra eum ascendisse ait, cui consentit Iosephus, vt mirum sit Eusebium in Chronico, hunc Regem, quem vocat Susachim cum Septuaginta, extra ordinē regum Ægypti ponere. Alios quippe Ægypti Reges ipse, ab iis quos in Herodoto, & Diodoro legimus, in Chronologia describit, quos ad Dynastias, quasi ad certa capita reuocat, in quarum vigesima prima Semendim quendam ponit, quo 12. annum regnante venerit Sesac cōtra Roboamum. Forte Regis eiusdem

[d] l. 8. c. 4.

duo nomina fuerunt, quod magis placet, quam fateri duos tunc in Ægypto Reges regnasse; præsertim cum hic immensas, vt dicemus, secum adduxerit copias. Multum autem hunc Sesacum à Selostri Herodoti, aut certe Manethonis distare necesse est, qui in suis dynastiis Selostrim in duodecima collocat, eique regni annos quadraginta octo tribuit. [a] Non recte quoque in vulgaris Eusebij codicibus Sesaci aduentus ad decimum sextum Roboami annum refertur, cum ex Scriptura constet ad quintum pertinere. [a Apud Scalig. l. 2. can. Isago. p. 125.]

III. *Quæ expeditionis causa.* Quæ porro causa fuerit Sesaco expeditionem contra Iudæos suscipiendi, non facile est inuenire, præsertim cum affinitate quadam cum eis iunctus esset. Eius enim pater Salomoni filiam suam dederat vxorem, quæ erat Roboamo nouerca. An quia, si hic Selostris fuit, orbem vniuersum sibi subiicere voluit, vt aiunt Herodotus, & Diodorus? Ambitio autem facile iura omnia diuina, humanaque conculcat: Deusque improba eius voluntate sit vsus ad castigandam Iudæorum à se defectionem. An potius cum Samerio nostro dicendum Sesacum inuitatu Ieroboami, secum affinitate coniuncti, venisse Hierosolymam, & spoliasse templum, vt Israëlitæ facilius templo carerent, quod deformatum nossent, & profanis vitulorum fanis acquiescerent; & omnino vt attritis Roboami viribus securius ipse regnaret, aut etiam eius sibi regnum armis subiiceret, vel Sesaci cognati dono possideret. Causam autem, si eam à Scriptura exquirimus, hanc reperiemus. *Quia peccauerant Domino.* [b] [b 2. Par. 12. 2.]

IV. *Quæ copia.* Venit autem, vt ait Scriptura, cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum; vtrique numero assentitur Iosephus, Diodorus Siculus [c] Sesostri attribuit octo millia, & viginti curruum bello aptorum. Equitum autem viginti quatuor millia, pedites Scriptura non numerat, *quia non erat*, inquit, *numerus vulgi, quod venerat cum eo ex Ægypto, Lybies scilicet, & Troglodytæ, & Aethiopes.* Iosephus tamen inuenit, aut excogitauit numerum, ac recensuit quadraginta millia. Diodorus plures inuenit. Fuisse enim ait pedestrium copiarum sexcenta millia: nescio vter fuerit in numerando deceptus. Addit etiam Diodorus exercitus præpositos, viros bello exercitatos, & à pueris secum enutritos, amplius mille & septingentos, fraterna omnes, mutuáque erga Regem beneuolentia. [c l. 2. ant. c. 2.]

V. *Res gesta in Iudæos.* Expeditionem eius tum maritimam, tum terrestrem pluribus deinceps prosequitur, Herodoto quidem amplior, in plerisque tamen consentiens. Cæterum quæ in Iudæa perpetrarit vix attingunt, attingunt tamen. Nec mirum cum ipsa Scriptura, quæ Iudaicas tantum res persequitur, vno fere verbo cuncta perstringat. *Cepit*, [d] inquit, *ciuitates munitissimas in Iuda, & venit vsque in Ierusalem.* Paulo pluribus Iosephus. *Irrumpens igitur in Hebræorum regionem, munitissimas Roboami vrbes sponte deditionem facientes, in fidem suam recepit, quibus præsidio firmatis, postremo Hierosolyma est aggressus.* Quo nimirum Rex, & principes Iuda confugerant à facie regis Ægypti. [d 2. Paral. 12. 4.]

VI. *Ignominia Roboami.* Eo facto haud obscure demonstrauit Roboam se rudem, & corde pauido, vt publice Abia filius eius professus est. [e] Accedebat etiam male conscium pectus deserti numinis, à quo inuicta populi sui fortitudo pendebat, qui reipsa implebat id, quod tanto ante per Moysen prædixerat. [f] *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ.* Et paulo ante. *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias.* Et rursum. [g] *Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium*, &c. [e 2. Paral. 13. 7.] [f Deut. 28. 65.] [g Leuit. 26. 36.]

VII. *Ex Herodoto Iudæorum ignauia.* Hanc porro timiditatem, & ignauiam Iudæorum contra Sesacum, siue Sesostrem Herodotus in Euterpe cum contumelia notat. Cum enim dixisset quascumq; nanciscebatur gentes feroces, & vehementer studiosas libertatis, in earũ regionibus cippos lapideos statuere solitum, inscriptos literis sui nominis, & patriæ, & quæ referrent ipsum illos vi subegisse: addit; *quarum vero vrbes nullo prælio, nulloque negotio cœpisset, his cippis inscripsit tum easdem literas, quas scripserat eis gentibus, quæ viriles extiterant, tum muliebria genitalia adsculpebat, planum facere vo-*

*lens illos haudquaquam virdes extitisse*. Paulo autem postea subdit Herodotus. *Ititu lorum quos Sesostris Rex Aegypti regionatim erexit, plerique iam incolumes non extant, quosdam in Syria Palæstina ipse vidi inscriptos, tum quibus dixi literis, tum muliebribus genitalibus.* Hæc ibi.

VIII. Ex Iosepho confirmatur.

QVÆ Iosephus fatetur de sua gente, atque adeo de Roboamo dicta esse. *Meminit*, inquit, *huius expeditionis etiam Halicarnasseus Herodotus, in nomine tantum errans, & quod peruasis multis aliis gentibus, etiam Palæstinam Syriam subiugarit, hominibus non experta vi deditionem facientibus. Apparet autem satis quod nostram gentem dicere velit ab Aegypto subactam. Narrat enim hunc columnas reliquisse apud eos, qui prius quam Martem experirentur deditionem fecissent, in quibus pudenda muliebria insculpta fuerint. Roboamus autem is fuit Rex noster, qui vrbem, antequam oppugnaretur, dedidit.* Apparet autem columnas illas probrosas Iosephi tempore fuisse deiectas.

IX. Iudæi timide diffugiunt. Et à Propheta arguuntur.

CVM ergo Hierosolymam innumerabilis exercitus obsideret, & Roboamus cum suis principibus, animi, consiliique inopes, circumspicerent se, etiam in cœlum, vt fit suspexerunt, veri Dei, quem indignissime deseruerant, nondum plane obliti. Cum ecce *Semeias Propheta*, [a] (hic est qui ante triennium Roboamum à pugna contra Ieroboamum Dei iussu deduxerat) trepidantibus superuenit; *Ingressus ad Roboam, & principes Iuda, qui congregati fuerant in Ierusalem, fugientes Sesac*: reliquis iam ciuitatibus in eius potestatem redactis, *dixitque ad eos. Hæc dixit Dominus, vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac.* Permisi videlicet eum huc ad pugnandum contra vos ascendere, vrbésque vestras subiicere seruituti, & insuper statui dedere vos barbari Regis potentiæ, & furori. *Consternatique principes Israel, & Rex dixerunt. Iustus est Dominus.* Et recte quidem. Quid enim iustius quam deseri eum, à quo deseraris prior? Præsertim cum is, qui prior deserit, in hac ipsa desertione iniustissimus sit, atque ingratissimus; & qui deseritur nihil damni, quantumuis iniuste, ac stulte desertus, patiatur?

X. Deus humiliatos lenius castigat.

SED Dominus qui mauult bonus, & clemens, & misericors audire, quam iustus, & zelotes, & vltor iniquitatum, [b] *cum vidisset quod humiliati essent*, agnita scilicet culpa sua, & diuina iustitia contra ipsos comprobata, quamuis seruili adigente metu, & ad tempus, vt Achab postea; flexus tamen est ad misericordiam, nec permisit vel augustissimum illud templum, omnibus spoliatum thesauris, atque ornamentis deiici, diruique, vel, quod facile erat, florentissimam ciuitatem ferro, flammisque deleri; sed Semeiam Prophetam iterum in hæc verba allocutus est. *Quia humiliati sunt non disperdam eos; daboque eis pauxillum auxilij*, mitigando impij Regis crudelitatem, & auaritiam: *& non stillabit furor meus super Ierusalem per manum Sesac. Verumtamen seruient ei, vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis Regis terrarum.* Nimirum qui spolia aliorum, prædasque rapiebant, spoliati sunt ipsimet, & prædæ hostibus fuerunt, qui tributa ab omnibus circumquaque nationibus exigebant, ipsi tributa Ægyptiis pependerunt. Hanc enim quam Dominus seruitutem vocat, recte tributariam more Scripturæ interpretari possumus cum Lyrano, & Caietano, licet aliter visum Tostato.[c]

XI. Et respicit opera bona.

VERVM ad mitigandam flagrantem iam iram Dei, alia quoque interuenit causa præter humiliationem Roboami, & principum eius: quæ vt coacta non magni fortasse fuit meriti apud Deum, non dico ad beatitudinem, sed ad ista bona temporalia, quæ illi fere sola cogitabant, non plane amittenda. Itaque alteram etiam causam addit Scriptura, [d] in hæc verba. *Veruntamen quia humiliati sunt, auersa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem & in Iuda inuenta sunt opera bona.* Notat Caietanus, Torniellus, & Abulensis. Nimirum plerique in tanta ciuitate erant viri boni, qui mitissimum Domini pectus pulsarent precibus, & lachrymis, qui in cinere, & cilicio iacerent Dauidis exemplo, qui ieiuni, insomnésque dies, noctésque traducerent, qui eleemosynis pauperum veniam implorarent. Qui ara votis, ac sacrificiis cumularent, qui Deum de facta Dauidi, pro eius posteris regno fruituris, promissione, interpellarent. Et qui alioqui perditurus erat gentem, simul etiam prouidit in hac animorum summissione, bonisque operibus

a 2. Paral. 12. 5.
b 2. Paral. 12. 7.
c q. 11. in c. 12. 2. Paral. Vide 2. Reg. 8. 6. 14.
d ver. 12.

remedium. Et recordatus est Dauidis dicentis. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*

XII. *Sesac admittit conditiones pacis.*

EGIT ergo Roboamus Rex cum Sesaco per internuntios de deditione, & conditionibus pacis, quoniam Semeia nunciante, didicerant Iudæi Ægyptio Regi sibi submittendas ceruices, iugumque ipsius recipiendum, ne grauiore clade, si repugnarent, contererentur. Conditiones ille Deo inspirante non respuit. Qui enim ad totius orbis imperium festinabat, vt ante ex Herodoto, ac Diodoro dicebamus, non debebat in singulis regnis, & prouinciis magnas trahere moras, nec vicinos reges, vltro seruitutem pollicentes, malle perdere, quam vectigales, & imperio subiugatos habere. Certiorem hanc intelligebat viam, ad id quod quærebat, quam si singulas gentes ad desperationem salutis coactas, ad arma cruenta cogeret, & certam ipse victoriam, in dubiam, atque incertam commutaret.

XIII. *Nec stat promissis.* *Aurum que omne aufert.*

CÆTERVM *Sesacus Roboamo propter metum vrbem dedente*, vt ait Iosephus, *conditiones non seruauit; sed deprædatus templum* (hoc ergo erat in conditionibus deditionis) *thesauros tum Deo sacros, tum regios expilauit, exportata innumera auri, atque argenti multitudine, ac ne scrupulo quidem relicto.* Καὶ μηδὲν ὅλως καταλιπών. Sic Iosephus. Dicendumne ergo est refixas, toto rutilantes templo, illas auri laminas artificiosissime fabrefactas, innumeris gemmis fulgurantes è parietibus, è pauimento, ex laquearibus, ex sancto sanctorum, multóque magis asportata tot altaria, candelabra, & mensas, & minora alia vasa aurea, & argentea, quæ toti exercitui quamuis rapacissimo pene sufficerent?

XIV. *An plane omne.*

SVSPICATVR Torniellus [a] Sesacum in gratiam Iudæorum, eorum scilicet lachrymis precibúsque victum, reliquæ prædæ magnitudine contentum, *a Quintæ ætat. an. 42.*
pro denis mensis, & candelabris aureis, [b] vnicam mensam, & vnicum candelabrum reliquisse, eóque deinceps Iudæos fuisse contentos, sicut & antequam *b 2 Paral. 4.7.8.*
templum excitaretur. Et certe in sequentibus vnius tantum mensæ, & candelabri fit mentio, vt suis locis patebit, & nominatim in 2. Paral. [c] Omnia tamen *c 2 Paral. 13.11.*
dicitur Sesac abstulisse, per quandam amplificationem scriptoris lamentantis preciosissimæ iacturæ magnitudinem. Chronicum maius Hebræ. ait tempore Asa, Zarah Æthiopem restituisse Asæ vniuersam prædam, quam exportauerat Sesac, anno quinto supra trigesimum à morte Salomonis; sed nihil probat. *d c 16.*
Quin è contrario ait Scriptura [e] Asa tulisse omne argentum, & aurum *e 3. Reg. 15. 18.*
quod remanserat in thesauris domus Domini, & domus regiæ, & dedisse Benadab Regi Syriæ.

XV. *Non abstulisse vasa.*

RECTIVS tamen assentiemur Abulensi [f] existimanti Sesacum à vasis aureis, & argenteis, quibus Domino in templo ministrabatur, abstinuisse, vt quæ *f q. 13. in c. 12. 2. Paral.*
ad tempus vsque Nabuchodonosoris conseruata fuerint, & ab eo in Babylonem translata. Dicitur enim in 3. Regum [g] Regem Babylonis concidisse vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon Rex Israël in templo Domini, sicut & *g c. 24. 13. & c. 25. 16.*
mare, & bases à Salomone in templo Domini fabricatas. Nimirum cor eius Dominus ita moderatus est, vt vasa diuino ministerio addicta non auderet attingere, vt in posterum piorum Regum tempore vsui essent. Neque propterea cum Scriptura pugnamus, quæ ait Sesacum recessisse ab Ierusalem, sublatis thesauris domus Domini, & domus Regis. *Sed thesauros templi.* Nam thesauros templi ab eius vasis Scriptura aperte distinguit. [h] De Nabuchodonosore siquidem agens, *Vniuersa,* *h Paral. 36. 18.*
inquit *vasa domus* Domini *tam maiora, quam minora, & thesauros templi, & Regis, & Principum transtulit in Babylonem.* Nimirum thesaurorum nomine intelliguntur numeratæ pecuniæ, auri, argentique massæ, ac laminæ nondum operi applicatæ, lapides pretiosi, aliaque id genus, quæ sæpius à quibusdam Regibus sublata dicuntur in sacris literis, & videlicet alia ab aliis vicissim, ipsóque populo oblata Deo, ac consecrata: alioqui enim quid secundus auferret non haberet. Itaque de sublatis vasis à Sesaco mirum est in Scriptura, ac Iosepho silentium, exceptis tamen clypeis, de quibus nunc nobis futurus est sermo. Tantum autem abest vt auri laminas è parietibus euellerit, vt ne totos quidem thesauros à Salomone relictos deprædatus sit, sed reliquerit nepoti Roboami, quæ daret Regi Syriæ, vti iam diximus.

VILIA nimirum sunt hæc omnia Domino, & idonea quæ plena manu Ægyptiis, & Troglodytis, & Libycis gentibus, & Æthiopibus, vilissimæ fæci hominum, dedantur, quantumuis sibi sanctificata: quando corda hominum, quæ sibi maxime sancta esse vult, sceleribus, præsertim idololatriæ, profana redduntur. Nominatim autem memorantur clypei aurei, quos fecerat Salomon; illa scilicet ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos singula in laminas habentia; illæ item trecentæ peltæ ex auro probato, quas singulas trecentæ auri minæ, siue sicli vestiebant. *Detraxit etiam*, ait Iosephus, *aurea scuta, & clypeos, quos Salomon Rex fecerat, ac ne pharetras quidem aureas reliquit, quas Dauid dedicauerat à Sophenæ Rege acceptas. Atque ita cum opima præda domum est reuersus.* Verum non puto pharetras, sicut nec reliqua arma aurea, quæ sanctificauit Dauid, [a] integra fuisse seruata, sed fusa, in varia templi vasa aurea, & argentea fuisse conuersa. Non enim hæc erant illorum Regum donaria, maxima ex parte, vt seruari tanquam anathemata, mererentur, sed præda ab inuitis, & deuictis extorta: propterea nulla in templi suppellectili aut sagittarum, aut pharetrarum aurearum mentio.

XVI. *Abstulit clypeos & peltas.*

*An & pharetras.*

a vt dicitur 2. Reg. 8.

CREDIDERIM quoque thronum illum magnificentissimo auro, & fulgentissimo ebore conuestitum, intactum nunc quidem relictum fuisse. Quis nihilominus ad tantam iacturam ciuium plangor ad auras? Quis tota vrbe fœmineus vlulatus? Qui in viduo, & magna ex parte expilato templo Iudæorum gemitus, atque lachrymæ? felices lachrymæ, gemitusque, si ex iactura sensili, & corporea, spiritalem fidei, atque pietatis serio æstimare didicissent! *Recessit itaque Sesac Rex Aegypti ab Ierusalem, & cum opima præda domum est reuersus*, ait Iosephus. Verum si Herodoto, & Diodoro credimus, ad reliquam Asiæ expeditionem progressus est: & quidem terra, marique vltra quam Alexander postea pugnando, vincendoque peruenit. Nec Scriptura domum reuersum ait, sed omnia secum abstulisse.

3 Reg. 10. 10. 15.

XVII. *Luctus Iudæorum.*

HÆC sunt quæ apud Roboami regnum hoc anno contigerunt. Quibus nihilo sapiẽter factus est Ieroboamus: sed in male cœptis male perseuerauit: quem non propterea Deus præ Roboamo dilexit, quod in eum Sesacum non immiserit, sed eum potius quasi à se abdicatum deseruit. Roboamum autem, propter Dauidem dilectum suum, & propter multos amicos suos in eius regno commorantes, quasi tutorem filiorum suorum parum fidelem, castigauit.

XVIII. *Conclusio anni huius.*

ANNVS MVNDI 3065. DILVVII 1409. 5[e]. ÆTATIS. 126.

FVNDATI TEMPLI 43. ROBOAMI ET IEROBOAMI 6.

ACHIMAÆ PONT. 6. TROIÆ EXCISÆ 194. LAOSTHENIS 37.

IMPERII ASSYRIORVM 1134.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 988.



SEXTVS Roboami annus timorem Dei, ex recentissima clade collectum, videtur aliquantum retinuisse, & impietatis ardorem, quasi frigida superfusa, magna ex parte restinxisse. Dormitasse igitur videtur hoc anno idololatria in regno Iuda, & studium in reparanda aliquo modo clade, ab Ægyptio rege illata, positum fuisse. Nam Roboam pro scutis aureis Salomonis, [b] ærea confici iussit, *& tradidit ea in manus ducum scutariorum, & eorum qui excubabant ante ostium domus Regis. Cumque ingrederetur Rex in domum Domini, portabant ea, qui præeundi habebant officium, & postea reportabant ad armamentarium scutariorum, quod erat in domo saltus Libani.* Non neglexit Roboam quæ ad pompam suam pertinebant, fortasse etiam aliquam curam posuit in templi supellectili reparanda, sed parce, & vt apparet χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων commutauit. Iero-

NVM. I. *Quis Roboami nũc status.*

b vt dicitur 3 Reg. 14. 27 & 2 Par. 12. 10. Ioseph. l. 8. c. 4.

roboam in regno suo idem qui ante fuit.

Ex eo porro quod cum prædicta pompa Rex templum adibat, intelligitur eum non plane, in oculis populi totius, Dei cultum deseruisse, nedum condemnasse, vel prohibuisse. Itaque dicendum omnino videtur, hoc tempore Dei cultum à communi populo retentum, & frequentatum de more; à principibus autem obiter, & quidem simul cum idolis, quæ forte in monte Oliueti restituta fuerunt, vbi dudum à Salomone fuerant excitata. Et nihilominus post Sesaci discessum *confortatus est*, ait Scriptor Sacer, [a] *Rex Roboam in Ierusalem, atque regnauit*, non in sola Ierusalem, vt putauit Lyranus, sed in regno Iuda, vt prius. Dei enim voluntate, Sesac contentus thesauris regiis, quos magna cura congesserat Salomon, & thesauris templi, & tributo insuper in signum subiectionis imposito, discessit; relicto alioqui regno in statu pristino. Cuius rei signum est quod nusquam deinceps aut Roboam, aut Abia, aut Asa, cæterique Reges Iuda dicuntur vrbes, quas cœperat Sesac, recepisse; vt promissio diuina Dauidi facta subsisteret. a 2 Paral. 12.13.



ANNVS MVNDI 3066. DILVVII 1410. QVINTÆ ÆTATIS 127. FVNDATI TEMPLI 44. ROBOAMI ET IEROBOAMI 7. ACHIMAÆ PONTIF. 7. TROIÆ EXCISÆ 195. LAOSTHENIS 38. IMPERII ASSYRIORVM 1135.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 987.



N.I. *Roboamus redit ad ingenium.*

SATIS constat ex quo Roboam palam atque aperte à cultu Dei defecit, nunquam perfecte pietatem, & verum eius cultum obseruasse, sed obiter duntaxat, & perfunctoriè, quæ à rege requirebantur vsurpasse, ne forte populus ab ipso plane deficeret. Palam autem atque apertè defecisse Iosephus satis ostēdit, cum ait eum etiam populum in sui imitationem pertraxisse, non vi quidem adhibita, vt arbitror, etsi id Iosephus [b] parum probabiliter asserat: sed trahit sua quemque voluptas; sicque Deo simul ac dæmonibus, vt impium hominem decet, qui forte in corde suo æque vtrumque, ac neutrum colit, honorem exhibuisse, quod Scriptura videtur innuere, cum ait. [c] Roboamum fecisse malum, illud scilicet malum, & peccatum, quod singulari priuilegio meretur id nomen; malum nimirum idololatriæ, & non præparasse cor suum, vt quæreret Dominum. Deum scilicet non quæsiuit ex animo, nec Deo ipsum amice castiganti, vt ad se rediret, cooperari curauit. b 18 c. 3. c 2 Paral. 12.14.

*Et sordes idolorum renalescũt.*

VIDETVR ergo hoc anno resumpsisse vires impietas, pellacissima quippe est, & animum semel occupatum, ac superstitione corruptum, raro penitus deserit; est enim plurimum consentanea carni, & sanguini, & omnibus cupiditatibus eius, quibus se malus dæmon scientissimè attemperat, vt illæ, in certissimam perniciem suam, eiusdem contra præpotentem Deum odio turpissimè atque indignissimè famulentur. Et forte nunc induci cœpta, si non prius illa effœminatorum immundicies, de qua Scriptura, [d] *sed & effœminati fuerunt in terra* (Iuda scilicet) cœpta inquam hoc anno Nemo enim repente fit pessimus. Et Scriptura in hanc ipsam rem [e] cum de Iasone apostata dixisset. *Etenim sub ipsa arce ausus est gymnasium constituere, & optimos quosque Epheborum in lupanaribus ponere.* Subdit, *erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alienigenæ conuersationis.* Effœminatos vocat, qui præposteram libidinem paterentur, quos catamitos, & scorta mascula vocant. Pagninus tamen habet tantum scortatores, sed addens, *secundum abominationes gentium*, idem intelligit. d 3 Reg 14.24 e 2. Mach. c.4.v.12.

Sed quid est quod Septuaginta habent σύνδεσμος ἐγενήθη. id est, *coniuratio facta est*, vt vertit Montanus, aut colligatio vt Theodoretus habet [a], qui id, quasi prophetice dictum, refert ad Athaliam clamantem, *colligatio, colligatio* id est, defectio & tyrannis? facile esset intelligi occultè præparatum esse bellum contra Ieroboamum: Sed cum sequatur *& fecerunt iuxta abominationes gentium*, σύνδεσμον, intelligo quoddam contubernium impudicitiæ, & impurissimæ libidinis πορνείας, epheborum Veneri masculæ, & Priapo consecratorum, cui scelerata Maacha Roboami vxor præposita erat, hoc enim tempore instituta sunt, quæ post aliquot annos ab Asa sublata leguntur, & inde qualia fuerint intelligi potest. [b] *Et abstulit effœminatos de terra, purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius. Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius quem consecrauerat, subuertitque specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.* Facile autem intelligi potest quanta cum impudentia omnis generis libido, per omnes ordines solutis habenis bacchauetur, cum omnium flagitiosissima, sacrosancta, & diis sacra putaretur, & præpositam haberet reginam, Regis vxorem, matrem, auiam: quæ lucum ei nequitiæ consecrarat: lustrum quoque, vbi istæ bestiæ conuenirent, extruxerat, Rex autem ipse suapte natura mollis, imprudens, fatuus, etiam ab vxore sacrilega dementaretur.

(Margin: a 3.Reg. 9. 43. — III. Contubernium nequitiæ. — b 3.Reg. 15. 12.)

Verum abeamus ab hoc Iudaïco cœno; quanquam apud Ieroboamum his modestiora non celebrabantur, quem rex Ægyptius non attigerat, & apud quem nullus alius, præterquam vitulorum, cultus vigebat. *In tantum*, inquit Iosephus, [c] *Ieroboamus postbac contra omne ius, ac fas debacchatus est, vt nihil aliud quæreret, quam quomodo in dies semetipse nouis sceleribus superaret.* Et paulo post ait eum subditos ad suarum vitularum adorationem vi adigere voluisse. Pleraque tamen de lege Mosaïca retinuisse, ait Genebrardus in Roboamo & Ieroboamo; nimirum in ea educatus à puero. Interea vero sibi, vt erat natura sagax, & industrius, ab insidiis Roboami cauebat; cum quo deinceps per se, suosque frequentibus præliis dimicauit, vt mox dicendum est. Incidit porro in præsentem annum sabbaticus ordine sexagesimus nonus, quem hoc corruptissimo tempore, facile intelligi potest fuisse neglectum.

(Margin: IV. Res Ieroboami. — c l. 8. c. 3. — Annus sabbaticus 69.)



## ANNVS MVNDI 3067. &c. DILVVII 1411. QVINTÆ ÆTATIS 128. ROBOAMI ET IEROBOAMI 8. ACHIMAÆ PONTIFICIS 8. TEMPLI FVNDATI 45. TROIÆ EXCISÆ 196. LAOSTHENIS 39. IMPERII ASSYRIORVM. 1136.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 986.



Ad hunc, & aliquot sequentes annos, quos exactius rebus gestis circumscribere, & definire non possumus, prælia maxime, quæ Scriptura sine temporis nota commemorat, referre possumus, excitata duos inter Reges, continuataque, aut cere frequentata. Nam mortem filij Ieroboami, cum iis quæ illi connexa sunt, vltra mortem Roboami cum Iosepho differemus. Scriptura itaque plurima, & quasi continentia prælia Roboami, & Ieroboami, dum vnus perdita recuperare, alter acquisita retinere moliretur, paucis verbis exequitur. *Attamen*, inquit, [d] *bellum fuit inter Roboam, & Ieroboam omni tempore vitæ eius.* Et alibi. [e] *Pugnaueruntque aduersum se Roboam, & Ieroboam cunctis diebus.* Mutatam religionis faciem, perturbatissimus reipublicæ status est consecutus, &, ex quo cum Deo pugnare ausi sunt, nunquam inter se pugnare destiterunt, quia *non est pax impiis, dicit Dominus.*

(Margin: I. Res annorum aliquot. — d 3.Reg. 15. 16. — e 2.Par. 12. 15.)

II. *Multa Hebraorũ pralia Dei permissu.*

PRIMVM illum belli apparatum fregerat Dominus, idololatria nondum ferè apud alterutrum regnum instituta. Nunc autem cum apud vtrumque ea vigeret, num debuit Dominus, pacis apud eos sequester fieri? Dixerit potius. Vterque populus apostata est, reus mortis est, moriatur. Agite, estote ambo contra vos ipsos vltores iniuriæ meæ, & perfidiæ vestræ. Concidite vos mutuis vulneribus; mihi perinde est vtri bello pereant, cum vtrique mihi infidelitate perierint.

Plena itaque fuerunt totis hisce annis, imo & quamplurimis sequentibus, duo ista regna bellis; ergo & cædibus, & vrbium proditionibus, & expilationibus, nocturnis, diurnisque latrociniis, & iis omnibus, quæ tales calamitates consequuntur; vbique insidiæ, vbique insperatus occurrebat hostis, vbique cædes, & incendia, qualia in bellis ciuilibus frequentantur, quæ distinctius à Scriptura non memorantur, quia hæc bella magni apparatus non erant, neque solennia; sed perpetua quasi latrocinia, & insultus, qualia apud vicinos hostes passim contingunt. Talem videlicet merebantur quietem, & pacem, qui bello intestino contra Deum decertabant.



ANNVS MVNDI 3073. DILVVII 1417. QVINTÆ ÆTATIS 134. ROBOAMI ET IEROBOAMI 14. ACHIMAÆ PONTIFICIS 14. TEMPLI FVNDATI 51. TROIÆ EXCISÆ 202. LAOSTHENIS 45. & VLT. IMPERII ASSYRIORVM 1142.

ANNVS ANTE CHRISTVM 980.

I. *Annus sabbaticus.*



HABET hic annus duo, quæ merito notari debeāt, 1. Sabbaticum annum numero, & ordinè septuagesimum. Quod ex eo aperte colligitur, quod ab exitu ab Ægypto ad templi fundamenta, quadringenti, & octoginta anni numerantur [a], à quo numero si quadraginta annos Arabicæ peregrinationis sustuleris, quadraginta supra quadringentos anni reliqui sunt. Inde autem quinquagesimus annus agitur (quem tamen vocamus quinquagesimum primum, quia annus fundationis, vnus, idemque est octogesimus præcedentium, & primus consequentium) quadringentis ergo, & quadraginta, si addideris quinquaginta, efficies annos quadringentos, & nonaginta: qui numerus instar habet septuaginta hebdomadarum Danielis, quarum initium post quadringentos & quadraginta quatuor annos continget; vt suo loco Deo fauente declarabimus, anno quarti huius voluminis vltimo. [a] 3 Reg. 6.

II. *Mors Laosthenis.*

ALTERVM est mors Laosthenis Assyriorum Imperatoris, cuius imperio Eusebius, & Africanus annos quadraginta quinque assignant: sed hic eum vocat trigesimum sextum, ille trigesimum primum, quia initio catalogi omisit Belũ, in medio quatuor transiliuit, vt suo loco monuimus. Res ab eo, tam diuturno in regno, gestas nemo prodidit, qui ad nostras peruenerit manus; Ergo ad successorem eius Pyritiadem, æque ignotum, transeamus.



## ANNVS MVNDI 3074. DILVVII 1418. QVINTÆ ÆTATIS 135. FVNDATI TEMPLI 52. ROBOAMI ET IEROBOAMI 15. ACHIMAÆ PONTIF. 15. TROIÆ EXCISÆ 203. PYRITIADIS 1. IMPERII ASSYRIORVM 1143.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 979.

IMPERII Assyriorum gubernacula suscepit hoc anno Pyritiades, ordine trigesimus secundus, vel trigesimus septimus, iuxta ea quæ proxime diximus, eaque rexit annos omnino triginta ex Africani, Eusebijque sententia, quibus posteriores omnes chronologi consentiunt; sed gestorum eius sicut & multorum præcedentium, atque subsequentium æque omnes inscientes.



## ANNVS MVNDI 3076. DILVVII 1410. QVINTÆ ÆTATIS 137. ROBOAMI 17. & VL. IEROBOAMI 17. ACHIMAÆ PONTIF. 17. & VL. TEMPLI FVNDATI 54. TROIÆ EXCISÆ 205. PYRITIADIS 3. IMPERII ASSYRIORVM. 1145.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 977.

a 3. Reg. 14. 21. — b 2. Par. 12.

SOLA Roboami mors hũc annum notabilem facit. *Roboam*, ait Script. [a] *filius Salomonis regnauit in Iuda. Quadraginta & vnius anni erat Roboam cũ regnare cœpisset, septemdecim annis regnauit in Ierusalem.* Eadem repetuntur in 2. Paral. [b] nec mortis vllam circunstantiam attingit Iosephus de eius obitu; *Sine vlla*, inquit, *memorabili expeditione, aut præclaro facinore quietus regni sui tempora elabi passus est, metu cohibente, eo quod perpetuum illi esset cum Ieroboamo dissidium.* Non ergo valde quietus. Sed pergit. *Vixit annos quinquaginta septem* (dicendum vtique quinquaginta octo, ex Scriptura,) si annos completos accipimus, sed Iosephus quadragesimum primum ætatis, vult esse regni primum, ex quibus decem, & septẽ in principatu exegit; *vir arrogans, atque insipiens, vt qui, propter spretum paternorum amicorum consilium, tantam ditionem amisit.* I. Roboami mors.

SED insipientior longe, atque infelicior, qui æternam etiam hæreditatem amiserit. Vnde Lucifer Calar. libro de Regibus apostaticis ait filium Salomonis cum Ieroboamo diu regnasse in scelere suo, & in eodem cum eo idololatriæ scelere fuisse defunctum. Idem paulo obscurius habetur in Scriptura [c], quæ gesta eius hac conclusione terminat. *Fecit autem malum, & non præparauit cor suum vt quæreret Dominum.* Post malum videlicet idololatriæ perpetratum, idque ad extremam impœnitentiam refert Abulensis [d], & merito: Est enim hoc quasi elogium, & sententia Scripturæ, ad summam vitæ eius, non ad peculiare aliquod tempus pertinens; ideoque in extremo vitæ ipsius, claudenda eius historia pronunciatur. Itaque illa humiliatio quæ à Scriptura memoratur, expressa necessitatis articulo, constans ac perpetua non fuit. II. In impietate.

c 2. Par. 12. 14. — d 2. Par. 12. q. 21.

III. *Quæ eam fouerint.* ERGO de Roboamo, & populo eius, illud ex libro Iudicum vsurpare licet. [a] *Cumque Dominus Iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium. Postquam autem mortuus esset Iudex, reuertebantur, & multo faciebant peiora, quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, seruientes eis, & adorantes illos.* Habuit miser ad hanc insaniam geminum incitamentum domi, vxorem, & matrem, hæc eius pueritiam deprauasse præsumitur, illa iuuentutem; noluit enim Roboam contristare delicias suas, scelestissimam mulierem Maacham, quam præ omnibus vxoribus diligebat, adeo vt is amor causa quoque fuerit filium eius Abiam designandi Regem, prætermissis aliis, qui eum ætate præcedebant. Author operis imperfecti in Math. apud diuum Chrysostomum [b], conferens Salomonem, & Roboamum, ait Salomonem in mysterio fuisse populi Christiani bene incipientis, Roboam autem in mysterio populi male finientis. Sepultus est nihilominus in ciuitate Dauid, & sepultus cum Dauide, & Salomone [c].

a c. 2. 18.
b tom. 2. hom. 1.
c 3. Reg. 14. 31.

IV. *Mors Achimaæ Pontificis.* DE morte Pontificis nihil habeo dicere, nisi quod Chronicum Hebræorũ non producit pontificatum eius vltra regnum Roboami. Eius autem gesta in obscuro manserunt, in eum diem, quo manifestabuntur abscondita tenebrarum. Suspicari possumus, quoniam de contrario non constat, eum in rege, ac populo arguendo suo officio non defuisse: sicut nec illius temporis sacerdotes reliquos, & prophetas.

## ANNVS MVNDI 3077. DILVVII 1421 QVINTÆ ÆTATIS 138. FVNDATI TEMPLI 55. ABIÆ REGIS IVDA 1. IEROBOAMI REGIS ISRAELIS 18. AZARIÆ PONTIF. 1. TROIÆ EXCISÆ 206. PYRITIADIS 4. IMPERII. ASSYRIORVM 1146.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 976.

N. I. *Ratio temporis.* HIC annus vtriusque Regis à Scriptura perspicuè traditur, tam in tertii Regum decimo quinto, quam secundi Paral. decimo tertio, vbi hæc legimus, *Anno octauo decimo Regis Ieroboam regnauit Abia super Iudam.* Azarias autem Pontifex filius fuit Achimaæ, vt habetur in Scriptura [d]. Iosephus Achimaæ successisse Azariam [e] disertè testatur. *Primus omnium*, inquit, *in templo recens à Salomone exstructo Pontifex fuit Sadocus, cui filius Achimaas successit, post Achimaam Azarias, & post hunc* Ioramus, &c. Sed de hoc Ioramo postea viderimus. Azariam porro pontificatum sub rege Abia gessisse tradit Chron. Hebr. breue, & cum eo Genebr. in Chron. & Sigonius de rep. Hebr. [f] Eundem autem fuisse item Prophetam ait Genebr. ibid. idem Chronicum secutus. Et Azariæ quidem prophetiam sub rege Asa legimus [g]; sub quo etiam vixit Azarias, sed ibi filius Obed dicitur, non Achimaæ. Ibique Hieronymus: *Obed*, inquit, *ipse est Addo, qui missus est ad Ieroboam.*

d 1. Par. 6. 9.
e l. 10. ant. c. 11.
f l. 5. c. 2.
g 2. Par. 15.

II. *Initium regnum Abiæ.* QVOD attinet ad Regem Iuda, Abiam regni gubernacula suscepisse, ætate non satis rebus administrandis matura, nonnulli putant, ideoque facilem victoriam de eo Ieroboamum sibi promisisse. Verum, iuxta ea quæ quarto Roboami anno diximus, 33. circiter ætatis anno regnum suscepit, cum ei iamdudum natus esset Asa. Nisi enim natum dicamus ante regnum patris, triennis, aut etiam minor regnare cœperit, quod absurdum est. Mater Abiæ, quæ supra [h] dicta est Maacha filia Absalon, hoc loco [i] dicitur *Michaia filia Vriel de Gabaa*; mutato tam patris, quam filiæ nomine, qua de re iam superius actum est anno Roboami quarto n. 10.

h 2. Par. 11. 10.
i c. 13. 2.

Credibile est Abiam exigua celebritate populi regem creatum, quòd tempora essent admodum turbulenta. In armis enim erat Ieroboam, & intellecta morte Roboami, in eo interregno adiecit fortassis animum ad eius quoque regnum inuadendum. Itáque videtur Iosephus sensisse, & post eum de more Zonaras in suis Annalibus, idque valet ad iustitiam causæ Abiæ, si arma sumpsit defendendi sui causa; minusque mirum fuerit illi à Deo tributam esse victoriam.

III. *Aggreditur Ierob.*

AT Scriptura id minime dubium relinquit, & contrarium plane sentire videtur, vt quæ primum memoret Abiam certamen ineuntem. Deinde cum bellum gestum esse constet in tribu Ephraim, & prope Samariam, necessario dicendum est Abiam ad fines regni Ieroboami esse transgressum, ad quod tota tribus Ephraim pertinebat. Valebat hæc egressio ad victoriam, ad eamque non leue momentum afferebat. Qui enim aggreditur, tanquam fortior aggreditur, est enim id fortioris, eoque ipso animosior est. At qui excipit irruentem, sese habet per modum patientis, & infirmioris, animoque debilitatur, ratus non sine causa hostem priorem inire certamen. Sethus Caluis. sectarius Abiam temerrè bellum inferentem Ieroboamo inducit, & tamen diuino auxilio fretum euasisse victorem. At vnde ille temeritatem colligat, cuius eum temerè accusat, sanè non video: præsertim cum ipse fateatur diuino auxilio fretum id fecisse.

*Numerus copiarum vtrimque.*

a 2. Par. 13. 3. Narratio aperta est in Scriptura in hæc verba. [a] *Cumque iniisset Abia certamen, & haberet bellicosissimos viros, & electorum quadringenta millia, Ieroboam instruxit è contra aciem, octingenta millia virorum, qui & ipsi electi erant, & ad bella fortissimi*; continentibus videlicet multorum annorum præliis exerciti, porro vterq; numerus etsi magnus, rectus tamen est, & constanter habetur in emendatissimis bibliis latinis, græcis, hebræis, & apud Iosephum. Ex quo corrigendus Abulensis, Adrichomius, Dionysius, & Rufinus, imo & Hieronymus in tradit. 2. Paralip. cap. 14. qui quadraginta, & octoginta millia tantum numerant. Qui errorem è Græcis sumpserunt, chiliades pro myriadibus sumpserunt.

IV. *Quæ belli causa, quæne iustitia.*

QVAM porro belli causam habuerit Abias, ex eius oratione intelligi potest, in qua eos hortatur ad reparandam regni vnitatem, Ieroboami improbitate distractam; monetq. ne pugnam aduersus Iudam suscipiant, sed sponte regno Dauidicæ familiæ subiiciant sese. At nonne id contra Domini præceptum est, qui à principio regni Roboami vetuit pugnare cognatas acies, & per Prophetam declarauit, à se hanc diuisionem esse profectam: nec rem, in oculis duorum exercituum gestam, Abias ignorare potuit. Existimauit fortasse Abias non esse diuini consilii, vt perpetua esset ista diuisio, sed voluisse tantum, vt eâ Roboami insipientia castigaretur. Inde autem velle tribus omnes vnum agnoscere principem, ac caput de domo Dauid. Quo pertinet illud: [b] *Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum?*
b 2. Par. 13. 5. An forte mens Abię fuit non tam regna coniungere, quam vnicum veri Dei cultum restituere, qui occasione schismatis huius distractus fuerat, ac deprauatus; quo maximè spectat eius oratio. Iustitiam certe causæ Dominus ipse largienda victoria comprobauit. Etsi enim aliquando permittit eos, qui iniustam causam defendunt fieri superiores, nunquam tamen supernaturali, & extraordinario auxilio causæ impiorum fauet; id enim summæ eius bonitati, iustitiæque repugnat. Sed Scripturam audiamus.

V. *Locus concionis Abiæ.*

STABAT *ergo Abia super montẽ Semeron, qui erat in Ephraim*: cũ certaminis locus sit in tribu Ephraim, & non in tribu Beniamin, aut Iuda, rationi consentaneũ est, vt
c n. 3. dixi, [c] Abiã bellum intulisse Ieroboamo, qui in terras illius, atq. adeo arcẽ regni eius, tam numerosum intulerit militem. Iam tamen Ieroboam in Thersam, quæ est in Manasse cis Iordanem, transtulerat sedem. Apparet locum ita fuisse dispositum, vt Abias in prærupto quopiã scopulo insideret, qui profundæ valli, in qua erant, Israëlitæ immineret, vt plerique eum magna, atq. sonora voce loquentem audirent; vt olim Ioathan filium Gedeonis, in vertice montis Garisim concionantem, Sichimitæ audierunt. Et forte ille ipse fuit locus, vt ex topographia tribus Ephraim Adrichomii suspicari licet, in quo vtraque concio habita est.

VI. *Ipsa eius concio. Iustitia Iudæ.*

CVM autem Rex Iuda existimaret magnam partem Israëlitarum ignorantia peccare, nec intelligere belli iustitiam penes Abiam esse, eos de re tota edocturus, & simul ad se allecturus, & res sine armis, si fieri posset, compositurus, sic ait. *Audi Ieroboam, & omnis Israel: Nam ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum Dauid super Israel in sempiternum, ipsi & filiis eius in pactum salis?* Hoc fundamento iustitia causæ Iudæorum, & iniustitia Israëlitarum continetur. Nam regnum Iuda, & domus Dauidis diuinitus constituta sunt, ad gubernãdum vniuersum populum Dei in perpetuum, fœdere inuiolabili; id enim significat pactum salis, vt notat Abulensis, Vatablus, & alii, quod sal arceat corruptionem. Quo pertinet illud. [a] *Omnes primitias sanctuarij dedi tibi, & filiis tuis iure perpetuo.* Id autem ius perpetuum explicans subdit. *Pactum salis est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.* Aut etiam significat pactum solenniter inter Deum initum, & vniuersum populum, adhibitis ceremoniis, & sacrificiis solennibus, in quibus sal perpetuo adhibebatur. Iuxta illud Leuitici [b]. *Quidquid obtuleris sacrificij sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui, de sacrificio tuo.*

*Pactum salis.*

a Nume. 18. 19.

b c. 2. 13.

VII. *Iniustitia Israëlitarum.*

REGNVM autem Israël fundamentũ habet perfidiam serui in Dominũ suum, cuius imprudentia & timiditate ad rebellionẽ sit abusus. Vnde subdit. *Surrexit Ieroboã filius Nabat seruus Salomonis filij Dauidis, & rebellauit contra Dominum suũ. Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, & filij Belial:* nouitatis videlicet amatores, & iugũ legitimæ subiectionis detrectantes, *& præualuerunt contra Roboam filiũ Salomonis. Porro Roboam erat rudis & corde pauido, nec potuit resistere eis.* Itaq. non tam diuinæ voluntatis id fuit, quam culpæ Roboami, cui & prudentia ad recte deliberandum, & generosus animus ad recte exequendum deliberata defuerunt. Sed pergit instituens antithesim diuini cultus, & profanæ superstitionis Ieroboami. Non admodum honorifice loquitur de patre filius, sed mauult nunc filius causæ seruire, quam patri. Id enim pertinet ad deiiciendos animos aduersariorum; suorum autem erigendos, vt sibi persuadeant ancipites adhuc, dubiasque pugnas ex defectu ducis prouenisse; eo mutato, victoriam, desertis plane rebellibus, ad eos, qui ea digni sunt, remigraturam.

VIII. *Antithesis religionis vtriusque regni.*

NVNC *ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet,* & administrat *per filios Dauid,* quasi vicarios suos. *Habetisque grandem populi multitudinem* octingentorum millium, *atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in deos.* Hoc primũ ac maximum est vestrum crimen; qui præpotentis Dei gloriam, non in angelum saltem, aut hominem, sed in bestiam, & quidem vita, & sensu destitutam transtulistis. Alterum crimen illi consentaneum, quod *eiecistis Sacerdotes Domini, filios Aaron,* atque Leuitas: *& fecistis vobis sacerdotes,* non ex diuina lege, sed arbitrio vestro, *sicut omnes populi terrarum. Quicumque venerit, & initiauerit manum suam,* id est obtulerit consecrationem suam, *in tauro de bobus, & in arietibus septem, fit sacerdos eorum, qui non sunt dij.* 1 Apparet hac ceremonia initiatos fuisse vitulorum sacerdotes. Lyranus tamen id ad pretium refert empti Sacerdotii. 1 ex

IX. *Altera eius pars.*

NOSTER *autem Dominus Deus est, quem non relinquimus; Sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, & Leuitæ sunt in ordine suo. Holocausta quoque afferunt Domino per singulos dies, mane, & vespere; & thymiama iuxta legis præcepta confectum, & proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, & lucerna eius, vt accendantur semper ad vesperam. Nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri; quem vos reliquistis. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, & Sacerdotes eius, qui clangunt tubis, & resonant contra vos.* Ergo ne Israëlitæ dicere possent, Ieroboamo quoque promissum esse diuinitus regnum, per Abiam Prophetam, etiam cum solenni ceremonia. Se autem ducem habere, non Roboamum quendam insipientem, sed veteranum Imperatorem. Probat eos victoriam, quæ diuini fauoris est, sperare non posse, vt qui non contra hominem, sed contra Deum ipsum arma sumpserint, cuius cultum pessumdederint, cuius Sacerdotes, & Leuitas sacrilegè abiecerint, denique pro Deo immortali atque inuisibili, vitulos sibi in deos fabricarint, & eis impuros sacrificulos initiarint. Quid est autem quod vnius tantum fit mentio candelabri, vniusque mensæ? An reliqua, à Salomone confecta, sublata fuerant? Id putarunt Lyranus, &

Torniellus, quod supra cum Tostato refutauimus. An ex antiqua loquendi consuetudine, numerus singularis pro plurali vsurpatur?

X. *Qualis hac Abia oratio.*

Cæterum hæc oratio pij omnino, ac religiosi principis esse videtur. Itaque cum legamus [a] eum ambulasse *in omnibus peccatis patris*, id est, sectatum esse idololatriam: dicendum est, aut eū hæc non syncere, & ex corde, sed dissimulanter, ac politice esse locutum, regni magis recuperandi cupiditate, quam veræ religionis amore: idque significari eo loco Regum, vbi dicitur, *nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.* Aut certè, quod non mihi minus videtur probabile, eum hoc regni initio pietatem ex animo coluisse, & cultum diuinum diligenter conseruasse, & adamasse, & idololatriam exterminare voluisse. Sed obtenta mox victoria, à matre sacrilega Maacha, & principibus, bene de se in bello meritis, delinitum, sese impietati miserè dedidisse.

a 3. Reg. 15. 3.

XI. *Victoria Abia.*

Concludit postremo. *Filii Israel nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit*; & rectè. Nam vt ait Iob. [b] *Sapiens corde est, & fortis robore, quis restitit ei*, nedum pugnauit contra eum, *& pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt, hi quos subuertit in furore suo.* Quod etiam hoc tempore contigit Israëlitis, quorum vim omnem, ac fraudem redegit in nihilum, vt sequens narrat historia. *Nam hac illo loquente, Ieroboam retro moliebatur insidias* [c]. Circumuenire cubiebat exercitum Abiæ, copiarum multitudine fretus, vt simul ante, & retro inuadente hoste, perturbati, confusique trucidarentur. Sequitur enim. *Cumque ex aduerso hostium staret ignorantem*, ac parum attendentem, *Iudam suo ambiebat exercitu. Respiciensque Iudas vidit instare bellum ex aduerso, & post tergum, & clamauit ad Dominum*, opem nimirum flagitando, atque adeo vota Domino nuncupando, vt præsentissimo periculo eriperetur, aurum scilicet, & argentum, & vasa in domum Domini; quæ tamen mox voti reus, siue negligentia, siue auaritia dominante, non reddidit; sed reddidit Asa filius eius; anno decimo quinto regni sui. [d]

b c. 9. 4.

c 2. Par. 13. 13.

d 3. Reg. 15. 15.

XII. *Terror fuga, cades Israëlitarū.*

Dum Rex Deo vota facit, *Sacerdotes tubis canere cœperunt*, vt olim milites Gedeonis in pugna Madianitica. *Omnesque viri Iuda vociferati sunt*, tum diuinum auxilium implorando, tum se mutuo ad prælium exhortando, facti diuinitus animosiores. *Et ecce illis clamantibus Deus perterruit* Ieroboam, *& omnem Israel, qui stabat ex aduerso Abia, & Iuda.* Ab illis videlicet terroris indicium fuga capta, datum est, tum ab iis, qui à tergo pugnaturi erant. Denique *fugerunt filij Israel Iudam, & tradidit eos Deus in manum eorum. Percussit ergo eos Abia, & populus eius plaga magna, & corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium; humiliatique sunt, ac vehementer debilitati filij Israel in tempore illo, & vevehementissime confortati sunt filij Iuda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.*

XIII. *Effecta victoriæ.*

Ostendit hæc quoque narratio pio, ac religioso erga Deum animo tam Regem, quam populum affectum fuisse hoc tempore. Deum autem ipsum, qui Ieroboamum iam in propria persona afflixerat, etiam in regno vehementer castigasse, quingentis millibus virorum fortium amissis. Nec id satis. *Persecutus est enim Abia fugientem Ieroboamum, & cepit ciuitates eius, Bethel, & filias eius.* Hæc Bethel dicitur ab Hebræis idolis spoliata per Regem Abiam, eorum tamen est mentio longè post [e], tempore Iehu: Verum hac de re mox iterum: pergit, *& Iesana cum filiabus suis, Ephron quoque, & filias eius. Ephron ipsa est Sichem.* ait Hieronymus in tradit. cap. 5. *Nec valuit vltra resistere* Ieroboam *in diebus Abia.* Et hoc modo vehementissimè confortati sunt filii Iuda, tribus vrbibus aucti, & plurimis earum pagis, Κώμας vocant Septuaginta. Iosephus ὑπαρχίας; & insuper hostili exercitu tanta clade affecto; *quanta*, inquit Iosephus, *in nullis vel Græcorum, vel Barbarorum inuenitur commentariis.* Ex quo refellitur Rufini versio, quæ pro quingentis millibus quinquaginta millia ponit.

e 4. Reg. 10. 29.

XIIII. *Cur Abias non recuperarit regnū integrum.*

Huius denique cladis haud leue indicium fuit, quod per duodecim annos arma quieuerunt, vt postea dicetur. Mirum est autem Abiam, qui vehementer cupiebat totum Ieroboami regnum sibi vendicare, victoria vtentem totum sibi regnum non subiecisse; præsertim si deinceps etiam præliis aliquot hostem fre-

git, vt significant illa verba. *Nec valuit vltra resistere Ieroboam.* Putatque sæpius inter vtrumque Regem pugnatum Tostatus [a]. Abiam autem à Deo prohibitum ne regnum Israël sibi vsurparet, ea iterata prohibitione, quam pridem per Semeiam Roboamo nunciarat. Quod non ad exiguam Abiæ laudem pertinet; reputantis apud se, id non fore vti victoria diuinitus accepta, sed abuti, si contra eius voluntatem, à quo illa profecta fuerat, vti auderent; simulque periculum adirent, ne Dominus eam inobedientiã, versa in contrarium victoria clade aliqua castigaret.

a q. 45. c. 13. 2. Par.

## SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI. 3077.

1. N. VIII. DECEPTVS est Abulensis dum legit, in tauro, & bobus, aitque vt fieret quis Sacerdos Ierobaomi, obtulisse taurum, & boues aliquot, rectiusque in Hebræo legi in tauro filio vaccæ. Nam in textu nostro duo esse incommoda, quod non ponantur determinati boues; quodque inutiliter ponatur differentia inter taurum, & boues, quæ nulla est. Verum eadem prorsus est sententia latinæ versionis, habentis *taurum de bobus*, quæ Hebraicæ: sicut, cum dicimus hœdum de capris, aut agnum de ouibus, sicque iacent illa incommoda.

## ANNVS MVNDI 3078. DILVVII 1422. QVINTÆ ÆTATIS 129. ABIÆ REGIS IVDA 2. IEROB. REG. ISRAEL 19. AZARIÆ PONT. 2. TEMPLI FVNDATI 56. TROIÆ EXCISÆ 207. PYRITIADIS 5. IMPERII ASSYRIORVM 1147.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 975.

NVM. I. *Vxores & filij Abiæ.*



CVM tam insignis victoria Abiæ, & Iudæorum animos tantum erexisset, quantum Ieroboami & Israëlitarum deiecerat: Existimauit Abias ad regni sui firmitatem stabiliendam pertinere, populum suum sibi affinitatibus variis copulare. Itaque [b] *confortato imperio suo accepit vxores quatuordecim, procreauitque viginti duos filios, & sexdecim filias.* Non est Scripturæ mens dicere, post hanc victoriam duntaxat, ductas esse tot vxores, sed ad eas, quas iam habebat, alias adiecisse, vt fierent omnes quatuordecim, & ex nouis vxoribus suscepisse alios liberos, vt fierent omnes triginta octo. Et ita sentit Caietanus, & Abulensis [c]; & merito, alioqui quomodo ex quatuordecim vxoribus, intra vnum, aut alterum annum tot liberos suscepisset?

b 2. Par. 13. 21.

c q. 49 in c. 13. 2. Par.

II. *Ieroboam cum suis afflictis in peccato perseuerans.*

PORRO Ieroboam, atque Israëlitæ illi subiecti, humiliati quidem sunt, viribusque debilitati, nec tamen propterea ad Deum conuersi. Prohibuerat Dominus Roboam, atque expeditum ad pugnam exercitum eius, contra ipsos pugnare, & omnes domum, sine cuiusquam damno remiserat; non destiterunt propterea cum vitulis suis insanire. Ergo ingratos inaudita clade affecit; nec tamen expauerunt vltricem punientis manum, sed cum principe suo obdurauerũt: quem Deus noua etiam sub hoc tempus clade, & tristissima futurorum malorum denunciatione percussit; sed ea non ad deserendam, sed ad confirmandam idololatriam, & ad inchoanda futuræ vitæ mala valuerunt. Nimirum peccator cum in profundum peccatorum venerit contemnit, ac de salute, propter eorum immensitatem, desperat. Qualis fuit causa Ieroboami, qui tot hominum millia in grauissimum omnium scelerum, & proxime quingenta millia bellatorum in exitium sempiternum præcipitarat.

III. *Mors filij*

QVOD autem ad morbum, mortemque filij Ieroboami attinet, satis con-

Ierob. quãdo cõtigerit

stat eam ad Ieroboami principia nõ pertinere. Nam cum Ahias illi regnum prædixit, trigesimo octauo Salomonis anno, in agro solus cum solo versabatur. Validæ itaque adhuc ætatis fuisse videtur, præsertim si etiam in Ægyptum fugit, vt quidam opinati sunt. At nunc, cum ad eum consulendum venit vxor Ieroboami, admodum grandæuus describitur, vt qui *videre non poterat, eo quod caligauerant oculi eius præ senectute* [a], quæ infirmitas facile septuagesimum quintum annum, vel vlteriorem indicat; quæ est Tostati coniectura. Iosephus certe ad finem ferme vitæ, & regni Ieroboami hanc historiam differt, sicut & Scriptura [b]. Nam cum exposuisset [c] Roboami mortem, sic scribit. *Et quoniam huius Regis exitum diximus, superest vt quis Ieroboami finis fuerit, consequenter subnectamus. Is nullum, neque modum, neque finem impietatis faciens, singulis diebus aras in excelsis lucis extruebat, & sacrificos his è vulgo assignabat. Hanc suam contumeliam, dignamque tanta impietate pœnam, non multo post Deus in caput ipsius, atque familiæ vertit.* Eadem est Tornielli, Adrichomij, & aliorum in hac temporis dispositione sententia.

a 3.Reg.14.4.
b 3.Reg 14 18.20.
c l.8.c.4.

IV. Ex Septuaginta.

NON dissimulabo tamen, quod in Septuaginta Sixti, & Aldi [d] legitur in hæc verba. *Et ægrotauit puerulus* (παιδάριον) *eius, ægritudine admodum vehementi, & abiit Ieroboam, vt sciscitaretur de puerulo, & dixit ad Ano vxorem suam, surge, vade, interroga Deum de puero, an victurus sit ex hac infirmitate. Et homo erat in Silo, cui nomen Achia, & hic erat filius sexaginta annorum, & verbum Domini cum ipso.* Hæc ibi. Forte significat sexagesimum egisse annum, cum per eum factum est verbum Domini ad Ieroboamum, cum scisso pallio. Nam in Scriptura vbi hæc referuntur, dicitur, *vade in Silo, vbi est Achias Propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc.* Et confirmatur eadem expositio, quia paulo post in eodem loco legitur, eum præ senectute oculis cæcutiuisse; At durum est, si ad idem tempus ista pertinere dixerimus, vt quis sexaginta annos natus dicatur, & oculis præ senectute caligasse. Iam ipsam historiam ex Scriptura petamus.

d 3.Reg.12.

V. Ierob. mittit vxorem ad Prophetam. Ano Obimes.

IN *tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam* [e], Septuaginta loco citato non nominant hunc puerum, sed nominant matrem eius Ano, Iosephus autẽ Obimem appellat puerum, voce, vt apparet, ex Abia deformata, & innominatam relinquit matrem, Scriptura Abiam eodem plane nomine, quo Regem Iuda, nominat. Dixitque Ieroboam vxori suæ, *surge, & commuta habitum, ne cognoscaris quod sis vxor Ieroboam;* Verebatur scilicet ne Propheta grata potius alioqui, quam vera narraturus esset, vt Dionysius, Hugo, & Vatabl. notarunt. Rectius Tostatus [f] ait prouidisse Ieroboamum, ne agnosceretur vxor, tam à Propheta, quam à populo. Ne enim eam populus agnosceret, famulari habitu adire voluit Prophetam; ne autem ipsemet Propheta, qui caligans oculis, eam neque ex cultu corporis, neque ex facie agnoscere poterat, voluit abire incomitatã; nam ex comitatu regio eam cognoscere potuisset. Imprudenter, inquies, celare volebat Prophetam, à quo responsum de filio suo accipere non poterat, nisi seipsa prodidisset. Imo vero poterat; neque enim necesse erat Prophetam nominatim doceri, quæ mulier eum rogaret, aut de quo filio. Satis quippe erat dicere mulierẽ, filium sibi ægrum decumbere, rescire autem velle à Domino, an recuperaturus esset sanitatem, necne. Propheta vero diuinitus edoctus responderet, aut moriturum, aut fore vt reualesceret, cæteris ignoratis. Sic enim Achimelech Sacerdos cõsuluit Dominum pro Dauid, prosperũne iter habiturus esset, nec ne, rem tamen ipsam in particulari ignorauit, nec Dauidis dissimulationem agnouit.

e 3.Reg.14
f q 2 34.& seqq in c. 14 3 reg.

Ignotam populo & propheta.

VI Cur agnosci nollet.

NOLEBAT autem agnosci vxorem suam à Propheta, ne illa propter mariti impietatem asperius obiurgaretur ab eo, aut fortasse eam is responso non dignaretur. Sic Elisæus in Ioramum [g] Achabi filium idolorum cultorem inuectus est, & cum consulentem se, ad prophetas patris, ac matris ipsius remisit. Maxime autem intererat nescire populum, consuli Dominum ab ipsomet Ieroboamo; id enim erat profiteri nihil esse cognitionis futurorum in vitulorum sacerdotibus, aut prophetis; & plane ad Deum, quem Iudæi colerent, eiusque prophetas recurrendum esse. Quod futurum erat populo non exiguum incitamentum ad Hierosolymam adeundam, & illud periculum subeundum, cuius vitan-

g 4.Reg.3.13

nec alium misit,

di gratia Ieroboamus vitulos fuerat fabricatus. Eademque cauſa fuit cur aliquẽ de amicis ſuis non mitteret; periculum enim erat, ne tacere non poſſet: Quamuis autem mulieres proniores ſint viris ad loquendum, maior tamen ſpes erat mulierem tacituram rem, quam eius intererat, non minus quam Ieroboami, vulgo ignorari. Denique ipſemet Rex prophetam non adiit, partim ne vulgo eius abſentia notaretur, partim ne ipſum Ahias, quamuis caligantibus oculis ex voce cognoſceret. *aut ipſemet adiit.*

VII. *Mittit cum muneribus* ET quoniam ad Prophetam ſine munere indice beneuolentiæ, & gratitudinis non adibant, vt patet ex primo Regum. [a] *Ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei?* Ideo Ieroboã non ignarus cõſuetudinis, munera parari iubet, ſed plebeia, & ruſticana, & quæ cũ veſtitu congruerent, panes, placentas, vas mellis, Septua. citati addunt aliquid. *Afferes*, inquiunt, *viro Dei panes, & placentas filiis eius, & vuas, & amphoram mellis.* Et paulo poſt, ingrediente in vrbem muliere, aiunt Prophetam dixiſſe famulo ſuo; *Agedum, vade in occurſum Ano vxoris Hieroboam, & dices ei ingredere, & ne ſteteris, quoniam hæc dicit Dominus, dura tibi ego prænuncio, & ingreſſa eſt Ano ad hominem Dei, & dixit ei Achia. Vt quid attuliſti ad me panes, & vuam, & placentas, & vas mellis? Hæc dicit Dominus. Ecce tu abibis à me, & ingrediente te vrbem Sarira* (ſic vocat vrbem, quam incolebat Ieroboam) *puellæ tuæ venient tibi obuiam, & dicent tibi, mortuus eſt puer*, &c. quæ etiam habentur apud Luciferum Calar. lib. de Reg. apoſt. vbi etiam vxorem Ieroboam vocat Annam. nomine fortaſſe ex Ano per imprudentiam inflexo, niſi malis è contrario Ano ex Anna deductum. *a 1. Reg. 9. 7*

VIII. *Adit prophetam Ahiam, & cur.* PARVIT marito mulier, *& conſurgens abiit in Silo, & venit in domum Ahiæ.* Celebris erat locus Silo, & honoratus ob antiquam in eo, & diutinam arcæ commorationem, quem etiam hic Propheta ſua vel habitatione, vel natiuitate decorauit. Fuit in tribu Ephraim, vt ait D. Hieronymus in locis Hebraicis. Hunc autem præ cæteris ſibi conſulendum putauit, quem expertus erat in ſua cauſa plane veridicum, & optatiſſimum vaticinium prænuntiantem. Non poterat quidem ſenex mulierem, vt dixi, agnoſcere. Deus nihilominus irritum fecit deſiderium, & conatum Ieroboami, quandoquidem reuelauit Dominus auriculam Prophetæ, & ne qua ſuſpicio in oraculo foret, etiam abſentem compellauit, & vltro interrogationem anteuertit: & obiurgationem, quam illa vitare conabatur, in faciem eius effudit. Dixit enim Dominus ad Ahiam. *Ecce vxor Ieroboam ingreditur, vt conſulat te ſuper filio ſuo, qui ægrotat; hæc, & hæc loqueris ei.* Impreſſitque ſimul eius menti ea verba quæ mox protulit.

IX. *Vaticiniũ Ahiæ contra Ieroboã* CVM ergo illa intraret, [b] *& diſſimularet ſe eſſe quæ erat, audiuit Ahias ſonitum pedum eius introeuntis per oſtium, & ait: Ingredere vxor Ieroboam. quare aliã te eſſe ſimulas? Ego autem miſſus ſum ad te durus nuncius, vade, & dic Ieroboam: hæc dicit Dominus Deus Iſraël: quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſraël: & ſcidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo: ſed operatus es mala, ſuper omnes qui fuerunt ante te, & feciſti tibi deos alienos, & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proieciſti poſt corpus tuum: idcirco ecce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem, & clauſum, & nouiſſimum in Iſraël: & mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet fimus vſque ad purum. Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cæli: quia Dominus locutus eſt.* *b 3. Reg. 14. 6.*

X. *Et nominatim de eius filio.* TV *igitur ſurge, & vade in domum tuam: & in ipſo introitu pedum tuorum in vrbem, morietur puer, & planget eum omnis Iſraël, & ſepeliet. Iſte enim ſolus inferetur de Ieroboã in ſepulchrum, quia inuentus eſt ſuper eo ſermo bonus à Domino Deo Iſraël, in domo Ieroboam. Conſtituit autem ſibi Dominus regem ſuper Iſraël, qui percutiet domum Ieroboam in hac die, & in hoc tẽpore: & percutiet Dominus Deus Iſraël, ſicut moueri ſolet arundo in aqua: & euellet Iſraël de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen: quia fecerunt ſibi lucos, vt irritarent Dominum. Et tradet Dominus Iſraël propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Iſraël.*

XI. *Explicatur* PERSPICVA eſt tota oratio habens exprobrationem accepti beneficij, quod cum Deus maximam regni partem, de domo ſerui ſui Dauidis ſublatam, illi cõtuliſſet, ipſe tantum beneficium in contumeliam, ſummamque iniuriam bene-

factoris conuerterit. Illud autem prodigij inſtar habet, quod ait Dominus, eum operatum eſſe malum ſuper omnes qui fuerunt ante ipſum: qua in comparatione latius excurrit Abulenſis. Dico breuiter, videri quidem Dominum inſtituere comparationem cum Regibus, qui in Hebræo populo regnarunt; eam tamen latius cum veritate diffundi poſſe. Peior fuit Saule, atque Dauide, quorum omnia peccata longo interuallo ab Idololatria ſuperantur, quæ fere cætera omnia comprehendit, & quod caput eſt, capitalem præpotentis Dei hoſtem eius in ſolio collocat, ac cum ſumma illius iniuria adorat, & colit. Peior Salomone idola colente, qui nihilominus Deum interea non plane deſeruit, vt Ieroboam, ſed Dei cultum & ipſe retinuit, ac frequentauit, & populo non ſolum permiſit, ſed etiam in eodem cultu præiuit exemplo. *Achabi cõparatio cũ aliis improbis.*

XII. *Quanta Ieroboami malitia.*

IEROBOAM vero Idololatriam, deſerto plane Deo, in regno ſuo ſtabiliuit; turpiſſimis idolis diuinum honorem attribuit, eis templa erexit, cultum, ac ceremonias, diéſque feſtos aſſignauit, ſacrificulos creauit, quorum ſeipſum Pontificem eſſe voluit; populo ſuo Dei cultum interdixit, eique perpetuum ſcandalum factus eſt, & æterna cauſa peccandi; quod Scriptura in perpetuam eius condemnationem, non minus frequenter, quam dolenter inculcat. In eo quippe malo, non ſolum ſuperiores omnes Reges, ſed eos etiam, qui deinceps in alterutro regno ſe impiè geſſerunt, ſuperauit; qui tritam iam viam, ſecuti ſunt dæmonum colendorum, in qua Ieroboam prima poſuit veſtigia princeps: nec populum ad impietatem leguntur compuliſſe, vt perditiſſimus Ieroboam. Cuius etiam improbitas ſuperauit antiquos Ethnicorum principes, eo quod illi magna ex parte ignorantia peccarunt: quæ iſti apoſtatæ tribui non poteſt, qui tot annos in populo Dei vixerat, & legem eius didicerat, ac ceremonias frequentarat: imo maximo omnium beneficio, ex hominum opinione affectus fuerat.

XIII. *Quanta eiuſdem pœna.*

ERGO Dominus in tanti facinoris pœnam, prætermiſſa ſilentio maxima illa æternæ damnationis pœna, quæ illi intoleratiſſimæ malitiæ ex æquo reſpondeat, prænunciat totam Ieroboami familiam funditus diſperdendam, omnéſq; à primo ad vltimum ignominioſa morte conſumendos, adeo vt ne canis quidem ſuperſit, qui vrinam in parietem eiiciat, excepto eo ſolo puero, pro quo ipſa virum Dei conſultura venerat, vt cui ſoli de tota familia, & ſtirpe, Deo viſum fuerat ignoſcere; id enim ſignificat *ſermo bonus ſuper eo à Domino.* Non enim bonitatem pueri ſignificat, ſed miſericordiam Dei in illum, pro bono ſepulturæ, quo cæteri cariturі erant. Nec mens eſt Scripturæ dicere, eum ſolum in familia Ieroboami bonum extitiſſe; licet id dicat Ioſephus, & alii poſt eum. Quanquam non negauerim in eam etiam ſententiam trahi poſſe Septuaginta, & Chaldæum. Ideoque Lyranus refert Rabbi Salomonem dicentem, hunc filium Ieroboami aperuiſſe aditum euntibus Hieroſolymam ad ſacrificandum, quem pater obſtruxerat. Sed id refellunt Septuaginta, qui eum non ἄνδρα, ſed παιδίον, & παιδάριον vocant, id eſt, puſionem, & puerulum, aut etiam infantem. *Qualis filius Ieroboami.*

XIV. *A quo, & quomodo inferenda pœna.*

TERTIO denunciat per quem ea vltio, in genus inuiſum inferenda ſit, per vnum ſcilicet de ſucceſſoribus eius regibus. Is fuit Baaſa, cui fauit Dominus vt Rex fieret, eique populum conciliauit, vt Dei vindictam in Ieroboamum exerceret. Et ne ſe Ieroboam longinquitate inferendæ vltionis conſoletur, addit tam promptam fore, vt etiam qui hac ipſa die, & hoc tempore in viuis eſſent, in eam ipſimet calamitatem venturi eſſent, vt explicat Caietanus. Nam mortuo hoc puero, & ſepulto, breui quoque mortuus eſt Ieroboam; cui ſucceſſit Nadab biennio, quo à Baaſa occiſo, tota familia Ieroboami eadem opera exciſa eſt, & eorum cadauera volucribus cœli obiecta ſunt, & beſtiis terræ. Forte etiam, vt ait Abulenſis,[a] hoc ipſo die, quo Propheta vaticinatus eſt contra Ieroboamum, cœpit Baaſæ coniuratio aduerſus ipſum, quæ tamen in rem deduci non potuit, ante aliquot annos. Quarto quoniam populus ſe regis impietati facilem præbuerat, & obſequentem, prædicit propheta fore, vt captiui in Aſſyrios transferrentur; vbi diu, multúmque in patria ſua, quaſi arundo in aqua, inteſtinis ſeditionibus, & bellis agitati fuiſſent.

a q. 16. in c. 14. 3 Reg.

XV. *Mors filij Ieroboami.*

SVRREXIT *itaque vxor Ieroboam, & abijt:*[b] territa nimirum tam horrifico vaticinio, nihil habuit quod reſponderet, quanquam ne à principio quidem

b 3 reg. 14. 17.

permissa est quidquam effari, vt tanto magis Dei in Ieroboamum ira pandere-tur, [a] *& venit in Thersa*. Septuaginta vocant Sariram. *Cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est; & sepelierunt eum, & planxit eum omnis Israel, iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu serui sui Abiæ prophetæ.* His autem addit Lucifer Calar. libro de Regib. apost. alloquens Constantium Imperatorem Arianum. *Non est nouum*, inquit, *si tu in hac pertinacia persistas, cum cognoscas istum Ieroboam his omnibus non deterritum minis. Statim enim, vt fuerat dictum ab homine Dei, & ingressa est mulier ciuitatem, filius eorum mortuus est. Et tamen non conspexit Ieroboam quid et Dominus, propterea quod eum dereliquisset, & populum secum perire fecisset, fuisset repræsentaturus. Nec timuit ex morte filij sui, quod & cætera illum possent subsequi, sed in sua senuit versutia, & vt semel statuerat, diabolo seruire maluit.* Iosephus [b] quoque ait Ieroboamum, nihil his commotum fuisse; scilicet ad resipiscendum, alioqui enim lapidem esse oportuit: sed nihilominus magnos contra Roboamum, eiusque filium habuisse delectus.

a Vid. Abul. q. 22. in c. 14. 3. reg.

b l. 8. c. 5.



## ANNVS MVNDI 3079. DILVVII 1423. QVINTÆ ÆTATIS 140. TEMPLI FVNDATI 57. ABIÆ 3. ET VLT. ASÆ INITIVM. IEROBOAMI 20. AZARIÆ PONTIFICIS 3. TROIÆ EXCISÆ 208. PYRITIADIS 8. IMPERII ASSYRIORVM 1148.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 974.

I. *Ratio temporis.*



TERTIVS regni Abiæ annus integer nō fuit, nec Asæ primus, qui tamen pro integris numerantur, dum priori tres anni, posteriori autem vnus & quadraginta assignantur. Et nihilominus necesse est tertium Abiæ, & primum Asæ in vnum eundémque concurrere: alioqui vigesimus Ieroboami non incidet in primum Asæ, quod affirmat Scriptura, [c] sed in secundum; nimirum vigesimus Ieroboami erat in exitu, cum cœpit primus Asæ. Itaque totus fere vigesimus primus Ieroboami concurrit cum primo Asæ, & illius vigesimus secundus cum secundo Asæ. Sicque primus Asæ respondet ex parte vigesimo, & vigesimo primo Ieroboami; & secundus Asæ vigesimo primo, & vigesimo secundo Ieroboami. Itaque ad vitandam confusionem hunc annum non primum Asæ, sed initium Asæ dicemus. Fallitur autem Gelenius cum ait [d] defunctum Abiam exacto tertio principatus sui anno. Iosephus habet tantum eum tribus annis regnasse, iuxta Scripturæ phrasim, quomodo etiam vertit Rufinus. Illud autem non est interpretis erratum, sed authoris proprium, quod dicat exiguo tempore post victoriam de Israëlitis relatam esse defunctum; cum tamen, vel ipsomet teste, constet statim initio regni Abiæ bellum illud fuisse gestum. Sed dicamus licet eum triennij tempus, exiguum tempus appellasse.

c 3. Reg. 15. 9.

d l. 8. c. 5.

II. *Mors Abiæ.* DE morte Abiæ aperta est illa Scripturæ vox. [e] *Et dormiuit Abiam cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid.* Quæ alibi repetuntur. [f] De eius funere nihil aliud habet Scriptura. Iosephus autem. [g] *Defunctus est*, inquit, *non multo post victoriam, tertio principatus sui anno, sepultúsque est Hierosolymis in maiorum suorum conditoriis, relictis filiis viginti duobus, & filiabus sexdecim. Is liberorum numerus ex quatuordecim mulieribus ei susceptus est.* Sic ipse. Vtrum autem in istis esset Asa non liquet. Ab eo porro paternum funus magnifice curatum, quando de contrario non constat, probabiliter æstimari potest. Cum autem dormitionis vocabulum mortem naturalem, miniméque violentam significare soleat, rem tamen dubiam reddere videtur obscurior locus ex 2. Paral. quoniam ambiguus. [h] *Nec valuit vltra*, inquit, *resistere Ieroboam in diebus Abiæ; quem percussit Dominus, & mortuus est.* Dubium enim est, non minus in Latino textu, quam in Hebræo, & Græco, ad

e 3. Reg. 15. 8.

f 2. Paral. 14. 1.

g l. 8. c. 5.

h 2. Paral. 13. 20.

Ieroboamne, an ad Abiam hæc percussio referatur. Nec noua est ista dubitatio. Nam in maiore Hebræorum Chronologia [a] proponitur, eique ita satisfacit. *De Abia*, inquit, *est accipiendum, vt quem Ieroboam sepelierit. Verum cur Deus non percussit Ieroboam, sed Abiam? Quoniam subsistens ad montem Samariæ, qui erat in Ephraim, exprobrans Israeli, dicénsque, Habetis vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in Deos; sat habuit capere Bethel, filiasque eius; vnde quoniam conspectum vitulum aureum missum fecit, nec sustulit, vel fregit, ideo à Domino percussus est.* Idem sentire videtur Dionysius, & Lyranus; Hugo, & Iosephus.

a c.16. — An percussus a Deo.

VERVM melius alij, in quibus Abulensis [b] in eum locum. (Quamquam in 3. Reg. [c] priorem expositionem obiter secutus est.) Hanc percussionem de Ieroboamo accipiunt; vt ibid. notauit Genebr. & recte; nam perspicuum est particulam, *quem*, referre præcipuum in ea sententia antecedens, quod est Ieroboam, de Abia enim obiter agitur, & idem est ac si dixisset. Nec valuit vltra resistere Ieroboam aliquo tempore, eúmque percussit Dominus, & mortuus est. Et licet de morte Ieroboami nondum tempus esset agere, tamen ex occasione fracti exercitus eius, & amissarum vrbium, quæ præuiæ fuerunt mortis eius, etiam mortem obiter Scriptura per anticipationem attigit. Confirmatur ea expositio, quia antequam traderet Abiæ mortem, habebat adhuc historicus sacer quod scriberet de confortato eius imperio. Denique frustra mortem eius paulo post repeteret. Versio Vatabli ambiguitatem sustulit, aduersatiua particula. Percussit eum Dominus & mortuus est: Abias autem corroboratus est. Eadémque est sine dubio mens Septuaginta.


b q.48 in c. 13 2. Paral. c 15. q. 9. — III. Non videri, sed potius Ieroboamum.

MORTVVS est nihilominus hoc anno tertio inchoato Abias, & mortuus morte infœlici. *Ambulauit enim*, vt dicit Scriptura, [d] *in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris sui.* Diuiserat quippe cor suum Abias, & partem quidem dabat Deo vero, cuius cultum prædicabat apud Israëlitas; neque enim coram tot testibus mentiebatur, partem autem Idolis, sicut pater eius, & auus. Nec enim Salomon, aut Roboam in stultitia sua vnquam Dei templum clauserunt; sed ambo modo Deum, modo idola coluerunt, Salomon quidem maxima regni parte, Roboam priore triennio Deum coluit; sic & Abia cum bene cœpisset, cuius rei causa concessa est illi victoria mirabilis, mox elatus victoria ad idola, patris exemplum secutus, declinauit, vt ait Abulensis, [e] vt non mirum sit omnem Idolorum infamiam ab eo in posteros fuisse transfusam. Deus autem, cui cor totum debebatur, iuxta præceptum, *diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo*; parte vna minime contentus, totum deseruit, atque abiecit. Vide quæ primo eius anno diximus.

d 3. Reg. 15. 3. — IV. Qualis Abiæ vita. — e q. 2. in c. 15. 3. Reg.

ABIA defuncto ei in regno Iuda suffectus est Asa; filius eius ex Maacha filia Abessalom: sic enim legimus in tertio Regum. [f] *Nomen matris eius Maacha filia Abessalom.* Quomodo potuit eadem mulier mater esse Abiam, [g] & mater Asa filij Abiæ? Num Abias matrem duxit in vxorem? Omnino dicendum est cum Sa, Serario, & Vatablo, matrem pro auia posteriore loco sumi, sicut & pater pro auo sæpe dicitur. Abulensis ait diuersas fuisse mulieres, diuersósq; patres, qui tamen nominibus conuenirent, vt sæpe contingit. Quod autem Asa rectum fecisse dicitur ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius, in genere dicitur de tota eius vita, maximéque principio. Verum hoc eius primo regni tempore nihil admodum suscepisse certaminis contra idololatriam credibile est; itaque res in proximum annum differenda. De Ieroboamo autem nihil noui, fractus animo, viribúsque regni, impietatis tenax ad mortem, ad tribunal diuinum properabat, immensorum peccatorum reus.

f 3. Reg. 15. 10. g 3. Reg. 15. 2. — V. Initium regni Asa, & quæ eius mater.



ANNVS MVNDI 3080. DILVVII 1424. QVINTÆ ÆTATIS 141. TEMPLI FVNDATI 58. ASÆ REGIS IVDÆ 1. IEROBOAMI 21. AZARIÆ PONTIFICIS 4. TROIÆ DELETÆ 209. PYRITIADIS 7. IMPERII ASSYRIORVM 1149.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 973.



I. *Ratio temporis.* INTELLECTVM est iam ex anno præcedente [a] qui fieri possit vt hic annus sit Asæ primus, & Ieroboami vigesimus primus: quamuis in scriptura sacra ita scriptum legamus. [b] *In anno ergo vigesimo Ieroboam Regis Israel regnauit Asa Rex Iuda.* Nimirum Asæ primus attingit vigesimum Ieroboami, & totum fere eius vigesimum primum dimetitur. Ex quo fiet, vt anno secundo Asæ moriatur Ieroboam anno regni sui vigesimo secundo inchoato; eodémq; ipso Nadab filius eius regno paterno succedat: vt dicetur anno sequenti. [a Num. 1.] [b 3. Reg. 15. 9.]

II. *Asa primogenitus.* VIDETVR porro Asa in duobus & viginti fratribus fuisse primogenitus, & in successione regni, seruatam fuisse communem omnium nationum consuetudinem, apud quas ius hæreditariæ successionis merito illi competit, quem primum parenti natura substituit, vt eum omnibus in rebus, quantum fieri potest, repræsentet, iuxta illud sapientis. [c] *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se.* Qui autem deinceps generantur, & oriuntur in lucem, pene ex accidente nascuntur, in omnem euentum, si forte primogenitus deficeret. Ex silentio autem Scripturæ Asæ primogenitura colligitur. Solet enim declarare filiorum ordinem, quando alius à primo succedit in regnum, vt in Dauide, Salomone, Abia adhuc factum videmus. [c Eccli. 30. 4.]

III. *Idemque religiosus, ac pius.* CÆTERVM postquam Asa regni gubernacula suscepit, copiosam inuenit materiam, circa quam zelus diuini honoris efferuesceret, parentis, auique aut negligentia, aut improbitate collectam. Ergo illi animo, ac mente corrupti primum à pietate, ac Dei cultu alieni facti sunt; deinde cultum idolorũ vel permiserunt, vel vltro ipsimet secuti sunt, ac promouerunt, & scandalo populis suis ad ruinam fuerunt. Asa vero vice versa, Domino miserante, pius eius cultor fuit, & Dauidem imitatus est. *Fecit enim Asa,* inquit Scriptura, [d] *quod bonum, & placitum erat in conspectu Dei sui, sicut Dauid pater eius,* id est abauus. Deinde *subuertit altaria peregrini cultus,* [e] alieni videlicet à diuina lege, eiusque præscripto, *& excelsa,* in quibus illa excitata fuerant. Nam quod in Scriptura dicitur [f] excelsa non abstulisse, de illis excelsis intelligitur, in quibus verus quidem Deus, sed alieno loco colebatur. *Confregit quoque statuas, lucosque succidit,* ne loci amœnitas male-sanum populum ad priorem nequitiam pelliceret. [d 3. Reg. 15. 11.] [e 2. Paral. 14. 2.] [f 3. Reg. c. 15. v. 14.]

IV. *Zelator aduersus idololatriam.* EXTAT & aliud zeli Asæ, probitatisque monimentum. Nam, vt in 3. Reg. dicitur, [g] *Abstulit effœminatos de terra,* extremo nimirum, meritissimóque supplicio affecit. Id enim valet ea phrasis: vt cum Dauid interfici iussit Banaa, & Rechab sicarios, *quanto magis,* inquit, *auferam vos de terra?* Et habebat ob oculos illustre diuinæ seueritatis exemplum, qui ne vrbes quidem, ipsámque regionem, quæ istiusmodi hominum portenta, Dei, ac naturæ dedecora emiserant in lucem, eduxerant, fouerant, sustentarant, in terra esse passus est, sed plane disturbauit, pessumdedit, ac dira deflagratione deleuit. Ergo & Asa hæc fana, imo lustra, ac latibula ferarum, in humana specie, dissipauit, & Priapi specum, execratæ nequitiæ ganeam, subuertit. [h] *Purgauitque vniuersas sordes idolorum,* siue stercutios Deos: regnum suum purgauit, sordibus idololatriæ profligatis, quas Salomon, Roboam, Abia, vel inuexerant, vel retinuerant. [g 3. Reg. 15. 12. 13.] [h 2. Reg. 4. 11.] *Serar.*

V. *Aqua matrem abducit.* INSVPER *& Maacha matrem suam,* qua in primis nitebatur fœdissima, ac probrosissima superstitio, *amouit ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem*

*consecrauerat*, ne publici pudoris appetens, domesticam dissimularet infamiam, *subuertitque specum eius, & confregit simulachrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.*[a] At in 2. Paral. [b] *Sed & Maacham matrem Regis Asa ex augusto, deposuit imperio*, id est, *sacerdotio*, vt est in traditione Hebræa, Septuaginta *ministerio*; Hebræus textus, & Latinus significant eam redactam fuisse in ordinem, & tanquam infamem dignitate omni priuatam. Pergit. *Eo quod fecisset in luco simulachrum Priapi, quod omne contriuit, & in frusta comminuens combussit in torrente Cedron.* Addunt Hebræi miraculum è suo cerebro. [c] Aiunt enim comminuisse istud, & clam voluisse proiicere; quod Dominus vt patefaceret, *in torrente Cedron ex aqua ignis processit.* Sic ipsi. At cum Scriptura dicat Regem comminuisse, & combussisse phallum istum in torrente Cedron, apparet rem publice ad maiorem idololatrarum confusionem, & ignominiam patratam fuisse.

a Ita in 3. Reg. 15. 13.
b 15. 16.
c In tradit.

NEQVE his contentus Asa, vt ea corrigeret quæ patres eius deprauauerant, *præcepit Iudæ vt quæreret Dominum Deum patrum suorum, & faceret legem, & vniuersa mandata*, omni superstitione idolorum repudiata. Et nimirum, iuxta Dauidis præceptum, declinaret à malo, & faceret bonum. Fauit Dominus sanctis hisce Regis Asæ conatibus, eique pacem totis decem annis largitus est, cum tempore Roboami, & Abiæ perpetuo contra Ieroboamum belligeratum fuisset: [d] qui nunc in lucro ponebat vt eum Asa quiescere pateretur. Externi autem principes hoc toto decennio quieuerunt; *Domino*, vt ait Scriptura, [e] *pacem largiente*: & Asa ipse profitetur apud populum suum, sibi à bellis quieta esse omnia, *eo quod*, inquit, *quæsiuimus Dominum Deum patrum nostrorum.* Hic ergo fructus religiosæ pietatis; sed & occasio, & quasi causa concomitans; nisi enim pace potitus esset, bellicis distractus occupationibus, tam pio operi vacare nequiuisset.

d 3. Reg. 14. 30. c. 15. 6.
e 2. Paral. 15. 20.

FAVIT & alia occasio pij Regis instituto. Incidit enim in hunc primum eius annum sabbaticus annus, quem religio sit dubitare religiosissime fuisse seruatum; eóque facto populi gratiam, tenuiorum præsertim, sibi vehementer conciliasse. Est autem hic annus Sabbaticus ordine septuagesimus primus. Huc quoque videtur pertinere religiosa illa voti persolutio, cuius Scriptura meminit. [f] *Intulit enim ea, quæ sanctificauerat Abias pater suus, & vouerat in domum Domini, argentum, & aurum, & vasa.* Et recte quidem ac religiose; existimauit enim paternum æs alienum, Deo præsertim debitum, ac dicatum, ad se non pertinere. Isti autem operi iustitiæ, adiecit & ipse propriam liberalitatem. Vouit enim Domino diuersa donaria, quæ & cumulate persoluit. Sic enim legimus. [g] *Eaque quæ vouerat pater suus*; nimirum in magno illo rerum suarum discrimine, cum pugnauit contra Ieroboamum, vt ait Abulensis, [h] *& ipse intulit in domum Domini argentum, & aurum, vasorumque diuersam supellectilem.* Distinctius paulo in Hebræo. Intulit præterea ea, quæ pater suus consecrauerat, & quæ ipse consecrauerat in domum Dei. Non apparet autem cur hæc pia opera vltrà hunc annum differre debeamus, in quo omnia feruebant zelo gloriæ Dei.

f 3. Reg. 15. 15.
g 2. Paral. 15. 18.
h 3 Reg. c. 15. q. 17. in fin.

ANNVS MVNDI 3081. DILVVII 1425. ASÆ REGIS IVDA 2. IEROBOAMI REGIS ISRAEL 22. ET VLT. NADAB 1. QVINTÆ ÆTATIS 142. TEMPLI 59. AZARIÆ PONT. 5. TROIÆ DELETÆ 210. PYRITIADIS 8. IMPERII ASSYRIORVM 1150.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 972.

I. *Ratio temporu.*



SECVNDVS annus Asæ ipsum tenuit in exterminanda idolorum superstitione de regno suo, vtilissime, gloriosissiméque occupatum; magnum quippe iam erat malum, ac latè patens, & firma radice nixum: cum Ieroboamo à regno, atque à viuis abeundum fuit. Est enim hic vigesimus secundus annus, & vltimus, quem certo constat non integrum regnasse. Alioqui falsum videretur illud. *Nadab vero filius Ieroboam regnauit super Israel, anno secundo Asa Regis Iuda.* [a] Necesse ergo est vltimi anni Ieroboami partem, primo anno regni filij eius attribui. Aut si placet integrum esse, dicendum erit patrem mœrore, & senio extabescentem, filium suum Nadab in regni partem sibi postremo anno suo assumpsisse; vt filio iam, viuente patre, in regnum assumpto, minus turbarum in regno, Ieroboamo moriente contingeret. [a 3. Reg. 15. 25.]

II. *Moritur Ieroboam à Deo percussus.* HIC ergo annus est vltimus Ieroboami, *quem Dominus percussit, & mortuus est,* [b] morte vt videtur violenta, atque subita, immisso dæmone aliquo, vel angelo percussore. Hunc enim locum de Ieroboamo intelligendum esse iam superius ostensum est, [c] & æquum fuit insigni ad exemplum morte tolli eum, qui insignis ad summam impietatem fuit. Quin etiam oportet eum feris, volucribúsque discerptum sepultura caruisse, propter illud Ahiæ vaticinium, quod eius caput maxime omnium petebat. *Qui mortui fuerint ex Ieroboam in ciuitate comedent eos canes. Qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli; quia Dominus locutus est.* Si ergo tota Ieroboami familia huic pœnæ obnoxia fuit, quanto magis hoc fulmen in Ieroboamum immissum est, qui causa vna, ac summa fuit, vt eodem cæteri percellerentur. *Verisimile ergo est,* ait Abulensis, [d] *quod ipse, qui omnia hæc meruerat, partem huius pœnæ reciperet, vt scilicet inferret illi Deus aliquod genus mortis acerrimæ, quamuis id Scriptura non exprimat, & grauem aliquam plagam, qua affectus moreretur. Et quia non fuit naturalis illa mors, sed ira cœlestis intulit eam, dicitur Deus percussisse Ieroboam.* Sic ipse. [b 2. Paral. 13. 20.] [c An. Abiæ 3. n. 2. & 3.] [d q. 48 in c. 13. 2. Paral.]

III. *Posteritati execratus.* MERITO percussus à Deo Ieroboam infœlicem animã euomuit. Si enim id de Onam merito credimus, quem *percussit Dominus,* [e] *quod rem detestabilem faceret.* Her quoque primogenitus Iudæ, à Domino occisus est, eo quod esset nequam in conspectu Domini. Quanto rem detestabiliorem inuexit Ieroboam, frequentauit, stabiliuit, in regno sibi diuinitus concesso, in certissimam infinitarum animarum ruinam? Quanto iste nequior in conspectu Domini, qui impurissimas Ægyptiorum abominationes, quasi idololatriæ auctarium introduxit. Ergo eum Scriptura semper deinceps, quasi nequissimum, maximéque detestabilem, & quasi petram scandali ducentos ipsos, & amplius annos execratur, & nos scelestissimis hæresiarchis, atque schismaticis nouæ legis aggregare possumus, Ariis, Donatis, Nestoriis, Mahumetis, Lutheris, & Caluinis; aut si regibus placet, Iulianis, Leonibus Isauricis, & Copronymis, Othomanis, Henrico octauo Anglicani schismatis, & hæreseon fonti, & capiti; quorum nomini, & memoriæ in generatione & generationem maledicetur. [e Genes. 38. 10.]

IV. *Regnum Nadab filij Ieroboam.* EI successit Nadab, mali corui malum ouum. De eo quippe legimus. [f] *Nadab vero filius Ieroboam regnauit super Israel, anno secundo Asa regis Iuda, regnauitque super Israel duobus annis; & fecit quod malum est in conspectu* Domini, *& ambulauit in viis* [f 3. Reg. 15. 25.]

*patris sui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel.* Quæ Iosephus quoque confirmat, cum eum vocat paternæ malitiæ, & impietatis æmulum: nimirum ipse quoque prohibuit, ne subditi sui Hierosolyma se conferrent, sacrificiorum causa, idipsum veritus quod pater eius. Nihilominus non defuere, qui eius tempore ad Regem Asa commigrarent, vt infra suo loco dicetur.[a]

a 2. Paral. 15. 9.

ERGO quieto tempore, diuinóque auxilio bene vsus Rex Asa, animum adiecit ad cultum idolorum exterminandum in regno suo, eodémque bene propitio, tam nobile facinus gloriose confecit. Quo in opere suscipiendo, minime dubitandum videtur quin Prophetarum, qui tum vigebant, Addonis, Semeiæ, &c. & Sacerdotum, atque Leuitarum, ipsiusque in primis Azariæ Pontificis exhortationibus, & apud Deum sacrificiis, & precibus adiutus sit: quamuis ea de re nihil scriptum appareat. Cæterum quod Iosephus primis decem annis regni Asæ Israëlitarum regionem pace potitam dicit, id de regno tantum Iudæ accipiendum est. Nam quod hoc tempore regnum Israëlitarum dicebatur, vix duobus, aut ad summum tribus annis quietum fuit; tantumque à pace res abfuerunt, vt inuadente regnum tyranno, Rex ipse trucidatus sit, totaque eius familia deleta.



## ANNVS MVNDI 3082. DILVVII 1426. QVINTÆ ÆTATIS 143. TEMPLI 60. ASÆ REGIS IVDA 3. NADABI REGIS ISRAEL 2. ET VLT. BAASÆ 1. AZARIÆ PONTIF. 6. TROIÆ EXCISÆ 211. PYRITIADIS 9. IMPERII ASSYRIORVM 1151.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 971.



DVOBVS circiter annis in idololatriæ extirpatione collocatis, adiecit animum Asa ad ciuitates regni sui, quas aut temporis longinquitas debilitauerat, aut bellicus furor quassauerat, restaurare, atque communire. Neque enim ciuitates nouas condidit, sed iam conditas reparauit: quod illa Regis ad optimates suos verba significant. *Aedificemus ciuitates istas*; erant enim oppida quæ ostendebantur; sed industriam boni principis, & quietis temporibus ad turbulenta prouidam cogitationem conuertentis, requirebant. Neque par erat Deo cui seruiretur confidentes, humanam negligere rerum suarum curam, atque prouidentiam: neque apparet tempus vllum, quamuis diuturni imperij, in quod commodius has vrbium restaurationes conferamus: nisi velimus Regem otio, & pace, quam Deus dederat, per ignauiam abusum esse, nec attendisse ad hostem, qui erat in ianuis; præter alienigenas populos vndique circumfusos.

b 2. Paral. 14. 6.

ÆDIFICAVIT[b] ergo Asa *vrbes munitas in Iuda*, reddidit videlicet munitas, *quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella surrexerant.* Quod de decennio tantum accipiendum est, iuxta illud quod paulo ante dictum fuerat. *In eius diebus quieuit terra annis decem.* Ergo præter solitum cessatum est ab armis, pacem Domino largiente. Dixit autem Iudæ. *Aedificemus ciuitates istas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis, & seris, donec à bellis quieta sunt omnia, eò quòd quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, & dederit nobis pacem per gyrum. Aedificauerunt igitur, & nullum in extruendo impedimentum fuit.*

vers. 1. vers. 7.

c 3. Reg. 15. 28.

HOC ipso tertio anno regni Asæ, vt constat ex Scriptura,[c] cum Nadab filius Ieroboami Rex Israëlitarum impia vestigia patris, impius filius sequeretur, Dei nutu quamprimum de medio sublatus est, secundo regni sui anno; & quidem vtroque diminuto. Nam initia prioris, vltimus patris eius annus sibi vendicat, extrema vero posterioris ad primum Baasæ pertinent, authoris cædis eius. Rem ipsam, & occasionem eius paucis explicat Scriptura, his verbis.

*In bello cõtra Philisthæos.* *Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiæ, de domo Issachar. Et percussit eum in Gebbethon, quæ est vrbs Philisthinorum, siquidem Nadab, & omnis Israel obsidebant Gebbethon.* Quænam vero fuerit huius belli causa inter Philisthæos, & Israëlitas non proditur. Dici tamen potest Ephraimitas, qui pro insita superbia, & moribus turbulentis quiescere non poterant, & à Iudæ regno longe maxima clade affecti, contra eum insurgere non audebant, contra Philisthæos, vrbis vnius occupandæ, aut recuperandæ causa arma sumpsisse. Sed exitu infœlici. Interfecit enim Regem Nadab vnus de præfectis militiæ eius, & aditum sibi ad tyrannidem teterrimo facinore patefecit. (*Per proditionem suorum.*) (ver. 27.)

IV. *Baasa maximo scelere.* QVAMVIS enim de eo prædixisset Ahias Propheta, [a] *constituit sibi Dominus Regem super Israel, qui percutiet domum Ieroboam*; scelere tamen omnium grauissimo obstrinxit se. Nam id prophetica prædictione nulla ratione minuitur, neque præuisione diuina, quæ opus præuidet eo modo, quo fiet, siue bene, siue male fiat, & de eo pronunciat ante quam fiat, quasi iam factum esset. Et Deus quidem voluit istum Ieroboami filium interfici; sed Baasa non eum interfecit, vt diuinæ obsequeretur voluntati, sed vt suæ ambitioni satisfaceret; præsertim nullo iure, nulla authoritate munitus. Etsi enim dicitur Rex à Domino constitutus, nondum tamen Rex erat, cum Nadabum Regem interfecit: nec constituendi vox voluntatis diuinæ beneplacitum, sed permissionem tantum significat, vtentis improbis hominum voluntatibus, ac facinoribus, in bonum sanctissimæ, ac sapientissimæ prouidentiæ suæ. Proptereáque non absurde dici potest, illum à Domino suscitatum aduersarium Ieroboamo, qui eius familiam stirpitus eradicaret. Itaque dum eum postmodum obiurgat Propheta, dicit ei Dominus. [b] *Pro eo quod exaltaui te de puluere, & posui te ducem super populum meum Israel*, &c. (*Præuiso, non imperato.*) (a 3. Reg. 14. 14.) (b 3. Reg. 16. 2.)

V. *Et quãtum id fuerit.* MAXIMVM autem fuisse hoc facinus dubitari non potest, vtpote quod summam iniuriam Deo facit, cuius proregem tollit è medio, & cuius legem in re omnium grauissima violat; summam ipsi principi, cui dignitatem, cui vitam, cui vxorem & liberos, cui fortunas omnes, per summum scelus eripit: summam toti reip. cuius caput obtruncat, eámque cunctis bellorum ciuilium motibus exponens, quantum in se est pessumdat, ac perdit. Capitalis Baasa, qui in populo Dei vexillum primus erexit immanis audaciæ, regum à subditis occidendorum. Nefarius Baasa, qui principem suum per proditionem, & insidias, meditato, & non improuiso scelere interfecit; dignus qui in ipso sanctuario mille gladiis perfoderetur. Crudelis tyrannus Baasa, qui omni iure familiæ, tribus, electionis popularis, diuinæ vocationis destitutus, in regnum per cædem legitimi principis intruditur.

VI. *Historia ex Iosepho.* IOSEPHVS de huius Nadabi regno, & morte hæc habet. [c] *Ieroboami loco imperauit filius Nadabus, paternæ malitiæ, atque impietatis æmulus, eoque in principatu biennium exegit*; neutro tamen anno perfecto, vt dixi. *Quo tempore ducto exercitu ad Gabatho Philisthinorum vrbem, putabat se eam obsidione posse capere. Interim quidam ex domesticis eius amicis Basanes Macheli filius, insidiis interceptum occidit.* Filium Ahiæ, non Macheli vocat Scriptura in omnibus linguis, &, quod omittit Iosephus, de domo, siue familia Issachar fuisse testatur. Quod autem ibidem dicitur. [d] *Cumque regnasset, percussit omnem domum Ieroboam*, &c. Significat id non statim ab arrepto imperio, sed aliquanto post, eo sibi confirmato, factum fuisse: Consentiunt Hebræi, Græci, & Chaldæi codices. Itaque hanc Dei in eam familiam vltionem in annum sequentem differemus. (c l. 8. c. 5.) (d 3. Reg. 15. 29.)

VII. *Nadab caruit sepultura.* QVOD autem ad Nadabi mortem attinet; cum is in obsidione vrbis occisus sit, dicendum quoque est eum proiectum insepultum, cœli auibus prædæ fuisse, iuxta prædictionem Ahiæ Silonitis, [e] prouisumq; diuinitus, siue id agente Baasa, ac sepulturam tyrannorum in morem superbe, ac crudeliter prohibente, siue populo casu aliquo in eum irato, & in cadauer sæuiente, vt in eo quoque prophetia impleretur. Profana porro historia nihil suggerit, quod Annalibus nostris conuenire videatur. (e 3. Reg. 14. 11.)

ANNVS MVNDI 3083. DILVVII 1427. QVINTÆ ÆTATIS 144. TEMPLI FVNDATI 61. ASÆ REGIS IVDA 4. BAASÆ REGIS ISRAELIS 2. AZARIÆ PONT. 7. TROIÆ EXCISÆ 213. PYRITIADIS 10. IMPERII ASSYRIORVM 1152.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 970.



I. *Ratio temporis.* *Iubilæus Mosaicus 10.*

QVINGENTESIMVS agitur annus ex quo Israëlitæ, duce Iosue transgressi Iordanem, Chananitidem inuaserunt: quorum 440. ante fundatum templum numerantur; reliqui 60. à templi initiis effluxerunt. Est ergo hic decimus Iubilæus Mosaicus, quem Asæ pietas persuadet in regno Iudæ fuisse accuratè seruatum, cum apud Israëlitas confusa essent omnia; Idololatria omnes legis ceremonias susque deque miscente. Pergebat autem Asa strenuè in vrbibus restaurandis, vt ante diximus, [a] atque muniendis. Nec minus Idololatriæ reliquias in vrbibus, collibúsque, in lucis, & speluncis, persequebatur.

[a] an. præced. n. 1 & 2.

II. *Baasa delet familiam Ieroboami.*

HÆC dum agerentur in regno Iudæ. Baasa in Israële contra vniuersam familiam regiam crudeli furore debacchatus est. Domino Deo impia eius voluntate, ac facinore, iuste contra Ieroboam, eiusque stirpem inuisam vtente. *Cumque regnasset*, ait Scriptura, [b] *percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit, ne vnam quidem animam de semine eius, donec deleret eum, iuxta verbum* Domini, *quod locutus est in manu serui sui Abia Silonitis, propter peccata Ieroboam, quæ peccauerat, & quibus peccare fecerat Israel, & propter delictum quo irritauerat Dominum Deum Israel.* Existimat Abulensis filios, ac nepotes Ieroboami occisos, non autem filias, quod ab illis sibi timeret, ne regnum diuinitus patri datum, aut vi, aut fraude repeterent, ac recuperarent: à fœmineo autem sexu nihil esset periculi. Verum in contrarium valde aperta est Scripturæ sententia, quæ ne vnam quidem animam excipit: eadémque est vis Hebraici, Græcique sermonis. Adde quod generi, & affines Ieroboami, eorumque filij viciniores erant regno, vt illud ambirent, quam qui illi plane exteri erant, vt Baasa, & quicumque ad eius familiam pertinebant.

[b] 3. Reg 15. 24.

*Etiam fœminas.*

III. *Iniuste, atque crudeliter.*

NEC dubitandum est illud quoque impletum, quod idem Propheta dixerat, qui moreretur in ciuitate à canibus dilaniatum iri. Quod barbarus hic atrociter executus est, non implendæ causa prædictionis, sed exaturandæ tyrannicæ crudelitatis. Itaque in his quoque occidendis grauissime peccauit, quamuis diuinam voluntatem, ac prædictionem, nescius fortassis, impleret. Nihil enim in ipsum peccauerant, quamuis Ieroboam, & Nadab ipsum forsitan offendissent; sed in Deum solum, quem iste non curabat vlcisci: Quin & plerique innocentes in ea familia crudeli ferro periere, & volucribus, ac feris obiecti sunt; cum tamen nullam in eos iurisdictionem haberet, non magis quam prædones, ac sicarij, vel piratæ, in eos quos vita spoliant, aut fortunis.

IV. *In exempli principum male consultorum.*

SIC ergo, hausta gladio Baasæ proditoris, funditus interiit familia impij, & insipientis Ieroboami, qui collatum sibi, suisque diuinitus regnum, non pio in benefactorem obsequio tueri voluit, sed perfidia, ac superstitione se populumq; suum à Dei cultu distrahendo: Quasi non esset in eadem Dei potestate regnum conseruare quod dederat: aut aliis actibus esset conseruandum, quam partum fuerat. Impietatem elegit ad stabiliẽdum regnum suum, quæ eum, filiumq; eius, omnémque familiam promptissimo, funestissimoque corporum, & animorum interitu perdidit; vt nimirum mortales certissimo, apertissimoque exemplo doceantur, impietatem, principum, & regum familias pessumdare, artésque sacrilegas ad regnorum firmitatem excogitatas, in earum perniciem Deo vlciscente conuerti. *Nunc ergo Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*, cum Ieroboamo, & stirpe eius.

V. *Baasa sectatur Idola.*

NEC tamen Baasa, qui factus est vltor peccati Ieroboami, intellexit consilium Domini, nec viam iniquitatis ab eo constratam odio habuit; *sed fecit ma-*

*lum coram Domino, ambulauitque in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel*, vt dicitur in 3. Regum.[a] Certe Iosephus sceleratiorem eum fuisse ait, magisque impium, quam vel Ieroboamum, (sic enim legendum est, vt textus Græcus docet, non Roboamum, vt habent aliqui libri,) vel illius filium afflictorem populi, & aduersus Deum contumacem:[b] neque enim Roboamus ponitur quasi improbitatis exemplum, vt Ieroboamus: Magis ergo impium fuisse ait, quam Ieroboamum, vel eius filium.

a 3. Reg. c. 15. ext.

b l. 8. ant. c. 6.

Verum hæc iterum dicenda erunt aliquanto plenius suo loco.



ANNVS MVNDI 3086. DILVVII 1430. QVINTÆ ÆTATIS 147. TEMPLI 64. ASÆ REGIS IVDÆ 7. BAASÆ REGIS ISRAEL 5. AZARIÆ PONTIF. 10. TROIÆ EXCISÆ 215. PYRITIADIS 13. IMPERII ASSYRIORVM 1155.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 967.

I. *Ortus Iosaphati.*



EPTIMO anno Asæ Regis Iuda nascitur Iosaphat filius eius, qui ei in regno successit ætatis suæ anno trigesimo quinto,[c] quibus si sex iam translactos addiderimus, fient vnus & quadraginta anni regni Asæ. Itaque anno eius septimo natum esse oportuit ex Azuba filia Salai, vt ibidem dicitur. Eum porro primogenitum fuisse credibile est; cum nihil in contrarium legamus. Ex quo etiam intelligi potest magnam fuisse Regis hoc tempore, totiusque populi lætitiam. Præsertim cum plures iam anni sine bellicis, inter vtrumque Regem, tumultibus, aut cum alienigenis transiissent. Hoc quoque tempore promouebat Asa ædificationem, & restaurationem vrbium regni sui, vt paulo ante dicebamus.[d]

c 3 Reg. 22. 42.

d ex 2. Par. 14.

II. *Mittitur Iehu ad Baasam.*

AD hos etiam annos referimus prophetiam Iehu filij Anani contra Baasam Regem Israël. Nam cum is quintum iam annum regnaret, nec ruina familiæ Ieroboami, quam ipsemet illi propter impietatem intulisset, si tamen is verissimam hanc causam ruinæ huius agnouit, deterreretur, sed præberet se nihilominus in sectanda Idololatria pertinacem: misit ad eum Dominus Prophetam, Iehu nomine, filium Hanani cum tristi nuncio, si forte se ille respiceret, & Ieroboami exemplo sapere disceret. Videtur autem hoc tempore hæc Prophetia contigisse. Id enim series narrationis Scripturæ suadet: nec apparet vllus locus, aut ratio vt anteuertendum hoc tempus, aut proferendum videatur. Adde quod proxime bella inter vtrumque Regem, excitata sunt magna cum clade Israëlitarum, vt dicemus. Pertinuit igitur ad Dei bonitatem impium hominem verbis prius, quam verberibus castigare. Sed ille verborum medicinam conuertit in pestem, interficiendo, furentis in morem, medicum suum.

*Hoc tempore.*

III. *Quis ille fuerit.*

EXISTIMANT Hebræi non solum Iehu fuisse Prophetam, sed patrem quoque eius Hanani; aiunt enim Prophetas non nominare solitos patres suos, nisi & ipsi fuerint Prophetæ. Refert id Sanctus Hieronymus initio comment. in Sophoniam. Certe cum Amos non solum negat se fuisse Prophetam, sed etiam filium Prophetæ, simul etiam significat donum Prophetiæ solitum concedi filiis Prophetarum: alioqui frustra videretur adiectum ab Amos, ipsum non fuisse filium Prophetæ. Et valde probabile fit Abulensi,[e] Hanani, qui hoc loco memoratur, eundem illum esse Hanani, qui post aliquot annos missus est ad Asam Regem Iuda arguendum minoris in Deum fiduciæ.[f] Alium autem Iehu filium Hanani Iosaphatum obiurgantem reperiemus post annos quinquaginta duos.

e q. 2. in c. 16. 3. Regũ.

IV. *Eius vaticinium contra Baasam.*

f 2. Paral. 16. 7.

an m. 3138. n. 33.

HISTORIA sic paucis à Scriptura narratur.[g] *Factus est autem sermo Domini ad Iehu*

g Reg. 16. 1

*filium Hanani contra Baasa, dicens: Pro eo, quod exaltaui te de puluere, & posui te ducem super populum meum Israel. Tu autem* vice versa ingratissimus in benemerentem *ambulasti in via Ieroboam, & peccare fecisti populum meum Israel, vt me irritares in peccatis eorum.* Hæc culpa prophani huius principis fuit, sequitur pœna. *Ecce ego demetam posteriora Baasa*, id est, posteritatem eius, *& posteriora domus eius. Et faciam domum tuam, sicut domum Ieroboam filij Nabat. Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes, & qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli.* Constat hæc quoque oratio exprobratione ingrati animi Baasæ aduersus Dominum, innuitque interuenisse aliquod nuncium propheticum, eiusdem Prophetæ Iehu à Deo, suscitante Baasam aduersus Ieroboam, & filium eius, ei in præmium regno promisso: sicut suscitauerat Ieroboamum ipsum aduersus Salomonem, ei quoque idem regnum promittendo. Sicque inter Baasam, & Ieroboam similiora erunt omnia, prima, media, vltima. Vterque à Deo assumptus ad vindicandam atrocissimam Dei iniuriam, vterque promisso, donatoque regno, vterque eiusdem patrator criminis, quod ipse punierat, vterque pari Dei sententia damnatus, parique animaduersione punitus; quandoquidem vterque regia posteritate priuatus est. Vterque enim vnicum tantum habuit filium, & vterque filius vix biennio Rex fuit, vterque à seruo suo per proditionem interfectus est. Denique vtriusque domus defuncta corpora volucribus, & feris obiecta, supremo sepulturæ honore caruerunt.

*Comparatio Ieroboami cum Baasa.*

V. *Baasa occidit Prophetam.*

Qvemadmodvm autem Ieroboam contra Prophetam obiurgantem insurrexit, hominem vel male mulctaturus, vel interfecturus, nisi Deus eum prohibuisset. Ita Baasa contra prophetam Iehu insurrexit, eumque interfecit. Id quoque Scriptura narrat in hæc verba. [a] *Cum autem in manu Iehu filij Hanani Prophetæ, verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum eius, & contra omne malum*, in pœnam scilicet omnis mali, *quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, vt fieret sicut domus* Ieroboam, *ob hanc causam occidit eum. Hoc est Iehu filium Hanani Prophetam.* Hæc postrema verba ab interprete explicandi gratia adiecta sunt, quod textus Græcus, & Hebræus ambigui essent, nec satis constaret, quis diceretur occisus, Ieroboámne, an Iehu propheta, aut ipsemet Baasa. Quæ explicatio, cum nunc in textu authentico sit, parem habet cum reliquis authoritatem; quidquid dicat Abulensis; qui tamen fatetur à Scriptura dici occisum Prophetam ab impio, ac sacrilego Rege, non ferente reprehensionem Prophetæ. Iosephus hunc Prophetam non Iehu, sed Gimonem vocat, nec meminit mortis eius. [b]

a 3. Reg. 16. 7.

VI. *Non impune.*

Neqve vero Baasa sacrilegam Prophetæ cædem diu impune tulit: mox enim bella inter ipsum, & Regem Iuda exarserunt, quibus regnum Israël magnis detrimentis affectum est. *At Basanes*, ait Iosephus loco citato, *postquam cognouit imminentes pro scelere sibi, ac suo generi calamitates, non hoc curauit vt correctior in posterum, & ante-actorum pœnitens, placato numine vitaret exitium, sed velut proposito præmio si strenue pergeret, ac si per Prophetam ampla spes proposita, non calamitas denunciata esset, se ipso factus nequior in dies, data opera scelus scelere cumulauit.*

b l. 8. ant. c. 6.



## ANNVS MVNDI 3090. DILVVII 1434. QVINTÆ ÆTATIS 151. TEMPLI 68. ASÆ REGIS IVDÆ 11. BAASÆ REGIS ISRAELIS 9. AZARIÆ PONTIF. 14. TROIÆ DELETÆ 219. PYRITIADIS 17. IMPERII ASSYRIORVM 1159.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 963.

I. *Bella Asæ, & Baasæ.*



EXPLETIS decem annis, quos quietos Regi Asæ fuisse Scriptura testatur [a] quibus ille exterminando idolorum cultu, & vrbibus suis reparandis religiosissime, sapientissiméque vsus est, bellum inter vtrumque Hebræorum Regem excitatum est; quod hoc anno inchoatum, in reliquos fere omnes vtriusq; principis annos propagatum est. Iuxta illud. [b] *Bellum autem erat inter Asa, & Baasa Regem Israel cunctis diebus eorum*; ex quo scilicet bellare cœperunt inter se, vsque ad mortem Baasæ. Nam Asa post illius interitum quindecim ipsos annos propagauit imperium. Id autem ante bellum Æthiopicum cœpisse, aperte colligitur ex 2. Paral. [c] Vbi confecto bello Æthiopico, Asa dicitur abstulisse Idola ex vrbibus, quas cœperat montis Ephraim, in quo scilicet regnabat Baasa; cui bello superato, eas vrbes eripuerat. Adde quod bellum contra Æthiopas, quod intra breue tempus confectum est, desiit anno decimo quinto Asæ; cum ergo quies à bellis fuerit tantum annis decem, necesse est interiectos hosce annos fuisse turbulentos, duobus Regibus inter se pugnantibus. Quam autem inchoandi belli causam fuisse dixerimus? non sane liquet: nisi forte voluerit Baasa eas vrbes recuperare, quas Abias Regi Ieroboamo eripuerat, de quibus supra dictum est. [d] Sed in contrarium res cecidit, factumque vt ad antiquam iacturam, accederet & noua.

[a] 2. Paral. 14.2.
[b] 3. Reg. 15. 16. & 32.
[c] c. 15. 8.
[d] 2. Paral. 13. 19.



## ANNVS MVNDI 3094. DILVVII 1438. QVINTÆ ÆTATIS 155. TEMPLI FVNDATI 72. ASÆ REGIS IVDÆ 15. BAASÆ REGIS ISRAELIS 13. AZARIÆ PONT. 18. TROIÆ DELETÆ 223. PYRITIADIS 21. IMPERII ASSYRIORVM 1163.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 959.

I. *Bellum Æthiopicum quando contigerit.*



ILLVSTREM habet hic annus Iudæorum de Æthiopibus victoriam, à Scriptura, [e] & à Iosepho [f] enarratam, simulque Azariæ prophetiam, cum sacrificiorum solennitate, & fœdere renouato, quæ licet Torniellus in duos annos diuidat decimum quartum scilicet exeuntem, & decimum quintum inchoantem: satius tamen duximus rem totam ad hunc annum referre. Cum enim annos à Ianuario inchoemus, huic bello, quod vnico prçlio confectum videtur, satis est tres quatuórve menses tribuere, vt demum quinto, id est, Hebræorum tertio, vt dicitur 2. Par. [g] ex præda Æthiopica Domino sacrificaretur. Quæ omnia cum Scriptura valde cõnectat, non videntur hyemis interuentu separanda. Ex quo etiã loco arguendus est Iosephus, qui bellũ hoc Æthiopicum anno decimo regni Asç cõtigisse scribit: oportuisset enim ad quatuor, aut quinque annos durasse: cũ ex Scriptura constet, illud vnico fere prælio, vt dixi fuisse confectũ. Hebræi autem in Chronico maiore c. 16. id in 18. vidẽtur referre; aiunt enim Zaram Æthiopem decimo octauo regni Asæ, ipsi omnem prædam Sesac

[e] 2 Par. 14.
[f] l. 8. c. 6.
[g] c. 15. v. 10.

restituisse. Sed illud falsum, istud improbabile, imo & falsum quoque; cum constet ex Scriptura Zaram cum suis Æthiopibus internecione deletos, quod non conuenit cum spoliorum restitutione. Deinde vnde diuinant prędam à Sesac ablatam, ad Zaram Æthiopem peruenisse?

a an. 71. 5. ætat. n. 2. Hos porro Æthiopes non illos credit fuisse Torniellus [a], qui in Africa vltra Ægyptios meridiem versus habitant, sed eos qui in Asia iuxta Madianitas, & Arabes sedes habuerunt, vnde originem traxit vxor Moysis, quæ propterea Æthiopissa dicta est, quam Æthiopiam circuit paradisi fluuius secundus, nomine Gehon [b], & quam celebrat Dauid Psalm. 86. *Ecce alienigenæ*, id est Philisthæi, *& Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* Quidam apud Sa Æthiopem, Regem Ægypti interpretantur: itáque contemptim vocari aiunt; cui opinioni faueret Hebræa, quam dixi, traditio. Verum existimo ego cum Abulensi [c], & Serario, istos esse, qui nomine Æthiopum maxime intelliguntur Libyæ, & Ægypti contermini. Sequenti enim capite 16. legimus. *Nonne Aethiopes, & Libyes multo plures erant, quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia?* Vbi de istis Æthiopibus agi certissimum est, nisi quis forte etiam Libyam in Arabiam transferre velit ex Africa, quod nemini vnquam in mentem venit. Non est ergo quod cuiusquam mēs credere refugiat hunc Zaram, cum tam copioso exercitu, ex remotiore illa Æthiopia venisse. Nec rationes in contrarium, quas affert Torniell. loco citato, multum habent probabilitatis.

b Gen. 2. 13.

c q. 8. in c. 14. 2. Paral.

BELLI huius causam nullam Scriptura prodit, nullam Iosephus. Forte magnitudine copiarum fretus Æthiops, Hebræorum Reges animis inter se, armisque dissidentes, facile à se opprimi posse credidit, & siticulosam regionem suam, in terram lacte, & melle manantem commutari. Moueri potuit magnitudine prædæ, quam ante sex & vigintiannos Sesac Ægypti Rex ex templi thesauris, regiisque sustulerat, si tum forte adolescens in eius castris militabat, & similem sibi felicitatem affectabat, & intactam à Sesaco vasorum sacrorum prædã. Deus autem illi cladem apud Hebræos parabat, à quibus, ob singulare ipsis auxilium præstitum, laudaretur; volebatque huius Æthiopis spoliis iacturam à Sesaco acceptam quoquomodo compensari: quæ fuit fortasse Rabinorum mens, dum dixerunt Zaram Sesaci prædam restituisse Iudæis [d].

d vid. Abul. q. 9. & 10. in c. 14. 2. Par.

NVMERABAT autem in exercitu suo decies centena millia militum, & trecentos currus. Quem numerum non male interpretatus Iosephus, *Ducebat*, inquit, *peditum nongenta millia*, siue nonaginta myriades: *adiunctis trecentis curribus. Habuit autem Asa in exercitu suo*, inquit Scriptura, [e] *portantium scuta, & hastas de Iuda trecenta millia, de Beniamin vero scutariorum, & sagittariorum ducenta octoginta millia: omnes isti viri fortissimi.* Quem numerum certum, atque constantem in Scriptura mutauit Iosephus, pro ducentis octoginta millibus, substituens viginti quinque myriades, id est ducenta quinquaginta millia. Dictum oportuit viginti octo myriades, vt Scripturæ consentiret. In hac autem turba non deerant, plerique alii de tribu Ephraim, Simeon, & Manasse, qui ad Asa, religionis causa, deserto Baasa, & cultu idolorum sacrilego, confugiebant, vt anno sequenti dicetur, & habetur in 2. Paral. [f]

e 2. Par. 14. 8.

f c. 15. 9.

VENERVNT Æthiopes [g] vsque ad ciuitatem Maresa, ea est in tribu Iuda, cuius nunc tantummodo sunt ruinæ in secundo lapide Eleutheropoleos, ait Hieronymus in locis Hebr. [h] *Porro Asa perrexit obuiam ei*, veritus ne alioqui ille vniuersum regnum popularetur, sicut fecerat pridem Sesac, Roboamo non audente illi occurrere, & eius impedire progressum, [i] *& instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est iuxta Maresa, & inuocauit Dominum Deum, & ait, Domine non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris*, id est victoriam præbeas, *an in pluribus.* Nimirum infinita Dei virtus, vsque adeo excedit vires omnium creaturarum, vt nullam vel omnes, vel singulæ, proportionem cum eo habere possint: & æque sit illi facile vnum hominem, aut vnam auiculam, ac omnes simul homines, & totum orbem terrarum delere. Diuina potentia in hunc modum commendata, ad suscitandam spem suam in Deum atque fiduciam, opem eius implorat. *Adiuua*, inquit, *nos Domine Deus noster; in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem*, *Domine*, *Deus noster tu es*, *non praualeat contra te homo.*

g 2. Par. 14. 9.

h Ios. 15. 44.

i 2. Par. 12. 4. 5.

Existimant enim infideles, imbuti erroribus poëtarum, deos suos pro suo quemque populo pugnare: itaque existimabunt, si victi fuerimus, te ab ipsis fuisse superatum. Et sic sapienter causam suam, ac periculum in Deum transferebat, cuius gloriæ intererat Æthiopas non fieri victores, & contra eius potentiam blasphemare. Quo argumenti genere vsus est olim Moses [a], dum moliretur veniam populo, post adoratum vitulum, obtinere.

[a] Exod. 32

VI. *Vincuntur Æthiopes.*

EXTERRVIT *itaque Dominus Æthiopes coram Asa, & Iuda* [b]: *fugeruntque Æthiopes*. Multis quidem modis potuit Dominus hostem exterrere, sicut & alias perterrefecit, nunc sonitu superuenientis exercitus, nunc visis horrendis, modo lapidibus grandinis contrucidando, &c. Nunc autem cum nihil distinctius memoretur, apparet Dominum pauorem immisisse in Æthiopas, tantum, vt fugerent nemine persequente, vigore animi plane destituti. Iosephus ait Dominum victoriæ signum obtulisse, quo scilicet bene animati sunt Iudæi, exterriti vero, & in fugam versi Æthiopes: sed quod illud signum fuerit non tradit. Hebraïcè & græcè non exterritos, sed percussos Æthiopas legimus: ex quo facile est intelligere visum angelum aliquem, qui facie serena, atque amabili, Iudæis certã victoriæ spem dederit; aduersariis autem vultu, dexteraque minaci metum, fugam, mortemque attulerit. Dicitur enim, Domino cædente, & exercitu præliante fuisse deuictos; Huius rei coniecturam ex lib. Iosue [c], 2. Machab. [d] aliisque locis facile est accipere.

[b] 2. Par. 14 12.
[c] cap. 5. 13.
[d] c. 3. 24.

VII. *Eos Hebræi persequuntur.*

ET *persecutus est eos Asa, & populus qui cum eo erat, vsque Gerara, & ruerunt Æthiopes vsque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius præliante*, siue angelorum ministerio, qui vocantur exercitus, milites, castra Domini: seu potius Israëlitis, qui erant Dei populus, qui illum in acie imperatorem agnoscebant, iuxta ea quæ paulo ante dixerat Asa. Aliquot diebus fugientes Æthiopas persecuti sunt Iudæi. Nam Gerara, ex cuius nomine nunc Geraritica vocatur, vt ait Hieronymus de locis Hebr. regio est trans Daroma, id est, ad Australem plagam, procul ab Eleutheropoli viginti millibus, & quinque ad meridiem. Erat autem olim terminus Chananæorum ad Australem plagam, & ciuitas metropolis Palæstinæ. Scriptura commemorat fuisse eam inter Cades, & Sur, hoc est, duas solitudines, quarum vna Ægypto iungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris peruenit, altera vero Cades vsque ad Saracenorum eremum extenditur. Hactenus diuus Hieronymus.

VIII. *Spolia cæsorum colligunt.*

CVMQVE iam nusquam appareret hostis ad internecionem quippe corruisse eos Scriptura testatur. Victor exercitus ad spolia reuersus est. *Tulerunt ergo spolia multa*, inquit Scriptura [e]: nec mirum, multus quippe fuerat exercitus, *& percusserunt ciuitates omnes per circuitum Geraræ, grandis quippe cunctos terror inuaserat, & diripuerunt vrbes, & multam prædam asportauerunt*. Has vrbes fuisse Philisthæorum ex dictis sancti Hieronymi non obscurum est. Vnde etiam colligitur Philisthæos auxilio venisse Æthiopibus contra Iudæos [f]: alioqui enim causa nõ erat cur eorum vrbes hostilem in modum cædibus, ac direptionibus subiicerentur. Addit vero. *Sed & caulas ouium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum*; qui scilicet in prædictis solitudinibus errantes pascebantur, quorum nominatim mentionem facit Sacer historicus, intuens in sacrificia mox Hierosolymis celebrata.

[e] 2. Par. 14. 14.
[f] vid. Abul. q. 18 in c. 14 2. Paral.

IX. *Occursus Azariæ quando factus.*

TANTA *victoria diuinitus parta*, inquit Iosephus, *ditati omnes reuertuntur Hierosolyma. Iamque non longe aberant, cum illis Propheta Azarias fit obuiam*. Scriptura quoque [g]. *Azarias autem filius Obed, facto in se Spiritu Dei, egressus est in occursum Asæ*. Vides hîc prælium, prædam, reditum, occursum ita esse coniuncta, nusquam vt tempus vacuum appareat, nusquam hyemis tempus interiectum? Itaque Abulensis [h] ait hæc immediate, nulloque interiecto tempore post proxime expositum bellum contigisse: idque natura ipsa occursus efflagitat. Istum porro Azariam libenter crederemus fuisse Pontificem, nisi filius Obed, non filius Achimaæ diceretur. Hebræorum traditio, quam refert diuus Hieronymus, habet istum Obed, siue Odeth, vt ibi legitur, esse Addonem, qui missus sit ad Ieroboam, & mox à Propheta deceptus, à leone occisus sit in via.

[g] 2. Par. 15. 1.
[h] q. 1. & 3. in c. 15. 2. Paral.

X. *Vaticiniũ Azariæ quo pertineat.*

HIC ergo Propheta obuius factus exercitui, iussoque consistere, vt ait Iosephus. *Audite me*, inquit, *Asa & omnis Iuda, & Beniamin, Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo, si quæsieritis eum* (deinceps) *inuenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos*: neque enim inuitos seruare par est. Tanto autem protectore, ac præsidio destituti, omnium prędæ patebitis, omnium tyrannorum seruitute opprimemini; qui nunc hilares, victores, onustique præda reuertistis. *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, & absque Sacerdote, doctore, & absque lege.* Hebræorum sectatores in primisque sectarii, hæc per præteritum efferunt, & ad priora tempora referunt, studio fortasse contradicendi vulgatæ: qui tamen neque hebręo textu, neque græco iuuantur: in vtroque enim abest verbum, sed subintelligendum esse futurum, non autem præteritum, posterior eiusdem prophetiæ sententia, quæ per futurum elata est, aperte docet. Adde quod alioqui hæc oratio non prophetia, sed inanis narratio rei apud omnes vulgatæ fuerit. Ad tempora enim Roboami, & Abiæ referunt; quorum tamem temporibus Sacerdotes de more Deo sacrificauerunt, & docuerunt legem; & Dei cultum reges ipsi, populique sectabantur; vt Abias publice non dubitaret dicere. *Noster autem Dominus Deus est, quem non relinquimus, Sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, & Leuitæ sunt in ordine suo.*

XI. *An ad captiuitatem Babylonicam.*

RECTIVS ergo alii, hoc vaticinium spectare aiũt captiuitatem Babylonicam, vt notauit Sa, Serarius, & Abulensis, qui eam communem esse ait expositionem. Diuus quoque Hieronymus in tradition. Hebr. *Tradunt*, inquit, *hoc quinquaginta duobus annis post euersionem templi impletum, ita vt in his quinquaginta duobus annis nec auis volauerit, nec bestia pertransierit per Ierusalem, & Israel fuerit absque spe, & omnes gentes in conturbatione.* Audis Rabinorum nugas; ex quibus tamen intelligas paulo antiquiores Hebræos hæc verba ad futurum retulisse, sicut & Iosephum [a], cuius hæc est oratio. *Iamque illis non longe aberant, quum illis propheta Azarias fit obuiam. Is postea quam agmen consistere iussit, orsus est dicere, hanc victoriam diuino fauore eis contigisse propter seruatam iustitiam, ac pietatem, & quia semper Dei voluntati obtemperauissent. Quod si ita vt cœperant pergerent, in posterum quoque victorias de hoste, & vitam fortunatã eiusdem fauore illis expectandam; sin vero à religione desciuerint, omnia contraria illos manere: sequuturum tale tempus, in quo neque Propheta verax in populo reperiatur, neque Sacerdos iustitiæ cultor. Tuncque & vrbes eorum subuertendas esse, & gentem per omnes terras dispergendam, erronumque more vitam acturam nullis certis sedibus.*

a l. 8 c. 6. v. 4.

XII. *An potius ad præsentẽ desolationem.*

QVÆ verba, si quis attendat, haud obscure ad ea tempora pertinent, quæ Iosephi temporibus inchoata, ad finem vsque seculorum propagabuntur Neq. enim tempore captiuitatis Babylonicæ eorum vrbes subuersæ sunt, neque tempore translationis in Assyrios: neq. alterutro tempore Iudæorum gens per omnes terras dispersa est, sed ad vnam duntaxat, aut alteram regionem, in qua certas haberent sedes. Aptissime itaque alii hanc prophetiam referunt ad præsentẽ, quæ Daniele teste, vsque ad consummationem, & finem perseuerabit, desolationem: in qua vtique Deum verum non agnoscunt, quem trinum negant, & Iesum Christum verum Deum, atque hominem respuunt, ac perpetuis furiosi maledictis incessunt: nec Sacerdotes habent, aut Leuitas, confusis tribubus; & templo, sacrificiisque priuati; nec doctores, sed cæcos cæcorum duces Rabinos, qui sacras literas ineptissimis interpretationum suarum fabulis, mendaciisque refertiunt; neque legem, cuius intelligentia necessario carent, quibus Christus non aperuerit sensum, vt intelligerent Scripturas: & ipsi alia omnia in sacris Scripturis excogitant, ab iis, quæ Spiritus sanctus per ora sanctorum prophetarum locutus est. Vnde quæ sequuntur ad mundi occasum pertinent, in quo Israël, qui tum supererit, tandem aliquando resipiscens saluus fiet. [b] *Cum que reuersi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel, & quæsierint eum, reperient eum.*

b Rom. 11. 26.

XIII. *Et imminentia tuis tempora.*

IN *tempore illo non erit pax egredienti, & ingredienti, sed terrores vndique in cunctis habitatoribus terrarum*, id est Iudæis sparsis toto orbe terrarum. Res ipsa loquitur: miseros atque obstinatos Israëlitas vbicumque gentium trahunt vitam infelicẽ, & facinus suum in Christum Dominum vel inuiti testantur, & luunt, semper pauidos esse, iuxta Mosis vaticinium. [c] *Et qui de vobis remanserint, dabo pauorem*

c Leuit. 26. 36.

*in cordibus eorum in regionibus hoſtium: terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium*,&c. Quoniam vero nihil abſurdi eſt, vnum eũdemque Scripturæ locum geminum habere ſenſum literalem, ſiue hiſtoricum, poſſunt quoque hæc referri ad vicina bella, cum Baaſa, ædificata Rama, obſtruebat iter Iudæis, vt præſidio ibi poſito, nemini tuto iter facere liceret,& Hieroſolymam proficiſci, vel inde ad propria remeare. Quo tempore, Syri, Aſa id agente, inſurrexerunt contra Iſraëlitas, & multas eorum ciuitates occuparunt. Id ergo prænuncians Propheta, *Pugnabit*,inquit, *gens contra gentem, & ciuitas contra ciuitatem; quia Dominus conturbabit eos in omni anguſtia.* Quod ſi quis hæc malit eo referre, quo ſua illa referebat Dominus cum diceret. [a] *Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum*,&c. Non vtique repugnabo. — a Math. 24. 7.

XIIII. *Eiuſdē prophetæ adhortatio.* POSTREMO Propheta à futuris ad præſentia conuerſus. *Vos ergo*, inquit, *confortamini, & non diſſoluantur manus veſtræ, erit enim merces operi veſtro.* Non ſine cauſa Propheta elaborat confirmare animos Iudæorum, ſupremo illo medico medicinam, ante morbum quem præuidebat, præparante. Nam non multo poſt, deficiente per ſummam ſocordiam, atque imprudentiam in Deum fiducia, ad Syros, nec impune, confugerunt. Interim tamen pro Dei cultu pleni feruore, ac ſpiritu animoſe egerunt. Vnde ſequitur. *Quod cum audiſſet Aſa*, [b] *verba ſcilicet, & prophetiam Azariæ filij Obed prophetæ, confortatus eſt*, nihilque reueritus occulta potentium aduerſus idololatriam ſtudia, tam in vrbibus Iuda, & Beniamin, quæ primario iure ad ipſum pertinebant, quam in oppidis partim ab Abia patre ſuo, partim à ſe acquiſitis in regno Iſraëlis, *abſtulit idola, primum de omni terra Iuda.* — b 2. Par. 15. 8.

XV. *An, & quomodo abſtulerit nunc Aſa Idola de Iuda.* ATQVI id factum videtur non decimo quinto regni eius anno, ſed ab ipſo initio. Significatur ergo hoc loco perquiſita fuiſſe diligẽtius, hæc arma impietatis, & radicitus extirpata. Aſſerit enim Toſtatus [c] Aſam bis abſtuliſſe idola de terra Iuda, & Beniamin, ſemel in principio regni ſui, & iterum poſt victoriam Æthiopicam; ſi qua videlicet effugerant priorem miniſtrorum Regis diligentiam, aut ab eo tempore iterum, tanquam noxium germen in agro bono, inuito agricola pullularant. Niſi malis hoc loco repeti ablationem idolorum, ab initio regni eius factam: idque propter nouam expurgationem vrbium de tribu Ephraim, quæ Regi Baaſæ proximis annis ereptæ fuerant; videtur ergo Aſa ſapienter præcepiſſe, vt in toto regno ſuo idola perquirerentur, & contererentur, vt minus ſeuera iudicaretur hæc diligentia in vrbibus Ephraim, in quibus maximè exercenda erat. *Abſtulit* itaque Aſa *idola de omni terra Iuda, & de Beniamin*, ſi qua forte illic inuenta ſunt, vt dixi, & maxime *ex vrbibus, quas ceperat montis Ephraim*, proxime ſcilicet anteactis quatuor annis. — c q. 9. in c. 15. 2. Par.

XVI. *Quid hic Ioſephus.* HANC Aſæ Regis pietatem, ac diligentiam Ioſephus nonnihil obſcurauit ex more. Cum enim in gratiam Imperatorum ſcriberet, qui idola colebant, noluit apertè profiteri idola, iuſſu Regis Aſa fuiſſe exterminata: ſed ait duntaxat, his quæ Propheta retulerat, auditis Regem vna cum populo gauiſum fuiſſe, dediſſeque operam, & publice, & priuatim, vt religio ſarta tecta maneret, dimiſſis à rege per totam regionem. à quibus hoc negotium diligenter curaretur. Omiſit autem, & quod de altari Scriptura ſubdit, vt rem fortaſſe ipſius iudicio minutionem. Scriptura tamen, *Et dedicauit*, inquit, *altare Domini, quod erat ante porticum Domini.* Altare Domini omnino ſignificat altare æneum holocauſtorum; id enim ſolum erat ante porticum Domini, (quæ erat prima templi pars, eiuſque veſtibulum) in atrio Leuitarum: nam altare thymiamatis erat ante oraculum, & Sancta ſanctorum.

XVII. *Dedicatio altaris.* Ex hac porro dedicatione intelligimus antegreſſam renouationem altaris ante ſeptuaginta annos à Salomone constructi. Facile enim eſt intelligere hoc altare, quantumuis ſolidum, perpetua ignis actione labefactari, ac conſumi: etſi Abulenſis [d] putet hanc dedicationem nihil aliud fuiſſe quam feſtiuam aliquam, & ſolito celebriorem oblationem ſacrificiorum, ad ſimilitudinẽ dedicationis. Verum in Hebræo perſpicuè habetur altare fuiſſe inſtauratum, ſiue innouatum, vt habẽt Pagninus & Montanus, & Septuaginta ἀνεκαίνισε, ſicque etiam deinceps dici potuiſſet ab Ezechia, aut Ioſia dedicatum altare, quod tamen ſecus habet. — d q. 11. in c. 15. 2. Par.

a 2. Par. 15. 9. Quo autem celebrior esset hæc dedicatio: *Congregauit* [a] *vniuersum Iudam, & Beniamin, & aduenas cum eis de Ephraim, & de Manasse, & de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo.* Rudiores erant Hebræi, quam vt vulgo intelligerent inhabitantem Deum per gratiam in piorum cordibus; sed in hæc tantum, quæ sub sensus cadunt, intenti, Deum cum Asa esse credebant, quod illo fauente, ac protegente res ipsi belle succederent, pace frueretur, ipsis belligerantibus; & superuenientibus bellis, hostem vinceret, spolia copiosa caperet, gloriose triumpharet.

Vides opinor, religiosè lector; quod plerique, qui omnia humana tantum prudentia metiuntur, videre non possunt: vides, inquam, pietatem, & religiosum Dei cultum, non solum meritis apud Deum amplificandis, sed augendo etiam politico statu perquam vtilem esse. Imitati sunt isti patres suos, qui temporibus Roboami, desertis vitulis Ieroboami, idem factitarunt. Nec dubium tamen est plures etiam in eodem regno Israëlis perdurasse, qui non curuarent genua ante vitulos, vt Dominus ipse apud Eliam testabatur [b], aut qui specie externa duntaxat id exequerentur; vt passim in regionibus, in quibus hæresis dominatur, videmus contingere iis, qui non possunt, variis impedimentis præpediti, in alienas terras commigrare. XVIII. *Pietas vtilis Reipub.*

b 3. Reg. 19. 18.

Venerunt ergo isti omnes in Ierusalem mense tertio. Id videtur fuisse festum Pentecostes; primum quia id cadebat in mensem tertium, quamuis Tostatus in expositione textus, dicat mense quarto contigisse, & Pentecostem semper in mensem quartum cadere; deceptus enim est numerando: neque enim septem hebdomadæ à decimo sexto mensis primi numeratæ vltra initium tertii mensis protendi possunt [c]. Deinde quia ea erat vna ex celebritatibus, in quibus ius erat omnibus Hebræis Hierosolymam religionis causa proficiscendi. *Anno itaque decimo quinto regni Asa immolauerunt Domino in die illa de manubiis, & præda, quam abduxerant* (deuictis scilicet Æthiopibus, vt diximus) *boues septingentos, & arietes septem millia*; quæ Iosephus missa facit, atque adeo, quod maioris erat momenti, Deum inter, & populum renouatum fœdus, quod erat solennis fidei veræque religionis professio; quam Sacer historicus ita commemorat. XIX. *Congregatio populi mense tertio.*

c vide a. m. 2544 n. 381 & 382.

Et *intrauit* [d] Rex Asa *ex more ad corroborandum fœdus illud*, *ex more* innuit consuetudinem renouandi huius fœderis, ac iurisiurandi, quod dubiis præsertim temporibus merito frequentabatur. Cui belle respondet votorum renouatio, sanctè à religiosis viris, ac laudabiliter vsurpata, [e] *vt quærerent*, ac colerent *Dominum Deum patrum suorum in toto corde, & in tota anima sua*, idest, syncere, & ex animo sine fictione, & dissimulatione illi vni famularentur. *Si quis autem*, inquit, *non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur à minimo vsque ad maximum, à viro vsque ad mulierem*, iuxta legem Domini aduersus impios idolorum cultores cõstitutam. [f] XX. *Et fœdus cum Deo renouatũ.*

d 2. Par. 15. 12.

e vid Abul. q 18. & 19. in c. 15. 2. par.

f Deut. 17. & 13.

Vides hic non datam subditis à pio Rege conscientiæ quã vocant, libertatem, id est impietatis, & peregrini cultus impunitatem, quam necessitas in diebus nostris à Christianissimis Regibus expressit, sed eum potius cultum, capitis pœna proposita, prohibitum, ac castigatum; consentaneè imperatoriis; atque ecclesiasticis legibus. *Libertas cõscientiæ.*

Tam sanctum opus vsitatis cum ceremoniis celebratum spiritualis totius populi lætitia excepit; vnde sequitur. *Iurauerunt que Domino voce magna in iubilo, & in clangore tubæ, & in sonitu buccinarum, omnes qui erant in Iuda*; id est, qui Regi Iudæ obtemperabant, *cum execratione*. Imprecabantur videlicet sibi ingentia quædam mala, si fidem datam frangerent, fœdusue violarent; vt explicat Abulensis. [g] In Græco, & in Hebræo tantum est *cum iuramento*; sed Latinus interpres explicauit quale esset illud iusiurandum, cum abiuratione scilicet, ac detestatione omnis impietatis. XXI. *Cum ceremoniis propriis.*

g q 16 in c. 15. 2. par.

Huiusmodi execratio, atque abiuratio superstitionis cor ab omnibus sordibus emundans, illud totum restituit, ac conseruat Deo. Vnde sequitur. *In omni enim corde suo iurauerunt, & in tota voluntate quæsierunt eum, & inuenerunt, præstitique eis Dominus requiem per circuitum.*

Sed *& Maacham matrem Asa Regis*, id est, auiam matrem Abiæ, vxorem Roboami; aut potius vxorem Abiæ matrem suam. Duæ enim fuerunt eiusdem XXII. *Et repurgatio idololatriæ.*

nominis, vt alibi dictum est. Hanc ergo turpissimam mulierem regiæ familiæ probrum, ac dedecus, *ex augusto deposuit imperio*, redegit scilicet in ordinem, vt personam infamem, ob fœdissimum idololatriæ ministerium. Quo tamen ante multos annos priuata fuerat: sicut & combustum, & comminutum simulachrũ; quæ nunc obiter à Scriptura repetuntur: etsi nunc primum ea gesta putarit Torniellus [a]. At absurdum est pium Regem, quindecim ipsos annos, tantam turpitudinem in regno suo, in oculis suis, in familia sua, cum summa Dei offensione, & regiæ familiæ dedecore passum fuisse: aut persolutionem paterni voti distulisse. Non enim ignorabat illud Salomonis [b]. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.*

a an. ætat. 72.
b Eccles. 5. 5.

XXIII. *Baasa molitio.*

INTEREA Baasa cogitabat quomodo vltionem capere posset de Iudæis, sed parta recens tanta victoria, qua rebus omnibus aucti erant, eum quiescere cogebat. Moliebatur tamen animo ingens quoddam malum Iudæis, quod proximo anno in lucem edidit: Ad hunc enim annum pertinet illud, quod in Scriptura legimus [c]. *Bellum vero non fuit vsque ad trigesimum quintum annum Regni Asæ;* absolutum videlicet, vt ex initio capitis sequentis intelligitur. Sed mirum valde est, quod hunc annum, quem nos paulo ante cum Scriptura Asæ decimumquintum diximus, nunc cum eadem illius trigesimumquintum dicamus. Verum quoniam eadem est difficultas anni decimi sexti, vel trigesimi sexti, eam sequenti anno commodius expedire conabimur.

c 2. Par. 15. extremo.

ANNVS MVNDI 3095. DILVVII 1439. QVINTÆ ÆTATIS 156. TEMPLI FVNDATI 73. ASÆ REGIS IVDÆ 16. BAASÆ REGIS ISRAELIS 14. IOHANAN PONTIFIC. 1. TROIÆ DELETÆ 224. PYRITIADIS 22. IMPERII ASSYRIORVM 1164.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 958.

NVM. I. *Nouus Pontifex, cum nouis bellorum turbis.*



OPPORTVNE præparati sunt superiore anno animi Iudæorũ, & eorum qui se ipsis, ex Israëlis regno, aggregarunt, fœdere cũ Domino Deo renouato, ac stabilito: ne imminente continentium deinceps bellorum, inter vtrumque regnum, procella, infirmorum constantia ad scopulos tentationum allisa frangeretur. Vt autem à rebus sacris ducamus initium, sub hoc tempus videtur Iohanan filius Azariæ summum gessisse sacerdotium [d]. Nam cum Amarias nepos Iohanan, pontifex fuerit sub decimum octauum annum Iosaphati, vt constat ex Scriptura [e] anni quadraginta tres, quatuorue interiecti inter Iohanan, & eius filium Azariam diuidendi sunt. Reliquos ergo annos Asæ, Iohanan pontifici tribuemus, Azariæ autem magnam partem regni Iosaphati; eiusdẽ vero extrema Amariæ, vt exigit ille locus, [f] assignabimus. Ignoscat quæso, Lector, si in pontificum annis laxi admodum sumus: nam ne hæc ipsa quidem, nisi multo labore eruimus, pauculis ex locis, quos Scriptura suppeditat, nec vsquam iota vnum de eorum annis apparet. Sicut & eorum res gestæ maxima ex parte silentio obrutæ sunt. Imo ne nomina quidem ipsa, satis ab iniuria temporum vindicari potuerunt. Quem enim Iohanan Scriptura vocat, Septuaginta Ionam vocant, per quandam contractionem, ex qua voce natum puto Ioram apud Iosephum [g], & Ioam in minore Chron. Hebr.

d vt ex 1. Paral. 6. 9. constat.
e 2. Par. 19. 11.
f. 2. Par. 19.
g l. 10. c. 11.

II. *Ratio temporis.*

QVOD autem ad rationem temporis attinet; celebris est difficultas, quam suggerit Scriptura in 2. Paral. [h] vbi legimus. *Anno autem trigesimo sexto regni eius,* (Asæ) *ascendit Baasa Rex Israel in Iudam, & muro circumdabat Rama*, &c. Quod ideo videtur absurdum: quoniam ex 3. Regum [i] constat Baasam viginti quatuor duntaxat annis regnasse: & ad summum vsque ad vigesimum sextum annum

h initio c. 16. 2. Par.
i c. 15. 33.

regni Asæ vixisse, quo ipso anno cœpit regnare filius eius: vt dicitur in tertio Regum [a]. Quomodo ergo ascendit Baasa rex Israël in Iudam anno trigesimo sexto regni Asæ, cum Baasa mortuus esset ante decennium, & deinceps duo, tresue successores eius extincti essent?

[a] 3. Reg. 16. 8.

III. *Opinio admittentiū mendū hoc loco.*

ALIQVI, in quibus Caietan. in comment. huius loci, Ioannes Lucidus [b], Melchior Canus [c], Adrichomius in Chronolog. Annius item, cum suo pseudophilone, quos etiam sequitur Turcellinus in sua Chronologia [d]; à qua opinione non multum abest Abulensis [e], hi ergo aiunt mendum irrepsisse in cap. 15. 2. Paral. v. 19. & c. 16. v. 1. & pro 35. & 36. legendum 25. & 26. Verum parum tuta parumque probabilis est ista responsio. Si enim mendum in Scriptura semel admittamus, nisi eò euidens necessitas adigat, præsertim vbi codices omnes Hebraïci, Græci, Latinique consentiunt, quod non negant huius sententiæ authores, vniuersæ Scripturæ vacillabit authoritas. Quis enim hæreticorum non contendat erroneum esse locum, quo vehementer se premi sentiat? Nullum, inquiunt, agnoscendum in Scriptura erratum, in rebus magni momenti, vt quæ ad fidem, & mores pertinent. At proculdubio alia fuit mens Christi Domini, cum ait, *Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Deinde penes quem erit iudiciū, quæ sint res magni momenti, & quæ parui? Non enim idē est omniū, de vna eademque re, iudicium: & aliquando ex re paruula in specie, res maximæ pendent. Accedit quod ne hoc quidem modo se difficultate expediūt. Quomodo enim vigesimo sexto anno Asæ venit in Iudam Baasa, ibique ædificauit Rama, tantaque arte muniuit, vt inde à Rege Iuda expelli non posset, nisi missa in Syriam legatione, ibique contracto exercitu, qui in regnum Israëlis effusus, multas eius vrbes vi cepit, vt tandem cogeretur Baasa, relicta Rama, toto regno periclitanti succurrere, quomodo hæc omnia initio anni vigesimi sexti Asæ contingere potuerunt? cum ne totum quidem illum annum regnauerit Baasa, cum constet hunc ipsum annum vigesimum sextum numerari primum regni filii eius [f]. Rectius profecto si mutandi essent numeri, in decimum quintum, & decimum sextum mutandi erant, sic enim omnia recte congruerēt, quod vidit etiam Abulensis [g].

*Non recipitur.*

[b] l. 2. de emen. temp. c. 9.
[c] l. 11. de locis c. 5. ad 12 arg.
[d] c. 5 q. 9.
[e] q. 3. in c. 16. 2. Par.
[f] vt dicitur 3. Reg 16. 8
[g] q. 3 in c. 16. 2. Par.

IV. *Opinio Lyrani, & aliorum.*

ALITER se ab hac difficultate Lyran. expedire conatur [h], quem fere Vatab. [i] & Genebrar. sequuntur. Ait enim annos Asæ dupliciter numerari posse, aut ex quo reuera regnare cœpit, aut à memorabili bello Æthiopico, quod decimo, vel vndecimo anno regni eius contigit; sicut anni Nabuchodonosoris aliquādo à principio regni numerantur; nonnunquam etiam à deuictis circumquaq. gentibus, quando factus est Monarcha. Et sic cap. 2. prophetiæ Danielis dicitur annus Nabuchodonosoris secūdus, nimirum monarchiæ, qui erat regni vigesimus quintus. Sic ergo annus præsens erit trigesimus sextus regni Asæ: idemque vigesimus sextus à bello Æthiopico. Modestior quidem est ista expositio, sed præterquam quod errat in anno Æthiopici belli, vt ex dictis anno superiore constat, vbi ex Scriptura firmatus est annus Asæ decimus quintus, grauioribus etiam vrgetur incōmodis. Turbat enim omnem annorum dispositionem. Cum enim velit vbiq. decem annos addi, vel subintelligi in lib. Reg. Baasa regnare cœperit, non 3. sed 13. regni Asæ anno: & dandi erunt duo supra triginta anni Ieroboamo, vel duodecim filio eius; vel interregnum decem annorum erit in Israële ponendum. Præterea cum dicitur in Script. [k] bellum non fuisse inter Asam, & Baasam vsq. ad trigesimum quintum regni Asæ, sublatis decem annis dicēdum erit Baasam non pugnasse cum Asa, nisi vigesimo quinto regni eius, id est, vltimo anno regni sui. Quomodo ergo verum erit fuisse bellū inter Asam, & Baasam cunctis diebus eorum? vt dicitur in 3. Reg. [l] Deinde cū dicitur [m] Achabū regnasse super Israël anno 38. Asæ, si semper in lib. Reg. intelligendi sunt decem anni, fiet vt Asa non vnum & quadraginta annos regnauerit, sed octo & quadraginta, imo vnum & quinquaginta. Denique tota Regum summa decem annis augēda erit, & ad vnū locum extricandum, innumeri alii intricabuntur, & deprauabuntur.

*Improbatur.*

[h] in c. 16. 2. Par. init.
[i] 3. Reg. 16. n. 12.
[k] 2. Par. 15 fin.
[l] 3. Reg. 15. 16.
[m] 3. Reg. 16 29.

V. *Vera expositio, de annis à diuisione regni.*

PROBABILIOR ergo est aliorum sententia, quam sequitur Azor tomo primo Institutionum moralium [n], & Torniellus [o], & Chronic. Hebr. [p] quæ negat decem annos in libris Regum fuisse prætermissos; sed triginta sex annos Asæ

[n] l. 6. c. 55. q. 3.
[o] in 5. ætat. an. 75.
[p] 2. Par. c. 16.

vult numerandos esse à diuisione regni Hebræorum, facta sub Roboamo, vel, vt ait Seder-olam, à morte Salomonis, à qua, vsque ad præsentem annum decimũ sextum Asæ, anni sex, & triginta numerantur; nimirum septendecim Roboami, tres Abiæ, & sedecim Asę; & sic annus trigesimus quintus, & trigesimus sextus regni Asæ, erunt non regni Asæ, sed regni cui præerat Asa, nimirum regni Iudæ, locutione figurata. Quæ sententia eo maxime confirmatur, quod nullam vim rebus, neque verbis affert, & ea posita omnis temporum distributio, quam in sequentibus Scriptura exigit, rectissime quadrabit.

VI. *Illustratur.* Hvic sententiæ duo videntur officere, primo quod textus Paral. non ait Baasam ascendisse in Iudam trigesimo sexto regni Iuda, vel Israëlis, sed Asæ Regis. Respondeo regnum Asæ, & regnum Iudæ reipsa idem esse, ideoque alterum pro altero facile poni potuisse, sicut domus Dauidis, & domus Asæ. Quo modo Esaias alloquens domum Achaz dicebat.[a] *Audite ergo domus Dauid.*[b] & paulo ante, *nunciauerũt domui Dauid dicentes, requieuit Syria super Ephraim*, &c. Alterum est, quod durum videatur, & insolens vnius Regis annos numerare, non ex quo is regnare cœpit, sed ab alio quopiam termino. Verum id absurdum non est, neque nouum, cum huiusmodi terminus insigne quippiam habet, & memorabile. Nam, vt Torniellus quoque notauit, in 2. Regum [c] dicitur Absalon quadragesimo anno petiisse à patre Dauide commeatum proficiscendi Hebronem, vt redderet vota sua: quæ postulatio contigit non quadragesimo anno regni Dauidis, nã trigesimus tantum agebatur, sed quadragesimo à prima inunctione ipsius per Samuelem facta, quę totis decem annis antecesserat; vt fusius anno Dauidis regni trigesimo diximus. Initium autem alicuius regni, nota est temporis in primis memorabilis, vt inde Chronologia ducatur.

a c. 7. 13. b v. 2. c c. 15 v 7.

VII. *Baasa occupat, & communit Ramam.* Hoc ergo anno trigesimo sexto regni Iudæ, siue Asæ; qui proprie ipsius erat decimus sextus, ascendit Baasa (ex Thersa nimirum, quę erat sedes regni eius [d]) in Iudam. Rama enim ad tribum quidem Beniamin iam pertinebat, sed erat nihilominus in regno Iudæ, vicina Anathot, & Bethlehem, vbi & occisi sunt aliqui innocentes Herodis tempore, sub Christi Domini ortum; vnde est illud Prophetæ: *Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus*, &c. Distatque Hierosolymis stadiis quadraginta, vt ait Ioseph. [e] qui hãc vrbem hoc tẽpore à Baasa bello captam refert. *Postremo*, inquit, *cum exercitu aggressus est vrbem non ignobilem Ramathonẽ*, sic enim eam vocat, *distantem quadraginta stadiis à Hierosolymis, quam captam muniebat, vt eam sedem belli faceret, vnde sui milites excursionibus regnum Asani vastarunt.* Non ergo nouam vrbem condidit, sed ædificauit Rama, id est communiuit, & muro circundedit, vt habetur in 2. Paralip. [f] *Vt non posset quispiam egredi, vel ingredi de regno Asæ regis Iuda.* Vidit Baasa opportunitatem loci Rama, vt ea communita, præsidioque in ea imposito, aditum omnem Iudæis obstrueret ad Israëlitas, & reditum inde ad suos, si quà forte aditum inuenissent. Ex quo etiã crebris excursionibus Hierosolymitas, totumque regnum impune fatigaturi erant.

d 3. Reg. 15. 33. e l. 8 ant. c. 6. f c. 16. 1. & 3. Reg. 15. 17

VIII. *Asa diffidit sibi, nec fidit Deo.* Hvivs magnitudinem seruitutis animaduertẽs Asa, omnem adhibuit machinam ad disturbandum consilium eius. Et cum oportuisset eum diuino auxilio cõfidentem, regem Baasam armis inuadere, nec timere Syros, qui auxilio futuri erant Baasæ contra Asam, de suis ipse copiis diffidens, humana auxilia eorundẽ Syrorum circumspexit; quamobrem postea à Propheta Hanani obiurgatus est. Nolebat enim Dominus populum suum ab idolorum cultoribus auxilia mendicare, cum ipse eorum protectionem suscepisset, nec pateretur eos vinci, quandiu ab ipsis piè, ac religiosè coleretur. Culpæ autem index est pœna. Nam si Deo confidens, nihil neque Syros neque Israëlitas reueritus, pugnam iniisset, Syros superasset, vt illa verba Prophetæ probant; *idcirco euasit exercitus Syriæ de manu tua*; & insuper ab aliis bellis fuisset immunis, vt postea dicetur, accessit & ingens iactura thesaurorum ipsius, & thesaurorum domus Domini. Vt merito Propheta ipsum stulte egisse dixerit.

IX. *Mittit legatos in Syriam.* Cvm ergo Baasa quam maxime vrgeret ædificationem arcis, quam ceruicib. inimicorum suorum imponebat, Asa rex Iuda legationẽ adornat ad Syros, multoq; precio eos adducit ad deuastandos Israëlitas. Protulit enim [g] *Asa omne argentum & aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, & in thesauris domus regiæ,*

g 3. Reg. 15. 18.

*& dedit illud in manus seruorum suorum.* Nō abstulerat Sesac omnes thesauros tēpli, aut palatii Regis, vt ex hoc loco intelligitur: & quamuis exinanisset vtrumque thesaurum, deuotio tamen populi multa semper conferebat templo in sumptus eius, & Asa multa inferre potuit ab eo tempore, tam in thesauros Dei, quam suos, cū multis præliis vicisset Baasam, & vehemēter ditatus esset spoliis proximi belli Æthiopici; vt omittamus quæ Roboam duodecim annis, & Abia tribus collegerant. Nec tamen culpa caruit Asa accipiendo thesauros domus Dei, ad dandum homini infideli. Non enim vera ad id necessitate cogebatur, cum potuisset, ac debuisset non timere hostes suos, propria doctus experientia, accepti diuinitus contra Æthiopes auxilii.

MISIT itaque Asa seruos suos *ad Benadad, filium Tabremon, filij Hesion Regem Syriæ, qui habitabat in Damasco.* Non constat istos omnes fuisse Reges Syriæ Damascenæ. Nonnulla tamen mihi suspicio est hunc Hesion, siue Hasion, vt habent Septuaginta, fuisse Razon, qui memoratur aduersarius Salomonis [a]; summa porro legationis hæc fuit. [b] *Fœdus inter me, & inter te est, pater quoque meus, & pater tuus habuere concordiam*; Abias videlicet & Tabremon. *Quamobrem misi tibi argentum, & aurum, vt rupto fœdere, quod habes cum Baasa Rege Israel, facias eum à me recedere*: violatio fœderis initi, quod cum iureiurando, variisq; ceremoniis celebrari solebat, & iure gentium sacrosanctum habetur, male omnino apud omnes nationes audire solet: Itaque Asa ad prædictam culpam aduocandi principis infidelis, cum diffidentia prædicta, adiecit & alteram culpam, vt precio oblato adduceret Syrum, ad fœdus cum Israëlitis initum violandum. Benadad vero cum tam Asæ, quam Baasæ fœderatus esset, cognita iustitia causæ Regis Iudæ, potuit pro illo contra Regem Israëlis insurgere. Qua de re vide pluribus Abulensem [c].

VENALEM habuit Syrus fidem, & pecuniam fœderi antetulit; ratus ibi ius esse, vbi plurima merces. *Misit* enim *principes exercituum suorum ad vrbes Israel, qui percusserunt Abian & Dan, & Abelmain, & vniuersas vrbes Nephtali muratas.* Eadem habentur in 3. Reg. [d] Sicque factum est, vt Benadad geminam prædam ab Hebræis acciperet, à volentibus alteram, alteram ab inuitis.

*Quod cum audiuisset Baasa, desiit ædificare Rama, & intermisit opus suum*, vt nimirum periclitanti regno suo opem ferret, ne dum molitur Iudæos molestia afficere, ipse à Syris regno priuaretur. Aderat autem cum exercitu suis ædificatoribus Baasa, & vice versa Asa, vt fit, eum crebris vexabat insultibus.

CVM autem Baasa, crebris fatigatus suorum nunciis, clamoribus, cladibus, opus deseruisset, quod eo vrgebat obstinatius, quo maioris momenti id esse intelligebat, ad Iudæos edomandos; & reuersus esset in Thersa regiam suam, vt inde toti regno quamprimum prospiceret: confestim Asa Rex dimissis vndiq. nunciis, qui quam maximam operariorum, ac militum manum conuocarent, *assumpsit vniuersum Iuda, & tulerunt lapides de Rama, & ligna quæ ædificationi præparauerat Baasa, ædificauitque ex eis*, id est, instaurauit, ac communiuit *Gabaa* Beniamin, in qua pridem habitauerat Saul, *& Maspha*, quam olim Samuel celebrauerat. Hæc autem omnia, quamuis summa diligentia facta esse satis exploratum sit, biennium tamen tenuisse nemo opinor iure negauerit.

AD quod ipsum tamen tempus pertinet illa Prophetæ Anani obiurgatio, quæ habetur in 2. Paral. [e] *In tempore illo venit Hanani Propheta ad Asam Regem Iuda, & dixit ei. Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua.*

Significat enim Dei fuisse voluntatem, primùm ei de Israëlitis victoriam dare, ac insuper Syros, qui illis auxilio venturi erant, aut alioqui iniusta contra Iudam arma sumpturi, ipsius subiicere potestati. Vsque adeo grata est Deo certa in ipsum fiducia. Fatendum est igitur Asam reum fuisse diffidentiæ in Deū, nec tamen minus admirabilis est ista culpa. Cum enim hæc nobis in exemplum proposita sint, sacrisque mandata monumentis, videtur hæc Prophetæ vox condemnare omnem humanam prudentiam, quæ timide ad auxilia humana circūspicit, post diuinum auxilium imploratum; videtur cooperationem excludere causarum secundarum. Quid quod fiducia illa est donum Dei, vt qui illud non habet, non videatur eo non vtendo peccare? Quid quod fieri sæpe non potest,

[a] 3. Reg. 11. 23.
[b] 2. Par. 16. 3.
[c] q. 12. in c. 16. 2. Paral.
[d] 3. Reg. 15. 20.
[e] c. 16. 7.

vt eam habeamus? Cum enim hæc fiducia in Deum videatur esse certa omnino persuasio, Deum facturum quod desideramus; Si duo inter se bellum gerunt, quorum vterque persuasum habeat à se stare iustitiam, si vterque obligatur fiduciam habere in Deum de obtinenda victoria, vterque futurus est victor; quod fieri non potest.

XIIII. *Gemina in Deum fiducia.*

DICENDVM videtur cum Tostato [a], & communi doctrina, Deum vt plurimum relinquere communi prudentiæ, ea quæ ipse interuentu causarum secundarum facere decreuit. Interdum autem peculiariter ostendere se velle aliquid cum ipsis omnino efficere. De illis est illud sapientis. [b] *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* De his extat fortis illa Pauli professio. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus,* &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei* [c]. Eadem fiducia indubitata requiritur in omnibus, quæ diuina reuelatione nituntur. Et tunc non est locus humanæ prudentiæ. Itaque cum Dominus dixisset Apostolis, vt ne cum ante Reges, & præsides stetissent, præmeditarentur, quemadmodum responsuri essent [d], non dubitat Abulensis asserere Apostolos mortifere peccaturos, si timentes se non recte dicturos, singula præcogitare voluissent. Peccassent quoque eodem modo Iudæi, cum ter quotannis Hierosolymam ascenderent, vrbesq. suas interea vacuas relinquerent, si timuissent, ne illæ interea à circumpositis populis occuparentur. Quia dixerat Dominus, [e] *Nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.*

a q. 17. in c. 16. 2 Par.
b Sap. 9. 14.
c Rom. 8. 38. 39.
d Luc. 21. 14.
e Exod. 34. 24.

XV. *Cur Asa in culpa diffidentiæ fuerit.*

EANDEM fiduciam circa rem bellicam oportuit Asam habere, quandoquidem illum Deus ad eam verbis erexerat, factisq. firmauerat. Cum enim suæ in Deum fiduciæ conscius dixisset Deo. *In te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem*; decies centena hominum millia profligauit: pari ergo modo in cæteris id genus periculis debuit de victoria in diuina ope confidere, qui tamen modicæ fidei, in multo minore periculo dubitauit. Accesserat vaticinium Prophetæ datum reuertentibus de prælio cum victoria. Cum enim multiplicem cæterorum turbationem prædixisset, dixit Asæ. *Vos ergo confortamini, & non dissoluatur manus vestræ, erit enim merces operi vestro.* Quod erat iubere, vt fiduciam de Deo conciperent, tanquam illis victoriam largituro, & laborem nō inanem reddituro. Debuit ergo singulariter Deo confidere, & prudentiæ suæ modum ponere, & Deo nixus, neque Syrum, neque Israëlitam timere. Humana vero prudentia locum habet, cum de diuina voluntate certo non constat. Ea vero certitudine posita, fides debet exsuscitare fiduciam; alioqui diffidentia erit in culpa. Non posita vero illa certitudine, indubitata fiducia non est in præcepto.

XVI. *Bellis in pœnam vexatus.*

PROPHETA itaq. vt de iis quæ futura erant, in magnam ipsius vtilitatem, fidem faciat, exemplum præteritum, sed recens, ac manifestum in confirmationem assumit. *Nonne Æthiopes, & Lybies multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum,* exclusa penitus hæsitatione cordis. *Stulte igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore aduersum te bella consurgent.* Hæc bella sunt quæ deinceps, reliquo tempore regni Baasæ magis, magisque exarserunt, in vindictam cladium à Syris acceptarum. Cum enim infirmior esset Baasa, quam vt vindictam de Syris sumere posset; & timeret, ne si in ipsos arma infestus moueret, superueniret Asa, & à duobus simul exercitib. concideretur, sibi faciendum putauit, vt dissimulata ad tempus opportunum Benadadi iniuria, & violatione fœderis, solum regem Iudæ bello fatigaret. Atque ita impletum est illud. [f] *Fuitque bellum inter Asam & Baasam Regem Israel cunctis diebus eorum.*

f 3. Reg. 15. 32.

XVII. *Mittit prophetam in carcerem.*

ASA audito Propheta, cum sapienti pœnitentia emendare debuisset, quæ stulte ex timida diffidentia peccauerat, & spiritali medico gratias agere, propter eum, à quo missus fuerat, addidit è contrario peccata peccatis, & benè de se merito, mala verbis factisque retribuit. *Iratus* enim *Asa aduersus videntem, iussit eum mitti in neruum*; in carcerem videlicet vbi neruis, pro ferreis vinculis colligaretur. *Valde quippe super hoc fuerat indignatus*, propheticæ reprehensionis impatiens: neque hoc facinore contentus, etiam *interfecit de populo in tempore illo pluri-*

mo, qui ſcilicet prophetæ fauentes, de rege murmuraſſent; vt vult Torniellus. Abulenſis autem indignationem, & cædem plurimorum ad Deum refert, quem ait indignatum aduerſus Aſam, eum morbo diutino, ac vehementi afflixiſſe: & pleroſque de populo ipſius morte affeciſſe. Verum textus iſtam expoſitionem non patitur, eamque plane excludit textus hebræus, in quo diſerte habetur, *Et oppreſsit Aſa quoſdam de populo in tempore illo;* quo modo habent etiam Septuaginta interpretes.

Quod ad Zaram Æthiopem, quem Hebræi fingunt anno decimo octauo Aſç reſtituiſſe Iudæis prædam à Seſaco è templo ſublatam, iam ea de re ſupra diximus [a] de compenſatione accipi poſſe; vt ſcilicet tantum lucratus ſit Aſa, contra Zaram pugnando, quantum perdiderat Roboam à Seſaco victus. Alioqui ipſis iure Poëta dixerit:

a an. 15. Asæ.

*An qui amant ſibi ſomnia fingunt?*



## ANNVS MVNDI 3100. DILVVII 1444. QVINTÆ ÆTATIS 161. TEMPLI FVNDATI 78. ASÆ REGIS IVDÆ 21. BAASÆ REGIS ISRAELIS 19. IOHANAN PONT. 6. TROIÆ EXCISÆ 229. PYRITIADIS 27. IMPERII ASSYRIORVM 1169.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 953.



VNDANVS iubilæus ordine ſexageſimus ſecundus in hunc annum incurrit, quem propterea viſum eſt eximere è reliqua turba. Plures enim annos hoc loco neceſſario coniungimus, partim rerum profanæ hiſtoriæ, quæ Annalibus iſtis inſeri mereantur, penuria; partim quod in hiſtoria ſacra nihil habent eximium: Id vnum certe dicere poſſumus, reliquos annos Aſæ, & Baaſæ, variis inter vtrumque Regem præliis agitatos fuiſſe, iuxta id quod prædictum fuerat Aſæ Regi à Propheta, qui ab eo coniectus eſt in carcerem; quam culpam hæc ipſa bella puniebant. Ad hæc ipſa tempora referre poſſumus lacum ab Aſa factum metu Baaſæ, cuius meminit Ieremias. [b] *Lacus,* inquit, *in quem proiecerat Iſmael omnia, cadauera virorum, quos percuſsit propter Godoliam, ipſe eſt quem fecit Rex Aſa, propter Baaſam Regem Iſrael,* &c. Ioſephus negat Baaſam, poſtquam à Syris afflictus eſt, bellum inſtaurare potuiſſe, fatali morte præuentum. Exiſtimauit videlicet, quæ ad Rama contigerunt, extremis Baaſæ temporibus contigiſſe, triginta ſex annorum myſterio non intellecto. I. *Iubilæus 62.*

b c. 41. 9.

Dicimvs nihilominus hiſce annis Baaſam, cum ſuis Iſraëlitis, plurimas præliorum moleſtias, ac detrimenta Iudæis intuliſſe, iuxta illud Prophetæ. [c] *Stulte igitur egiſti, & propter hoc ex præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.* Tota quippe iracundia Baaſæ ex clade Syriaca, non tam in Syros, quam in Iudæos exarſit, vt qui illos, vt ſuo loco dictum eſt, in Iſraelitarum perniciem ingentibus muneribus euocaſſent. Itaque omnes iſti anni frequentibus vtrinque præliis, ac cædibus cruentati ſunt. Quod tempus videtur maxime reſpexiſſe Scriptura, cum ait, [d] *Fuitque bellum inter Aſam, & Baaſam regem Iſrael cunctis diebus eorum.* Statimque mortem eius ſubiungit, de qua paulo poſt dicturi ſumus. II. *Baaſa vexat Iudam*

c 2. Par. 16. 9.

d 3 Reg. 15. 32.

Videtur etiam Baaſa geſſiſſe bellum cum Philiſthinis, quorum vrbem Gebbethon etiam filius eius obſidebat.



ANNVS MVNDI 3101. DILVVII 1445. QVINTÆ ÆTATIS 162. FVNDATI TEMPLI 79. ASÆ REGIS IVDÆ 22. BAASÆ REGIS ISRAELIS 20. IOHANAN PONTIF. 7. TROIÆ DELETÆ 230. PYRITIADIS 28. IMPERII ASSYRIORVM. 1170.

ANNVS ANTE CHRISTVM 952.

I. *Annus Sabbaticus.*


VIGESIMVS ſecundus regni Aſæ annus eſt Sabbaticus, ordine quartus ſupra ſeptuageſimum, quem in regno Iudæ obſeruatum par eſt credere. In Iſraële omnes legis ceremoniæ, cum lege ipſa iacebant: quando ne Deus quidem ipſe ibi erat in precio, ſed eius loco, proh nefas, vituli ſacrilegis altaribus inſidebant. Cætera vtrobique eodem erant loco.



ANNVS MVNDI 3103. DILVVII 1447. QVINTÆ ÆTATIS 164. TEMPLI 81. ASÆ REGIS IVDÆ 24. BAASÆ REGIS ISRAELIS 22. IOHANAN PONTIF. 9. TROIÆ EXCISÆ 232. PYRITIADIS 30. IMPERII ASSYRIORVM 1172.

ANNVS ANTE CHRISTVM 950.

VLTIMVM hunc annum vixit ac regnauit Pyritiades; eſt enim regni eius trigeſimus, & ab anno mundi ter milleſimo ſeptuageſimo quarto, qui primus eius regni fuit, triginta omnino numerantur. Ad Chriſtum autem vſque nouemdecim Iubilæi.



ANNVS MVNDI 3104. DILVVII 1448. QVINTAE ÆTATIS 165. FVNDATI TEMPLI 82. ASÆ REGIS IVDÆ 25. BAASÆ REGIS ISRAELIS 23. IOHANAN PONTIF.. 10. TROIÆ EXCISÆ 233. OPHRATÆI I. IMPERII ASSYRIORVM 1173.

ANNVS ANTE CHRISTVM 949.



PHRATÆVS vacuam imperii Aſſyriorum ſedem hoc anno occupauit, tenuitque annis viginti, in Euſebii Chronico, vnum addit Africanus; qui eum numerat ordine trigeſimum octauum; Euſebius trigeſimum tertium, ob rationem ſæpe iteratam. Res ab illo geſtas cælites ſcire arbitror, præterea neminem.



# ANNVS MVNDI 3105. DILVVII 1449 QVINTAE ÆTATIS 166. FVNDATI TEMPLI 83. ASÆ REGIS IVDA 26. BAASÆ 24. ET VLT. ELÆ. I. IOHANAN PONTIFICIS II. TROIÆ EXCISÆ 234. OPHRATÆI 2. IMPERII ASSYRIORVM 1174.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 948.



HIC annus Regem Asam hoste intestino liberauit; mortuus est quippe Baasa, anno vigesimo sexto Asæ, vt habetur in tertio Regum; sed quo mortis genere non traditur. Id enim tantum habetur. [a] Dormiuit *ergo Baasa cum patribus suis*, morte nimirum naturali, & non violenta; *sepultusque in Thersa*; quod oppidum Iosephus Arsanem vocat, aut mutat potius; nam eodem capite ait Baasam regnasse in Thersa, sepultum autem in Arsane, contra Scripturam. At, inquies, nonne prædixerat Iehu Propheta fore, vt is à cœli volucribus, aut bestiis terræ discerperetur? Respondeo id dictum fuisse, non de ipso Baasa, sed de domo, & familia eius, vt patet ex 3. Regum. [b] Itaque cum mox eodem in loco dicitur, factum verbum Domini contra Baasam, & contra domum eius, illud *&* idem valet quod, *id est*. Habetur eius elogium in eodem loco. [c] *Et fecit malum coram Domino, ambulauitque in via Ieroboam, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel*; quod etiam ei improperauit Propheta Iehu. I.

*Mors Baasæ.*

*a 3. Reg. 15. 33.*
*b 3. Reg. 16. 4.*
*c 3. Reg. 15. 34.*


IOSEPHVS autem hoc eum elogio celebrat. *Hic in Tharse vrbe electo dominio, viginti quatuor annis regnauit, sceleratior, magisque impius, quam vel Roboamus, vel illius filius.* In Græco non habetur Roboamus, sed Ieroboamus, vt supra monuimus. Israëlitam enim Regem cum Israëlita confert: nec Roboamus à Scriptura in exemplum improbitatis, vel impietatis assumitur, sed Ieroboamus. Pergit autem accusare hominem, & crudelitatis in populum, & impietatis in Deum: & subdit. *Quapropter misso ad eum Gimone* Propheta (sic ipse vertit vocabulum Iehu, quod apud Septuaginta est Ihu) *prædixit se totum ipsius genus excisurum, & iisdem, quibus prius Ieroboam, cladibus profligaturum, eo quod Rex à se constitutus, ingratus fuisset, nulla in administrando regno pietatis, aut iustitiæ habita ratione; quibus virtutibus nulla vel vtilior populo, vel Deo gratior, sed sceleratissimi* Ieroboami *factus imitator, omnibus eius vitiis sese contaminasset, cui cum similis esse voluerit, merito etiam similem exitum habiturum.* Ita Iosephus. Sed impius Baasa non intellexit supplicium, quod aliis Deo vltore intulisset, sibi quoque eadem peccanti impendere, qui cum in cætera impietate Ieroboamo suppar fuisset, illud insuper adiecit, vt Prophetam obiurgatorem interficeret. II.

*Eius elogium ex Iosepho.*

MORTVO Baasa, eodem ipso anno successit ei in regnum Ela filius eius, sic vt filij primus annus, fuerit vltimus patris: sicque ex vtroque incompleto vnus integer factus est, vt ex sequentibus planum fiet. De hoc porro Ela nihil aliud traditur, quam regnasse, impietatem patris æmulatum esse, & temulentum à suis occisum fuisse, vt in tertio Regum traditur; [d] sed mors in sequentem annum, quo contigit, differenda est. Colligitur tamen [e] eum bellum gessisse contra Philisthæos, quorum vrbem Gebbethon per præfectos suos obsidebat. Interea vero Asa, non quidem innoxius; nam plurimos eum de populo interfecisse legimus, [f] quod vtique non proderetur, si absque culpa factum esset; sed tamen immunis ab idololatria perseuerabat. Eamque ob causam à Scriptura commendatur, quæ in populo rudi, grauia scelera pene dissimulat, vt tanto detestabilior appareat idololatria, cui cætera crimina comparata vix appareant. III.

*Elæ Regis primus.*

*d 3. Reg. 16. 8. 9. 13.*
*e ex v. 15.*
*f 2. Paral. 16. 10.*



ANNVS MVNDI 3006. DILVVII 1450. QVINTÆ ÆTATIS 167. FVNDATI TEMPLI 84. ASÆ REGIS IVDÆ 27. ELÆ REGIS ISRAELIS 2. ET VLT. ZAMBRI, ET AMRI 1. IOHANAN PONTIF. 12. TROIÆ EXCISÆ 235. OPHRATÆI 3. IMPERII ASSYRIORVM 1175.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 947.

I. *Ratio temporis.* *Multi hoc anno reges.*



VICESIMVS septimus annus regni Asę, tres quatuorve reges vidit in Israële, Elam filium Baasæ, qui vix secūdum annum regnando inchoauit. Zambri, qui septem diebus duntaxat regnum tenuit, Amri, & Thebni, qui in schismate aliquandiu regnarunt, sed præualuit Amri, & ab hoc ipso anno regni sui annos numerare cœpit: vt duodecimus eius annus in trigesimum octauum Asæ, quod Scriptura exigit, possit incidere. Cum ergo hic vnus annus ad hosce omnes ex parte pertineat, necesse est annos Elæ duos, quos ei Scriptura tribuit; non integros, sed diminutos accipere. Cum etiam prior annus ipsius integer non fuerit, vti diximus.

II. *Ela occiditur à Zambri.* MORTEM Elæ Scriptura in hæc verba recenset: [a] *Et rebellauit*, coniurauit videlicet, *contra eum seruus suus, dux mediæ partis equitum*, neque enim aperte se hostem professus est, vt proditorum more incautum, atque imparatum occuparet, ac facilè obtruncaret. *Erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa. Irruens ergo Zambri percussit, & occidit eum anno vigesimo septimo Asæ Regis Iudæ, & regnauit pro eo.* Addit aliquid Iosephus. [b] *Elanus hic post alterum regni annum perijt per insidias, cæsus à Zamare sui equitatus dimidiæ partis magistro. Epulantem enim apud Osam*, legendum Orsam vt Septuaginta, *suum imperatorem, immissa equitum turma facile oppressit, per absentiam tam præfectorum, quam militum, qui tum omnes in obsidione Gabathonis Palæstinorum vrbis occupati fuere.* Hunc Zambri ait Chald. fuisse vnum de duobus magistris curruum. Septuaginta quoque principem mediæ partis curruum vocant, Iosepus [illegible]. Significat autem Scriptura Zambri irruisse in locum conuiuij, ibique temulentum Regem manu propria occidisse, præstolante scilicet ad fores, & vim, ac defensionem impediente illa equitum turma, quam Iosephus memorat.

[a] 3. Reg. 16. 9.

[b] l. 8. c. 6. fin.

III. *Omnemque eius familiam, & amicos.* EO facinore perfecto, ne esset qui occisum Regem Elam vlcisci posset, & secum de regno contendere, adiecit animum ad perdendos quamprimum omnes eius consanguineos; vnde sequitur in Scriptura. [c] *Cumque regnasset*, id est, curasset se proclamari Regem, *& sedisset super solium eius*, in argumentum captæ possessionis regni: *percussit omnem domum Baasa, & non reliquit ex ea mingentem ad parietem*; Chald. *Non reliquit ei cognitionem*; quasi dicat, omnes occidit vsque ad puerulos, & infantes; rerum adhuc inscios. Addidit etiam mortis socios, *propinquos, & amicos eius*, à quibus sibi, ac tyrannidi suæ timebat. *Deleuitque Zambri omnem domum Baasa, iuxta verbum* Domini, *quod locutus fuerat ad Baasa, in manu Iehu Prophetæ, propter vniuersa peccata Baasa, & peccata Ela filij eius, qui peccauerunt, & peccare fecerunt Israel, prouocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.* Hic finis Elæ, & impiæ familiæ eius. Quod autem dicit Scriptura eam ad peccandum induxisse Israëlem, vel communiter intelligi potest, eos exemplo, & authoritate sua præiuisse populo in colendis Idolis, aut etiam iussionibus, & edictis, vel nouorum idolorum introductione, vel nouarum ararum, & lucorum, & fanorū excitatione, idololatriam magis magisque in regno suo amplificasse, ac roborasse.

[c] 3. Reg 16. 11.

IV. *Grauissimo cū scelere.* IVSTA ergo mors Elæ fuit, vt quam magnus Iudex per Prophetam suum pronunciarat; iniustus tamen, ac sceleratus fuit, qui eam executus est. Non enim diuinam vindictam persecutus est, sed suam ipse malitiam ducem habuit;

nec peccata illius castigare voluit, sed propriæ ambitioni facere satis. Omni execratione dignus Zambri, qui Regem, qui per insidias, qui sine vlla authorite, qui bene de se meritum non dubitauit interficere. Nec eo crimine tam atroci contentus, multorum innocentum cæde tyrannicum gladium cruentauit. Timidum fecit, ac crudelem ambitio, non tamen satis cautum; dum se ex ea parte communit, vnde sibi minus impendebat mali. Nam domum Baasæ iam Dominus Deus deseruerat, mortique destinarat; ipse autem interea alterum latus regni æmulis nudum, & cædi opportunum reliquit. Cum enim exercitus, qui obsidebat Gebbethon vrbem Philisthinorum, *audisset rebellasse Zambri, & occidisse Regem, fecit sibi Regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris.*

ASCENDIT *ergo Amri, & omnis Israel cum eo de Gebbethon, & obsidebant Thersa.* Obsidio Gebbethon, contra quam Israëlitæ iam ante quinque, & viginti annos bellum gesserant (oppugnarat enim eam Nadab filius Ieroboam anno Asæ tertio) hæc inquam obsidio dedit commoditatem Zambri occidendi Regem Elam, sicut ibi Baasa occiderat Nadab Regem, dominum suum. *Videns autem Zambri, quod expugnanda esset ciuitas*; non enim licuit ei per tempus parare, quæ tolerandæ obsidioni necessaria erant, *ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia, & mortuus est in peccatis suis, quæ peccauerat, faciens malum coram Domino, & ambulans in via Ieroboam, & in peccato eius, quo fecit peccare Israel.* Non potuit ille quidem tantulo tempore, septem dierum regni, specimen pietatis, aut impietatis, sicut immanis crudelitatis exhibere, sed de anteacta vita videtur Scriptura proferre sententiam; quandoquidem nulla apparuit emendatio. Et finis parricidio, & desperatione plenus, præcedentem vitam, tametsi laude dignam, merito condemnaret. V. *Amri in eum insurgit.* *Et ad mortem compellit.*

NAM quod Zambri rerum suarum desperatione se ipse, resque suas in flammas dederit, duplex in eum furorem perturbatio hominem egisse videtur: metus, ne si in hostium potestatem veniret, scelestissimi parricidij in rege suo interficiendo reus, & barbaræ crudelitatis in omnem eius familiam, cognatos, amicósque, atrocissimis suppliciis excruciatus, ac discerptus interiret; ipsiusque cadauer volucribus, ac feris vicissim proiiceretur in prædam. Timuit etiam suis, ad quos paterni sceleris vltionem peruenturam putabat, quorum ignominiæ, ac cædibus, ea ratione consulere voluit. Putat etiam Abulensis inuidia motum, omnem regiam, eiusque opes incendio corrumpere voluisse, ne Amri, qui ei regnum eripiebat, iis potiri posset. [a] VI. *Causa desperationis Zambri.*

[a] q. 13. in c. 16. 3. Reg.

OCCISO tyranno, qui nullo iure, nullis populi suffragiis, nullo exercitus fauore in regnum inuolarat; cum nullus de stirpe regia superesset, qui cæteris omnibus prærogatiua generis anteferretur, *Scissum est incertum studia in contraria vulgus.* Et Amri quidem iam non leue ius habebat ad regnum: gaudebat enim prærogatiua suffragij, eiusque auspiciis tyrannus fuerat è medio sublatus; nihilominus ambientibus regnum aliis optimatibus, & militum, populique gratiam eblandientibus, *diuisus est populus Israel in duas partes, media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, vt constitueret eum Regem, & media pars Amri. Præualuit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth, mortuusque est Thebni, & regnauit Amri.* VII. *Amri sibi regnum parat.*

Hoc initium regni Amri per medias turbas, atque cædes, finem habuit placatiorem; sed tam initium quam finis, impietate contaminatus fuit, ita tamen vt malo semper superante peior volueretur ætas. VIII.



# ANNVS MVNDI 3107. DILVVII 1451. QVINTAE ÆTATIS 168. FVNDATI TEMPLI 85. ASÆ REGIS IVDÆ 28. AMRI REGIS ISRAEL 2. IOHANAN PONTIFICIS 13. TROIÆ EXCISÆ 236. OPHRATÆI 4. IMPERII ASSYRIORVM 1176.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 946.



I. *Ratio temporis belli ciuilis.* TOTIS tribus annis cum extremo præcedentis, & initio sequentis inter Amri,[a] & Thebni armis, castrisque pro Israëlis imperio certatum est, potior tamen erat Amri conditio, qui iam studiis exercitus rex creatus fuerat.[b] Tam diuturnum autem fuisse hoc schisma Scriptura innuit, cum ait diuisum fuisse populum in partes duas, & præualuisse populum, qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth, mortuúmque fuisse Thebni, & regnasse Amri. *Mors Thebni.* Apparet autem non fuisse mortuum Thebni naturali morte, sed violenta, & quidem fortasse in prælio, in quo de summa rerum ferro decerneretur, ad finem huic dissentioni, ac ciuili bello imponendum: Id indicat illud *præualuit*, quod innuit antegressum certamen.

[a] 3.Reg.16.21. [b] 3.Reg 16.15.

II. *Regnum Amri.* QVONIAM vero remanebat incertum, quando tandem pacifice regnare cœpisset Amri, mortuo regni æmulo, Respondetur, *Anno trigesimo primo Asa regis Iuda regnauit Amri supra Israel duodecim annis.* Non quidem ab hoc trigesimo primo Asæ, quandoquidem filius eius Achab post septem annos regnasse perhibetur; anno scilicet Asæ octauo supra trigesimum, sed à morte Zamri Tyranni, ad quem occidendum Rex à populo dictus fuerat: nec sane apparet causa cur Scriptura dicat anno trigesimo primo Asæ Amri regnare cœpisse, qui iam dixerat vigesimo septimo eiusdem regis anno factum fuisse,[c] regem; nisi quia nunc pacifice regnare cœperit, qui ante ius tantum habebat ad regnum, quod nondum potuerat possidere. Quæ omnino sententia est Abulensis,[d] Vatabi, & aliorum. Torniellus quoque anno quintæ ætatis 84. ait Amri post quatuor circiter annos aduersario suo præualuisse. Nam præter hos tres integros annos, duo, quos diximus, diminuti quartum conficiunt.

[c] v. 16. [d] q. 14 in c. 16.3.Reg.

III. *Asæ felicitas.* INTEREA Asa pacificam in regno suo, & ingloriam degebat ætatem, quod quidem fuerit posteritati traditum. Regni tamen diuturnitate gloriosus fuit, quam illi felicitatem Dominus largitus est, in prœmium deletæ idololatriæ in regno suo, & quantum potuit in alieno. Huc enim referri potest dictum illud Azariæ Prophetæ.[e] *Erit merces operi vestro.* Huiusmodi enim mercedem maxime sentiebant, atque appetebant Hebræi, quorum captui Dominus se accommodat. Et certe dum vnus Asa in Iuda regnat, eius æmuli Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, septem Reges impij, ac profani in Israële quoquo modo regnarunt.

[e] 2.Paral. 15.7.

Sequens annus mundi 3108. Sabbatico anno septuagesimo quinto insignitur.



## ANNVS MVNDI 3110. DILVVII 1454. QVINTÆ ÆTATIS 171. FVNDATI TEMPLI 88. ASÆ REGIS IVDÆ 31. AMRI REGIS ISRAELIS 5. IOHANAN PONTIF. 16. TROIÆ EXCISÆ 239. OPHRATÆI 7. IMPERII ASSYRIORVM 1179.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 943.



QVATVOR iam annis in ambiendo, quærendóque regno conſumptis, tandem regni æmulo de medio ſublato, rerum potitus eſt Amri, pacificéque regnare cœpit, anno Aſæ trigeſimo primo, vt paulo ante dicebamus: itáque intelligendam Scripturam, cum ait. [a] *Anno trigeſimo primo Aſa regis Iuda, regnauit Amri ſuper Iſrael duodecim annis.* quorum hic eſt quintus, *in Therſa regnauit ſex annis*, quorum vltimus erit ſequens. Quod cum non animaduertiſſet Euſebius in Chronico, hunc annum primum omnino Amri eſſe voluit, & conſequenter in regum annis deinceps componendis ſæpenumero à Scriptura diſcedit. Nam exempli cauſa, cum in ea legamus primum Ioſaphati incidere in quartum Achabi: ipſe primum Achabi componit cum ſecundo Ioſaphati. I. *Regnum Amri quietum.*

*a 3. Reg. 16. 23.*

Mortuum ait Thebni Scriptura, [b] quod Ioſephus rectè interpretatur occiſum, vt paulo ante dictum eſt. Adde autem ex Septuaginta interpretibus fratrem quoque Thebni nomine Ioramum, interfectum eſſe. Sed in eo à Scriptura diuerſus eſt Ioſephus, [c] quod Amri, quem Amarinum vocat, ait trigeſimo anno regni Aſæ regnare cœpiſſe, cum in Scriptura legamus conſtanter, trigeſimo primo.

*b 3. Reg. 16. 22.*

*c l. 8. c. 7.*

CREDIBILE porro eſt Amri, cum primum pacifice in regno viuere cœpit, de ſtabilienda regni ſede cogitaſſe. Nam in morte Zambri palatium regium cum tyranno incenſum fuerat, vrbs cædibus, & rapinis, non tunc ſolum, ſed quatuor etiam deinceps annis vaſtata fuerat. Itaque ad regni metropolim alio transferendam, vbi & regia domus ædificaretur, curas ſuas, ſtudiumque contulit. II. *Cogitat de regni ſede transferenda.*

Animaduertit autem montem in extrema tribu Ephraim, in ſeptentrionali eius parte, idoneum ad rem quam parabat. Niſi enim ingenio loci aptus fuiſſet ad vſus bellicos, nequaquam poſterioribus annis tam diuturnas obſidiones, & inſultus ferre potuiſſet. Emit autem Amri hunc montem, à quodam dicto Somer, duobus talentis argenti; quorum ſingula cum tribus millibus ſiclorum reſpondeant, vtraque tribus millibus vnciarum, vncia 55. ſolidis æſtimata ſit, vnum talentum valet 4125. francis, totus ante locus venierit 8250 francis in ære Gallico; quæ loci vilitas, magni præſertim, & ad regiam vrbem neceſſarij, ſuſpicionem præbet, magnam precij partem ab emptore remiſſam, ea conditione, vt nomen ſuum extruendæ ciuitati daretur. *Aedificauit eum montem*, ait Scriptura, *& vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Semer Domini montis, Samariam.* Alioqui quid cauſæ erat, cur non potius nomen acciperet conditoris? Et hoc quidem anno celebratus videtur emptionis contractus. Ædificatio quoque, magno ab omnibus ſtudio inchoata, in ſequentes propagata eſt. *In montem Samaria. Quem emit.*



## ANNVS MVNDI 3111. DILVVII 1455. QVINTAE ÆTATIS 172. FVNDATI TEMPLI 89. ASÆ REGIS IVDÆ 32. AMRI REGIS ISRAELIS 6. IOHANAN PONTIF. 17. TROIÆ EXCISÆ 240. OPHRATÆI 8. IMPERII ASSYRIORVM 1180.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 942.

*Num. 1. Iorami ortus.*



IC est vltimus annus habitationis Amri, & Regum Israëlis in Thersa; quo studiosissima Regis, & populi diligentia, ita ædificata est Samaria, vt proximo anno non ciues modo in ea habitare inciperent, sed Rex quoque eo sedem regni transtulerit.

Hoc ipso anno trigesimo secundo Asæ, Iosaphat filius eius, & regni successor, cum ageret ætatis annum vigesimum sextum, filio auctus est Ioramo primogenito; qui etiam post triginta duos annos (tot enim natus erat cum regnare cœpit, vt Scriptura non semel affirmat[a]) post Iosaphatum patrem regni habenas Hierosolymis tenuit.

*a 4 Reg. 8. 17. & 2. Par. 21. 5.*



## ANNVS MVNDI 3112. DILVVII 1456. QVINTÆ ÆTATIS 173. FVNDATI TEMPLI 90. ASÆ REGIS IVDÆ 33. AMRI REGIS ISRAELIS 7. IOHANAN PONTIF. 18. TROIÆ EXCISÆ 241. OPHRATÆI 9. IMPERII ASSYRIORVM. 1181.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 941.

I. *Samaria initium.*



OC primum anno Samaria sedes Regum Israëlitarum esse cœpit,[b] in qua ipsemet conditor Amri sex annis principatum decem tribuum tenuit. Etsi non desint qui velint Samariam hoc tempore non conditam, sed restauratam, vt Abulensis,[c] qui tamen alibi probabilius putauit recens fuisse constructam.[d] Ergo sicubi habetur ante Samariæ nomen,[e] vt 3. Reg. c. 13. & repetitur in quarto Regum,[f] id propheticè, vel per occupationem à scriptore sacro dictum est. Quæ autem Samaraim in Iosue memoratur, longe alia fuit ab hac. Iosephus[g] hanc ciuitatem Amri dictam fuisse Mareonem dicit, à Græcis autem Samariam. Constat tamen Somerum ab Hebræis aut etiam Sameron dici, Mareonem autem nusquam gentium: vt propterea mendum in hanc vocem, vt sæpe in propriis nominibus contingit, irrepsisse dicendum sit.

*b 3. Reg. 16. 23. 24.*
*c q. 40. in c. 13. 3. Reg.*
*d q. 15. in c. 16. 3. Reg.*
*e vt 3. Reg. 13. 32.*
*f c. 13. 18.*
*g l. 8. c. 7.*

ANNVS MVNDI 3115. DILVVII 1459. QVINTAE ÆTATIS 176. FVNDATI TEMPLI 93. ASÆ REGIS IVDÆ 36. AMRI REGIS ISRAELIS 10. IOHANAN PONTIF. 21. TROIÆ EXCISÆ 244. OPHRATÆI 12. IMPERII ASSYRIORVM 1184.

ANNVS ANTE CHRISTVM 938.

REGNI sedem mutauit Amri, non mutauit impietatem; neque cum Sabbatici anni, quorum hic est septuagesimus sextus, neque Iubilæi mouebant. Quin potius, *Fecit malum in conspectu Domini, & operatus est nequiter super omnes, qui fuerunt ante eum.* Etsi enim Ieroboami scelera omnium successorum peccata superasse videantur, propter institutam idololatriam, quam alij secuti sunt, vnde sequitur. *Ambulauitque in omni via Ieroboam filij Nabat, & in peccatis eius, quibus peccare fecerat Israel, vt irritaret Dominum* Deum *Israel, in vanitatibus suis.* Nihilominus in Idololatria (secluso exemplo Ieroboami) peior dicendus est Amri, propter studiosorem affectum in idola, & eorum cultum. Audi Iosephum. *Hic nihil à prioribus regibus differebat, nisi quod illis fuit sceleratior. Omnes enim hoc tantum agebant, vt populum quotidianis impietatibus à Deo abalienarent. Quapropter iratus Deus effecit, vt alius alium tolleret, & cum toto genere suo extirparentur.* Et paulo post. I. *Amri malitia. Sabbat. annus 76.*

HINC *recte videre licet, quam curæ sint Deo res hominum, & quomodo bonos diligat, malos contra funditus eradicet. Israelitarum enim Reges propter impietatem, breui tempore alius ab alio cum totis familiis sublati sunt. Asanus vero Hierosolymorum, duarumque tribuum rex, ob pietatem, ac iustitiam fæliciter Dei fauore viuens, ad extremam peruenit senectutem,* &c. Longæuus videlicet factus est super terram, qui impietatem è terra sua sustulit. In cæteris autem Baasa [a] totam familiam Ieroboami excidit, Zambri totum Baasæ genus sustulit, [b] Amri ad incendium compulit Zambri cum omnibus suis; [c] Iehu numerosissimam familiam Amri, & Achabi internecione deleuit. [d] Et ita deinceps vsque ad tempus, quo regnum vniuersum exterminatum est. II. *Dei prouidentia in breui impiorum principum vita.*

a 3. Reg. 15. 27. b 3. Reg. 16. 11. c c. 16. v. 18. d 4. Reg. 9. 10.

His ergo annis pacifice inter se Rex vterque vixerunt, alter in auita religione, alter in inueterata superstitione perseuerans.



ANNVS MVNDI 3117. DILVVII 1461. QVINTÆ ÆTATIS 178. FVNDATI TEMPLI 95. ASÆ REGIS IVDÆ 38. AMRI REGIS ISRAELIS 12. ET VLT. ACHABI 1. IOHANAN PONTIF. 23. TROIÆ EXCISÆ 246. OPHRATÆI 14. IMPERII ASSYRIORVM 1186.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 936.

TRIGESIMVS octauus annus regni Asæ, duobus annis Israëlitarum respondet, vltimo Amri, & primo Achabi filij eius, sed incompletis, priori parte patri, posteriore filio attributa: idque necesse est affirmare, vt pater duodecim annis, filius autem viginti duobus, vt asserit Scriptura, regnasse inueniatur. Inde autem patet quam fallantur, qui omnes Israëlitarum annos integros acceperunt, in quibus reperitur Eusebius, vt ante monuimus. Nam à I. *Duo Reges Israelis cõcurrunt.*



## ANNVS MVNDI 3119. DILVVII 1463. QVINTAE ÆTATIS 180. FVNDATI TEMPLI 97. ASÆ REGIS IVDÆ 40. ACHABI REGIS ISRAELIS 3. IOHANAN PONTIF. 25. TROIÆ EXCISÆ 248. OPHRATÆI 16. IMPERII ASSYRIORVM 1188.

### ANNVS ANTE CHRISTVM 934.

I. *Aſa morbus.*



FVIT hic annus Aſæ Regi Iudæ moleſtiſſimus in pedum dolore vehementiſſimo: qui cum ad ſenectutis morbum accederet, illud poëticum potuit ex ore regis exprimere.

*Mors eſt in votis, & mora mortis atrox.*

quæ proxime ſequenti anno ſubſecuta eſt.

II. *Achab inducit cultũ Baalis.*

VIDETVR hoc tempore Achab templum Baali in Samaria ædificaſſe, in eoque aram eidem erexiſſe, & lucum circumquaque plantaſſe. [a] *Et abijt,* inquit Scriptura, *& ſeruiuit Baal, & adorauit eum:* primus ſcilicet Regum Iſraëlis ad cultum vitulorum aureorum, quos Ieroboamus ex Ægyptiaca ſuperſtitione primus inuexerat, adiecit ex Sidonia cultum Baalis: nec voluit ſuum hunc tantum eſſe errorem, eundem effudit, & ſparſit in populum ſuum: quandoquidem ædificauit in Samaria templum illi idolo; erexit, poſuitque aram, in qua ſacrificia ritu Sidonio immolarentur. Vrgebat enim Iezabela, quæ illum quamprimum, vt ait Ioſephus, ad illius idoli adorationem pertraxit. Hanc templi ædificationem cum aperte Scriptura Achabo tribuat, Ioſephus tamen adſcribit Iezabeli, ſiue quod hæc primaria cauſa fuerit, ſiue quod illum voluit, quoquo modo excuſatum. *Erat,* inquit, *hæc muliercula audax, & temeraria, adeoque impotentis inſaniæ, vt non verita ſit templum Beli Deo Tyriorum exædificare, & lucum omnis generis arborum plantare, cui etiam ſacerdotes, & falſos vates inſtituit.* Sic ipſe.

a 3. Reg. 16. 31.



## ANNVS MVNDI 3120. DILVVII 1464. QVINTÆ ÆTATIS 181. FVNDATI TEMPLI 98. ASÆ REGIS IVDÆ 41. ET VLT. IOSAPHATI INITIVM. ACHABI REGIS ISRAELIS 4. IOHANAN PONTIFICIS 26. TROIÆ EXCISÆ 249. OPHRATÆI 17. IMPERII ASSYRIORVM 1189.

### ANNVS ANTE CHRISTVM. 933.

I. *Obitus Aſa.*



HIS verbis Aſæ mortem, quæ in hunc annum cadit in libris Regum Scriptura circumſcribit. [b] *Et dormiuit cum patribus ſuis, & ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid patris ſui.* Paulo autem plenius in 2. Paral. [c] *Dormiuitque cum patribus ſuis, & mortuus eſt anno quadrageſimo primo regni ſui, & ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in ciuitate Dauid, poſueruntque eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis,* [d] 1 *Quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimia.* 2 Quibus in verbis animaduerti primum poteſt illa ſepulchri foſſio, quæ iuuat Pinedæ, [e] & Villalpandi [f] coniecturam, de regalibus ſepulchris ordine in ſubterraneo ædificio diſpoſitis, & effoſſis.

II. *Et ſepultura ambitioſa.*

ISTA porro ambitioſa vnguentorum profuſio, non tantum magnificentiæ Ioſaphati regnum ineuntis, & propriæ in patrem beneuolentiæ ſeruiebat: ſed fortaſſis etiam neceſſitati, ſi vitioſorum humorum malignitate pedes Aſæ non

b 3. Reg. 15. 24.
c c. 16. 13. 14.
d Vide Septuag. 1. οχ. 2. οχ.
e l. 8. c. 3.
f p. 2. l. 5. c. 61.

solum intumescere, sed etiam computrescere, & diffluere tetro cum odore cœperant, vt nonnunquam cõtingit, vt aduentitius odor bonus, fœtorem vinceret. Porro vnguenta meretricia, Septuaginta vnguenta pigmentariorum, Hebræi multigena aromata vocant, alij peregrina odoramenta, pretiosa scilicet, quæ olidæ præsertim meretrices affectant, iuxta illud.

Mart. -- *Non bene olet, qui bene semper olet.*

DE hac morte Iosephus id vnum, *bona*, inquit, *morte decessit*. Dubiam tamen hanc mortem facere videtur, quod maiorem fiduciam in Rege Syriæ, quam in Domino habuerit, ad Regem Israëlis à se auertendum, quod excelsa non abstulerit, quod plurimos, aut certe aliquos, vt est in Hebræo, de populo suo iracundia suadente peremerit, quod Dei Prophetam obiurgantem, non humiliter, vt olim Dauid, audierit, sed in vincula, impiorum, & impœnitentium regum more coniecerit. Deniq; paulo ante de Asa Scriptura dicebat, eũ ne in infirmitate quidem sua Dominũ quæsiuisse, quæ hominis sunt peccatoris, valdéq; imperfecti. III. *Qualis mors eius.*

a 3.Reg.15.14. STARE nihilominus debet illa sententia. [a] *Veruntamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis*, ergo etiam vltimis: quæ cordis perfectio nihil aliud hoc loco significat, quam religionis, ac fidei integritatem, ab omni idololatria alienam. Ideoque de Abia, qui in hoc genere peccauit, legimus. [b] *Ambulauit in omnibus peccatis patris sui, nec erat cor eius perfectum, sicut cor Dauid patris eius.* Et de Salomone per mulieres deprauato, vt sequeretur Deos alienos, additur. *Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo*: & de Amasia, qui in bene cœptis non perseuerauit, sed adorauit Deos Seir, [d] legimus fecisse bonum in conspectu Domini, *Veruntamen non in corde perfecto*, quia, vt mox subditur, post cædem Idumæorum, Deos eorum statuit in Deos sibi, & adorabat eos. Itaque non negamus Asam, pro humana fragilitate, quæ obiecta sunt, & alia fortasse peccasse. In Regibus tamen impiis eum non numerandum esse contendimus, nec aliam esse Scripturæ, in eo tam laudando, quam vituperando, sententiam. Ex quo sequitur non certiorem esse de eius vel salute, vel damnatione opinionem, quam de multis principibus Christianis, qui fidem quidem integram perpetuo, non item charitatem seruauere. IV. *Quî dicatur cor eius perfectum cum Domino.*

b 3.Reg.15.3. c 3.Reg.11.4. d 2.Paral.25.2.

QVOD autem nec in infirmitate sua quæsiuisse Dominum accusatur, non reddit deploratam ipsius salutem. Potuit enim, & debuit pro salute animæ Deum quærere, qui pro corporis salute non quæsiuit, vt qui eam plagam non diuinitus immissam, sed naturalem esse cogitauit. Æternæ autem salutis indicium minime contemnendum arbitror, quod peccata eius Dominus in hac vita, & quidem non leuiter castigasse videatur. Nam fiducia in rege Syriæ, iactura thesaurorum suorum, & amissione victoriæ, quam alioqui obtinuisset, punita est. Carcerem Prophetæ, & mortem subditorũ morbo grauissimo luit: & tarditatem confugiendi ad Deum, doloribus diuturnis. Et sane in sequentibus Regibus idipsum licebit obseruare. Abulensis quoque hoc ipsum argumentum sumit, ad bene de eius salute sperandum.[e] V. *De eo bene sperandum. Et quare.*

e q.39. in c.16 2.Par.

f l.8.c.6. & 7. CÆTERVM Iosephus eum non solum vt pietatis, sed etiam tanquam iustitiæ cultorem commendat. [f] *Asanus*, inquit, *Hierosolymorum Rex vir erat, moribus honestissimis præditus, & cœlestis numinis obseruantissimus, quique nihil vel cogitaret, vel faceret, nisi pietati, ac naturæ legibus consonum. Is correxit quidquid erat in regno suo vitiosum, sublatis omnibus exoticis immunditiis*, &c. Quod merito diuina Scriptura in magna eius laude posuit, propter eximium eius in ea re studium, & summam eiusdem negotij difficultatem.[g] VI. *Eius laus ex Iosepho.*

g Vid. 2.Paral.14. 2. & 3.Reg.3.11.12. & seqq. & 22.43.

HOC ipso anno regnare cœpit Iosaphatus, sic vt eius annus primus incompletus sit, & vltimo Asæ patris sui anno compleatur. Alioqui enim Iosaphatus non cœperit regnare anno quarto Achab, quod tamen affirmatur in sacris codicibus, & additur, [h] *Triginta quinq; annorum erat, cum regnare cœpisset, & viginti quinque annis regnauit in Hierusalem, nomen matris eius Azuba filia Salai*; Abidam Iosephus vocat. Quod autem sequitur tam ad patris, quam ad filij commendationem pertinet; *Et ambulauit in omni via Asa patris sui, & non declinauit ex ea, fecitque quod rectum erat in conspectu Domini.* Sed hæc distinctius suis quæque locis intelligentur. Non vocamus autem hunc annum Iosaphati primum, quia primus annus totus VII. *Initium Iosaphati.*

h 3.Reg.22.41.



ANNVS MVNDI 3006. DILVVII 1450. QVINTÆ ÆTATIS 167. FVNDATI TEMPLI 84. ASÆ REGIS IVDÆ 27. ELÆ REGIS ISRAELIS 2. ET VLT. ZAMBRI, ET AMRI 1. IOHANAN PONTIF. 12. TROIÆ EXCISÆ 235. OPHRATÆI 3. IMPERII ASSYRIORVM 1175.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 947.

I. *Ratio temporis.* *Multi hoc anno reges.*



VICESIMVS septimus annus regni Asę, tres quatuorve reges vidit in Israële, Elam filium Baasæ, qui vix secũdum annum regnando inchoauit. Zambri, qui septem diebus duntaxat regnum tenuit, Amri, & Thebni, qui in schismate aliquandiu regnarunt, sed præualuit Amri, & ab hoc ipso anno regni sui annos numerare cœpit: vt duodecimus eius annus in trigesimum octauum Asæ, quod Scriptura exigit, possit incidere. Cum ergo hic vnus annus ad hosce omnes ex parte pertineat, necesse est annos Elæ duos, quos ei Scriptura tribuit; non integros, sed diminutos accipere. Cum etiam prior annus ipsius integer non fuerit, vti diximus.

II. *Ela occiditur à Zambri.* MORTEM Elæ Scriptura in hæc verba recenset: [a] *Et rebellauit*, coniurauit videlicet, *contra eum seruus suus, dux mediæ partis equitum*, neque enim aperte se hostem professus est, vt proditorum more incautum, atque imparatum occuparet, ac facilè obtruncaret. *Erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa. Irruens ergo Zambri percussit, & occidit eum anno vigesimo septimo Asæ Regis Iudæ, & regnauit pro eo.* Addit aliquid Iosephus. [b] *Elanus hic post alterum regni annum perijt per insidias, cæsus à Zamare sui equitatus dimidiæ partis magistro. Epulantem enim apud Osam*, legendum Orsam vt Septuaginta, *suum imperatorem, immissa equitum turma facile oppressit, per absentiam tam præfectorum, quam militum, qui tum omnes in obsidione Gabathonis Palæstinorum vrbis occupati fuere.* Hunc Zambri ait Chald. fuisse vnum de duobus magistris curruum. Septuaginta quoque principem mediæ partis curruum vocant, Iosepus ἱππάρχην. Significat autem Scriptura Zambri irruisse in locum conuiuij, ibique temulentum Regem manu propria occidisse, præstolante scilicet ad fores, & vim, ac defensionem impediente illa equitum turma, quam Iosephus memorat.

[a] 3. Reg. 16. 9.

[b] l. 8. c. 6. fin.

III. *Omnemque eius familiam, & amicos.* EO facinore perfecto, ne esset qui occisum Regem Elam vlcisci posset, & secum de regno contendere, adiecit animum ad perdendos quamprimum omnes eius consanguineos; vnde sequitur in Scriptura. [c] *Cumque regnasset*, id est, curasset se proclamari Regem, *& sedisset super solium eius*, in argumentum captæ possessionis regni: *percussit omnem domum Baasa, & non reliquit ex ea mingentem ad parietem*; Chald. *Non reliquit ei cognitionem*; quasi dicat, omnes occidit vsque ad puerulos, & infantes; rerum adhuc inscios. Addidit etiam mortis socios, *propinquos, & amicos eius*, à quibus sibi, ac tyrannidi suæ timebat. *Deleuitque Zambri omnem domum Baasa, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa, in manu Iehu Prophetæ, propter vniuersa peccata Baasa, & peccata Ela filij eius, qui peccauerunt, & peccare fecerunt Israel, prouocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.* Hic finis Elæ, & impiæ familiæ eius. Quod autem dicit Scriptura eam ad peccandum induxisse Israëlem, vel communiter intelligi potest, eos exemplo, & authoritate sua præiuisse populo in colendis Idolis, aut etiam iussionibus, & edictis, vel nouorum idolorum introductione, vel nouarum ararum, & lucorum, & fanorũ excitatione, idololatriam magis magisque in regno suo amplificasse, ac roborasse.

[c] 3. Reg. 16. 11.

IV. *Grauissimo cũ scelere.* IVSTA ergo mors Elæ fuit, vt quam magnus Iudex per Prophetam suum pronunciarat; iniustus tamen, ac sceleratus fuit, qui eam executus est. Non enim diuinam vindictam persecutus est, sed suam ipse malitiam ducem habuit;

nec peccata illius castigare voluit, sed propriæ ambitioni facere satis. Omni execratione dignus Zambri, qui Regem, qui per insidias, qui sine vlla authorite, qui bene de se meritum non dubitauit interficere. Nec eo crimine tam atroci contentus, multorum innocentum cæde tyrannicum gladium cruentauit. Timidum fecit, ac crudelem ambitio, non tamen satis cautum; dum se ex ea parte communit, vnde sibi minus impendebat mali. Nam domum Baasæ iam Dominus Deus deseruerat, mortique destinarat; ipse autem interea alterum latus regni æmulis nudum, & cædi opportunum reliquit. Cum enim exercitus, qui obsidebat Gebbethon vrbem Philisthinorum, *audisset rebellasse Zambri, & occidisse Regem, fecit sibi Regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris.*

V. *Amri in eum insurgit.*

ASCENDIT *ergo Amri, & omnis Israel cum eo de Gebbethon, & obsidebant Thersa.* Obsidio Gebbethon, contra quam Israëlitæ iam ante quinque, & viginti annos bellum gesserant (oppugnarat enim eam Nadab filius Ieroboam anno Asæ tertio) hæc inquam obsidio dedit commoditatem Zambri occidendi Regem Elam, sicut ibi Baasa occiderat Nadab Regem, dominum suum. *Videns autem Zambri, quod expugnanda esset ciuitas*; non enim licuit ei per tempus parare, quæ tolerandæ obsidioni necessaria erant, *ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia, & mortuus est in peccatis suis, quæ peccauerat, faciens malum coram Domino, & ambulans in via Ieroboam, & in peccato eius, quo fecit peccare Israel.* Non potuit ille quidem tantulo tempore, septem dierum regni, specimen pietatis, aut impietatis, sicut immanis crudelitatis exhibere, sed de anteacta vita videtur Scriptura proferre sententiam; quandoquidem nulla apparuit emendatio. Et finis parricidio, & desperatione plenus, præcedentem vitam, tametsi laude dignam, merito condemnaret.

*Et ad mortem compellit.*

VI. *Causa desperationis Zambri.*

NAM quod Zambri rerum suarum desperatione se ipse, resque suas in flammas dederit, duplex in eum furorem perturbatio hominem egisse videtur: metus, ne si in hostium potestatem veniret, scelestissimi parricidij in rege suo interficiendo reus, & barbaræ crudelitatis in omnem eius familiam, cognatos, amicósque, atrocissimis suppliciis excruciatus, ac discerptus interiret; ipsiusque cadauer volucribus, ac feris vicissim proiiceretur in prædam. Timuit etiam suis, ad quos paterni sceleris vltionem peruenturam putabat, quorum ignominiæ, ac cædibus, ea ratione consulere voluit. Putat etiam Abulensis inuidia motum, omnem regiam, eiusque opes incendio corrumpere voluisse, ne Amri, qui ei regnum eripiebat, iis potiri posset.[a]

[a] q.11. in c. 16.3. Reg.

VII. *Amri sibi regnum parat.*

OCCISO tyranno, qui nullo iure, nullis populi suffragiis, nullo exercitus fauore in regnum inuolarat; cum nullus de stirpe regia superesset, qui cæteris omnibus prærogatiua generis anteferretur, *Scissum est incertum studia in contraria vulgus.* Et Amri quidem iam non leue ius habebat ad regnum: gaudebat enim prærogatiua suffragij, eiusque auspiciis tyrannus fuerat e medio sublatus; nihilominus ambientibus regnum aliis optimatibus, & militum, populique gratiam eblandientibus, *diuisus est populus Israel in duas partes, media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, vt constitueret eum Regem, & media pars Amri. Præualuit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth, mortuusque est Thebni, & regnauit Amri.*

VIII.

Hoc initium regni Amri per medias turbas, atque cædes, finem habuit placatiorem; sed tam initium quam finis, impietate contaminatus fuit, ita tamen vt malo semper superante peior volueretur ætas.



ANNVS MVNDI 3107. DILVVII 1451. QVINTAE ÆTATIS 168. FVNDATI TEMPLI 85. ASÆ REGIS IVDÆ 28. AMRI REGIS ISRAEL 2. IOHANAN PONTIFICIS 13. TROIÆ EXCISÆ 256. OPHRATÆI 4. IMPERII ASSYRIORVM 1176.

ANNVS ANTE CHRISTVM 946.

I. *Ratio temporis belli ciuilis.*



TOTIS tribus annis cum extremo præcedentis, & initio sequentis inter Amri, [a] & Thebni armis, castrisque pro Israëlis imperio certatum est, potior tamen erat Amri conditio, qui iam studiis exercitus rex creatus fuerat. [b] Tam diuturnum autem fuisse hoc schisma Scriptura innuit, cum ait diuisum fuisse populum in partes duas, & præualuisse populum, qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth, mortuúmque fuisse Thebni, & regnasse Amri. Apparet autem non fuisse mortuum Thebni naturali morte, sed violenta, & quidem fortasse in prælio, in quo de summa rerum ferro decerneretur, ad finem huic dissentioni, ac ciuili bello imponendum: Id indicat illud *præualuit*, quod innuit antegressum certamen. *Mors Thebni.* [a 3.Reg.16.21.] [b 3.Reg.16.22.]

II. *Regnum Amri.* QVONIAM vero remanebat incertum, quando tandem pacifice regnare cœpisset Amri, mortuo regni æmulo, Respondetur, *Anno trigesimo primo Asa regis Iuda regnauit Amri supra Israel duodecim annis.* Non quidem ab hoc trigesimo primo Asæ, quandoquidem filius eius Achab post septem annos regnasse perhibetur; anno scilicet Asæ octauo supra trigesimum, sed à morte Zamri Tyranni, ad quem occidendum Rex à populo dictus fuerat: nec sane apparet causa cur Scriptura dicat anno trigesimo primo Asæ Amri regnare cœpisse, qui iam dixerat vigesimo septimo eiusdem regis anno factum fuisse, [c] regem; nisi quia nunc pacifice regnare cœperit, qui ante ius tantum habebat ad regnum, quod nondum potuerat possidere. Quæ omnino sententia est Abulensis, [d] Vatabi, & aliorum. Torniellus quoque anno quintæ ætatis 84. ait Amri post quatuor circiter annos aduersario suo præualuisse. Nam præter hos tres integros annos, duo, quos diximus, diminuti quartum conficiunt. [c v. 16.] [d q.14 in c. 16.3.Reg.]

III. *Asæ felicitas.* INTEREA Asa pacificam in regno suo, & ingloriam degebat ætatem, quod quidem fuerit posteritati traditum. Regni tamen diuturnitate gloriosus fuit, quam illi felicitatem Dominus largitus est, in prœmium deletæ idololatriæ in regno suo, & quantum potuit in alieno. Huc enim referri potest dictum illud Azariæ Prophetæ. [e] *Erit merces operi vestro.* Huiusmodi enim mercedem maxime sentiebant, atque appetebant Hebræi, quorum captui Dominus se accommodat. Et certe dum vnus Asa in Iuda regnat, eius æmuli Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, septem Reges impij, ac profani in Isräele quoquo modo regnarunt. [e 2.Paral. 15.7.]

Sequens annus mundi 3108. Sabbatico anno septuagesimo quinto insignitur.



# ANNVS MVNDI 3110. DILVVII 1454. QVINTÆ ÆTATIS 171. FVNDATI TEMPLI 88. ASÆ REGIS IVDÆ 31. AMRI REGIS ISRAELIS 5. IOHANAN PONTIF. 16. TROIÆ EXCISÆ 239. OPHRATÆI 7. IMPERII ASSYRIORVM 1179.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 943.



VATVOR iam annis in ambiendo, quærendóque regno consumptis, tandem regni æmulo de medio sublato, rerum potitus est Amri, pacificéque regnare cœpit, anno Asæ trigesimo primo, vt paulo ante dicebamus: itáque intelligendam Scripturam, cum ait. [a] *Anno trigesimo primo Asa regis Iuda, regnauit Amri super Israel duodecim annis.* quorum hic est quintus, *in Thersa regnauit sex annis*, quorum vltimus erit sequens. Quod cum non animaduertisset Eusebius in Chronico, hunc annum primum omnino Amri esse voluit, & consequenter in regum annis deinceps componendis sæpenumero à Scriptura discedit. Nam exempli causa, cum in ea legamus primum Iosaphati incidere in quartum Achabi: ipse primum Achabi componit cum secundo Iosaphati. — I. *Regnum Amri quietum.*

a 3. Reg. 16. 23.

Mortuum ait Thebni Scriptura, [b] quod Iosephus rectè interpretatur occisum, vt paulo ante dictum est. Adde autem ex Septuaginta interpretibus fratrem quoque Thebni nomine Ioramum, interfectum esse. Sed in eo à Scriptura diuersus est Iosephus, [c] quod Amri, quem Amarinum vocat, ait trigesimo anno regni Asæ regnare cœpisse, cum in Scriptura legamus constanter, trigesimo primo.

b 3. Reg. 16. 22.

c l. 8. c. 7.

CREDIBILE porro est Amri, cum primum pacifice in regno viuere cœpit, de stabilienda regni sede cogitasse. Nam in morte Zambri palatium regium cum tyranno incensum fuerat, vrbs cædibus, & rapinis, non tunc solum, sed quatuor etiam deinceps annis vastata fuerat. Itaque ad regni metropolim alio transferendam, vbi & regia domus ædificaretur, curas suas, studiumque contulit. — II. *Cogitat de regni sede transferenda.*

Animaduertit autem montem in extrema tribu Ephraim, in septentrionali eius parte, idoneum ad rem quam parabat. Nisi enim ingenio loci aptus fuisset ad vsus bellicos, nequaquam posterioribus annis tam diuturnas obsidiones, & insultus ferre potuisset. Emit autem Amri hunc montem, à quodam dicto Somer, duobus talentis argenti; quorum singula cum tribus millibus siclorum respondeant, vtraque tribus millibus vnciarum, vncia 55. solidis æstimata sit, vnum talentum valet 4125. francis, totus ante locus venierit 8250 francis in ære Gallico; quæ loci vilitas, magni præsertim, & ad regiam vrbem necessarij, suspicionem præbet, magnam precij partem ab emptore remissam, ea conditione, vt nomen suum extruendæ ciuitati daretur *Aedificauit eum montem*, ait Scriptura, *& vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Semer Domini montis, Samariam.* Alioqui quid causæ erat, cur non potius nomen acciperet conditoris? Et hoc quidem anno celebratus videtur emptionis contractus. Ædificatio quoque, magno ab omnibus studio inchoata, in sequentes propagata est. — *In montem Samaria.* — *Quem emit.*

ANNVS MVNDI 3111. DILVVII 1455. QVINTAE ÆTATIS 172. FVNDATI TEMPLI 89. ASÆ REGIS IVDÆ 32. AMRI REGIS ISRAELIS 6. IOHANAN PONTIF. 17. TROIÆ EXCISÆ 240. OPHRATÆI 8. IMPERII ASSYRIORVM 1180.

ANNVS ANTE CHRISTVM 942.

*Num. 1. Iorami ortus.*



HIC est vltimus annus habitationis Amri, & Regum Israëlis in Thersa; quo studiosissima Regis, & populi diligentia, ita ædificata est Samaria, vt proximo anno non ciues modo in ea habitare inciperent, sed Rex quoque eo sedem regni transtulerit.

Hoc ipso anno trigesimo secundo Asæ, Iosaphat filius eius, & regni successor, cum ageret ætatis annum vigesimum sextum, filio auctus est Ioramo primogenito; qui etiam post triginta duos annos (tot enim natus erat cum regnare cœpit, vt Scriptura non semel affirmat[a]) post Iosaphatum patrem regni habenas Hierosolymis tenuit.

a 4 Reg. 8. 17. & 2. Par. 21. 5.

ANNVS MVNDI 3112. DILVVII 1456. QVINTÆ ÆTATIS 173. FVNDATI TEMPLI 90. ASÆ REGIS IVDÆ 33. AMRI REGIS ISRAELIS 7. IOHANAN PONTIF. 18. TROIÆ EXCISÆ 241. OPHRATÆI 9. IMPERII ASSYRIORVM. 1181.

ANNVS ANTE CHRISTVM 941.

I. *Samaria initium.*



HOC primum anno Samaria sedes Regum Israëlitarum esse cœpit,[b] in qua ipsemet conditor Amri sex annis principatum decem tribuum tenuit. Etsi non desint qui velint Samariam hoc tempore non conditam, sed restauratam, vt Abulensis,[c] qui tamen alibi probabilius putauit recens fuisse constructam.[d] Ergo sicubi habetur ante Samariæ nomen,[e] vt 3. Reg. c. 13. & repetitur in quarto Regum,[f] id propheticè, vel per occupationem à scriptore sacro dictum est. Quæ autem Samaraim in Iosue memoratur, longe alia fuit ab hac. Iosephus[g] hanc ciuitatem Amri dictam fuisse Mareonem dicit, à Græcis autem Samariam. Constat tamen Somerum ab Hebræis aut etiam Sameron dici, Mareonem autem nusquam gentium: vt propterea mendum in hanc vocem, vt sæpe in propriis nominibus contingit, irrepsisse dicendum sit.

b 3. Reg. 16. 23. 24.
c q. 40. inc. 13. 3. Reg.
d q. 15. inc. 16. 3. Reg.
e vt 3. Reg. 13. 32.
f c. 23. 18.
g l. 8. c. 7.



## ANNVS MVNDI 3115. DILVVII 1459. QVINTAE ÆTATIS 176. FVNDATI TEMPLI 93. ASÆ REGIS IVDÆ 36. AMRI REGIS ISRAELIS 10. IOHANAN PONTIF. 21. TROIÆ EXCISÆ 244. OPHRATÆI 12. IMPERII ASSYRIORVM 1184.

### ANNVS ANTE CHRISTVM 938.



EGNI sedem mutauit Amri, non mutauit impietatem; neque cum Sabbatici anni, quorum hic est septuagesimus sextus, neque Iubilæi mouebant. Quin potius. *Fecit malum in conspectu Domini, & operatus est nequiter super omnes, qui fuerunt ante eum.* Etsi enim Ieroboami scelera omnium successorum peccata superasse videantur, propter institutam idololatriam, quam alij secuti sunt, vnde sequitur. *Ambulauitque in omni via Ieroboam filij Nabat, & in peccatis eius, quibus peccare fecerat Israel, vt irritaret Dominum Deum Israel, in vanitatibus suis.* Nihilominus in Idololatria (secluso exemplo Ieroboami) peior dicendus est Amri, propter studiosorem affectum in idola, & eorum cultum. Audi Iosephum. *Hic nihil à prioribus regibus differebat, nisi quod illis fuit sceleratior. Omnes enim hoc tantum agebant, vt populum quotidianis impietatibus à Deo abalienarent. Quapropter iratus Deus effecit, vt alius alium tolleret, & cum toto genere suo extirparentur.* Et paulo post. I. *Amri malitia. Sabbat. annus 76.*

HINC *recte videre licet, quam curæ sint Deo res hominum, & quomodo bonos diligat, malos contra funditus eradicet. Israelitarum enim Reges propter impietatem, breui tempore alius ab alio cum totis familiis sublati sunt. Asanus vero Hierosolymorum, duarumque tribuum rex, ob pietatem, ac iustitiam fœliciter Dei fauore viuens, ad extremam peruenit senectutem,* &c. Longæuus videlicet factus est super terram, qui impietatem è terra sua sustulit. In cæteris autem Baasa [a] totam familiam Ieroboami excidit, Zambri totum Baasæ genus sustulit, [b] Amri ad incendium compulit Zambri cum omnibus suis; [c] Iehu numerosissimam familiam Amri, & Achabi internecione deleuit. [d] Et ita deinceps vsque ad tempus, quo regnum vniuersum exterminatum est. II. *Dei prouidentia in breui imperii principium vita.*

a 3. Reg. 15. 29.
b 3. Reg. 16. 11.
c c. 16. v. 18.
d 4. Reg. 9. 10.

His ergo annis pacifice inter se Rex vterque vixerunt, alter in auita religione, alter in inueterata superstitione perseuerans.



## ANNVS MVNDI 3117. DILVVII 1461. QVINTÆ ÆTATIS 178. FVNDATI TEMPLI 95. ASÆ REGIS IVDÆ 38. AMRI REGIS ISRAELIS 12. ET VLT. ACHABI 1. IOHANAN PONTIF. 23. TROIÆ EXCISÆ 246. OPHRATÆI 14. IMPERII ASSYRIORVM 1186.

### ANNVS ANTE CHRISTVM. 936.



RIGESIMVS octauus annus regni Asæ, duobus annis Israëlitarum respondet, vltimo Amri, & primo Achabi filij eius, sed incompletis, priori parte patri, posteriore filio attributa: idque necesse est affirmare, vt pater duodecim annis, filius autem viginti duobus, vt asserit Scriptura, regnasse inueniatur. Inde autem patet quam fallantur, qui omnes Israëlitarum annos integros acceperunt, in quibus reperitur Eusebius, vt ante monuimus. Nam à I. *Duo Reges Israelis cõcurrunt.*

secundo Asæ vsque ad trigesimum octauum, non triginta sex, aut septem annos, sed quadraginta duos numerare coguntur: Ieroboami vnum, duos Nadabi, Baasæ viginti quatuor, Elæ duos, Amri duodecim, Achabi vnum.

*Mors Amri.* Hic ergo annus duos habuit Reges apud Israëlitas, alterum è vita, atque regno abeuntem, Amri: quem dormiisse ait Scriptura cum patribus suis; non occisum videlicet, sed naturali morte defunctum, & sepultum in Samaria; quod Iosephus quoque fatetur.


II. *Initium Achabi, eiusque insignis malitia.* ALTERVM illi in regno, & impietate succedentem Achabum, cuius res gestas fuse Scriptura persecuta est. Quæ porro fuerit vita eius tam ante regnum, quam in regno ipso ea indicant, quæ statim de ipso Scriptura commemorat. *Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerant ante eum.* Iosephus autem ait nihil eum de priorum regum institutis mutasse, nisi si quid forte deterius commentus est, omniumque impietates, ac scelera repræsentasse, sed Ieroboami præcipue. Abulensis quoque licet fateatur Ieroboamum [a] in grauiori fuisse culpa, propter inuectam idololatriam, grauius tamen ab Achabo peccatum ait, propter eam magis magisque amplificatam, qua in re etiam Amri Ieroboamum superauerat, Achabus autem etiam patrem suum impietate facile vicit; sed & aliis sceleribus præsertim cædibus prophetarum priores Reges post se reliquit: adeo vt Deus suscitarit Regem Iehu ad eius familiam exterminandam: idque facinus regia dignitate vsque ad quartam ab eo generationem muneratus sit. [b]

[a] q. 17. in c. 16. 3. Reg.

[b] 4. Reg. 10. 30.

III. *Ducit Iezabelem vxorem.* VIDETVR autem Iezabelem quamprimum vxorem duxisse, filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Scriptura certe hoc coniugium refert statim in principio regni eius, nec apparet causa differendi; præsertim si ex ea Athaliam genuit, quod tamen Scriptura non prodidit, nec Iosephus, qui nec tempus huius coniugij retulit. *Vxorem præterea duxit*, inquit, *filiam Ithobali Tyriorum, & Sidoniorum Regis, cui nomen Iezabela, moxque ab ea domesticos illius Deos colere didicit. Erat hæc muliercula audax, & temeraria*, &c. Adde etiam impiam, & crudelem, vt quæ sequuntur aperte docebunt. Crimini autem dat Achabo Scriptura, quod Iezabelem duxerit. *Nec suffecit ei*, inquit, *vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat, insuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum*: in quo non solum peccauit contra legem vetantem ducere vxores alienigenas, quæ patriæ superstitioni adhærerent; sed quod eam mulierem duxerit, à qua plurimorum, atque immanissimorum scelerum particeps factus est.

*Mulierem impiam & crudelem.*



ANNVS MVNDI 3118. DILVVII 1462. QVINTÆ ÆTATIS 179. FVNDATI TEMPLI 96. ASÆ REGIS IVDÆ 39. ACHABI REGIS ISRAELIS 2. IOHANAN PONTIF. 24. TROIÆ EXCISÆ 247. OPHRATÆI 15. IMPERII ASSYRIORVM 1187.

ANNVS ANTE CHRISTVM 935.

I. *Ægrotat Asa podagra.*



EGROTAVIT *etiam Asa, anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo*; vt est in 2. Paral. [c] in tertio autem Regum. [d] *Veruntamen in tempore senectutis suæ doluit pedes*, podagra videlicet, qua Septuaginta dicunt supra modum, aut vsque ad summum ægrotasse. *Doluit pedes*, ait Hieronymus in traditionibus Hebr. [e] *quia podagrico humore correptus est*, in quo facile consentiunt omnes interpretes. Apparet autem Asam, virum alioqui religiosum, ac timentem Deum, nec impia superstitione deprauatum, existimasse hanc ægritudinem esse mere naturalem; cum dicatur de eo nec in sua infirmitate quæsiuisse Dominum, sed in medicorum potius arte confisum fuisse; qui si à Deo se hoc

[c] 16. 12.

[d] c. 15. 23.

[e] In 2. Par. 16.

verbere pulsari sensisset, vtrique mentem, manusque extulisset in cœlum, pacem, & veniam, & sanitatem rogaturus. Et forte illam ei mentem non dedit Dominus, vt pœnas lueret tum aliarum culparum, tum eius in primis criminis, quo contaminatus est, diuinum Prophetam in vincula coniiciendo, vt passim omnes affirmant.

II. Diuinitus immissa.

Divinitus tamen immissam hanc plagam non obscure Scriptura significat,[a] quæ ea culpa narrata, mox hanc ægritudinem ei subiungit, quasi illius pœnam, vt notat Abulensis.[b] Et apparet non notatum iri eius ægritudinem, si mere naturalis fuisset, cùm in cæteris Regibus prætermittatur, nisi cum à Deo in vindictã immittitur: vt de Ioramo Rege Iuda legimus, *quem percussit Dominus alui dolore insanabili*[c]. Illa quoque reprehensio eius, quod ad Deum non recurrerit in ægritudine sua, haud obscure innuit diuinitus immissam fuisse, proptereáque ab eo remedium implorandum. Nã si mere naturalis extitisset, non multum loci haberet illa reprehẽsio, quæ efficax est, eo quod in supernaturali malo fere inane est naturale remedium. Ergo Dominus qui confidentiam in Rege Syriæ sua pœna mulctauit, vt dictum est, ita etiam crimen violati legati, quem Deus ad ipsum miserat, sua hic pœna, etsi satis diu dilata, castigauit.

III. Quamque congruenter.

Vide autem quam belle pœna regis huius cum culpa congruat. Qui enim Prophetæ pedes coniecit in vincula, pedes habuit noxiorum humorum vinculis præpeditos; & quia Rex Prophetæ libertatem abstulit eundi quo vellet, Deus Regi abstulit potestatem è lecto, in quo affixus iacebat, vel tantillum, nisi cum acerbissimo doloris morsu, progrediendi. Cumque Propheta vincula non sine dolore dies aliquot, noctésque, tres fortasse pertulisset (nam credibile est eum à Rege, non multo post quam dedisset ipsum in vincula, libertati restitutũ) rex vice versa triennio hac doloris carnificina cruciatus, tandem dolore pariter, & vita caruit. Dimissum enim è carcere, neque iussu Regis occisum, recte putat Abulensis.[d] Si enim occisus fuisset, sacer historicus non dimidiatam duntaxat culpam narrasset, eiusque præcipuam partem prætermisisset; præsertim cum Regis pœna satis grauis appareret, nec deceret omitti, quod Dei seueritatem redderet vulgo probabiliorem.

IV. Id rege non animaduertente.

Ergo Rex Asa se à Deo castigari minime cogitauit, sed humano more nihil supra naturam cogitans, sola naturalia remedia adhibuit: cum tamen & Dei manum vltricem agnoscere, & per veram pœnitentiam iratum Deum placare oportuisset; vt huius quoque vitæ dolores, futuram alterius vitæ satisfactionem minuerent. Cum ergo Asa medicos potius respiceret, quam Deum, nec ab illis sanitatem potuit, nec à Deo meruit reliquo vitæ tempore obtinere. Libet autem hoc loco audire Theodoretum,[e] qui videtur occurrere tacitæ reprehensioni de quæsitis ab Asa medicis. *Ego autem*, ait, *duorum alterum existimo, aut eos qui incantationibus vsi sunt, ac veneficiis vocatos esse medicos, vel quod solum crediderit medicis, in Deum spem non habens. Nam qui vera pietate sunt præditi, vtuntur medicis tanquam Dei ministris, scientes quod ipse medicinam etiam dederit hominibus, sicut & alias artes, & herbas ipse iusserit germinare è terra. Sciunt tamen quod nihil potest ars medicorum, Deo nolente.* Sic Theodoretus, & Procopius. Etsi autem nonnulla est affinitas magię, & medicinæ, vt monet Plinius,[f] & notauit Serar. & medicamenta, & pharmaca, pro venenis quoq. sumantur: refugit tamen animus credere Asam, cuius cor perfectum fuit cum Deo, omnib. diebus vitæ suæ, ad incantatores, cultores vtique dæmonum, confugisse. Mirum est autem hanc ægritudinem, quæ non parum diuinam iustitiam commendabat, & peculiarem Dei erga seruos suos prouidentiam demonstrabat, & Regum erga Sanctos viros, Deique legatos frenabat audaciam, à Iosepho fuisse prætermissam. Interea, vt ratio postulat, Iosaphatus patris nomine remp. administrabat; idque recte facere poterat, qui nunc annum ageret ætatis trigesimum tertium. Achab autem cultum Baalis Dei Sidoniorum, à Iesabela vxore discebat.

[a] 2. Paral. 16. 10. 12.
[b] q. 32. in c. 16. 2. Paral.
[c] 2. Paral. 21. 18.
[d] q. 35. in c. 16. 2. Paral.
[e] q. 46. in 3. Reg.
[f] l. 30. c. 1. l. 29. c. 1.



## ANNVS MVNDI 3119. DILVVII 1463. QVINTAE ÆTATIS 180. FVNDATI TEMPLI 97. ASÆ REGIS IVDÆ 40. ACHABI REGIS ISRAELIS 3. IOHANAN PONTIF. 25. TROIÆ EXCISÆ 248. OPHRATÆI 16. IMPERII ASSYRIORVM 1188.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 934.

I. *Asa morbus.*



FVIT hic annus Asæ Regi Iudæ molestissimus in pedum dolore vehementissimo: qui cum ad senectutis morbum accederet, illud poëticum potuit ex ore regis exprimere.


*Mors est in votis, & mora mortis atrox.*

quæ proxime sequenti anno subsecuta est.

II. *Achab inducit cultũ Baalis.*

VIDETVR hoc tempore Achab templum Baali in Samaria ædificasse, in eoque aram eidem erexisse, & lucum circumquaque plantasse. [a] *Et abijt*, inquit Scriptura, *& seruiuit Baal, & adorauit eum*: primus scilicet Regum Israëlis ad cultum vitulorum aureorum, quos Ieroboamus ex Ægyptiaca superstitione primus inuexerat, adiecit ex Sidonia cultum Baalis: nec voluit suum hunc tantum esse errorem, eundem effudit, & sparsit in populum suum: quandoquidem ædificauit in Samaria templum illi idolo; erexit, posuitque aram, in qua sacrificia ritu Sidonio immolarentur. Vrgebat enim Iezabela, quæ illum quamprimum, vt ait Iosephus, ad illius idoli adorationem pertraxit. Hanc templi ædificationem cum aperte Scriptura Achabo tribuat, Iosephus tamen adscribit Iezabeli, siue quod hæc primaria causa fuerit, siue quod illum voluit, quoquo modo excusatum. *Erat*, inquit, *hæc muliercula audax, & temeraria, adeoque impotentis insaniæ, vt non verita sit templum Beli Deo Tyriorum exædificare, & lucum omnis generis arborum plantare, cui etiam sacerdotes, & falsos vates instituit.* Sic ipse.

a 3. Reg. 16. 31.



## ANNVS MVNDI 3120. DILVVII 1464. QVINTÆ ÆTATIS 181. FVNDATI TEMPLI 98. ASÆ REGIS IVDÆ 41. ET VLT. IOSAPHATI INITIVM. ACHABI REGIS ISRAELIS 4. IOHANAN PONTIFICIS 26. TROIÆ EXCISÆ 249. OPHRATÆI 17. IMPERII ASSYRIORVM 1189.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 933.

I. *Obitus Asæ.*



HIS verbis Asæ mortem, quæ in hunc annum cadit in libris Regum Scriptura circumscribit. [b] *Et dormiuit cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid patris sui.* Paulo autem plenius in 2. Paral. [c] *Dormiuitque cum patribus suis, & mortuus est anno quadragesimo primo regni sui, & sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderat sibi in ciuitate Dauid, posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis*, [d] 1 *Quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.* 2 Quibus in verbis animaduerti primum potest illa sepulchri fossio, quæ iuuat Pinedæ,[e] & Villalpandi [f] coniecturam, de regalibus sepulchris ordine in subterraneo ædificio dispositis, & effossis.

II. *Et sepultura ambitiosa.*

ISTA porro ambitiosa vnguentorum profusio, non tantum magnificentiæ Iosaphati regnum ineuntis, & propriæ in patrem beneuolentiæ seruiebat: sed fortassis etiam necessitati, si vitiosorum humorum malignitate pedes Asæ non

b 3. Reg. 15. 24.
c c. 16. 13. 14.
d Vide Setar. 1. ο'. χ. 2. ο'. χ.
e l. 8. c. 3.
f p. 2. l. 5 c. 61.

solum intumescere, sed etiam computrescere, & diffluere tetro cum odore cœperant, vt nonnunquam cõtingit, vt aduentitius odor bonus, fœtorem vinceret. Porro vnguenta meretricia, Septuaginta vnguenta pigmentariorum, Hebræi multigena aromata vocant, alij peregrina odoramenta, pretiosa scilicet, quæ olidæ præsertim meretrices affectant, iuxta illud.

Mart. -- *Non bene olet, qui bene semper olet.*

De hac morte Iosephus id vnum, *bona*, inquit, *morte decessit*. Dubiam tamen hanc mortem facere videtur, quod maiorem fiduciam in Rege Syriæ, quam in Domino habuerit, ad Regem Israëlis à se auertendum, quod excelsa non abstulerit, quod plurimos, aut certe aliquos, vt est in Hebræo, de populo suo iracundia suadente peremerit, quod Dei Prophetam obiurgantem, non humiliter, vt olim Dauid, audierit, sed in vincula, impiorum, & impœnitentium regum more coniecerit. Deniq; paulo ante de Asa Scriptura dicebat, cũ ne in infirmitate quidem sua Dominũ quæsiuisse, quæ hominis sunt peccatoris, valdéq; imperfecti. III. *Qualis mors eius.*

a 3. Reg. 15. 14. STARE nihilominus debet illa sententia. [a] *Veruntamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis*, ergo etiam vltimis: quæ cordis perfectio nihil aliud hoc loco significat, quam religionis, ac fidei integritatem, ab omni idololatria alienam. Ideoque de Abia, qui in hoc genere peccauit, legimus. [b] *Ambulauit in omnibus peccatis patris sui, nec erat cor eius perfectum, sicut cor* Dauid *patris eius*. Et de Salomone per mulieres deprauato, vt sequeretur Deos alienos, additur. *Nec erat cor eius perfectum cum* Domino *Deo suo*: & de Amasia, qui in bene cœptis non perseuerauit, sed adorauit Deos Seir, [d] legimus fecisse bonum in conspectu Domini, *Veruntamen non in corde perfecto*, quia, vt mox subditur, post cædem Idumæorum, Deos eorum statuit in Deos sibi, & adorabat eos. Itaque non negamus Asam, pro humana fragilitate, quæ obiecta sunt, & alia fortasse peccasse. In Regibus tamen impiis eum non numerandum esse contendimus, nec aliam esse Scripturæ, in eo tam laudando, quam vituperando, sententiam. Ex quo sequitur non certiorem esse de eius vel salute, vel damnatione opinionem, quam de multis principibus Christianis, qui fidem quidem integram perpetuo, non item charitatem seruauere. IV. *Qui dicatur cor eius perfectum cum Domino.*

b 3. Reg. 15. 3.

c 3. Reg. 11. 4.

d 2. Paral. 25. 2.

QVOD autem nec in infirmitate sua quæsiuisse Dominum accusatur, non reddit deploratam ipsius salutem. Potuit enim, & debuit pro salute animæ Deum quærere, qui pro corporis salute non quæsiuit, vt qui eam plagam non diuinitus immissam, sed naturalem esse cogitauit. Æternæ autem salutis indicium minime contemnendum arbitror, quod peccata eius Dominus in hac vita, & quidem non leuiter castigasse videatur. Nam fiducia in rege Syriæ, iactura thesaurorum suorum, & amissione victoriæ, quam alioqui obtinuisset, punita est. Carcerem Prophetæ, & mortem subditorũ morbo grauissimo luit: & tarditatem confugiendi ad Deum, doloribus diuturnis. Et sane in sequentibus Regibus idipsum licebit obseruare. Abulensis quoque hoc ipsum argumentum sumit, ad bene de eius salute sperandum.[e] V. *De eo bene sperandum.* *Et quare.*

e q. 39. in c. 16. 2. Par.

CÆTERVM Iosephus eum non solum vt pietatis, sed etiam tanquam iustitiæ cultorem commendat. [f] *Asanus*, inquit, *Hierosolymorum Rex vir erat, moribus honestissimis præditus, & cœlestis numinis obseruantissimus, quique nihil vel cogitaret, vel faceret, nisi pietati, ac naturæ legibus consonum. Is correxit quidquid erat in regno suo vitiosum, sublatis omnibus exoticis immunditiis*, &c. Quod merito diuina Scriptura in magna eius laude posuit, propter eximium eius in ea re studium, & summam eiusdem negotij difficultatem.[g] VI. *Eius laus ex Iosepho.*

f l. 8. c. 6. & 7.

g Vid. 2. Paral. 14. 2. & 3. Reg. 3. 11. 12. & seqq. & 22. 43.

HOC ipso anno regnare cœpit Iosaphatus, sic vt eius annus primus incompletus sit, & vltimo Asæ patris sui anno compleatur. Alioqui enim Iosaphatus non cœperit regnare anno quarto Achab, quod tamen affirmatur in sacris codicibus, & additur, [h] *Triginta quinq; annorum erat, cum regnare cœpisset, & viginti quinque annis regnauit in Hierusalem, nomen matris eius Azuba filia Salai*; Abidam Iosephus vocat. Quod autem sequitur tam ad patris, quam ad filij commendationem pertinet; *Et ambulauit in omni via Asa patris sui, & non declinauit ex ea, fecitque quod rectum erat in conspectu Domini*. Sed hæc distinctius suis quæque locis intelligentur. Non vocamus autem hunc annum Iosaphati primum, quia primus annus totus VII. *Initium Iosaphati.*

h 3. Reg. 22. 41.

fere concurrit cum Achabi quinto. Idque necessarium est propter initia Iorami, & Ochosiæ, quorum hic decimo septimo, ille decimo octauo regni Iosaphati regnare cœperunt.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3120. ASAE 41.

1. ex. N. 1. NOmen Hebræum, ait Serarius, aliquam habet cum meretricis nomine similitudinem, (Zenim) quæ effecit, vt pro vnguentis myrepsicis, vt habent Græci (ἐν γένει μύρων μυρεψῶν, & genera vnguentorũ vnguentariorum,) è margine irrepserit meretriciis, id est variis. Sic ipse. Durior videtur hæc coniectura; illa ex Hebræo ad veritatem pronior. Zenim enim accedit ad Zona.

2. ex. N. 1. Nam, vt notauit Hieronymus in tradit. Regibus honoris ergo combustiones vestimentorum, & aromatum fiebant. Nec Regibus solis. Nam Miseni tubicinis.

*---membra toro defleta reponunt,*
*Purpureasque super vestes velamina nota*
*Coniciunt, pars ingenti subiere pheretro*
*Triste ministerium, & subiectam more parentum*
*Auersi tenuere facem, congesta cremantur*
*Thurea dona, dapes fuso crateres oliuo.*

Vide porro hac de re Tostatum. q. 41. in c. 16. 2. Paral.



ANNVS MVNDI 3121. DILVVII 1465. QVINTÆ ÆTATIS 181. FVNDATI TEMPLI 99. IOSAPHATI REGIS IVDA I. ACHABI REGIS ISRAELIS 5. AZARIÆ PONT. I. TROIÆ EXCISÆ 250. OPHRATÆI 18. IMPERII ASSYRIORVM 1190.

ANNVS ANTE CHRISTVM 932.

I. Iosaphati regnum. DEST primus Iosaphati Regis annus, idemque vitæ eius trigesimus sextus incipiens. *Nam triginta quinque annorum erat, cum regnare cœpisset, & viginti quinque annis regnauit in Ierusalem*, vt ait Scriptura. [a] Vir vtique clarissimus, atque inter optimos Iudæorum principes merito numerandus; cuius etiam virtutem, opposita Achabi in æmulo regno malitia, vehementer illustrauit totis duodecim annis, quibus simul regnarunt. Iosaphati enim primus est Achabi quintus, & istius vigesimus secundus, & vltimus, est Iosaphati decimus octauus. De illo legimus. [b] *Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini, & abominabilis factus est.* De hoc vice versa. [c] *Et fuit Dominus cum Iosaphat, quia ambulauit in viis Dauid patris sui primis, & non sperauit in Baalim, sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis illius*, &c. Huius tamen splendorem illius tenebræ nonnihil obscurarunt: neque mirum: *quæ enim societas luci ad tenebras?* inquit Apostolus. [d] Iosaphat itaque, vt erat vir sapiens, & Rex populi sui amantissimus, primam operam dedit, vt is vitam quietam ageret, nec iniuriis inimicorum obnoxiam.

[a] 3. Reg. 22. 42. [b] 3. Reg. 21. 25. [c] 2. Paral. 17. 3. [d] 2. Cor. 6. 14.

II. Prima eius opera. ERGO prima eius pro regno opera [e] ita referuntur. *Regnauit autem Iosaphat filius eius pro eo*, Asa scilicet, siue is primogenitus fuit, siue vnigenitus; de ipsius enim fratribus nihil proditum est, sed hic vnus multorum instar esse potuit; pergit. *Et inualuit contra Israel.* Quomodo inualuit sine certamine? An ex consequenti intelligitur antecedens? Ita quidem nonnulli. At potius *inualuit* idem est quod validum se reddidit, robur ac vires collegit, & ad resistendum factus est idoneus; neque enim idem est quod præualuit: vnde sequitur. *Constituitque militum numeros in cunctis vrbibus Iuda, quæ erant vallatæ muris*, certum scilicet in singulis numerum pro magnitudine, & conditione loci muniendi: in quo Roboamum proauum imitatus est; [f] nec minus quam ille sapienter, ciborum addidit, atque armorum necessarium apparatum. *Præsidiaque disposuit in terra Iuda, & in ciuitatibus Ephraim*, quas cœperat Asa pater eius, anno regni sui vndecimo, vt suo loco diximus.

[e] 2. Paral. 17. 1. [f] 2. Paral. c. 11. 11.

III. Pontificatus Azariæ

CÆTERVM nouum quoque hoc anno pontificem ponimus; non ex certa scientia, sed quia Chronicum Hebræorum alium pontificem Iosaphati regno tribuit, quem licet Ioam nominet, Iosephus autem [a] Ioramum, eum tamen eundem cum Iohanan esse existimamus, & à decimo sexto circiter Asæ anno pontificatum gessisse, vt eo anno diximus. Hic ergo initium pontificatus Azariæ filii Iohanan ponemus, iuxta ea quæ ibi diximus. Huius porro pontificis, sicut & aliorum pene omnium, res gestæ in obscuro manserunt. Illud tantum de eo legimus [b]. *Ipse est qui sacerdotio functus est in domo, quam ædificauit Salomon in Ierusalem.* Qua verba plerique, in quibus Strabus, Emanuel Sa, Vatabl. Lyranus, & Abulensis dicta putant, quod ipse fortiter restiterit Oziæ Regi, volenti offerre incensum, vt habetur in 2. Paral. [c] & nomen consentit. Sed tempus discrepat: Nam ab hoc anno ad illud tempus minimùm centum quadraginta anni interiecti sunt. Adde quod si hic Azarias filius Iohanan sub Ozia pontifex fuit, Amarias filius eius sub Iosaphato Pontifex esse non potuit. Quod tamen in secundo Paral. [d] legimus. Ea igitur verba. *Ipse est qui sacerdotio functus est,* &c. ad aliquod aliud egregium eius facinus sunt referenda, quod tamen non est memoriæ proditum.

a l.10.c.11.
b l. 1. parat. 6.10.
c 2.Par.26.17.
d c.19.11.

IV. Idololatria Achabi.

INVALESCEBAT autem apud Israëlitas noua idololatria, annitente Achabo, & Iezabela. Nam præter cultum vitulorũ Ieroboami, etiam inualuit cultus Baalis in templo suo, adeo vt cito quinquaginta supra quadringentos eius prophetæ celebrarentur. De retenta Ieroboami idololatria testatur Iosephus [e]. Vbi cum dixisset eum omnium superiorum Regum impietates, ac scelera repræsentasse, adit, *sed Ieroboami præcipue. Nam & vaccas ab eo consecratas adorauit, & alias super hanc impietatem addidit.* Alludit scilicet Iosephus ad illud Scripturæ [f]. *Et addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israel.* Septuaginta habent; *ad irritandum Dominum Deum Israel, & ad perdendum animam suam, super omnes Reges Israel, qui fuerunt ante eum.* Quod respicit inuectam Sidone, opera Iezabelis, idololatriam.

e l 8 c.7.
f 3 Reg. 16. 33.

V. Restauratio Ierichũtis.

SVBDITVR ibidem reædificatio Ierichuntis, facta in diebus Achabi, nõ indicato distinctius huius ædificationis tempore, quam propterea aliò nõ transferemus, sed seriem narrationis Scripturæ de more referemus. [g] *In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel Iericho, in Abiram primitiuo*, id est, primogenito *suo fundauit & in Segub nouissimo suo posuit portas eius*; id est, mortuus est primogenitus eius, dum illius ciuitatis fundamenta iecit, deinceps mortui sunt omnes vsq. ad minimũ natu, cum portas posuit ciuitatis; vt prædictum fuerat à Iosue filio Nun [h]. D. Hieronymus in libro de locis Hebr. hunc restauratorem Ierichuntis nõ vocat Hielem, sed Osam, vt aliqui Græci libri, quem plures vocant Achielem, & eum de tribu Ephraim fuisse ait. Iericho tamen in sorte, & tribu Beniamin fuerat. Sic autem ait. *Iericho vrbs, quam Iordane transgresso subuertit Iesus, rege illius interfecto, pro qua extruxit aliam Ozam de Bethel ex tribu Ephraim, quam Dominus noster atque Saluator sua præsentia illustrare dignatus est. Sed & hæc eo tempore quo Hierosolymorum ciuitas oppugnabatur à Romanis, propter perfidiam ciuium capta, atque destructa est: pro qua tertia ædificata est, quæ ad hodiernum etiam diem permanet, & ostenduntur vtriusque vrbis vestigia, vsque in præsentem diem.* Hactenus D. Hieronymus. Etsi autem dubium sit an fuerit Bethel in tribu Ephraim, alia ab ea quæ erat in terminis Beniamin; constat tamen Bethel ereptam Ieroboamo ab Abia: [i] & deinceps ab Asa, & Iosaphato retentum. [k]

g 3.Reg. 16. 34.
h Ios.6. 26.
i 2. Par. 13. 19.
k 2.Par.17. 2.

VI. Tribuatur diebus Achabi, & cur.

QVID est ergo quod reparatio Ierichuntis tribuatur diebus Achabi, & non Iosaphati, cum ea, & in ditione Iosaphati fuerit, & ipsius subditus Hiel, qui eam restaurauit? An quia nullam adhuc Scriptura mentionem fecerat in eo loco regis Iosaphat, qui tum regnabat in Iuda, sed tantum Achabi, & patris eius Amri, & reliquorum Regum Israël. An quia opus malum mali Regis temporibus potius, quam boni tribuendum fuit? sed prior ratio simplicior, & melior. Itaq. non assentior Pinedæ, [l] qui ait inter peccata Achabi referri, quod in diebus eius Hiel ædificauerit Iericho, cuius instauratio à tot seculis fuerat interdicta. Nam ea nihil ad Achabum pertinet, & tantum in diebus eius condita dicitur, non Iosaphati; licet vtrumque verum sit, quia, vt diximus, nondum eo loco Script.

l l.8.de reb. Sal.c.1.26.

regni Iosaphati mentionem fecerat, neque, nisi multo post, sub libri tertij fine, facturus erat. Nec interea rem memorabilem omittere voluit, sed sub initia Achabi recitare, innuens eam sub ea tempora contigisse.

VII. *Qualis mors filiorum Hielis.* APPARET autem filiorum istorum Hielis mortem, præter naturæ ordinem præproperam fuisse, atque violentam, vt quæ in parentis peccati pœnam inferebatur: nam quæ naturalis est, pœna est peccati nobis congeniti, & à primo parente propagati. Index autem mortis à superiori, & extraordinaria causa illatæ, erat quod omnes ordine quo nati erant, quasi dedita opera moriebantur; vt notarunt Abulensis, Masius, Caietanus, & nos anno Iosue primo retulimus [a]. a 2.m 2574. n.114. Deo tamen in eis non solum peccatum paternum, vt solet in paruulis, & expertus est Dauid in filio ex adulterio suscepto, sed proprium etiam vindicante, cuius pœnam alioqui dilaturus fuisset, aut mutaturus. Is autem cum loci commoditate ad ædificandum induceretur, forte immemor fuit maledictionis *Qui, pœna ab eo non animaduersa.* Iosue, cum ea ante quingentos, & triginta circiter annos contigisset: forte etiã existimauit huiusmodi execrationi Deum minime annuisse, aut ratam esse voluisse; itaque filiorum mortem imprudens, aliis quibusdam particularibus caussis, omissa vera, germanaque tribuebat.

ANNVS MVNDI 3122. DILVVII 1466. QVINTÆ ÆTATIS 151. FVNDATI TEMPLI 100. IOSAPHATI REGIS IVDA 2. ACHABI REGIS ISRAELIS 6. AZARIÆ PONTIF. 2. TROIÆ EXCISÆ 251. OPHRATÆI 19. IMPERII ASSYRIORVM 1191.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 931.

NVM. I. *Iosaphatus pie regnat.*



QVEMADMODVM Achab ab ipso regni sui initio ingenitam, & à parente receptam impietatem non solum prodidit, sed etiam, stimulis Iezabelis agitatus, vehementer auxit: Ita vice versa Iosaphat, pij patris religiosissimus filius, conceptã à teneris pietatẽ, non solum à principio imperii sui præ se tulit, ad quã nõnullum etiam momentum hic secularis templi annus, idemque Sabbaticus septuagesimus septimus afferre potuit, sed, Domino eius cor animumque gubernante, insigniter amplificauit. *ann. Sabb. 77.* Hoc Scriptura in hæc verba tradit. [b] *Et fuit Dominus cum Iosaphat, quia ambulauit in viis Dauid patris sui primis;* b 2. Par.17. quando scilicet Dauid innocentissimè, sanctissiméque vixit. Optimus itaque erat Iosaphat, quandoquidem erat optimo simillimus. Ponitur autem Dauid à Scriptura, quasi idea, exemplar, & mensura bonorum Regum in populo Dei; adeo vt in laude Iosiæ, & Ezechiæ, qui sine controuersia fuerunt laudatissimi, ponatur, quod in viis Dauidis ambulauerint. *Et non sperauit in Baalim,* quamuis ex communicatione cum Achabo, summo Baalis cultore, labefactari potuisset, *sed in Deo Patris sui, & perrexit in præceptis illius, & non iuxta peccata Israel.*

II. *Ac feliciter.* DICITVR quoque Dominus fuisse cum Iosaphato, quod efficeret vt omnia illi ex voto succederent, iuxta peruulgatam Scripturæ phrasim, quæ nomine diuinæ præsentiæ, à qua bona cuncta procedunt, prosperitatem intelligit; vt de Isaaco, Iosepho, aliisque legimus: vnde sequitur. *Confirmauitque Dominus regnum in manu eius,* subditis omnibus illi obtemperantibus, ac pro vero, ac legitimo Rege illum habentibus, idque verbo, factisque demonstrantibus. Nam *dedit omnis Iuda munera Iosaphat, factæque sunt ei infinitæ diuitiæ, multa gloria.* Inclinauit nimirum Dominus omnium subditorum animos erga ipsum, inque intimæ beneuolentiæ argumentum, ei regnum congratulantes, magna illi munera omnes

obtulerunt, quæ tot, ac tanta fuerunt, vt iis Rex vehementer ditatus fuerit. Nomine etiam munerum intelligi poſſent tributa, & vectigalia regia, vt ſupra non ſemel; ſed prior expoſitio textui accommodatior eſt.

III. *An, & quatenus excelſa ſuſtulerit.*

HAC populi alacritate, & ſtudio ergo ſe bene vſus Rex, eam ad Dei gloriam, à quo glorificabatur, conuertit: vnde ſequitur. *Cumque ſumpſiſſet cor eius audaciam propter vias Domini, & excelſa, & lucos de Iuda abſtulit.* Idem habetur 2. Paral.[a] *ſed bona opera inuenta ſunt in te, eò quod abſtuleris lucos de terra Iuda.* Quid eſt ergo quod alibi[b] de eodem Ioſaphato dicitur, *Veruntamen excelſa non abſtulit, adhuc enim populus ſacrificabat, & adolebat incenſum in excelſis?* Quæ fere repetuntur 2. Paral.[c] An dicendum eſt pium Regem id quidem ſuſcepiſſe, atque aggreſſum eſſe, & ex parte feciſſe: bene tamen cœpta, propter magnam contradictionem multorū, & ſeditionum periculum non perfeciſſe? Mirum enim in modum populus huiuſmodi lucis, & excelſis capiebatur, vt locis ad omnem animi oblectationem, corporiſq. remiſſionem perquam idoneis; præſertim cum in eis non idolis, ſed Deo vero, quamuis alieno in loco, ſacrificaretur. Ad ea quoque retinenda, tot præcedentium Regum, & principum indulgentia populus abutebatur; & Ioſaphat aliquid indulgendum, ac diſſimulandum, prudenter exiſtimauit.

a c.19.3.
b 3. Reg. 22. 44.
c c.20.33.

IV. *Status Iſraelis.*

INTEREA Iſraëlitæ in eadem erant naui. Regnabat Iezabel, regnabat & Baal, ad eiuſque cultum vniuerſus populus effuſiſſimis ſtudiis ferebatur: Achabo videlicet, quem dementauerat vxor ſua, & Iezabeli gratificaturus. Idque mox ex hiſtoria, rebuſque geſtis Eliæ, quem Dominus vtriuſque furori oppoſuit, facile intelligitur.



## ANNVS MVNDI 3123. DILVVII 1467. QVINTAE ÆTATIS 184. FVNDATI TEMPLI 101. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 3. ACHABI REGIS ISRAELIS 7. AZARIÆ PONT. 3. ELIÆ 1. TROIÆ EXCISÆ 252. OPHRATÆI 20. & VLT. IMPERII ASSYRIORVM 1192.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 930.

I. *Ioſaphat mittit qui erudiant populum.*



QVO anno apud Aſſyrios extinctus eſt Ophratæus, emenſo viginti annorum curriculo in imperio, (etſi in ſequentem annum melius fortaſſe retulerit Africanus) eodem Ioſaphatus egregio facinore præclare de Domino Deo, populoque ſuo vniuerſo meritus eſt. Nominatim ſiquidem annotatus eſt hìc tertius Ioſaphati annus, in quo Rex per vniuerſum regnum Sacerdotes, & Leuitas miſit, qui populum in ſynagogis docerent. Et vt res maioris eſſent authoritatis, & fructus, & ne quid fortaſſe ab improbis turbaretur, miſit aliquos de principibus ſuis, qui eſſent legationis huius duces. *Tertio autem anno regni ſui*, ait Scriptura[d], *miſit de principibus ſuis Benhail, & Obdiam, & Zachariam, & Nathanael, & Michaam, vt docerent in ciuitatibus Iuda.* Non erant iſti quidem doctores, ſed Sacerdotum, & Leuitarum, qui docturi erant, ductores: generalis tamen finis ipſis quoque tribuitur.

d l. 2. Paral. c.17. v.7.

II. *Quorum id mus eſſet.*

EXISTIMAT Abulenſis[e] docendi munus apud Hebræos, ad laicos quoque pertinuiſſe, qui idonea ſcientia inſtructi eſſent; licet nunc propter hæreticos, qui ſeſe ingerunt in hoc officium, in ruinam animarum, mitti legitime, probarique prædicatores ſanctiſſime à Domino conſtitutum ſit, Apoſtolos ſuos, diſcipuloſque mittente; aut certe hoc munus, non vni Leuiticæ tribui alligatum fuiſſe. Multi enim Prophetæ populum docuerunt, qui neque ſacerdotes fuerunt, neque Leuitæ, in quibus eminet in primis Eſaias, atque adeo Dauid ipſe; cuius eſt illa vox. *Ego autem conſtitutus ſum Rex, ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius,*

e q.16 in c. 17. 2. Par.

*prædicans præceptum eius.* Neque Sacerdotes, & Scribæ, & Pharisæi Christum à prædicatione repellebant, quod maxime optassent, obiecta laïca tribu; nec Paulus reiiciebatur ab æmulis suis, eo nomine quod ad Beniaminiam tribum, non ad Leuiticam pertineret. Et cum Paulus, & Barnabas synagogam Antiochiæ ingressi essent Sabbatho [a] post lectionẽ Legis, & Prophetarum miserunt principes synagogæ ad eos qui inquirerent, non an Leuitæ essent, & ius docendi populi haberent, sed an *quis in eis sermo esset exhortationis ad plebem.* Subdit inde scriptor Sacer nouem Leuitas, ac Sacerdotes duos, qui ratione status sui, & Sacerdotii tenebantur legis habere peritiam, & populum docere: iuxta illud, *Labia Sacerdotis custodiũt scientiam,* &c. adeo vt dicat Dominus per Oseam. [b] *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Proptereaque isti *docebant populum in Iuda, habentes librum legis Domini*, siue Deuteronomium, vt quibusdam placet, qui totus exhortatorius est, ad diuinæ legis obseruationem: siue Pentateuchum, qui legis nomine in primis intelligitur, *& circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.*

a Act. 13. 15.

b c. 4. c.

III. *Qua mittẽdi causa.*

SI huius missionis causam quærimus, ea statim in promptu est. Nam huius eruditionis defectu necesse est fidem, ac pietatem populi perire, morosque sylueścere, quæ pius Rex volebat in dies efflorescere. Occasionem tamen suspicor fuisse difficultatem, quam experiebatur in euertendis excelsis. Quod facilius sperabat obtineri posse, si populus edoceretur, quantum id diuinæ legi repugnaret, [c] quæ omnia hæc idololatriæ, vel monimenta, vel incitamenta euerti, succidi, confringi, ac penitus exterminari iubebat. Oportebat etiam, vt error, non tantum ex oculis, exturbatis profanis statuis, & altaribus, sed ex mentibus quoque verbi Dei gladio tolleretur: & vice versa pietas, altiores ageret radices in dies in populo rudi, qui maximam vitæ partem in temporalium curam, cogitationemque conferebat; & ne alioqui eos diuinorum mandatorum vel obliuio, vel negligentia caperet. Itaque in synagogis, etiam posterioribus seculis, erant qui sermonem adhortationis in aures populi instillarent: vt constat ex Actis Apostolorum, vt paulo ante dicebamus. [d]

c vt patet Deut. 7. 5.

d Act. 13. 15.

IV. *Iosaphat amabilis suis, exteris formidabilis.*

Hoc studium religiosissimi Regis nõ caruit mercede, etiam in hac vita. Quando enim Rex se timore Domini vehementer affici re ipsa docuit. Dominus eum amabilem toti regno suo, omnibus exteris formidabilem reddidit; sic enim legimus. [e] *Itaque factus est pauor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Iuda.* Domino scilicet id agente per se, Iosaphato quiescente, nec bellorum seueritate illis incutiente terrorem. Ea enim posteriora fuerunt, ad quæ tamen potest Scriptura respicere hoc loco, *Nec audebant bellare contra Iosaphat*; rati se impares fore, siue ad aggrediendum, siue ad resistendum. *Sed & Philistæi Iosaphat munera deferebant, & vectigal argenti*, non noua quapiam adacti victoria, sed à superioribus temporibus Dauidis, & Salomonis. Neque enim eos iugum excussisse ab eo tempore legimus; neque hic tanquam subacti, sed tanquam subiecti referuntur; etsi aliter visum Abulensi. [f] *Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, & hircorum totidem*, postquam videlicet ab eo deuicti essent, suborta aliqua bellandi causa legitima.

e 2. Par. 17. 10.

f q. 21. in c. 17. 2. paral.

V. *Prophetas Israëlitis Deus suscitat.*

NON deerant quoque hoc tempore Israëlitis prophetæ, qui irritis clamoribus, & adhortationibus Regem, & populum ad meliora prouocarent; sed surdis canebant cantilenas; necesse ergo fuit periculum facere, an vexatio daret intellectum auditui. Quod factum est per Eliam Thesbitem, qui hisce temporibus exortus est. Licet enim Scriptura nihil distincte de anno asserat, series tamen narrationis eius sponte nunc Eliam offert. Torniellus eius initia ad annũ sequentem distulit; commodius tamen visum est sex primos siccitatis menses in hunc annum referre; vt tribus aliis deinceps elapsis, & occisis pseudoprophetis, pluuia, & fertilitas sequeretur, & affinitas inter vtrumque Regem.

*In primisq. Eliam.*

VI. *Historia Eliæ ex teã ne Hierosolymitano.*

QVONIAM vero hoc primum loco se offert magnus Elias, *vir Propheta, potens opere, & sermone*, atque inter huius æui prophetas longe clarissimus, libet nonnulla de eo huic inserere narrationi, quæ circa annum Domini quadringentesimum Arcadio, & Honorio imperantibus tradidit Ioannes Hierosolymitanus antistes, ordine quadragesimus quartus, vt est in eius opusculo, quod in bi-

bliothecam veterum patrum relatum est, qui vel antiquiorum scriptorum monumentis, vel Hebræorum traditionibus Hierosolymis edoctus, ea scire potuit, quæ in illum libellum mandauit, cui titulum indidit, *De institutione primorum monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perseuerantium*. Quem non ita pridem perquam eruditis commentariis illustrauit R. P. Thomas à Iesu ordinis fratrum Carmelitarum discalceatorum per Belgium, & Germaniam generalis Vicarius, iustamque eidem operi conciliauit fidem. Græcè ab authore editum, latinitate donare curauit, ante annos omnino quingentos, Aymericus Antiochenus Patriarcha, natione Gallus, patria Lemouicensis, sub annum Domini centesimum vigesimum supra millesimum.

Evm ille librum conscripsit, cum post diuturnam vitæ religiosæ cum fratribus montis Carmeli professionem, Hierosolymis post S. Cyrillum factus Pontifex, ad alias euocatus curas, non potuit eos vltra domesticis exemplis, verbisque instituere: rogatus enim à fratribus, maximeque à Caprasio, quem ille præpositum religiosorum suo loco relinguebat, ad eorum consolationem, certioremque institutionem edidit librum, in quem non pauca, partim ex Scriptura mandauit literis, partim ex traditione seniorum, quibuscum à puero vixerat, qui & ipsi à maioribus eadem per manus acceperant; quæ ad sanctum hunc prophetam, & vitæ ab eo institutæ rationem pertinent; ex quo nonnulla pro instituto libabimus. VII. *Eiusque de eo liber.*

Et primum quod ad tempus attinet, floruisse ait Eliam prophetam sub Achabo Rege, & ab eius regni exordio, ad Christi Domini ortum nonaginta quatuor circiter annorum decades fluxisse: Recte *circiter*, & apte ad nostram chronologiam, quæ totidem decades numerat, exceptis duntaxat annis quatuor; vt vides in indice anni ab orbe condito ter millesimi centesimi decimi septimi. *In diebus vero*, inquit, *huius Achab, & in regno eius fuit quidam Propheta magnus de tribu Aaron, cui nomen erat Elias, ex patre vocato Sabacha, ortus in ciuitate Thesba*, Thesbonem Iosephus appellat [a], *quæ est in regione Galaad, quæ ab ipso monte nomen est sortita, sicut & regio monti illi circumuicina, trans Iordanem sita, in sorte dimidiæ tribus Manasse*. Sic ipse. Nimirum terra Galaad, tam ad tribum Gad, quam ad dimidiam tribum Manasse pertinebat. Thesbam tamen Adrichomius in tribu Gaditana collocat; Eum Abulensis [b] Sacerdotem fuisse negat, aut Leuitam, haud firma ratione nixus. Neque enim locus habitationis ei fauet, cum Leuitæ totis tribubus dispersi essent. Non desunt etiam qui è tribu Beniamin ortum putent. Sed Rabini non solum Leuitam fuisse credunt, sed etiam Sacerdotem, atque adeo Phineem Pontificem; perabsurde. Verum S. Epiphanio conuenit cum Ioanne Hierosolymitano de Eliæ non solum Leuitica tribu, sed etiam sacerdotali familia. Hæresi enim quinquagesima quinta, quæ est contra Melchisedecianos. *Elias Thesbites*, inquit, *frater fuit Iodai sacerdotis, ex sacerdotibus nimirum etiam ipse existens, filius autem Achimaam*, &c. deducit enim genealogiam vsque ad Aaronem; parum vtique accuratam; Nam inter Phineem & Ozi, quem ipse Aziam vocat, duas omittit ætates, duosque Pontifices Abisue, & Bocci. Addo de eius nomine, Hieronymum id [c] modo fortem Domini, modo Deum Dominum interpretari. Alii alludentes ad græcam vocem ἥλιος, Eliam, quasi alterum solem dictum volunt, in quibus sanctus Chrysostomus [d], Sedulius, & venerabilis Beda. [e]

VIII. *Quo tempore floruit.* — 940. — *Genus eius, patria, & nomen.*

[a] l. 8. c. 7. vt Sept.
[b] q. 1. in c. 17. 3. Reg.
[c] in c. 5. Mich.
[d] hom. 3. de Elia to. 1.
[e] q. 28. in lib. Reg.

Svnt porro nonnulla apud eundem Præsulem de Elia, quæ natiuitatem eius antecedunt. Is enim sub libelli finem agens de Eliæ pallio, quem ille abiens Elisæo reliquit. *Docuit*, inquit, *Elias monachos hanc religionem profitentes debere albo pallio superuestiri, quemadmodum eos albis indutos Dominus præostendit Sabachæ patri Eliæ. Ante quippe filii sui Eliæ natiuitatem vidit Sabacha in somnis viros candidatos, qui illum salutabant. Quæ visio ei præsignauit quales eius filius Elias imitatores suæ vitæ monasticæ habiturus esset; qui illum non tantum in candore mentali synceræ puritatis imitaturi erant, sed etiam corporalis habitus albi, eos desuper tegentis*. Aliud quoque vaticinium de Elia ante eius natiuitatem patri eius diuinitus factum refert Ioannes idem. Ipsi nimirum dictum Hierosolymis, puerum ei nasciturum, qui Israëlem in gladio, & igne iudicaret; significando iudicium, quod publice in monte Carmelo

IX. *De ipso vaticinia.* — c. 10.

ipsum inter, & pseudoprophetas celebratum est. Meminit horum Abulensis [a], eaque ex Hebræis mutuata refert.

X. *Quæ eius vitæ initia in patria.*

ÆGRE autem adducor, vt Eliam credam sedecim annis Carmelum montem inhabitasse, instituentem viros religiosos, qui tum dicebantur filij prophetarũ. Cum enim Ioannes scribat eum coluisse hunc montem post reditum suum ex monte Oreb, vbi diuinam habuit visionem; certè ab eo tempore ad eius raptũ vix duodecim anni numerantur, cum ab hoc ipso tempore ineuntis sterilitatis, non plures anni quam sedecim reperiantur, vt ipsa series annorum docebit. Illud libentius crediderim, virum à Deo ad eximiam sanctitatem, & dona prophetiæ, & miraculorum destinatũ, à patre puerili institutione studiosè informatum, feliciter in patria virtutum rudimenta posuisse, & à populari idololatrarũ nequitia seiunctum vixisse, ea opinione sanctitatis, vt omnibus admirationi esset. Cui consentanea est illa animi præsentia, qua Regem Achabum improuisus adiit, molestissimum illi, totique populo nuncium allaturus. Erat vtique vir sanctissimus, iam ætate maturus, & vulgo sanctitate, ac professione religiosa, eximiisque Dei donis venerabilis. Qualem decebat eum esse, qui aliquando tot insignium virorum futurus erat magister, ac parens: quos solet Dominus mature ad sanctitatem informare ac præparare.

XI. *Coluisse virginitatẽ ex Hieron.*

COELIBEM illum vixisse, atque adeo virginitatem illibatam conseruasse, graues in primis authores testantur [b]. Audi Hieronymum. *Si Ioannes Baptista*, inquit, *venit in spiritu, & virtute Eliæ, & Ioannes virgo est, vtique non solum in spiritu eius venit, sed etiam in corporis castitate.* Idem in libello de custodia virginitatis ad Eustochium significat. *Cum de Paradiso*, inquit, *virginitatis eiectum tunicis vult vestire pelliceis, quas Elias ad Paradisum rediens proiecit in terram*, ea videlicet habitatione dignus, propter animi corporisque puritatem. Sanctus Chrysostomus [c] annumerat Eliam, & Elisæum iis, qui in Dei iudicio virginitate splendebunt.

*Chrysost.*

*Ephrem.*

Sanctus Ephrem Syrus [d], Eliam, & Elisæum, & Ioannem, & Apostolum Paulum in eorum numero recenset, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Et alibi, [e] *Donum optimum monachi est virginitas, curru ipsum ad cælos cum Elia vehens.* Et in sermone de transfiguratione, *Aspexit*, inquit, *virgo veteris Testamenti, virginem noui, Elias nimirum Ioannem, qui ascendit super currum ignis, illum qui recubuit super pectus flammæ.* Ambrosius libro primo de virginibus: *Elias nullis corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus inuenitur. Ideo ergo curru raptus ad cœlum, ideo cum Domino apparet in gloria, ideo Dominici venturus est præcursor aduentus.*

*Ambros.*

XII. *Ioan. Hierosolymit.*

IOANNES Hierosolymitanus ait, eum primum inter viros fuisse colendæ virginitatis authorem, & eius imitatione Beatam Virginem inter mulieres primã votum virginitatis emisisse. *Ideo Elias*, inquit, [f] *vt in spiritu perfectè Deo viueret, crucifixit carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis, mortificans membra peccati, quæ sunt super terram: fornicationem, libidinem, immundiciam, & concupiscentiam malam, altiori quodam modo antecessoribus suis. Quoniam, vt per puritatem castitatis, & incorruptionem suæ carnis æquaretur Angelis, ad conuersationis imitationem, seipsum propter Deum virginitate perpetua primus hominum sponte decorauit.* Et rursum: *Nam sicut Elias* [g] *prius præputium sciuit à sua carne, & mente prorsus circuncidere, dum primus inter homines studuit virginitatem perpetuam sponte inchoare: ita postea Beata Dei genitrix præputium impudicitiæ sciuit exemplo Eliæ à se penitus circuncidere, dum quasi vestigium hominis illius, elegit prima fœminarum propter Deum in virginitate perpetua viuere.* Hæc Ioannes.

XIII. *Elias à Deo siccitatem petit.*

ELIAS ergo Thesbites harum, cæterarumque virtutum præsidio munitus, in primisque diuino zelo feruens, animaduertens deplorabilem interitum diuini cultus, & fidei in regno Israëlitico, *Oratione orauit ad Dominum*, ait Iacobus Apostolus, *vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.* Fuisse autem hanc orationem, non solum plenam fidei, plenam animi, plenam spiritus, & feruoris, sed etiam continuam, atque constantem, significat idem Apostolus [h]. Cum enim dixisset multum valere deprecationem iusti assiduam; profert in exemplum Eliam. *Elias*, inquit, *homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret*, &c. Vt scilicet, intelligeret impius populus à quali, ac quanto Deo defecisset, cuius benignitatis influxu cessante, homines, atque animalia deficerent, terra exusta caloribus sterilis fieret, & in puluerem, cine-

resque

a q. 58 in c. 4. 4. Reg.
b l. 1. contr. Iouin.
c l. de virg. c. 5.
d tom. 1. sub init.
e Exhor. ad mona.
f c. 2.
g c. 34.
h c. 5. 17.

resque redigeretur; & sic debita peccatis suis calamitate affectus, pœnitentiam ageret, & conuerteretur ad Deum.

XIIII. *Et impetrat Regemque adit.*

DIVTVRNIS ergo precibus sollicitato numine, sensit se voti compotem factũ, vt ad ipsius arbitrium deficiente pluuia, siccitas exureret terram: vnde fames in homines, bestiasque redundaret. Itaque in Spiritu Domini venit ad Regem Achab, & dixit ad eum. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Nimirum non prædixit quanto tempore siccitas duratura esset, & forte Dominus ei nõ reuelauit à principio, quam diuturna futura esset, sed suo tempore se illi dicturum promisit, adesse finem eius. Sicut Angelus dixit Iosepho. *Vade in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi* [a]. Idque ex eo confirmatur, quod elapso eo tempore Dominus vltro dixit Eliæ. *Vade, & ostende te Achab, vt dem pluuiam* [b]. Indicium quoque non determinati temporis, ex eo petitur, quod Achab perquiri fecit Eliam vbique gentium, credens terræ fœcunditatem ex eius ore pendere.

a Math. 2. 13.
b 3 Reg. 18. 1.

XV. *In quo peccat Ioseph.*

ELIÆ orationem non satis fideliter videtur interpretatus Iosephus. Ait enim: *Hunc* (Achabum scilicet) *propheta quidam Dei maximi, è Thesbone Galaditica vrbe oriundus, adiit, dicens eum prænunciare, quod nec pluuiam illis annis daturus sit, nec rorem, donec ipse vates non compareret; additoque iureiurando, quo magis rem confirmaret, secessit ad tractum australem, vbi ad torrentem quendam degebat, vnde potum haberet: nam cibus ei quotidie per coruos afferebatur.* Hic Iosephus iterum discedit à Scriptura. Non enim abiit Elias ad australem partem, vt ipse ait, sed ad orientalem, scilicet ad torrentem Carith, qui est contra Iordanem. At Iordanis orientalis est Samariæ. Audiamus ergo Scripturam ipsam. *Et factum est verbum Domini ad eum, dicens; recede hinc, & vade contra orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes,* &c. Sed priora videamus.

XVI. *Achabus non sæuit in Prophetam.*

QVID ad huiusmodi denunciationem dixerit Achab, Scriptura tacuit; credibile est, vt hominem adhuc ignotum Regi, & nouum, eiectum de conspectu Regis quasi insanum, qui absurda, & aliena ab hominum potestate polliceretur. Itaque licet diceret terram rore, & pluuiis carituram, donec ipse diceret futuram, eamque suis ad Deum precibus impetraret, non curauit Achab, aut potius, Deo ita rem disponente, illi in mentem non venit Prophetam istum minacem comprehendere, & in vincula coniicere, vt si res ipsa minarum veritatem comprobaret, aut precibus, aut verberibus cogeretur ad impetrãdam pluuiam: quomodo malefici dicuntur plagis compelli ad tollenda maleficia, quæ dæmonum ope in homines, bestiasue induxerint. Interim autem reliquus annus à pluuia immunis comminationi fidem facere cœpit.

XVII. *Diuina in eum prouidentia.*

ABIIT ergo Elias è conspectu Achabi, statimq. apparuit diuina erga seruos suos prouidentia. Nam, *factum est verbum Domini ad eum*, siue per apparentem angelum, quem reuera ad ipsum postea missum legimus, siue per vocem aliquam in aëre formatam, siue per somnium, aliamue aliquã rationem, qua Deus agere solet cum Prophetis. Iussusq. est inde recedere, & abire orientem versus, & abscondi, vt vrgente fame frustra inquireretur, nec compelleretur vi tormentorũ ad tollendam à populo famis, & siccitatis plagam. Author mirab. sacræ Script. [c] ait duplici occasione absconditum, quatenus & tempore famis haberet alimoniam, & persecutorum, auide se quærentium rabidam effugeret iram. Absconditus autem est in torrente, siue in spelunca aliqua propinqua torrenti Carith; quem Adrich. collocat cis Iordanem excurrentem ex monte Ephraim prope vrbem Phaselum. Hieronymus vero eum trans Iordanem constituit, vbi vitiose legitur Corath pro Carith, siue Corith, vt est in Hebræo. Desertum oportuit esse locum, & inuium, vt ibi illum latere nemo suspicari posset. Itaque Ioannes Hierosolymitanus ei accommodat illud Dauidis, *In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* Quamuis tunc inaquosus non esset locus. Dictum est enim, *& ibi de torrente bibes.*

c l. 2 c. 15.
*Qua latebras,*
in loc. Hebraic.
cap. 2.
Psal. 62. 3.

XVIII. *Cibum, potumque ei prouidet.*

PROVIDENDVM quoque de cibo fuit: itaque subditur. *Coruisque præcepi, vt pascant te ibi.* Et potuerunt quidem Angeli assumere speciem coruorum ad exercendum hoc ministerium: sed rectius est intelligere animalia, quibus hoc nomen proprie conuenit, quam vocem in alienam significationem sine necessitate tra-

here: adde quod quotidianum hoc, & famulare ministerium non satis videtur Angelis conuenire; qui præsides sunt hominum, duces, ac custodes, non famuli, vt disserit Abulensis, [a] qui eũ famulatum Christo reseruatum scribit. Habemus tamen inferius Angelum bis Eliam dormientem excitasse, & subcinericium illi panem præbuisse, & vas aquæ, quæ vtique ipse aliunde attulisset, quod ipsemet eo loco fatetur Abulensis, negat tamen ea illi famulorum in morem obtulisse. Dominus autem dedit illum instinctum coruis, vt inuentum alicubi cibum, bis quotidie deferrent ad Eliam, quemadmodum posterioribus seculis ad Paulum Eremitam, etsi vtrumque posset sine cibo, vt Moysem in monte Sinai, sustentare. Sed nimirum voluit Dominus diuersa genera potentiæ suę circa hominum sustentationem demonstrare; & qui in Mose ostenderat se homines sine cibo conseruare posse, voluit in Elia ostendere se cibum non habenti, mirabiliter dare posse.

*Angelorũ ministeriũ.*

[a] q. 15 in c. 17. 3 Reg.

XIX. *Vnde petita.* VNDE autem petebatur hic cibus? hoc præsertim famis tempore, quo diligentius vbique panes, carnesq. asseruabantur: Author mirab. sacræ Script. [b] vnde, inquit eas carnes, & panes ille coruus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat. Respondet eleganter Abulensis, [c] si hi corui reuera erant Angeli, facile eis fuisse adire Achabi domum, ibique inuisos accipere quæ liberet, etiam in aliorum conspectu, qui viderent auferri cibũ, nec prohibere possent, quod à veris coruis præstari non posset. Itáque Angelos fecisse, detulisseq. desertum aliquem in locum, in quo erant corui, panes, & carnes: quas illi rostro, atque vnguibus acceptas, Deo instigãte, ad Eliæ speluncam deferrent. Elias autem prandium, ac cœnam sumeret, & gratias quam studiosissime Deo ageret, de tam paterna, tamque insolenti prouidentia: ciborum autem reliquias ministris suis daret. Nec fit vlla vini mentio, siue quia minus erat necessarium, præsertim in publica necessitate mortalium. siue quia vasa vinaria à coruis: sine nouo miraculo ferri non possent. Quid autem comederet in diebus ieiuniorum, & azymorum, quære ex Abulensi [d].

[b] l. 2. c. 15.

[c] q. 16. in c. 17.

[d] q. 18. & 19.



## ANNVS MVNDI 3124. DILVVII 1468. QVINTAE ÆTATIS 185. FVNDATI TEMPLI 102. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 4. ACHABI REGIS ISRAELIS 8. AZARIÆ PONT. 4. ELIÆ 2. TROIÆ EXCISÆ 253. OPHRATANIS 1. IMPERII ASSYRIORVM 1193.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 929.

I. *Regnum Ophratanis.*



NOVVS hoc anno exoritur princeps in regno Assyriorum, quẽ Eusebius Ophratanem, siue Ophratenem vocat, Africanus autem, si qua Scaligeri libro fides, Ephracherem; sed imperij quoque duratione dissentiũt. Nam hic duos illi supra quinquaginta annos attribuit: Eusebius autem, duobus sublatis, rotundum numerum retinuit.

II. *Ioramus ducit Athaliã.* HOC ipso anno, qui erat Iorami filii Iosaphati decimus quartus, videtur Iosaphatus affinitatem cum impio Achabo contraxisse, eius filiam Athaliam, parente vtroque dignissimam, filio suo vxorem accipiendo. Neque enim aut hoc tẽpus nuptiarum anteuerti par est, aut vltra recte differri potest, vt initio regni Ochosiæ filii Iorami intelligetur. Malis autem auibus contractam hanc affinitatem, & initam amicitiam, cum ipse Dominus per Prophetam, qui Iosaphatum illo nomine reprehendit, tum ipsa euenta docuerunt. Hæc est enim illa crudelis Athalia, quæ occiso marito, vniuersum regium semen extinguere conata est: tantumque facinus vtique perfecisset, nisi Dominus, qui Dauidi familiam perpetuam spoponderat, natu minimum filium, dirę internecioni, pio sororis furto, substraxisset [e]. Sed & ipsemet Iosaphat extremum adiit capitis discrimen, cum armorum societatem cum Achabo aduersus Syros iniuisset: At hæc suis locis clariora euadent. Eas nuptias, vt infaustas Scriptura præteriit, satisque habuit,

*Infeliciter.*

[e] 4. Reg. 11.

a 4. Reg. 8. 18. & 4. Reg. 11. 1.

quod necesse erat, dicere filiam Achab fuisse vxorem Iorami [a] matrem Ochosiæ Regis Iudæ.

III. *Sterilitas, & fames an vbique gentium.*

FAMES porro hoc anno, & duobus sequentibus Achabi regnum late populata est: circumpositæ autem regiones vix siccitatem istam senserunt. Ægyptum enim sterilitas non attigit, vt quæ non expectat de cœlo pluuiam, vt terra Chanaam, cæteræque regiones: [b] Et cum apud Diuum Lucam [c], dicit Dominus, in diebus Eliæ factam fuisse famem magnam in omni terra, id de omni terra Israëlis, in qua Elias versabatur, accipiendum est; quod etiam agnosci potest ex querela Achabi aduersum Eliam, quem ait turbasse Israëlem, pluuiam videlicet de cœlo prohibendo, non autem orbem terrarum; cum tamen in iurgio res augeri potius soleat, quam diminui. [d] Quod notauit author mirabiliũ Scripturæ. Ea de re fuse disputat Abulensis, [e] contenditque neque naturaliter posse contingere huiusmodi siccitatem in toto orbe, cum non sit eadem cœli dispositio, & influxus vbique in hæc inferiora; neque supernaturaliter, cum Deus eadem pœna non puniat omnes peccatores, neque soleat in hac vita punire infideles, qui Deum ignorant; nequæ hæc pœna regno Iudæ, quod nunc pietate sub Iosaphato florebat, conueniret.

b Deut. 11. 11.
c c. 4. 25.
d l. 2. 15.
e q. 9. in c. 17. 3. Reg.

IV. *Etiã apud Tyrum, & Sidonem.*

ATTIGIT nihilominus Tyrios atque Sidonios ista calamitas. *Meminit* enim, vt ait Iosephus, [f] *huius inopiæ pluuiarum etiam Menander in gestis Ithobali Tyriorum Regis, sic scribens. Hoc regnante etiam pluuiarum defectus fuit, ab hyperberetæo mense, vsque ad insequentis anni hyperberetæum continuus: qui cum supplicationes indixisset, secuta est magna vis tonitruum*, &c. Vides eos quoque sensisse plagam siccitatis, vnde profecta erat Iezabel, quæ causa fuit, vt impietas apud Israëlitas latius exundaret; sed cum vnius anni tantum meminerit, dici posse videtur, in vicinis regnis, Diuinam vltionem fuisse temperatam; solos autem Israëlitas totis tribus annis afflictos. Nullam tamen in regno Iosaphati famis legimus mentionem. Historia vero viduæ Sareptanæ, quæ mox subiicitur, longiorem apud Sidonios quoque famem innuit, ac siccitatem. Cum ergo defectum pluuiæ agricolæ, ciuesque lamentarentur, defectuque humoris neque terra proscindi, neque semen computrescere, aut adolescere, neque prata herbam, & fœnum iumentis generare possent; tristissima videlicet erat facies totius regionis, vnde homines penuria, & fame, morbis ac mortibus afficiebantur.

f l. 8. c. 7.

*Siccitatis malum.*

V. *Quid interea Elias.*

QVID interea Elias ad torrentem? quid Achab agebat in Samaria? [g] de Elia recte philosophatur Abulensis, nihil illum quidem habuisse quod ibi ageret, minime tamen otiosum fuisse. Cum enim sapientes, si velint, nunquam soli sint, vt aiebat magnus ille Africanus, neque vnquam otiari cogantur, sed possint vtilissimis semper, nobilissimisque occupationibus mentis distineri: multo id magis de tanto Propheta existimandum est, qui intima Dei familiaritate fruebatur, Deum sæpe loquentem audiebat, & ipse vicissim alloquebatur Deum; & in contemplatione diuinæ sapientiæ, prouidentiæ, bonitatis, potentiæ, pulchritudinis, liberalitatis, immensitatis, iustitiæ, misericordiæ, æternitatis, cæterorumque attributorum diuinę maiestatis placidissime acquiescebat. Multa illi quoque cum angelis, quorum vitam, ac puritatem imitababatur in terris, familiaritas, ac consuetudo sermonum. Denique ea illi erat occupatio, quæ nunc est in secreto illo, ad quem raptus est, loco. Vbi nemo qui sapiat eum dixerit, iam vltra bis mille, & quingentos annos, otio torpescere. Esset enim magna quædam imperfectio in Propheta sapientissimo, Deoque charissimo.

g q. 21. in c. 17. 3. Reg.

*Contemplationi deditus.*

VI. *Ex Ioanne Hierosolymitano.*

VERVM si Ioannem Hierosolymitanum audire voluerimus [h], inueniemus eum & cum Deo, & cum hominibus non inutiliter occupatum. Ait enim eum, quasi alterũ Abrahamum, iussum diuinitus exire de terra sua, & cognatione sua, & domo patris sui, per illa verba. *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruisque præcepi, vt pascant te ibi.* Quæ verba ille fuse interpretatur de vita seculari deserenda, & religiosa instituenda. Ibi edoctum ait diuinitus formam viuendi, quam ipse deinceps, cum plerisque, quos ipsi Dominus aggregaturus erat, perfectioris vitæ studiosis, esset acturus. Et consentaneum est rationi Eliam, tam periculo, & necessitate compulsum, quam Dei iussione incitatum, deserta loca petiisse, & mox Dei adiuuante

h l. de inst. mon. cit. c. 2. & seqq.

gratia, necessitatem in liberam voluntatem libenter conuertisse, & vitam ab hominum turbis secretam, & solitariam, Deoque familiarem (quæ vsu ipso gratior quotidie, dulciorque reddebatur) adamasse: cuius cum tyrocinium aliquot annis egisset in terris, diuturnam professionem facturus, raptus est in cœlum.

VII. *Occasio eremitici instituti.* EANDEM necessitatem deinceps alii, perfectioris vitæ ducem habuerunt, eiusque in primis discipuli, vt mox dicemus, lætique ex animo dixerunt, *fœlix necessitas quæ ad meliora compellit.* Elizabetham, beatæ virginis cognatam, referunt authores idonei, cum infantulo Ioanne in eremũ profugisse, eam declinantem carnificinam, quam immanis tyrannus aduersus innocentem infantiam exercebat; ibique deinde defunctam, Deo, atque Angelis pusionem suum non temere commendasse, ac commisisse. Qui mox eremitico victu, vestituque vsus, eam vitæ perfectionem adeptus est, quæ tanto, tamque singulari elogio diuinitus commendaretur, vt inter natos mulierum maior Ioanne Baptista non surrexisse diceretur. Illi tamen par Elias fuit, in cuius spiritu & virtute, Archangelo Gabriele teste, Ioannes venit in mundum. Paulus quoque, qui primi eremitæ nomen accepit, aliique deinceps permulti dum tyrannorum furorem, immaniter in Christianum nomen bacchantium, fugiunt, & in penetralia solitudinum, ac desertorum locorum timidi proripiunt sese: ibi diuina superfundente se gratia, & charitate, quæ vertit praua in directa, & aspera in vias planas, mutati in viros alteros, vitam alioqui ferinam, in Angelicam, cœlestibus deliciis abundantem commutarunt.

VIII. *Eliæ deuotio, & contemplatio.* CERTE Ioannes ille præsul de Elia sic loquitur. [a] *Eliæ cor vt in deserto ex feruenti charitate intra se concaleret, & in meditatione eius ignis diuini amoris exardesceret, gustabat frequenter ineffabilem Dei gloriã, & sedebat, id est, requiescebat, in torrente voluptatis diuinæ, quo Deus potat diligentes se, dicente Propheta, torrente voluptatis tuæ, potabis eos* [b]. Sed quãuis satageret tunc Elias in contemplatione tam ineffabilium diuitiarum, siue deliciarum assidue requiescere, oppressus tamen corruptibili corpore, nequibat in eis diutissime permanere. Qui ad seipsum reuersus modo lætabatur in corde tacite, ex recordatione degustatæ suauitatis: modo vero gemebat valide ex desiderio, & fame gustandi suauitatem dulcedinis tam iucundæ. Hæc ibi Ioannes, aliaque plurima in eandem sententiam. — a c. 9. b Psal. 35. 9.

IX. *Ad eum pij viri cõueniunt.* EIVSDEM etiam Eliæ in eadem solitudine cum hominibus conuersationem idem religiosus Antistes consequenter describit [c], ait enim plerosque Deum timentes viros, ipsum ad torrentem Carith cõmorantem, adiisse, bonis scilicet Eliæ, atq ipsorũ Angelis vsi ductoribus, ne à rege Achabo, & regina Iezabela cogerentur, sicut reliqui de populo, Baalis idolum adorare; *viri quippe isti*, ait, *timore Dei repleti, cernentes Eliam in verbo Domini tunc continere cœlum, vt pluuiam non daret super terram, ad eum tanquam ad Dei cultorem accedebant, occulte in solitudine Carith, vt sub eius doctrina in cultu veri Dei persistere possent, & idololatriam vitarent. Hos itaque Deo deuotos viros Elias, secundum formam sibi à Deo traditam, habuit suæ monasticæ vitæ primos discipulos, & imitatores veros, quos etiam docuit prophetare, id est, ad laudem Dei cantica, hymnos, & psalmos, cum instrumentis musicis, decantare.* Hactenus Ioannes. — c c. 10. eius lib.

X. *Eiusque discipuli fiũt.* ET hæc fere fuit occupatio eorum, qui filii Prophetarum dicti, pridem sub Samuelis disciplina vixerant, in quorum cuneos incidit aliquando Saul, & facto in eum Spiritu Domini prophetauit cum ipsis. Tales & nunc fuerunt discipuli Eliæ, & post eius discessum Elisæi, eoque refert illa verba Ioannes [d], quæ Sapiens in Eliæ commendationem protulit. [e] *Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & prophetas facis successores post te*; quæ plerique ad Iehu, & Elisæum referunt, quorum ille ad pœnam domui Achabi inferendam, factus est Rex; hic vnctus est in Prophetam, vt Eliæ officio succederet, iuxta illud [f] Domini verbum. *Elisæum autem filium Saphat vnges Prophetam pro te.* Non male nihilominus idem Ioannes ad religiosæ vitæ Eliæ successores ea verba refert, quia non est hominis facere prophetas, id est, diuinorum secretorum, & rerum futurarum conscios, qualis fuit Elisæus, sed Dei. *Non enim voluntate humana*, vt ait Petrus, *allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines* [g]. Et Paulus prophetiam, sicut & operationem virtutum, aliaque dona Dei, æque ad — d Ibidem. e Eccl. 48. 8. f 3. Reg. 19. 16. g 2. Petr. 1. 21.

a 1. Cor. 12. 11. Spiritum sanctum largitorem [a] refert. Adde quod non de vno Propheta, sed de pluribus agit Sapiens, qui ad hoc Prophetiæ genus, quod humanam admittit industriam, à magnis Dei famulis instituuntur, vt alibi de Samuele diximus. Quales hoc tempore Iezabel morti dabat, & Abdias in speluncis abditos, pane, & aqua nutriebat [b].

b 3. Reg. 18. 4.

TVM videlicet Rex recordatus est Eliæ, iuratæque siccitatis, iuxta arbitriũ eius. Dimittit ergo vbique gentium nuncios, qui Eliam omni studio perquirant, & ad ipsum adducant, vt ab eo aut vi, aut precibus extorqueat publici, grauissimique mali leuationem; quandoquidem experientia siccitatis edoctus, agnoscebat illum veridicum prophetam. Credebat ergo omnino verum fore alterum quod ille dixerat, non venturam pluuiam, nisi id ipse dixisset. Itaque dicebat Abdias Eliæ. [c] *Viuit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum, quo non miserit Dominus meus te requirens, & respondentibus cunctis, non est hic, adiurauit regna singula, & gentes, eo quod minimè reperiteris.* Primum per totum regnum suũ curauit diligenter inquiri, & præconis voce denunciari, additis etiam execrationibus aduersus dissimulantes, vt si quis nosset vbi esset Elias, id protinus Regi denunciaret. Idem factum in circunquaque positis regnis, ac regionibus, quo illum abiisse probabile foret, ad regnum scilicet Iosaphati, amici ac cognati suĩ, & Idumæorum illi subiectorum, Moabitarum, Ammonitarum, Syrorum, Tyriorum, Sidoniorum, Palæstinorum, Arabum, Ægyptiorum. Sed frustra quærebatur, quem Dominus nolebat inueniri. Proprie hic sumitur adiurare, vt notat Sa, quod est metu violandæ religionis, & pietatis, aut incurrendæ diuinæ vltionis, adigere aliquem ad aliquid dicendum, vel faciendum. Exigebat ergo iusiurandum Achab ab omnibus, ne Eliam celare auderent. Interea autem ille ad torrentem manebat, Deo, & coruis notus, & religiosis, vt dixi, viris, qui minime tenebantur homini reuelare, quem Deus volebat abscondi.

XI. *Achab inquirit Eliã.*

c 3. Reg. 18. 10.

*Vbiq. gentium.*

HVC quoque, & ad aliquot superiores annos pertinet ea prophetarum cædes, quam impia Iezabela in regno suo exercuit, iuxta illud. [d] *Cum interficeret* Iezabel *prophetas Domini, tulit Abdias centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua,* rebus scilicet ad vitam necessariis. Occidebat autem illa eos, quod cum veri Dei cultores essent, ei Baalis cultrici modis omnibus aduersabantur, eam increpabant, & diuinam in eius caput vindictam intentabant: vt ipsemet Elias [e]; & populum ab idolis quantum poterant, nec irrito conatu, auertebant. Hinc illa septem millia, quæ non curuauerant genua ante Baal [f]. Baalis sacerdotes, ac prophetas, tanquam improbissima Sathanæ mancipia, apud populum accusabant, & morti dabant, vt postmodum fecit Elias [g]; denique consentire Eliæ, in hac populi calamitate, censebantur.

XII. *Iezabela prophetas interficit.*

d 3. Reg. 18. 4.

e 3. Reg. 21. 23.

f 3. Reg. 19. 18.

g 3. Reg. 18. 40.

CVM autem desiit eum quærere Achab, ratus mortuum, aut à Deo aliquem in locum translatum, iuxta illud Abdiæ. *Cum recessero à te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro,* &c. [h] Quæ verba credibile est eum dudum apud Achabum vsurpasse, qui propterea de eo reperiendo desperans, Deo siccitatis malum, remediumque permittebat. Cumque interea, post vnum scilicet, aut alterum annum, siccatus est Eliæ torrens; tunc demum factus est sermo Domini ad eum dicens. *Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Præcepi potest idem significare, quod prouidi, vt paulo ante, cum dixit se præcepisse coruis, vt pascerent Eliam, dando eis instinctum, vt quotidie carnes, & panem ad eum afferrent, simulque etiam prouidendo per Angelos, vt illi quotidie reperirent quod ferrent: sic & miraculum multiplicationis olei, & farinæ Dominus destinarat in domo viduæ, ad Eliæ nutritionem. Quamquam dici etiam potest reuelationem factam viduæ, fore vt ad eam veniret Propheta, & domi eius viueret, & maneret absconditus: eámque eadem Domino, quæ mox Eliæ respondisse, & Dominum vicissim se vtrisque prouisurum affirmasse: rem autem totam distinctè Prophetæ aperuisse.

XIII. *Elias mittitur in Sarephtam.*

h 3. Reg. 18. 12.

*vt ibi viuat.*

QVARE, inquies, à principio non misit Dominus prophetam in Sarephtã, XIIII. *Cur non à*

ſed expectauit, vt torrens exſiccaretur, qui vtique facere poterat, vt Elias in Sarephta non inueniretur, & vt torrens iugiter aquas funderet. Reſpondeo cum Abulenſi, [a] vtrumque ſuaui diuinæ prouidentiæ conſentaneum fuiſſe, quæ non multiplicat fruſtra miracula. Ergo dum ſtudioſiſſimè quæreretur Elias, difficile erat eum latere in vrbe Sarephtana, quin humanitus homo peregrinus ab aliquo videretur, & denunciaretur: quod non erat timendum, cum iam Rex eum quærere deſiiſſet: & populus putaret fortaſſis illum inuentum fuiſſe.

[a] q.14.20 22. in c.17. 3.Reg.

*Cauſa miſſionis.* Permiſit quoque diſpoſitioni naturali hunc torrentem, vt deficiente aqua, mitteret Dominus ſeruum ſuum ad viduam Sarephtanam, primum vt eam aleret, quæ cum filio ſuo alioqui fame peritura erat; ſecundum vt farinam, & oleum eius multiplicaret inſigni, ac myſtico prodigio: tertio vt filium eius mortuum reuocaret ad vitam; totaque poſteritas intelligeret, quam grata Deo, fructuoſaque ſit miſericordia in pauperes, quamque eam Deus etiam in hac vita, copioſe remetiatur.

1.
2.
3.
4.

XV. *Eam adit ignotus.*

SVRREXIT ergo Elias iuſſu Domini, *& abiit in Sarephta*, & qui eum in ſolitario torrente abſconderat, eundem per medias vias regias, & ciuitatem populoſam ignotum, forte etiam inuiſibilem, præterquam mulieri viduæ, reddidit. Nam cum Achab omnes adiuraſſet, & Prophetam omnibus, vt apparet, indiciis expreſſiſſet, vel agnoſci potuiſſet, vel vt ſuſpectus interrogari à Sidoniis; ab eiſque, gratiam Achabi, qui gener eſſet Regis Sidoniorum, ambientibus deferri [b]. Sed acceſſit ad eam prouidentiam, vt is vltra non quæreretur, vt dixi. Erat autem oppidum Sarephta inter Tyrum, & Sidonem ſitum, vicinum vtrique, vt ait Ioſephus, & tribui Aſer.

[b] 3.Reg 16 31.

XVI. *Eliæ cum vidua colloquium.*

CVMQVE *veniſſet ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua.* Hæc erat mulier, apud quam manſurus erat Elias, donec ſterilitatis tempus abſolueretur. Dixerat enim Dominus: *& manebis ibi*, &c. *præcepi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Hæc erat apud quam miracula facturus erat. Quam tenui vero in re eſſet, id docet, quod fruſta lignorum vicatim colligeret (Ioſephus eam vocat operariam ligna colligentem) ſtatimque ea conſpecta diuinitus admonetur: eam ipſam eſſe hoſpitam ſuam; alioqui enim temerè videretur ab ea non ſolum aquam, & panem petere, quæ eſſet mulier Sarephtana, & infidelis, ſed etiam futurum miraculum ei cito propalare. Nec ſtatim nunciauit ſe diuinitus ad eum miſſum hoſpitij, & miraculi cauſa, ſed paulatim ſe inſinuauit in colloquium, & familiaritatem, poſtulando aquam, qua viatores maxime egent, & qua pauperes abundant: quam cum promptè, libenterque datura eſſet, petiit etiam panem. *Affer mihi obſecro*, inquit, *& buccellam panis in manu tua*: ne ſcilicet ſolus frigidæ potus æſtuanti noceret.

χερνῆτιν ξυλολογοῦσαν.

XVII. *Qua prodit paupertatē ſuam.*

HIC mulier occaſionem habuit patefaciendi Prophetæ paupertatem ſuam, & Propheta nunciandi viciſſim optatum nuncium diuinæ benignitatis. Quæ reſpondit, *Viuit Dominus Deus tuus.* Ex his verbis non rectè colligitur, hanc mulierem fuiſſe gentilem. Nam iiſdem vtitur & Abdias, vir bonus, ac timens Deum ab infantia ſua [c]. Rectius gentilem probat origo generis, & habitatio: quam tamen ab Elia ad veri Dei cognitionem, & cultum, cum familia ſua fuiſſe conuerſam, tam perpetuo illo farinæ, oleique miraculo, quam ſuſcitatione filij eius à mortuis, longè probabiliſſimum eſt. Pergit, *quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Sic paupercula vidua, quæ hoc ipſo quod excuſat paupertatem ſuam, & iureiurando confirmat, nec reiicit ignoti hominis petitionem, prodit affectum benignè faciendi. Hic Elias. *Noli timere*, inquit, mortem, quam tibi propter famem arbitraris imminere, *ſed vade, & fac ſicut dixiſti. Verumtamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcinericium panem paruulum*; in quo egregiam eius fidem probauit. Quod autem ait, *& affer ad me*, an in publicum ad portam ciuitatis? minime ſane; ſed in cubiculum, ſiue cœnaculum, in quo ipſe in domo viduæ manſurus erat, cuius mox fit mentio.

[c] 3.Reg.18. 10.12.

*Eius affectus.*

XVIII. *Cui Elias*

TIBI *autem*, inquit Elias, *& filio tuo facies poſtea*: & ne durum id videatur, &

contra ordinem charitatis, subdit egregiam à Deo mercedem. *Hæc autem dicit Dominus Deus Israel, hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ. Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ: & comedit ipse, & illa, & domus eius, & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbum* Domini, *quod locutus fuerat in manu Eliæ.* *reuelat Dei in ipsam benignitatem.*

Eximium plane diuinæ benignitatis exemplum, quo pauperculæ mulieris fidem, & liberalitatem, tam profusè remuneratus est. Existimauit enim minime decere ipsius maiestatem à muliercula liberalitate vinci, sed Prophetæ sui conuictum copiosissima voluit pensione persoluere.

MINIME autem existimandum est præcise eo die defecisse oleum, & farinam, quo pluuia reddidit terræ fertilitatem. Nam sic menses aliquot tota illa familia penuria afflicta fuisset, sed ab eo tempore paulatim imminui vtrumque cœpisse; & cum primum frugibus terræ frui potuerunt, illico supernaturalem annonam defecisse; sicut manna olim defecit, cum Israëlitæ terræ frugibus vesci cœperunt.[a] Fiebat autem miraculum, vt illud ex Abulensi addamus,[b] non per olei, aut farinæ rarefactionem, quia res rarefacta non magis nutriuisset post rarefactionem, quam antea, & sic fieret inutile miraculum: sed per internam additionem nouæ quantitatis, quo modo in viuentibus contingit per cibi sumptionem, Deo intime illam quantitatem per creationem augente, vt vere augeri diceretur, & non exterius adiungendo, vt cum aqua, alterius aquæ additione, crescit. XIX. *Quale id miraculum fuerit, & quam diuturnum.*

a Iosue 5. 12. b q. 29. in c. 17. 3. Reg.

SVB hoc ipsum tempus publicæ famis, & priuatæ abundantiæ, Elia apud hanc viduam habitante, Dominus probaturus mulieris patientiam, & muneraturus charitatem, adiecit & maius, admirabiliusque beneficium; quod deinceps Scriptura, sic narrat. XX. *Mors filij viduæ.*

*Factum est autem post hæc, ægrotauit filius mulieris matris familias* (eiusdem scilicet illius viduæ, de qua hactenus: ideoque Septuaginta, & Chald. & Hebr. vocant dominam domus: ex quo intelligi potest, plures quoque alios in eadem domo habitasse. Certe vbi nos legimus, *Et comedit ipse, & illa, & domus eius,* Septuaginta habent, *& filij eius,* & supra quoque, vbi vulgatus vnius tantum filij meminit, vbique Septuaginta numero multitudinis vtuntur, filios pro domesticis accipiendo. Hebræi autem, & Chaldæ. vnius tantum filij meminerunt. Iosephus etiam vnicum filium agnoscit. Hic ergo filius ægrotauit, *& erat languor fortissimus, itaut non remaneret in eo halitus,* id est, deficiente respiratione extinguebatur. *Dixit ergo ad Eliam. Quid mihi, & tibi vir Dei?* Quid à me peccatum est aduersum te, vt Deus irasceretur mihi, & interficeret filium meum? aut certe si nihil peccaui in te, ingressus tuus in domum meam fecit, *vt rememorarentur iniquitates meæ,* quibus olim offendi Deum, & apparerent quasi oppositæ lumini sanctitatis tuæ, & diuinis oculis intolerabiles redderentur.

c 3. Reg. 17. 19.

ET *ait ad eam Elias,*[c] *Da mihi filium tuum, tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum, vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum; & clamauit ad Dominum, & dixit. Domine Deus meus, etiam ne viduam apud quam ego vtcumque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* Suauissima est hæc querela, index eximiæ in Deum fiduciæ, & familiaritatis, & efficax ad vim afferendam dulcissimæ Dei misericordiæ, quæ instar amantissimæ matris, gemitus, & lacrymas vnigeniti sui ferre non potest. Non dissimilis est illa Dauidis ad Deum querela.[d] *Tu vero repulisti, & despexisti, distulisti Christum tuum. Euertisti testamentum serui tui,* &c. Et item.[e] *Vt quid Deus repulisti in finem.* Talis est querela Iosue, post acceptam cladem apud vrbem Hay.[f] *Heu Domine Deus: quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi. Mi* Domine *Deus, quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem?* XXI. *Pia querela Eliæ.*

d Psal. 88. 39. e Psal. 73. f Iosue 7. 7.

AD feruentissimam Eliæ orationem, quæ per clamorem ad Dominum declaratur, accessit etiam mystica Prophetæ expansio, & dimensio super puerum tribus vicibus, pro qua Chald. habet, *& coarctauit se super puerum tribus vicibus.* Septuaginta ἐνεφύσησε, & inflauit, vel potius insuflauit,[g] inspirauit, flatum immisit. Editio tamen vulgata consentanea est Hebræo. Incubuit ergo Propheta super puerum, expendens se in modum dimetientis: & imitatus Dominum, qui XXII. *Excitatur à mortuis puer.*

g Vt Ioan. 20. 22.

à principio inspirauit in faciem primi hominis spiraculum vitæ, vt fieret in animam viuentem, inspirauit & ipse ter, in nomine sanctissimę Trinitatis in faciem pueri, & clamauit ad Dominum, & ait, *Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius.* Alternatim orabat Elias, & procumbebat super puerum, & post tertiam orationem, tertiúmque procubitum, *Exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.*

XXIII. *Quæ causa adhibitæ ceremoniæ. Sensus mysticus.* QVO facto, vt notauit Lyranus, simul & repræsentauit Propheta eleganter magnum mysterium Dominicæ incarnationis, in quo filius Dei coarctauit infinitam maiestatem suam, ad captum infantilium membrorum, quibus circumdatus à fœmina vir ille, qui *exultauit vt gigas ad currendam viam*, tertiò coarctatus in vtero virginis, in præsepio, in cruce, mortuum humanum genus viuificauit; eique spiritum charitatis, paupertatis, & patientiæ inspirauit; & cum clamore valido, & lacrymis preces offerens, exauditus est pro sua reuerentia. [a] Addit Abulensis [b] etiam incubuisse in puerum, vt calefieret puer, & adhiberetur quædam dispositio, vt anima informaret iterum corpus, & opera vitæ exerceret, quæ requirunt calorem, & sine eo fieri non possunt: quod postea imitatus est Elisæus discipulus eius, quamuis probe nossent Deo hanc cooperationem non esse necessariam. Deus autem volebat ostendere multo imperfectiore modo fieri miracula in lege scripta, quam in euangelica, & à se, & à discipulis suis.

[a] Hebr. 5. 7.
[b] q. 31. & 34. in c. 17. 3. Reg.

XXIV. *Redditur matri.* ELIAS autem *tulit puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi, en viuit filius tuus. Dixitque mulier ad Eliam, Nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu; & verbum Domini in ore tuo verum est*, quod scilicet nuncias nobis de vero Deo Hebræorum, & inanitate Baalis, & Astartes, & reliquorum idolorum. Eam cognitionem mulier hæc, vt dixi, amplexa cum suis, meritò existimatur. Quando enim non cessisset tantis, tamque inauditis prodigiis? Neque enim iis tenebatur vitiis impedita, quæ Scribas, & Pharisæos impediebant, ne, visis etiam maioribus, oculos aperirent, Christumque agnoscerent: sicque multiplici fœnore, viduæ ergo seruum suum charitatem, Dominus remetiri dignatus est.

XXV. *An is esset Ionas Propheta.* HEBRÆI autem hoc loco solenne illud suum seruant, vt inepti sint. *Tradunt Hebræi*, inquit Hieronymus in præfatione in Ionam, *hunc esse filium viduæ Sarephtanæ, quem Elias Propheta mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum. Nunc cognoui quia vir Dei es tu, & verbum* Dei *in ore tuo est veritas; & ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum. Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat; & ex eo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis.* Sic ipse, vtique recitando, non probando. Quis enim nesciat Ionam, sicut reliquos prophetas, à patre suo nominari, sicque Amathi proprium esse nomen viri, non commune? Adde quod Ionas Gethæus fuit, [c] non Sarephtanus; Hebræus, [d] non Sidonius, vt de tempore taceamus. Sed hæc iterum suo loco differemus. [e]

[c] 4. Reg. 14. 25.
[d] Ion. c. 1. 9.
[e] An. Amasiæ 16.

XXVI. *Iosaphat ædificat.* INTEREA crescebat Iosaphat Rex Iuda, vt dicitur in 2. Paral. [f] *& magnificatus est vsque in sublime, atque ædificauit in Iuda domos ad instar turrium, vrbesque muratas.* In Hebræo vrbes fiscorum, vel thesaurorum; tales autem & muratæ sunt, & munitæ. Domos ad instar turrium vocat Diuus Hieronymus, quas hic Septuaginta vocant, βάρεις. Hebræi autem biramot; sic 17. Hierem. fi. Domos Ierusalem igni deuorandas, Chaldæus vocat palatia, Aquila, & Symmachus βάρεις, id est, interprete ibid. Hieronymo, turritas domos, Septuaginta vero, ἄμφοδα, id est, magnificas, & amplas ædes, quæ vicis vndique ambiantur. Denique idem in fine cap. 8. Osææ βάρεις. vocat ædes, siue magnas, & in modum turrium ædificatas domos. Cæterum hæc Iosaphati opera ad sequentes etiam annos pertinent.

[f] 2. Paral. 17. 12.

ANNVS MVNDI 3126. DILVVII 1470. QVINTÆ ÆTATIS 187. FVNDATI TEMPLI 104. IOSAPHATI 6. ACHABI REGIS ISRAELIS 10. AZARIÆ PONTIF. 6. ELIÆ 3. TROIÆ EXCISÆ 255. OPHRATANIS 3. IMPERII ASSYRIORVM 1195.

ANNVS ANTE CHRISTVM 927.



TERTIVS siccitatis,& sterilitatis annus hoc anno terminatur, vt fuse in tertio Regum describitur. [a] *Post dies multos*, inquit, *factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio*, elapso scilicet, & quarto inchoato; nam hæc sub finem siccitatis facta esse constat ex sequentibus. Ex Euangelio item, [b] & epistola Iacobi [c] constat, tres annos cum sex mensibus durasse siccitatem: & ita tempus hoc definiunt interpretes communi consensu. Factum est ergo verbum Domini ad Eliam, in hæc verba. *Vade, & ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ*, te scilicet eam ipsi promittente, & impetrante à me. Ecce sponte sua misericors Deus pœnas vult laxare peccatorum, etiam improborum perseuerante malitia: neque enim legimus Achabum, multóque minus Iezabelem à suis discessisse sceleribus, sed potius ea amplificasse. Sed erant plerique viri boni in eorũ regno, quorum preces diuinam clementiam exorare conabantur. *Iuit ergo Elias, vt ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria.* Erat & alibi quoque, sed ibi maxime sæuiebat, vbi maxime vigebat impietas. I. *Finis siccitatis.*

a 3. Reg. 18. 1.
b Luc. 4. 25.
c Iacob. 5. 17.

VOCAVITQVE *Achab Abdiam dispensatorem domus suæ.* Iosephus vocat Obediam, in quo minus est improbandus, quam cum ait hanc Abdiæ historiam, paulo post excitatum ab Elia mortuum contigisse, χρόνῳ δ' ὀλίγῳ διελθόντος, cum Scriptura in omnibus linguis, atque codicibus dicat, *& factum est post dies multos.* Eadémque illustre pietatis ei testimonium præbet. *Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cum interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & pauit eos pane, & aqua.* Scriptura id narrare videtur, quasi rem dudum præteritam. At Iosephus eos etiam hoc tempore ab Abdia enutritos ait, quod admodum probabile est, nec repugnat Scripturæ. Sic autem ille loquentem inducit regium dispensatorem. *Noli esse in meo periculo tam securus*, Prophetam alloquitur, *cum scire possis quam sim studiosus tui similium, qui centum Dei homines furori Iezabelis eripui, & nunc eis in latebris alimenta suggero.* Sic ipse. II. *Abdiæ pietas erga Prophetas.*

PERTINVIT autem ad diuinam prouidentiam, vt quemadmodum toto in orbe terrarum boni permixti sunt malis, vt hi illorum consuetudine iuuentur, & à peccatis, quantum fieri potest, abducantur. Sic & in regno Achabi, atque adeo intra eius domesticos, Abdiam voluit inueniri, virum timentem Deum, qui eum iuuaret, quoquo modo posset; maxime autem mixtos cupit, vt alios viros bonos, qui vexantur foueant, & à ruina prohibeant. Sic Abdias, cum valeret gratia apud Regem, potuit prophetas discrimini mortis eripere. Sic Esther, & Mardochæus apud infidelem Assuerum, Iudæorum causam egerunt, quibus alioqui extrema pernicies imminebat. Ideoque dicebat Mardochæus. [d] *Quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Eadem fuit ratio commorationis Iosephi apud Pharaonem, & Danielis apud Nabuchodonosorem: & Sebastiani martyris apud Diocletianum crudelissimum Imperatorem. III. *Cur apud impium manserit.*

d Est. c. 4. 14.

DIXIT ergo Achab ad Abdiam, *vade ad terram, ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte possimus inuenire herbam, & saluare equos, & mulos, & non penitus iumenta intereant.* Non mirum est impium Regem in fame publica de equis, & mulis vsque adeo esse sollicitum, vt ipse quoque laborem non detrectaret eis quærendi pabulum, de tot autem pauperibus, quos consumebat fames, nullam IV. *Achab dimittit Abdiam.*

suscipere cogitationem; impius enim erat, & sicut præposterus erat in cultu Dei, ita & in cura creaturarũ eius. *Diuiseruntque sibi regiones, vt circumirent eas, Achab ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram seorsum.* Ipse autem per se videtur hunc laborem suscepisse, ne ij, quibus hanc curam imponeret, non satis fideliter hoc negotium obirent, victi precibus, aut muneribus eorum, apud quos herba reperiri posset. Abdiam autem habebat omnium fidelissimum, qui in famulando ipsi, non eius infidelitatem intuebatur, sed regiam reuerebatur authoritatem, à Deo ipsi communicatam.

V. *Occursus Eliæ, & Abdiæ.* CVMQVE [a] *esset Abdias in via, Elias occurrit ei, qui cum cognouisset eum, cecidit super faciem suam, & ait. Num tu es, Domine mi Elias? Cui ille respondit, Ego, vade, & dic domino tuo, adest Elias.* At procurator veritus ne si hoc nuncium Regi afferret, & interim Elias aliquo à Spiritu Dei asportaretur, tanquam impostor, & illusor regis, ab eo iuberetur occidi; Prophetam orat ne huiusmodi nuncium ipsi committat, neque se timentem Deum, & de eius Prophetis non male meritum, in certum capitis discrimen adducat. Ex quo intelligi potest, opinionem fuisse apud Israëlitas, Eliam nunc huc, nunc illuc diuino Spiritu transferri solitum, eámque esse causam, cur hactenus non fuisset inuentus. At Propheta, vt Abdiam eo metu liberet, iureiurando affirmat se regi affuturum. *Viuit Dominus exercituum*, inquit, *ante cuius vultum sto, quia hodie apparebo ei.*

a 3. Reg. 18. 7.

VI. *Abdias an male referat bona sua.* PRIVSQVAM autem prouehamur vlterius, libet obiter illud animaduertere, Abdiam videri in sui commendatione peccare. *Seruus tuus*, inquit ipse de se, *timet Dominum ab infantia sua.* Et rursum, *nunquid non indicatum est tibi Domino meo, quid fecerim, cum interficeret Iezabel prophetas Domini, quod absconderim prophetas Domini*, &c. Verum hac de re ferendum est, ex hominis intentione iudicium. Clarum enim est si quis bona sua alteri, ex propriæ gloriæ cupiditate, referat, manifesta illum culpa teneri, & mercede omni apud Deum carere: sin autem periculi alicuius, aut damni, grauis præsertim, causa cõpulsus eadem referat, quod fecit Abdias, minime peccare. Huiusmodi quippe relatio natura sua mala non est, neque ex bono fine deprauari potest. Sic Ezechias vitandæ mortis causa, & vitæ à Deo impetrandę apud Dominum ipse dicere non dubitauit. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.* [b] &c.

b 4. Reg. 20. 3. Vide Abul. q. 13. in c. 18. 3. Reg.

VII. *Cur non recuset obtemperare.* NEQVE vero tutum erat Abdiæ præceptum Prophetæ detrectare, & eius Prophetæ, cuius verba diuina erant oracula, & cui erat in promptu, vt loquitur Apostolus, *vlcisci omnem inobedientiam.* [c] Ex altera parte timebat, ne in Achabi indignationem incurreret, arbitrantis œconomum suum sibi illudere voluisse, & graui eius mœrori insultare. Itaque confugit ad preces, quas roborauit demonstratione innocentiæ suæ, & aduersus Dei seruos, & ipsius Eliæ amicos beneficentiæ; ne quis forte cogitare posset vilis, atque improbi capitis leuem esse iacturam. At promissio Eliæ iureiurando firmata, omnem metum Abdiæ, ac dubitationem excussit. Pertinebat enim eò, vt non solum de voluntate sua Abdiam certum redderet, sed etiam de impedimento diuinitus non imponendo; quod vnum se vereri ille significarat. At fortasse, vt ait Tostatus, dixit Elias Abdiæ se iter ad Regem Dei iussu suscepisse.[d]

c 2. Cor. 10. 6.

d q. 15. in c. 18. 3. Reg.

VIII. *Occursus Eliæ, & Achabi.* ABIIT *ergo Abdias in occursum Achab, & indicauit ei. Venitque Achab in occursum Eliæ,* honorandine causa, & exorandæ pluuiæ? quandoquidem eum iam nimium constabat esse veridicum. Ita putat Abulensis. At verba Regis aliud præ se ferunt. Neque enim iram dissimulat, cum publicæ quietis perturbatorem vocat, & quidem fidenter, videns se eum habere in potestate sua. *Tune es*, inquit, *ille qui conturbas Israel?* Cui Propheta non minus animose. *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Hanc conturbationem intelligit sterilitatem, & famem, qua tota respublica perturbatã erat, cuius causam à se Propheta reiicit in Regem, vt qui culpa sua, vera esset causa pœnæ, non qui eius esset duntaxat denunciator. Id innuit in conspectu

IX. *Requirit Elias conuocari populum.* vniuersi populi, & omnium Prophetarum Baal, atque adeo ipsius Regis se manifesto argumento comprobaturum.

VERVNTAMEN, inquit, *nunc mitte, & congrega ad me vniuersum Israel in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringen-*

eos, qui comedunt de mensa Iezabel. Pseudoprophetæ viuunt de mensa regia, prophetæ Dei in speluncis, & cauernis terræ quinquageni pane, & aqua victitant: illi splendidi, & magnifici, isti miseri, & egeni; illi apud Regem, & reginam omnibus bonis circumfluentes, isti mortis nuncium in singulas horas expectantes: illi tamen eam citius opinione sua incurrerunt. Cæterum nulla hic fit mentio pluuiæ, sed intelligendum est prophetam eam spopondisse, post hunc populi conuentum, & manifestam de vero Deo diiudicationem. Illud quoque existimandum est, Eliam non nisi ex Dei iussu populum congregari voluisse, vt publice animaduersis miraculis, quæ ab Elia, aut a Deo fiebant ad preces Eliæ, vanitatem Baalis digito tangerent, & sacrificulos, tanquam verissimos impostores, ac pseudoprophetas, merito supplicio afficerent, eoque sacrificio propitiato Deo, ipsi ad eum, relictis idolis, conuerterentur. Quod si abfuissent pluuiam Baali suo tribuissent, & in eius cultu perseuerassent obstinatius.

a 3 Reg 18. 20. Misit [a] ergo *Achab ad omnes filios Israel, & congregauit prophetas in monte Carmeli*, nihil est ausus negare Achabus Eliæ, tantum erat pluuiæ desiderium, quæ ex eius ore, nutuque pendebat; nominatim autem improbissimos illos nebulones, conuocatos oportuit, qui internecioni erant destinati, qui audiebant prophetæ Baal, quod occulta quædam, instar verorum prophetarum, malis artibus responderent, quodque Baalis laudes decantarent, vnde & mox ad meridiem vsque dicuntur prophetasse. Prophetæ autem lucorum aliis diis in excelsis sacra faciebant, quo respexit Elias cum diceret. *Inuocate nomina Deorum vestrorum.* [b] Quibus quamprimum congregatis; erant enim omnes in magna expectatione, vt viderentur quidlibet pro pluuia obtinenda facturi. *Accedens Elias ad omnem populum, ait, Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum.* X. Consentit Achab.

b v. 24.

Non respondet ei populus, quod non satis intelligeret, quò spectaret hæc Prophetæ oratio, & esset expectatione suspensus, dum distinctius Elias ostenderet Baalem non esse Deum, neque quemquam cæterorum; sed soli Deo vero quem Iudæi colerent, id honoris esse tribuendum. Ex his autem intelligitur populum Israël tripertitò fuisse diuisum; & aliquos quidem solum Deum coluisse, vt Eliam, omnesque Dei Prophetas, atque adeo plerosque de populo, in quibus Abdias, atque illa septem millia virorum, qui non curuauerant genua ante Baal. [c] Alij sola idola colebant, vt Iezabel, & pseudoprophetæ, aliique multi; reliqui autem, quorum erat maxima multitudo, & Rex ipse, vt docet humiliatio eius, ad diuinæ vltionis denunciationem, [d] Deo simul, & idolis seruiebant. Ad hos ergo Elias dicit, *Vsquequo claudicatis in duas partes?* Non respondit quidem populus, sed potuisset respondere, existimare se vtrumque esse Deum, ideoque vtrumque colere. XI. Eliæ ad populum oratio.

c 3 reg. 19. 18. & Rom. 11. 4.
d 3. Reg. 21. fin.

Eam responsionem occupat Elias. Ait enim se re ipsa probaturum, tametsi solum contra tam multos prophetas Baal, illum non esse Deum, sed eum solum quem Iudæi colerent, cœli, & terræ, & omnium Dominum; *Dentur*, inquit, *nobis duo boues*, &c. *& ego faciam*, id est sacrificabo bouem alterum: sic nomen faciendi vsurpatur aliquoties in hoc capite, sicut & verbum ποιεῖν apud Septuaginta, & Hebræis עשה ghasa: quo modo dixit ille. *Cum faciam vitula pro frugibus*; & clarius, & vsitatius dicitur rem sacram facere. *Et imponam super ligna, ignem autem non supponam. Inuocate nomina Deorum vestrorum, & ego inuocabo nomen Domini mei, & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait; optima propositio.* XII. Offert probationem diuinitatis.

Merito probauit populus hanc rationem probandæ diuinitatis, vt qui fortasse expertus esset sua sacrificia dæmonum arte succendi; id enim eis minime difficile est. Elias autem sciebat Deum Dominum elementorum, sæpe immisso cœlitus igne in sacrificia, docuisse ea sibi accepta esse; inde autem certo credebat Deum prohibiturum infernos illos spiritus, ne qua arte ignem in sacrificium idololatrarum iniicerent. Probauit quoque Eliæ propositionem tanquam synceram, & ab omni suspicione fraudis alienam. Primum quia cedebat de iure suo; poterat enim petere vt vnus aliquis eligeretur, qui æmulus Eliæ, Baalem inuocaret; at concedit vt omnes simul contra se vnum inuocent, cum XIII. Eam populus admittit.

credibile sit plures citius aliquid à Deo impetraturos quam vnum, tanto præsertim numero superiores: placebat illa quoque vrbanitas, quod eis deferebat initium sacrificandi. Deinde valebat ad faciendam fidem synceritatis, quod non ipse offerret boues, carmine quopiam magico præparatos, sed dentur nobis, inquit: quodque ipsis electionem offerret, ne postmodum fucum, ac præstigias causari possent.

XIV. *Admittunt & pseudoprophetæ.* PSEVDOPROPHETÆ quorum maxime intererat ad hoc certamen non descendere, illud tamen detrectare ausi non sunt; primùm quia vniuersi populi consensum videbant, cui repugnare suspiciosum erat, ac periculosum. Deinde quia confidebant se ignem a Deo suo obtinere posse, experti fortasse alias sacrificia sua, immisso cœlitus igne, fuisse consumpta. Nam vt recte notauit Abulensis,[a] dæmones id possunt, & temporibus Antichristi id facturos constat.[b] *Bestia enim*, ait Euangelista, *fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum.* Accedebat quod in pactione proposita id tantum continebatur, vt ille qui exaudisset per ignem, Deus haberetur ab omnibus, & coleretur vt Deus, nec dictum fuerat, vt qui in huius causæ disceptatione succumberet, aliquo supplicio, nedum morte, afficeretur. Denique ne proposita quidem morte succumbenti poterant pseudoprophetæ isti detrectare certamen. Sic enim persuasum haberet populus, Baalem non esse Deum, pro quo eius prophetæ iustissimam conditionem, ab Elia propositam, non auderent admittere. Eosque ipsos id non credere, quod in vulgus quotidie iactarent, & ita eos consulto, & dedita opera in fraudem omnium maximam, colendæ fictitiæ diuinitatis, inducerent: ideoque acerbissimæ mortis esse reos, qui non falsum Deum decepti colerent, sed talem cognitum per summam improbitatem, tanquam verum Deum populo venditarent.[c]

a c. 24. in c. 18 3. Reg. b Apoc. 13. 13.

c Ex Abul. vbi supra.

XV. *Sacrificant, & ignem à Baale flagitant.* QVI *cum tulissent bouem quem dederat eis*, id est, cuius optionem eis permiserat Elias, aut quem dederat eis, is qui attulerat, aut Achab ipse, eum mactarunt, & in partes, aut frusta dissectum imposuerunt super struem lignorum in altari à se parato; *& inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem, dicentes Baal exaudi nos, & non erat vox, nec qui responderet: transiliebantque altare quod fecerant*, ex certa quapiam ceremonia Baalici cultus, sicut Dagonis cultores transiliebant limen.[d] Non autem insultabant in altare Eliæ, furorem simulantes, vt quidem aiunt: nam id nondum ille erexerat, vt ex sequentibus intelligitur, & huiusmodi insultus nihil ad rem pertinebat. Apparet autem assignatam priorem diei partem Baali, posteriorem Deo Hebræorum. *Cum ergo esset iam meridies illudebat illis Elias dicens; Clamate voce maiore, Deus enim est*, & multis videlicet occupationibus distentus, minus animaduertit preces vestras, *& forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur.* Quæ omnia quamuis absurda, & indigna maiestate diuina, illi de diis suis fatebantur. Vide Iouis querelam apud Lucianum in Timone.

d 1. Reg. 5. 5.

XVI. *Nec impetrant.* ETSI autem hæc dicebat Elias, vt hos pseudoprophetas puderet dei surdastri, qui non nisi clamores exaudiret; dei imparis pluribus simul occupationibus, dei qui fabulando cum aliis negligat supplices suos, dei qui vbiq; non sit, sed longe absit à suis, adeat diuersoria, peregrinetur, potet, cubet, dormiat. Illi nihilominus quasi seria vsurpabant. *Clamabant ergo voce magna*, ait Scriptura,[e] &, vt commiserationem sui deo suo excitarent, *incidebant se, iuxta ritum suum cultris, & lanceolis; donec perfunderentur sanguine.* Amauit semper tartareus ille Draco, pro sua superbia, qua gaudet nobilissimæ creaturarum sibi sanguinem, in testimonium diuinitatis, offeri, & pro suo in humanum genus odio, humani sanguinis effusionem. Itaque vel humanas requirerat victimas, infantum præsertim, vt ille Moloch, vt Saturnus, vt taurica Diana, vel cruentis ceremoniis placabatur.

e 3 reg. 18 28.

XVII *Elias parat sacrificium suum.* POSTQVAM *autem transiit meridies, & illis prophetantibus* (Chald. insanientibus, vt supra dicebatur Saul prophetare in medio domus suæ) *venerat tempus quo sacrificium offerri solet*, significat, vt dixi, conuenisse inter Eliam, & pseudoprophetas, vt tempus matutinum eis concederetur, ad deuocandum cœlitus ignem, Eliæ vero vespertinum. Vnde & Septuaginta habent. *Et factum est circa tempus meridianum, vt sacrificandum esset.* Hebr. *Et fuit cum transiret meridies, & prophetabant*

*vsque quo offerrent sacrificium*, vel offerendum esset vespertinum sacrificium, *nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes. Dixit Elias omni populo, venite ad me*: ad obseruandum propius, vt ait Iosephus, num ignem clam admoueret. *Et accedente ad se populo, curauit altare Domini, quod destructum fuerat*, ab Israëlitis vtique ad idola conuersis, aut a Iezabele, vt putat Tostatus. Qui etiam putat excitatum à Saule, quando, reuersus à bello Amalecitano, in Carmelo erexit sibi fornicem triumphalem. Verum alius fuit ille mons Carmelus, ab eo de quo hic agitur, vt eo loco docuimus, [a] nec ibi erexit altare, sed arcum triumphalem; nec ibi sacrificauit, sed in Galgalis. [b] Fuerat ergo aliud altare Domini in hoc monte Carmelo, qualia plerisque aliis locis excelsis, de quibus non semel diximus, vbi nunc ex priuilegio, & inspiratione sacrificaturus erat Elias.

a An. Saulis 7.n. 35. b 1 Reg. 15. 12.

c v. 31.

XVIII. *Erigit altare Domini.*

E T *tulit duodecim lapides* [c] *iuxta numerum tribuum filiorum Iacob*, vt significaret se nomine omnium tribuum sacrificaturum, vt ad eiusdem Dei legitimum cultum reducerentur omnes. *Et ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini, fecitque aquæ ductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris*. In Beniamini Iudæi itinerario legimus, in summo montis Carmeli dorso vestigium extare altaris diruti in diebus Achab, cuius locus esset circularis, habens 4. fere cubitorum diametrum. Hebræus textus habet, *qui capere poterat duo sata seminis; & composuit ligna, diuisitque per membra bouem, & posuit super ligna, & ait, implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit, etiam secundo hoc facite; qui cum fecissent secundo, ait, etiam tertio id ipsum facite. Feceruntque tertio, & currebant aquæ circum altare, & fossa aquæ-ductus repleta est.*

p. 38.

XIX. *Cur aqua copiosa perfundat sacrificium.*

D V O D E C I M hydrias aquæ effudit super sacrificium, vt tanto maius appareret miraculum, ignis agentis contra materiam minime dispositam, atque adeo aquam ipsam exurentis; nec magnus erat labor habendi aquam in siccitate; nam mare ad radices Carmeli huius fluitat; eodem autem spectant duodecim hydriæ, quo duodecim lapides. Quod vero ter perfundi aqua iussit ligna, & sacrificium cum altari, indicium est magnæ confidentiæ prophetæ, quem non pœniteat incœpti, vt videbatur, temerarij: sicque maiorem excitaret admirationem populi, & expectationem, quam si vna eademque vice duodecim hydrias effundi iussisset. Nec inutiliter factus est aquæ ductus: gemino enim vsui fuit. Alter vt retineretur aqua, ne circumquaque ob copiam diffluens, circumfuso populo molesta esset. Alter vt in collectam aquam igni exardescente, magnitudine miraculi populus in Dei laudes effunderetur, & ad eum se, damnata superstitione, conuerteret.

XX. *Elia ad Deum oratio.*

C V M Q V E *iam tempus esset, vt offerretur holocaustum, accedens Elias propheta ait, Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me, vt discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæ ductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait, Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Egregia plane victoria Dei contra dæmonem, qui colebatur in idolo Baal, & Prophetæ Eliæ contra pseudoprophetas; hoc enim facto demonstratum est, Deum huius omnis certaminis authorem esse, qui etiam vim daret igni, vt supra naturam ageret, lapides ingentes, & aquam copiosam, quasi ligna arida, summa celeritate consumendo. Probatum quoque Eliam esse seruum veri Dei, cuius ipse verba, tam eximio prodigio, comprobaret, cuius aduersarios in tanta populi corona, immenso pudore confunderet, ipsum illustri gloria exaltaret.

*Et victoria de idololatria.*

XXI. *Supplicium sumptum de pseudoprophetis.*

N E Q V E vero tota istorum pœna pudor fuit, atque confusio. Nam contra eos tanquam planos, atque impostores sacrilegos, cum egregie animatus esset populus vniuersus, nec Rex Achab, tanto attonitus miraculo, contradiceret, & Deus ipse ad vltionem de scelerato sanguine sumendam eos animaret, Eliam maxime, cuius in pectore diuinæ gloriæ feruebat zelus: is bene vtendum occasione ratus, ad perdendos eos, qui populum vniuersum sacrilegis mendaciis perditum ibant, dixit ad populum, *Apprehendite prophetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis.* Ipsi autem iusto dolore commoti aduersus eos, à quibus ad tan-

tum errorem inducti, nutritique essent, certatim inuaserunt eos. *Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi*; & vltus est sanguinem prophetarum, quem effuderat impia Iezabel hisce annis. Nec his contradicit Sanctus Ambrosius, [a] dum ait ad Eliæ preces ignẽ vltorem cœlestis iniuriæ, absumpsisse pseudoprophetas, quia delapsus è cœlo ignis, ad absumendum Eliæ sacrificium, causa fuit, vt isti interficerentur. Nec absurdum est memoriæ lapsum in magno viro admittere. Iam consecratus erat hic torrens celebri victoria, quam dedit olim Deus Baraco, & Deboræ contra Sisaram: vt habetur in libro Iudicum, [b] quæ etiam à Dauide celebratur. [c] Nec quemquam moueat quod hic torrens, iuxta eam historiam, ad montem Tabor pertinere videatur, satis à Carmelo monte remotum, is enim inde effusus, pene ad radices Carmeli montis excurrit; vt videre est in tabulis Adrichomij. Nec enim opus erat eos longius, nec sine periculo abducere; & constat in Carmelum rursum Eliam ad orandum, & impetrandam pluuiam ascendisse.

*Et vbi.*

a in c. 1. Lucæ.

b Iudi. 4. 7.
c Psal. 82. 10.

XXII. *Apparatus ad pluuiã.*

SVMPTO de impiis sacrificulis, & pseudoprophetis supplicio, placatur Deus, & pluuiam præparat emittere super iampridem aridam terram. Ideoque, *ait Elias ad Achab: Ascende, comede, & bibe, quia sonus multæ pluuiæ est.* Quasi diceret. Sume cibum lætius, nec sis amplius sollicitus: breui enim visurus es pluuiam, sic enim interpretatur Iosephus. [d] *Elias autem ascendit in verticem Carmeli*, [e] descenderat enim in torrentem ad pseudoprophetarum cædem: *& pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*, primo procubuit in genua, etsi Iosephus dicat desedisse, hic enim corporis habitus minus orantem decere videtur. Deinde demisit caput suum vsque ad terram, & genua sua, in signum humillimæ, & feruentissimæ orationis.

d 8 c. 7.
e 3. Reg. 18. v. 42.

XXIII. *Elias orat pro ea.*

ET *dixit ad puerum suum: ascende, & prospice contra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi, Reuertere, septem vicibus.*

Non significat dictum puero vt iret, rediretque quasi inambulando, aut otij consummandi causa, septies; sed Prophetam septies edixisse famulo, vt iret ad contemplandum mare, totidémq; illum vicibus rediisse ad dominum orantem, nunciando se nullum pluuiæ vestigium agnoscere, donec septima vice nunciauit nubeculam paruam, quasi vestigium hominis de mari ascendere, quantum scilicet est pedis in terram impressi vestigium. Hebr. & Chald. similitudinem ex vola manus sumpserunt. *Nubes parua*, inquit Chald. *sicut vola manus hominis ascendit de occidente*; non enim è Carmelo nisi mare mediterraneum videri potest. Eximiis sine dubio sunt hæc plena mysteriis, quæ non est nostrum persequi, nec desunt qui consulantur. Hic tantum dico cum Abulensi, Dominum, qui statim ad mittendum ignem exoratus fuerat, in dãda pluuia, ad eiusdem Elię preces, cunctatum esse; quia prior illa oratio fiebat coram populo, cuius fides periclitabatur, si tardius descendisset ignis, nec appareret tam insignis eius victoria contra idolum inutile, & dæmonem, cuius potentiam Deus pro arbitrio coërcet. At nunc aberat populus, nec Elias scandalum passurus erat, & Deus ei fortasse consulebat, ne quid humanitus, ab inani gloriola pateretur, si statim nunc quoque voti compos fieret. Quæ etiam causa fuit, vt ter pro pueri suscitatione precaretur. Denique id valebat ad commendandam nobis in orando perseuerantiam, qui videamus tantum virum septies orationem, contentiosa deuotione, & humilitate iterasse, antequam promissam à Deo pluuiam obtineret.

*Cur ignis citius impetratus quã aqua.*

XXIV. *Pluuia impetrata ab Elia.*

HIC Propheta se exauditum sentiens, *ascende*, inquit famulo suo, *& dic Achab, iunge currum tuum, & descende* iterum scilicet in ciuitatem, *ne te occupet pluuia; cumque se verteret huc, atque illuc.* Chald. *& fuit dum se expediret, & descenderet, ecce cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus; & facta est pluuia grandis. Ascendens itaque Achab abijt in Iezrael*, vnam de ciuitatibus regni sui. Eam Hieronymus in tribu Manasse fuisse dicit, in finibus Issachar, *hodieque*, inquit, *prægrandis vicus ostenditur in campo maximo inter Schytopolim, & Legionem.* Iosephus Azari vrbem vocat. Eique cognominem alteram in tribu Iuda constituit Hieronymus. [f]

f in lo. heb.

*Et manus Domini facta est super Eliam*, id est vehemens inspiratio, quæ eum, quasi manu prehensum, ad iter impulit, ἔνθεος γενόμενος. Iosephus; *accinctisque lumbis*

*currebat ante Achab, donec veniret in Iezrael.* Cur non in Samariam? Vicinior erat Iezraël, & pluuia cogebat quamprimum hospitium subire. Iezabel quoque erat in Samaria, ad cuius conspectum non oportuit Eliam venire; erat enim mulier crudelis, & prophetarum cruenta sanguine, & Eliæ in primis infensissima. Abfuisse autem à Iezraël ex eo patet, quod mox dicitur Achab non narrasse, sed nunciasse Iesabeli *omnia, quæ fecerat Achab; & quomodo occidisset vniuersos prophetas gladio.* [a]

a 3. Reg. 19.1.

XXV. *Iezabela minas intentat Eliæ.*

MISITQVE *Iezabel nuncium ad Eliam dicens, hæc mihi faciant Dij, & hæc addant nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis.* Mulier hæc, quæ pro magnitudine suæ superstitionis, & amoris in nebulones illos, quos cibo regio dignabatur, iracundia feruebat; eo furore in superbo capite, atque impio pectore dominante, inepte minax effecta est. Nisi enim eam Dominus, in salutem Eliæ, dementasset, non nuncium ad eum monendum de periculo, sed militum, & satellitum manum ad eum comprehendendum misisset. Nisi illud quoque ad mulieris superbiam referamus, quæ iactaret minas, quasi insultans ei, qui quamuis præmonitus, eius manus effugere non posset.

XXVI. *Qui timet.*

TIMET ergo Elias, & qui tam animosus fuerat, vt octingentos, & quinquaginta viros morti daret; qui tam disertus, vt vniuersum populum, ipsumque Regem in tanto facinore sibi haberet obsequentem; qui ignem, & pluuias de cœlo, Deo sibi gratificante, deuocauerat, nunc muliercula vnius minis perturbatur. [b] Domino vtique prouidente, ne in superbiam elatus, à rectitudine deflecteret: sed parta decora, animi demissione, quam conciliaret timor, conseruaret. Fortitudinem à Deo, timiditatem à se ipso esse magis, magisque cognosceret. Eum timorem non caruisse culpa significat Hieronymus. [c] *Hunc iustum,* inquit, *negare quis potest? Et tamen non dicam mulierem, sed hominem formidare, de animi perturbatione descendit, quo vitio carere non potest, dicente Dauide, Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo.* In Hebræo, & Chald. non legitur Elias timuisse, sed vidisse; quod mutatione punctorum factum, ait Sà; certe iam pridem Eliæ timorem agnouerunt Septuaginta dicentes, ἐφοβήθη Ἠλίας. Iosephus quoque, *& Elias territus fugit in vrbem Bersabæ.* Nec sane necesse est timorem in vitio semper esse; alioqui etiam Christum Dominum vitio non caruisse dicemus: de eo enim legimus, *Et cœpit pauere, imo & tædere,* [d] *& contristari, & mœstus esse, etiam vsque ad mortem.* [e]

b Vide Abul. q. 2. in c. 19. 3. Reg.

c l. 2. aduersus Pelag.

d Marc. 14. 33.

e Matth. 26. 37.

XXVII. *Et fugit.*

ELIAS itaque sibi timuit à Iezabela regina, prophetarum interficiendorum non insolenti. *Et surgens abijt quocumque eum ferebat voluntas.* Significat Scriptura Prophetam alia ex aliis subinde loca, & latebras mutasse; idque ostendit quod sequitur, *venitque in Bersabee Iuda*, quæ erat vrbs in finibus meridianis totius regni Iuda. Itaque in hac fuga reliquus iste annus transactus est. At quomodo statim atque è regno Israëlis est elapsus, non se in tuto positum esse credidit? An quia amicus erat Iosaphat Regi Achabo, & eius vxori, &, ad ei gratificandum, timebat Elias ne dederetur? An timuit ne odiosus esset factus populo, ob inuectam super terram siccitatem, & famem? & Deus volebat seruum suum timore, fuga, variisque laboribus exercere? Permittamus autem ei, quo eum tulerit voluntas, se subinde conferre, eum mox in Bersabee Iuda adituri, interim Regem ipsum Iudæ adeamus.

ANNVS MVNDI 3127. DILVVII 1471. QVINTAE ÆTATIS 188. FVNDATI TEMPLI 105. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 7. ACHABI REGIS ISRAELIS 11. AZARIÆ PONT. 7. ELIÆ 4. TROIÆ EXCISÆ 256. OPHRATANIS 4. IMPERII ASSYRIORVM 1196.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 926.



I. *Iosaphatus augescit in dies.* DVM hæc in Israële agerentur, Iosaphat maiorem in dies Dei benignitatem erga se experiebatur. Itaque admodum diues, & inclytus factus est, easque, quas anno superiore dixi, magnificas ædes, & palatia, & vrbes munitas hoc quoque anno ædificare perrexit; & multa opera parauit in vrbibus Iuda, tam ad pacis, quam belli vsus opportuna. Et quamuis pacem haberet cum Rege Israël, [a] quæ toto vtriusque regno constans fuit, habuit nihilominus in omnem euentum viros bellatores, & robustos in Ierusalem magno numero, per domos, & familias singulorum, qui ita recensetur à Scriptura. [b] *In Iuda principes exercitus Ednas dux & cum eo robustissimi viri trecenta millia. Post hunc Iohanan princeps, & cum eo ducenta octoginta millia. Post istum quoque Amasias filius Zechri consecratus Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium. Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum & clypeum ducenta millia. Post istum etiam Iozabad, & cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. Hi omnes erant ad manum Regis, exceptis aliis, quos posuerat in vrbibus muratis, in vniuerso Iuda.*

a 3. Reg. 22. 45.
b 2. Paral. 17. 14.

II. *Eius copiæ militares.* NON videntur isti omnes, quorum numerus ascendit vsque ad vndecies centena, & sexaginta hominum millia, in Ierusalem habitasse, sed eorum principes, duces, & rectores duntaxat apud Regem manebant, & per eos cæteri omnes ad manum Regis erant. Alij autem, cum sibi subditis militibus præsidiariis, erant in vrbibus munitis. Nec existimandi sunt isti omnes ad tribum Iuda, sed ad regnum Iuda pertinuisse. Nam vbi legimus in vulgata, *hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada*: in Hebræo, & Græco legimus, *& de Beniamin virtute potens Eliada.* Quod obseruauit Abulensis: qui etiam existimat Iozabad, qui post eum numeratur, ad tribum quoque Beniamin pertinuisse. Nomine autem militum, intelligendi sunt more scripturæ, non solum qui vnum quasi officium militiæ exercent, sed quicumque per vires, & ætatem militare possunt; vt constat passim ex libris Exodi, & Numer. Et nihilominus magnus est omnino iste numerus, in tantulo terræ tractu, quantum occupabat regnum Iuda.

III. *Achab non conuertitur.* ACHAB autem, qui in pœnam idololatriæ suæ sterilitatem senserat, & famen trium annorum, & sex mensium, & viderat miracula ab Elia perpetrata, in veræ fidei confirmationem, ad eam ferri debuit; & iure sperari potuit eum non solum cum populo Deum verum agniturum, sed etiam alienos abiuraturum, & in vera pietate, vel metu pœnæ perseueraturum. Nihilominus tanta fuit hominis improbitas, vt irrita cesserint omnia salutis eius, populique Israëlitici adiumenta. Et Iosaphati spes omnis de eius conuersione, cum ei affinitate iunctus est, inanis facta fuerit. Impia nimirum Iezabela erat domi, quæ Dei semen statim eradicaret, nedum adolescere pateretur.

IV. *Elias per desertum vagatur.* INTEREA Elias *venit in Bersabee Iuda*, [c] *& dimisit ibi puerum suum*, filium mulieris Sarephtanæ, quem à mortuis suscitauerat, vt putat Abulensis; [d] *& perrexit in desertum viam diei vnius*; hoc autem desertum est id, in quo peregrinati olim fuerant Israëlitæ, ab Ægypto egressi, vt sequentia docebunt: mox enim dicitur venisse in montem Horeb. *Cumque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur*; à Deo scilicet petiuit; vnde subditur & ait, *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum quam patres mei*; vt diutius viuam quam illi, qui in ea ætate, in qua ego nunc sum, mortui sunt.

c 3. Reg. 19. 3.
d In c. 19. 3. Reg.

Ita interpretatur Vatablus. Ex quo colligitur hoc tempore Eliam fuisse prouectæ ætatis. Ideoque cum paulo ante dixit Scriptura, cum accinctis lumbis cucurrisse ante Achab, volens innuere id ei supra vires ætatis contigisse; dixit manum Domini factam esse super eum, peculiarem scilicet vigorem illi diuinitus fuisse collatum. *Iam prouecta ætatis.*

V. *Longinquitas vitæ in præmiũ.* CÆTERVM cum sanctus hic propheta de se humiliter sentiens & loquens, negat se dignum cui vita vlterius prorogetur, quod prioribus prophetis vita non fuerit longiore periodo circunscripta, aperte ostendit vitæ diuturnitatem ad quandam virtutis mercedem pertinere. Nam lex Domini promisit homini honoranti parentes suos, fore vt esset longæuus super terram. Et idem Dominus per Dauidem pollicetur, eum qui confidit in Domino, & ad eum in medio rerum aduersarum æstu, magno cum animi affectu, quem clamorem vocat, confugit, ereptum iri; neque id solum, sed gloria etiam, ac longitudine dierum replendum esse. E contrario dicitur à Dauide [a] viros sanguinum, & dolosos non dimidiaturos dies suos. Eodem pertinet ille luctus Ezechiæ, [b] *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Et illæ minæ intentatæ, atque iteratæ contra familiam Heli, [c] *præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua,* & mox, *& non erit senex in domo tua omnibus diebus*; & iterum, *pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.* Et sane si vita in bonis humanis, maximum est atque optatissimum bonum, cui dubium esse potest eiusdem boni prorogationem in bonis numerandam esse, & vicem præmij obtinere posse? *Et breuitas in pœnam.*

a Psal. 54. fi. b Esa. 38. 10. c 1. Reg. 2. 31. 32. 33.

VI. *Elias mortem desiderat, an iuste.* QVID est ergo quod hoc se bono priuatum cupit propheta, qui, reclamante, natura, desiderat, atque adeo petit animæ suæ vt moriatur? quomodo potest quis optare sibi mortem, quam alteri desiderare non potest, cum tamen maiore erga seipsum amore, quam erga cæteros affici debeat? Nimirum ex odio vitæ, aut ærumnarum, quæ eam comitantur, impatientia, aut laboris tædio, nemo sibi, aut alteri mortem desiderare potest. At ex desiderio fruendi Deo, licet cum Apostolo Paulo [d] desiderare dissolui, & esse cum Christo; & mortem in lucro ponere, subintellecta conditione diuini beneplaciti, & vtilitatis proximorum, ideoque subdit scire se permansurum se in viuis propter ipsos quæ fuit S. quoque Martini mens non recusantis vitam si populi saluti necessarius foret. Iustum quoque esse idem desiderium ex zelo diuinæ gloriæ, quam nolit videre proculcatam exemplo est noster Elias, [e] qui ingenti dolore ac zelo accendebatur, cum videret Domini prophetas ab impia Iesabele impune trucidari; altaria diuina disturbari, & pactum cum Deo initum sacrilega defectione antiquari, Exemplo quoque est Sanctus ille Mathathias, qui mala his simillima, temporibus Antiochi, iusta lamentatione prosecutus, dicebat. [f] *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ?* &c. Et Iudas ille Machabæus, *melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & sanctorum.* Sed addit hic quoque conditionem illam, subdit enim, *sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* *Et quatenus id liceat.*

d Phil. 1. 21. & seqq. e 3. Reg. 19. 10. f 1. Mach. 2. 7.

VII. *Desiderium mortis ex Zelo quale.* QVANQVAM, vt eruditè vidit Abulensis, [g] non est hoc proprie mortem desiderare, sed ex diuino zelo vsque adeo abhorrere mala quibus violatur diuinum numen, vt cum ea impedire non possis; nolis saltem videre, cariusque tibi sit mori, quam viuentem testem fieri iniuriæ, & contumeliæ in Deum irrogatæ. Itaque etiam Deus educit aliquando maturius ex hac vita amicos suos, ne vehementius affligantur videndo mala, quæ inuecturus est in mundum. Sanctissimo enim Iosiæ regi, *colligam te,* inquit, [h] *ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant occisi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.* Nec tamen multum recusat Tostatus fateri, ex tædio laboriosæ vitæ Moysem apud Dominum, aliquando dixisse, [i] *Obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Et Eliam quoque hoc loco petiisse animæ suæ vt moreretur; non ex deliberatione, sed ex quodam passionis motu, quem aliena peruicacia, atque improbitas non sine veniali noxa, excussisset. Quod minime absurdum videtur, cum constet sine huiusmodi delictis mortalem hanc vitam duci non posse. Vide hoc de argumento Alphonsum Rodriguem. [k]

g q. 4. in c. 19. 3. Reg. h 4. Reg. 22. 20. i Num. 11. 15. k 1 parte tract. 8. cap. 19. 20. & 21.

VIII. *Obdormiuit, & quæ somni eius causæ.* PROIECITQVE *se, & obdormiuit in vmbra iuniperi*; Etsi ieiuni non facile somno grauantur, neque qui versantur in metu: Elias autem totum diem sine cibo tra-

duxerat, sibique ab impia regina male metuebat; labor tamen & tædium altera ex parte somnum illi conciliabant. Ex diutino enim, & inuio itinere, vt in desertis, & ingrato, vt in tædio, & festino, vt in periculis fatigatus erat. Et laborem quidem, ac festinationem ambulantis somnum parere perspicuum est, calore naturali obuia quæque, defectu cibi, depascente, & fumos quibus degrauetur cerebrum exhalante. In tædio autem pars irascibilis commouetur, & sanguis cordi circumfusus succenditur, vnde & vapores somni effectores existunt. Quo alludebat Dauid cum diceret, [a] *Dormitauit anima mea præ tædio*, & Dominus inuenit in horto oliuetano discipulos suos dormientes præ tristitia. Ergo & Elias in tædio & tristitia, quam significat ipsa sui protectio, & zelo contra desertores legis, & prophetarũ carnifices, & ararũ euersores, in vmbra iuniperi obdormiuit.

a Psal. 118. 18.

IX. *Excitatur ab Angelo & reficitur.*

ET *ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, surge & comede.* [b] Noluit prouidus, & misericors Dominus prophetam suum incœnatum dormire, & ad reliquum iter conficiendum inualidum reddi; Itaque sub vesperam, vt apparet ex eo quod paulo ante dixit, Eliam viam vnius diei perrexisse in desertum, misit angelum suum, qui aëreo indutus corpore, delatum alicunde cibum, cum aqua ad caput dormientis apposuit; tum leuiter motum, cum illis verbis excitauit, *Surge & comede*, cumque hic excitaretur, ille euanuit, nec cibum allatum demonstrauit: itaque circumspexit Propheta quidnam cibi allatum esset ad se, prout inter dormiendum inaudierat, & inuenit subcinericium panem, vtique non exiguum: inde enim integri diei famem sedauit, indéque etiam habuit quod postridie comederet, neque enim in altera visitatione Angeli noui cibi fit mẽtio. Quod notauit etiam Tostatus. Vt minus probanda videatur Tigurina versio, quæ panem in placentulam commutauit; panem inter prunas coctum habet Pagninus, quem Septuag. vocant ἐγκρυφίας, quod inter cineres calidos occultetur. Sed addunt etiam ὀλυρίτην, siue siligineum. Pro iunipero autem Pagninus & Montanus habent genistam, Septuaginta φυτὸν, siue plantam, Iosephus [illegible], omissa specie non satis certa, verterunt.

b 3. Reg. 19. 5.

κρύπτω.

X. *Noctem sub iunipero traducit.*

COMEDIT *ergo & bibit*, & gratiis actis paternæ erga se Dei prouidentiæ, *rursum obdormiuit*, noctemque sub iunipero transegit, donec *reuersus est Angelus Domini secundo, & tetigit eum* adhuc dormientem, & excitato dixit, *Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* Non mirabitur fortasse viæ longitudinem, qui recordabitur quadraginta fere annos olim ab Israëlitis in eadem peregrinatione consumptos. E contrario vero mirabitur tantum tempus ab Elia positum, ab eo loco vbi obdormiit, vsque ad montem Sinai, quem S. Paulus Hierosolymis coniunctum fuisse scribit, siue è regione respondere. Iosephus [c] hanc difficultatem vitauit. Nam sicut neque iterati cibi, somniue, neque Angeli meminit, ita neque itineris 40. dierum, atque noctium. Dicimus autem cum Tostato, [d] quem sequuntur Serarius, & Torniellus, [e] Eliam non recta via progressum esse ad montem, diuina præsentia, ac legislatione nobilitatum; alioqui recto itinere quatuor vel quinq; diebus eo peruenire potuisset, sed morem eorum secutum, qui fugiunt insequentes, qui modo ad dexteram, modo ad sinistram carpunt viam, & vias inuias, atque inopinatas sectantur.

*Qui 40. dies ambulauerit.*

συστοιχεῖ.

c l. 8. c. 7.

d q. [illegible] c. 19. 3. Reg. e an. 162. [illegible]

XI. *An sine interruptione, & quiete.*

Ac ne à principio quidem propositũ habuit fortasse ad eum montẽ proficisci; sed pluribus voluntariis aberrationibus vsus, eo deniq; ex vicinitate se contulit. Neq; hęc 40. dierum atq; noctium ambulatio ita accipienda est, nullũ vt quieti tempus datum fuisse, putemus, sed semel cibo illo roboratum quem ad eũ Angelus attulisset, cibo totis 40. dieb. caruisse, & ieiunũ vsq; ad montẽ Dei Horeb iter confecisse: nihilominus autem sæpe fatigatum substitisse, sæpe quieuisse, latuisse, dormiuisse, aut forte à via aberrasse, sæpius etiã ambulasse. Apparet autem etiã diutius abstinuisse cibo, caruit enim vt placet Abulẽsi, [f] quãdiu ibi substitit, & in reditu, donec ad terrã cultorib. frequentatam peruenit, etsi ieiunii reuersionẽ Scriptura tacuerit, sola profectione memorata. Nouum enim fuisset id miraculũ iterũ suppeditati diuinitus in deserto cibi, quod Scriptura minime tacuisset. Sed illud potius cõsiderandũ, quæ tãta fuerit in eo subcinericio pane virtus, vt homini ambulãti quadraginta dieb. atq; adeo plurib. vires sufficere potuerit.

*An ieiunium vltra 40. dies.*

f q. 8. in c. 19. 3. Reg.

XII. *Quæ causa miraculi.*

[a] l. 2. c. 19. to. 3. Aug.

AVTHOR mirabilium Scripturæ sacræ [a], videtur id miraculum non terreni panis virtuti, sed Angelorum effectioni tribuere. Ait enim, *Nisi forte angelico opere, de quacunque terrena materia factus, in terra degentis animam hominis, pastum validiorem hominum pane effecit.* Verum angelicæ operationi eam efficacitatem minime tribuendam esse, ille panis Angelorum, per annos 40. ab Angelis quotidie concinnatus, ac ministratus haud obscurè docet, cum is ne ad biduum quidem, nedum ad dies 40. sufficeret; propterea enim feria sexta duplum cibi colligebatur, vt haberent quod die sabbati, sine colligendi labore, comederent. *Fuisse Deũ.* Assurgamus ergo cum Abulensi, ad potentiorem huius incorruptibilitatis artificem Deum, qui caloris natiui actionem ita suspendit, vt neque humidum à cibo requireret, in quod exereret vires suas, & à quo, vt ignis ab oleo, ceráue nutriretur, neque natiuum humidum exsugeret, sed in eadem ambo dispositione consisterent, in qua proxime post sumptum cibum reperiebantur; vt propterea toto illo ieiunii tempore, nullam debilitatem, quæ ex imminuto interno vigore existit, nullam famem, cibíue appetentiam senserit. sicut nec in mõte Moyses, neque Christus Dominus in deserto, de quo nominatim scriptum est [b], ieiunasse eum 40 diebus, & 40. noctibus, & postea esuriisse; quasi diceret Euangelista Christum non toto illo tempore ieiunij, sed postea esuriisse.

[b] Math. 4. 2

XIII. *Cur cibo tribui videatur.*

NEQVE alia fuit mens Scripturæ, cum dixit ambulasse Prophetam in fortitudine cibi illius tanto tempore; id est, ait Alphonsus, *non eguit alio cibo in illis 40. diebus, & tamen virtus manendi non proueniebat à cibo, sed à Deo volente sic conseruare Eliam.* Aliter etiam exponit ambulasse prophetam, in virtute cibi illius 40. diebus; durasse videlicet virtutem illius cibi omnibus illis 40. diebus, & vltra: tanquam si cibus inconsumptus maneret in stomacho, & vigorem præberet membris eundem ad 40. dies, quem solet ad duas, trésve horas; & consumpto pridem cibo, virtus eius non flaccesceret: Deo calorem ingenitum, sine humidi consumptione, conseruante. Ergo qui nuper quotidie cibum prophetæ insigni miraculo, coruorum ministerio subministrauit, voluit mutata ratione miraculi eundem sine cibo conseruare, & qui cibum aliquando Angelorum manu confecit, atque distribuit, nuper modicum farinæ, & olei, ad pauperis familiæ victum, voluit iugiter fluere, quandamque perennitatem obtinere: & sic tanquam optimus, atque absolutissimus artifex, in operum diuersitate, sapientiæ simul, atque potentiæ experimentum prebere.

XIV. *Cur venerit in montem Horeb.*

[c] 3. Reg. 19. 9.

VENIT porro Propheta in hunc montem, non diuino excitus imperio, vt illa Domini interrogatio non obscure declarat, *Quid hîc agis Elia?* [c] quæ alioqui superflua videbatur, diceret enim, expecto quid me velis, quando huc iussu tuo profectus sum; sed alia omnia responder, ea nimirum quæ timorem ipsius, verã itineris causam, testarentur. Sed & sponte propria fugitantem emissarios Iesabelis eo peruenisse, illa quoque verba significant, *& surgens abiit quocunque eum ferebat voluntas* [d]. Censuit autem commodissimum esse latebris locum, vt qui esset ab hominum frequentia remotissimus, & ad interiora deserti pertineret [e], ratus Iesabelem imitantem maritum Achabum, non relicturam gentem, aut regnum, ad quod non dimitteret nuncios, qui Eliam requirerent. Nec contentus ad hunc penetrasse montem in eius se speluncam etiam abdidit, ne cuiusquam, vel prope, vel longe prætereuntis, & celebratum montem respicientis, pateret aspectibus [f]. Vbi etiam diutius mansurus fuisse videtur, expectans quid ab eo iussionis acciperet, cuius beneficio quadragesimum iam diem, facile omni cibo, potuque carebat: & porro, si ei videretur, cariturus erat. Nam Iosephus ait [g], illum in ea spelunca habitare decreuisse.

[d] 14. v. 3.
[e] Exod. 3. 1.
[f] Abu. q. 13
[g] l. 8. c. 7.

XV. *Dominitus visitatur.*

CVM ergo se in speluncam Elias abdidisset, ibique iaceret mœrens, affuit ei ex diuina visitatione consolatio; insonuit quippe mox auribus eius diuinitus illa vox, *Quid hic agis Elia?* quæ eo spectabat vt Propheta enunciaret, quæ ipsum causa in deserta loca, latebrasque compulisset. Quæ vox illius Angeli esse potuit, qui ei cibum attulerat, & viæ longitudinem prænunciarat; quibus visitationibus, vocibusque assuetus Elias, sine timore ac cunctatione respondit. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum*, occidendo videlicet prophetas Baal, prophetasque lucorum, quod facinus cum laudem mereretur, ac præmium, vindex enim fui sacrilegæ desertionis à Domino, & ararum euersarum, qualis fuit ea

*Eliæ querela.*

quam in Carmelo deſtructam, nuper reſtauraui [a]; vindex & prophetarum, quos impius Iezabelis gladius crudeliter mactauit, adeo vt in prophetis Domini derelictus ſim ſolus: eadem nunc quærit animam meam, vt auferat eam. Sed quid eſt quod ſe hic ſolum dicit coram Domino, ſicut nuper corã populo in monte Carmelo? Quid factum erat quinquagenis illis, quos Abdias nutrierat in ſpeluncis? An illi quoque poſt cædem pſeudoprophetarum, & fugam Eliæ, venerunt in manus Iezabelis, & occiſi ſunt? An hæc hyperbole eſt, quam paulo poſt Dominus temperat, cum ait etiam 7. virorum piorum millia, ſibi in Iſraële ſupereſſe? An vero ſe ſolum relictum ait, qui palam & publice honorem Dei tueretur, vt aiunt Vatablus, & Sà? Aut denique ſolum ſe prophetam futurorum prænuncium relictum dicit, cum tamen plures adhuc reliqui eſſent diuinarum laudum præcones, qui paſſim etiam prophetæ audiunt. quæ eſt Ioannis Hieroſolymitani expoſitio [b].

a 3. Reg. 18 30.

b c. 2. 10. lib. eius.

XVI. *Et Domini ſpectacula exhibet.*

AVDITA Eliæ quærela, Dominus eum conſolaturus exire iubet è ſpelunca, vt terrifica ſpectacula cernat, quæ venerationem Deo ex maieſtate concilient; quæ ſpeciem quandam diuini iudicij exhibeant, cum veniet Dominus in maieſtate. Hic autem; *Egredere*, inquit angelus, *& ſta in monte coram Domino*, altero, ſcilicet angelo, qui Dei vices gerat, cumque egreſſurus eſſet, perterrefactus ſubſtitit in ſpelunca: nam aliquanto poſt dicitur egreſſus. Timuit autem, quia tantus illico excitatus eſt ventus, vt montes ipſos ſubuerſurus, & ſaxa contriturus videretur. Vix ille deſierat, cum terra concuti cœpit, ac nutare: Terræ motum excepit incendium, nec in his tribus ſe exhibuit præſentem Dominus Eliæ, ad conſolandum eum, ſed in ſibilo auræ tenuis, quem cum audiſſet Elias, ſimulque interius de præſentia Domini edoceretur, vultum ſuum pallio venerabundus operuit, vt quondam Moſes abſcondit faciem ſuam, vt qui non auderet aſpicere contra Deum [c], & Eſaiæ Cherubini duabus alis velabant faciem ſuã, cum throno Dei aſſiſterent, *& egreſſus* ex interiore ſpelunca propheta, *ſtetit in eius oſtio*, cum tamen Moſes tranſeunte gloria Domini in ſpelunca manſerit. Nimirum maiorem exhibebat, tum Dominus in nube radiante ſplendorem, quam vt eum mortales oculi intueri poſſent, cum tenuem hanc auram facile quiſq. ferre poſſet [d].

*Vultum operit, an vt Moſes?*

c Exod 3.

d Abu. q. 17

XVII. *Remittitur in Iſraëlitidem.*

ITERATA mox eſt ſuperior interrogatio, reſponſioque, quæ facinora idololatrarum continet; tum ſignificat Dominus ſe ſuſcitaturũ illis aduerſarios, à quibus ſeuere puniantur, tam in ipſo Iſraëlitico regno, Iehu, & Eliſæum, quam extra in Damaſcena, Syria, Hazaëlem. *Vade*, inquit, *& reuertere in viam tuam*, à meridie, ſcilicet ſeptentrionem verſus, *per deſertum in Damaſcum*; ſicque tranſiturus erat per regiones Ammonitarum, & Moabitarum, totumque montem Galaad obiturus ex parte orientali, vſque ad Damaſcum, quod iter multorum omnino dierum fuit, cum recto itinere via futura eſſet multo breuior per medium Iezabelis, & Achabi regnum; ſed noluit Dominus hoc periculum adiri à propheta, iam timore perculſo: præſertim cum illud iter ſuſciperetur, ad hoſtem acerbiſſimum regno Iſraëlitarum ſuſcitandum. *Cumque perueneris illuc*, inquit, *vnges Azael regem ſuper Syriam; & Iehu filium Namſi*, id eſt, nepotem Namſi, filius enim erat Ioſaphati, vt ex nono quarti Regum liquet, [e] *vnges Regem ſuper Iſrael. Eliſæum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges prophetam pro te.* Fuit ea vrbs in trbu Manaſſe cis Iordanem. [f]

e c 9. 2.

f Adrich. n. 3.

XVIII. *An vnxerit Azaëlem.*

SED occurrit non leuis hoc loco difficultas, an Elias reuera inunxerit Hazaëlem, & Iehu. Cum enim præceptum ea de re diuinitus illi nunc datum fuerit, atque adeo denunciata via, per quam iter confecturus eſſet, non ſatis videtur eſſe cauſæ, cur tertiam duntaxat mandati partem à ſancto Propheta executioni mandatam dicamus. Præſertim cum in geſtis eius, & laudibus apud Eccleſiaſticum [g] legamus, *qui vngis reges ad pœnitentiam*, id eſt, ad pœnam & vltionem impiorum, & ita ſentit Torniellus, anno quintæ ætatis centeſimo ſecundo, & in eam magis propendet Abulenſis. [h] Et quamuis non legamus eam inunctionem ab Elia factam, imo ab aliis, vt ſequenti libro declarabitur, potuit tamen vterq. illorũ Regum bis inungi, vt Salomon, atque adeo ter, vt Dauid, & Saül, ita tamen, vt prior inũctio, vt alia pleraque, fuerit à Scriptore ſacro prætermiſſa,

g c. 48. 8.

h q. 11 & 12. in c. 19. 3. Reg.

NIHILOMINVS cum Elias non inueniatur vnxisse istos reges, sed tantum Elizęus, imo ne vnxisse quidem legamus Elisæum, sed alia vsum ceremonia iniectionis pallij, videtur ista vnctio metaphorice sumenda, vt vngere hos in reges, & prophetas, sit declarare eos fore reges, & prophetas, & consequenter Deo peculiari nomine consecratos: quæ est sententia Iansenij in eum Ecclesiastici locum. Quæ videtur quoque Iosephi mens, cum nullam hoc loco facit mentionem vnctionis. *Elias*, inquit, *diuina voce nihil terreri præsentibus iussus est; neminem enim inimicorum fore illius compotē, mandatumq. mox vt domum reuersus, declaret populi regem Iehum Namessæi filium; apud Damascum vero Syrorū, Azaelē & pro se prophetam Elisæum constituat.* Sic ipse, vnctionē quæ in Hebræo habetur & Græco, interpretās declarationem. Historia quoque scholastica negat vnctos ab Elia. Serarius autem ait vnxisse per alium. Nec probabile est aut Azaelëm, aut Iehu ab Elia prius vnctos in reges, quam aut ille ab Elisæo audiret se fore regē Syriæ, aut hic à famulo Elisæi vngeretur. Repugnat enim huiusmodi assertioni ingens illa admiratio, qua affectus est Hazaël, cū ab Elisæo audiuit se Syriæ regem fore. [a] *Quid enim sum*, inquit, *seruus tuus canis, vt f[...]m rem istam magnam*. frustraque ei diceret Elisæus, *Ostendit mihi Dominus te Syriæ regem fore.* Non enim id ei vllo modo nouum fuisset, si à tanto propheta iam dudum vnctus erat in regem. Nec erat cur Elisæus vnctionē iteraret, quam magister suus Iehu impertierat. Nec se Iehu tot annos tenuisset, quin regnum inuaderet, sicut fecit cum primum vnctionem ab vno de filiis prophetarum recepit.

a 4. Reg. 8. 13.

XIX. *Non videri.*

DICAMVS ergo mentem Domini fuisse, non vt Azaël nunc, aut Iehu, ab Elia regia vnctione donarentur, sed vt ipsis declararetur eos aliquando reges fore: Itaque prophetam præsentem Dei iussionem intellexisse, atque executioni mandasse; realem vero vnctionem eorum, aliena postea manu impertiisse. Iuit ergo in Damascum Elias, & Hazaëlem de futura felicitate monuit, quam apparet, ex secuta postea admiratione, non creditam, sed contemptam, quod res probabilitate omni tum careret. Rediens autem ex Syria Elias, adiit Iehu, illique nunciauit fore, vt post annos aliquot rex fieret: & ipsum a Deo destinatum ad euersionem Idololatriæ, & principum, quorum potentia illa superstitio nunc florebat. Et apparet eodem modo parum isti denunciationi fidei adhibitū fuisse a Iehu. Quamuis autem non negemus vtrumque sępius inungi potuisse, nos tamen de facto, non de iure disputamus; negamusque priorem vnctionem satis probari ab iis, qui contra sentiunt. Hos ergo diuini cultus vindices fore contra Idololatriam Dominus verbis illis significat, *Quicumque fugerit gladium Hazael occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Elisæus*: non legimus tamē aliquos ab Elisæo interfectos. Nisi quis illos quadraginta duos pueros, filios Idololatrarum intelligi velit, quos iuxta Bethel duo vrsi egressi de saltu, Elisæi voluntate, lacerauerunt. Aliquos tamen alios, præsertim de pseudo prophetis, victimas orci factos ab Elisæo credit Abulensis. [b]

XX. *Sed declarasse eos reges fore.*

b q 23. c. 19. 3. Reg.

ADDIT etiam Dominus aliā prophetę consolationem, ne putet Idololatriam omnia, in regno Israëlitarum, populatā esse. *Et derelinquā mihi*, [c] siue reseruabo, aut reseruaui mihi *in Israel septem millia*, id est multa hominum millia, *quorum genua nō sunt curuata ante Baal, & omne os quod nō adorauit eum osculans manum*. Notantur hic, vt animaduertit Serarius noster, duo modi adorationis Baal, prior genuflexio, dein osculum, vel ipsius simulacri, vt accipi possunt Hebræa, & Græca. In Hebræo enim legimus, *& omne os quod non dedit osculum ei*, in Græco autem, *quod non adorauit eum*: πᾶν στόμα ὃ οὐ προσεκύνησε αὐτῷ. vel osculum manus, vt noster vertit interpres. Erat enim antiquis, quemadmodum nunc quoque, osculum manus signum venerationis, & ex huiusmodi ritu nata putatur adorandi vox, id est manum propriam ad os referendi. Hieron. in cap. 13. Osee. *Pro eo quod* inquit, *vertimus adorantes, Aquila interpretatus est* καταφιλοῦντες, *id est deosculantes; qui enim adorant solent deosculari manum suam, quod Iob fecisse se negat dicens, Si osculatus sum manum meam apponens ori meo, & hoc mihi ad iniquitatem maximam reputetur.* Ita S. Hieronym. cui adde illud ex Psalmo secundo. Vbi enim Septuaginta habent. *Apprehendite disciplinam*, Hieron. ex Hebræo vertit, *Adorate pure*, Pagninus autem, & Vatablus, *Osculamini filium*. Adde & illud ex Minutio felice, *Cæcilius simulacro Serapidis denotato*

c 3. Reg. 19. 18.

XXI. *Multi Israelitæ ab Idololatria immunes.*

*Adorationis modus.*

*tato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens, osculum labijs pressit. In adorando dexteram ad osculum referimus, totúmque corpus circumagimus.* ait Plinius.[a]

XXII. *Elias iniicit pallium Elisæo.*

PROFECTVS *ergo inde Elias reperit Elisæum*, in reditu scilicet è Syria Damascena, vbi Hazaëlem de regno monuit, iuxta ea quæ iam diximus, nec timuit publice apparere in regno Israel, Deo pristinum ab eius corde timorem excutiente; & ira Iezabelis, duorum fere mensium spatio, sponte deferuescente, quod cum diu frustra quæsiuisset, vt Achab non ita pridem tempore famis. Putat etiam Tostatus,[b] Deum Eliæ reuelasse, ipsum tutò posse reuerti in terram Israëliticam, Ioannes autem Hierosolymitanus ait Dei iussu eò reuersum. Transiens ergo per agrum oppidi Abel multæ *reperit Elisæū filiū Saphat arantem in duodecim iugis boum*, in cœtu videlicet 12. aratorū, quorum ipse erat vnus, sequitur enim, *Et ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat.* Cumq; venisset Elias ad eum, *misit pallium suum super illum*, id est proiecit, vt Septuag. interpretantur. Sed quid sibi vult ista iniectio pallij? An ea significatum est Elisæo deinceps & habitum, & vitæ statum esse commutandum? vt intelligat, pallio & veste profana derelicta, priores sæculi mores derelinquendos, & nouum hominem induendum, *qui secundùm Deum creatus est*,[c] & quidem patre, & matre, cæterisque necessariis derelictis: in figuram religiosorum, Christi Domini consilium sequentium, & Deo sese, sub prælati obedientia, consecrantium; aratris & bobus, amicis & & parentibus, & mundo vniuerso valere iussis.

*Qui dimissis omnibus eum sequitur.*

XXIII. *Colligit Elias discipulos.*

HINC autem non leuem accipit probabilitatem quod scribit Hierosolymitanus Patriarcha Ioannes,[d] post reditum Eliæ de monte Oreb, & videlicet assumptum Elisæum in discipulum, ac successorem, cum Deo visum esset ipsum hinc abducere, etiam alios discipulos in monte Carmeli collegisse, eosque ad vitam religiosè traducendam, nominatimque ad laudes Deo iugiter decantādas, vnde & prophetare dicebantur, instituisse; habitu à profanis hominibus, cultu, conuersationéque distincta. Idque minus nouum videri necesse est, si cuneos prophetarum, qui à Samuele in Naioth domo doctrinæ erudiebantur,[e] recordemur, quo Dauid adiit fugiens Saulem, & ipsemet Saul ibi cum suis, in reliquorum cœtu prophetare coactus est. Samuele mortuo quis eorum curam gesserit proditum non est. Credibile est rem ad Dei cultum, & populi ædificationem pertinentem, à Dauide, & Salomone minimè fuisse neglectam; magnamq. horum partem fuisse Leuitas, qui Cantorum officio in templo fungebantur, sub cura Asaph, Eman, & Idithum.[f] Cæteros magno numero diuersis familiis distinctos, quos prophetarum cuneos Hieronymus vocat,[g] vixisse; variisque in locis collectos vt Naioth, Gabaa Saulis, Carmelo, Bethele, Iericho, diuinis laudibus vacasse, sub magisterio sanctorum virorum, Nathani, Gadi, Ahiæ, Addo, Semeiæ, & aliorum prophetarum, qui in Scriptura celebrantur; quibus postmodum Elias, Elisæus, aliique deinceps successerunt.

*Vt olim Samuel.*

*Et alij deinceps.*

XXIV. *Modus vocationis Elisæi.*

SED redeamus ad Eliam, cuius oratio in vocatione Elisæi est aliquanto contractior. Illud enim habetur duntaxat, Eliam iniecisse pallium suum super Elisæum, istumque statim concurrisse post Eliam, dixisséque illi, *osculer oro patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te.* Cui Elias, *vade, & reuertere, quod enim meum erat feci tibi.* Aliquanto inquam contractior. Primum enim vnctionis nulla facta est mentio, vt propterea metaphorica intelligi possit, vt diximus.[h] nulla diuinæ iussionis, & electionis Elisæi: quam tamen interuenisse rationi consentaneum est, ne temere Elisæus vitæ statum commutasse videatur: nulla futuræ successionis, quam significauerat Dominus cum diceret, *vnges prophetam pro te.*[i] Dicamus ergo Elisæum ab aratorum turba seductum, audisse ab Elia, electum ipsum à Domino in prophetam, & vbi aliquot annis factus fuisset comes peregrinationis suæ, & propheticæ vitæ instituta didicisset, ei in hoc munere successurum: in cuius rei signum prophetiæ cum pallio iam nunc amiciret. Et simul hominem rei nouitate mirantem deseruit, cœtumque carpens iter antecessit. Vt autem se collegit Elisæus, accepto nuncio nihil cunctatus, mentem enim eius illustrabat Dominus, & cor ad libenter obtemperandum impellebat, *statim relictis bobus cucurrit post Eliam*, tantúmque exorauit ab eo temporis, quantum necesse erat ad parentibus valedicendum.

[a] l. 28. c. 2. vide Apuleium l. 4 Asini, & in Apologia prima.
[b] q. 17. in c. 19. 3. Reg. cap. 11.
[c] Ephes. 4. 24.
[d] eod. c. XII.
[e] 10. 3. a. m. 1973. n. 32.
[f] 1. Par. 25. 1.
[g] 1. Reg. 10. 10. & cap. 19. 20. 4. Reg. 2
[h] nu. 19.
[i] Abul. q. 14. in c. 19.

POSTVLATIO autē ista significet iniectam à Deo nouo prophetæ necessitatem sequēdi Eliam. Nam si id sibi liberum putaret, non peteret ab Elia, quasi à magistro, ac domino suo, veniam salutandi parentes. Nec Elias ita eam daret, vt simul reuerti iuberet, hoc salutationis officio perfunctum. Indicat quoque eadem postulatio, iuniorem hoc tempore fuisse Elisæum, necdum iunctum coniugio, factumue patrem familias, sed in patria adhuc potestate fuisse: alioqui enim & vxoris, quam dimittere, ac repudiare poterat; & liberorum, si quos ab ea suscepisset, vtique meminisset. Nec difficilem se Elias exhibuit, quod permo[...] temporis futura erat illa valedictio, neque periculosa vocationis amittēdæ: qualis erat dilatio eius, qui vocante Domino, patrem prius sepelire cupiebat, id est, quandiu pater viueret cum eo remanere, qui propterea audiuit, *sine mortuos sepelire mortuos suos. Vade*, inquit Elias, *& reuertere, quod enim meum erat feci tibi.* Exe cutus sum diuinam erga te iussionem: tuum est, vt quamprimum Dei obtemperans voluntati, à profanis te negotiis, curisque expedias, Deumque vocantem sequare. XXVI. *Quæ tum eius condi- tio.*


REVERSVS *autem* à colloquio Eliæ, *tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes.* Non deerant alia ligna coquendis carnibus, sed mysterio id factum est, vt se priori vitæ, ac viuendi rationi plane renūciare significaret. Habes supra [a] quoque plaustra, & iuga boum combusta, sed in sacrificio. Quod autem coctas carnes populo dedisse dicitur, ostenditur non diuisas in populum partes, sed factum epulum omnibus cognatis, & amicis, antequam discederet ab eis, Eliæ ministraturus. Sic Matthæus [b] derelicturus telonium, Christo Domino, & discipulis eius, & plerisque publicanis, antiquis amicis, conuiuium exhibuit. Huic historiæ addit Iosephus de suo Elisæum statim ab iniecto pallio prophetare cœpisse. Id tamen Scripturæ consentaneum non est, quæ tantum ait secutum Eliam, eique ministrasse: neque legitur ante raptum Eliæ, quando spiritum eius duplicem accepit [c], prophetasse, sed potius famuli erga herum munera obiisse, aquam manibus eius fundendo, eiusque sectando vestigia. Inde autem Eliam in montem Carmelum se recepisse, author est Ioannes Hierosolymitanus [d], ibique discipulos suos congregasse, & studiose instituisse; quos nunc quoque religiosissima Carmelitarum familia parentes agnoscit, meritoq. veneratur. Elegisse autem videtur Carmelum, siue quod is locus egregio miraculo nuper illustratus fuerat, vero Deo de idololatria, per manum Eliæ triumphante; siue quod ab vrbium frequentia sepositus, solitariam vitam ducturis idoneam præbebat quietem. Verum præstat audire Patriarcham. XXVI. *Suis omnibus valedicit.* *Elias Carmelum repetit.*

ELIAS, inquit, *ad sui, & suorum discipulorum iugem mansionem, elegit præ aliis eremis, Carmeli montem, tanquam commodiorem ad propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo edocendam, & exercendam. Mons quippe præbet eremitæ homini ex sua solitudine silentium & quietem, ex suis antris congruam mansionem, ex suo saltu iucunditatem, ex suo eminenti situ aerem salubrem; ex suis herbis, & fructibus pastum vberem, & ex suo fonte aquæ viuæ haustum dulcem. Propter quæ omnia Elias in monte isto non modo elegit habitare, verum etiam domum orationi consecratam, appellatam Seunion in eo ædificauit. Quæ ideo Seunion dicta fuit, quoniam Elias & discipuli eius, de suis tabernaculis, & speluncis egredientes, ad domum illam honeste tribus vicibus conueniebant, non quidem ad refectionem corporalem, vel ad reliqua corporis ministeria peragenda, sed ad creatorem omnium litaniis, & orationibus suppliciter placandum, & vt vnusquisque eorum cum Propheta diceret* [e], *Vespere, & mane, & meridie narrabo; & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Hæc ibi Ioannes. XXVII. *Cur eum locum delegerit.* *eius descriptio ex patriarcha.*

QVIBVS satis consentanea sunt, quæ Adrichomius in tribu Issachar [f], ex Brochardo, Breidembachio, & Saligniaco spectatoribus refert, Iosepho item atque Hieronymo. Carmelus maris, qui hebraice dicitur Carmel, mons excelsus valde & nemorosus, nobilissimis vineis, oleis, arbustis, fructiferis arboribus, herbisque odoriferis abundans, vt ob summam rerum omnium copiam, fertilitati & abundantiæ in Scriptura comparetur, &c. Beniaminus quoque in suo itinerario [g] à Ioanne non multū dissentit, nisi quod vnius spelūcæ meminit duntaxat. *Littori maris*, inquit, *ex latere vno* (occiduo) *mons Carmel imminet; ad montisque radices Israelitarum quamplurimorum sepulchra sunt,* (vtique eorum qui illic habitabant religiosi, ac Prophetæ) *in que ipso monte Eliæ Prophetæ antrum visitur, iuxta* XXVIII. *Et aliis scriptoribus*

a 1. Reg. 6. 14. & 2. Re. 24. 22.
b Math. 9. 10.
c 4. Reg. 2. & 3.
d c. 11. & 19.
[...] à [...]. quod est colere, & venerari.
e Psa 54. 18.
f num. 19.
g p. 38.

*quod Christiani sacellum construxerunt, Sancti Eliæ dictum*. Sic Beniaminus. Addit etiam Ioannes * Eliam ab hoc tempore sedecim annis hunc montem incoluisse, qui numerus an mendo careat, ex sequentibus planum fiet. a c. 10.



ANNVS MVNDI 3128. DILVVII 1472. QVINTÆ ÆTATIS 189. FVNDATI TEMPLI 106. IOSAPH. REGIS IVDÆ 8. ACHABI. REGIS ISRAELIS 12. AZARIAE PONTIF. 8. TROIÆ EXCISÆ 257. OPHRATAN. 5. IMPERII ASSYRIORVM. 1197.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 925.

*Ortus Ochosiæ.*



NATVS est hoc anno Iosaphati nepos Ochosias, Iorami filius ex impia Athalia susceptus: quod ex eo apertè demonstratur, quod viginti duorum annorum regnare cœpit, vt in 4. Reg. 8. perspicuè scriptum est. v. 26. Totidem autem anni ad initium regni eius, qui cadit in annum mundi 3150. exactè numerantur; sed annos absolutos de more numerando, ita vt prædictus mundi annus, sit eius 23. sicut præsēs 3128. qui in cursu est, primus Ochosiæ numerādus est. Hic autē annus, sicut & aliquot proxime sequentes, suis quiq. rebus gestis distingui non potuerunt: Forte nonnulla præcedentium ad eos pertinent. Interea tamen certū est amicitiam inter vtrumque regem, etiam affinitate constabilitam, perseuerasse, vt ex 3. Reg. vltimo patet. v. 45. *Annus sabbaticus 78.* Nonus autem, qui proxime sequitur, Iosaphati annus, sabbatico anno, ordine septuagesimo octauo insignitur: Cur autem vnus templi annus abundare videatur, dixi in anno sabbatico septuagesimo, qui incurrit in annum templi quinquagesimum primum.



ANNVS MVNDI 3132. DILVVII 1476. QVINTÆ ÆTATIS 193. FVNDATI TEMPLI 110. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 12. ACHABI REGIS ISRAELIS 16. AZARIÆ PONTIF. 12. TROIÆ EXCISÆ 261. OPHRATAN. 9. IMPERII ASSYRIORVM 1201.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 931.

*11. seculum imperij Assyriorum.*



DVODECIM iam seculis imperii Assyriorum euolutis, hic annus decimo tertio dat initium. Quem rectè nobis progredi ex eo liquet, quod si annis diluuii, quos titulus hîc ostentat, annos 275. detraxeris, qui fuit annus imperii inchoati, reperies eum quem notauimus monarchiæ Assyriorum annum. 1201. Cui viceuersa si addideris eosdem, 275. incurres in annum diluuii prænotatum. 1476. Hunc eundem annum Eusebius facit primum Tiberini Siluii, decimi Latinorum regis, *à quo*, inquit, *fluuius appellatus est Tiberis, qui prius Albula vocabatur*, *Tiberis.* Idemque habetur in græco, nisi quod pro Tiberino legitur Tiberius, tam in regis, quam in fluuii nomine. De cuius etymo secutus est Eusebius Ouidium, qui in secundo Fastorum

*Albula*, inquit, *quem Tiberim mersus Tiberinus in vndis*
*Reddidit, hybernis forte tumebat aquis.*

conti-

contigerit id post annos octo, tot enim annis cum Eusebius regnasse tradit. Aliam tamen huius nominis originem Virgilius existimauit, apud quem Euander,

l. 8. Æneid.

*Tum Reges, asperque immani corpore Thybris,*
*A quo post Itali fluuium cognomine Thybrim*
*Diximus—*

Quod si ab hoc Hetruscorum rege, iuxta hunc fluuium occiso, Tiberis nomen accepit, trecentis fere annis erit antiquius, quam vel Eusebius, vel Ouidius crediderunt.



## ANNVS MVNDI 3133. DILVVII 1477. QVINTÆ ÆTATIS 194. FVNDATI TEMPLI III. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 13. ACHABI REGIS ISRAELIS 17. AZARIÆ PONTIF. 13. TROIÆ EXCISÆ 262. OPHRATAN. 10. IMPERII ASSYRIORVM 1292.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 920.



QVINQVAGESIMVS supra quinquagesimum, annus agitur, ex quo Iosue populum Hebræorum in Chananitidem, Iordane mirabiliter transmisso, induxit, ex quo etiam consequens est hoc tempore vndecimum Iubilæum Mosaïcum terminari. Si enim ad 440. annos, qui templi fundationem antecesserunt, centum & 10. annos, qui ab eo fundato fluxerunt, addideris, numerum quem dixi conficies. Nec te moueat studiose lector, quod hic annus dicitur templi centesimus vndecimus, eius rei causa est, vt alibi quoque diximus, [a] quod idem annus templi primus, bis numeratur, tanquam finis præcedentis epochæ, & initium sequentis. I. *Vndecimus iubilæus Mosaicus.*

a an. templi. 51.

Hoc tempore florebat in monte Carmelo Elias, cum religioso discipulorum choro, in quibus nuper à Deo nominatim vocatus Elisæus maximè eminebat, quem postea Dominus, multis prophetiæ, & miraculorum donis, reddidit per illustrem, quæ causa fuit, vt Rabbini cum iam ab ipso ortu prodigiis ornare voluerint. Refert enim Ioannes Hierosolymitanus [b], vtique ex eorum officina, in eius natiuitate vnum de vitulis aureis, quos Israëlitæ ex Ieroboami institutione colebant, acutum edidisse mugitum. Quod cum Sacerdos Domini Hierosolymis audiuisset, diuino nutu dixisse fertur, Prophetam natum in Israel, qui sculptilia deorum destrueret. Quam narrationem iustius contemnere possumus, quam illi sine probatione, aut probabilitate intrudere. Erat in eodem cœtu filius viduæ Sarephtanæ, quem Elias suscitarat à mortuis, quem Hebræi existimant à matre traditum Eliæ erudiendum, & disciplina religiosa informandum, illúmque ipsum esse, qui iussu Eliæ septies aliquod pluuiæ signum aucupabatur. Retulit, præter Ioannem Hierosolymitanum [c], Hieronymus in procemia commentariorum suorum in Ionam. Sed de eo, sicut & de aliis eiusdem discipulis, alius erit dicendi locus. II. *Floret Elias in Carmelo.* *Fabula de Elisæo.* *Filius viduæ Sarephtanæ.*

b cap 13.

c cap. 12.

# ANNVS MVNDI 3134. DILVVII 1478. QVINTÆ ÆTATIS 195. FVND. TEMPLI 112. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 14. ACHABI REGIS ISRAELIS 18. AZARIÆ PONT. 14. TROIÆ EXCISÆ 263. OPHRATANIS 11. IMPERII ASSYRIORVM 1203.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 919.



Nvm. I. *Ratio temporis.* OCTAVO decimo Achabi anno bellum inter Syros, & Israëlitas exarsit, & ab his contra illos feliciter in montanis pugnatũ est; quæ causa Syris fuit dicendi, *dij montium, dij eorum.* Anno autem sequenti, vt prædixit propheta regi, redierunt, vt pugnarent in campestribus, & iterum victi sunt. Inde autem transierunt tres anni absq; bello inter vtrumque populum, vt habetur 3. Reg. 22. [a] In tertio tamen anno redintegratum fuisse bellum, in eodem volumine scriptum est: in quo Achab occisus est, qui fuit vigesimus secundus & vltimus ipsius regni annus. Ex quo necessario deducitur, hunc primum belli Syriaci annum, esse Achabi decimum octauum, & Iosaphati decimum quartum. Quæ est ratiocinatio Abulensis q.1. in cap.20. tertii Regum, & Tornielli [b]. Itaque falli necesse est, qui hunc decimum sextum, aut decimum septimum Iosaphati annum vocauerunt: falli quoque qui Achabi 17. nec minus qui hoc bellum annis famis proxime subiiciunt. Iosephus autem qui huius, & sequentis anni bella historiæ Nabothi postposuit, duces habuit Septuaginta quos sequeretur. Nos hebræum textum, & vulgatum sequemur.

a 3. Reg. 22. 2.

b an. 122. 5. 2tur.

II. *Causa belli.* Hvivs belli quæ causa fuerit non facile est inuenire. Dixerit aliquis bellum hoc Deo esse tribuendum, qui in Achabum, eiusque populum animaduertere voluerit, qui post tam ingens miraculum, quo publice idololatria, opera Eliæ conuicta fuerat falsitatis, impietatis tamen tenax fuerit, neque ad verum Deum reuersus sit. Nam aliàs quoque Dominus Syros Israëlitis suscitauit aduersarios: & nominatim cum Asa aduersum Baasa pugnaret [c], vt diximus anno Asæ 16. [d] Hoc tamen bellum à Deo paratum videtur potius, ad peruicaciam Achabi regis beneficiis edomandam. Nam Propheta quidam prædixit ei, Deum tantam hostium multitudinem in manus eius traditurum, *vt scias*, inquit, *quia ego sum Dominus*, & scilicet principes mihi subiectos victores efficio. Humanitus autem rem æstimando, Tostatus eò confugiendum putat, quod facile inter finitimos reges, populosque bella suscitentur. Non erit opinor temeraria coniectura, si dixerimus Benadabo rege Syriæ, qui contra Baasa ante annos triginta nouem pugnauerat, [e] mortuo, eique altero Benadabo succedente, Achabum isti tributum negasse, quod antea pependisse, satis intelligitur, ex c. 20. tertii Reg. [f] Cui ad audendum animos faciebat, quod cum affinitate cum Iosaphato coniunctus esset, ab eo auxiliares copias speraret, aut certe neque se ab eo vexatum iri, neque Syrum adiutum credebat.

*Deus Achab. beneficiis allectas.*

c 3 Reg. 15. 18.

d n. 8. 9. & sequ.

e a.m. 3095.

f v. 34.

III. *Copia Syrorum.* Itaqve *Benadad rex Syriæ congregauit omnem exercitum suum, & triginta duos reges secum*; Satrapas intelligit vicinarum prouinciarum, circa Libanum, & Euphratem, quos Scriptura more suo reges vocat [g] Congregauit etiam equites, & milites e curribus pugnantes. *Et ascendens pugnabat contra Samariam*, in monte positã, *& obsidebat eam.* Hunc Benadadum alterius Benadadi filium diximus, quem etiã nepotem suspicatur Abulensis [h]. Septuaginta eum vocant filium Ader. Iosephus autem Adadi filium, Chaldæus paraphrastes Barhadad, quod idem est cũ hebræo Benadad. Itaque eam vocem appellatiue sumunt, sicque suppressum fuerit proprium huius regis nomen; licet tamen nomen Benadad vice proprii vsurpare. Iosephus, qui prius hominem Adadi filium dixerat, in narrationis progressu Adadum appellitat. Deque huius belli apparatu hæc habet, *Eodem*

*Quis eorũ rex.*

g vide Iosue 12. 9.

h post. q. 15 in c. 20.

*tempore Adadi filius, Syrorum & Damasci rex, contractis è toto regno suo copiis, ascitisque vltra Euphratem triginta duobus sociis regibus, contra Achabum duxit; qui intelligens se imparem eius copiis, à congressu quidem abstinuit, sed coactis ex agris in vrbes munitissimas omnibus, ipse mansit intra Samariam. Cincta enim erat mœnibus firmissimis, & alioqui videbatur expugnatu difficilis.*

IV. Adit Samariam infestus.

SYRVS *autem cum exercitu eò venit, & obsessam vrbem oppugnare cœpit.* Ita quidem, sed à longè tantum obsidere cœpit: itaque aliquanto post legimus ab eo præceptum militibus, vt circundarent ciuitatem. *Et circundederunt eam* [a]. Idque ex eo confirmatur, quod caduceatores & legati mitti solent ab eo, qui hostem adoritur, re adhuc integra, si is postulatis conditionibus imminentem cladem, aut eius certè periculum, præsente iam hoste, redimere velit. Ergo illa Scripturæ verba, *pugnabat contra Samariam, & obsidebat eam*, accipienda sunt, quasi summatim præmissa belli propositio, quæ mox particulatim explicetur. Videns ergo Benadad impunè se in regionem Israëlitarum ingressum esse, & cum infesto exercitu, ad ipsam vsque regni metropolim esse progressum, Achabi copias nusquam occurrisse, ac ne ad vrbem quidem suam explicuisse illum aciem ad resistendum hosti, sed mœnibus se pene captiuum continere, animosior factus, atq. audacior, cum superbissimo contemptu iniustissimam legationem mittit, cuius hæc erat oratio. *Hæc dicit Benadad. Argentum tuum, & aurum tuum meum est, & vxores tuæ, & filij tui optimi mei sunt.* Ideoque tam hos, quam illa volo mihi tradi, & arbitrio meo, voluntatique permitti, quæ si sponte non dederis, inuitus dabis.

a 3. Reg. 20. 12.

Eius iniqua postulata.

V. Quo animo facta.

SPERABAT nimirum tam iniqua postulatione indignatum regem ad conferendas manus progressurum esse [b], debellatumque, rebus omnibus spoliatum iri; qui si iusta tantum petiisset, atque impetrasset, iis contentum ad sua reuerti oportuisset. Nisi forte præ insigni fastu, ingenti hac cõtumelia afficere voluit Israëlitas, vt ex patrum, & maritorum manibus vxores eorum, liberosque acciperet, quibus turpiter abuteretur; sicque eos apud omnes gentes probrosissimos redderet. Hæc fuerat quondam mens Naas Ammonitæ [c], cum diceret Israelitis. *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerso Israel.* Achab autem cupiens lenitate verborum ferocem Syri animum mitigare, *iuxta verbum tuum*, inquit, *Domine mi rex, tuus sum ego, & omnia mea.* Quæ accipi possunt, tanquam non serio, sed officiose, & ex vrbanitate dicta; ideoque etiam seipsum quem ille non postulauerat, obtulit. Alioqui mirum in modum deiecto, & desperato fuisse animo Achabum necesse est, qui tam facile, tam iniquæ, & insolenti postulationi acquiesceret. Quod si quis has vrbanitatis delicias, aduersus hostem teterrimum, parum probabiles putat, reputet apud se agi quidem apud hostem, sed qui crederetur in manu habere victoriam; ideoque omni ratione demulcendus videretur. Sunt qui putent his verbis Israelitam Syro tributi pensitationem obtulisse.

b Abul. q. 2 in c. 20.

c 1. Reg. 11. 2.

Quæ eludit Achab.

Vatabl.

VI. Iterata postulatio Syri.

SENSIT Benadab officii, & vrbanitatis causa factam fuisse ab Achabo huiusmodi responsionem; ideoque vniuersè factam, sine vlla determinatione loci, temporis, aut rerum ipsarum. Itaque ipse, vt serio rem agi ostenderet, alteros misit nuncios, qui petitionem vrbanè elusam inculcarent, & eam quamprimum in rem deductum iri docerent., tempore, personisque distinctius notatis, in hanc sententiam. Quandoquidem postulationi meæ acquiescis de argento, & auro, & vxoribus, & filiis tuis. *Cras igitur hac eadem hora, mittam seruos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & domum seruorum tuorum, & omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, & auferent.* Quæ denunciatio, superbiæ, & vanitatis multum habuit, prudentiæ parum. Cum enim nihili faceret Israelitas, perinde putauit eos monere de tempore, quo missurus esset ad eum prædones suos, atque incautos nunc, & imparatos, inopesque præsentis consilii spoliare; qua ex fiducia Naas olim Iabesitis etiam 7. dierum inducias concessit. Præ insipientia vero non intellexit vere illud vsurpari vulgo, *Multa cadunt inter calicem, supremaque labra.* Potuerunt enim interea aliquid salutaris consilii, vrgente necessitate, excogitare; potuerunt etiam interea quæ libuisset abscondere, & Syrorum scrutatorum eludere diligentiam.

Eiusque superbia.

VII. Achab re-

ERGO Achab serio rem agi videns, lætatus est, vt Iosephus quoque fatetur,

*ad suos refert.* non in vnum se, sed in optimates quoque suos nominatim intentari minas: ne illi rati nullum sibi creari periculum, regis clade, publica damna redimenda censerent, rem totam ad eos deferendam putauit. Etsi satis clarum erat Syros, qui regem ipsum spoliare auderent, à priuatis minime temperaturos, proindeque perinde erat eos à nunciis, aut nominari, aut non nominari. Valebat tamen ista nominatio ad inuidiam à rege declinandam, & priuatam causam, cum communi suorum beneuolentia, publicam efficiendam; ne in omnem euentum, illi crimini dare possent, regem publicam calamitatem priuato damno redimere noluisse. Et hanc ipsam Achabi mentem fuisse crediderim, cum in cœtu seniorum regni sui, animaduertite, inquit, & videte, quoniam insidietur nobis. *Misit enim ad me pro vxoribus meis & filiis, & pro argento & auro, & non abnui.* Et reuera quidem non abnuerat, sed petitionem simulata concessione eluserat, dū clarius appareret quo cessura esset ista postulatio. Etenim sicut qui auribus lupum tenet, eum neque retinere potest, neque audet dimittere, ita hic suos, quos ille petebat, nec concedere poterat, neque audebat negare.

VIII. *An Syris postulata dare potuerit.*

EXISTIMAT Abulensis potuisse Achabum tam suos, quam suorum filios, non solum in obsides, sed etiam in seruos hosti tradere, si ipsi consentirent, & eo facto constaret redditam iri salutem, ac libertatem ciuitati; si autem repugnarent, non dedi quidem posse, sed dimitti ex ea, ne propter eos respublica periret. De mulieribus autem existimat eas nullo modo dedi potuisse, quamuis propter ea ab hoste delendam putaret ciuitatem: quia huiusmodi deditio peccatum sit, & quidem admodum turpe. Respondendum videtur, iuxta ea quæ alibi in simili causa Dauidis, & Ceilanorum diximus [a], primum parem videri rationem puerorum, & mulierum, cum vtrique æque opportuni barbarorum iniuriis videantur, & vtrique culpa vacent, nec filij à parentibus, præ vxoribus contemnendi videantur, cum propter filios accipiantur vxores. Deinde potuisse Achabum, reliquosque Samaritas in defendenda patria mortem occumbere, atque adeo debuisse, prius quam innocentes filios, atque vxores barbarorum furori traderent. Id enim cum in quemlibet innocentem iniurium sit, tum in eos maximè, qui nos tanta necessitudine contingant. Denique potuisse eos rogare suos, vt proprio damno communem ruinam redimerent, optarentque paucorum potius malum esse quam omnium; quod si negarent, nec priuatum bonum vellent communi posthabere, tum demum, tanquam hoc ipso nocentes, dedi sine iniuria potuisse.

[a] an. mun. 2974. n. 55.

IX. *Queritur de Syro.*

INSIDIARI autem Benadadum dicit Achab, siue vt hebraicè habetur, & græcè, *malum quærere*, optare scilicet, vt eos iustè deleuisse videatur, qui aliquorum iactura, noluerint cladem vniuersorum vitare. Malitiose nobiscum agit, qui ea petit, quæ nos cōcedere non possumus, nec debemus. Diminuta autem videtur ex affectu regis oratio, quasi dicat: si meis duntaxat contentus esse voluisset, sustinuissem vtique; nunc autem etiam vestra petit, quæ mihi cariora sunt quam mea. Iosephus [b] non eò distinguit vtramque legationem, quod in priore, quæ ad regem tantum pertinerent peterentur à Syris; in posteriore autem, quæ ad reliquum quoque populum; sed ea re discriminat, quod in priore Syri accepturi erant de Israelitarum manibus quæ postulabant, in posteriore ipsimet scrutaturi erant singulorum domos. Verum in priore legatione solius Achabi facta est à Scriptura mentio, de subditis silentium fuit. Itaq; Scripturæ mentem Iosephus, aut non est assecutus, aut sponte deseruit.

*Qui differrent legationes duæ.*

[b] l. 8. c. 8.

X. *Populus iussa eius respuit.*

DIXERVNTQVE *omnes maiores natu, & vniuersus populus ad eum. Non audias, neq. acquiescas ei. Reclamauit tota concio,* ait Iosephus, *contemnendum esse cum suis mandatis insolentem barbarum, & bellum alacriter gerendum.* Mitius nihilominus Achab respōdendum putauit. His enim Syri nunciis ita respondit, *Dicite domino meo Regi. Omnia propter quæ misisti ad me seruum tuum in initio faciam, hanc autem rem facere non possum.* Non habebat in animo Achab vxores suas, filiosque dedere, quos ille initio petierat: sed sicut in priore responsione dissimulatione est vsus, etiam in posteriore eandem init dissimulandi viam. Quia enim intelligebat Syrum non discessurum de posteriore sententia, quod honoris eius interesset legem hosti pro arbitrio statuere; neque ab eo ad vllam exceptionem compelli, fingit Achab se priori

Ibidem.

*Prudens Achabi responsio.*

sententiæ acquiescere voluisse ac velle, quod tamen ipse de argẽto, & auro duntaxat intelligebat, vt significat Abulensis [a].

a in expos. text.

XI. *Minæ Benadad.*

REVERSIQVE *nuncij retulerunt ei, qui eos remisit*, iussitque has suo nomine intentare minas. *Hæc faciant mihi dij, & hæc addant*, vox est grauia sibi mala imprecantis, qualem supra Iezabel vsurpauit; *si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me.* Non satis apparet quid minæ istæ contineant. Nisi forte dicere velit, se tanta multitudine militum Samariam oppugnaturum, vt totum terræ puluerem exhaurire possint, si vel pugillum singuli accipiant. Quæ Tostati quoque est interpretatio. Longè aliter Iosephus, maiore probabilitate, quã fide. *Hoc responso*, inquit, *commotus ad iram Adadus, tertio legatos mittit cum minis, ferocem cum esse fiducia mœnium, se vero parem illis aggerem excitaturum, si vel pugillum terræ singuli milites conferant, volens eum copiarum multitudine perterrefacere.* Sic ipse, quem secuti sunt Comestor in Historia Scholastica, Lyranus, & ante vtrumq. Theodoretus, cum ait, *Hæc autem dicebant minantes oppugnationis aggeres* [b].

b q. 60. in 3. Reg.

XII. *Quaselenat Achab.*

HIC rex factus animosior, eleuansque denunciatas minas, *Dicite*, inquit, *ei, ne glorietur accinctus, æquè vt discinctus*, id est, vt ait Chald. paraphrastes, *ne laudet se expeditus, & descendens in prælium, sicut vir qui vicit, & ascendit ex eo.* Monet videlicet, ne is qui baltheo se accingit, & gladio ad pugnandum, triumphum canat ante victoriam, quasi iam soluisset baltheum, & arma deposuisset: quæ est communis expositio Lyrani, Tostati, Emanuelis, Vatabli, Pinedæ. Id Iosephus non satis expressisse videbitur, cum ait respondisse Achabum, inter armatos, non verbis, sed factis decernendum, sed ea est culpa interpretis. Ad verbum enim habet, non oportere gloriari armatum, sed qui certamine victor euaserit. Longius quoque Septuaginta recessisse videantur, cum prouerbium prouerbio reddiderunt. *Sufficiat vobis*, inquiunt, *non glorietur gibbosus, vt rectus*, sed eadem videtur esse sentẽtia. Non glorietur qui adhuc armorum pondere incuruatur, æque vt is, qui armis depositis, rectus stare potest; æquum quippe ac rationi, & decoro consentaneum non est, æquè præliatorem iactare sese, atque victorem.

c 3. Reg. 20. 12.

XIII. *Syrus obsidet Samariam.*

FACTVM *est autem cum audisset Benadad verbum istud* [c], eo tempore quo *bibebat ipse, & reges in vmbraculis*, Tabernaculis, scilicet, & scenis, vt habent Septuag. Fortasse autem significare voluit Script. Benadadum cum cæteris regibus, non singulos in suis tentoriis, se vniuersos sub armorum ramis, stulta victoriæ confidentia, conuiuium agitasse; idq. ex iis, quæ mox v. 16. habentur, satis colligitur. *Et ait seruis suis*, ducibus, ac militaribus tribunis, *circundate ciuitatem; & circundederunt eam.* Septuag. *Ædificate vallum, & posuerunt vallum super ciuitatem.* Hebræus textus, *Ponite*, siue admouete, subaudi machinas bellicas ad vrbem expugnandam, *& admouerunt eas.* Iosephus vtrumque complexus, *Ille è vestigio mandat circumuallari vrbem, & aggerem erigi, & nullam oppugnandi rationem prætermitti*, vt per vim possent expugnata ciuitate rapere, quæ rex cum suis, illa incolumi, vltro dare noluisset.

XIV. *Deus Achabo victoriã pollicetur, & cur.*

INTERIM Achabus cum omni populo minimum à desperatione aberat, sed hunc ei timorem propheta quidem superueniens, quasi Deus ex machina, exemit, qui ait ei. *Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam, ecce ego tradam eam in manu tua hodie, vt scias quia ego sum Dominus.* Quasi dicat, si mirabili Eliæ sacrificio conspecto nondum didicisti, me vnum esse verum Deum, ignium atque pluuiarum potentem, nunc disces me esse Dominum exercituum, qui pauculis hominibus, contra innumerabiles copias victoriam tribuam. Et hæc primaria causa est, cur Dominus victoriam Achabo, quamuis impio, nec ipsum pro ea roganti concedere voluerit, manifestatio videlicet gloriæ, ac potentiæ suæ. 1.

Abu. q. 6 & 7. in cap. 20 3. Reg.

Altera est castigatio, ac deiectio superbiæ Benadadi, quam Dominus ministerio Achabi exercere voluit. Etsi enim hic indignus erat victoria, ille tamen dignus erat qui vinceretur. Nam Dominus in improbos tam bonorum, quam malorum opera solet animaduertere; & qui nunc Syrum per manum Achabi puniit, postmodum vice versa Achabum Syrorum opera afflixit, ac perdidit. 2. Misit denique prophetam, qui victoriam, modumque eius prænunciaret, ne eam sibi Achabus tribueret, & diuinum beneficiũ, suam industriam ac felicitatẽ interpretaretur. 3.

XV. *Quo propheta vsus*

SED quem prophetam? vtique non Eliam, sed obscuriorem aliquem, pro-

prio enim nomine appellatus fuisset. Existimat Abulensis eum fuisse Michææ filium Iemla, cuius erit postea mentio, aitque multos in ea esse sententia, in quibus author historiæ scholasticæ, cum Lyrano: & Hebræis in Seder-olam [a]. *Et ait Achab, per quem?* credidit superuentura alicũde auxilia contra Syrum, siue à Iosaphato socio, ac cognato rege, siue aliunde. Nisi malis illam interrogationem esse increduli, & irridentis, & omnia humano iudicio æstimantis, cum vix paucos comparatione Benadadi milites haberet. Respondet Propheta, *per pedissequos principum prouinciarum*, victoriam diuinitùs datum iri. Pedissequos quoque siue pueros, aut famulos, aut adolescentes habent Hebræi, Græci, & Chaldæi codices. Iosephus autem, *per filios*, inquit, *principum*; qui nimirum solent in aula Regis educari, & cum iuniores sunt in ephebis honorariis numerari: sed cum iis magna, vt videtur, pars pedissequorum fuit, vt à maiori parte facta fuerit denominatio. Addit Iosephus, *sed te regente eorum imperitiam*. Quibus verbis reddere voluit ea Scripturæ verba, *quis incipiet præliari? Et ille dixit, Tu*. Alii vertunt, *quis componet aciem?* aliqui, *quis instruet prælium?* Hebr. *quis ligabit bellum?* Septuag. *quis coniunget prælium*: Chald. *quis ordinabit?* Et reuera prælium ab istis adolescentibus cœptum est, Achabus autem aciem ordinauit, positis in fronte pueris istis, quos velites Romana olim militia, rorarios quoque, ac ferentarios dicebat: Gallica vero, *enfans perdus*: hos reliquos milites sequi iussit, in quibus ipse fuit.

*& quorũ opera vsurus.*

*a cap. 10.*

XVI. *Initium pugnæ.* REM perspicue Scriptura explicat in hæc verba. *Recensuit ergo pueros principum prouinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum, & recensuit post eos populũ, omnes filios Israel septem millia; & egressi sunt meridie.* Quo scilicet tempore *Benadad bibebat temulentus in vmbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant. Egressi sunt autem pueri principum prouinciarum in prima fronte.* Quos cum speculatores vidissent, properè nunciarunt regi aliquam militum manum è Samaria egressam. Ille autem misit illico nuncios, qui dicerent militi suo, qui in armis excubabat, *Siue pro pace veniunt, apprehendite eos viuos: siue vt prælientur, viuos eos capite*. Videtur hoc præceptum ex superbia, & hostis sui contemptu proficisci; cui simile quiddam Darii narrat historia, cum primum eum adortus est Alexander. Sed Deus eam superbiam in eius perniciem conuertit. Nam dum viuos capere volunt, à vulneribus inferendis abstinent; alii contra, omni animi, corporisque impetu in hostes irruunt, eosque trucidant.

XVII. *Israelitarũ victoria.* EGRESSI *sunt ergo*, ait Scriptor Sacer [b], *pueri principum prouinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur, & percussit vnusquisque virum, qui contra se veniebat, fugeruntque Syri*, Deo illis timorem, in funesto occursu incutiente, *& persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis. Necnon egressus rex Israel percussit equos & currus, & percussit Syriam plaga magna.* Series narrationis huius ostendit initium pugnæ, turbationis, & cædis factum ab illis iuuenibus ferentariis. Tum superuenisse turbatis, ac semiebriis ex improuiso septem millia Israëlitarum expeditorum ad pugnam, & alacrium ob rem feliciter inchoatam, & felicius succedentem. Syrorum vero turbationi successit timor, desperatio, fuga. Postremo autem superuenit rex, cum præsidiariis suis fortissimis, & ex toto exercitu lectissimis, qui integri, atque ex alto in aciem proruentes, desperatione fractos, vulneribus debilitatos, fuga fatigatos, magna omnino strage affecerunt.

*b 3. Reg. 20. 19.*

XVIII. *Ex Joseph.* ILLI, inquit Iosephus, *repentino impetu in Syros delati, facile eos profligant, nihil tale expectantes, vt qui se eo tempore ad epulas, & luxum dedissent: quo factum est vt in ebrios, & inermes impingerent; ita vt relicta in castris armatura fugerent: Et rex ipse praceleri equo vix euaserit. Achabus vero longo spatio Syros persecutus est, cædendo quotquot assequi datum est. Direptis deinde opulentis castris, auro & argento refertis, captis etiam equis Adadi & curribus, domum in vrbem reuersus est.* Quod ait Iosephus de captis equis, & non percussis, Septuaginta potius, quam hebræum textum secutus est. Quanquam res eodem redit; intelliguntur enim percussi equites, & capti equi. Cæterum Iosephus in hac narratione: pueros quidem ducentos ac triginta duos recẽsuit, reliqui autem exercitus numerum tacuit, pudore fortasse paucitatis. Cum tamen septem illa millia non dissimulanda, sed sæpius iteranda viderentur, victoria in tanto maiorem Dei, regisque gloriam redundante. Quod au-

*c cap. 2.*

tem ait patefactis repente portis ciuitatis emissos iuuenes, reliquum interea militem intra mœnia paratum cum armis fuisse, parum Scripturæ consonat, quæ ait progressos pueros *in prima fronte*, siue *in primis*, vt habent Septuag. quod significat ipsum corpus exercitus, pone subsecutum caput.

REVERTENTI è victoria regi, ille idem propheta gratulabundus occurrit, consilium Syrorum aperit, cumque monet vt sese in sequentem annum ad bellum contra eosdem paret. Planus est Scripturæ textus, *Accedens autem propheta ad regem Israel dixit ei, Vade & consortare, & scito, & vide quid facias. Sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.* Voluit propheta regem ex humanæ prudentiæ regulis prospicere suis rebus, ne præsens eum victoria efferret insolentius, & bellicum negligeret apparatum, eo quod permodica manu ingentes copias profligasset: huiusmodi enim negligentia, & superbus aduersarij contemptus, nunc Benadadum perdiderat. Quid autem is consilij ad sequens bellum ceperit, sequenti anno dicemus, ne res separemus natura coniunctas. XIX. *Prædictio belli sequentis.*

ANNVS MVNDI 3135. DILVVII 1479. QVINTAE ÆTATIS 196. FVNDATI TEMPLI 113. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 15. ACHABI REGIS ISRAELIS 19. AZARIÆ PONT. 15. TROIÆ EXCISÆ 264. OPHRATANIS 12. IMPERII ASSYRIORVM 1204.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 918.

INGENTEM conceperat Syrus de accepta clade tristitiam; eoque maiorem, quo à paucioribus, magisque contemptis à se hostibus victus, & in fugam turpiter compulsus fuerat. Huic Domini sui dolori vt mederentur Syri, non inurbanam consolationem excogitarunt. Acceptum enim dedecus ab Achabo, ad Israëlitarum deos transferunt: vt qui se ab homine, quem superbe contempserat, victum dolebat, à superis, quibus nulla par est in terris potestas, se superatum æquiore animo ferat. *Serui regis Syriæ*, ait Scriptura,[a] *dixerunt ei; dij montium sunt dij eorum, ideo superauerunt nos*; potentes videlicet in regno suo. Nam Samaria, & Bethel, & Dan erant in montibus, & omnia excelsa loca regni Israëlitici plena erant simulacris, Nam Dominus apud Ieremiã,[b] *Nunquid vidisti quæ fecerit auersatrix Israel? abijt sibimet super omnem montem excelsum, & sub omni ligno frondoso, & fornicata est ibi.* Hinc illi prophetæ lucorum quadringenti, quos interfecit Elias.[c] Hinc ille Iugatinus apud Augustinum:[d] deus sicut & dea Vallonia, quibus iuga montium, & valles nomen dederunt. Hinc & Oreades nymphæ, & monticolæ Syluani, & illi apud Ouidium,[e] I. *Syri regem suum consolantur.* *Dij montium.*

a 3. reg. 20. 23.
b ca. 3. 6.
c 3 Reg. 18.
d l. 4. de ciu. c. 8.
e l. 1. fast.

*Dij sumus agrestes, & qui dominamur in altis*
*Montibus, imperium est in sua tecta Ioui.*

Et quamuis agrestes hi dij bellatores non erant, fautores tamen habere putabantur bellatores deos, in gratiam cultorum suorum, qui montes incolebant.

PERGVNT consiliarij Benadadi, *Sed melius est vt pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.* Cum monticolarum deorum iura eò non pertineant; & ipsi per se Israëlitæ infirmi sint, ac multo inferiores nobis. *Tu ergo verbum hoc fac, amoue reges singulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis, & instaura numerum militum, qui ceciderunt de tuis, & equos secundum equos pristinos, & currus secundum currus, quos ante habuisti*, nam vtrosque valde imminuerant Israëlitæ, vt dictum est,[f] *& pugnabimus contra eos in campestribus, & videbis quod obtinebimus eos.* Pollicentur victoriam mutatis belli ducibus, copiisque suppletis, Sed quæ causa mutandi reges, in duces inferioris conditionis? An quia in proximo bello illi statim fugerant, nimium timentes vitæ suæ? preciosas nimirum animas, & regias conseruabant. Ita ferunt cum in fœda tempestate palleret philosophus, rideret remex, atque illi mortis II. *Et suadent bellum in campestribus.* *Cur mutati reges.*

f v. 21. & supra n. 17.
Vat.

metum subsannando obiiceret, respondit philosophus; non mirum est te nihil timere, qui pro vili tantum anima remigis periclitaris, ego iure preciosæ animæ philosophi timeo. An quia reges innutriti deliciis; vulgares autem duces militiæ laboribus assueti, fortius verbo, & exemplo ad pugnandum fortiter, mortemq; contemnendam subditos milites animarent? accedente præsertim spe amplioris dignitatis obtenta victoria, qua spe reges illi, in apice dignitatis iam positi, moueri non possent. (Abul.)

III. *Altera Syri expeditio.* CREDIDIT Benadad *consilio eorum,* [a] & mutatis ducibus instaurauit exercitum. Itaque pugnatum est iterum hoc anno à Syris contra Israëlitas, sed iterum male pugnatum est; neque enim res eis felicius cessit in campestribus, quam in montanis; neque duces præ regibus vllum ad victoriam momentum attulerunt. *Igitur postquam annus transierat,* & decursa hyeme veris signum se protulit, ait Iosephus, *recensuit Benadad Syros, & ascendit in Aphec, vt pugnaret contra Israel.* (a 3. Reg. 20. 26.)

*Aphec.* I Ea ciuitas in tribu Issachar ab Adrichomio ponitur, [b] non longe à ciuitate (I. 17. b Ex 1 Reg. 29. 1.)

*Planicies Galilea.* Iezraël; vbi magna est planicies, quæ vocatur Galilææ, & Campus magnus Esdrelon, & Mageddo, quæ sunt ciuitates in eadem planicie. In eaipsa olim Philisthæi pugnauerunt contra Israëlitas, qui præter iacturam Arcæ Domini, magna clade affecti sunt. Et rursus contra Saulem, qui ibidem fusus ac fugatus, in montibus Gelboë interfectus est. Ibidem Iosias rex optimus, à Pharaone Necao superatus, occiditur. Ibi nunc Syri admodum infeliciter pugnarunt, sicut & postea contra Ioas regem Israël, vt suo loco dicemus. [c] Oppidum porro Aphec in Philisthæorum dominatu erat, & amicum Syris, vt ait Iosephus, & aperte docent, quæ mox sequuntur. Ex quo illud quoque obscurum non est, Syros hoc tempore Palæstinis fuisse fœderatos: qui semper omnibus Hebræorum inimicis sese adiungebant. (c 4. Reg. 13. 17.)

IV. *Israelitarũ copiæ contra eos.* PORRO *filij Israel recensiti sunt, & acceptis cibariis profecti ex aduerso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parui greges caprarum. Syri autem repleuerunt terram.* Nihil aliud videtur habere mysterij hæc comparatio, quam declarationem paucitatis, comparatione Syrorum. Quæ paucitas merito mira videatur, præsertim cum iam ab anno præterito monitus esset Achab à propheta, de futuro reditu Syrorum. Certe in regno Iudæ, ante annos aliquot, vndecies centena, & sexaginta hominum millia Scriptura recensuit. In Israële autem Ieroboam pridem instruxerat aciem octingentorum millium virorum electorum, & fortissimorum.

*Cur modicæ.* [d] Verum pleræque vrbes à rege Iuda tenebantur, Israëlitis ab Asa [e] ereptæ. Alias occupauerat rex Syriæ, quo tempore ab Asa euocatus fuerat contra Baasa. [f] Permulti etiam ex Israëlitis, præter Leuitas & Sacerdotes, sponte religionis causa, ad regnum Iudæ transierant [g] tam tempore Roboami, quam Asæ patris Iosaphati, quando multi confugerunt ad Iudam, de Ephraim, Manasse, & Simeon, *videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo.* [h] Itaque apparet quantum pietas, & verus Dei cultus valeat ad regna roboranda: & quantum vice versa ea deiiciat, ac disperdat impietas. (d 2. Paral. 13. 3. e 2. Paral. 17. 2. f 3. Reg. 15. 20. & c. 20. 34 g 2. Paral. 11. 16. h 2. Paral. 15. 9.)

V. *Cur ei Iosaphat non affuerit.* FLORET pius Iosaphat diuitiis & gloria, & vndecies centena millia numerat expeditorum ad pugnam. Iacet impius Achab, & ex vrbe regia septem hominum millia educit; deinde turmas duas, quasi duos paruos caprarum greges, ad bellum congregat. Ipsi tamen Deus in vltionem blasphemiæ Syrorum, destinat ingentem victoriam. Sed quid causæ fuisse dixerimus cur Iosaphat, Achabi cognatus, & amicus ei opem non tulerit? An rogatus non est ab Israëlita? An manebat adhuc fœdus pecunia redemptum ab Asa, [i] vt Syrus populatione regni Israëlitici, Baasam ab ædificanda Rama reuocaret? Oportuit quidem certe aliquid esse causæ, cur nunc Iudæi non sese Israëlitis iungerent contra Syros. Forte id prophetæ, & sacerdotes Domini prohibebant. Quod ex sequentibus conücere licet. Cum enim Iosaphat iuisset in Ramoth Galaad cum Achabo, audiuit à Iehu propheta, *Impio præbes auxilium, & iis qui oderunt Dominum amicitia iungeris.* [k] Apparet ergo cum prius religione prohibitum auxiliares Achabo copias non misisse, ne ad prius malum initæ cum eo affinitatis, hoc alterum arma consociandi adderet, victum tamen postea precibus eius, in Ramoth iuisse cum eo. (i 3. Reg. 15. 19. k 2 Paral. 19. 2.)

VI. *Propheta* INTEREA vero Dominus mittit prophetam ad Achabum, qui de imminẽte

ALTERVM BELLVM SYRORVM iterum Israëli victoriam pollicetur.

victoria eum reddat certiorem; tum vt ne animo frangatur, viso ingenti belli apparatu; tum vt ne sibi mox victoriæ gloriam tribuat, sed Deo, qui per eum iniuriam sibi à Syris factam, de diuina potentia stulte loquendo, velit vlcisci. Quis autem fuerit innominatus hic vir Dei, ex Scriptura non constat, Hebræi in Seder Olam [a] affirmant hunc fuisse Michæam filium Iemla, qui apud Achabum

a ca. 20.

Michææ crebra vaticinia.

quinquies vaticinatus sit. Primum ante prius bellum, cum promisit Achabo vi- 1.
ctoriam, puerorum siue pedissequorum interuentu. Secundo eo feliciter confe- 2.
cto, cum nunciauit reditum Syrorum in annum proximum. Tertio nunc cum 3.
ait, *Hæc dicit Dominus, Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, & non est Deus val-*
*lium, dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.*
Quarto paulo post cum obiurgauit Achabum, de indulta Benadado vita. Po- 4.
stremò cum ei interitum in Ramoth Galaad nunciauit. 5.

DIRIGEBANTQVE *septem diebus ex aduerso hi atque illi acies*, Abulensis exercebant se ad prælium; verius Iosephus, *per sex dies à neutris castris quidquam motum est.* Neutro scilicet exercitu copiam pugnæ alteri faciente, sed in castris se continente, quod verbo castrametandi Hebræus textus, Græcusque significant. *Septima autem die commissum est bellum*, & Domino animos Israëlitis, viresque suggerente, Syris autem subtrahente, victus est Benadad cum suis; tantáque animorum obstinatione pugnatum est, vt de Syris centum millia pugnatorum, vna eadémque die interirent. Quam suorum stragem Syrus animaduertens fugit in ciuitatem, & ingressus palatium, in conclaue intimum, atque abditissimum proripuit sese: iussis interea suis ad muros hostem imminentem propulsare, & obsidionem omni missilium genere impedire. Clausis ergo portis, Syri ad 27. millia muros subiere, sed ij eodem impellente, qui olim Ierichuntinos tubarum clangore deiecerat, cum propugnatoribus abiere in præceps, qua ex ruina obtriti, ac contrucidati misere periere. Qua re cognita, saluteque desperata, domestici Benadadi cum eius venia, ad Achabum vitæ impetrandæ gratia, cultu quam maxime miserabili, venerunt, vt mox dicetur.

VII. Vincuntur Syri.

Fugit rex.

Ruina murorum.

QVÆ vtique est probabilissima rei gestæ series. Neque enim murus corruit, priusquam Benadad ingrederetur ciuitatem. Sed Scriptura illum muri casum occupauit referre, vt simul coniungeret narrationem vtriusque cladis, ex gladio videlicet ac ruina, quam eo modo quo dixi, commode interpretatur Abulensis. Alioqui enim difficile est intelligere tantam multitudinem ex muri ruina fuisse oppressam. Et quoniam dubium esse poterat, quosnam oppresserit murus; an qui remanserant in ciuitate, nec interfuerant prælio, vt putauit Torniellus, [b] an qui è prælio effugerant, & sic remanserant in viuis, vt vult Iosephus, [2] rectius fortasse dixerimus eam multitudinem ex vtrisq; fuisse conflatam, Neque enim Benadad ad prælium egressus, à propugnatoribus plane vacuam vrbem reliquisse putandus est. Mirum est autem nullam fieri curruum, neq. equitum mentionem, quemadmodum in priore prælio, quos tamen ex supradictis [c] instauratos fuisse constat; præterquam quod eos in campestribus commodissime pugnare certum est. An nomen peditum loco virorum positum est? sicut mox nomine hominum, tam pedites, quam equites intelligi possunt.

VIII. Explicatur.

b an. 113. quintæ ætatis.

2. c. Χ.

c v. 25. c. 20.

PEDITES quidem habent textus Hebræus, atque Græcus, perinde ac Latinus, recte tamen Iosephus explicandi causa, non πεζῶν sed πολεμίων dixit: & tam currus, quam equites memorat in fugam auersos. Eum paucis referre iuuat. *Nec mora, inquit, collatis signis acriter vtrimque pugnatum est, donec Syri non ferentes Hebræorum vim, terga verterunt: quibus impigrè victoriam prosequentibus, confusum agmen trepide fugientium, equitum, peditum, curruum, à seipsis proculcatum obterebatur: non multis pro tanto numero in Aphecam amicam vrbem euadentibus; qui & ipsi murorum ruina oppressi sunt, circiter viginti septem millia: in prælio vero centum hostium millia ceciderunt.* Sic Iosephus. Quod autem Scriptura dicit Syrum ingressum *in ciuitatem, in cubiculum, quod erat intra cubiculum*, quod nos dicimus *dans le cabinet*, Septuag. habent *in domum cubiculi*, in promptuarium, vel vt interpretatur Flaminius, ingressus est domum, è cubiculo in thalamum. Iosephus autem, *Adadus cum quodam famulorum fidißimo in quandam subterraneam cellam se abdidit*; ταμιεῖον vertendo in ὑπόγαιον οἶκον.

IX. Expositio Iosephi.

εἰς οἶκον τοῦ κοιτῶνος, εἰς ταμιεῖον.

X. *Consilium Syrorum re desperata.*

NEQVE tamen antris inclusus ac latebris, tutum se credidit, & merito. Quid enim habebat præsidij maximo exercitu profligato, disiectis perfugij mœnibus, ciuitate in hostium potestatem redacta, & hostium iustissima in se ira furentium; cœlo denique in eius caput armato, prodigiisque sæuiente? Ingeniosa tamen necessitas, in tam deplorato rerum statu, remedium aliquod inuenit. Quod aliqui Græci codices regi tribuunt ad famulos suos loquenti, cum reliqui omnes libri cum Iosepho, rectius id famulis ascribant, sicut & supplicem legationem. *Ecce* inquiunt, [a] *audiuimus quod reges domus Israel clementes sint. Ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel, forsitan saluabit animas nostras.* Funiculos in capitibus quidam interpretantur super capita. Septuag. ἐπὶ τὰς κεφαλὰς ἡμῶν. Iosephus, χοινία ταῖς κεφαλαῖς ἀναδησάμενοι, *restibus capita redimiti*. Chaldæus. *Et ligauerimus funibus capita nostra.* Alij autem volunt ligata restibus colla. Vatab. capita nostra restibus inseramus; quæ non videtur minus probabilis expositio; sic enim magis significabant se ignominiosæ mortis reos, séque ad eam paratos exhibebant, si victori, cuius implorabant misericordiam, collibitum fuisset; quæ potentissima est ratio obtinendæ misericordiæ. Quanquam etiam capiti fieri dicitur quod collo fit; abscindi enim caput dicitur, cum collum abscindatur. Sic isti restes habere dicuntur in capite, qui eos habebant in collo, inserto in restes capite. 3. Rom. [a] 3. Reg. 20.31. 3. ex.

XI. *Eorum species miserabilis.*

ACCINXERVNT ergo *saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem Israel, & dixerunt ei. Seruus tuus Benadad dicit, viuat, oro te, anima mea.* En mirabilem peripetiam, & terrificam fortunæ commutationem! Ille qui non ita dudum miserat nuncios, qui eidem regi dicerent, *Argentum tuum, & aurum tuum meum est, & vxores tuæ, & filij tui optimi mei sunt:* nunc omnibus perditis, omnibus abdicatis, & alienis & suis, vitam supplex orat; & qui duobus & triginta regibus stipatus, minas, fulminabat, nunc pauculos habet suspediarios infelicis vitæ deprecatores. Illud Syrorum imperium gloriosissimum, illa regia purpura, illi torques aurei, illa tentoria auro gemmisque fulgurantia, in miseram & precariam seruitutem, in saccos cilicinos, in casam subterraneam, situ ac pœdore obsitam, in restes ignominiosissimos commutata sunt! Quam cæci sunt qui rerum humanarum vanitatem non vident: quam fatui qui agnitam, si tamen agnitam, non contemnunt; imo, quod est omnium luctuosissimum, etiam diuinis, atque immortalibus bonis anteponunt.

*Et fortunæ commutatio.*

XII. *Achabi in Syrum misericordia.*

NEC tamen isti supplices spe sua frustrati sunt. Speratam enim clementiam, imo spe atque opinione maiorem sunt experti: quoniam apud homines, qui humanitatem non penitus exuerunt, nihil est miserabilius quam ex beato miser. Regiam ergo fortunam ex altissimo fastigio collapsam miseratus Achab, respondet, *si adhuc viuit frater meus est.* Quid mitius? quid clementius? vel hominum proborum iudicio laudabilius? non placuit tamen Deo, in hominem morte dignum, importuna clementia; sicut nec illa qua vsus est erga Agagum Saul: vsque adeo distant aliquando iudicia Dei à iudiciis hominum! Sed quæ sunt anteriora videamus. Hanc fraternæ beneuolentiæ denunciationem *acceperunt viri* isti *pro omine*, iuxta superstitiosos ethnicorum ritus, qui curiose, ex Augurum disciplina, obseruabant, an quod amicum verbum Achabo elaberetur, quod ipsi subito exciperent, & ad quandam concedendæ veniæ necessitatem traherent; Ideoque dixerunt, *frater tuus Benadad.* Exigit autem naturæ ius fratrem delinquenti fratri veniam dare, & miserè iacentem ad meliorem excitare fortunam. *Ite*, inquit Achab, *& adducite eum ad me.* Non exprobrat priores minas, non certat illudere capto, sed afflictam regis conditionem miseratus, facilem se ac tractabilem præbet.

*Iudicium Dei.*

XIII. *Et Syri gratus animus.*

EGRESSVS *est ergo ad eum Benadad*, pudore vultum ac confusione suffusus: Achab autem *leuauit eum in currum suum.* Achabus ait Iosephus, *porrecta dextera in currum eum sustulit, exceptumque osculo, iussit esse bono animo, & nihil se indignum timere.* Benadad autem nolens indignus beneficio vel ingratus videri, [b] *Ciuitates* inquit, *quas tulit pater meus à patre tuo reddam.* Nihil inuenimus à Syris ademptum Israclitis tempore Amri patris Achabi, sed potius tempore Baasæ, quo ædificante Ramam in Iuda, misit Benadad rex Syriæ, rogante Asa, *principes exercituum suorum,* [b] 3. Reg. 20. 34.

a 2 Par. 16. 4. & 3. Reg. 15. 20.
b Alias. 16. n. 11.

Reddendas vrbbes.

*ad vrbes Israel*,[a] *qui percusserunt Ahion, & Dan, & Abelmain, & vniuersas vrbes Nephthali muratas*; vt suo tempore, ac loco dictum est.[b] Baasam itaque patrem Achabi vocat, etsi alterius familiæ principem, qui ei in eodem regno, vt solet parenti filius, successerat. Itaque Iosephus loco patris habet maiores. Eas ergo captas in sua potestate Syri habuerunt, easque vltro spondet Benadad se redditurum, vt beneficium rependat beneficio, & gratiam gratia remetiatur.

XVI. Et tributa spondendi.

OFFERT etiam se tributarium Israëlitis, qui non ita pridem Syris tributa pendebant. Id enim significatur illis verbis, *Et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria.* Plateas vocat fora rerum venalium, super quas vectigal aliquod constituat, colligatque sibi Achab: quæ est communis interpretatio, Abulensis maxime, & Vatabli. Septuaginta, *Et exitus pones in Damasco*, ἐξόδους θήσεις ἐν τῇ Δαμασκῷ, exitum pro reditu vsurpando. Rem tamen aliter Iosephus accepit, sic enim habet; *Et facturum ei liberam potestatem commeandi Damascum, sicut pater ipsius idem ius Samariæ habuerat*, sed frigidum omnino videtur ius istud hoc tempore; itaque communem retineo expositionem. Postremo addit Benadad, *& ego fœderatus recedam à te.* Quas duas fœderis conditiones admisit Achab; vnde sequitur, *Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum.* Priora tamen verba Achabo tribuere videtur textus Hebræus, qui habet, *& ego cum fœdere dimittam te*; quomodo habent Septuag. regia, & Romana & Chaldæus paraph. & recentiores non pauci, subintelligentes, *Et dixit Achab.* Sed res eodem redit. *Fœdere deinde icto*, ait Iosephus, *& iureiurando firmato Adadus egregie donatus in suum regnum remissus est.* Nec tamen promissis stetit, vt putat Abulensis, vt qui non reddiderit Ramoth Galaad, pro qua postmodum pugnatum est eo bello, quo Achab lethiferum vulnus accepit.

XV. Propheta iubet se percuti.

num. 12.
num. 6.

SEQVITVR nunc diuinum lenitatis huius, & misericordiæ examen, longe à vulgari hominum sensu, vt ante dixi,[c] captúque alienum. *Tunc* enim *vir quidam de filiis prophetarum*, quem Michæam filium Iemla Iosephus, aliique Hebræi fuisse volunt, vt paulo ante retuli,[d] *Dixit ad socium suum in sermone Domini*, siue ex Dei mandato, *percute me*, id est inflige mihi vulnus in capite, aut facie; vt scilicet appareret eum in bello accepisse vulnus. At ille noluit percutere. *Cui ait, quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me, & percutiet te leo.* Cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit. Sed occidit ne, an tantum vulnerauit? occidisse Chaldæus affirmat, & Abulensis, eodémque modo Iosephus, eúmque de more secutus Theodoretus, & Theodoretum Procopius, percussionem tam Hebræi, quam Græci textus exponunt. *Post talem*, inquit, *Syrorum contra Israelitas expeditionis exitum, propheta quidam nomine Michæas, accessit ad quendam Israelitam, iussitque eum vulnus sibi in capite infligere, addens Deum ita velle. Qui cum parere nollet, daturum inobedientiæ pœnas prædixit, & leonis incursu periturum; quod cum ita euenisset*, &c. Nec facile solent leones sine cæde vulnerare. Alij tamen vulnerasse tantum putant, quod toto hoc loco non de cæde, sed de vulnere tantum agatur: nec minus erat in manu Domini vulnus à leone, quam cædes; satisque videtur hæc pœna culpæ illi respondere.

Pœna inobedientiæ.

Ἐπάταξεν αὐτόν.

XVI. Cui vsui propheta percussio.

CVI porro vsui ista percussio? Nimirum voluit Deus prophetam vti parabola ad arguendum Achabum; & quidem ea parabola, in qua eius culpa depingeretur, quamque ipsemet inscius condemnaret, priusquam eam ad se pertinere cogitaret; ne mox culpam auderet defendere, quam proxime ante damnasset, vt alibi cum Theodoreto in simillima Dauidis à Nathane reprehensi causa diximus. Nam si statim aperte regem arguisset, illico ab eo reiectus, diuinam illi sententiam pronunciare nequiuisset, cum etiam parabolæ applicationem iratus acceperit, atque audire contempserit. Eademque est causa, cur parabolam ab ignoto referri oportuerit; alioqui rex statim suspicatus esset Michæam paratam afferre reprehensionem, quam reges propter insolentiam, inuitissime audiunt; rebus præsertim illis ad nutum fluentibus. Itaque Achab exultans nunc de victoria, importunum censorem cum contumelia repulisset. Commodè autem ignotus reddebatur, si vultum magna ex parte velatum offerret: nec decora esset coram rege ista obuelatio, nisi obtegendi vulneris necessitate

excusaretur. Accedebat quod inde parabola accipiebat probabilitatem; rem enim in bello gestam referri, acceptum vulnus aperte loquebatur.

XVII *Et cur eam Deus voluerit.*

ET poterat quidem Dominus, vt rectè obseruat Abulensis, [a] ita immutare vultum prophetæ, vt is nullo modo à rege agnosci posset, sicque incolumi ac reuelata facie parabolam suam proponeret; facile quoque illi fuit cruentatum vultum, ac vulneratum, sine cruore ac vulnere repræsentare. Poterat etiam vera vulnera, & sanguinis effusionem facere in propheta, sine cuiusquam mortalium interuentu, eo neque dolente, neque quidquam sentiente; quid enim illi factu difficile, qui potest omnia, cui ad nutum creatæ res omnes parent? Voluit tamen Dominus Prophetam vulnerari, vt eximia eius erga Deum obedientia probaretur, qui Dei iussu vulnus libenter acciperet, atque adeo sponte curaret se vulnerari: probaretur quoque studiosa obsequendi voluntas, in eo, qui innocentem prophetam, Deo imperante vulneraret, & vtriusque exemplum ad nostram institutionem valeret. Itaque licet non fuerit necessaria ista percussio, ad vitandam agnitionem prophetæ, fuit tamen necessaria, ait Tostatus, vt doctrina obediendi Deo vsque ad mortem nobis traderetur, totaque res mandata est literis, vt insigne nobis esset exemplum obedientiæ, tam aduersus Deum, quam aduersus eos, qui nobis eius nomine loquerentur. Existimat autem idem doctor id vulnus illico supernaturaliter curatum fuisse, ita vt ne vestigium quidem cicatricis appareret, sicque obedientiæ meritum luculentius elucerent.

*Obedientiæ probatio, & exemplum.*

*Et meritũ.*

[a] q. 20 in c. 20. 3. reg.

XVIII. *An peccarit qui non percußit.*

SENTIO te amice lector, nonnihil etiamnum in hac narratione merito requirere: oportuisse nimirum Michæam, dum postulat vt percutiatur, aperte fidem facere hanc esse Dei voluntatem, vt percussor illa se lege solutum crederet, quæ vetat iniuriam inferre proximo; nec reputaret insanum, qui sibi ipsi vulnus nulla necessitate postularet imponi. Itaque oportuit primum Michæam agnosci vt prophetam, & diuina familiaritate præditum; deinde eum affirmare hanc esse Dei voluntatem, eamque assertionem certo aliquo argumento confirmare: alioqui culpa vacasset eius inobedientia, qui Michæam percutere noluit. Cum autem in culpa fuerit, vt illata diuinitus pœna demonstrat, oportet illum neutra de re dubitasse; aut certe probationem interuenisse, quæ scripto prodita non fuerit. Itaque cum non acquieuisset prophetæ, non audiuit, quia non credidisti verbo Domini, *sed quia noluisti audire vocem Domini.* Hæc ex eodem Abulensi. [b] Quæ proportione contigisse in altero, qui mox prophetam percussit, intelligendum est. Sequitur enim.

[b] q. 21. in c. 20. 3. Reg.

XIX. *Percutitur propheta.*

SED *& alterum inueniens virum, dixit ad eum, percute me,* qui persuasus hanc esse Dei iussionem, *percußit eum, & vulnerauit.* Septuag. habent, *contriuit*, id est contusione vulnus inflixit. Significatur non impositum vulnus gladio, punctim, cæsimue feriente, sed fuste aliquo in caput impacto. *A quo,* inquit Iosephus, *incunctanter ictus, & verticem saucius, obligato capite venit ad regem*, idque valebat, vt sanguine, & puluere inquinato vultu, agnosci non posset. *Abijt ergo propheta, & occurrit regi in via*, quæ ducebat in vrbem, qua mox ille transiturus erat, *& mutauit aspersione pulueris os, & oculos suos.* Hebræus significat eum tegmen capitis attraxisse super oculos suos. Cumque rex transiret, propius ad eum, vt erat contaminatus, accessit, & elata voce, *Seruus tuus*, inquit, *egressus est ad præliandum cominus, cumque fugisset vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & ait, custodi virum istum, qui si lapsus fuerit*, id est si effugerit, vt eum depositori repræsentare non possis, *erit anima tua pro anima eius*, eandem scilicet subibis conditionem seruitutis, aut mortis, *aut talentum argenti appendes.* 4 *Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit.* Videtur sententia aliquid præterea exigere. Supplet Iosephus addidisse prophetam periclitari se, ne interficiatur ab eo, qui eum tradiderat, quandoquidem hoc interminatus sit, si captiuus effugeret. 4. x.

*Et regem ignotus cũ parabola alloquitur.*

XX. *Sententia Achabi contra eßdem parab.*

ET *ait rex Israel ad eum. Hoc est iudicium tuum, quod ipse decreuisti*; id est, tu ipse sententiam contra te protulisti. Chaldæus, *tu iudicasti iudicium tuum, & sententiam dedisti.* Septuaginta in regiis bibliis, *ecce iudex tu apud me occidisti*, siue iudico te ex

a q 62. ore tuo reum mortis. Theodoretus, [a] *Ecce tu mea quidem sententia cædem fecisti, hostem enim soluisti, vt multas ille perpetraret cædes.* At non recte, inquies, respondit parabola veritati. Parabolicus enim hic depositarius per imprudentiam amisit commissum sibi hominem, cum Achabus hominem, quem Deus in manus eius tradiderat, sponte dimiserit. Respődeo cum Tostato, [b] mutatum consulto aliquid, ne videretur ipsiusmet Achabi factum proponi, sicque illum rex prophetam esse suspicaretur, & non responderet. Prouisum quoque probabilitati, vt dubia facti iustitia videretur. Clarum enim erat sponte dimittentem in culpa esse, sicut depositarium re sibi commissa vltro dissipata, non tamen per nonnullam negligentiam, vel imprudentiam perdita. Denique hinc potuit intelligere Achab quanta in culpa esset, dimisso sponte Benadado, cum hic eo vel per negligentiam amisso, suo ipsius iudicio reus esset.

b q.23. in 1. 20.

*Cur parabola non plane rei respondet.*

XXI. *Applicatur regi.*

CVM ergo Achab sua ipse sententia teneretur, Propheta *statim abstersit puluerem de facie sua, & cognouit eum Rex Israel, quod esset de prophetis: Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus, Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus, pro populo eius;* cuius denunciationis veritatem, euentus intra tertium annum subsecutus, declarauit. [c] Nam & ipse à Syris occisus est, & populus eius ab eisdem fusus, fugatusque, in montibus dispersus est, *quasi oues non habentes pastorem*, vt Michæas ante prædixerat. [d] Cæterum quem virum dignum morte dixit Hieronymus, in Hebræo dicitur, *vir anathematis mei*, id est quem ego volebam occidi, & deleri funditus, quasi quoddam anathema. Alij, *quem ego exscindi iusseram*; Et sane videtur aliquod Dei mandatum antecessisse, præcipientis Achabo, [e] vt Syrum, omnémque eius exercitum deleret. Alioqui stat illud Apostoli, [f] *vbi non est lex, nec præuaricatio.* Nec per alium rectius coniicere possumus mandatum anathema, quam per hunc ipsum prophetam, qui regē nunc de eiusdem violatione accusauit, quique paulo ante prænunciarat ingentem hanc Syrorum multitudinem in manus Achabi, propter illorum blasphemiam, traditum iri; quo iustior fuit ac probabilior eius metus, ne in vsurpanda parabola sua, nimium cito à rege agnosceretur.

c Abul. 4. 14.
d 3 Reg. 22.17.
*Anathema in Syrum violatum.*
e Vide Abul. q.16. in c.20.3. Reg.
f Rom. 4. 15.

XXII. *Abit rex iratus & confusus.*

REVERSVS *est igitur rex Israel in domum suam audire contemnens, & furibundus venit in Samariam.* [g] Paulo aliter alij interpretes discipuli Hebræorum, Pagninus, *tristis & furibundus*, Montanus *contumax & sæuus.* Vatablus *abalienatus* siue *mutatus à se, commotus, & indignabundus*, Chaldæus, *turbatus & dolens*. Septuag. regia, *confusus & flens*. Romana. *confusus & tristis.* Confusus vtique fuit, qui dum iudicat alium, suo se ore condemnasse, ipsemet animaduertit, ac suo se gladio iugulasse. Mutatus à se & tristis, quoniam in media victoriæ lætitia, & variis congratulationibus, lugubre nuncium mortis suæ, cladisque suorum accepit. Indignabundus & furibundus, in tantam prophetæ loquendi libertatem, quæ est Iosephi expositio, *Rex*, inquit, [h] *libertate prophetæ offensus, iubet eum in carcerem coniici, & vehementer ea prædictione contristatus, domum se recepit.* Corrigendus est tamen Iosephus, in isto prophetæ carcere, quem de suo adiecit, ea coniectura nisus, quod tertio ab hinc anno, hic idem propheta, ab Achabo in Ramoth Galaad proficiscente, in carcerem coniici, maléque haberi iussus est.

g 3. Reg. 20.43.
h l.8.c.8.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3135. IOSAPHATI 15.

N. III. 1. PLures inuenio vrbes huius ipsius nominis. Primum Aphec in tribu Iuda ponitur, Iosue 15.53. sed in montanis; at nostra in campestribus fuit. Vatablus ergo hic fallitur, cum ait Aphec, de qua hic agitur, fuisse in tribu Iuda, & Benadad fuisse amicum regis Israël, corrigendum est erratum typographi, Israël ponentis pro Iuda. Quanquam ne Iosaphati quidem cum Syro amicitia, facile probari potest.

Alia fuit Aphec vicina Sidoniis, & terminus Amorrhæorum, Iosue 13.4. in tribu Aser, Ios. 19.30.31. Iud. 1. 31. quam tamen Hieronymus in tribu Ruben supra Iordanem ponit. in lo. Hebr. Mox tamen quasi seipse corrigens, *sed & vsque hodie*, inquit, *est castellum grande Apheca nomine iuxta oppidum Palæstinæ.* At tribus Ruben & Palæstina sunt in oppositis terminis latitudinis terræ sanctæ. Paulo post etiam idem ponit Aphec in tribu Aser.

Tertiam Aphec si tamen tertiam, ponit idem Hieron. ibid. cuius regem à Iosue interfectum legimus, Iosue 12.18. Et hanc collocat Adrichom. in tribu Issachar vicinam Iezrael, & Palæstinis, in læta, celebrataque planicie; & hanc arbitror hoc loco intelligendam esse.

2. N. viii. Expositioni Tornielli repugnat textus Græcus, in quo est εἰς ἀγίῳ, non ἐν ἀγίῳ. Nec obstat geminata particula (in) quæ in Hebræo, Græcoque textu habetur: ornatus enim causa videtur iterata.

3. N. x. Sic armillæ dicuntur positæ in manibus, Genes. 24. v. 47. quæ in extremo brachio, de more positæ erant. Sic & Ezechiel. 23. 42.

4. N. xix. Talentum argenti constans tribus siclorum millibus, quorum singuli valent 27. solidis cum dimidio in ære Gallico, vallet 4125. Francis: quæ summa existit quoque, si tribuas 125. libras talento, iuxta Epiphanium quem sequimur, & libræ tribuas duodecim vncias, quarum singulæ sint 55. solidorum.

Ex eo autem quod pœna huius depositarij dicitur futura anima, vel talentum argenti, colligit Abulensis animam in priore membro, non pro vita, sed pro libertate sumi; *quia ista duo*, inquit, *ponuntur quasi æqualia, & tamen vita hominis liberi non potest æstimari.* Ei tamen expositioni repugnant Iosephus, & Theodoretus, & Septuaginta, quos in textu retulimus, & tota parabolæ applicatio; in qua cum vox animæ repetatur, minime dubium est accipi pro vita. Quamquam pro Abulensi dici potest, hac quoque ex parte deficere parabolam, nec penitus congruere veritati.

In historia exotica altum silentium.

## ANNVS MVNDI 3136. DILVVII 1480. QVINTAE ÆTATIS 197. FVNDATI TEMPLI 114. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 16. ACHABI REGIS ISRAEL 20. AZARIÆ PONT. 15. ELIÆ 14. TROIÆ EXCISÆ 265. OPHRATANIS 12. IMPERII ASSYRIORVM 1205.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 917.



I. Annus Sabbaticus 79. TANTA clade semel iterumque affectus Syrus, quantam proximis duobus annis retulimus, necessario quieuit. Sed proxime inito inter vtrumque regem fœdere, quieuit etiam voluntate, etsi voluntas syncera admodum non fuit, vt ex sequentibus intelligetur. Durauit autem hæc quies immunis à bello fere triennium. Tertius enim extremus bello turbatus est, Achabo contra Syros expeditionem suscipiente, & eiusdem morte terminatus. Eorum ergo hic primus est, in quem annus sabbaticus ordine septuagesimus nonus, incurrit. De quo æque vtrumque certum videtur, in regno Iosaphati obseruatum, in regno Achabi neglectum fuisse.

## ANNVS MVNDI 3137. DILVVII 1481. QVINTAE ÆTATIS 198. FVNDATI TEMPLI 115. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 17. ET IORAMI 1. ACHABI REGIS ISRAELIS 21. ET OCHOSIÆ 1. AZARIÆ PONTIF. 17. ELIÆ 15. TROIÆ EXCISÆ 266. OPHRATANIS 14. IMPERII ASSYRIORVM 1206.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 916.



I. Ratio temporis. ANNO Iosaphati decimo septimo suspicor Nabothi historiam contigisse; in cuius exitu cum vehementer de interitu domus suæ, Elia prænunciante perturbatus esset Achab, ac perterrefactus, mature cum Ochosia filio communicauit imperium; ne si quid ei nec opinatò humanitus contigisset, regnum in eius familia periclitaretur. Sed facile potius consisteret, si filius etiam viuo, ac rerum potiente patre, regnare cœpisset. Iniisse autem regnum hoc Iosaphati anno Ochosiam, in fine anni huius, ex ipsa Scriptura docebimus. [a] Hoc ergo altero anno à debellata Syria, & Iosaphati decimo septimo contigit in regno Israëlitico Historia Nabothi. Nam cum Scriptura retulisset a 3. Reg. 22. 52.

Achabum in Samariam tristem, ac furibundum, propter formidabiles prophetæ minas reuertisse, subdit. *Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth*, &c. Ergo rebus illis istæ successerunt, quod Abulensis quoque notauit. Etsi enim Septuaginta in omnibus pene editionibus, vigesimum primum caput huius libri in vigesimum commutarunt, & vice versa: quos secutus est Iosephus: Hebræa tamen, & Latina omnia volumina, cum paraphrasi Chaldæa; Græca item regia, & Complutensia eundem habent ordinem capitum cum vulgata; quem etiam seruatum in hexaplis Origenis, Græcus scholiastes affirmat. Historia ipsa sic habet.

II. *Nabothi vinea vbi esset.*

VINEA *erat Naboth Iezrahelitæ, qui erat in Iezrael, iuxta palatium Achab regis Samariæ.* Satis constat de vinea inter Achabum & Nabothum motam fuisse controuersiam, sed vbi ea fuerit non satis constat. Textus enim Hebræus, [a] & Chaldæa paraphrasis eam in Iezraële collocant, quibus consentiunt antiquæ editiones vulgatæ, quam retinent Angelomus, & Abulensis. At Latina correcta non vineam constituit in Iezraële, sed dominum eius. In Septuag. & qui eos secuti sunt patribus, res ambigua est, habent enim, *& vinea quædam erat Nabuthe Iezraelita iuxta aream, vel domum Achab regis Samariæ.* Quin & vox Hebræa ambigua est, omnique generi aptatur. Existimo Nabothem, cum pauper esset, saltem collatus ad regem, vt crebro affirmant Ambrosius, & Chrysost. vnicam habuisse vineam, in natali solo, quam vocat patrum suorum hereditatem. Neque id negat editio emendata, quæ tantum habet Nabothem & origine, & habitatione fuisse Iezraëlitam. Achab autem, qui Samariæ palatium habuit, in Iezraële aream, aut rus habere potuit, quod vineam Nabothi contingeret, vt visum est Iosepho; quam, ad commoditatem prædij sui rustîcani, desiderauit, atque expetiit.

[a] Ex Pagn. Montani & Vatabli versione.

Τῇ ἅλῳ vel οἴκῳ. אצל eschet.

III. *Petitur ab Achabo.*

LOCVTVS *est ergo Achab ad Naboth dicens, da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, dabóque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium quantum digna est.* Nihil adhuc in hoc desiderio culpæ, aut in petitione iniustitiæ. Non abusus est regia potestate, vt vineam inscio, vel inuito domino acciperet, eamque mox curaret æstimari arbitratu suo, pecuniámque numerari; sed honestam commoditatem domus suæ, iusto pretio acquirere voluit, aut fundo etiam meliore commutare. Nec priuata Nabothi consolatio, non iniusto principis desiderio debuit præponderare. Itaque neque postea à propheta reprehensus fuit, quod alienam hereditatem desiderarit, & pro ea pacisci voluerit.

*Et repulsam patitur.*

Ei nihilominus *respondit Naboth*, [b] *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi.* Religioni ducebat quasi diuinitus ad se per maiorum suorum manus transmissam hereditatem, in familia sua non conseruare; quam si venderet, cum in hortum regium conuertenda esset, nunquam eam, ne in Iubilæo quidem, vt iura Israëlitarum ferebant, recuperare potuisset.

[b] 3. Reg. 21. 3.

IV. *Quam ægerrime tulit.*

EAM repulsam Achab indignissime tulit. Nolunt enim viri principes sibi quidquam negari, quod eam putent vel imprudentiæ notam, qui ea petierint, quæ iuste negari possent; vel contemptus, cum tanto inferioris notæ homines, subditi præsertim, illis obsistere minime vereantur. *Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezraelites, dicens; non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et proyciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Geminum ostendit ægri animi signum, quod se ab hominum conuersatione abstraheret, & quod à cibo abstineret: & forte, vt innuit lectuli mentio, ægritudo animi redundauit in corpus. *Ingressa est autem ad eum Iezabel vxor sua, dixitque ei, Quid est hoc vnde anima tua contristata est, & quare non comedis panem? Qui respondit ei, Locutus sum Naboth Iezrahelitæ, & dixi ei, da mihi vineam tuam, accepta pecunia, aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait, non dabo tibi vineam meam.*

V. *Ei Iezabel medicinam parat.*

HACTENVS querela, & morbi causa; cui Iezabel parat se dignam facere medicinam. Et primum eum amica obiurgatione consolatur, rem factu facilem indicans. *Grandis*, inquit, *authoritatis es*, qui rem tantulam pro arbitratu confi-

cere non possis; *& bene regis regnum Israel*, cui subditi ita obsistere audeant, quem omnes debeant formidare, eiusque cupiditatibus vltro occurrere. Quam loci expositionem sequitur Iosephus, qui ait Achabum vxori denarrasse quam rusticus esset Naboth: vsum se apud eum comi sermone, & infra regiam maiestatem demisso, pro qua humanitate nihil, nisi repulsam tulisse. Hic mulier, *Surge*, inquit, *& comede panem, & æquo animo esto, Ego dabo tibi vineam Naboth Iezrahelitæ.* Non est ausa dicere, nescis omnia quæ populi tui sunt tua esse? Omne tibi in eorum bona, atque adeo corpora ius subesse? Sensit enim etiam illa scelesta, regem esse summum magistratum, qui commune bonum debeat intueri, & ad eum finem imperij habenas moderari, non in alienis bonis prædonem agere, quod tyranni faciunt, ipsaque mox facere aggressa est, cum ei per calumniam capitale crimen imposuit, vt in vacuam demortui possessionem irrueret, bonis eius fisco addictis, vt qui reus esset imminutæ diuinæ, atque humanæ maiestatis.

VI. *Mandat per calumniam occidi.*

SCRIPSIT *itaque literas ex nomine Achab, & signauit eas annulo eius, & misit ad maiores natu, & optimates, qui erant in ciuitate eius, & habitabant cum Naboth. Literarum autem hæc erat sententia. Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant, Benedixit Deum, & regem; & educite eum, & lapidate, sicque moriatur.* Hoc commentum excogitauit nequissima Iezabel in caput innocentis. Sed quid habet ieiunium cum iudicio, quod velit Iezabel indici ieiunium? Refert Vatablus in die ieiunij solitos Hebræos inquirere flagitia & facinora populi, & de ipsis, & perditis hominibus pœnas sumere: quo videtur respexisse Esaias. [a] *Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.* Putat Abulensis [b] solitos ieiunare Iudices, in signum commiserationis, aduersus reum morte afficiendum; aut ad significandum se ex Dei & iustitiæ zelo, & non ex perturbatione aliqua, sententiam capitis maturè, & Deo per ieiunium propitiato, pronunciare. Quidam putant ieiunium in cœtum, siue concionem verti posse, Iosephus vtrumque amplexus est. *Iubebantur*, inquit, *indicto ieiunio concionem aduocare*, & in ea primum locum Nabutho, propter illustre genus attribuere.

*Ieiunium in iudiciis.*

[a] ca.58.4.
[b] q.4. in c. 21.

VII. *Blasphemia, & eius pœna.*

BENEDICERE autem hoc loco, & paulo post, eodem modo sumitur, quo sub initium libri Iob, [c] per antiphrasim videlicet; neque enim benedictio merebatur pœnam. Lucifer tamen Calaritanus legit *maledixit.* Theodoretus vero ait εὐλόγησε positum pro ἐβλασφήμησε. Iosephus conuictum blasphemiæ dixit, & paulo post, *Nabuthus tali testimonio conuictus Deo ac regi fecisse conuitium, à populo est saxis obrutus.* Blasphemia porro in Deum, non solum reputabatur conuitium prolatum aduersus Deum, ex furioso quopiam animi motu; sed etiam quidquid aliquis diceret, quod aliquo modo ad diminutionem honoris diuini redundaret, vt cum Syri dixerunt Deum Israëlitarum non esse Deum vallium: aut Rapsaces negauit eum posse liberare populum suum de manu Assyriorum. Aut cum quis alteri à Deo tribueret diuinitatem, vnde Christus Dominus, & D. Stephanus reputabantur blasphemasse, quod ille se diceret sessurum à dextris virtutis Dei; hic ibi iam illum residere testaretur. Quoniam vero Rex vicariam Dei potestatem exercet in terris, iniuria verbo in eum irrogata, blasphemia reputabatur, & lapidatione quoque plectebatur, etsi lex quæ vetat principum populi sui maledici, [d] pœnam non expresserit; nisi quatenus princeps pater est populi, & scriptum est, [e] *Qui maledixerit patri suo, vel matri morte moriatur.*

[c] ca.1.5. c. 2.9. q.19.
[d] Exod.22. 28.
[e] Leuit.20. 9. & Exod. 21.17.

VIII. *Cur Iezabel rem indicto transfigi voluerit.*

SED quid opus erat Iezabeli mortem Nabothi mandare, cum illi satis esset, ad explendum mariti desiderium, vineam occupare regia authoritate: quam neque Dominus eius, neque quisquam eius nomine, aduersus regem auderet, ab iniustis possessoribus vendicare? Respondet Tostatus [f] voluisse illam vindictam sumere de Nabothe, qui Regi ad omnem æquitatem descendenti, acquiescere noluisset; sed ei audacter in faciem restitisset; quod non solum priuatione vi-
1. neæ, sed morte quoque luendum putauit. Adde quod si superstiti sublata es-
2. set vinea, regem deinde turpi infamia vbique afficere potuisset, qui tyrannorum more, res suas inuitis legitimis Dominis auferret; at illo ex prædicta causa occiso, vineam possidere poterat, & simul infamiam deprædationis

[f] q.7. in c. 21.

cuitare. Postremo voluit Iezabel tam vineam, quam cætera eiusdem bona occupare, eaq; in fiscũ regium transcribi. Oportuit ergo eum accusari criminis, ob quod tam vita, quam bonis omnibus priuari posset; imo & filij eius, ne qua ab illis vindicta in posterum timeretur. Cum enim eos constet occisos, vt mox dicetur, vtique & mandatam eorum necem à sacrilega Regina credendum est.

IX. *Accusatur Naboth, & damnatur.*

IMPIVM ergo huius Proserpinæ mandatum filij diaboli executi sunt, digni domina sua famuli. *Fecerunt ciues eius maiores natu, & optimates, qui habitabant cum eo in vrbe, sicut præceperat eis Iezabel, & sicut scriptum erat in literis, quas miserat ad eos: prædicauerunt ieiunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi*, vt crimen quod mox debebat intendi in eum, ignotum iudicibus, atque improuisum videretur: & ipse tanto maiore confusione afficeretur, dum de iudice, repente fieret reus. Valde autem probabile est quod ait Vatablus, Iezabelem scripsisse ad certos quosdam, quos ipsa sciebat esse impios, sibique fore morigeros. Adde etiam fuisse illos Nabothi aduersarios; viri enim probi obnoxij sunt odiis impiorum, propter dissimilitudinem morum. Ergo dum sedetur, & inquiritur reus, prodit subornatus accusator, qui Nabothum nominatim petat, & geminæ blasphemiæ arcessat, criménque duorum testium, aut etiam trium, vt habet Iosephus, [a] pari cum iudicibus, atque accusatore nequitia, testimonio, coram vniuersa multitudine confirmet. *Quam ob rem eduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.* Nam vt in deserto extra castra, [b] ita postea extra vrbes educebantur, qui lapidibus obruendi erant.

a l.8.c.7.
b Leuit.24.23. & Ios.7.24.&c.

X. *Qui à nemine defensus fuerit.*

MIRVM est autem in tota ciuitate neminem fuisse, qui verbum vllum pro Nabothi innocentia diceret; aliis regiæ iniustitiæ ac cupiditati cupidè, aliis timide seruientibus; aliis verum crimen puniri existimantibus, propter accusationem, singulari artificio, ac probabilitate concinnatam. Mirum quoque ne ipsum quidem, quod quidem sit proditum literis, quidquam in suam defensionem attulisse. Neque regis cupiditatem, neque reginæ furorem crudelissimum, & linguam, animumque, bonorum virorum cædibus iampridem exercitatum, accusasse: non Dei atq; hominum fidem contestatum esse, sed tanquam agnum victimarium iugulatum obmutuisse, vt illius esset figura, [c] *Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur; tradebat autem iudicanti se iniuste.* Itaque S. Ambrosius [d] eum non vno loco beatum vocat, ac sanctum: eoque perfectum, quia sanguine proprio defenderet iura maiorum. Occisos autem etiam Nabothi filios, ex cap. 9. quarti Regum perspicuum est, vbi Iehu occiso Ioramo, *tolle*, inquit, *proijce eum in agro Naboth Iezraelitæ*, & infra, *Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus.* Parum enim erat patrem vineæ possessorem de medio sustulisse, nisi heredes quoque auferrentur, ad quos patre mortuo vinea pertinebat, ne & ipsi Achabo & Iezabeli negotium facesserent.

*Nec à se.*
c 1.Pet.2.23.
d l.2.off.c.5 & l.3.c.9. & conc. de basil. non tradendis hæreticis, & lib. de Nabuthe.
*Filij quoque eius occisi.*

XI. *Eadem historia ex Iosepho.*

IVVAT nunc hanc historiam breuiter ex Iosepho repetere, vt si quid ille à Scriptura differat intelligatur, *Nabuthus quidam*, inquit, *ciuis vrbis Azari, cum prædium haberet regiis fundis contiguum, sæpe rogatus ab Achabo, vt ei quantolibet precio venderet rus finitimum adiungendum regio: aut si mallet vnum aliquod è regiis pro eo sibi eligeret; negauit se id facturum: gratius enim sibi esse è paternis agris fructus percipere. Rex non aliter quam si suam possessionem amisisset, quia non licebat alienam occupare contristatus, nec lauare voluit, nec cibum sumere.* Vides hactenus vrbis à Iosephum mutatum nomen, nisi mendum placet agnoscere, & datum quod neque Hebræo consentiat idiomati, neque Græco. Et cum nimium abiectam iudicaret inter regem & primarium ciuem, de vinea contentionem, rem extulit, eámque in prædium & rus commutauit. Nabothi quoque rusticitatem præter veritatem auxit. Nam & sæpe rogatum ait à rege, cum semel tantum legamus: nec credibile sit regem sæpius repulsam esse passum: & quantumlibet pretium obtulisse, cum Scriptura iustum tantum, & æquale testetur oblatum. Quin & veram causam negatæ venditionis distorquet, & præter Scripturam, lotiones ingerit, & balnea; neglecto lectulo, & familiarium consuetudine. Sed reliqua videamus.

*Examinatur.*

XII. *Reliqua historia.*

IEZABELA *scitãte quid acciderit vt nec balneũ admittat, & cænã æquè ac prandiũ fastidiat;*

*quam rusticus sit Nabuthus ei denarrat, visum se apud eum comi sermone, & infra regiam maiestatem demisso, pro qua humanitate nihil nisi repulsam retulisse. Mulier contra hortatur, vt magno sit animo, & mœrore misso, ad consuetam corporis curam redeat; se daturam operam ne Nabuthus hanc contumeliam impune auferat.* Absunt hæ minæ à narratione sacra, non tamen à probabilitate, & faciunt ad docendum Achabum non ignarum fuisse suscepti ab vxore facinoris, quod paulo post viderimus. *Moxque literas*, inquit, *Achabi nomine scriptas mittit ad Israelitarum*, lege *Iezrahelitarum præcipuos, hoc argumento. Iubebantur indicto ieiunio concionem aduocare, & in ea primum locum Nabutho propter illustre genus attribuere, deinde subornatis tribus viris nihil non ausuris, horum testimonio, conuictum eum blasphemiæ, populo lapidandum obijcere, atque hoc modo de medio tollere.* Vides præter Scripturæ veritatem augeri numerum falsorum testium, & eos audaces duntaxat dici, quos Scriptura filios Belial, & diabolicos appellauit. πλημμερῶς ὑιας.

XIII. *Iezabel mittit maritum ad vineam.* FACTVM *est autem cum audisset Iezabel lapidatum Naboth, & mortuum, locuta est ad Achab, Surge, & posside vineam Naboth Iezraelitæ, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam accepta pecunia.* Innuit eam in pœnam blasphemiæ, regio fisco, vt supra dicebamus, addictam fuisse: itaque iam ad se iure, & gratis deuolutam esse. Id Iosephus intellexit cum de Iezabele ait, *suaderque regi vt sine suo sumptu, vinetorum Nabuti hereditatem capessat.* Non est passus interpres Iosephum redire in gratiam cum Scriptura, itaque vineam Iosephi in vineta commutauit. Ergo Iezabel, quasi Nabotho insultans, qui magno suo malo didicerit, regis non acquiescere voluntati, qui stulte pecuniam pro vinea accipere noluerit, & nunc vtramque sibi, suisque perdiderit, *Surge*, inquit, *& posside vineam Naboth*, nihil est quod vltra repulsam verearis, ab homine moroso, rusticano, orisque durissimi, *non enim viuit Naboth, sed mortuus est*, & cum mortua bestia venenum quoque extinctum est. Inuenimus enim qui possent, vellentque regum voluntatibus obsecundare.

XIV. *Achab mortis Nabothi conscius.* QVOD *cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & descendebat in vineam Naboth Iezraelitæ, vt possideret eam.* Quod est non mediocre argumentum, Achabum non ignarum fuisse machinationum Iezabelis aduersus Nabothum, qui audita morte hominis innocentis, & quidem crudeli atque infami, nihil indoluerit, nullam emiserit compatientis vocem, sed illico descenderit Iezraëlem, vt lucrum ex iniusta morte caperet. Quin etiam cum sciret crudele Iezabelis ingenium, & probe nosset mulierem cædium hominum innoxiorum non insolentem, debuit intelligere illam, cum Nabothi vineam vltro promitteret, per scelus aliquod aditum ad possessionem eius paraturam; eoque pertinent illæ quas dixi ex Iosepho minæ: & S. Ambrosius [a] diserte scribit Achabum fecisse necari pauperem. Denique Elias non Iezabeli, sed ipsi Achabo dixit. *Occidisti, & insuper possedisti;* nec audisset fore vt canes lingerent sanguinem Achab in loco, in quo linxerant Nabothi sanguinem, nisi eiusdem sanguinis iniuste effusi fuisset reus; alioqui pœna huiusmodi parum congruere videretur diuinæ prouidentiæ; & Achab minime dubitasset dicere Nabothi sanguinem nihil ad se pertinere, qui nunc exiliens præ gaudio, vt ait Iosephus, ad visendum id prædium, aut ineundam potius eius possessionem, è vestigio se contulit. Itaque parum probabilia sunt, quæ hic in plerisque Græcis inseruntur, & leguntur apud S. Ambrosium, accepta morte Nabothi Achabum conscidisse vestimenta sua, & operuisse se sacco. Nihil enim huiusmodi legitur in Hebræis, Chaldæis, Latinisq. libris, neque in Græcis regiis, aut Complutensibus, & ab extremo capite huc videntur translata.

a 2. off. c. 3. & 3. ca. 9.

XV. *Eliæ postridie in Carmelo reuelatur.* FACTVS *est ergo sermo Domini ad Eliam Thesbitem.* Recte electus est Elias, spiritu feruens, & animosus, qui sine vllius parabolæ velamento, in oculis, auribusque Achabi, contra eum, totamque eius familiam ferret de ea exterminanda, extirpandáque sententiam. Elias non nouus Achabi castigator, qui tum in Carmelo, post reditum è Syria, cum prophetarum filiis eiusdem montis incolis, sancta quiete fruebatur, & ibidem ab Iezabela tutus, in protectione Dei cœli commorabatur. Tandem montis Carmeli habitationem, innuit descensus in occursum Achabi venientis in Iezraël, qui locus medio in itinere fuit Samariam

inter & Carmelum. Videtur autem hæc prophetia Eliæ nunciata diuinitus postridie mortis Nabothi, quod notauit Abulensis, propter illud 4. Reg. [a] *Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum eius, quem vidi heri*: quamuis enim illud *heri*, pro nuper accipi possit, rectius tamen in natiua, & propria significatione accipietur, cum nihil cogat ad figuratam locutionem recurrere: & Iehu videatur totidem verbis recitasse vaticinium. In quo etiam in Hebręo vox *noctis* additur, ad explicandum tempus mortis filiorum, quod tempus minuendæ offensionis causa electum videtur. Fuit autem hic Domini sermo ad Eliam.

a c.9.v.26.

אמש

XVI. Et mittitur ad Achab, cui perniciem nunciat.

SVRGE, *& descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria; ecce ad vineam Naboth descendit, vt possideat eam, & loqueris ad eum dicens. Hæc dicit Dominus, Occidisti, insuper & possedisti.* Animo iam possessionem inierat, quamuis adhuc esset in itinere ad possessionem capiendam. Subdit Dominus, *Et post hæc addes*: ad prophetam enim referuntur hæc verba, non ad Achabum; quasi dicat, vbi culpam significaueris, subiunges & pœnā. *Hæc dicit Dominus: In loco hoc*, siue in eodem loco, communi tamen non proprio, *in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lābent quoque sanguinem tuum.* Alii non male, *pro eo quod canes*, &c. quia nō eodem plane loco linctus fuit vtriusque sanguis, sed vnius in Iezrael, alterius in Samaria. In codice græco Sixti, & Luciferi, aliisque etiam sues dicuntur linxisse sanguinem: quorū nulla est in Hebræo, Latinóue textu mētio: & merito, quippe qui non lingant. Addunt etiam Græci, *& meretrices lauabunt in sanguine tuo.* Quæ S. Ambrosius, & Calaritanus iampridem legerunt: iisque alluditur ad illud, *Et lauerunt currum eius in piscina Samariæ* [b], vtique meretrices, iuxta illud supplementum Septuag. interpretum: idque ad maiorem eius contumeliam. *Quid sibi autem vult*, ait S. Ambrosius, *quod meretrices lauerunt se in sanguine eius? nisi forte vt meretricia quadam in illa feritate regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries, qui sic fuit luxuriosus, vt olus desideraret, sic cruentus, vt propter olus hominem occideret.*

b c.22.38.

XVII. Achabi interpellatio.

ET *ait Achab ad Eliam, Num inuenisti me inimicum tibi?* quasi dicat, cum tu me infaustis perpetuo, atque ominosis vaticiniis prosequare, teque mihi exhibeas reipsa inimicum; num ego vllam tibi inimicitiarum causam dedi? quod ego in te admisi scelus, vt tu in me hostili animo esses? In Hebræo, & Græco, Num inuenisti me inimice mi? quæ è contrario animum regis in prophetam infensum produnt, quem inimicum vocet. Parum commode Vatablus, Numquid inuenisti in me quod carpere possis, tu qui semper mihi aduersaris: quasi dubia essent, aut parum explorata Eliæ Achabi scelera. Alii, nonne oportebat te, vtpote inimicum, declinare conspectum meum? sed ea expositio non recte sequētibus aptatur; recte autem priores. Fatetur enim Elias Achabum inimicum sibi, vt qui sit inimicus Deo: & rursum se inimicum Achabo, vt qui eius impietatem hostiliter persequatur. *Inueni*, inquit, *eo quod venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini.* Vulgo diceremus, *tu as pris à prix faict de mal faire.* Inde autem videtur petita metaphora, quod quæ venduntur, aut emuntur ad vsum aliquem, totæ in eum vsum impenduntur. Ita videtur Achab venditus in eum finem, vt semper mali aliquid contra Deum perpetraret, adeo vt totus in eo esse videretur. Quæ est Tostati quoque expositio.

XVIII. Reliqua Eliæ in Achabum sententia.

INTERPELLARAT Achab prophetam, qui resumens inchoatam sententiam, *Ecce*, inquit, *ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua*, hebraicè, & auferam post te, id est posteros tuos: vehementius Septuaginta, *& succendam post te*, id est, quasi immisso incendio tuos omnes consumam. pergit, *& interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & vltimum in Israel.* His quam simillima supra dixit Ahias propheta, [c] contra Ieroboamum, & familiam eius; & rursum contra Baasam Iehu propheta. Significat autem Dominus se ita deleturum familiam omnem, ac posteritatem Achabi, vt ne canem quidem de domo eius relicturus sit. Quod si quis munitis se præsidiis clauserit, non propterea sit euasurus. Et si quis vilissimus fuerit inter eos, & quasi vltimus totius populi, vt contemptum potius, quam inuidiam mereatur, non propterea perniciem vitaturus sit: omnes quippe, inquit, summi infimique ordinis succidam. Et ne forte sonoras, sed inanes minas iactari suspicetur, exempla profert eorum, in quos eædem minæ in rem deductæ fuerunt. *Et dabo domum tuam, sicut domum*

c 3. Reg. 14. 10. & c.16.3

*Ieroboam filii Nabat, & sicut domum Baasa, filii Ahia, quia egisti, vt me ad iracundiam prouocares, & peccare fecisti Israel.* Peccatum scandali publici sæpe inculcat Dominus, tanquam longe grauissimum, & innumerabilium peccatorum semen.

XIX. *Et contra Iezabelem.* DECVIT autem etiam Iezabelem tam multorum malorum fontem & caput, peculiari etiam maledictione percelli, & in exemplum statui diuinæ vindictæ, vnde subditur. *Sed & de Iezabel locutus est Dominus dicens, Canes comedent Iezabel in agro Iezrael,* vbi scilicet linxerant Nabothi sanguinem, quod factum est cum Iehu iussisset eam præcipitem agi de fenestra, vt suo loco dicetur [a]. Hebraicè & græcè habetur *in antemurali Iezrael,* id est, ante muros ciuitatis illius, ad fossam eius loci, quem illa innocentis sanguine cruentarat. Maior porro pœna, atque ignominiosior Iezabeli, quam Achabo imposita est, quippe cuius mors & sepultura ignominia vacarit, in bello occisus fuerit, in vrbe regia magnificè tumulatus; at Iezabel ab suis ignominiosè per fenestram data in præceps, equorum vngulis conculcata, canum dentibus lacerata, ac vorata est. Præter eam tormentorum molem, quæ illi in altera vita in omnem æternitatem, à iusto iudice parabatur.

XX. *Quæ præcipua eius scelera.* INGENTIA nimirum fuerunt eius crimina, quæ facile est ex Scriptura colligere [b]. Fuit enim in primis idololatriæ vsque adeo dedita, vt ad Baalis cultum nihil reliquum faceret, & præter templum, lucos, altaria illi excitata, quadringentos, & quinquaginta eius pseudoprophetas, & quadringentos insuper prophetas excelsorum magnis sumptibus de mensa sua nutriret. Deinde regem & populum in idem scelus pertraxit. Nam de rege alioqui timidius peccante mox subditur, *concitauit eum Iezabel vxor sua, & abominabilis factus est* [c]. De populo autem supra legimus, adactum populum curuare genua ante Baal, manumque in signum adorationis osculari, idque mortis pœna proposita, vt ait Abulensis. Accessit magna strages prophetarum Domini, quo tempore Abdias regis procurator centum eorum immani carnificinæ subtraxit [d], moxque Eliam ipsum quæsiuit ad mortem. Adde quarto odium eius in Deum, & omnem eius cultum, quem omni studio sustulit. Ad eam enim illud pertinet, [e] *Altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus,* quorum altarium Elias vnũ in Carmelo restaurauit. Postremo innocentẽ Nabothum per calumniam, falsosque testes, & iniustissimos iudices, curauit occidi, omniaque eius bona diripi, & in suum dominium transferri: eius denique filios, paterna hereditate spoliatos, barbara feritate iugulari. Quod maximè facinus cum clamaret in cœlum, Dei vindictam, quamuis seram accersiuit, & nominatim in eius condemnatione memoratum est. Seram dico vindictam, vixit enim adhuc ad annos quatuordecim, vt suo loco dicetur [f].

XXI. *Pœna familiæ Achabi.* REDEAMVS interim ad Eliam prophetam, & Achabi familiam, cui cum interitum prænunciasset, etiam ignominiosæ mortis genus prædicit. *Si mortuus fuerit Achab,* id est, Achabo, vel de Achab, sicut supra [g] de Baasa dictum fuit. Et c. 14. 11. de Ieroboam, iuxta hebræum, græcumque textum, Chaldæam paraphrasim, optimosque interpretes. Si ergo quispiam mortuus fuerit de Achabi genere in ciuitate, *comedent eum canes, si autem mortuus fuerit in agro, comedent eũ volucres cæli.* Quod minus animaduertens Tostatus hoc loco, & q. 13. ratus Achab esse nominandi casum, putauit ad hanc pœnam condemnatum Achabũ, eam tamen ipsi propter pœnitentiam fuisse remissam. Verum interpretatio eius ruinoso nititur fundamento: & constat in mercedem pœnitentiæ non fuisse mutatam pœnam, sed dilatam duntaxat. Quomodo autem in Achabi familia impletum sit, perscriptum non est. *Igitur non fuit alter talis,* ait Script. *sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini;* peccata scilicet accumulando peccatis, donec impleret mensuram suam. *Et abominabilis factus est, in tantum, vt sequeretur idola quæ fecerant Amorrhæi,* quæ Iezabel Sidone detulerat. Aliqui idola vertunt hoc loco, stercoreos deos, *quos consumpsit Dominus à facie filiorum Israel.* Hinc porro apparet malitiam Achabi cæterorum regum Israëlis improbitati anteferri, qui auxit inuectam à Ieroboamo idololatriam. An autem eo deterior simpliciter dicendus sit, vide quæ diximus anno Ieroboami decimonono [h].

a 4. Reg. 9.
b Abul. q. 33 in cap. 21. 3. Reg.
c c. 21. 25.
d 3. reg. 18. 13.
e c. 19. 10. 14.
f a. m. 3151. n. 34 & 35.
g c. 16. 4.
h nu. 11. & 12.

XXII. *Pœnitentiam agit.*

Achabvs vero, quem neque dudum triennij fames caſtigarat, neque demonſtrata in monte Carmeli vanitas idolorum, & veri Dei poteſtas correxerat; neque iteratæ ab eodem victoriæ gratum reddiderant, aut obſequentem Deo; eum nunc terribiles pœnæ intentatæ vehementer terruerunt. Nam *cum audiſſet ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Chaldæus vertit diſcalceatus, Ioſephus, & Vatablus, nudis pedibus; alii vertunt lente ac pedetentim more lugentium. Septuaginta incuruus, vel demiſſus & inclinatus, quod vulgatus ſecutus eſt: contra quam filiæ Sion, quas Eſaias ait [a] ambulaſſe extento collo, & compoſito gradu inceſſiſſe. Placuit etiam impii hominis humiliatio, vt ea quodammodo gloriari apud ſeruum ſuum Eliam, Dominus ipſe videatur: nimirum more noſtro, & vt in re, in huiuſmodi perſonis, inſolenti, atque inſperata.

κυφὸς & κεκυφώς. [a] Eſa. 3. 16.

XXIII. *Eaque dilatione pœna obtinet.*

Itaqve factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbitem, dicens, *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me?* ſcæua ſcilicet in eum verbera intentante, quæ, niſi me per pœnitentiam placato, vitare non poſſet. Doluit enim reuera ſe ea admiſiſſe, ob quæ tanta ſibi ſuiſque pœna immineret: neque ſimpliciter timuit, ſed doluit quoque coram Domino, etſi non ex eius amore, ſed metu, qui nihil promereri poteſt. Is autem hac humiliatione ſua, etſi pœnæ remiſſionem non obtinuerit, obtinuit tamen dilationem. Exiſtimat etiam Abulenſis [b] probabilius, Achabum vere, & ex charitate pœnituiſſe; licet ad hoc præcipue incitatus fuerit propter comminationem Eliæ, nec pœnam promeritam euaſerit; atque adeo mox ad vomitum redierit: cui ſententiæ patrocinari putat illa verba, *quia humiliatus eſt mei cauſa;* cum illud tantum *coram me* in Hebræo repetatur. Veram certe pœnitentiam in eo non agnoſcit Ambroſius. [c] *In ipſo,* inquit, *perfido Achab gemitus inueniſſet gratiam, niſi manens inuidia cumulaſſet offenſam.* Veram tamen eius pœnitentiam videtur agnoſcere S. Chryſoſt. [d] qui Achabo accommodat illud Apoſtoli. [e] *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Alibi quoque ei tribuit compunctionem. [f] At Theodoretus & Procopius hoc loco, ei timorem tantum tribuunt, poſt quem aiunt illico ad priſtinam rediiſſe impietatem.

[b] q. 14. in c. 21. 3. Reg. [c] in Pſal. 37. [d] hom. 5. ad pop. [e] 2. Cor. 7. 10. [f] hom. 22.

*An vera fuerit.*

XXIV. *Pœnitentia vis.*

Qvia *igitur,* ait Dominus, *humiliatus eſt mei cauſa,* ſiue in conſpectu meo, vt habent Septuaginta, *non inducam malum in diebus eius, ſed in diebus filii ſui inferam malum domui eius*, excitato in regnum Iehu ad vindictam exercendam, vt ſequẽti libro fuſe perſcriptum eſt. [g] Cogita porro quantam vim apud Deum & gratiam habitura ſit in homine iuſto vera cordis humilitas, vltroque ſuſceptæ ad deterendam ſuperbiam eius actiones, cum coacta tantum potuerit in tali ac tanto peccatore. Cæterum malum hoc, quod ſe illaturum ait Dominus domui Achabi, ruinam ſignificat, & interitum domus eius: quando occiſo Ioramo, etiam Septuaginta filii Achabi capite truncati ſunt. Neque in hoc malo comprehenditur mors Achabi, quia non ob hanc culpam, ſed ob dimiſſum regem Syriæ eam incurrit, vt propheta ante prædixerat. Licet D. Ambroſius etiam Achabi mortem, in hoc malo quod Dominus differt, comprehendere videatur. Supereſt, vt quod reliquum eſt huius hiſtoriæ, vt à Ioſepho tradita eſt, accipiamus, & ex Scriptura emendemus.

[g] c. 9. & 10.

XXV. *Hiſtoria Achabi ex Ioſepho.*

Devs *autem iratus*, inquit, *Eliam mittit, vt regi in eo rure occurrat, rogetque, Quid ita occiſo vero Domino, eius prædij hæreditatem iniuſtè ſibi vſurpet. Quem vbi ad ſe venientem vidit, turpe ratus obiurgari, prior faſſus erratum, ad ſatisfaciendum ipſius arbitratu ſe obtulit. Tum vates prædicit eo loco vbi Nabuthi cadauer à canibus abſumptum eſt, fundendum & regis, & reginæ ſanguinem, & totum eorum genus delendum,* legendum *eius*, non *eorum*, in græco enim habetur τὸ̃ν αὐτοῦ γένος. *propter tam crudele ſcelus, quo ciuem contra ius per calumniam oppreſſerat. Tum demum Achabum eius facinoris pœnitentia ſubiit, & indutus ſaccum, nudiſque pedibus à cibo abſtinuit, peccatum confitens, & Deum ita placare cupiens. Deus vero per prophetam denunciat; ſe quidem vſque poſt eius obitum dilaturum vindictam, quandoquidem ſceleris pœniteat: minas tamen vanas non fore, ſed Achabi filiũ pro commiſsis pœnas daturum.* Hæc ipſe: quæ admodum aliena ab iis, quæ à Scriptura tradita ſunt hac de re, nemo, qui Scripturæ ſit memor, non facile intelligit. Vbi enim habet in ea Achabum priorem faſſum eſſe creatum ſuum, aut

*Non parum deprauata.*

omnino falsum esse? vbi vitandæ obiurgationis causa confessum? vbi oblatam satisfactionem ad Dei, aut Prophetæ, aut cuiusquam arbitrium? vbi cadauer Nabuthi à canibus absumptum? omnia ex proprio iudicio ficta, ac deformata sunt. Docere potest canes linxisse sanguinem Nabothi, carnes vorasse docere non potest: neque sepultura caruisse. Probabilius dixisset eum saxorum aceruum pro sepulchro habuisse.

XXVI. *Parcit Idololatriæ.* LEGERAT carnes Iezabelis à canibus deuoratum iri, quod ipse male tacuit, & peius in Nabothum transtulit, deserta vtrobique Scriptura. Deseruit quoque ac deprauauit, cum ait totum regis delendum genus, propter ciuem, per calumniam oppressum; cum Scriptura dicat eo supplicio eum plectendum, propter idololatriam, & inuectum in populum scandalum, sicut Ieroboam, & Baasa; nec in tota Eliæ contra Achabum sententia vlla sit aut Nabothi, aut ciuis oppressi mentio. Verum non vno loco dictum est Iosephum, qui ethnicis principibus, quibus scribebat, placere cupiebat, diis gentium, quantum potuit pepercisse, ne in Mecenatum suorum offensionem incurreret. Quod autem addit de confessione peccati, non arguo; neque illam Dei placandi voluntatem: quoniam illa de factorum, non verborum confessione accipi potest. Hæc idoneos habet propugnatores, & potest placandi voluntas tam ex metu, quam ex amore proficisci. Libet tamen sanctum Ambrosium [a] de Achabo, eiusque similibus audire. *Irascuntur diuites, & calumniantur, vt noceant, si non obtineant quod desiderauerint; cum autem calumniati nocuerint, dolere se simulant: tristes tamen, & tanquam mæsti non corde, sed vultu, in possessionis direptæ locum prodeunt, & impressionis suæ iniquitate potiuntur.* Hæc ipse de alia simili Achabi tristitia, quæ apud Septuaginta habetur, vt supra diximus. [b]

[a] l. de Nabuth. c. 11.

[b] Nu. 14.

XXVII. *Ochosiæ regni initium.* Hoc ipso anno Iosaphati decimo septimo cum Achabo patre regnare cœpit Ochosias, vt ante diximus, & aperte Scriptura tradit, [c] *Ochosias*, inquit, *filius Achab regnare cœperat super Israel in Samaria, anno septimo decimo Iosaphat regis Iuda, regnauitque super Israel duobus annis.* Sapienter autem Hieronymus in editione vulgata, ad significādum Ochosiam non regnasse biennio post patrem, non dixit, regnauit, sed regnare cœperat: quasi dicat, adhuc viuo patre regnare cœperat; cum autem decimus septimus Iosaphati respondeat vigesimo primo Achabi, oportet vt Ochosias eodem vigesimo primo regni patris regnare cœperit; & cum duobus annis tantum regnauerit, eodem cum patre anno mortuum esse necesse est, vt idem annus sit, tam patris, quam filij vltimus: ita tamen, vt Ochosias aliquot mensibus patri fuerit superstes. Eóque factum est, vt Ioram patri simul & fratri succederet, & vt biennium Ochosiæ non augeret Chronologiam Regum Israelis; quod Torniellus quoque prudenter animaduertit. Voluit autem Achab secum regnare Ochosiam, propter timorem illum ex Eliæ vaticinio, totius domus suæ interitum denunciantis, conceptum.

[c] 3. reg. n. 1. 22. 52.

XXVIII. *Et Iorami Iudæi.* EXEMPLVM Achabi in regno Israëlitico, secutus est Iosaphat in regno Iudæ. Filium enim suum Ioramum, impiæ Athaliæ maritum, & Achàbi generum, regni socium sibi adiunxit. Id ex 4. Reg. 1. intelligitur, vbi dicitur, [d] *Regnauit Ioram frater eius* Ochosiæ *pro eo, anno secundo Ioram filij Iosaphat regis Iuda, non enim habebat filium.* Hæc ibi. Si secundus annus Iorami Iudæi respondit primo Iorami Israëlitici, & hic regnare cœpit post annum sequentem, oportet Ioramum Iudæum hoc anno inchoasse regnum, ita vt currente adhuc secundo ipsius, ille primum inchoarit. Est autem admodum probabile Iosaphatum consortem imperij creasse Ioramum, instigante Athalia vxore eius, cuius ambitio crudelissima postea prodetur, & suadente Achabo Iorami socero, & Iosaphati cognato. Itaq. tam hoc, quam sequenti anno in vtroque regno bini reges fuerunt. Achab & Ochosias in Samaria, Iosaphat & Ioram Hierosolymis.

[d] v. 17.

ANNVS MVNDI 3138. DILVVII 1482. QVINTÆ ÆTATIS 199. FVNDATI TEMPLI 116. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 18. IORAMI FILII EIVS 2. ACHABI REGIS ISRAELIS 22. & VLT. OCHOSIÆ FILII EIVS 2. & VLT. AMARIÆ PONTIF. 1. ELIÆ 16. TROIÆ EXCISÆ 267. OPHRAT. 15. IMPERII ASSYRIORVM 1207.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 915.



MVLTA huius anni periodo circumscripta sunt, quorum pleraq. index ipse pollicetur. Mortem enim duorũ Regum habet, quarum vtraque multarum rerum narrationem in Scriptura coniunctam habet, tam reliquo libro tertio Regum, quam initio sequentis, & secundi Paralipomenon [a]. Habet & nouuũ Pontificem: Iosaphati quoque profectionem in Samariam, expeditionem cum Achabo aduersum Syros, & regni sui lustrationem, quam ad hunc quoque annum pertinere inferius ostendemus. I. *Res huius anni.*

A nouo autem Pontifice, vt ratio postulat, ducamus initium. Is est Amarias, Azariæ filius, vt ex serie Aaronitarum Pontificum, quæ cap. sexto primi Paral. descripta est, [b] perspicue constat. Eum hoc tempore fuisse Pontificem locupletissimus testis est ipsemet Iosaphat rex, qui cum è bello reuersus, populum suum ad pietatem, & Dei timorem exhortaretur, adiecit, [c] *Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Qui idem in Hebræo vocatur summus Sacerdos, vel Sacerdotum caput. Eundem hoc ipso tempore Sacerdotem agnoscit Iosephus initio libri noni, [d] vbi tamen non dicitur summus, & mendosè pro Amaria, legitur Amasias. Amariam enim habent septuaginta, quos ibi sequitur, sicut Hebræus textus. Scio Genebrardum tempore Iosaphati nominare Ioachas Pontificem, Hebræos autem in Seder-olam minore Ioas, [e] sed neutri quidquam probant. De Azariæ vero Pontificis morte nihil vsquam reperimus. *Amarias Pontifex.*

Hic porro est tertius annus à fœdere ab Achabo cum Syris inito, in quo descendit Iosaphat rex Iuda, ad Achabum regem Israël, vt dicitur cap. 22. tertij regum. Cuius visitationis causa nõ alia videtur fuisse, quam mutua inter vtrumque amicitia, atque affinitas, ex Iorami filij Iosaphati, cum Athalia filia Achabi & Iezabelis coniugio, cuius amicitiæ causa postea à Iehu Propheta reprehensus est. [f] Faciliorem autem reddebat istam profectionem nuper regno ascitus Ioramus, qui interea parentis loco publica regni negotia administraret. Putat etiam Abulensis, [g] non solum Iosaphatum descendisse in Samariam, sed vice versa aliquando Achabum adisse Hierosolymam: nec mutuas tantum, sed etiam frequentes fuisse huiusmodi communicationes. *Descendit ergo Iosaphat ad regem Israël:* edito enim in loco erat Ierusalem præ Samaria, quamuis etiam ipsa esset in monte posita. Quomodo autem ibi exceptus sit, à Scriptura festinante ad mortem Achabi scribendam, non traditur. Suppletliber Paral. [h] *Descenditque*, ait, *post annos ad eum in Samariam*; annos scilicet aliquot ab affinitate cum Achabo contracta, de illa enim ibi proxime actum fuerat; eratque annus in nostra supputatione decimus quintus, computatis extremis. *Ad cuius aduentum mactauit Achab arietes, & boues plurimos, ipsi, & populo qui erat cum eo.* II. *Iosaphat inuisit Achabum.*

Credibile non est Achabum mactasse idolis huiusmodi animalia; & Iosaphatum cum suis de idolotytis comedisse; sed ea fortasse Deo in eius gratiam sacrificasse; inuitante etiam recenti metu minarum Eliæ, quæ ab ipso magnam paulo ante humilitatem expresserant. Nisi placet mactandi vocabulum quod III. *A quo benigne excipitur.*

Left margin notes: [a] ...c.18. & 19. [b] ...ver. 11. [c] 2. Par. 19. [d] ...l. 9. ant. 1. [e] ...Decuria [f] ...Par. 19. [g] 3. Reg. ...q. 3. & 2. ...c. 18. init. [h] ...2. c. 18. ...de an. 4. ...saphati.

alioqui sacrorum est proprium, [a] simpliciter pro occisione sumi. Iosephus certe nullam sacrificii mentionem facit. *Cumque libuisset*, inquit, *et Samariam inuisere, benignissime ab Achabo exceptus est, atque etiam militia, quæ suum regem comitabatur, publice exhibito frumento, vino, & carnibus.* Et quoniam eum demereri volebat, ad ineundam secum Syriacam expeditionem, omnibus ipsum colebat officiis, omniaque beneuolentiæ signa exhibebat. Ideóque vbi nos cum Hebræo legimus, *persuasitque ei, vt ascenderet in Ramoth*, Septuaginta ad eam comitatem significandam, habent, *Et diligebat eum, vt simul ascenderet secum in Ramoth Galaaditidis.*

a sicut & vox θύειν, qua vtuntur.

IV. Ramoth quæ, & vnde controuersa.

ERAT ea ciuitas trans Iordanem in tribu Gad, eademque sacerdotalis, & vna de vrbibus perfugio destinatis. Dicitur Ramoth Galaad, quod esset in Galaaditide prouincia; ad differentiam alterius Ramoth, quæ erat in tribu Issachar, quæ memoratur in 1. Paralipom. [b] Illam Iosephus Ramatham vocat. Quomodo autem in potestatem Syrorum venerit, obscurum est. Constat certe eam ad Salomonem pridem pertinuisse.[c] Fuerit sane vna ex iis, quas Syri occuparunt, dum Baasa Ramam ædificaret aduersus Asam [d], licet ibi non nominetur. Et cum Benadab nuper Achabo promisisset vltro, se redditurum omnes vrbes, quas acceperat pater eius [e], hanc tamen, vt sibi plurimum opportunam, reddere cunctatur. Iosephus ait patrem Benadadi eam vrbem accepisse, tempore Amri patris Achab. Quod consentaneum est illi, quam dixi, promissioni. Siue ergo tempore Amri, siue Baasæ hæc vrbs à Syris capta fuerit, eam vi repetendam statuit; eamque vnam belli huius fuisse causam satis constat. Et primum ea de re cum suis agens. *Ignoratis*, inquit, *quod nostra sit* Ramoth *Galaad, & negligimus tollere eam de manu Regis Syriæ?* quam tamen ille se restituturum promiserat. Hæc scilicet verba subintelliguntur: iuxta communem interpretationem; quæ mirum est non vsurpari, cum valde facerent ad suscepti belli iustitiam demonstrandam.

b c. 6. 73.
c 3. Reg. 4. 13.
d 3. Reg. 15. 10.
e 3. Reg. 20. 34.

V. Iosaphat inuitatur ad Syriacã expeditionem, & consentit.

CVMQVE omnes, vt fit, regis voluntati sese permitterent, & cum eo sperarent facile se in bello superiores fore, qui semel atque iterum Syros tanta clade affecissent; optauit rex etiam habere Iosaphatum belli socium. [f] *Et ait ad eum, venies ne mecum ad prœliandum in Ramoth* Galaad? *Dixitque Iosaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita & tu*, eadem est voluntas, idem animus vtriusque nostrum. Bellum cupis, ego desidero, bellum paras, ego tibi expeditionis sum author, *populus meus, & populus tuus vnum sunt*, vnum conflabunt exercitum, eundem vnà hostem petent, *& equites mei, equites tui*, ipsos reges, ac duces in prælium, perinde ac tuos, *tecumque erimus in bello*. Denique vtere arbitratu tuo me, meisque rebus, perinde ac tuis. Addit Iosephus, non solum auxilium pollicitum, quod secum habebat præsens, sed copias etiam Hierosolymis accersisse, quod admodum probabile videtur. Ad amicum enim visendum venerat cum modica manu, non auxiliarias legiones ad vrbem expugnandam adduxerat.

f 3. Reg. 22. 4.

VI. Et consuli vult Dominum.

NIHILOMINVS pius rex diuinam super hac expeditione voluntatem exquirendam ratus, [g] *consule obsecro*, inquit, *in præsentiarum sermonem Domini.* Quæ consultatio tarda meritò videatur, si res eo iam vsque progressa erat, vt Iosepho placet [h], vt vtriusque regis exercitus, iam circa Samariam conuenisset, & progressi extra mœnia duo reges, in suo quisque solio sedens, stipendia militibus numeraret. Re quippe adhuc integra exquirenda erat Dei voluntas, quæ facile poterat, vel per prophetas, vel per Sacerdotes, Deum cum rationali consulentes agnosci; non contractis iam copiis, & expeditione non solum decreta, sed etiam inchoata. Id enim fuit habere velle Deum propriæ voluntatis approbatorem, non ex eius arbitrio diuino plane velle pendere. Nec se exhibere supremæ illi prouidentiæ obsequentem, sed optare illam se eorum arbitrio accommodare. Nam, vt de Iosaphato taceam, Achab longe aberat ab ea voluntate, vt si Deus significaret hoc bellum sibi cordi non esse, militi vellet missionem dare, & plane ab incœptis desistere: cum dedita opera nollet diuinam intelligere voluntatem, vt liberius quod animo sederat, licentiusque perficeret; odio etiam haberet eum, à quo vno posset illam addiscere, & vice versa totum se iis daret, qui totos se ad eius voluntatem finegbant, & à quibus perniciosam in fraudem adducebatur.

g 2. Par. 18. 4.
h l. 8. c. 6.

Annon tardius?

CON-

Expeditio Achabi in Syros.

VII. Congregantur pseudoprophetæ, & vnde tot.

CONGREGAVIT *igitur rex Israel prophetas circiter quadringentos*. Mirum porro est improbum hoc semen, tam cito in tantam multitudinem excreuisse, ex quo magnus ille zelator in Carmelo id videbatur, ad imam vsque radicem, succidisse. Nimirum facile erat hominibus addictis idololatriæ, in falsum prophetam euadere, cum id ex vna ipsorum voluntate penderet, & pronum erat in hisce prophetis nomen profiteri suum, cum eos regina perdite amaret, & de sua ipsos mensa, vt priores illos sustentaret [a]. Quin & ipse rex, vt ait Iosephus [b], hoc genus hominum frequens circa se habere delectabatur, dementia, & malitia omnes ante se reges superans. Delectebatur autem, quia cum ingenitum cuique sit, maximeque principibus viris, propriam explere voluntatem, & ægerrimè ferre quemquam illi obsistere, isti sese omnino ad eius arbitrium attemperabant, & eò vela dabant, vbi flatus regiæ libidinis apparebat. Itaque rectè ad hoc tempus retrahi potest illud Apostoli [c], & Achabo ac Iezabeli accurate aptari. *Erit* inquit, *tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

(a 3. Reg. 18. 9. — b l. 8. c. 7. — c 2. Tim. 4.)

VIII. Expeditionem suadent.

CONGREGATIS itaque hisce nebulonibus, ait Achab, *Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere?* In 2. Paralipom. tam suo quam Iosaphati nomine interrogat, *Ire debemus in Ramoth Galaad?* At illi nihil cunctati, confidenter vno cuncti ore responderunt, *Ascende, & dabit eam Dominus in manu Regis*, id est, tuas; neque enim ambigue loquebatur per eos dæmon, vt illi postea Epirotarum regi: neque nunc fuit spiritus ambiguus in ore prophetarum suorum, sed spiritus mendax: Nec illud *in manu regis*, ita vsurpatum est, vt ad Syrum quoque referri posset, vt visum est Lyrano: repugnat enim illud, *& dabit eam Dominus*, cum Syrus illam iam possideret, nec bello præsenti, nisi prius amissam, posset acquirere. *Prophetis vero*, ait Iosephus, *bellum suadentibus, vincendum enim Syrum, & in potestatem venturum, vt antea*; ita quidem si adesset magnus ille pugnator, ille Dominus exercitum', vt antea, pergit: *Iosaphato suboluit fucus ex eorum verbis, eo quod falsi vates essent*, & videlicet sibi dictum putarent, [d] *Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.*

(d Isa. 30. 10)

IX. Iosaphat requirit prophetam Domini.

PERCVNCTATVSQ. est Achabum, num quem alium præterea prophetam habeat, vt certius etiam futura præscire valeat. [e] *Nunquid non est hic prophetes Domini, vt ab illo etiam requiramus?* Non habebat quidem Iosaphat vllam fidem prophetis Baal, sed se ad captum impii regis accommodabat. Et Achab vice versa gratificari cupiens Iosaphato. *Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum. Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore, Michæas filius Iemla.* Nisi Hebræi Rabini hallucinantur [f], cum aiunt hunc eundem prophetam prædixisse Achabo semel iterumque victoriam contra Syros, vtique mentiebatur Achab, vel hyperbolicè loquebatur: sicut & cum illum vnum remansisse dixit. Viuebat enim adhuc Elias, vt qui etiam Achabo mortuo, Ochosiæ filio eius mortem imminentem prædixerit. Viuebat & Elisæus, nec modicus prophetarum chorus Carmelum, aliaque religiosa loca incolebat. Sed hic vnus [g] forte in Samaria habitabat, alioqui alium minus odiosum aduocasset ad prophetandum, & hic vnus diuina protegente prouidentia, in regis ad reginæ odio, tutus erat, eosque præsentia sua de impietate, & ingratitudine sua obiurgabat.

(e 2. Par. 18. 6. — f 2. Achabi 18. n. 15. & 19 & an. 19. n. 6. — g Abul 2. par. 18 q. 18 & 3. Reg. 22. q 5.)

Quem oderat Achab

X. Defenditur à Iosaphato.

IOSAPHAT autem qui stolidam, atque iniustam odii causam aduersus prophetam audiebat, quem eo nomine amore dignum minimè dubitabat, sciebatque obsequium amicos, veritatem odium parere, amica tamen obiurgatione, *Ne loquaris*, inquit, *ita rex*. Etsi enim veritatem ab impiis audire non conuenit, ne illi vbi fidem fecerint, & in animos nostros influere cœperint, etiam falsa persuadeant: quæ fuit causa, cur Christus Dominus non sineret Dæmones [h] de ipso loqui: & vt peccatori diceret Deus, *quare tu enarras iustitias meas?* Michæas tamen pius erat & innocens; nec veritas, quam diuinitus loquebatur, in eius ore inquinabatur suspectáue, aut periculosa reddebatur. Amorem ergo potius, & gratiã merebatur, Michæas, quam odium, vt qui notam diuinitus veritatem fideliter annunciaret. Regis erat vnius culpa, qui male semper agendo, diuinas semper

(h Mat. 1. 34)

minas sibi cõciliabat. Contra vero merito diceret Iosaphat impios illos, falsosq. prophetas agendos in crucem, qui Dei verbum impudenter adulterarent, & somnia sua regibus, pro diuinis oraculis, verissimi impostores, venditarent.

XI. *Accersitur ad reges.* VOCAVIT ergo rex Israël eunuchum quendam, siue cubicularium, vt alibi explicatum est, [a] *& dixit ei, festina adducere Michaeam filium Iemla.* Interim autem vterque rex, *sedebant vnusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area iuxta ostium portæ Samariæ,* platea quapiam, ad quam de more populus ad iudicia confluebat; *& vniuersi prophetæ prophetabant in conspectu eorum. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait, hæc dicit Dominus. His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Non raro veri prophetæ ad verba prophetica, Dei iussu facta quoque, & signa addebant; vt Ieremias [b] qui collo suo catenam ligneam circumposuit; quam Hananias pseudopropheta confregit. Sic iste Sedecias ait vexatum, & afflictum iri Syros ab Israëlitis, & quasi paleas in area excussum iri à Ramoth Galaad. In hebræo autem & græco habetur *cornu petes.* Minus apte metaphoram Chaldæus expressit: His occides homines Aram. *Omnesque Prophetæ,* Achabi, *similiter prophetabant dicentes, Ascende in Ramoth Galaad, & vade prospere, & tradet Dominus in manus Regis.* *Sedecia cornua.*

[a] 2. Salom. 1.n.9.
[b] Ierem. 27. 2. & 28. 10.
κερατιεῖς.

XII. *Michææ ironia.* NVNCIVS vero [c] *qui ierat vt vocaret Michæam, locutus est ad eũ dicens, Ecce sermones prophetarum ore vno regi bona prædicant, sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.* Inepte, quasi ex verbis, aut voluntate Michææ, bonus malusue rerum euentus penderet. Hic stupor eorum, quos idololatria dementarat. *Cui Michæas ait, viuit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus hoc loquar.* Ex quo [d] apparet nondum ei à Domino reuelatum fuisse, quid responsurus esset Achabo: sed aliquanto post interrogationem; sicut cum Daniel à Nabuchodonosore, circa secundi somnii expositionem [e], interrogaretur. *Venit itaque ad regem, & ait illi Rex. Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad prælians dum, an cessare? Cui ille respondit, Ascende, & vade prospere, & tradet eam Dominus in manus regis* Facile est intelligere ironicè loqui prophetam, ideoque non addidit illud peruulgatum, *Hæc dicit Dominus.* Et reuera intellexit Achab eum ex propria mente, sensuque non loqui, ideoq. addidit.

[c] 3. Reg. 22. 13.
[d] Abul. q. 9. in c. 22.
[e] Dan. 4. 16.

XIII. *Nunciat cladem imminentem.* ITERVM *atque iterum adiuro te* [f], *vt non loquaris mihi nisi quod verum est in nomine domini.* Quis non miretur hominem, qui iureiurando adigat prophetam, ad dicendum sibi veritatem, quam tamen nolit audire? *Et ille ait; vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem, & ait Dominus, non habent isti Dominum; reuertatur vnusquisque in domum suam in pace.* Significat propheta dictum à Domino, exercitum Israëliticum fusum iri, fugatumque à Syris in montibus Galaad, & rege suo priuandum, illoque in prælio mortuo, ad sua pacificè, re desperata, redituros vniuersos. Quamquam enim supra dictum fuerat [g] à propheta, Achabi animam pro anima Benadadi fore, & Israëlitas pro Syris, non tamen id adæquatè accipiendum est; vt sicut rex Israëlitarum periturus erat, ita & delendus esset populus eius; præsertim cum Israelitæ in dimissione Benadadi à culpa abfuisse videantur: [h] sed sententia personis proportione accommodanda est, vt vtrique pœna afficiantur: Rex, cuius vnius culpa erat, pœna capitis; populus, quia criminosi regis populus erat, pœna fugæ, dispersionis, & ignominiæ.

[f] c. 22. v. 16.
[g] 3. Reg. 20. 42.
[h] Abulens. 3. Reg. 22. q. 11.

XIV. *Et visionẽ suam imaginariam.* SATIS hanc orationem, quamuis more prophetico elatam obscurius, intellexit Achab [i], sine vllo interprete: & in subitam effusus iram, dixit ad Iosaphat. *Nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum? Ille vero addens ait, propterea audi sermonem Domini. Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei, à dextris, & à sinistris.* Eam visionem explicat Tostatus [k], factam per apparitionem imaginariam; vt scilicet existente Michæa coram vtroque rege, Deus in illius phantasia produceret quandam imaginẽ Dei sedentis in solio, & beatis angelis, ad maiestatem supremi Iudicis ostendendam, late circumfusis, cum imagine sermonum, qui tam Deo, quam aliis loquentibus auditi dicuntur, de deceptione prophetarum Achab. Licet enim huiusmodi visiones prophetis inter dormiendum contingant, quando externis sensibus va-

[i] 3. Reg. 22. 18.
[k] q. 22. & 24. in c. 22. 3. Reg.

catio à muneribus suis cōcessa est, possunt tamen etiam inter vigilandum apparere. Nam S. Stephanus [a], in medio Scribarum & Pharisæorum cœtu, vidit gloriam Dei, & Filium Hominis stantem à dextris Dei; visione nimirum imaginaria, qua Deus hæc in imaginatione depingebat; etsi is oculis in cœlum elatis, putaret se videre cœlos apertos, ibique stantem Christum Dominum ad dexteram Dei, cum nec dextera Dei vlla sit, nec acies oculorum vsque ad cœlum empyreum penetrare possit, aut illi orbes reuera aperiantur.

a Act. 7. 55. 56.

XV. Quæ explicatur.

EODEM modo Michæas [b] cum Dei throno sibi astare videretur, etiam sibi audire visus est dicentem Dominum, *quis decipiet Achab regem Israel, vt ascendat & cadat in Ramoth Galaad?* & cum diuersi diuersa sentirent, vt in deliberationibus contingit, prodiit spiritus malus, cum prius in cœtu bonorum non appareret, *& stetit coram Domino, & ait, ego decipiam eum. Cui locutus est Dominus, in quo? Et ille ait, Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus, decipies, & præualebis, egredere, & facita.* Quæ omnia, vt ait Abul. [c] & cū eo Serarius noster non reuera facta sunt, sed in fantasia prophetæ, quo modo inter homines contingunt, quasi in tabula depicta sunt, ac repræsentata, vt intelligeretur Deum permittere dæmoni, alioqui ad fallendum expedito, vt Achabum falleret, & modum tanquam idoneum ad eum finem probaret. Quoniam enim non susceptarus erat Achab hanc expeditionem, in qua Deus statuerat eum Syrorum telo periturum, nisi consultis prophetis suis, si ij quibus plurimum fidebat, vno omnes ore ipsi authores fierent expeditionis, Dæmone quem solebant cōsulere, id omnibus suggerente; haud dubiè ille crederet bellum sibi feliciter successurum; sicque deceptus laqueum sponte indueret, & quamuis repugnante Michæa, vni potius, quam vniuersis fidem derogandam putaret. Philastrius in priore catalogo hæresum [d] ait immundum spiritum dixisse Domino, *faciam me quasi angelum lucis, & verba similia eloquar, & ducam eum in prælium, & ibi eum deseram, & sic morietur: & ait Dominus ad eum, vade, sic facies*, quæ paraphrastice dicta sunt, non è textu transcripta.

b 3. Reg. 22. 20.

c q. 14. in c. 22. & q. 33. & 34. in c. 18. 2. Paral.

d hæres. 26

XVI. Caluinus hic refellitur.

CALVINVS impie detorquet hunc locum ad docendum Deum optimum maximum esse authorem peccati, vtpote qui præcipiat spiritui malo, vt Achabum decipiat. At eum locum cum simillibus accurate Bellarm. [e] ac solide de more interpretatur in legitimum sensum, ac contra blasphemum hæreticum defendit, docens hoc præceptum meram esse permissionem; neque præcepto vllo opus fuisse. *Ipse enim spiritus*, inquit, *obtulit se Deo ad decipiendum regem: nec tam imperio, quam permissione diuina egebat, cum ex se promptissimus ad omne malum, imo & cupidissimus nocendi esset.* Nec ridiculum est, vt ille putat iudicem tantum permittere. [f] Nam illius propriè est permittere, qui potest etiam prohibere, & iubere: prĕmio, pœnáue afficere, qui sūt veri & proprii actus legis animatę. Theodoretus [g] *Hæc est*, inquit, *quædam prosopopeia, quæ docet diuinam permissionem. Non enim verus Dominus, & magister veritatis iussit, vt decipietur Achab*, &c. quæ totidem verbis habet Procopius. Nec est insolens in permissione vti imperandi modo. Dicimus enim, *vtere opera mea, fac quod lubet*, &c. Addit Abul. præcipiendi modum vsurpatū fuisse, vt intelligeretur, non solum rem fuisse permissam, sed etiam confectam, perinde ac si à Deo iussa fuisset, & efficaciter imperata.

e l. 2. de amissione gratiæ c. 13.

f Vide August. q. 44. in lib. Iudicum.

g q. 65. in 3. Reg.

XVII. Michæas à Sedecia percutitur.

PERGIT Michæas, *Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacem in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum*; quamuis isti dicant promissam tibi ab illo victoriam. Sententiam mortis tulerat Dominus in Achabum, in quam vt sponte incurreret, negauit impio regi lumen, quo posset veritatem à falsitate discernere, nec inclinauit cor eius ad Michæam, ideoq. fidem illi non adhibuit, adhibuit autem falsis prophetis. Tunc Sedecias, qui inter pseudoprophetas eminebat, indignatus se suosque, in tali tantoque consessu, argui mendacii, acceptam vlturus iniuriam accessit ad Michæam, & percussit maxillam eius, & dixit ironice insultans. *Méne ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi?* qui videlicet sum te multo præstantior. In lib. Paralip. [h] *Per quam viam transiuit Spiritus Domini à me, vt loqueretur tibi?* qui melior sum, digniorque quem Spiritus sanctus inhabitet. Eadem vtrobique verba sunt in Hebræo: vulgata secuta est Septuaginta interpretes.

h l. 2. c. 18. 23. Rom. & Reg.

XVIII. *Rege dissimulante.*

AVDACIAM sumpsit iniuriæ inferendæ Sedecias coram regibus ipsis, quamuis nulla autoritate polleret, quod sentiret se regi, qui ipsum oderat, gratificaturum; sed is ad alia peccata sua etiam hoc adiecit, vt Prophetam Domini, quem nemo poterat arguere mendacij, vsurpata autoritate violari permitteret: qua in re etiam ipse offendebatur. Propheta vero iniuriam pro veritate patienter ferens eum nihilominus, qui eam intulerat, periculi sui, metusque præmonet, cum rex lætiferam in prælio accepisset plagam. *Visurus es*, inquit, an Spiritus Domini per me loquatur, *in illa die*, quam præuideo, atque prænuncio, *quando ingredieris cubiculum intra cubiculum*, id est intimum, atque abditissimum cubiculum, *vt abscondaris*, ne scilicet interficiaris à domesticis, & amicis regis, quærentibus animam tuam, vt qui falso vaticinio regi mortem intuleris; Iosephus, *vt vaniloquij pœnas luas.* Hæc quomodo contigerint proditum non est, constat tamen hoc ipso contigisse, quod à sancto Propheta verè pronunciata sunt euentura: qui cum de ipsius morte tacuerit, apparet etiam illum tunc mortem effugisse.

*Propheta patiëtia, & vaticiniū.*

XIX. *Conicitur in carcerē.*

ET *ait rex Israel, tollite Michaam.* Verebatur fortasse ne à quadringentis illis Prophetis, quorum commouerat bilem libertate dicendi, discerperetur, si exemplum Sedeciæ secuti essent. Ad quos etiam placandos pertinere potest illa regis oratio. *Maneat apud Amon principem ciuitatis, & apud Ioas filium Amelech.* In Hebræo habetur, *reducite eum ad Amon principem*, siue præfectum, *ciuitatis, & ad Ioas filium regis*; quomodo habent Septuaginta regia; Romana vero, reducite eum ad Semer regem ciuitatis, & ad Ioas filium regis, id est, filium præfecti ciuitatis, Non enim erat rex alius præter Achab, & Ochosiam. Recte itaque Hieronymus *Amelech*, vt proprium nomen vsurpauit, non tanquam appellatiuum. Ex verbo autem reducendi collegit Iosephus, eum antehac in carcere fuisse, vt mox dicemus. Nec ab ea sententia aliena est illa vox, *Maneat*, vbi scilicet ante fuit. Addit autem rex ipse, *& dicite ei, hæc dicit rex, mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ, donec reuertar in pace*: cum scilicet conuictum mendacij, falsique aduersum me vaticinij, merito supplicio afficiam. Interim modico pane & aqua victitet, vt mortem potius effugiat, quam famem. Itaque in lib. Paralip. [a] dicitur, *date ei panis modicum, & aquæ pauxillum.* Vtrobique eadem verba sunt in Hæbræo, & Græco. [a 2. Par. 18. 26.]

XX. *Michaas confirmat suum vaticinium.*

DIXITQVE Michæas, *Si reuersus fueris in pace, non est locutus in me Dominus, & ait, Audite populi omnes.* Non quærit attentionem, quasi noui aliquid elocuturus (etsi id putet Tostatus) quod rex audire contempserit, nec curarit eum à populo audiri; cum enim ex prophetæ verbis aculeum gestaret in pectore, non neglexisset audire, si forte ille, audito carcere, & pane tribulationis, & aqua angustiæ mutaret sententiam, & victoriam polliceretur, vt cæteri. Sumit potius testem populum vniuersum, se velle haberi pseudoprophetam, si euentu ipso refellatur eius oratio; quod erat prius editum cladis vaticinium confirmare. *Ascendit itaque rex Israel, & Iosaphat rex Iuda in Ramoth Galaad.* Etsi mirum non est Achabum, qui quadringentos habebat vates suæ expeditionis authores, quibus fidem habebat, in Ramoth esse profectum, quò etiam propria inclinatione ferebatur; & quò illum Deus quoque ducebat ad victimam: mirum tamen videtur huius expeditionis comitem factum esse Iosaphatum, qui illis prophetis abrogabat fidem, & Michææ adhibebat. Theodoretus ait [b], eum pietate sua indigna fecisse: itidemque Procopius amicitiam pietati & religioni prætulisse. An forte permisit Dominus illum de Michæa dubitare, ne si ipse militiam detrectaret, Achabus quoque ab incepto resiliret, nec mortem sibi destinatam reperiret? Ita Tostatus [c], qui etiam ex Iosepho addit regem de Michæa dubitasse, quia videretur Eliæ contrarius, quoad locū mortis Achabi, quā Elias in Iezraële prædixisse videbatur, Michæas autem in Ramoth moriturum assereret. [b q. 65.] [c q. 18. in c. 22. 3 Reg.]

XXI. *Achab dissimulat habitum, & cur.*

CVM ergo ventum esset in Ramoth, & idoneo loco castra locata essent, *dixit rex Israel ad Iosaphat, Sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis, Porro rex Israel mutauit habitū suum, & ingressus est bellum.* Etsi enim fidē non habebat Michææ vaticinatio, in omnem tamen euentum, voluit ementito habitu pugnare, ne si rex agnosceretur, tota belli mole in eum incumbente, vt ex quo

victoria dependebat, aut caperetur, aut lethale aliquod vulnus acciperet. Voluit autem Iosaphatum cultu regio, armisque vti, siue vt eum honoraret, quem vnum vtriusque exercitus Imperatorem esse vellet: siue quod aliqua ratione consilium Syrorum didicisset, vnum regem Israelitarum inuadendi. *Rex enim* a c. 22. 31. *Syriæ* [a] *præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens, non pugnabitis contra minorē & maiorem quempiam, nisi contra regem Israel solum.* Non fuit mens Benadadi plane prohibere cædem Israelitarum: neque enim ad regem, sine aliquorum propugnantium cæde perueniri poterat, sed omnia voluit ad illum vnum aut capiendum, aut interficiendum referri: in quo etiam apparet Dei prouidentia, quæ per Syrum nihil minus cogitantem efficiebat, vt populo parceretur, isq; iuxta dictum prophetæ, *reuerteretur in domum suam in pace.*

XXII. Iosaphat discrimen adit, & diuinitus liberatur.

b 3. Reg. 22. 32. c. 18. 31. Cvm *ergo vidissent principes curruum Iosaphat,* [b] *suspicati sunt quod ipse esset rex Israel, & impetu facto pugnabant contra eum: & exclamauit Iosaphat.* Explicatius in 2. Paral. *Et circumdederunt eum dimicantes, ait ille clamauit ad Dominum, & auxiliatus est ei, atque auertit eos ab illo. Cum enim vidissent duces equitatus quod non esset rex* c Seder. c. 17 *Israel, reliquerunt eum.* Hebræi quoque in suo chronico, [c] aiunt hunc clamorem fuisse inuocantis Dominum. *Ideoque,* inquiunt, *licet eadem hora mereretur occidi, propter initam cum impio Achab societatem, tamen quia exclamauit, inuocauitque Dominum, ita septem annis superuixit, vt tamen Scriptura eos, filii ipsius regno attribuat.* Sic ipsi, quos vides confirmare nostram chronologiam, in qua Iosaphatus regnauit d 3. Reg. 22. 42. adhuc septennium. Affirmat enim Scriptura [d] illum annis 25. regnasse. Itaque rectius dixissent Hebræi, eos annos, tam patri, quam filio, quem pater consortem imperii nuper fecerat, assignari. *Intellexeruntque principes curruum, quod non esset rex Israel,* quem aliqui Syrorum ex voce cognoscebant, si quis ibi aderat eorum, qui nuper eum adierant pro vita Benadadi oraturi: &, Deo corda eorum aliò auocante, *cessauerunt ab eo.*

XXIII. Achab vulneratur.

Vir *autem quidam tetendit arcum in incertum sagittam dirigens,* in confertam videlicet multitudinem, non in vnum aliquem hostium, *Hebr. in simplicitate sua,* nihil minus cogitans, quam Achabum, *& casu percussit regem Israel.* Casus fuit ratione militis telum mittentis, non respectu Dei, qui certo consilio incitauit eum, vt sagittam in eum locum dirigeret, in quo Achab ignoto in curru versabatur, & excussam recta deduxit, vimque addidit, vt valide in sacrilegi principis corpus infigeretur, *inter pulmonem & stomachum.* Septuag. *inter pulmonem & pectus,* quod eodem redit. Hebræus, *inter coniuncturas & inter loricam.* Paralip. *inter ceruicem & scapulas,* licet vtrobique eadem sint verba hebræa & græca. Significare videtur vulnus ad vtramq. partem corporis, eodem telo peruadente pertinuisse, & opportunè per anteriorem armorum commissuram ingressum, sursum versus, eo quod ex inferiore loco missum esset iaculum, inter scapulas & ceruicem prorupisse.

XXIV. Exit è prælio, & moritur.

Accepto tam graui, tamque insperato vulnere, dixit rex aurigæ suo, *verte manum tuam, & eijce me de exercitu, quia grauiter vulneratus sum.* Non plane voluit exire de exercitu, vt ex sequentib. liquet, sed retrocedere aliquantum, vt tutius & extra teli iactum vulneri remedium aliquod adhiberet. Ibi autem, *rex Israel stabat in curru suo contra Syros,* præsentia nimirum sua continens suos, ne sese in fugam darent, interim autem *fluebat sanguis plagæ in sinum currus,* durauitque prælium vsque ad vesperam, quando mortuus est Achab: *& præco insonuit in vniuerso exercitu, antequam sol occumberet dicens. Vnusquisque reuertatur in ciuitatem & in ter-* e q. vlt. in 3. Reg. *ram suā. Sicque diuina prædictio finem accepit,* ait Theodoretus. [e] *Sauciatus enim Achab diu mansit in curru, ne fuga esset causa, vt suus funderetur, & fugaretur exercitus: fluēs autem sanguis infixus fuit currui.* Sic ipse, fere ex Iosepho, vt mox dicemus. In libro Paralip. dicitur Achab mortuus, *occidente sole,* id est, sub occasum solis, paulo enim ante mortuus est, cum hoc loco dicatur, Achabo mortuo præconem insonuisse, & quidem *antequam sol occumberet:* quando infelix Achab vtram- f 3. Reg. 20. 42. & c. 21. v. 28. que Michææ prophetiam [f] impleuit, & ad diuinum tribunal raptus est.

XXV. Examinatur Iosephus.

Antequam autem adulteriora progrediamur, quæ circa præsentem histo- g l. 8. c. 10. riam scripta sunt à Iosepho [g] examinanda sunt; sic enim res tota dilucidior atque illustrior fiet. Neque tamen seuerius agere placet. Facile enim patior ad

di ab eo Scripturæ nonnulla, neque ineptè, neque imprudenter: vt cum carnib. militibus Iosaphati exhibitis, etiam frumentum adiecit, & vinum, cum copias Hierosolymis acciuit, stipendia militibus numerauit, falsorum prophetarum vaticinium amplificauit, cum ab iis prædictum ait, Syrum, vt antea, in Achabi potestatem venturum: Achabum mutato habitu Michææ vaticinium eludere voluisse. Nec perturbatum narrandi ordinem moror; etsiqua sunt id genus alia.

*Alia secus.* 1. Verum id ferendum non videtur, quod Michæam de hoc negotio iam consultum fingit: atque adeo eandem ob causam missum in carcerem, antequam Iosaphati monitu interrogaretur. Sic enim ait. *Respondit ille*, puta Achabus Iosaphato, *Esse quidem & alium, sed sibi inuisum, quod malum euentum prædicat, foreque vt ipse à Syrorum rege occisus pereat: & ob eam causam in carcere etiam nunc esse inclusum.* At id Scriptura non dicit, sed mansisse apud magistratum, indeque euocatum; manere autem potuit quasi in libera custodia. Et mox non dicitur retrudendus in carcerem, sed mittendus, quasi ob culpam nouam. Deinde Scriptura inducit Achabum conquerentem, quod ei soleret prophetare malum omni tempore [a]. Neque quærenti Iosaphato tacuisset Achabus, consultum iam fuisse Michæam, quod fingit Iosephus. [a] 2. Par. 18. 7.

XXVI. 2. *Nũ in prælio nullus occisus.* NEQVE illud ferendum puto, quod dictum ait à Michæa Deum significasse, quod cæteris incolumibus redeuntibus, solus Achabus in prælio casurus esset. Vnde consequenter affirmat à mane vsque ad vesperam pugnantes Syros, vincentesque, neminem occidisse, sicut eis mandatum fuerat, solum Achabum ad necem quærendo, nec tamen inueniendo. Quod longe abest à Scripturæ mente, vt ante diximus [b], & à ratione ipsa. Quis enim credat milites tota die pugnantes, & vicentes neminem occidisse? in ludicro theatro, non in acie pugnatum oportuit, nec gladiis ac telis certasse, sed pugnis. *Quodcumque ostendis mihi sic incredulus odi.* Quis putet neminem tota die sagittam misisse, præter eum qui Achabum vulnerauit? aut si misit, ecquis reuelauit Iosepho neminem ex
3. vulnere mortuum concidisse? Tertio non accusauit Achabus Michæam, quasi male erga se affectum, vt scribit Iosephus, sed quasi perpetuo sibi mala præ
4. dicentem, quæ constat valde esse diuersa. Nec inducit Scriptura dubium Achabum de bello suscipiendo, post Michææ denunciationem; imo asseuerantem se reuersurum in pace, & tunc male Michæam mulctaturum, quasi nebulonem aliquem, qui reges audeat inani metu afficere. At Iosephus ait regem post quandam pseudoprophetæ ratiocinationem, & scurrile ludibrium, securum effectum, non amplius dubitasse copias contra Syrum ducere. Cum tamen ille iam cessasset ludificari regem, priusquam Michæas introductus esset. [b] n. 22.

XXVII. 5. *Sedeciæ narratio.* ILLAM quoque narrationem, non quasi ex probabilitate, sed quasi ex historiæ sacræ fide allatam à Iosepho, parum probandam arbitror. *Sedecias*, inquit, *vnus ex pseudoprophetis in medium progreditur, negans curandum quid Michæas garriat, nihil enim veri eum prædicere. Argumento esse prædictionem Eliæ, qui sine dubio melius quam iste futura cerneret. Illum enim prædixisse apud Iezraelem in Nabuthi suburbano lambendum à canibus regis sanguinem, quemadmodum lampsissent cruorem Nabuthi, opera ipsius lapidati à populo. Perspicuum igitur esse istum mentiri, qui longe præstantiori propheta non vereatur contradicere, quod periturus sit rex ab hinc die tertia. Sed mox fore euidentius etiam quam verax sit, aut afflatus diuino Spiritu; percussus, inquit, à me in faciem arefaciat mihi dexteram, sicut Iadon fecit* Ieroboamo, *cum comprehendi eum prophetam iussisset.* [c] *Puto enim te audiuisse quod hoc ita factum sit. Et cum dicto inflixit ei alapam: cúmque ei nihil mali propter hoc accideret, securus iam Achabus, non amplius dubitauit copias contra Syrum ducere.* [c] 3. Reg 13. 4.

XXVIII. *Vitiosa demõstratur.* NEMO non videt, opinor, Iosephum summa licentia in Scriptura pro arbitratu ludere, aut illudere Scripturæ. Nusquam enim in ea legit istum Sedeciam apud Achabum Eliæ prædictione abusum. Nusquam Michæam, dixisse tertia die Achabum moriturum. Nusquam alapa percussum Michæam ad docendum eum fallacem, & Spiritu diuino minimè afflatum. Præterquam quod plane inepta est ista probatio; in promptu enim erat eadem experientia vice versa vti: nec verus propheta miraculorum effectione, sed certo prædictionum euentu à Scriptura [d] probandus prohibetur. Quo porro iure Iosepho licuit ista sacræ Historiæ affingere; visionem autem illam Michææ, Dei sedentis super so- [d] Deut. 18. 22.

lium suum, cum omni exercitu cœli sibi assistente missam facere: spiritum mendacem in ore prophetarum silentio inuoluere, & prioreṁ Michææ responsionem, saltem indicandæ dissimulationis causa, non attingere. Et tamen, si superis placet, persuadebit nobis se summa Scripturas diuinas religione tractare, nihil addere, nihil detrahere. [a] Sed nondum finis.

[a] Vide l. 8. c. 2. p. 508. in 16. & præcipuè l. 10. c. 11. v. si p. 683. in 16.

[b] l. 8. c. 10. fi.

6. XXIX. *De fato male sentit.*

NEQVE enim in homine veri Dei cognitione prædito toleranda est fati necessitas, quam Ethnici posuerunt. [b] *Vincebat enim opinor*, ait *fati vis, plus fidei falsis, quam veris prophetis astruens, & causas ad futurum euentum præstruens.* Et rursum, *Quin & ea reputatio hoc loco subit animum, quod insuperabilis sit fati necessitas, quæ etiam si præsciatur, superari tamen non potest; sed tandiu homines sibi vana spe blandiuntur, donec in illius casses incidant. Nam hoc quoque Achabo fatale fuerat, vt prænunciantibus cladem non crederet, & à prophetantibus ad gratiam deceptus, in mortem rueret.* At sacrilega est ista fati necessitas, quæ diuinæ prouidentiæ malitiam impingit, vt quæ faciat credibiliores pseudoprophetas veris: quæ hominis deroget libertati, si necessario facturus passurusque est, quidquid præordinatum fuit, vt vana propterea omnis consultatio, omnisque deliberatio futura sit. Nimirum non intellexit Iosephus diuinam determinationem res aliquando gerendas, in præuisione quasi factas supponere, & sequi, non anteire. Dei enim scientia [c] quam Theologi visionis appellant, supponit obiectum, non facit. Itaque S. Augustinus [d] arguens eos, qui putabant Pharaonem, eademq; est Achabi ratio, non potuisse mutari, quia Deus præsciuerat non mutandum, ait Dei præscientiam non cogere hominem vt talis sit, qualem præsciuit Deus; sed præscire talem futurum, qualis futurus est, licet eum non sic fecerit Deus.

[c] 1. p. q. 14. ar. 8.

[d] l. de prædest. & gratia c. 15.

XXX *Mors Achabi ex Iosepho.*

ALIA quoque sunt, quæ hoc loco in Iosepho desiderari videantur, quæ ne lectorem diutius morer, seorsim dicam. 1 Nunc Achabi tantum mortem ex eo referam. *Tandem vnus*, inquit, *ex Adadi famulis Amanus nomine, missa in incertum sagitta.* (In Græco est βέλος εἰς μὴ πλανῆν, quædam Græca 70. interpretum habent ἄσκοπως, bene collimando) *regem per thoracem in pulmonem sauciat. Achabus autem noluit hoc scire suum militem, ne terga verteret, sed aurigam iussit currum extra prælium euehere, quod graue, ac lethale vulnus acceperit. Cumque vehementer cruciaretur, perstitit tamen in curru vsque ad solis occubitum, & tandem profluuio sanguinis viribus deficiens interijt. Iamque appetente nocte Syri se in castra recipiunt, & quamprimum per caduceatorem de Achabi morte cognitum est, solutis castris domum quisque reuertitur.*

1. ex.

XXXI. *Et sepultura ex eodē.*

RELIQVA est Achabi sepultura, de qua hæc sacer historicus. *Mortuus est autem rex, & perlatus est in Samariam, sepelieruntque regem in Samaria, & lauerunt currum eius in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat.* Iosephus autem, *Regis cadauer Samariam relatum illic sepulturæ traditur. Et cum regius currus cruore fœdatus, ad fontem Iezrael esset ablutus, veritatem prædictionis Eliæ euentus comprobauit; canes enim lambebant eius sanguinem, & meretrices posthac ex eo fonte aquabantur.* 2 Scriptura piscinam Samariæ vocat, non fontem Iezraël, quæ multum inter se distant. Nam piscina siue lacus Samariæ, iuxta Samariam erat in tribu Ephraim, fons autem Iezraël in tribu Issachar. Nec est rationi consentaneum vt siue auriga, siue lotrices, currum & habenas eius ex vrbe Samaria, ad quam delatum fuerat cadauer, transferrent in Iezraël aliquot milliariorum itinere cum piscinam haberent in ianuis. Itaque verba Eliæ [e] de communi loco, siue regione accipienda sunt, vt diximus anno superiore, non de proprio. Quanquam rectius, opinor, dixerimus, illa verba, *lambent quoque sanguinem tuum*, de filiis Achabi accipiendum esse: quomodo ille apud poëtam dixit, *Proijce tela manu sanguis meus*, quomodo Scriptura sæpius vsurpare solet, *os meum, & caro mea.* Idque ex Scriptura eleganter probatur. [f] Quæ in cæde Iorami filij Achab, Eliæ prophetiam impletam esse testatur. Inuitauit autem prophetam ad eam phrasim, vt iterata voce sanguinis, similitudo pœnæ cum culpa magis appareret.

2. ex. Vide Adrich.

[e] 3. Reg. 21. 19.

[f] 4. Reg. 9. 25.

XXXII. *Alia Achabi gesta.*

CONGERIT postremo Scriptura alia Achabi gesta, ad totam eius historiam concludendam. *Reliqua*, inquit, *Sermonum Achab, & vniuersa quæ fecit, & domus eburnea quam ædificauit, cunctarumque vrbium quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel?* Excidit hic liber Annalium, siue Chronicorum,

qui in vtroque regno scribebatur, itaque mox subditur mentio libri regum Iuda. Defectu illius libri, scire non possumus quæ fuerint illæ vrbes quas mœnibus cinxit, & in vrbium formam redegit, aut vbi sitæ fuerint: quæ fuerit hæc domus eburnea, quando, vbi, qua forma constructa, quam Iosephum quoque ignorasse, ex eius silentio collegi potest. Satis constat fuisse opus valde preciosum, cum inter magnifica Achabi opera recenseatur. Nec tamen existimandum est eam totam ex ebore constructam, sed solum, vt ait Abulensis, aliquæ fenestræ, vel portæ, aut ad summum operimenta parietum. Idemque de domo cedrina Dauidis, [a] & throno Salomonis eburneo [b] proportione intelligendum est. Et hoc fortasse illud Achabi palatium fuit, quod Benjamin in suo itinerario, adhuc internosci scribit p. 39. Intelligendũ quoque pseudoprophetas accepta clade ad mortem quæsitos, præsertim Sedeciam eorum principũ latebras studiose captantem, vt Michæas illi prædixerat; ipsum autem Michæam, vt veridicum prophetam, vinculis solutum in gloria fuisse. Vide Tost. [c] qui putat Sedeciam occisum: & reliquos magna ex parte.

[a] 2.Reg. 7.2. [b] 3.Reg. 10. 18. [c] 2. Par. 18. q. 40.

XXXIII. *Iosaphat à propheta reprehenditur.*

INTEREA reuersus est Iosaphat rex Iuda in domum suam pacifice in Ierusalem; [d] Syris videlicet, contra quos arma sumpserat cum Achabo, nihil ei negotij in via facessentibus. Deo ipsum protegente; sicut paulo ante in acie, in summo rerum discrimine, hostes ab illo auerterat. Nec tamen eius culpam dissimulauit, sed prophetam obiurgatorem misit, Iehu filium Hanani, quem alium esse necesse est ab eo, qui iam à quinquaginta & duobus annis contra impium Baasa prophetauerat, à quo mortem in vaticinij mercedem accepit; [e] etsi nulla est in nominibus filij, aut patris diuersitas. Hic ergo Iehu occurrit Iosaphato, à Deo nuncius, & ait ad eum, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris*, pœnam scilicet ex iusta ira profectam, *sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum patrum tuorum*, quem scilicet impius ille deseruit. Vides hic mercedem bonorum operum etiam in hac vita; quandoquidem ea diuinam vltionem peccatis debitam à Iosaphato auerterũt. Quomodo autem hoc loco [f] dicatur abstulisse lucos de terra Iuda, & cap. sequenti [g] dicatur non abstulisse excelsa, sicut & cap. vltimo tertii regum, [h] dixi anno Iosaphati secundo, num. 3. Dici etiam potest abstulisse excelsa, quæ idolis dicata erant, non ea in quibus colebatur Deus. Etsi enim illa iam pater eius abstulerat initio regni sui, [i] sensim tamen sine sensu, serpebat, & succrescebat id malum: vt nouum subinde agricolam, requireret, qui crebro male pullulantem radicem, crebrius succideret.

*Merces bonorum operum.*

[d] 2.Par. 19. 1. [e] 3.Reg. 16 7. ann. 3086. [f] 2.Paral. 19. 3. [g] ca 20. 33. [h] v. 44. [i] an. Asæ 1. n. 3.

XXXIV. *Ochosiæ regnum, & plaga 4.*

MORTVO Achabo Ochosias filius eius solus regnare cœpit, sed permodico tempore, vt propterea sacram Chronologiam nihil augeat, vt supra diximus, duoque eius anni, quos Scriptura memorat, [k] in postremis Achabi annis includantur. Statim autem à patre amisso, in plures alias calamitates incurrit. Nam vt initio quarti Regum traditum est [l] Moabitæ desierunt velle pendere solitum Israëlitis tributum, & præterea ex casu in ægritudinem, & mortem incidit. *Præuaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab; ceciditque Ochosias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit.* Accessit etiam tertia, aut quarta calamitas, classis iactura in mari rubro. Nam in portu Asiongaber confractæ sunt eius naues. Itaque Ochosias eodem anno parentis mortem deplorauit, subditi regis defectionem, iacturam classis suæ, ruinamque mortiferam; id agente Domino, vt vel plagis eruditus resipisceret, vel pœnas paternæ, suæque impietatis luere inciperet. Hæc enim de eius impietate Scriptura subdit. [m] *Et fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in via patris sui, & matris suæ, & in via Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel;* Retinuit videlicet vitulos aureos, eosq; coluit. *Seruiuit quoque Baal & adorauit eum, & irritauit Dominum Deum Israel, iuxta omnia quæ fecerat pater eius.* In secundo etiam Paralip. [n] additur, opera eius fuisse impiissima.

*Et impietas.*

[k] 3.Reg. 22. 52. [l] 4.Reg 1. 1. & c 3. 4. [m] 3. Reg. 22. 53. [n] ca 20. 35.

XXXV. *1. Plaga paternæ mortis.*

HASCE itaque iam nunc plagas accepit Ochosias à Deo impietatis suæ: de quibus ordine nonnulla dicenda sunt nobis, præter primam, de qua satis iam dictum videtur. Et facile intelligi potest filium, qui præmaturè à patre regio

honore affectus fuerat, eum qui regnum ciuitatibus auxerat, domibus regiis ornauerat, in regni iuribus afferẽdis extinctus fuerat magnificè extulisse. Quod ergo ad Moabitarum defectionem attinet, eam hoc secundo Ochosiæ regni anno contigisse, author est Iosephus initio libri noni antiquitatem; idque necesse est, cum Scriptura testetur eam, *postquam mortuus est Achab*, accidisse: & hoc quoque anno mortuus fuerit Ochosias. Moabitæ igitur, qui ab ipso Dauidis regno Hebræis tributa pensitabant, & subsecuta regni diuisione, regibus Israëlis seruierunt, sicut Idumæi regibus Iuda, audita Syrorum victoria, & Achabi morte, iugum excusserunt, quod cap. 3. libri 4. describitur. *Porro Mesa*, inquit, *rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis. Cumque mortuus fuisset Achab, præuaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Israel.* Verum cum mox Ochosias in lethiferam ægritudinem incidisset, arma in eos mouere non potuit, sed id postmodum à Ioramo ipsius fratre initio regni sui factum est, vt sequenti anno dicetur. — *2 Moabiticæ defectionis.*

Seqvitvr confractio nauium, ea siquidem lapsum Ochosiæ antecessit, proptereáque prius à Scriptura narratur; ratioque postulat vt prius illa negociatio inter vtrumque regem suscepta fuerit, quam grauis hic morbus superueniret, quo durante tantum negotium non susciperetur. Nauium iacturam paucis Scriptura tradidit in fine tertij regum. [a] *Rex vero Iosaphat fecerat classes in mari,* sinu videlicet arabico, *quæ nauigarent in Ophir propter aurum.* Hanc nauigationem, cum regni diuisione, vt videtur, & bellis intestinis regum Iudæ & Israëlis intermissam, restaurare voluit Iosaphat, vir alioqui diues & inclytus, quique non ignorabat quanta facta esset, istiusmodi nauigatione rebus Salomonis accessio. Hanc nauigationem suadebat pax, quæ domi primum stabilita, etiam cum Israëlitis, Syris, Idumæis, intercedebat. Quanquam nũc cum Syris videri poterat, postrema in Ramoth expeditione violata. Verum tristem habuit res exitum, imo & principium. Naues enim cursum instituere nequiuerũt, *quia confractæ sunt in Asiongaber*, in ipso videlicet portu, classis, priusquam inde solueret, naufragium fecit. — *XXXVI. 3. Confractionis nauium.* — *Iosaphati nauigatio cum Ochosia.*

[a] ca. 22. 49. 50.

Hanc pœnam tulit Iosaphat initæ cum Ochosia societatis. Cum enim paulo ante de amicitia cum Achabo reprehensus fuisset, & auxilio ei præstito, etiam cum eius filio amicitiam coluit, & de auxilio, aut societate negociationis maritimæ cum eo conuenit: nec eum res suas sibi habere iussit, nisi vellet in eadem veri Dei religione conuenire. Hanc autem iacturam fuisse pœnam initæ societatis istius dubitari non potest, cum id clare in Scriptura habeatur, [b] *Posthæc*, inquit, *iniyt amicitias*, id est societatem, Hebraicè *iunxit se*, Græcè *communicauit*, iamdudum enim inita erat amicitia, non autem societas, *Iosaphat rex Iuda cum Ochosia rege Israel, cuius opera fuerunt impiissima, & particeps fuit*, idem est verbum Hebraicè & Græcè quod paulo ante, *vt faceret naues, quæ irent in Tharsis. Feceruntque classem in Asiongaber. Prophetauit autem Eliezer* 3 *filius Dodau de Maresa ad Iosaphat, dicens: quia habuisti fœdus cum Ochosia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* In libro Regum [c] dicitur non potuisse ire in Ophir. Non quod idem sit locus Tharsis & Ophir; sed quia naues eodem ex portu soluebant, & eundem aliquandiu cursum tenebant, quam longus scilicet est sinus Arabicus: & quia eædem naues modo in Ophir, modo in Tharsis cursum intendebant. Porro quæ essent Ophir & Tharsis supra anno Salomonis quarto satis dictum est. [d] — *XXXVII. Diuinitus punitæ.*

[b] 2. Paral. 20. 35.

3. σχ.

[c] 3. Reg. 22. 49.

[d] an. m. 3023. n. 41. & 42.

Iosaphat hoc damno affectus, huiusmodi commercij societatem diremit. Nam cum Ochosias classem restaurare vellet, & restaurare nauigationem, diceretque. *Vadant serui mei cum seruis tuis in nauibus*; noluit Iosaphat vt habetur in fine tertii regum. [e] Mansit tamen amicitia eius cum domo Achab, vt qui postea bellum cum Ioramo fratre Ochosiæ, contra Moabitas susceperit. — *XXXVIII. Diremitur.*

[e] ca. 22. 50.

Meminit nauigationis, aut naufragii potius Iosephus. [f] *Erat autem*, inquit, *Iosaphat amicus etiam Achabi filio, qui tum Israelitis præerat, cum quo inita societate parandarum nauium, quæ nauigarent in pontum, atque emporia Thraciæ, iacturam fecit haud minimam. Nauigia enim absumpta sunt naufragiis, propter nauium magnitudinem. Itaq; deinceps desiit ambitiosius parare naues.* Sic Grecum verti oportuit, licet aliter Gelenius. 4 — *Quid de hac classe Iosephus.*

[f] li. 9 c. 1.

4 εἰς πόντον πλεύσουσι.

XXXIX. *Arguitur.*

MIRVM est autem ipsum Iosephum maluisse confuse dicere, paratas naues quæ pontum peterent, quam cum Scriptura, quę in Ophiram nauigarent, quam ipse alibi Sophiram regionem Indiæ, & nunc auream terram nominatam dixisset. [a] Sed illud magis mirum, nisi error amanuensi, aut typographo tribuatur, quod Thraciæ dixerit, pro Tharsis. Sed nec Tharsis pro Cilicia, aut vrbe regionis illius, quam natalibus suis Paulus Apostolus illustrauit, accipienda est: cum portus Asiongaber sit in mari rubro, vt ex Scriptura, [b] & ipso Iosepho [c] constat: Cilicia vero, & Tharsus, sint ad mare mediterraneum, in minore Asia: non ita longe à Tyro, & portu Ioppe. Adeo vt dementissimi consilij sit per infinita marium, terrarumq; spatia, ex intimo sinu Arabico, tota Africa quanta quanta est præternauigata, & ei circumfuso oceano marique mediterraneo, quam longissime patet, in Ciliciam nauigare. Denique naufragii causam maluit in commentitiam, & ambitiosam nauium magnitudinem coniicere, quam Dei vltionem, disertis verbis à Scriptura traditam, [d] sicut eam paulo ante retulimus, [e] agnoscere.

4. c. ✕.
a l. 8. c. 2. post med.
b 3. Reg. 9. 26.
c l. 8. c. 2.
d 2. Paral. 20. fi.
e nu 37.

XL. *Quomodo ceciderit Ochosias.*

QVOD ad Ochosiæ lapsum attinet, dicit Scripturæ [f] eum cecidisse *per cancellos cœnaculi sui*; quod Vatablus explicat decidisse in cœnaculum, cum deambularet in tecto, per fenestram, qua immittebatur lumen in cœnaculum, vel cubiculum regium, quæ fenestra obstructa erat lignis cancellatim, & decussatim intertextis. Iosephus autem sic. *Accidit autem vt Ochosias de solario domus suæ descendens, per gradus delaberetur, morbumque ex hoc casu contraheret.* Sicque cancellos missos fecit, aut mutauit in gradus. Cancellorum nomine, corona, quæ circa solarium poni consueuerat, quam peribolum alibi diximus, intelligi potest. Id enim consentaneum est vulgatæ, & Græcæ editioni Romanæ; eodemq; modo aliqui vertunt textum Hebræum. Sicque non in cœnaculum deciderit, sed in hortum, si quis forte circumfusus fuit, vel in impluuium. Quomodocumque autem contigerit casus, ex ruina conquassato, ac contrucidato corpore ægrotauit Ochosias, adeo vt de recuperanda sanitate dubitaret.

f 4. Reg. 1. 2.

XLI. *Mittit ad Beelzebub, & cur.*

MISITQVE nuncios in Accaron ciuitatem Palæstinæ, ad consulendum idolum Beelzebub, an desperata esset eius salus necne. *Vtrum viuere*, inquit, ac reualescere, *queam de infirmitate mea hac.* [g] At quare non consuluit prophetas Baal, aut prophetas lucorum, quorum plena erant omnia? nuperrimè illos, de vita, victoriaque patris sui sciebat vniuersos fuisse mentitos; quorum etiamnum fortasse plerosq; habebat in vinculis. Quare non veridicum Michæam, aut Eliam, aut alium quempiam de prophetis? omnes oderat, quippe sibi, sicut & patri, malorum nuncios, fortassis & quasi architectos. Quare non Ieroboami vitulos, aut Baalem Iezabelis? an obmutuerāt, aut certe incerta, & ambigua respōsa dabant; hic autem muscarum deus certiora fundere oracula ferebatur? Nam Beelzebub, siue Baalzebub, Dominus muscæ vertitur, Deus amoliens lethales & perniciosissimas muscas, quæ incolas agri Accaronitici infestabāt, vt ait Vatablus. Qui addit alios rationem nominis sumere à copia muscarum, quam hostiarum copiosissimus sanguis gignebat. Septuag. Βάαλ μυῖαν, id est muscam Baal, Iosephus θεὸν μυῖαν, deum muscam appellat. Videtúrque, vt notat Serarius, ob impudentiam, & libidinem, quæ in muscis notatur, esse libidinis deus, aut dea quæpiam; præsertim cum Lucianus in encomio muscæ tradat, fuisse olim meretrices, quæ muscæ vocarentur.

g Abul. q. 4. & 5 in 4. Reg. c. 1.

*Quis ille Deus.*

XLII. *Stultitia eius cultorum.*

DEFLENDA inquit Theodoretus, [h] *Moabitarum amentia. Non solum enim in deos referebant maxima animalia, sed etiam minima, & vilissima, & odiosa. Quid enim est musca odiosius? Et tamen eius simulacrum deum dixerunt, & Deo, qui vere est Deus relicto, muscæ simulacrum de vita sciscitabantur: & quam viuentem flabellis expellunt, eius figuram deum appellarunt. Porro*, addit Procopius, *ex his quæ Eusebius in principio Euangelicæ præparationis, ex libris Philonis adducit, colligere licet, dæmonem hoc nomine appellatum fuisse*, imo & principem dæmoniorum, vt habemus in Euangelio. *Vel potius aniculam quandam*, inquit, *quam in dearum numerum retulerunt.* Videtur autem Theodoretus alludere ad illud Pausaniæ [i] in Eliacis. *Proditum est*, inquit, *Herculem Alcmenæ filium Ioui porricientem, cum muscas abigere non posset, Abactori muscarum*, Ἀπόμυιον *Elei appellant, hostiam mactasse; cum perlitatum esset, omnes repente muscas trans Alpheum*

h q. 3. in 4. Reg.
i l. 5. p. 161.

*euolasse. Inde seruatum ab Eleis, vt ad abigendas ex Olympia muscas, idem sacrum vsurparetur.* Sed redeamus in viam cum Ochosiæ nunciis.

XLIII. *Iubetur Elias occurrere nunciis.*

ILLI dum profectionem parant, *Angelus Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens, Surge, & ascende in occursum nũciorum regis Samariæ, & dices ad eos. Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?* Hic Angelus videtur ille idem fuisse, qui dormienti sub iunipero apparuit, & pane & aqua refecit: quem possumus custodem eius Angelum suspicari, visibili forma ipsum alloquentem. Vbi tunc esset Elias, Scriptura non tradit, neque Iosephus. Existimat Abulensis eum fuisse in vertice montis Carmeli, sicut & paulo post, cum ad eum duo quinquagenarij missi sunt. Neque obstat quod iubetur ascendere in occursum nunciorum, quia vbi ad radices montis ventum esset, quæ fluctibus maris alluuntur, versus Samariam ascendendum erat. *In hoc monte* ait Adrichomius, [a] *in pede montis orientali, ait author itinerarij Ghistele, spelunca est & fons, vbi habitabant Elias & Elisæus, & filij prophetarum. Postea habitauerunt ibi fratres Carmelitæ, vnde & originem, & nomen habent.* Sic ille. Potuit nihilominus oratorium habuisse in vertice montis, ibique plurimum orando commorari.

a In tribu Issachar n. 19.

XLIV. *Et accusare Ochosiam.*

IVBETVR ergo Elias accusare Ochosiam, quod neglecto vero Deo, quem honorare debuerat, eum consulendo de rebus suis; & à quo facilius & certius, per prophetas, quorum non pauci erant ad manum, aut per Amariam pontificem, qui cum rationali Hierosolymis, apud amicum regem versabatur, edoceri potuerat, ad alienigenas, auitosque hostes, probrosum idolum consulturos mitteret: cui falsò, ac sacrilegè diuinitatem, & scientiam futurorum tribueret: à quo responsa per impurissima sacrificia, infimásque preces eliceret, quem ne silente quidem Domino, interrogare licuisset. [b] *Quam ob rem hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Et cum his dictis rediit Elias in Carmelum, nuncij autem in Samariam. Neque enim erat cur progrederentur, cum certiores facti essent de dubitatione sua; Cum enim vidissent illum sibi enunciantem quo irent, & qua de causa irent; etiamsi Eliam non nossent, eum tamen Dei prophetam esse, & veritatem enunciare, credere poterant, qui cordium arcana rimaretur, atque vltro patefaceret. [c] Timuerunt etiam fortasse ne sicut Ochosias moriturus erat, quod misisset ad consulendum Accaronitarum Deum; ipsi, qui culpæ eidem, obeunda hac legatione, participabant, etiam pœnæ participes fierent.

b 4. Reg. 1. 4.

*Redeunt nuncij re infecta.*

c Abul. q. 10. in c. 1.

XLV. *Peccati voluntas morte rea.*

CÆTERVM quod in pœnam consulti dæmonis, aut potius voluntatis eius consulendi, moriturus dicitur Ochosias, & reuera paulo post mortuus est, aperte intelligitur non solum patratum crimen, sed perpetrandi etiam voluntatem in culpa esse, contra quam visum est Iosepho, [d] cum huiusmodi voluntas, quamuis effectu non secuto, etiam in rege, supplicio capitis vindicata sit. Sed illud nihilominus in quæstione esse possit, an reuera propter hanc causam mortuus fuerit, vt videtur clare in sacro textu pronunciatum. Respondendum videtur cum Tostato, [e] Si casus fuit leuis, ita vt naturaliter ex eo rex non esset occubiturus, perspicuum esse mortem in pœnam peccati à Deo inflictam fuisse. Sin autem grauis ac lethalis fuit, mors nihilominus pœna peccati huius esse potuit, excludendo beneficium, quo Deus eum affecisset, à morte ipsum eripiendo; sicut postea Ezechiam, cui Esaias mortem denunciarat. Sic primus parẽs, ex natiua corporis sui constitutione, mortalis erat, qui tamen ex Dei beneficio futurus erat immortalis: sed superueniente peccato, defectus naturalis versus est in pœnam peccati.

d An. Dauid. 30 n. 90. & seqq.

*Quomodo mors pœna peccati huius.*

e q. 11. in c. 1. 4. Reg.

XLVI. *Nunciant regi dicta Eliæ.*

NVNCIOS tam cito reuersos miratus Ochosias, rogat quæ causa reditus foret. Intelligebat enim non expletam ab ipsis demandatam legationem, quod via esset longior Accaronem vsque, quam vt tam breui tempore confici posset. Nimirum eos non longe à Samaria Elias offenderat. *At illi responderunt ei. Vir occurrit nobis, & dixit ad nos, ite & reuertimini ad regem qui misit vos, & dicetis ei. Nunquid, quia non erat Deus in Israel, mittis vt consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcirco de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Animosos esse oportuit hosce viros, qui tam triste nuncium ad mandatum hominis rusticani regi detulerint. Nimirum prophetam eum esse agnouerant, qui cordis arcana ignotis homini-

bus patefecisset, & sibi ab eo, nisi paruissent, male fortasse metuebant. Non misit autem ad eum Dominus Eliam ipsum, impij regis, vt apparet, contemptu; nimirum vicissim vlciscebatur cōtemptum sui Dominus, cui male sanus Ochosias, nescio quem muscarum deum prætulisset. Itaque ne tertio quidem magno apparatu euocantem adire permisit, nisi ad eum in faciem liberè coram omnibus obiurgandum.

XLVII. *Quem non norant.*

ILLVM, vt ignotum sibi, cum nuncij non nominarent, *Cuius figuræ*, inquit Ochosias, *& habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc?* Prudenter scire cupit quis fuerit author huius nuncij, ne se temere angori dedat, si quis forte Sedecias hæc effutiisset. *At illi dixerunt, vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait, Elias Thesbites est.* Mirum sane videtur Eliā, iam tot annis in regno Israëlitarum, totque prodigiis in omnium oculis perpetratis celebrem, ab his nunciis, ne de nomine quidem, notum fuisse. Erant opinor hi nuncij Accaronitæ, qui casu cum essent in Samaria, quo tempore decidit Ochosias, regiq; deum suum, tanquam egregium diuinatorem commendarent, Accaronem ad eum de casu regis interrogandum missi sunt. Duabus porro notis eum distinguunt. *Elias pilosus.* Prior est quod vir pilosus sit, siue vt in Hebræo est, dominus pili, quod nonnulli ad pilos capitis & barbæ referunt, vt Chaldæus, qui præditum capillis vocat: Sà, capillo oblongo & horrido, promissa nimirum cæsarie, barbáque heremitarum in morem vtebatur; alij de villosa veste interpretantur; ne hi nuncij vestimenti notam maxime insignem omisisse videantur, cum rex viri habitum quæsisset, quem zona non satis indicat, minusque quam ipsa vestis notabilis est. Alii ad vtrumque pertinere putant, in quibus Abulensis, & Serarius. Septuaginta, & Iosephus pilos ad totum corpus referre videntur: vocant enim δασὺ, sicut Esau, [a] cui illi opponunt λεῖον, siue læuem, qualis erat Iacob. Quo alludentes Cassianus [b] & Ioannes Hierosolymitanus, ca. 37. libri de primorum monachorum institutis, aiunt Eliam describi, *hirsuti, incultique corporis specie*, quod probant etiam Vatablus & Abulēsis, idq; homini feruidi spiritus satis consentaneum est.

[a] Genes. 27.
[b] li. 1. c. 2.

XLVIII. *Qua vestis eius.*

PILOSVM hunc, seu villosum habitum melotem Ioannes ille patriarcha interpretatur. *Melotes quoque*, inquit, [c] *gestasse fundatores primos huius religionis*, Eliam scilicet, & eius discipulos filios prophetarum, Apostolus de eis loquens asseuerat dicens, *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Additque dici melotam, non vt vulgo ouinam pellem, sed *à Melo animali*, inquit, *quod etiam Taxus appellatur, de cuius pilis, vel pelle facta vestis, quæ est valde hispida melota proprie vocatur. Quanquam quælibet vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta, melota vulgariter dicatur. Nam & indumentum de camelorum pilis, vel de pilis caprinis consueuit communiter melota dici.* Sic ipse. *An cilicina.* Probati tamen scriptores eam vocem ouinæ primum pelli, deinde cuiuis pelli tribuunt, sed tamen pelli, non contextis pilis, in panni, vel telæ modum. Huiusmodi tamen vestem cilicinam ab Elia gestatam fuisse censet, probatque Tostatus, [d] ex eo quod sanctus Domini præcursor talem gestarit, vt constat ex Euangelio. Omnem siquidem Eliæ viuendi rationem secutum oportuit, vt Elias à Iudæis putaretur, [e] atque adeo missa legatione rogaretur an esset Elias, & eodem referre possis illud ex Apocal. vbi dicuntur Enoch & Elias prophetaturi diebus 1260. amicti saccis, quo scilicet vestitu vti solebant. Non ergo zona duntaxat, sed persimili etiam veste vtebantur. Melotem quidem Eliæ tribuunt Septuaginta, sed loco pallii, non tunicæ, vt sequenti anno dicetur.

[c] ca. 38.
Hesichius. Eustat. Etymol.
[d] q. 15. in c. 1. 4. Reg.
[e] ca. 11. 3. Matth.

XLIX. *Qua Zona.*

POSTERIOR nota, vel indicium Eliæ fuit zona pellicea, quam aliqui coriaceam vertere maluerunt; vtique non recte. Cum enim Eliam, sicut & postea Ioannem Baptistam, à reliquis hominibus sua zona distingueret, non oportuit eam arte præparatam lana detracta, cum huiusmodi zonæ coriaceæ vulgares sint, nec quidquam insigne habeant. Itaque zonam Ioannis δερματίνην, Hieronymus apud Mathæum, & Marcum pelliceam vertit, quam interpretationem etiam nouatores retinuerunt: retinuit & Cassianus, [f] & Patriarchæ interpres, Eliæ zonam ex Regum quarto referentes. Licet ergo illud Iuuenci poëtæ de Elia vsurpare,

*Texta camelorum fuerant velamina setis*
*Et Zonæ pellis medium cinxere prophetam.*

Geles. Mont. Vatab.
[f] l. 1. c. 2.

Huiusmodi

Huiusmodi autem vestitum, ab vtroque tam veteris quam noui testamenti propheta, non necessitate, sed religionis ac pœnitentia nomine vsurpatum, nemo est qui ambigat; erat enim & carni asper, & ad sui contemptum opportunus. Quanquam eorum postea imitatores huiusmodi vestes in laneas, è rudiore, & natiuo panno confectas commutarunt, vt & labori manuum vacare possent, & elationem ex singulari vestitu vitarent, vt fusius Cassianus, [a] & Patriarcha [b] disseruerunt. *Cur vsurpatus hic vestitus.*

[a] l. 1. ca. 3. [b] ca. 38.

L. *Ochosias eum accersit, & quæ ad finem.*

OCHOSIAS autem non minus tam seuera denunciatione tristis, quam prophetæ reprehensione exacerbatus, & vindictæ appetens, militarem manum ad eum comprehendendum, & ad se adducendum misit, *quinquagenarium principem, & quinquaginta, qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum, sedentique ad verticem montis ait, Homo Dei rex præcepit vt descendas.* Ait Vatablus Eliam in Carmeli verticem regis metu ascendisse, qui etiam cum Procopio, & Serario, aliisque putat per ironiam dici hominem Dei, ab hoc militari duce. Quam expositionem subsecuta pœna non parum probabilem reddit, Deo vindicante iniuriam prophetæ sui, quem hic irridebat, volebatque per vim ad regem, nisi sponte veniret, pertrahere; quem tamen virum sanctum, & innocentem esse non dubitabat. Ille autem etiam cupiebat interficere, aut eum cogere ad exorandum à Deo Regi vitam; Id enim credibile visum fuerit profano regi. Quem nimium eruditum ac modestũ videtur æstimare Tostatus, [c] cum putat ipsum ab Elia scire voluisse, essetne hæc sententia decretoria, an comminatoria, sic vt aliquo modo vitari posset.

[c] q. 19. in c. 1. 4. Reg.

LI. *Quinquagenarium cum suis cælestis ignis absumit.*

ELIAS autem non ex cupiditate vindictæ, aut alia quapiam minus recta intentione, (mala enim fuisset, neque habuisset cooperatorem Deum) sed ex peculiari Dei inspiratione dixit quinquagenario. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.* Formidoloso vtique, planeque horribili spectaculo. Siue enim mentis oculos coniiciamus in flammarum è cœlo deuolantium globos, & vel in singulos irruentium, vel circumuoluentium vniuersos; Siue in miserorum hominum confusam fugam, horrendos clamores, terribilesque cruciatus, hominum foris atque intus ardentium, & mediis in eiulatibus exspirãtium; & hominum quorum totum crimen videbatur impio regi obtemperasse, nihil dici, aut fingi potest potentius ad inferendum terrorem, & illud cum stupore vsurpandum, *tantæne animis cœlestibus ira?* Sed nimirum isti non hanc vnam culpam luebant. Et Dominus voluit hoc quoddam esse quasi præludium deflagrationis illius, quæ olim terribili è cœlo fragore proruens, supremi iudicis postremum aduentum præcurret, & omnia mortalium egregia opera pene momento consumet; moxque æternæ morti addictos, circumplexa, Deum superosq; omnes nequicquam contestantes, in fornaces rapiet sempiternas. Quarum memoriam misericors Dominus surdis, cæcisque mortalibus interdum renouare voluit, huiusmodi visis, quæ luctuosissimas quarumcumque tragœdiarum catastrophas, terroris magnitudine longe vincunt. *Horribile spectaculũ*

LII. *Mittitur secundus eodem euentu.*

HÆC dum in Carmelo fierent, nec superesset nuncius, qui rem gestam regi nunciaret; Rex flagrabat desiderio habendi Eliam in potestate sua, virũ, quem patri suo pridem inimicum ab illo ipso non semel audierat, quem tam multis deorum suorũ prophetis mortem intulisse meminerat, quem vniuersum populũ quadraginta duorum mensium fame afflixisse tenebat, quem sibi & toti regno infestum ac perniciosum putabat, vt qui sibi nunc mortẽ, & paulo ante vniuersæ familiæ interitum denunciasset. Itaq; cum primus quinquagenarius neq; Eliam vinctum ad regem adduceret, neq. nuncium de re tota mitteret, impatiens moræ alterum nuncium, eadem ex superbia, & animi tumore in Camelum misit, qui simul sciret quid socio factum esset, & eadem potestate præditus, eodem cum illo munere, si res ita ferret, fungeretur. Estq; admodũ credibile tam tristem casum in Samaria adhuc ignotum fuisse, & tam regem, quam secundum quinquagenarium latuisse. Ac ne tertium quidem rem gestam, nisi iuxta montem ab accolis aut religiosis, didicisse. Secundus ergo eodem fastu quo prior. *Homo Dei,* inquit, *Hæc dicit rex, festina, descende.* Præcipit vt festinatò veniat, quia iamdudum erat in mora, & expectabatur à rege. Erat enim à Samaria ad Carmelum

satis multum viæ, Adrichomius duorum fere dierum iter interiicit. Sed hic eundem omnino cum priore Quinquagenario legationis suæ sortitus est exitum, similique cum suis incendio deflagrauit.

LIII. *Elias male crudelitatis accusatur.*

QVIDAM, inquit Theodoretus, [a] & post eum Procopius, *Prophetam accusant crudelitatis, quod duos quinquagenarios cum subiectis igni cœlesti tradiderit. At qui Prophetam accusant, aduersus Deum Prophetæ linguam mouent; Ipse enim immisit ignem. Est ergo nimiæ audaciæ diuinæ irasci administrationi. Oportet enim scire æquitatem diuinæ prouidentiæ, & quod iuste punit peccatores, & beneficio afficit suos cultores. Est autem perspicuum eos quinquagenarios, & qui eis parebant conuenisse cum scopo, & instituto eius qui illos misit, vnde etiam à Deo immissa sustinuerint supplicia. Tertius enim quinquagenarius æquitate & fide ornatus, & qui experientia Prophetæ virtutem didicerat, vsus verbis placidis effugit supplicium.* Addit Procopius quosdam existimare istos cum ironia, Eliam hominem Dei appellasse. *Quapropter,* inquit, *pro illo ignis descendens, impios illos absumpsit, in exemplum & doctrinam, ut iustos conuitiis persequamur, néue illudamus eis.* Quin & promptitudo vltionis diuinam habet in lege promissionem. *Et reddens,* inquit Moses, *odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens quod merentur. Et in his,* ait author Mirab. sacræ Script. [b] *Grauioris forsitan ante commissi crimen peccati, sicut & in Oza, & numero populi prædiximus, vltrix flamma nimirum puniuit.*

[a] q. 4. in l. 4. Reg.

[b] li. 2. c. 10.

LIV. *Mittitur tertius quinquagenarius.*

CVM autem ne secundus quidem quinquagenarius desiderium Regis expleret, ipse impatiens moræ, *iterum misit principem quinquagenarium tertium, & 50. qui erant cum eo.* Interea autem fama iterati prodigij, cum multo hominum timore spargebatur, & ad hunc, cuius maxime intererat, quinquagenarium delata, ipsi vt par erat timorem intulit, qui ei abiiciendi sui, & modestæ orationis, & salutis causa fuit. Cum enim venisset, *curuauit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait; Homo Dei noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorum, qui mecum sunt,* & noli earum interitum, quasi res nihili contemnere. Quæ sententia per contrarium habetur in Septuag. *Homo Dei honoretur [illegible] anima mea.* Et Chaldæus, *Propheta Domini pretiosa sit quæso anima mea.* Iuxta illud Dauidis, [c] *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Cuius contrarium est illud. *Humiliata est in puluere anima nostra,* [d] *conglutinatus est in terra venter noster, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Pergit autem Quinquagenarius. *Ecce descendit ignis de cœlo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant, sed nunc obsecro vt miserearis animæ meæ.* Quia in manu tua est & perdere & misereri, experti sunt illi seueritatem, sentiam ego misericordiam.

[c] Psal. 115. 15.

[d] Psal. 43. 25.

LV. *Cum eo abit Elias.*

HÆC ille supplex, sibi suisque orans, non iussionem regis enuncians, quam sciebat satis cognitam prophetæ. Fuisse autem istum quinquagenarium supra memoratum Achabi procuratorem, nomine Abdiam scribit Ioan. Hierosolym. c. 15. quem ex aulico discipulum Eliæ factum fuisse ait, & prophetico spiritu donatum. At Elias intentus erat in Dei intra se loquentis voluntatem, si forte, sicut hactenus, peti à se iuberet eorum interitum: cum affuit ei Angelus Domini, qui eum iussit fidenter ad regem, ac sine timore descendere, nihil ab Ochosia, nihil à Iezabela, nihil à militibus, nihil à pseudoprophetis formidare, quando vnus inermis linguæ suæ gladio, duos armatorum manipulos momento prostrauisset, protecturum se illum ab impio filio, qui hactenus ipsum incolumen ab eius patre perditissimo, & matre sanguinaria præstitisset. Accedebat quod cum huius geminati prodigij fama ad eum perferretur, hominem sibi quoque, ac toti familiæ regiæ, vna cũ palatio ab incendio merito formidare cogebat: & auxiliũ, pacem, ac veniam in mortis vicinitate postulare. *Surrexit igitur, & descẽdit cum eo ad regem,* eique à mortis metu vehementer afflicto, triste illud, ac lugubre carmen iterauit. *Hæc dicit Dominus, Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonẽ. Ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Ita dictum, ita factum. *Mortuus est enim iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, & regnauit Ioram frater eius pro eo.* Et apparet miserũ illum nullo ad pietatem sensu affectũ, in peccatis suis periisse.

*Et regi coram mortẽ denunciat.*

LVI. *Iosephi hac de re narratio.*

PRIVSQVAM vero ad eum conuertamus orationem, libet breuem Iosephi narrationem, super prædicta historia obiter expendere. Minus enim fit nobis

probabilis, cum cladem primi ac secundi quinquagenarij statim ad regem perlatam dicit, Nam timidior vtique fuisset secundus quinquagenarius, & moras cunctando nexuisset, vt tantam à se pestem auerteret. Et cum in excelso monte dux ipse, cum omnibus suis flammis esset absumptus, ne nuncio quidem, vt est in prouerbio, è clade superstite, non erat qui tam cito ad regem peruolaret. [a] *Misit*, inquit, *ad eum attrahendam ordinum ductorem* ( habet enim ταξίαρχον, Scriptura vero πεντηκόνταρχον, *cum quinquaginta militibus. Is repertum in montis vertice descendere iussit, & ad regem venire. In hoc enim se missum, vt ni sponte sua faciat, vi coactum eo pertrahat. Ille præfatus se prodigium editurum, quo verus propheta nosceretur* ( sic Iosephus explicat illud, *Si homo Dei sum* ) *& igne ad suas preces cœlitus misso, ipsum cum militibus vna conflagraturum, malum hoc eis imprecatus est. Moxque candens turbo delatus centurionem, & eius comitatum perdidit.*

a l. 9. ant. c. 1.

LVII. Leuiter notatur.

QVORVM *clade ad regem perlata, iratus alium centurionem cum totidem militibus ad Eliam mittit: qui & ipse cum propheta vim minatus esset, ni volens sequeretur, & hunc ad preces eius ignis absumpsit.* Insanum ergo esse oportuit, si tantam cladem, tamque recentem edoctus, eadem prorsus peccare ausus est, ob quæ prior illo dux cum suis, horribili deflagratione periisset. Pergit, *Quo cognito Rex misit tertium. Is quod esset cordatus, & mansuetis moribus, postquam peruenit ad locum, vbi tum erat Elias, & amice eum salutauit, Non ignoras, inquit, quod vt Regis mandato paream inuitus ad te venio, sicut & illi qui ante me venerunt. Misertus igitur mei, & horum militum volens ac libens descende, nosque ad regem sequere*; suppleuit hanc petitionem Iosephus, non incommodè. *Tum Elias delectatus viri ciuilitate, ac modestis moribus descendit, ac secutus est.* Imo vero diuino Angeli sermone monitus securitatem pollicentis, vt cum Scriptura narrauimus; cuius etiam oratio multis partibus hac Flauiana suauior est, atq; efficacior. Ponimus autem ad finem circiter anni huius peruenisse Ochosiam, vt cum plerisque Chronologis, Iorami fratris eius regnum sequenti anno inchoëmus.

LVIII. Iosaphat regnum suum inuisit.

DVM hæc in regno Israëlitarum geruntur, Iosaphat pacifice Hierosolymis habitabat, vt in 2. Paralip. [b] scriptum est. Cum pia eius animum subiit cogitatio inuisendi regni sui, vt si quid, pro humanarum rerum inconstantia, atque infirmitate deprauatum esset, ac luxatum, corrigeretur. Quod ad hunc vltimum Achabi, siue Ochosiæ annum Torniellus quoque retulit. [c] Idque haud obscure Scriptura docet, quæ narrationi mortis Achabi, & reuersioni Iosaphati in Hierusalem, statim hanc narrationem subiungit. Ad eam porro cogitationem videtur excitatus, beneficio vitati summi vitæ discriminis in bello Syriaco, ne benefactori Deo videretur ingratus. Valuit etiam fortasse nonnulla prophetæ in eius obiurgatione laus, vt edita prius bona opera, non modica accessione cumularentur. Ideoque in hac visitatione circa Dei cultum præsertim incubuit, quod illa verba significant. *Rursumque egressus est ad populum*, qui paulo ante egressus fuerat Hierosolymis ad inuisendum Achabum, nunc rursum ex vrbe regia egressus est ad inuisendum populũ suum, *de Bersabee vsq; ad montem Ephraim.* In tribu enim Ephraim Iudæ reges, & nominatim Asa Iosaphati pater, [d] multas vrbes acquisierãt, easq; cum cæteris de Iuda, & Benjamin inuisebat. *Et reuocauit eos ad Dominũ Deum patrum suorum.* Significat Idololatriam in aliquibus locis, præsertim tribus Ephraim, sibi subiectis, ex vicinitate impiorũ cultorum Baalis, & vitularũ, clam irrepsisse, quã & studiose sustulit; & veri Dei cultũ vbiq; pie ac religiose restituit.

b c. 19. 4.

c 5. ætat. an. 116.

d 2. Paral. 15. & c

Purgat ab impietate.

LIX. Iudices cõstituit, & monet officij sui.

STABILITA religione, etiam populi negotia per idoneos magistratus stabilienda curauit. Itaque subdit. *Constituitque iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis, per singula loca* totius regni sui, neque enim hic Iuda pro sola tribu sumitur; *Et præcipiens iudicibus, videte ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.* Quasi dicat locum Dei ipsius in iudicando tenetis: vnde & ipsius Dei participatis nomen, & iurisdictionem ab eo per me accipitis. Et *quodcunque iudicaueritis in vos redundabit.* Nimirum quales vos exhibueritis in iudicandis populis, talem erga vos experiemini iudicem Deum, seueri seuerum, mitem mites. *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* In Hebræo & Græco habetur, & custodite & facite, id est, perseueret vobiscum timor Domini, & sese operibus ipsis prodat. Et quoniam loco Domini iudicatis, imitamini, *Dominum Deum nostrum, apud quem non est iniquitas, neque acceptio personarum,*

qui in vtroque regno scribebatur, itaque mox subditur mentio libri regum Iuda. Defectu illius libri, scire non possumus quæ fuerint illæ vrbes quas mœnibus cinxit, & in vrbium formam redegit, aut vbi sitæ fuerint: quæ fuerit hæc domus eburnea, quando, vbi, qua forma constructa, quam Iosephum quoque ignorasse, ex eius silentio collegi potest. Satis constat fuisse opus valde preciosum, cum inter magnifica Achabi opera recenseatur. Nec tamen existimandum est eam totam ex ebore constructam, sed solum, vt ait Abulensis, aliquæ fenestræ, vel portæ, aut ad summum operimenta parietum. Idemque de domo cedrina Dauidis, [a] & throno Salomonis eburneo [b] proportione intelligendum est. Et hoc fortasse illud Achabi palatium fuit, quod Benjamin in suo itinerario, adhuc internosci scribit p. 39. Intelligendū quoque pseudoprophetas accepta clade ad mortem quæsitos, præsertim Sedeciam eorum principū latebras studiose captantem, vt Michæas illi prædixerat; ipsum autem Michæam, vt veridicum prophetam, vinculis solutum in gloria fuisse. Vide Tost. [c] qui putat Sedeciam occisum: & reliquos magna ex parte.

XXXIII. *Iosaphat à propheta reprehenditur.* INTEREA reuersus est Iosaphat rex Iuda in domum suam pacifice in Ierusalem; [d] Syris videlicet, contra quos arma sumpserat cum Achabo, nihil ei negotij in via facessentibus. Deo ipsum protegente; sicut paulo ante in acie, in summo rerum discrimine, hostes ab illo auerterat. Nec tamen eius culpam dissimulauit, sed prophetam obiurgatorem misit, Iehu filium Hanani, quem alium esse necesse est ab eo, qui iam à quinquaginta & duobus annis contra impium Baasa prophetauerat, à quo mortem in vaticinij mercedem accepit; [e] etsi nulla est in nominibus filij, aut patris diuersitas. Hic ergo Iehu occurrit Iosaphato, à Deo nuncius, & ait ad eum, *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris*, pœnam scilicet ex iusta ira profectam, *sed bona opera inuenta sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum, vt requireres Dominum Deum patrum tuorum*, quem scilicet impius ille deseruit. Vides hic mercedem bonorum operum etiam in hac vita; quandoquidem ea diuinam vltionem peccatis debitam à Iosaphato auerterūt. Quomodo autem hoc loco [f] dicatur abstulisse lucos de terra Iuda, & cap. sequenti [g] dicatur non abstulisse excelsa, sicut & cap. vltimo tertii regum, [h] dixi anno Iosaphati secundo, num. 3. Dici etiam potest abstulisse excelsa, quæ idolis dicata erant, non ea in quibus colebatur Deus. Etsi enim illa iam pater eius abstulerat initio regni sui, [i] sensim tamen sine sensu, serpebat, & succrescebat id malum: vt nouum subinde agricolam, requireret, qui crebro male pullulantem radicem, crebrius succideret.

*Merces bonorum operum.*

XXXIV. *Ochosiæ regnum, & plaga 4.* MORTVO Achabo Ochosias filius eius solus regnare cœpit, sed per modico tempore, vt propterea sacram Chronologiam nihil augeat, vt supra diximus, duoque eius anni, quos Scriptura memorat, [k] in postremis Achabi annis includantur. Statim autem à patre amisso, in plures alias calamitates incurrit. Nam vt initio quarti Regum traditum est [l] Moabitæ desierunt velle pendere solitum Israëlitis tributum, & præterea ex casu in ægritudinem, & mortem incidit. *Præuaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab; cecidítque Ochosias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit.* Accessit etiam tertia, aut quarta calamitas, classis iactura in mari rubro. Nam in portu Asiongaber confractæ sunt eius naues. Itaque Ochosias eodem anno parentis mortem deplorauit, subditi regis defectionem, iacturam classis suæ, ruinamque mortiferam; id agente Domino, vt vel plagis eruditus resipisceret, vel pœnas paternæ, suæque impietatis luere inciperet. Hæc enim de eius impietate Scriptura subdit. [m] *Et fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in via patris sui, & matris suæ, & in via Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel;* Retinuit videlicet vitulos aureos, eosq; coluit. *Seruiuit quoque Baal & adorauit eum, & irritauit Dominum Deum Israel, iuxta omnia quæ fecerat pater eius.* In secundo etiam Paralip. [n] additur, opera eius fuisse impiissima.

*Et impietas.*

XXXV. *1. Plaga paternæ mortis.* HASCE itaque iam nunc plagas accepit Ochosias à Deo impietatis suæ: de quibus ordine nonnulla dicenda sunt nobis, præter primam, de qua satis iam dictum videtur. Et facile intelligi potest filium, qui præmaturè à patre regio

[a] 2. Reg. 7. 2.
[b] 3. Reg. 10. 18.
[c] 2. Par. 18. q. 40.
[d] 2. Par. 19. 1.
[e] 3. Reg. 16 7. ann. 3086.
[f] 2. Paral. 19 3.
[g] ca 20. 31.
[h] v. 44.
[i] an. Asæ 1. n. 3.
[k] 3. Reg. 22. 52.
[l] 4. Reg 1. 1. & c 3. 4.
[m] 3. Reg. 22. 53.
[n] ca 20. 35.

honore affectus fuerat, eum qui regnum ciuitatibus auxerat, domibus regiis ornauerat, in regni iuribus asserẽdis extinctus fuerat magnificè extulisse. Quod ergo ad Moabitarum defectionem attinet, eam hoc secundo Ochosiæ regni anno contigisse, author est Iosephus initio libri noni antiquitatem; idque necesse est, cum Scriptura testetur eam, *postquam mortuus est Achab*, accidisse: & hoc quoque anno mortuus fuerit Ochosias. Moabitæ igitur, qui ab ipso Dauidis regno Hebræis tributa pensitabant, & subsecuta regni diuisione, regibus Israëlis seruierunt, sicut Idumæi regibus Iuda, audita Syrorum victoria, & Achabi morte, iugum excusserunt, quod cap. 3. libri 4. describitur. *Porro Mesa*, inquit, *rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis. Cumque mortuus fuisset Achab, præuaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Israel.* Verum cum mox Ochosias in lethiferam ægritudinem incidisset, arma in eos mouere non potuit, sed id postmodum à Ioramo ipsius fratre initio regni sui factum est, vt sequenti anno dicetur. — *2 Moabiticæ defectionis.*

SEQVITVR confractio nauium, ea siquidem lapsum Ochosiæ antecessit, proptereáque prius à Scriptura narratur; ratioque postulat vt prius illa negociatio inter vtrumque regem suscepta fuerit, quam grauis hic morbus superueniret, quo durante tantum negotium non susciperetur. Nauium iacturam paucis Scriptura tradidit in fine tertij regum. [a] *Rex vero Iosaphat fecerat classes in mari*, sinu videlicet arabico, *quæ nauigarent in Ophir propter aurum.* Hanc nauigationem, cum regni diuisione, vt videtur, & bellis intestinis regum Iudæ & Israëlis intermissam, restaurare voluit Iosaphat, vir alioqui diues & inclytus, quique non ignorabat quanta facta esset, istiusmodi nauigatione rebus Salomonis accessio. Hanc nauigationem suadẽbat pax, quæ domi primum stabilita, etiam cum Israëlitis, Syris, Idumæis, intercedebat. Quanquam nũc cum Syris videri poterat, postrema in Ramoth expeditione violata. Verum tristem habuit res exitum, imo & principium. Naues enim cursum instituere nequiuerũt, *quia confractæ sunt in Asiongaber*, in ipso videlicet portu, classis, priusquam inde solueret, naufragium fecit. — *XXXVI. 3. Confractionis nauium.* — *a ca. 22. 49. 50.* — *Iosaphati nauigatio cum Ochosia.*

HANC pœnam tulit Iosaphat initæ cum Ochosia societatis. Cum enim paulo ante de amicitia cum Achabo reprehensus fuisset, & auxilio ei præstito, etiam cum eius filio amicitiam coluit, & de auxilio, aut societate negociationis maritimæ cum eo conuenit: nec eum res suas sibi habere iussit, nisi vellet in eadem veri Dei religione conuenire. Hanc autem iacturam fuisse pœnam initæ societatis istius dubitari non potest, cum id clare in Scriptura habeatur, [b] *Post hæc*, inquit, *iniit amicitias*, id est societatem, Hebraicè *iunxit se*, Græcè *communicauit*, iamdudum enim inita erat amicitia, non autem societas, *Iosaphat rex Iuda cum Ochosia rege Israel, cuius opera fuerunt impiissima, & particeps fuit*, idem est verbum Hebraicè & Græcè quod paulo ante, *vt faceret naues, quæ irent in Tharsis. Feceruntque classem in Asiongaber. Prophetauit autem Eliezer* 3 *filius Dodau de Maresa ad Iosaphat, dicens: quia habuisti fœdus cum Ochosia, percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* In libro Regum [c] dicitur non potuisse ire in Ophir. Non quod idem sit locus Tharsis & Ophir; sed quia naues eodem ex portu soluebant, & eundem aliquandiu cursum tenebant, quam longus scilicet est sinus Arabicus: & quia eædem naues modo in Ophir, modo in Tharsis cursum intendebant. Porro quæ essent Ophir & Tharsis supra anno Salomonis quarto satis dictum est. [d] — *XXXVII. Diuinitus punitæ.* — *b 2. Paral. 20. 35.* — *3. οχ.* — *c 3. Reg. 22. 49.* — *d an. m. 3013. n. 41. & 42.*

IOSAPHAT hoc damno affectus, huiusmodi commercij societatem diremit. Nam cum Ochosias classem restaurare vellet, & restaurare nauigationem, diceretque. *Vadant serui mei cum seruis tuis in nauibus*; noluit Iosaphat vt habetur in fine tertii regum. [e] Mansit tamen amicitia eius cum domo Achab, vt qui postea bellum cum Ioramo fratre Ochosiæ, contra Moabitas susceperit. — *XXXVIII. Dirimitur.* — *e ca. 22. 50.*

Meminit nauigationis, aut naufragii potius Iosephus. [f] *Erat autem*, inquit, *Iosaphat amicus etiam Achabi filio, qui tum Israelitis præerat, cum quo inita societate parandarum nauium, quæ nauigarent in pontum, atque emporia Thraciæ, iacturam fecit haud minimam. Nauigia enim absumpta sunt naufragiis, propter nauium magnitudinem. Itaq; deinceps desiit ambitiosius parare naues.* Sic Græcum verti oportuit, licet aliter Gelenius. 4 — *f li 9 c. 1.* — *Quid de hac classe Iosephus.* — *4 τῆς ϖιτῶν ϖλεοῦσῶν.*

XXXIX. *Arguitur.* MIRVM est autem ipsum Iosephum maluisse confuse dicere, paratas naues quæ pontum peterent, quam cum Scriptura, quę in Ophiram nauigarent, quam ipse alibi Sophiram regionem Indiæ, & nunc auream terram nominatam dixisset. [a] Sed illud magis mirum, nisi error amanuensi, aut typographo tribuatur, quod Thraciæ dixerit, pro Tharsis. Sed nec Tharsis pro Cilicia, aut vrbe regionis illius, quam natalibus suis Paulus Apostolus illustrauit, accipienda est: cum portus Asiongaber sit in mari rubro, vt ex Scriptura, [b] & ipso Iosepho [c] constat: Cilicia vero, & Tharsus, sint ad mare mediterraneum, in minore Asia: non ita longe à Tyro, & portu Ioppe. Adeo vt dementissimi consilij sit per infinita marium, terrarumq; spatia, ex intimo sinu Arabico, tota Africa quanta quanta est præternauigata, & ei circumfuso oceano marique mediterraneo, quam longissime patet, in Ciliciam nauigare. Denique naufragii causam maluit in commentitiam, & ambitiosam nauium magnitudinem coniicere, quam Dei vltionem, disertis verbis à Scriptura traditam, [d] sicut eam paulo ante retulimus, [e] agnoscere.

4. & X.

a l. 8. c. 2. post med.

b 3. Reg. 9. 26.

c l. 8. c. 2.

d 2. Paral. 20. fi.

e nu. 37.

f 4. Reg. 1. 2.

XL. *Quomodo ceciderit Ochosias.* QVOD ad Ochosiæ lapsum attinet, dicit Scripturæ [f] eum cecidisse *per cancellos cœnaculi sui*; quod Vatablus explicat decidisse in cœnaculum, cum deambularet in tecto, per fenestram, qua immittebatur lumen in cœnaculum, vel cubiculum regium, quæ fenestra obstructa erat lignis cancellatim, & decussatim intertextis. Iosephus autem sic. *Accidit autem vt Ochosias de solario domus suæ descendens, per gradus delaberetur, morbumque ex hoc casu contraheret.* Sicque cancellos missos fecit, aut mutauit in gradus. Cancellorum nomine, corona, quæ circa solarium poni consueuerat, quam peribolum alibi diximus, intelligi potest. Id enim consentaneum est vulgatæ, & Græcæ editioni Romanæ; eodemq; modo aliqui vertunt textum Hebræum. Sicque non in cœnaculum deciderit, sed in hortum, si quis forte circumfusus fuit, vel in impluuium. Quomodocumque autem contigerit casus, ex ruina conquassato, ac contrucidato corpore ægrotauit Ochosias, adeo vt de recuperanda sanitate dubitaret.

XLI. *Mittit ad Beelzebub, & cur.* MISITQVE nuncios in Accaron ciuitatem Palæstinæ, ad consulendum idolum Beelzebub, an desperata esset eius salus necne. *Vtrum viuere*, inquit, ac reualescere, *queam de infirmitate mea hac.* [g] At quare non consuluit prophetas Baal, aut prophetas lucorum, quorum plena erant omnia? nuperrimè illos, de vita, victoriaque patris sui sciebat vniuersos fuisse mentitos; quorum etiamnum fortasse plerosq; habebat in vinculis. Quare non veridicum Michæam, aut Eliam, aut alium quempiam de prophetis? omnes oderat, quippe sibi, sicut & patri, malorum nuncios, fortassis & quasi architectos. Quare non Ieroboami vitulos, aut Baalem Iezabelis? an obmutuerāt, aut certe incerta, & ambigua respōsa dabant; hic autem muscarum deus certiora fundere oracula ferebatur? Nam Beelzebub, siue Baal zebub, Dominus muscæ vertitur. Deus amoliens lethales & perniciosissimas muscas, quæ incolas agri Accaronitici infestabāt, vt ait Vatablus. Qui addit alios rationem nominis sumere à copia muscarum, quam hostiarum copiosissimus sanguis gignebat. Septuag. Βάαλ μυῖαν, id est muscam Baal, Iosephus θεὸν μυῖαν, deum muscam appellat. Videtúrque, vt notat Serarius, ob impudentiam, & libidinem, quæ in muscis notatur, esse libidinis deus, aut dea quæpiam; præsertim cum Lucianus in encomio muscæ tradat, fuisse olim meretrices, quæ muscæ vocarentur.

g Abul. q. 4. & 5. in 4. Reg. c. 1.

*Quis ille Deus.*

XLII. *Stultitia eius cultorum.* DEFLENDA inquit Theodoretus, [h] *Moabitarum amentia. Non solum enim in deos referebant maxima animalia, sed etiam minima, & vilissima, & odiosa. Quid enim est musca odiosius? Et tamen eius simulacrum deum dixerunt, & Deo, qui vere est Deus relicto, muscæ simulacrum de vita sciscitabantur: & quam vincentem flabellis expellunt, eius figuram deum appellarunt.* Porro, addit Procopius, *ex his quæ Eusebius in principio Euangelicæ præparationis, ex libris Philonis adducit, colligere licet, dæmonem hoc nomine appellatum fuisse*, imo & principem dæmoniorum, vt habemus in Euangelio. *Vel potius aniculam quandam*, inquit, *quam in dearum numerum retulerunt.* Videtur autem Theodoretus alludere ad illud Pausaniæ [i] in Eliacis. *Proditum est*, inquit, *Herculem Alcmenæ filium Ioui porricientem, cum muscas abigere non posset, Abactori muscarum, Ἀπόμυιον Elei appellant, hostiam mactasse; cum perlitatum esset, omnes repente muscas trans Alpheum*

h q. 3. in 4. Reg.

i l. 5. p. 161.

*euolasse. Inde seruatum ab Eleis, vt ad abigendas ex Olympia muscas, idem sacrum vsurparetur.* Sed redeamus in viam cum Ochosiæ nunciis.

ILLI dum profectionem parant, *Angelus Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens, Surge, & ascende in occursum nũciorum regis Samariæ, & dices ad eos. Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?* Hic Angelus videtur ille idem fuisse, qui dormienti sub iunipero apparuit, & pane & aqua refecit: quem possumus custodem eius Angelum suspicari, visibili forma ipsum alloquentem. Vbi tunc esset Elias, Scriptura non tradit, neque Iosephus. Existimat Abulensis eum fuisse in vertice montis Carmeli, sicut & paulo post, cum ad eum duo quinquagenarij missi sunt. Neque obstat quod iubetur ascendere in occursum nunciorum, quia vbi ad radices montis ventum esset, quæ fluctibus maris alluuntur, versus Samariam ascendendum erat. *In hoc monte* ait Adrichomius, [a] *in pede montis orientali, ait author itinerarij Ghistele, spelunca est & fons, vbi habitabant Elias & Elisæus, & filij prophetarum. Postea habitauerunt ibi fratres Carmelitæ, vnde & originem, & nomen habent.* Sic ille. Potuit nihilominus oratorium habuisse in vertice montis, ibique plurimum orando commorari. XLIII. *Iubetur Elias occurrere nunciis.*

a In tribu Issachar n. 19.

IVBETVR ergo Elias accusare Ochosiam, quod neglecto vero Deo, quem honorare debuerat, eum consulendo de rebus suis; & à quo facilius & certius, per prophetas, quorum non pauci erant ad manum, aut per Amariam pontificem, qui cum rationali Hierosolymis, apud amicum regem versabatur, edoceri potuerat, ad alienigenas, auitosque hostes, probrosum idolum consulturos mitteret: cui falsò, ac sacrilegè diuinitatem, & scientiam futurorum tribueret: à quo responsa per impurissima sacrificia, infimásque preces eliceret, quem ne silente quidem Domino, interrogare licuisset. [b] *Quam ob rem hæc dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Et cum his dictis rediit Elias in Carmelum, nuncij autem in Samariam. Neque enim erat cur progrederentur, cum certiores facti essent de dubitatione sua; Cum enim vidissent illum sibi enunciantem quo irent, & qua de causa irent; etiamsi Eliam non nossent, eum tamen Dei prophetam esse, & veritatem enunciare, credere poterant, qui cordium arcana rimaretur, atque vltro patefaceret. [c] Timuerunt etiam fortasse ne sicut Ochosias moriturus erat, quod misisset ad consulendum Accaronitarum Deum; ipsi, qui culpæ eidem, obeunda hac legatione, participabant, etiam pœnæ participes fierent. XLIV. *Et accusare Ochosiam.* *Redeunt nuncij re infecta.*

b 4. Reg. 1. 4.

c Abul. q. 10. in c. 1.

CÆTERVM quod in pœnam consulti dæmonis, aut potius voluntatis eius consulendi, moriturus dicitur Ochosias, & reuera paulo post mortuus est, aperte intelligitur non solum patratum crimen, sed perpetrandi etiam voluntatem in culpa esse, contra quam visum est Iosepho, [d] cum huiusmodi voluntas, quamuis effectu non secuto, etiam in rege, supplicio capitis vindicata sit. Sed illud nihilominus in quæstione esse possit, an reuera propter hanc causam mortuus fuerit, vt videtur clare in sacro textu pronunciatum. Respondendum videtur cum Tostato, [e] Si casus fuit leuis, ita vt naturaliter ex eo rex non esset occubiturus, perspicuum esse mortem in pœnam peccati à Deo inflictam fuisse. Sin autem grauis ac lethalis fuit, mors nihilominus pœna peccati huius esse potuit, excludendo beneficium, quo Deus eum affecisset, à morte ipsum eripiendo; sicut postea Ezechiam, cui Esaias mortem denunciarat. Sic primus parẽs, ex natiua corporis sui constitutione, mortalis erat, qui tamen ex Dei beneficio futurus erat immortalis: sed superueniente peccato, defectus naturalis versus est in pœnam peccati. XLV. *Peccati voluntas morti rea.* *Quomodo mors pœna peccati huius.*

d An. Dauid. 30 n. 90. & seqq.

e q. 11. in c. 1. 4. Reg.

NVNCIOS tam citò reuersos miratus Ochosias, rogat quæ causa reditus foret. Intelligebat enim non expletam ab ipsis demandatam legationem, quod via esset longior Accaronem vsque, quam vt tam breui tempore confici posset. Nimirum eos non longe à Samaria Elias offenderat. *At illi responderunt ei. Vir occurrit nobis, & dixit ad nos, ite & reuertimini ad regem qui misit vos, & dicetis ei. Nunquid, quia non erat Deus in Israel, mittis vt consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcirco de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Animosos esse oportuit hosce viros, qui tam triste nuncium ad mandatum hominis rusticani regi detulerint. Nimirum prophetam eum esse agnouerant, qui cordis arcana ignotis homini- XLVI. *Nunciant regi dicta Eliæ.*

bus patefecisset, & sibi ab eo, nisi paruissent, male fortasse metuebant. Non misit autem ad eum Dominus Eliam ipsum, impij regis, vt apparet, contemptu; nimirum vicissim vlciscebatur cōtemptum sui Dominus, cui male sanus Ochosias, nescio quem muscarum deum prætulisset. Itaque ne tertio quidem magno apparatu euocantem adire permisit, nisi ad eum in faciem libere coram omnibus obiurgandum.

XLVII. *Quem non norant.*

ILLVM, vt ignotum sibi, cum nuncij non nominarent, *Cuius figuræ*, inquit Ochosias, *& habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc?* Prudenter scire cupit quis fuerit author huius nuncij, ne se temere angori dedat, si quis forte Sedecias hæc effutiisset. *At illi dixerunt, vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait, Elias Thesbites est.* Mirum sane videtur Eliā, iam tot annis in regno Israëlitarum, totque prodigiis in omnium oculis perpetratis celebrem, ab his nunciis, ne de nomine quidem, notum fuisse. Erant opinor hi nuncij Accaronitæ, qui casu cum essent in Samaria, quo tempore decidit Ochosias, regiq; deum suum, tanquam egregium diuinatorem commendarent, Accaronem ad eum de casu regis interrogandum missi sunt. Duabus porro notis eum distinguunt.

*Elias pilosus.*

Prior est quod vir pilosus sit, siue vt in Hebræo est, dominus pili, quod nonnulli ad pilos capitis & barbæ referunt, vt Chaldæus, qui præditum capillis vocat: Sā, capillo oblongo & horrido, promissa nimirum cæsarie, barbáque heremitarum in morem vtebatur; alij de villosa veste interpretantur; ne hi nuncij vestimenti notam maxime insignem omisisse videantur, cum rex viri habitum quæsisset, quem zona non satis indicat, minusque quam ipsa vestis notabilis est. Alii ad vtrumque pertinere putant, in quibus Abulensis, & Serarius. Septuaginta, & Iosephus pilos ad totum corpus referre videntur: vocant enim δασὺν, sicut Esau,[a] cui illi opponunt λεῖον, siue læuem, qualis erat Iacob. Quo alludentes Cassianus[b] & Ioannes Hierosolymitanus, ca. 37. libri de primorum monachorum institutis, aiunt Eliam describi, *hirsuti, incultique corporis specie*, quod probant etiam Vatablus & Abulēsis, idq; homini feruidi spiritus satis consentaneum est.

a Genes. 27.
b li 1.c.8.

XLVIII. *Qua vestis eius.*

PILOSVM hunc, seu villosum habitum melotem Ioannes ille patriarcha interpretatur. *Melotes quoque*, inquit,[c] *gestasse fundatores primos huius religionis,* Eliam scilicet, & eius discipulos filios prophetarum, Apostolus de eis loquens asseuerat dicens, *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Additque dici melotam, non vt vulgo ouinam pellem, sed *à Melo animali*, inquit, *quod etiam Taxus appellatur, de cuius pilis, vel pelle facta vestis, quæ est valde hispida melota proprie vocatur. Quanquam qualibet vestis de pilis animalium asperis, aut de pellibus hispidis facta, melota vulgariter dicatur. Nam & indumentum de camelorum pilis, vel de pilis caprinis consuenit communiter melotam dici.* Sic ipse. Probati tamen scriptores eam vocem ouinæ primum pelli, deinde cuiuis pelli tribuunt, sed tamen pelli, non contextis pilis, in panni, vel telæ modum. Huiusmodi tamen vestem cilicinam ab Elia gestatam fuisse censet, probatque Tostatus,[d] ex eo quod sanctus Domini præcursor talem gestarit, vt constat ex Euangelio. Omnem siquidem Eliæ viuendi rationem secutum oportuit, vt Elias à Iudæis putaretur,[e] atque adeo missa legatione rogaretur an esset Elias, & eodem referre possis illud ex Apocal. vbi dicuntur Enoch & Elias prophetaturi diebus 1260. amicti saccis, quo scilicet vestitu vti solebant. Non ergo zona duntaxat, sed persimili etiam veste vtebantur. Melotem quidem Eliæ tribuunt Septuaginta, sed loco pallii, non tunicæ, vt sequenti anno dicetur.

c ca. 58.

*An cilicina.*

Hesichius. Eustat. Etymol.
d q 15. in c. 1. 4. Reg.
e ca 11.3. Matth.

XLIX. *Qua Zona.*

POSTERIOR nota, vel indicium Eliæ fuit zona pellicea, quam aliqui coriaceam vertere maluerunt; vtique non recte. Cum enim Eliam, sicut & postea Ioannem Baptistam, à reliquis hominibus sua zona distingueret, non oportuit eam arte præparatam lana detracta, cum huiusmodi zonæ coriaceæ vulgares sint, nec quidquam insigne habeant. Itaque zonam Ioannis δερματίνην. Hieronymus apud Mathæum, & Marcum pelliceam vertit, quam interpretationem etiam nouatores retinuerunt: retinuit & Cassianus,[f] & Patriarchæ interpres, Eliæ zonam ex Regum quarto referentes. Licet ergo illud Iuuenci poëtæ de Elia vsurpare,

Gelen. Mont. Vatab.
f l.1.c.2.

*Texta camelorum fuerant velamina setis*
*Et Zona pellis medium cinxere prophetam.*

Huiusmodi

Huiusmodi autem vestitum, ab vtroque tam veteris quam noui testamenti propheta, non necessitate, sed religionis ac pœnitentia nomine vsurpatum, nemo est qui ambigat; erat enim & carni asper, & ad sui contemptum opportunus. Quanquam eorum postea imitatores huiusmodi vestes in laneas, è rudiore, & natiuo panno confectas commutarunt, vt & labori manuum vacare possent, & elationem ex singulari vestitu vitarent, vt fusius Cassianus, [a] & Patriarcha [b] disseruerunt.

*Cur vsurpatus hic vestitus.*

a l 1. ca. 3. b ca. 38.

L. OCHOSIAS autem non minus tam seuera denunciatione tristis, quam prophetæ reprehensione exacerbatus, & vindictæ appetens, militarem manum ad eum comprehendendum, & ad se adducendum misit, *quinquagenarium principem, & quinquaginta, qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum, sedentique ad verticem montis ait, Homo Dei rex præcepit vt descendas.* Ait Vatablus Eliam in Carmeli verticem regis metu ascendisse, qui etiam cum Procopio, & Serario, aliisque putat per ironiam dici hominem Dei, ab hoc militari duce. Quam expositionem subsecuta pœna non parum probabilem reddit, Deo vindicante iniuriam prophetæ sui, quem hic irridebat, volebatque per vim ad regem, nisi sponte veniret, pertrahere; quem tamen virum sanctum, & innocentem esse non dubitabat. Ille autem etiam cupiebat interficere, aut eum cogere ad exorandum à Deo Regi vitam; Id enim credibile visum fuerit profano regi. Quem nimium eruditum ac modestũ videtur æstimare Tostatus, [c] cum putat ipsum ab Elia scire voluisse, essetne hæc sententia decretoria, an comminatoria, sic vt aliquo modo vitari posset.

*Ochosias eum accersit, & quæ ad finem.*

c q. 19. in c. 1. 4. Reg.

LI. ELIAS autem non ex cupiditate vindictæ, aut alia quapiam minus recta intentione, (mala enim fuisset, neque habuisset cooperatorem Deum) sed ex peculiari Dei inspiratione dixit quinquagenario. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.* Formidoloso vtique, planeque horribili spectaculo. Siue enim mentis oculos coniiciamus in flammarum è cœlo deuolantium globos, & vel in singulos irruentium, vel circumuoluentium vniuersos; Siue in miserorum hominum confusam fugam, horrendos clamores, terribilesque cruciatus, hominum foris atque intus ardentium, & mediis in eiulatibus exspirãtium; & hominum quorum totum crimen videbatur impio regi obtemperasse, nihil dici, aut fingi potest potentius ad inferendum terrorem, & illud cum stupore vsurpandum, *tantæne animis cœlestibus ira?* Sed nimirum isti non hanc vnam culpam luebant. Et Dominus voluit hoc quoddam esse quasi præludium deflagrationis illius, quæ olim terribili è cœlo fragore proruens, supremi iudicis postremum aduentum præcurret, & omnia mortalium egregia opera pene momento consumet; moxque æternæ morti addictos circumplexa, Deum superosq; omnes nequicquam contestantes, in fornaces rapiet sempiternas. Quarum memoriam misericors Dominus surdis, cæcisque mortalibus interdum renouare voluit, huiusmodi visis, quæ luctuosissimas quarumcumque tragœdiarum catastrophas, terroris magnitudine longe vincunt.

*Quinquagenarium cum suis cælestis ignis absumit.*

*Horribile spectaculũ*

LII. HÆC dum in Carmelo fierent, nec superesset nuncius, qui rem gestam regi nunciaret; Rex flagrabat desiderio habendi Eliam in potestate sua, virũ, quem patri suo pridem inimicum ab illo ipso non semel audierat, quem tam multis deorum suorũ prophetis mortem intulisse meminerat, quem vniuersum populũ quadraginta duorum mensium fame afflixisse tenebat, quem sibi & toti regno infestum ac perniciosum putabat, vt qui sibi nunc mortẽ, & paulo ante vniuersæ familiæ interitum denunciasset. Itaq; cum primus quinquagenarius neq; Eliam vinctum ad regem adduceret, neq. nuncium de re tota mitteret, impatiens moræ alterum nuncium, eadem ex superbia, & animi tumore in Camelum misit, qui simul sciret quid socio factum esset, & eadem potestate præditus, eodem cum illo munere, si res ita ferret, fungeretur. Estq; admodũ credibile tam tristem casum in Samaria adhuc ignotum fuisse, & tam regem, quam secundum quinquagenarium latuisse. Ac ne tertium quidem rem gestam, nisi iuxta montem ab accolis aũt religiosis, didicisse. Secundus ergo eodem fastu quo prior. *Homo Dei,* inquit, *Hæc dicit rex, festina, descende.* Præcipit vt festinatò veniat, quia iamdudum erat in mora, & expectabatur à rege. Erat enim à Samaria ad Carmelum

*Mittitur secundus eodem euentu.*

satis multum viæ, Adrichomius duorum fere dierum iter interiicit. Sed hic eundem omnino cum priore Quinquagenario legationis suæ sortitus est exitum, similique cum suis incendio deflagrauit.

LIII. *Elias male crudelitatis accusatur.*

QVIDAM, inquit Theodoretus, [a] & post eum Procopius, *Prophetam accusant crudelitatis, quod duos quinquagenarios cum subiectis igni cœlesti tradiderit. At qui Prophetam accusant, aduersus Deum Prophetæ linguam mouent; Ipse enim immisit ignem. Est ergo nimiæ audaciæ diuinæ irasci administrationi. Oportet enim scire, æquitatem diuinæ prouidentiæ, & quod iuste punit peccatores, & beneficio afficit suos cultores. Est autem perspicuum eos quinquagenarios, & qui eis parebant conuenisse cum scopo, & instituto eius qui illos misit, vnde etiam à Deo immissa sustinuerint supplicia. Tertius enim quinquagenarius æquitate & fide ornatus, & qui experientia Prophetæ virtutem didicerat, vsus verbis placidis effugit supplicium.* Addit Procopius quosdam existimare istos cum ironia, Eliam hominem Dei appellasse. *Quapropter*, inquit, *pro illo ignis descendens, impios illos absumpsit, in exemplum & doctrinam, ne iustos conuitiis persequamur, neue illudamus eis.* Quin & promptitudo vltionis diuinam habet in lege promissionem. *Et reddens*, inquit Moses, *odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens quod merentur. Et in his*, ait author Mirab. sacræ Script. [b] *Grauioris forsitan ante commissi crimen peccati, sicut & in Oza, & numero populi prædiximus, vltrix flamma nimirum puniuit.*

[a] q. 4. in l. 4. Reg.

[b] li. 2. c. 10.

LIV. *Mittitur tertius quinquagenarius.*

CVM autem ne secundus quidem quinquagenarius desiderium Regis expleret, ipse impatiens moræ, *iterum misit principem quinquagenarium tertium, & 50. qui erant cum eo.* Interea autem fama iterati prodigij, cum multo hominum timore spargebatur, & ad hunc, cuius maxime intererat, quinquagenarium delata, ipsi vt par erat timorem intulit, qui ei abiiciendi sui, & modestæ orationis, & salutis causa fuit. Cum enim venisset, *curuauit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait; Homo Dei noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorum, qui mecum sunt,* & noli earum interitum, quasi res nihili contemnere. Quæ sententia per contrarium habetur in Septuag. *Homo Dei honoretur tam anima mea.* Et Chaldæus, *Propheta Domini pretiosa sit quæso anima mea.* Iuxta illud Dauidis, [c] *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Cuius contrarium est illud. *Humiliata est in puluere anima nostra,* [d] *conglutinatus est in terra venter noster, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Pergit autem Quinquagenarius. *Ecce descendit ignis de cœlo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant, sed nunc obsecro vt miserearis animæ meæ.* Quia in manu tua est & perdere & misereri, experti sunt illi seueritatem, sentiam ego misericordiam.

[c] Psal. 115. 15.

[d] Psal. 43. 25.

LV. *Cum eo abit Elias.*

HÆC ille supplex, sibi suisque orans, non iussionem regis enuncians, quam sciebat satis cognitam prophetæ. Fuisse autem istum quinquagenarium supra memoratum Achabi procuratorem, nomine Abdiam scribit Ioan. Hierosolym. c. 15. quem ex aulico discipulum Eliæ factum fuisse ait, & prophetico spiritu donatum. At Elias intentus erat in Dei intra se loquentis voluntatem, si forte, sicut hactenus, peti à se iuberet eorum interitum: cum affuit ei Angelus Domini, qui eum iussit fidenter ad regem, ac sine timore descendere, nihil ab Ochosia, nihil à Iezabela, nihil à militibus, nihil à pseudoprophetis formidare, quando vnus inermis linguæ suæ gladio, duos armatorum manipulos momento prostrauisset, protecturum se illum ab impio filio, qui hactenus ipsum incolumen ab eius patre perditissimo, & matre sanguinaria præstitisset. Accedebat quod cum huius geminati prodigij fama ad eum perferretur, hominem sibi quoque, ac toti familiæ regiæ, vna cũ palatio ab incendio merito formidare cogebat: & auxiliũ, pacem, ac veniam in mortis vicinitate postulare. *Surrexit igitur, & descẽdit cum eo ad regem,* eique à mortis metu vehementer afflicto, triste illud, ac lugubre carmen iterauit. *Hæc dicit Dominus, Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonẽ. Ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Ita dictum, ita factum. *Mortuus est* enim *iuxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, & regnauit Ioram frater eius pro eo.* Et apparet miserũ illum nullo ad pietatem sensu affectũ, in peccatis suis periisse.

*Et regi coram mortẽ denunciat.*

LVI. *Iosephi hac de re narratio.*

PRIVSQVAM vero ad eum conuertamus orationem, libet breuem Iosephi narrationem, super prædicta historia obiter expendere. Minus enim fit nobis

probabilis, cum cladem primi ac secundi quinquagenarij statim ad regem perlatam dicit, Nam timidior vtique fuisset secundus quinquagenarius, & moras cunctando nexuisset, vt tantam à se pestem auerteret. Et cum in excelso monte dux ipse, cum omnibus suis flammis esset absumptus, ne nuncio quidem, vt est in prouerbio, è clade superstite, non erat qui tam cito ad regem peruolaret. [a] *Misit*, inquit, *ad eum attrahendam ordinum ductorem* (habet enim ταξίαρχον, Scriptura vero πεντηκόνταρχον, *cum quinquaginta militibus. Is repertum in montis vertice descendere iussit, & ad regem venire. In hoc enim se missum, vt ni sponte sua faciat, vi coactum eo pertrahat. Ille præfatus se prodigium editurum, quo verus propheta nosceretur* (sic Iosephus explicat illud, *Si homo Dei sum*) *& igne ad suas preces cœlitus misso, ipsum cum militibus vna conflagraturum, malum hoc ei imprecatus est. Moxque candens turbo delatus centurionem, & eius comitatum perdidit.*

a l. 9. ant. c. 1.

LVII. *Leuiter notatur.*

QVORVM *clade ad regem perlata, iratus alium centurionem cum totidem militibus ad Eliam mittit: qui & ipse cum propheta vim minatus esset, ni volens sequeretur, & hunc ad preces eius ignis absumpsit.* Insanum ergo esse oportuit, si tantam cladem, tamque recentem edoctus, eadem prorsus peccare ausus est, ob quæ prior ille dux cum suis, horribili deflagratione periisset. Pergit, *Quo cognito Rex misit tertium. Is quod esset cordatus, & mansuetis moribus, postquam peruenit ad locum, vbi tum erat Elias, & amice cum salutauit, Non ignoras, inquit, quod vt Regis mandato paream inuitus ad te venio, sicut & illi qui ante me venerunt. Misertus igitur mei, & horum militum volens ac libens descende, nosque ad regem sequere*; suppleuit hanc petitionem Iosephus, non incommodè. *Tum Elias delectatus viri ciuilitate, ac modestis moribus descendit, ac secutus est.* Imo vero diuino Angeli sermone monitus securitatem pollicentis, vt cum Scriptura narrauimus; cuius etiam oratio multis partibus hac Flauiana suauior est, atq; efficacior. Ponimus autem ad finem circiter anni huius peruenisse Ochosiam, vt cum plerisque Chronologis, Iorami fratris eius regnum sequenti anno inchoëmus.

LVIII. *Iosaphat regnum suum inuisit.*

DVM hæc in regno Israëlitarum geruntur, Iosaphat pacifice Hierosolymis habitabat, vt in 2. Paralip. [b] scriptum est. Cum pia eius animum subiit cogitatio inuisendi regni sui, vt si quid, pro humanarum rerum inconstantia, atque infirmitate deprauatum esset, ac luxatum, corrigeretur. Quod ad hunc vltimum Achabi, siue Ochosiæ annum Torniellus quoque retulit. [c] Idque haud obscure Scriptura docet, quæ narrationi mortis Achabi, & reuersioni Iosaphati in Hierusalem, statim hanc narrationem subiungit. Ad eam porro cogitationem videtur excitatus, beneficio vitati summi vitæ discriminis in bello Syriaco, ne benefactori Deo videretur ingratus. Valuit etiam fortasse nonnulla prophetæ in eius obiurgatione laus, vt edita prius bona opera, non modica accessione cumularentur. Ideoque in hac visitatione circa Dei cultum præsertim incubuit, quod illa verba significant. *Rursumque egressus est ad populum*, qui paulo ante egressus fuerat Hierosolymis ad inuisendum Achabum, nunc rursum ex vrbe regia egressus est ad inuisendum populũ suum, *de Bersabee vsq; ad montem Ephraim.* In tribu enim Ephraim Iudæ reges, & nominatim Asa Iosaphati pater, [d] multas vrbes acquisierãt, easq; cum cæteris de Iuda, & Benjamin inuisebat. *Et reuocauit eos ad Dominũ Deum patrum suorum.* Significat Idololatriam in aliquibus locis, præsertim tribus Ephraim, sibi subiectis, ex vicinitate impiorũ cultorum Baalis, & vitularũ, clam irrepsisse, quã & studiose sustulit; & veri Dei cultũ vbiq; pie ac religiose restituit.

b c. 19. 4.

c 5. ætat. an. 116.

d 2. Paral. 15. &c

*Purgat ab impietate.*

LIX. *Iudices cõstituit, & monet officij sui.*

STABILITA religione, etiam populi negotia per idoneos magistratus stabilienda curauit. Itaque subdit. *Constituitque iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis*, per singula loca totius regni sui, neque enim hic Iuda pro sola tribu sumitur; *Et præcipiens iudicibus, videte ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.* Quasi dicat locum Dei ipsius in iudicando tenetis: vnde & ipsius Dei participatis nomen, & iurisdictionem ab eo per me accipitis. *Et quodcunque iudicaueritis in vos redundabit.* Nimirum quales vos exhibueritis in iudicandis populis, talem erga vos experiemini iudicem Deum, seueri seuerum, mitem mites. *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* In Hebræo & Græco habetur, & custodite & facite, id est, perseueret vobiscum timor Domini, & sese operibus ipsis prodat. Et quoniam loco Domini iudicatis, imitamini, *Dominum Deum nostrum, apud quem non est iniquitas, neque acceptio personarum,*

*nec cupido munerum.* Quibus videlicet iustitia & iudicium maxime violantur.

LX. *Ac timoris Domini.* OPTAT pius rex timorem Domini occupare corda iudicum, ne timor iniustus subintrare, ac prævalere possit. Nam personarum acceptio ex timore illegitimo proficiscitur. Ideoque dicebat Sapiens, [a] *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Idem timor cupiditatis ardori frigidam superfundet, ne iustitiam muneribus peruerti sinat, & auro criminibus impunitatem acquiri. Vnde Salomon, [b] *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.* Nec impune, *Conturbat* enim *domum suam qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera viuet.* Cum autem Rex cæterarum ciuitatum curam gessisset, minime regiam ciuitatem negligendam putauit, [c] Nam *in Ierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius.* Alij ex Hebræo legunt, ad iudicium Domini, & ad litem, vt tam rerum sacrarum, quam ciuilium causæ comprehendantur, quæ Hierosolymis, tanquam in suprema curia, decidebantur.

a Eccli 7.6.

b Prouerb. 17.23.

c 2. Paral. 19.8.

LXI. *Concilium Hierosolymitanum, & causa appellationis.* PRÆCEPITQVE *eis dicens, sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto;* omni fictione oris à corde dissentientis seclusa. *Omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis inter cognationem & cognationem, vbicunque quæstio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros. Sic ergo agentes non peccabitis.* Clarum est hæc ad Hierosolymitanum concilium pertinere, sicut superiora ad minorum ciuitatum iudicia, in quibus ad portas vrbium diiudicabatur lites. Quorum sententiis cum ab alterutra parte non acquiesceretur, prouocatio dabatur ad Hierosolymitanum concilium, vt perspicue à Domino in lege definitum fuerat; [d] eoque aperte hoc loco Iosaphatus alludit. Vtrobique enim causæ dubiæ in minoribus vrbibus agitatæ, ad electum à Deo locum, is fuit sine vlla dubitatione Ierusalem, dicuntur transferendæ. Et sicut in lege mentio fit sententiæ summi Sacerdotis, tanquam in huiusmodi seniorum concilio præsidentis, ita & hoc loco, vnde sequitur.

d Deut. 17. 8.9.

LXII. *Amarias Pontifex in eo præest.* AMARIAS *autem sacerdos & pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit. Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Iuda,* princeps videlicet in tribu regia, *super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent,* regium agens procuratorem in politicis negotiis. *Habetisque magistros Leuitas coram vobis.* Septuaginta habent, ἐν οἱ χαρματεῖς, ἐν οἱ λευῖται. At editio Latina Hebrææ plane consentit. Itaque vt notauit Carolus Sigonius, l. 6. de Repub. [e] Hebræorum, hoc concilium, vt ex his apparet, iniuere Rex cum principibus populi, ac Septuaginta Senioribus, Pontifex cum principibus sacerdotum, & scribis, id est legis doctoribus. Principes populi vocat duodecim principes tribuum qui Regi assidebant; Seniores vero ipsos Septuaginta populi senatores. Principes autem sacerdotum qui vicenis quaternis sacerdotum classibus, seu vicibus, singuli singulis præerant. Scribas vero ipsos legis doctores: quos omnes conuenisse in iudicio contra Dominum ex Euangelica liquet historia. Sed de his satis. Pluribus enim hæc anno Mosis octogesimo primo [f] disputata sunt à nobis. De Elia vero, quem aliqui hoc anno raptum volunt, commodius, & certiore Chronologia dicemus anno sequenti.

e cap. 7.

f num. 733. ad 744.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3138. IOSAPHATI 18.

1. N.xxx. CVm scriptura dicat dixisse regem Israel ad Iosaphat, 3. Reg. 22. 30. *sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis.* Et 2. Paral. 18. 29. *Dixit rex Israel ad Iosaphat, Mutabo habitum, & sic ad pugnam vadam; tu autem induere vestibus tuis,* & ita vtrobique textus Hebræus, & paraphrastes: maluit Iosephus dubiam sequi sententiam Septuag. interpretum, qui in aliquibus codicibus habent *vestibus tuis,* in aliis *vestibus meis,* verior autem merito putatur, quæ cum Hebræo, Latinoque textu, & Chaldæa paraphrasi congruit. In eo vero sequitur iudicium suum, quod regem Iuda in primo congressu constituit ante aciẽ. Non est is opinor in exercitu regum locus: quod per præconem nunciatam ait Achabi mortem; cum clarum sit illa verba, *Mortuus est autem rex, & perlatus est in Samariam* &c. sacr;

esse Scriptoris, non præconis. Quod illũ militem, qui Achabũ casu interfecit, & ex Adadi famulis esse, & Amanum vocari diuinauit.

2. N. xxxi. Non bene vertit Gelenius hunc locum. In Græco legitur lib. 8. extremo. αἱ δὲ ἑταιριζόμεναι, ἐν τῇ κρήνῃ τὸ λοιπὸν λουόμεναι τούτῳ διετέλεσαν, *eo sanguine meretrices deinceps in eo fonte abluebantur*, quod Iosephus ex Septuag. mutuatus est. Vulgata vero habet, & habenas lauerunt. Alij vocem Hebræam zona זנה vertunt arma, alij zonas, alij etiam meretrices, lotrices, cauponas, quod hæ fere male vulgo audiant; a radice zana זנה quod est fornicari.

3. Num. xxxvii. Mirum est prophetam hunc Eliezer, Sedeciæ ab Eusebio in Chronico aggregari, tanquam pseudoprophetam, idque tam in textu Græco, quam Latino. Nec alius memoratur Eliezer hoc tempore in sacris literis, itaque eum Scaliger non iniuria suspectum habuit. Fuit autem Maresa, vnde is oriundus fuit, vrbs in tribu Iuda, quam exstruxit, vel restaurauit Roboam, 2. Par. 11. 8. Iuxta quam Asa vicit Zaram Æthiopem cum innumeris copiis 2. Paral. 14. 10.

4. Num. xxxviii. Ita legitur in Græco textu. Ἦν δὲ φίλος καὶ τῷ Ἀχάβου παιδὶ, βασιλεύοντι τῶν Ἰσραηλιτῶν, πρὸς ὃν κοινωσάμενος ἐπὶ κατασκευῇ νεῶν, αἵ εἴς τε Πόντον πλεύσειν, καὶ τὰ ἐπὶ Θρᾴκης ἐμπόρια, διήμαρτε τοῦ κτήματος. ὑπὸ γὰρ μεγέθους ἀπώλετο τὰ σκάφη. καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἔτι περὶ ναῦς ἐφιλοτιμεῖτο. *Erat autem amicus Achabi filio.* (Ochosiæ) *regnanti apud Israelitas, cum quo inita societate parandarum nauium, in pontum, & ad Thracia emporia nauigantium, iacturam fecit: naues quippe propter magnitudinem periere. Ideoque desiit deinceps ambitiosius naues parare.* Vides non caussam pro causa. Neq; enim classem perditam Scriptura tribuit magnitudini nauium ambitiosius paratarum, sed irreligiosæ, atque illegitimæ, cum viro impio, etiam in rebus alioqui non malis, & indifferentibus, communicationi. Quod merito Christianis exẽplo esse debet. *Quæcunque enim scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.* Vt ait Apostolus. Rom. 15. 4.

## ANNVS MVNDI 3139. DILVVII 1483. QVINTÆ ÆTATIS 200. FVNDATI TEMPLI 117. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 19. ET IORAMI FILII EIVS 3. IORAMI REGIS ISRAELITARVM 1. AMARIÆ PONTIF. 2. ELISÆI 1. TROIÆ EXCISÆ 268. OPHRATANIS 16. IMPERII ASSYRIORVM 1208.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 914.

MEMORABILIS est his annus clarissimi prophetæ Eliæ raptu, & ei supparis Elisæi vaticiniorum ac prodigiorum initiis; alteroque anno seculari ætatis regum Hebræorum, quam ab ineunte Samuelis magistratu exorsi sumus. Habet & principium regni Iorami filij Achabi, fratris Ochosiæ, & vtriusque intra paucos menses extincti, successoris. Cum enim liberis careret Ochosias, ad maximum natu fratrem imperium decem tribuum deuolutum est. Et hoc erat iam signum deficientis, & ad interitum vergentis domus Achabi, cum primogenitus eius sine liberis interiret. *Lex enim exigit*, ait Theodoretus,[a] *filios regum regno succedere; iis autem deficientibus, fratrem natu maximum, vel quam maxime idoneum ad hoc munus.* Itaque duo iam Iorami regnabant apud Hebræos, alter in Iuda cum patre, alter in Israële loco fratris. Nec est quod te moueat, erudite lector, quod huius Iorami primus annus in hoc nostro indice concurrat cum decimo nono Iosaphati, & tertio filij eius, cum Scriptura[b] ei coaptet Iosaphati decimum octauum, & Iorami filii eius secundum. Id enim de exeunte iam, aut absoluto accipiendum esse reliqua Chronologia sacra postulat, vt primus Iorami annus totus pene cum decimonono Iosaphati, & tertio filii eius decurrat. 1 Ad quem etiam celebris eorum contra Moabitas expeditio pertinet, vt suo loco dicemus. Confirmatur etiam ratio temporis, ex eo quod cap. vltimo l. 3. dictum est, Ochosiam regnare cœpisse anno 17. Iosaphati, & regnasse biennio super Israël, ergo decimus nonus ad eius successorem pertinet.

INITIVM autem ab Elia capiendum videtur, cuius translatio eam expeditionem antecessit. Idque ex eo probat Abulensis,[c] & ab eo cæteri, quod cum in illa eadem expeditione Iosaphat aliquem prophetam Domini requireret, dictum est ei adesse Elisæum, *qui fundebat aquam super manus Eliæ.* Desierat ergo fundere, diceret alioqui, fundit aquam; desierat inquam, non repudiato aduersus tantum virum famulatu; aut ab eo reiectus, quo cum intima, vsque ad trans-

I. *Res huius anni, & ratio temporis.*

II. *Tempus translati Eliæ.*

[a] q. 5. in 4. Reg. ἐπιτηδειότατοι.

[b] 4. Reg. 1. 17. & c. 3. 1.

1. ex.

[c] q. 1. in c. 2. 4. Reg. Tom. &c.

lationem, perseuerauit amicitia, vt constat ex tota translationis historia; sed quia ille iam ab hominum consuetudine fuerat abductus, nec vltra apparebat in terris. Accedit quod Elisæus spiritu prophetico, saltem manifesto, non ante donatus fuit, quam illum à recedente Elia petiit, & impetrauit, quem tamen nunc obtinebat, eodemque vtebatur. Et conueniebat Elisæum in præsentia Eliæ prophetico spiritu non florere, quoniam vnctus fuerat in prophetam, vt Eliæ succederet, non vt simul cum eo, prophetæ munere publice fungeretur. Accedit & series narrationis Scripturæ, quæ post narratam mortem Ochosiæ, inductúmque successorem eius Ioramum, suggerit Eliæ migrationem. Nihil autem causæ est, cur hoc loco mutatum narrandi ordinem à Scriptura opinemur, qui Iosepho quoque probatus est; [a] placuit Abulensi, [b] Torniello, [c] Serario, & aliis, vt sectarios missos faciam.

a l. 9. c. 1.
b q. 1. in c. 3.
c ann 117. 4 Æt.

III. *Sententia Hebræorũ.* HEBRÆI minime absunt ab hac Chronologia, [d] licet secundum Ochosiæ annum memorent. Id enim de absoluto accipiendum esse, & consequenter primo Iorami incunte, ex eo demonstratur, quod illo extincto, Elias multa loca cum Elisæo perambulat, discipulosque suos inuisit, ac postremum salutat. Operæpretiũ est illos audire Hebræos Genebrardi ore loquentes. *Ochosias*, inquiunt, *filius Achab biennium functus est Israelis principatu. Anno ipsius secundo reconditus est Elias, neque comparebit donec veniat Christus; tunc enim apparebit, & recondetur secundo, donec prodeat Gog, & Magog. Nunc interim singularum ætatum res, & acta conscribit*; ne scilicet languido torpescat otio. Voluerunt hi Chronologi honorare ministerium suum: reliqua cum Euangelio belle consentiunt. Nam & in Christi Domini trãsfiguratione visus est, & rursum tempore Antichristi, qui nomine Gog, & Magog intelligitur, cum Enoch se in hominum conspectum, & aciem dabit contra Antichristum. Nec aliter Genebrardus[e] sentit de tempore raptus huius, licet dicat translatum in cœlum, ante decimum octauum regni Iosaphat. Respexit nimirum ad illud quarti Regum, vbi Ioram dicitur regnasse in Samaria anno decimo octauo Iosaphati. Rectius dixisset, & clarius post decimũ octauum; ipso scilicet decimo nono, quo, Achabo iã & Ochosia mortuis, Iorã regnare cœpit.

d Seder Olam c. 17. Caluis. Capel. Codom. Funct.

*Genebrardi,*

e In Chro. in annis Iosaphati.

IV. *Ioannis Hierosol.* ABEST aliquanto amplius à vera temporis ratione Ioannes Hierosolymitanus, [f] si abest à numero mendum, cum ait Eliam, à tempore quo venit è monte Horeb, sedecim annis incoluisse Carmelum. Cum enim reditus ille in Iosaphati septimum annum cadat, [g] oportet vltimum Eliæ annum esse duodecimum, aut summùm decimum tertium Carmelitanæ commorationis. Longius abest Eusebius in Chronico, & qui eum secuti sunt, dum Eliæ raptum in vtriusque Iorami annum sextum refert, qui est apud eundem Ophratanis vigesimus septimus, idque in Græco pariter Chronico habetur, quasi eodem vterque Ioramus anno regnare cœperit. Quod mirum est à Scaligero aut non animaduersum, aut non notatum. Et apparet existimasse Eusebium literas, quæ allatæ memorantur ad Ioramum filium Iosaphat, [h] ab Elia propheta, ante eius migrationem missas, delatasque. At Chronicum Hebræorum [i] missas de cœlo ait, cum iam à septem annis Elias absconditus disparuisset. Quin etiam satis ex vigesimo primo 2. Par. intelligitur mortuo iam Iosaphato, & occisis à Ioramo fratribus, huiusmodi epistolam ad Ioramum allatam, de qua suo loco plura dicenda erunt. Verum Eusebij Chronologia circa reges Hebræorum, multis modis vitiosa reperitur, nec scripturæ consentanea. Seuerus Sulpitius sine dubio in Eliæ translatione deceptus quoque est, dum ait regnante Ochosia filio Iorami, nepote Iosaphati, Eliam translatum referri: cum hic Ochosias non nisi post duodecim annos regnarit. Ochosiam Iudæum pro Israëlita sumpserit.

f cap. 19. & 20.
g Vide an. Iosaph. 7. qui est Eliæ 5.
Biblian.

*Eusebij,*

h 2. Paral. 21. 12.
i ca. 17.

*Sulpitij.*

V. *Raptus Eliæ sine morte &c.* RATIO temporis satis videtur explicata. De reipsa non multa dicenda sunt nobis. Cum enim Eliæ & Enochi eadem omnino causa sit, quæ de Henocho in primo tomo diximus, [k] Eliæ quoque accommodanda sunt, præter pauca, quæ sunt Enochi propria. Ibi ergo reperies probatum ex Scriptura, plurimisq; patribus, Eliam non esse mortuum, quibus libet hoc loco Iosephum addere, [l] *Eo tempore*, siue, vt vertit Gelenius, *Regnante Ioramo, Elias inter homines apparere desiit, neq; in hodiernum vsq; diem mortalium quisquã scire potuit, quisnam fuerit eius exitus.* Et mox, *de Elia & Enoch, qui fuit ante vniuersale diluuium, in sacris libris legimus quidem exemptos esse à*

k an. m. 987. n. 1. & seq.
l l. 9. ant. c. 1.

*consuetudine mortalium, mortuos tamen esse nemini vnquam cognitum fuit.* Credo, neq; id mirũ; quomodo enim cognosci possint mortui, qui adhuc sunt in viuis? Adde & Hebræorũ paulo ante relatam chronologiam [a], & Ioannem Hierosolymitanũ [b]. *Remanente*, inquit, *Elisao in terra, Elias receptus in curru equorum igneorum, ascendit per turbinem ignis in cœlum, scilicet in Paradisum voluptatis, qui in longo spatio, & terra tractu, à nostra terra habitabili secretus, adeo est editus, vt per eum vsque ad cœlum attingat. In quo loco vna cum Enoch, qui longe ante illuc præcesserat Eliam, commoratur. Viuet autem ipse Elias in magna quiete carnis & spiritus, vsque ad tempus Antichristi.* Hæc ibi. Verum de loco paradisi, consule quæ die mundi tertio diximus [c].

a n.3.
b lib. cit. c.23.
c nu. 26. & 33.
d nu. 4. & seqq.

VI. *Et quem in locum.*

De loco autem Eliæ disputatum reperies à nobis, anno mundi 987. [d] Declaratumque plurimorum patrum sententia, rem certo definiri non posse, licet nonnulli diserte paradisum, vnde expulsi sunt primi parentes, eis attribuant: quod ex codicibus sacris conuinci non potest, cui sententiæ subscribit Serarius noster hoc loco. Cum enim statuisset hanc quæstionem ad fidem non spectare, quod S. quoque Augustino visum est, postremo addit vel incertum esse locum, vel in superiore mundo esse. *Longe aliter*, ait S. Augustinus [e], *se habent quæstiones illæ, in quibus salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiua suspenditur, aut aliter quam est, humana, & infirma suspicione conijcitur.* Et in earum quæstionum numero ponit, vbi sit nunc Elias, vel Enoch. Explicatæ sunt ibidem diuersæ translationis causæ, quarum aliquæ illi patriarchæ, & huic prophetæ sunt comunes, vt figura resurrectionis, & prædicatio tempore Antichristi. *Et hactenus ipse*, ait author mirab. S. Script. [f] *sicut & Enoch, in testimonium nouissimi temporis, adhuc sine morte seruatur, vt scilicet horum in ore duorum testium, nouissimi testimonij sermo consistat; in extremo tempore, paulo ante quam damnetur Satanas, qui humanum genus aperto bello deprimat.* Alludit ad illud Apocalypseos, [g] *& dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis,* Ibi autem nominatim intelligi Eliam, prodigia deuocati ignis de cœlo, ad consumendos inimicos, & inductæ siccitatis in terram, in diebus prophetiæ eius, & iuxta verba oris eius, [h] quæ ibi subdit Euangelista, aperte demonstrant. Eodemque pertinet illud Malachiæ, & Angeli Zachariam alloquentis de Ioanne, qui multos filiorum Israel conuersurus esset ad Dominum Deum ipsorum: ad quod confirmandum subdit, *& ipse præcedet ante illum, in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum*; sicut nimirũ faciebat olim Elias, & facturus est nouissimis diebus, cum præparabit populum ad imminentem iudicis aduentum. Ergo cæteris omissis, quæ Eliæ propria sunt, quæque in eius transitu contigerunt, vestigia Scripturæ secundo videamus.

e l. 2. de pec orig. c. 23.
f l. 2. c. 22.
g c. 11. 3. &c
h 3. reg. 17. 1.

*Et quem ad finem.*

i 4. Reg. 2. 1
Abul. q. 3. & seq.

VII. *Modus trãslationis eius,*

Factvm *est autem*, ait Scriptura, [i] *cum leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum*; Angelorum scilicet ministerio, excitauit Dominus ventum vehementem, qui mox Spiritus Domini appellatur, à filiis prophetarum. *Ne forte*, inquiunt, *tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnam vallium*, vbicumque scilicet vis venti defecerit, vt solet contingere in cæteris rebus grauibus, deficiente vi impressa. Angelus autem Domini non diceretur proiicere Eliam, vt est in omnibus libris, atque linguis, sed deponere, aut collocare in aliquo loco, quem Dominus ordinasset. Hunc ergo ventum diuinitus excitatum moderabatur Angelus, tum, vt ne deficeret vis eius, nisi quando placeret Domino; tũ ne in incertum ferret, vt venti solent, sed in locum à Deo destinatum. Ait autem Tostatus huius venti fuisse duas partes, alteram crassiorem in modum nubis, & rutilantem quasi ignem, & ita condensatam, vt Eliæ corpus sustinere posset, & ipsum caperet, ac circumuolueret in modum currus ignei. Alteram quæ vim impressam acciperet, & priorem impelleret, Angelo quasi auriga dirigente, versus condictum locum. Pro turbine, Septuaginta habent συσσεισμῷ concussionem: forte volunt aliquem terræ motum contigisse, cum eleuaretur Elias. σεισμὸς enim plerumque de terræ motu dicitur.

k cap. 23.

VIII. *Valedicit suis varia loca incolentibus.*

Legitime itaque ait Patriarcha Ioannes [k], *administrata religione per eum instituta, agnouit Elias per diuinam reuelationem, quod Deus volebat eum de hoc mundo eleuare, per turbinem ignis in paradisum voluptatis.* Valde consentaneum est rationi, diuinitus præmonitum Eliam de migratione sua, cum de ea diuinitus quoque mul-

ri ex discipulis eius, variis in locis certiores facti fuerint, vt ex sequentibus intelligitur: Pergit Ioannes, *Priusquam autem Elias ab hoc mundo transferretur in Paradisum voluptatis, fuit ei curæ, imminente translatione, monachos filios prophetarum discipulos suos, sigillatim visitare, & de patre idoneo eis prouidere, qui eos omnes generaliter eius loco regeret, & gubernaret. Propter quod descendentes, ipse & Elisæus, de monte Carmeli venerũt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & inde in Hiericho. Nam in his locis habitabant viri religiosi, filij prophetarum, Eliæ discipuli: quos ipse visitans commonuit, vt de imminenti eius corporali absentia, tristes non fierent* [a]. Sed nimirum in adiutorio altissimi, vt monet regius vates, habitarent, & in protectione Dei cœli commorarentur. Ipsis eum deinceps non defuturum: præteritorum enim experientiam, quid de futuris sperandum esset, satis docere sapientes.

[a] Vid. Abu. q. 13. in c. 2.

IX. *Animat suos ad fiduciam, exemplo suo.*

MEMINISTIS, ait, quanta tempestatis procella in nos, ante aliquot annos concitata fuerit ab Achabo rege, dum in pœnam peregrini cultus idolorum, Deus illi me denunciare iussit siccitatem, indeque secuturam famem, cuius solutio ex ore meo, ac voluntate penderet. Nullum oppidum, nulla ciuitas, nulla tribus fuit, quam eius nuncij, inquirendi mei gratia, non peragrarent; nulla gens, nullum regnum, quod veredarij eius non percursarent, vt comprehensus suppliciorum acerbitate compellerer ad diuina decreta commutanda. Sed irritus fuit hic eius conatus, Domino me ad torrentem Carith occultante canibus hisce venaticis, humanissimeque protegente; atque adeo perpetuis prodigiis sustentante. Cuius rei conscij sunt nonnulli vestrum, qui ad me tunc, [b] metu illorum temporum confugiebatis, vt ne vos inundantis idololatriæ torrens violenter abriperet; ac dissiparet eos, qui vno iam tum spiritu ac voluntate regebantur, & communem nobiscum vitam, in religioso Dei famulatu ambiebant. Nonne exiguum istum, electumque manipulum, Dominus non solum à regis furore, sed à famis quoque necessitate prouidentissima miseratione liberauit? sicut & me apud viduam Sarephtanam, quam voluit reliquo famis tempore me habere hospitem; cuius filium vitæ restituit, cuius farinam multiplicauit ad preces meas: cuius oleum iugiter stillare iussit, neque deficere quandiu sæuiret fames. Nec despero fore in hoc numero, qui tantum apud misericordissimum Dominum gratia valeant, vt non solum his similia aliquando faciant, sed maiora etiam faciant.

[b] Io. patr. c. 10.

X. *Et propriæ vocationis fine.*

QVIDNI confidatis in Domino, filij prophetarum, quãuis spirante adhuc, ac rugiente immani illa bestia interfectrice prophetarum, filii mihi longe carissimi, quos Deus ad gloriam sui nominis cõuocauit, vt dies, noctesque laudes eius, ore manuque decantaretis; vt à communi via iniquitatis abhorreretis, & in eam mecum incumberetis curam, vt corda filiorum conuerteremus ad patres, qui Domino Deo Israël corde perfecto seruierunt, vt fratres nostros, quos idolorũ seruitus misere dementauit, à sacrilegis vitulis abduceremus, neque pateremur osculari eos idoli manum, & curuare genua ante faciem Baal. Quidni confidatis, inquam filij Patriarcharum, Abraham, Isaac, & Iacob dilectorum Dei; filij Samuelis, filij Nathan, filij Asaph, filij Heman, & Idithum, & reliquorum, qui doctrinæ domibus præfuerunt, & multos erudierunt ad iustitiam, & in perpetuas, tanquam stellæ fulgebunt æternitates: quos inter nomen quoque humilitatis meæ, deinceps memorabitur. Quidni præsenti animo sitis, cum tam singularem in vos, meque ipsum patrem vestrum Dei prouidentiam, oculis ipsi vestris vsurpare, & manibus pene attrectare potueritis.

XI. *[...]t earum[...]em experientia.*

NVM memoriam deposuistis temporis illius, quo quinquageni in speluncis latitantes [c], dum detonaret à Iezabela tempestas, à diuina prouidentia verius multo, quam Abdiæ benignitate protecti, ac nutriti fuistis, vt cæteris fame tabescentibus, nihil deesset vobis. Non tenetis horrisonas minas, quas Sidonia Iezabel suorum cæde pseudoprophetarum saucia, in me iactabat; & tam multis iam piorum cruenta cædibus, omnes in me suorum scelerum administros armabat. Cum ego trepidus, nihil enim diffitebor infirmitatem meam, ille ego, qui nuper quasi murus aheneus coram feroci, atque irato mihi rege steterã, quo me cumque tum ferret impetus, versus inuiam solitudinem proripui me, ab omni humano præsidio imparatus; & vnius diei itinere confecto, fatigatus

[c] 3. Reg. 18. 13.

ab itinere, sub vmbra iuniperi vnius obdormiui. Vbi semel iterumque angelico ministerio excitatus, ciboque ac potu recreatus, ipsos 40. dies permansi ieiunus, eiusque cibi vi, & efficacitate roboratus, ambulaui oberrans, vsque ad montem Dei Horeb. Quo cum peruenissem, quod ego nunc abiens ab hominibus, non iactandi mei, sed consolandi, atque animandi vestri causa dictum velim, & de Domino Deo, cui seruitis, in bonitate sentiendi, sperandique; in speluncæ ostio apparuit mihi Dominus in tenuis auræ sibilo, & fluctuantes zelantis animæ motus beneuole composuit, & de futura sua aduersus impios vindicta præmonuit, iis quoque nominatis, per quos exercenda foret.

XII. *Elisæū successorem dicit.*

Ibi tum mihi nominatim edidit Elisæum filium Saphat, vngique iussit in prophetam. Elisæum, nostrum ab eo tempore socium [a]; deinceps etiam diuino decreto successorem, & omnium vestrum à digressu meo parentem: Elisæum disciplinæ religiosæ præpositum, ac magistrum, cui secundum Deum obtemperabitis, quicumque in Carmelo, & in Bethele, & in Galgalis, & in Naioth, & ad Iordanem, & in Gabaa, cæterisque locis diuinæ militiæ, & religiosæ professioni nomen dedistis. Eius ex ore diuina accipietis oracula, & in eo agnoscetis loquentem Deum. Ab eo directionem, & consolationem, & auxilium in prosperis, & aduersis, tanquam à parente amantissimo, & spiritualium bonorum locupletissimo, expectabitis. Eum enim scio, multum gratia valere apud Dominum, vt res ipsa citius opinione vestra docebit; & valiturum etiam amplius propter vos, in quos Dei loco suauissimum exercebit imperium. Hunc tanquam è Mosis cathedra loquentem audietis, in eius manibus vota vestra offeretis Deo. Ergo quam cœpistis caste ac religiose vitam agitare, eodem ductore constanter ad mortem vsque ducere perseuerabitis; ab eo siquidem ad omnē virtutem verbo, & exemplo informabimini. Est enim vir propheta potens opere & sermone. Ille vobis propitium reddet Deum, nihil vt in vos possit immanis Iezabelis audacia, neque qui nunc regni gubernacula suscepit Ioramus: non magis, quam in me, vosque hactenus Ochosias, & Achabus, cui impune domum eius penitus excindendam pronunciaui; cuius vaticinij vos mihi, non ita multo post, testes eritis.

*Et sui eum monet officij.*

a Io. Patr. c. 23.

XIII. *Fidem in Deum cōmēdat, & spem in Messiam.*

Primum autem illud esse cupio siue in mādatis, siue in admonitionibus meis, vt omnem idolorum spurcitiam detestati, vnius veri Dei cultum fideliter, constanterque amplectamini; illius legem, ceremonias, atque iudicia, sanctè, integrè, inuiolatéque custodiatis. Ab eo promissum in lege Messiam, cuius nonnullam nos quoque figuram gessimus, singulari fide, ac deuotione, constantia, charitate, desiderio præstolemini, & infimis quotidie precibus, more maiorum à Deo flagitetis. Messiam mundi reparatorem; exterminatorem, atque expiatorem peccati, perfectioris sanctiorisque vitæ, quam quoquo modo inceptamus authorem. Messiam, qui persoluto redemptionis humanæ pretio, iustitiā adducet sempiternam, & regnabit in domo Iacob, & in solio Dauid, & regni eius non erit finis. Messiam qui cœlum ipsis quadraginta seculis obseratum morte sua patefaciet, & æternitatis aditum deuicta morte reserabit. Primus quippe illuc cum pompa inuectus, nobilissimoque triumpho, iustorum animas, populato Abrahæ sinu, in locum beatissimæ immortalitatis transferet, atque transcribet, & reliquis deinceps temporibus amicis suis, statim à deposito mortalitatis exuuio, purgatisque delictorum reliquiis, felicitatis præmium sine mora largietur [b].

b Ioan. c 29

XIV. *Qui renouaturus est mundum.*

Habete ergo in eo spem salutis vestræ repositam, proque eius accelerando aduentu Deum indefessis precibus fatigate. Credo enim fore vt non deficiat in vobis, posterisque vestris obseruationis sanctæ propositum, donec veniat is, qui est expectatio gentium: donec surgat propheta ille magnus, quem sanctissimus diuinæ legis promulgator Moses [c], sub seuerissimæ animaduersionis interminatione, ac iudicij Dei, audiendum esse pronunciat, Ille est filius Dauid, filius Abraham, à quo noua fient omnia; à quo studium voluntariæ paupertatis, illibatæ castimoniæ, & obedientiæ sponte susceptæ mirabilia accipiet incrementa, adeo vt feruor vitæ arctioris, qui nunc paucis quibusdam vnius prouinciæ oppidis, desertisque locis continetur, longe se inde lateque fundat,

c Deut. 18. 18.

quacumque orbis terrarum patet. Suſcitabit Dominus alios Samueles, & alios Nathanos, atque Elias, ſi ita vultis, qui diuerſis itineribus, diuerſo cultu, habituque, diuerſis legibus, & inſtitutis, ad culmen perfectioris vitæ connitantur; & in Eccleſia ſancta laudabili varietate circundata, ad brauium ſupernæ vocationis accendantur.

*Religioſorũ propagatio.*

XV. *Variaque forma.*

PLERIQVE inuias, ſqualenteſque ſolitudines incolent, in quibus oberrabũt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erit mundus, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ; ibi in ſepulchris, quaſi mortui vltro condentur, & aurea cœlorum palatia, anguſtis carceribus mercabuntur. Alij communem in ciuitatibus, & cœnobiis vitam adamabunt, vt ſanctis ſociorum exemplis, ad omnem virtutem, eorum induſtria acuatur: vt tam proprio, quam proximorum profectui, & commoditatibus ſeruiant, & mutua inter ſe charitate deuincti, illud regii prophetæ oraculum incredibili animi exultatione decantare poſſint: *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum* [a]. Hi ergo ſolitudinem in hominum frequentia reperient, & contemplationem cum actione attemperabunt: vt vbi ex diuino fonte hauſerint in eremo, eructent in populis ad eorum ſalutem. O quando exorientur aurea illa tempora, quoniam viſio in multos adhuc propagabitur dies. Felices quibus ſacroſanctam illam Meſſiæ faciem dabitur aliquando contemplari, & diuinas auribus vſurpare voces, quas tam multi reges, & prophetæ, tot votis expetiere.

a Pſ. 132.1

XVI. *Suſpirat ad illa tempora.*

VIDEBO ego illum, ſed non modo, intuebor illum, ſed non prope. Fulgebit enim lux eius in oculis meis, in monte ſancto eius, & verba eius auribus meis inſonabunt, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meum; repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Vos autem filioli, quos poſtremum alloquor, ea quæ dixi vobis, in altum pectus demittite, religioſam humilitatem diligite, corporis animique feroces, ac turbulentos motus, ſpiritus feruore compeſcite, linguam cohibete. Mutua inter vos charitate, beneuolentiaque certate, pietate in Deum, & obſeruantia apud præpoſitos, & maiores natu, bono denique aduerſus omnes exemplo. Quæ cum ſanctus propheta, aut his potius multo meliora, fortioraque dixiſſet, in amplexus ſingulorum ruit, eiſque tanquam Dei Vicarius, atque amantiſſimus pater, diuinam benedictionem impertiit; & Eliſæo comite de monte Carmeli, vt ait Patriarcha, deſcendens, venerunt ambo in Galgala: erat enim religioſus ille locus, ab ipſo ingreſſu Iſraëlitarum in Chananitidem. Ibique iam inde à Samuele virorum religioſorum videtur fuiſſe collegium, ideoque idoneum, in quo à Samuele ſacrificaretur cum Saule rege [b]; fortaſſis & ab Elia, ſicut nuper in Carmelo [c].

*Adit in Galgala.*

b 1. Reg. 10. 8.
c 3. Reg. 18
d 4. Reg. 2. 1.

XVII. *Et cupit dimittere Eliſæum.*

SALVTATIS ergo diſcipulis qui erant in Galgalis, & iis Domino commendatis, [d] *ibant Elias & Eliſæus de Galgalis*, magiſtrum enim diſcipulus, honoris, ac beneuolentiæ cauſa comitabatur; cum autem à ſe dimittere cupiebat Elias, demiſſionis animi gratia, nolens glorioſę tranſlationis ſuæ quemquam habere teſtem, ne intimum quidem ſocium, diſcipulum, ac ſucceſſorem Eliſæum. Ideoque, *Sede hic*, inquit, *quia Dominus miſit me vſque in Bethel.* Erat is quoque ab antiquo religioſus locus, vt alibi dictum eſt, ibique collegium erat prophetarum, ſiue diſcipulorum Eliæ, vt mox patebit. Fortaſſe etiam noluit Elias Eliſæum à ſe dimittere, ſed eius deſiderium accendere obnitendo, & periculum facere illius erga ſe beneuolentiæ; perſeuerantem denique eius conſtantiam dono aliquo munerare. Domino itaque illam conſtantiam ſuggerente: dixit ei Eliſæus, *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te.* Intellexit Eliſæus non præceptionem eam eſſe, ſed adhortationem, ne is hunc itineris laborem ſubiret: itaque per Deum viuentem iurat, & per Eliam qui tanquam ſpiritualis pater, & magiſter, Dei erga ipſum tenebat locum, & imago quædam erat poteſtatis, ſapientiæ, ac bonitatis Dei, ſe eum non derelicturum. Accedebat quod Eliſæus migrationem Eliæ ex reuelatione didicerat, & forte iuſſionem acceperat non deſerendi magiſtri.

XVIII. *Venit in Bethel.*

CVMQVE *deſcendiſſent Bethel, egreſſi ſunt* eis obuiam, honoris cauſa, *filij prophetarum*, diſcipuli videlicet, qui ab eis inſtituebantur, Chaldæo interprete, cui

Lyranus, & cæteri Hebræi consentiunt, etsi repugnat Abulensis. Magistri enim sunt patres animarum, quas erudiunt, & Domino generant: vnde Paulus Apostolus [a], *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et Ioannes [b], *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis.* Et rursum Apostolus [c], *Etsi decem millia pedagogorum habueritis, sed non multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Denique Christus ipse [d], *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Et vice versa boni discipuli magistros habent parentum loco, & patres vocant. Nam hic ipse Elisæus, Eliæ discipulus præceptorem inclamat [e], *Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Hi ergo discipuli prophetarum, cum venissent in occursum Eliæ, & Elisæi, eosque domi solita charitate, & beneuolentia excepissent, dixerunt Elisæo, *Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te?* Ergo id ipsis quoque fuerat reuelatum, & inter eos aliqui erant gratia prophetię donati. Ideoque Theodoretus hoc loco, filios prophetarum prophetas interpretatur, vt filios hominum homines. Nec putandum est, id eos ab Elia didicisse; non enim dixisset Elias cæteris discipulis, quod omnium præcipuo, Elisæo tacuisset: *Qui respondit, Et ego noui, silete,* ne præ vobis feratis vos hoc scire, nesciat dominus meus, nos hoc scire.

a Gal. 4. 19.
b 1. Io. 2. 1.
c 1. Cor. 4. 15.
d Ioan. 13. 33.
e 4. Reg. 2. 12.

ERGO cum in Bethel quoque monita salutis discipulis abiturus dedisset, ad Elisæum conuersus, *Sede hic*, inquit, & rectorem incipe agere in Bethel, altero impietatis domicilio, & verbis tuis ac præsentia robora hosce filios tuos, aduersus vitulinam idololatriam. Et interim ego abibo in Iericho, quo me Dominus misit, ad illum quoque gregem visitandum. At ille iterat contestationem suam, nec se à magistri latere diuelli patitur. Itaque ambo versus Iericho iter intendunt. *Cumque venissent Iericho, accesserunt filii prophetarum; qui erant in Iericho.* Non fuerat maledictus à Iosue, qui habitaret in Iericho, sed qui eam ædificaret. Cumque eadem in Iericho, quæ in Bethel, & in Galgalis contigissent: dixit iterum Elias Elisæo, *Sede hic, quia misit me Dominus vsque ad Iordanem:* cumque idem responsum accepisset, *ierunt ambo pariter, & quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos.* Amplum erat collegium in Iericho, cum ex eo vno loco, vt ait Tostatus, quinquaginta viri eos secuti fuerint, vtique præter scientiam, & voluntatem Eliæ, vt videtur, desiderio videndi finem: cuius rei signum est, quia steterũt à longe, vt Petrus sequens Dominum, à militibus in Olmeto captum. Nolebat, pius Pater, tot habere spectatores triumphi sui, qui etiam Elisæum abesse voluisset.

XIX. *Abit ad Ierichuntinos fratres.*

ILLI *autem ambo stabant super Iordanem,* ad ripam eius, cumque nec pons vllus esset fluuio impositus, neque vadum occurreret, neque appareret vlla nauicula qua traiicerent, *tulit Elias pallium suum,* melotem vocant Septuaginta, & Chrysostomus homil. 8. ad pop. ex pelle videlicet ouilla factum: de quo hæc habet Ioannes Patriarcha [f], *Pallio quoque monastico indutum fuisse primum fundatorem huius Religionis Eliam prophetam, sacra Scripturæ authoritate monstratur. Nempe hoc habitu aperuit Elias vultum suum, cum in monte Horeb transiret Deus ante eum. Hoc quoque palliũ misit ipse super Elisæum, quando accepit eum in discipulum. Pallium autem istud fuit vestis rotunda, à collo vsque ad medias tibias, totum corpus operiens, anterius aperta, sed alibi vndique clausa, superius angusta, inferius amplitudine expansa.* Hæc ibi. Fuit fortasse alia forma communis pallij Iudæorum, sed Elias sicut zona, & tunica, ita & pallio à cæteris differre potuit. Abulensis certe hoc pallium cilicinum fuisse vult, confectum de pilis camelorum, sicut & tunicam [g]. At Ioannnes significat fuisse ex pilis ouinis, vt explicat quoque Serarius, laneum scilicet, & coloris albi; quale nunc seuerioris disciplinæ professores Carmelitæ ferunt. Hoc pallium *inuoluit* Elias in formam oblongam, & rotundam, aptam ad percutiendum, *& percussit aquas, quæ diuisæ sunt in vtramque partem, & transierunt ambo per siccum.* 2

XX. *Venit ad Iordanem.*

*Pallium Eliæ quale.*

f cap. 40.

g q. 14. in cap. 2.

GEMINVM apparet miraculum, primum, diuisi Iordanis, consistentibus aquis, quæ ex superiori parte Septemtrionali fluebant, & aliis ad Meridiem cito proruentibus; alterum in fundo fluuij lutulento statim exsiccando. Etsi autem Elias non legatur orasse Dominum, ad impetrandum hoc prodigium, id tamen factum fuisse intelligendum est. Non enim in Elia vis erat vlla faciendi miracula, nedum in pallio, nisi moralis, authore scilicet naturæ supra naturæ

2 ex. XXI. *Aperitur Iordanis.*

vires operante, ad preces amici sui. Ad quos etiam honorandos, quando illi visum fuerit, inanimis quibusdam vtitur rebus, vt prodigiorum instrumentis, vt ossibus Elisæi mortui, aut etiam eius baculo ad mortuos ad vitam excitandos: sicut & nunc Eliæ pallio ad diuidendum Iordanem. In eo autem non fuisse inditam virtutē aliquam Physicam ad talem effectum, sed tantum moralem, quando, & vbi placeret Domino Deo, ex eo cernitur, quod in reditu non diuisum est flumen ad primam percussionem pallij super aquas: Sic virga Mosis & Aaronis, effectrix erat prodigiorum, pro tempore, modo, & loco, quem Dominus præscripsisset. Itaque virga quæ semel atque iterum aquas eduxit è petra, non potuit idem cum Moysi libuisset efficere. Alioqui non expectasset Moses dum Israëlitæ præ siti obmurmurarent, sed saxum primum obuium percussisset, vt recte disputat Abulensis [a]. [a] 4 Reg. 2. q. 14.

XXII. *Elias dat optionem Elisæo, qui petit* *duas ne partes spiritus eius.*

CVMQVE *transissent*, non sine stupore renouati à tot annis [b] in Iordane miraculi, eiusque laude, *qui facit mirabilia magna solus, Elias dixit ad Elisæum, Postula quod vis, vt faciam tibi, ante quam tollar à te*, in monimentum coalitæ inter nos amicitiæ; in auxilium impositi oneris bene administrandi, in plurimorum vtilitatem: par est enim filiis patres thesaurisare. *Dixitque Elisæus, Obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus.* Quorum verborum triplicem reperio interpretationē: vna est recentiorum. Nam Pagninus hebræum ita vertit, *sit obsecro, mensura duarum partium de spiritu tuo super me.* Vatabl. *sit quæso, duplex portio tui spiritus super me*, id est, vt idem explicat, da vt duæ partes tui spiritus diuisi in tres partes, sint mecum. Quod scilicet noluerit petere tantam fieri sibi gratiam, quantam magistro; sed satis habuerit si tertia parte minor esset. Vult nimirum Eliam quasi patrem familias, se gerere erga ipsum, quasi erga primogenitum, cui ex lege [c] cuncta duplicia debebantur, id est, duæ partes paternorum bonorum, non paterna bona duplicata. Et frustra fieret mentio partium in petitione spiritualis hæreditatis, si Elisæus deberet ex asse Eliæ succedere, imo duplicem accipere hæreditatem. [b] an. 557. [c] Deut. 21. 17.

XXIII. *An duplicē gratiam.*

ALTERA interpretatio est petere Elisæum, vt duplex gratia spiritualis, quæ erat in Elia, gratia videlicet miraculorum, & prophetiæ sibi communicaretur, sicque quam simillimus redderetur præceptori discipulus. Neque enim est discipulus super magistrum, vt ait Christus Dominus [d], neque seruus super dominum suum: Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius. Eaque videtur Ecclesiastici mens [e], cum ait, *& in Elisæo completus est spiritus eius*, non significat partem eius aliquam in Elisæo resedisse, sed totum plane, & cum auctario potius, quam cum imminutione. S. Cyprianus, etsi ad sensum mysticum deflectit, in hac tamen videtur esse sententia. Nam in opusculo de Spiritu sancto [f], *Heliæ spiritum duplicem recepit Helisæus, non quod in duas substantias idem spiritus sit diuisus, & duos propheta sanctus habuerit spiritus, sed quod populo Christiano, cuius typum Helisæus gerebat, accepto Spiritu sancto data sit potestas in opere & sermone: & ascendentem Heliam, id est, Christum, pio desiderio prosecutus, fide claruerit & intellectu, & vita, & signis, & miraculis fulserit & exemplis.* Et hanc expositionem probabiliorem putat Abulensis [g]. [d] Math. 10 24. [e] c. 48 13. [f] tom. 3. [g] q. 15. in c. 2. in fin.

XXIV. *An potius duplo maiorem.*

TERTIA est, quam idem fatetur esse communem, vt petierit Elisæus spiritū duplo maiorem spiritu Eliæ, in quam sententiam abierunt fere Septuag. interpretes. Nam in quibusdam editionibus est, *Fiat spiritus tuus dupliciter super me*, in aliis, *fiant duplicia spiritus tui super me*, quò in editione vulgata videtur respexisse Hieronymus. Et Tertullianus [h], *Qui duplicem Eliæ petiit sibi sumere sortem.* Et author mirab. Script. [i] *Hoc ergo postulatus Helisæus*, lege postulatu, vel postulato, *non elationis effectum supra magistrum suum voluit, sed videns peccata populi innumera, à propheta qui relinqueretur, non simplici Heliæ spiritu, sed duplici compesci posse præuidit. Si enim illud quod petiit, vitio volentis se eleuare animo postulasset, nequaquam à Domino, & ab ipso Helia, quod petebat impetraret.* Sic ibi. Petiit ergo quod superbiam saperet, nimirum duplo maiorem gratiam quā magister, sed animo nō superbo. Clare S. Augustinus [k], *Nisi ab alio magis, ab alio minus Spiritus sanctus haberetur, & ex sanctis alij aliis essent sanctiores, non diceret Helisæus, Spiritus qui est in te, duplex sit in me.* Eadem est Theodoreti [l], & Procopij in quartum Regum sententia. [h] l. 3. contr. Marcion. [i] l. 2. c. 22. [k] tract. 74 in Io. 10. 9. [l] qu. 7.

B. quo-

a Serm. 2. in nati. S. Io. Bapt. p. 70. to. 2.

B. quoque Damianus duplicem spiritum agnoscit, sed interpretatur [a], *In signis miraculorum, non in excellentia meritorum. Si sacræ*, inquit, *historiæ tenorem inspicimus diligenter, vberiorem, siue clariorem Elisæum quam Eliam, in miraculorum fuisse virtutibus inuenimus*. Et aliquot enumeratis subdit: *Atque vt breui cuncta concludam, Elias duodecim, Elisæus, vt Scripturæ veritas tradit, viginti quatuor miraculorum signis enituit*. Et mox, *Elisæus ergo maior est quam Elias in exhibitione signorum, quem tamen nequaquam superat in cumulo meritorum*. Hæc ibi. Minorem tamen numerum in eius vita memorat Isidor. Anastasius autem Nicenus q. 51. Eliæ signa septẽ numerat, Elisæi vero 14.

XXV. *Probatur ea expositio, & confirmatur.*

Qvæ nobis, vt communior, ita & vero similior videtur explicatio. Et certe si factus est voti cõpos', partem spiritus Eliæ accepisse dicendus fuisset, cum tamẽ Scriptura dicat requieuisse spiritum Eliæ, super Elisæum; qualem scilicet postulauit, & promisit Elias, non dimidiatum, sed duplicatum. Et illud quod ad verbũ habet Hebræus, *sit obsecro pars, siue portio duorum in spiritu tuo ad me*, recte explicatur, fac vt habeam de spiritu tuo, quantum haberent duo similes tui. Nec diuisio tẽporalis paternæ hæreditatis, satis habet proportionis, cum diuina spiritualium donorum distributione. Ab eo autem quam maximam gratiam postulare, qua eius gloriæ, & animarum saluti seruiatur, non superbiæ notam meretur, sed laudem procuratæ diuinæ gloriæ. Neque sancti æmulatione tanguntur, vt homines imperfecti, qui merito audiunt, *Quid æmularis pro me?* neq. ægreferunt alios apud Deum plus posse, aut maiores esse, quam ipsi sunt. Neque patres ægreferunt se à filiis superari, vt alibi diximus [b]; imo ipsis dignitatem propria maiorẽ affectant, & non minus eam sibi, quam ipsis gratulantur adeptam. Natorum quippe dignitas redundat in patres. Discipulus autem quandiu discipulus est, non potest esse præceptore maior, sed cum discipulus esse desiit, vti nunc Elisæus, potest euadere in virum multo doctiorem magistro. Et reuera Tostatus [c] fatetur non solum plura fuisse miracula Elisæi quam Eliæ sed & impetrandi facilitate maiora: A quo autem plura edita fuerint vaticinia, constare non potest.

b ann. Salo. n. 31. vide 3. Reg. 1. 37. & 47.

c q. 16. in c. 2.

XXVI. *Quomodo difficilis postulatio.*

Respondit socio Elias, *rem difficilem postulasti*. Minus quadrat hæc responsio primæ expositioni de parte spiritus, quam secundæ de toto spiritu, maximè autem tertiæ de eo duplicando conuenit. Nam portio illa poterat communis esse multis prophetarum filiis, qui iam prophetiæ spiritu donati erant, vt quibus discessus Eliæ reuelatus fuerat. Gratiam autẽ obtinere Eliæ parem, quo ab ipso Mose par in terris nemo repertus fuerat, valde difficile est. Nã prioribus seculis nemo fuerat qui arbitratu suo cœlum clauderet, & aperiret, & aquas inde, flammasq. deduceret: nemo qui mortuos excitaret: vnde dicebat Sap. [d] *Et quis potest similiter sic gloriari tibi?* quidni autem? *qui sustulisti mortuũ ab inferis?* primus videlicet, quod Dauid ipse in domestico luctu nõ est ausus optare. At longe difficillimam rẽ postulauit, qui duplo maiorẽ spiritum postulauit. Itaq. non vnũ, sed duos suscitauit mortuos Elisæus, nec triennii cũ dimidio, sed septennii famẽ, peccatorũ vindicẽ induxit in terras: & si qua alia à Script. memorãtur. Ergo merito dubitauit Elias, tantãne gratiam Dominus cõcedere vellet Elisæo: additq. conditionẽ, qua interueniẽte fieret voti cõpos, & qua deficiẽte frustraretur expectatione sua.

d Eccl. 48. 4

*Eliæ & Elisæi comparatio.*

XXVII *Cõditio ad impetrandum.*

Attamen *si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti, si autem non videris, non erit*. Dictauit Dominus hanc conditionem Eliæ, ex qua fiebat vt ipse ignoraret qualem, quantamque gratiam accepturus esset Elisæus. Nam totus extra se positus, ne timor aliquis, aut diffidentia subreperet, magno impetu ferebatur sublimis, quo fiebat vt Elisæum obseruare non posset. Dominus autem ipse, qui dona sua ex mera liberalitate largitur, ea quibus placet conditionibus afficit, quamuis nullam ad rem ipsam efficacitatem, nullam proportionem habere videantur. Exempla non desunt. Nam sanitatem Naaman [e] sub conditione septenæ ablutionis in Iordane ita constituit, vt alibi facta ablutio, aut sexies dũtaxat iterata, nihil esset effectura. Et statũ innocentiæ, & immortalitatis, ea lege sanciuit, vt primus parens ab esu vetiti pomi abstineret; adoptionem quoque filiorum Dei, tantulæ aquæ, & modicæ precatiunculæ, siue inuocationi sanctissimæ Trinitatis alligauit. Denique fœlicitatem æternam, non nisi conditione seruandi mandata, aut pollicitus est viuis, aut concessurus est mortuis. Dominus enim est, & quod bonum est in oculis suis facit, vt dicebat Heli. Et Do-

e 4. Reg. 5. 10.

minus ipse in parabola, *Annon licet mihi quod volo facere* [a] ? [a Math. 20 15.]

XXXVIII. *Colloquiũ Elisæi, & Eliæ abeũtis.* CVMQVE *pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque.* Perpetuam videlicet amantissimi hominis, quæ imminebat, absentiam inter eundum deplorabat Elisæus; & iucundissima consuetudine, quæ est inter viros bonos, qui inter se amãt, reliqua vita se priuandum esse lugebat. Orbitatem quoque fratrum suorum, ac filiorum eius, & totius populi Israëlitici dolore prosequebatur, vt significare videntur verba illa, *currus Israel, & auriga eius.* Vice versa eum consolabatur Elias, in spe gratiæ, quam mox copiosissimã recepturus erat, & quæ absentiæ suæ malũ, si quod erat, copiose, cumulateq; suppleret. Non exiguam quoq; ei lætitiç segetem suggerebat, quod diceret se ad vitæ conditionem longe fœliciorẽ transire; aditurum Enochum in deliciarum loco iam bis mille centum, & quinquaginta duobus annis commorantem, loco amœnissimo, ab omni impiorum, atque idololatrarũ tumultu, vi, fraude, improbitate seposito, vbi cibi ac potus nulla cura, nulla necessitas; siue fructu ligni vitæ, siue quocumque alio modo, quem elegerit Dominus: qui meipsum, inquit, nuper totos quadraginta dies, sine cibo, potuque, viuum, vegetumque sustentauit; quique iampridem Mosem ter eodem anno quadraginta diebus, cibi potusque inscium conseruauit [b]. *Præsens status eius.* Nulla ibi reparandorum vestimentorum necessitas, quippe quæ Dominus, quantumuis vetusta, confici tamen, ac consumi vetustate non patiatur, quod patrum quoque nostrorum in desertis Arabiæ locis, totos quadraginta annos priuilegium fuit, & potuit æque esse quadringentorum, multoque plurium. Multo autem minus corpora nostra tentari, nedum confici morbis, vel ætate permittet, diuina prouidentia, quæcumque nocere possent, excludente. Hæc ergo qui lugeat, nonne sui ipsius, quam amici amantior esse conuincatur? Cui Elisæus; At enim Pater, inquit, vides interim quo in salo fluctuantes, quibus turbinibus agitatos deseras: si ad tempus malaciæ, & serenitatis alicuius nauarcho carendum esset, tolerabile malum pateremur; nunc autem quid fiet in tempestate nauigandi imperitis? At tu, inquit ille, remigem te puta, & ad nauarchum illum oculos, manusque tolle, qui adhuc gubernauit, & cuius est nauis, & qui vehuntur in ea. Quin illud quoque cogita, nobis, etsi perquam diuturnum quietis tempus inuisis, ignotisq. dabitur; procellam tamen reseruari, omnium quas sol vnquam vidit in terris maximã, longeq. funestissimam; procellam ab hoste Messiç sæuissimo ac perditissimo excitatam, qua innumerabiles animæ in sempiternum interitum rapiẽtur: quæ si diuturnior foret, non fierat salua omnis caro, sed propter electos breuiabũtur dies illi. Victoria tamen regi deniq. Messiæ stabit, qui furiosam illam bestiam interficiet Spiritus oris sui. [c] Hçc illi inter se, aut his similia.

[b Vide Abul. qu 14. 15. &c. in c. 2. 4. Reg. an. m. 2544. n. 626. 627.]

[c 2. Thess. 2. 8.]

XXXIX. *Qui currus & equi ignei.* QVANDO *Currus igneus, & equi ignei diuiserũt inter vtrũque.* Nubes videlicet rutilãs in quandam soliditatẽ addensata, & quasi meteorum quoddã in speciem currus, & equorum igneorum efformatum, super terram decurrere videbatur, versus vtrumq. prophetam, & inter vtrumq. pertrãsiens alterũ ab altero separauit; & raptus est Elias ad currũ igneũ, vbi consedit, Elisço solo humi remanente; statimq. cõsurgens vehemens ventus, è terra extulit paulatim equos, atq. currũ, donec ab oculis spectantis, & inclamantis Elisæi, subducerentur: sicq. verum est & à curru igneo, & à turbine venti, Eliã abductum in cœlum, curru ferente, auferente vento; & angelo, vt supra dixi, vtrumq. quasi auriga moderante. Quæ fere est expositio Tostat. [d], Eman. Serar. Vatabl. qui ait apparuisse currum, & equos, inter vtrumque, vt intelligeret Elisæus, Eliam fuisse Israëli, vice multorũ curruum falcatorum, & multorum equitum. Abul. autem ait, non apparuisse currum, aut equos, nisi vt Elias in curru à discipulo videretur, & fieret voti compos. Alioqui concaua eũ & caliginosa nubes statim inuoluisset, ac rapuisset à conspectu mortalium. Non pugnant ergo patres cum Scriptura, cum illi raptum ferunt in curru igneo, hæc per turbinem in cœlum ascendisse dicit. Nam Scriptura ipsa hanc translationem æquè vtrique tribuere videtur. Nam Sapiens [e], *Qui receptus es,* inquit, *in turbine ignis, in curru equorum igneorum.*

[d Vide Abul q. 17. in c. 2. 4. Reg.]

[e Eccl. 48. 9]

XXX. *Raptus ne* NON erit opinor ingratum aliquot ipsorum audire, Tertullianus libro 3. contra Marcionem, *Sublatus curru paradisi vectus in aulam est*, Augustinus [f] in Ciui-

[f l. 20. c. 29]

tate Dei, *Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod euidentissimè sancta Scriptura testatur.* Ambrosius in symbolum Apost. sub finem, currum hunc, angelos interpretantur, quasi nube istiusmodi amictos. *Enoch translatus est*, inquit, *ne videret mortem: similiter & Elias in corpore isto positus curru igneo, id est Angelorum subuectione, qui sunt Spiritus, & flamma ignis, qui faciunt voluntatem Dei, in illa commotione vsq. ad cœlum assumptus est.* Author mirabilium Scripturæ [a]. *Iam iamque Elias igneo curru receptus, velut ad cœlum, considerante Elisæo rapitur.* Rursum Ambrosius, libro de Nabuthe [b]. *Cum reciperetur Elias, & curru quasi ad cœlum ferretur, clamauit ad eum Elisæus, Pater, Pater agitator Israël, & eques eius: hoc est qui populum Domini bono ductu regebas, constantiæ merito hos accepisti currus, hos equos ad diuina currentes, quia moderatorem te humanarum mentium Dominus comprobauit. Ideo tanquam boni auriga certaminis victor æterno præmio coronaris.* In spe videlicet, quandoquidem nondum corporis mortalitate soluta, æterni præmij fruitione non gaudet. Etsi autem peccare ambo possunt, sicut & mereri (non enim carebit meritò vtriusque prædicatio, atque martyrium) re tamen ipsa à peccato contrahendo, quasi iam mortui, immunes fiunt, vt placet Abulensi in hunc locum [c].

*fuerit curru an turbine.*

a l. 2. c. 22

b l. de Nabuthe c. 15.

c q. 24. in fi. in c. 7. 4. Reg.

XXXI. *Clamor Elisæi.*

QVI hunc Elisæi clamorem refert, ad significandum ipsum à se abeuntem videri, ideoque & se duplici spiritu donandum esse. Vatablus hæc valedicentis verba esse dicit, quasi diceret, vale præceptor, qui plus iuuabas Israëlem oratione, quam magna curruum, & equitum multitudo. Hebræus textus & Græcus, pro auriga equites habent, quia scilicet curruum bellicorum aurigæ equites erant, & ipsi bellatores, aurigarum vice fungebantur. Eodem videntur respexisse Theodoretus, atque Procopius. *Reges aliarum gentium*, inquit ille, *equis vtentes, & curribus stabant in acie. Ea de causa magnum Eliam appellauit & currum, & equitem Israel, vt qui solus sufficeret ad fundendos, ac profligandos hostes, & ad dandam gentilibus suis victoriam.* Ad eum clamorem nihil respondit Elias; ac ne eum quidem vidit amplius Elisæus, neque eo tempore, neque deinceps, cum is ad humanam conuersationem non redierit, quidam clamasse putant donec amplius eum non vidit. Itaque quasi lugens iacturam, & solitudinem suam, apprehendit vestimenta sua, & scidit ea in duas partes. Quoniam ipse quodammodo bipertito scindebatur, corde & animo in cœlum cum magistro peruolante, & corpore in terris remanente.

XXXII. *Eliæ commendatio.*

ABIIT ergo Elias, & per turbinem ascendit in cœlum, mortis quodammodo, quamuis ea nondum deuicta, triumphator. Abiit ab hominibus, & quamuis sine morte, perinde tamen fuit tam suis, quam alienis, ac si iam vitam sicut cæteri, cum morte commutasset. Hominem ergo, non secus ac solemus præstantes viros, Dei famulos vita functos, aliquo elogio, tametsi longe infra sanctissimi Prophetæ meritum, commendemus; in eoque illud vnum de more attingamus, quod instar est omnium, quod primum est, atque palmare, quod in typo Christi Domini, & perquam expressa similitudine consistit. Hoc enim vnaquæque res, in quouis genere sine controuersia præstantior est, quo magis accesserit ad id, quod maximum, primum, ac summum est. Quod enim à splendore Solis, aut calore ignis, aut sereni cœli pulchritudine proxime abest, id illustrissimum, calidissimum, ac pulcherrimum esse necesse est. Magni autem Eliæ cum Christo similitudinem, qualis est vmbræ cum corpore, & bene depictę imaginis, ad spirantem ac viuam, plerique sanctorum Patrum, in primisque Cyprianus [d], atque Augustinus [e] agnouere, scriptisque prodidere.

d l. de Spir. S.

e l. de Ciu. 1.

XXXIII. *Christi multis in rebus typus fuit.*

IGNOTA est in Scripturis Eliæ generatio, sic vt, quasi alter Melchisedech, repente existat sine patre, sine matre, sine genealogia; cum tamen cæteri fere viri illustres, à parentibus ipsis commendabiles appareant. Christi autem generationem quis enarrabit? sine patre natus est in terris, sine matre in cœlis; & vtraque natiuitas omnem superat dicendi facultatem. Inde vterque mundo vixit ignotus, donec alter coram rege, & eius curia; alter coram vniuerso populo verbum Dei annuntiaret, vnus subeundam peccati pœnam, alter agendam pœnitentiam.

2. Elias in fame ac sterilitate terræ, pascitur à vidua Sarephtana, cuius filium nihilominus permittit Deus fortissimo languore decumbere, ac vita fungi,

eumque mox Elias precibus suis, ad Deum clamans, vitæ restituit, ac reddidit matri, à qua audiuit: *Nunc in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo, verum est.* Christus in fame ac paupertate sua, à sanctis mulieribus pascitur, & nominatim à Martha, ac Magdalena: quarum fratrem nihilominus permittit graui ægritudine in Bethania languere, nec illum adit, nisi mortuum, ac sepultum. Lugent apud Christum sorores, vt apud Eliam mater vidua, vterque misericordia motus clamat ad Dominum, vterque exauditur, & mortuum vitæ restituit. Ille audit, *Ego cognoui quia vir Dei es tu*, hic autem, *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.*

XXXIV. *Quod eius filij excitator.* LATET & aliud in eodem prodigio mysterium. Accipit Elias à matre filium eius mortuum, quem complexum portat in cœnaculum, vbi ipse manebat, & ponit super lectulum suum, & expandit se tribus vicibus super eum, & clamauit ad Dominum, & calefacta est caro pueri, & reuixit qui erat mortuus, & factus est Eliæ discipulus. Mortuum erat genus humanum in peccatis suis, quod à Patre suscitandum accipit Elias noster, iuxta illud, *Tui erant, & mihi eos dedisti.* Mortuum ergo hominem eximia charitate complexus, portauit eum, tanquam *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, & peccata nostra ipse portauit.* Et posuit eum super lectulum crucis suæ, super quam recubuit in meridie, & peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus. Et expandit se tribus vicibus super lectulum, extensa primum ad cruciatum dextera, deinde sinistra, postremo vtroque pede, mensus est se super lectum durissimum, in quo iacebat mortuus; itaque expansus, clamauit ad Dominum, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et exauditus est, pro sua reuerentia, & calefacta est anima peccatoris tantæ charitatis ardore, & reuixit, & factus est discipulus, tam potentis, tamque benefici præceptoris. 3.

XXXV. *In tristitia & mortis metu,* ELIAS imminente, vt putabat sibi morte, tristitia, tædio, & pauore anxius, abiit desertum versus, & dimisso in Bersabee puero, solus in desertum perrexit, ibique proiecit se, & orauit Dominum super morte sua, moxque angelica visione confortatus est, & accepit ab eo subcinericium panem, & calicem aquæ. Christus imminente sibi morte crudelissima, abiit cum discipulis suis Oliuetum versus, & dimissis partim in Gethsemani, partim in Olieto seorsim discipulis, solus ipse in solitudinem perrexit vlterius, ibique sponte procidens in faciem suam, pauore, tædio, & tristitia mortifera languens, orauit Dominum super morte sua; moxque *apparuit illi Angelus confortans eum*, annuncians voluntatem Patris, quam ille cibum ducebat, dicebatque suum. Cibum quem sub amaro pœnitentiæ cinere, prunæ charitatis excoxerant. Et simul, *Sume*, inquit, *calicem vini furoris huius de manu mea.* [a] 4.

*& igne de cœlo deuocando.* Elias pluuiam, & ignem de cœlo deuocat, quo rigatur terra, & consumitur sacrificium; frustra idem flagitantibus pseudoprophetis. Pluuiam voluntariam segregauit Dominus hereditati suæ; pluit illis de cœlo ignem viuificantem Spiritum sanctum, qui mortalium corda æterna dilectione succendit, ac sacrificat Deo. Cumque ille quinquagenarios suos cœlesti igne consumpserit, homines impios, verique Dei ignaros, Christus Spiritum igneum de cœlo misit, qui non impios, sed impietatem, & ignorantiam consumeret. 5.

XXXVI. *In ieiunio.* ELIAS in deserto ieiunat quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ibidemque angelica visione, & cibo confortatur. Christus Dominus à Spiritu ductus est in desertum, vbi cum pari temporis spatio ieiunasset, & postea esuriret, accesserunt Angeli, & ministrarunt ei [b]. 6.

*Transitu Iordanis.* Elias sicco vestigio transiuit Iordanem, vna cum discipulo Elisæo. Christus sicco vestigio, cum discipulo suo Petro, ambulauit supra mare. 7.

*Ascensu in cœlum.* Fertur Elias ascendisse per turbinem in cœlum, & quidem cum triumpho currus ignei, & equorum igneorum; angelis pompam deducentibus in locum à Deo destinatum, donec veniat contra Antichristum pugnaturus, & Iudæorum reliquias ad verum Messiam traducturus. Christus multo cum triumpho ascendit in cœlum, atque adeo super omnes cœlos, toto plaudente exercitu Angelorum; qui & nunciarunt venturum ipsum in pari maiestate ad iu- 8.

a Ierem. 25. 15.
b Math. 4. 2. 11.

dicandos viuos & mortuos, interficiendum Antichristum, Spiritu oris sui, omniumque improborum perdendam colluuiem; simulque sanctos secum ad vera gaudia traducendos.

9 Elias duplicem impetrat discipulo suo spiritum, si eum viderit ascendentem, *Si non abiero*, inquit Christus, *Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos*, qui postmodum illud impleuit [a], *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* *Duplici spiritu.*

[a] Io. 14. 12.

10 ELIAS pallium quo induebatur, abiens reliquit discipulo suo, in beneuolentiæ monimentum, & testimonium potestatis, ac legitimæ iurisdictionis. Cum transiturus esset Dominus ex hoc mundo ad Patrem, corpus suum sacrosanctum, quo quasi habitu induta erat occulta diuinitas; nam *in similitudinem hominum factus* est, *& habitu inuentus vt homo* [b], corpus, inquam, suum, reliquit discipulis suis, infiniti amoris argumentum. *Cum*, enim, *dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Eosque vnos voluit habere panem filiorum, non mittendum canibus: verum veræ Ecclesiæ thesaurum, quem soli legitimi eius ministri conficiunt, atque conseruant. Mitto quod vterque virgo, ac virginitatis exemplar; vterque in deprauatissimo populo propheta magnus; vterque zelator, & acer propugnator gloriæ Dei, adeo vt alter diceret, *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* de altero verè vsurparetur illud, *zelus domus tuæ comedit me.* Denique vidit vterque semen longæuum. Nam Christi Domini semen, atque hæreditas, in sanctis Apostolis, ac discipulis inchoata, & in turbas innumerabiles gloriosissimorum sexus vtriusque martyrum, sanctissimorum Præsulum, Doctorum, Religiosorum, omnisque generis Confessorum, Virginum, Viduarum, Coniugatorum profusa, atque ipsa pene iam sedecim secula propagata est, atque ad finem vsque mundi progressa, vltimam æquabit æternitatem: nam *regni eius non erit finis.*

XXXVII. *Dimisso pallio.* *Virginitate,* *Prophetia, Zelo,* *Et semine longæuo.*

[b] Phil. 2. 7

QVID sedecim dico secula? Nonne ipse est Agnus occisus ab origine mundi? ad quem omnes, qui vbique gentium, ac terrarum aliquando vixere sancti, & amici Dei proprio iure pertinent, quem parentem agnoscunt, ac principem, denique perennem omnium bonorum suorum fontem, ac scaturiginem copiosam. Eorum bona pars in Hebræo populo, ab ipso Mosis, & Samuelis maxime seculo, prophetiæ dono illustres fuere, maximè autem florente Elia multiplicati sunt. Vitæ quippe sanctimonia, miraculorum fulgori copulata perstringebat oculos, animosque ad pietatem pronos adducebat ad se, minimè sanè repugnantes; adeo vt quamuis diuino cultu publicè, in regno decem tribuum, euerso, & ipsos iam 80. annos antiquato, ipsi priuatim religionem auitam non tenuerint modo, sed magnis etiam incrementis amplificarint: annitente in primis Elisæo, aliisque sanctissimis prophetis, eiusdem pietatis cultoribus, eandemque cum Elia philosophiam profitentibus, ad Ioannem vsque præcursorem, cuius etiam discipuli in Euangelio memorantur. Quæ causa fuit Nazianzeno Gregorio [c], vt Eliam & Ioannem τοὺς πάνυ φιλοσόφους, summos philosophos diceret, ad quorum videlicet imitationem, gymnasia pietatis, toto tunc orbe proseminata florebant.

XXXVIII. *Omnia secula ad Christum pertinent.* *Eliæ discipuli.*

[c] Orat. 20.

ERGO non tam vtriusque semen longæuum fuit, quasi diuersum: sed solo discretum tempore, & ceremoniarum, quæ tempus ferebat, vsu, vnum atque idem fuit. Et sicut Ioannes discipulorum suorum, ita & Elias, & Elisæus, non tam magistri quam pædagogi, & tutores potius, quam parentes à sanctis patribus celebrantur. Nec dubium est, quin si prophetæ isti, eorumque successores ad Christi tempora peruenissent, discipulos suos Ioannis exemplo, ad Christum Dominum fuissent transmissuri. Itaque Ioannem Patriarcham [d], libenter audio in hæc verba disputantem. *Intuentes quidam viri*, ait, *monachos in monte Carmelo nunc habitantes esse Christianos, putauerunt, vt asseris dilecte Caprasi, eos non esse eiusdem religionis cum illis monachis, qui olim per sanctum Dei Eliam prophetam fuerunt in eodem monte instituti, eo quod illi non fuerint Christiani, sed Iudæi. Quam autem erronea sit istorum virorum opinio, ex sequentibus tibi manifestum fiet. Antiqui nanque huius montis monachi, etsi non nomine, tamen recta fide fuerunt veri Christiani, sicut præsentes monachi; quoniam illi firmam fidem in Christum habuerunt;*

XXXIX. *Etiam tum Christi fideles.* *Ex Ioanne Patriarcha.*

[d] c. 28. libr. sui.

*à quo & animarum salutem sperauerunt, pro qua consequenda mundum reliquerunt, & animas cum corporibus suis obtulerunt Deo.*

XL. Ex eodem. DE quibus dicit Apostolus [a], *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati*, &c. De quibus postmodum concludit, *& hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt*. Si ergo teste Apostolo, illi testimonio fidei probati fuerunt, quis non videat quod ipsi non perfidi, quales sunt moderni Iudæi, sed veri fuerunt orthodoxi? Quorum tempore si Dominus Iesus Christus, quem cupiebant audire, & videre, venisset in hunc mundum, sicut in nostris venit temporibus, non minus sancti fuissent, illi, non solum fide, sed nomine Christiani, eius doctrinam, & sacramenta suscipiendo, sicut eorum successores. Hæc, aliáque plura Ioannes in eandem sententiam, pro eiusdem Eliæ successoribus, de quibus etiam ait dixisse Christum, multos prophetas, & iustos cupiisse videre, quæ videbant Apostoli, & audire quæ audiebant, nec voti compotes factos fuisse: Quo desiderio minimè affici potuissent, nisi illum ante fide cognouissent; in eum, vt redemptorem suum, spem habuissent: eumque magna charitate complexi fuissent. Quo etiam pertinet illud principis Apostolorum [b] de prophetis, qui de salute animarum scrutantes, de futura euangelica gratia prophetauerunt.

a Hebr. 11. 37. 39.

b 1 Petr. 1. 10. 11.

XLI. Et Greg. Nazian. EADEM profecta mens aliorum veterum patrum fuit. Nazianzenus enim Gregorius [c], de Machabæis loquens, quibus iam tum consecrati festi dies ab Ecclesia celebrabantur, ait eos, licet ante Christum decertarunt, dignos tamen esse, qui ab omnibus honore afficiantur, qui reipsa ostenderint quid facturi fuissent, si Christi exemplum præ oculis habuissent. Subdit autem, *Ac simul mysticus, & arcanus hic sermo est, mihi quidem, atque omnibus Dei amore preditis admodum probabilis; neminem videlicet eorum, qui ante Christi aduentum numeros omnes virtutis impleuerunt, id citra Christi fidem esse consecutum. Quamquam enim Verbum suo postea tempore liberè promulgatum est, puris tamen animis etiam postea innotuit.* In istis Dei amore præditis rectè numeretur sanctus Augustinus, qui libro decimo de Ciuitate Dei [d]. *Hoc est*, inquit, *semen dispositum per Angelos, in quorum edictis & lex dabatur, qua, & vnus Deus coli iubebatur, & hic Mediator venturus promittebatur.* Et rursum, *Huius sacramenti fide etiam iusti antiqui mundari, pie viuendo potuerunt, non solum antequam lex populo Hebræo daretur (neque enim eis prædicator Deus, vel Angeli defuerunt) sed ipsius quoque legis temporibus, quamuis in figuris rerum temporalium habere viderentur promissa carnalia*, &c. Et alibi [e], *Nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus est, vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui venturus in carne, sic antiquis sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, vt vna eademque fides per ipsum omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.*

August.

c Orat. 22. init.

d ca. 24. & 25.

e l. 18. c. 47. vide & l. 2. de vis. infir c. 1. & epist. 49. q. 2. &c.

XLII. Et Leone Papa. ELEGANTER de more Leo Magnus [f], ait Dei propositum fuisse, vt ad omnium generationum secula pertineret, quod peccatum mundi placuerit in Iesu Christi natiuitate, ac passione delere: *nec turbarent nos*, inquit, *sed potius confirmarent mysteria, pro temporum ratione variata, quum fides, qua viuimus, nulla fuerit ætate diuersa.* Et mox, *Verbi incarnatio hoc contulit facienda, quæ facta. Et sacramentum salutis humanæ in nulla vnquam antiquitate cessauit. Quod prædicauerunt Apostoli, hoc annunciauerunt prophetæ, nec sero est impletum, quod semper est creditum.* Sermone quoque primo de Passione Domini, *Non enim quia, secundum inscrutabile propositū sapientiæ Dei, nouissimis diebus Verbum caro factum est ideo salutifera Virginis partus extremi tantum temporis generationibus profuit, & non se etiam in præteritas refudit ætates. Omnis prorsus antiquitas colentium Deum verum; omnis numerus apud priora secula sanctorum, sacra fide vixit, & placuit; & neque Patriarchis, neque Prophetis, neque cuiquā omnino sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi, salus, & iustificatio fuit, quæ sicut expectabatur multis Prophetarum oraculis, signisque promissa, ita est etiam ipso munere, atque opere præsentata.* Hæc sanctus ille Pontifex. Superest, vt ad hoc quasi funus magni Prophetæ, quoniam eum Scriptura, communisque Patrum consensus viuentem prædicat, cohonestandum, non epitaphium mortui, sed debitum virtuti viuentis elogium, pio lectori demus, quod ad limen Carmelitanæ speluncæ appendatur.

f serm. 3 de Nat.

HANC ALIQVANDO SPELVNCAM INCOLVIT, VIATOR, QVI PRÆTER NATVRÆ ORDINEM FACTVS EST PARADISI COLONVS, ET IMMORTALITATIS IN MORTALI CORPORE CANDIDATVS: MAGNVM ILLVD PROPHETARVM LVMEN ELIAS THESBITES, IN VESTE CILICINA, IN HORRIDO AC NEGLECTO CAPILLO, IN PROPHETICO PALLIO, IN MELOTE, PELLICEAQVE ZONA. HOC ILLE SOLVM RIGABAT LACHRIMIS, HAS TENEBRAS DIVINARVM ILLVSTRATIONVM COPIA EFFICIEBAT ILLVSTRES; IPSVM DENIQVE INFORME, OLIDVMQVE ANTRVM, PRECVM SVARVM BALSAMO REDDEBAT ODORATVM. HÎC SPIRITVM FERVORIS VATES HAVRIEBAT, QVO DECEM TRIBVS SACRILEGÆ IMPIETATIS REAS, DVORVM ET 40. MENSIVM STERILITATE AFFLIXIT; QVO IMPVRISSIMÆ VANITATIS ARCHITECTOS, MAGOS, ARIOLOS, PSEVDOPROPHETAS, PRÆSTIGIARVM CONVICTOS, AD OCTINGENTOS ET QVINQVAGINTA MORTI DEDIT: QVO PROFANVM IPSVM REGEM, IN SVAM PERNICIEM CONIVRATVM, INCREPVIT PALAM: ET VERBORVM PONDERE AFFLICTVM, AD SACCVM ET CINERES, INFIMAMQVE COMPVLIT HVMILITATEM. HIC ILLE EST ELIAS, QVI 40. DIERVM CONTINENTIS IEIVNII PROLVSIONE VSVS, AD BIS MILLE QVINGENTOS ET TRIGINTA QVINQVE ANNOS, IVGEM AD HANC DIEM, AC PERPETEM, CIBI POTVSQVE ABSTINENTIAM PROTRAXIT; AD ILLVMQVE PROTRAHET DIEM, QVO POST RIGATA MORTALIVM CORDA, TOT MENSIVM CVRRICVLO, QVOT OLIM TERRAM STERILI SICCITATE DAMNAVERAT, IN CONSPECTVM SE DABIT OMNIVM IMPORTVNISSIMI, CRVENTISSIMIQVE TYRANNI ANTICHRISTI. A QVO CVM CONSORTE PRÆDICATIONIS ENOCHO, MORTI DATVS, [a] POST TRIDVVM REDIVIVVS RECIPIETVR IN COELVM. XLIII. *Elogium Eliæ.*

[a] Apoc. 11.

HIC EST QVI MEDIOS INTER SONORÆ TEMPESTATIS FRAGORES, ET CONCVSSOS, FLAGRANTESQVE IN HOREBO MONTES, SVAVISSIMÆ AVRÆ SIBILVM, OPERTO VVLTV PALLIO, ATTENTVS EXCIPIT; QVI REGES VNGIT, AC PROPHETAS VINDICES INIVRIARVM DEI; QVI CORDA FILIORVM CONVERTIT AD PATRES, IMO AD OMNIVM PARENTEM DEVM; ET PER MEDIOS INIQVITATIS TORRENTES, LECTOS PROPHETARVM ET RELIGIOSORVM IN CARMELO, TOTAQVE CHANANITIDE MANIPVLOS, SVI ÆMVLOS, ATQVE IMITATORES INSTITVTI, AD COELESTEM VITAM, MVNDO IGNOTAM, AC CONTEMPTAM TRADVCENDAM ADDVXIT, TOT SECVLIS SVARVM PRECVM, QVASI FACVLARVM ARDORE CALEFECIT, ET AD HANC DIEM, TOT INTER RERVM, LOCORVM, TEMPORVMQVE VARIETATES, CONSTANTES REDDIDIT MAGNI SVI PATRIARCHÆ SECTATORES. ABIIT AB HOMINIBVS IOSAPHATI REGIS IVDÆ ANNO DECIMO NONO, MVNDI TER MILLESIMO CENTESIMO VNDE QVADRAGESIMO. POST ENOCHI TRANSLATIONEM BIS MILLESIMO CENTESIMO QVINQVAGESIMO SECVNDO. XLIV. *Et sectatorum eius.*

Ac ne quis nostrum hoc beneuolentiæ potius erga religiosissimum Carmelitarum ordinem, quam veritatis testimonium putet, quod eos sanctissimi Eliæ XLV. *Cum summorum*

*tificum testimonium, ac decretis.*

discipulos, atque imitatores agnoscamus, audiat is Sixti quarti Romani pontificis constitutionem, anno à sacrosancto Christi natali 1477. editam, vbi inter alia, *Ordinem*, inquit, *ipsum, atque illius personas, sub sedis Apostolicæ, & ecclesiæ Romanæ protectione immediate existentes, & inter cæteros regularium ordinum professores, in firmamento catholicæ fidei militantes, tanquam religionis speculum, & exemplar speciali charitate fulgentes, sanctorumque prophetarum Eliæ, & Elisæi, & aliorum patrum, qui montem sanctum Carmeli, iuxta Eliæ fontem habitarunt, successionem hereditariam tenentes*, &c. Clemens quoque octauus in constitutione, qua nouæ discalceatorum reformationis Cõstitutiones confirmauit, successionem hanc hereditariam ab Elia propheta eos habere declarauit. Quin etiam Sixtus quintus decreto constituit, vt Carmelitarum religio Eliam & Elisæum, suæ institutionis patronos coleret, & in eorum memoriam dies festos ageret, eosque officiis propriis decantandis honoraret: quod ab ipsis studiose vbique seruatur. Verum hac de re plura suggeret P. Thomas à Iesu, vir in eodem ordine doctrina, ac pietate clarus. Nos ad institutum post nonnullam aberrationem, fouendæ pietati opportunam, orationem conuertamus.

*Bulla habetur in Constituti. eiusdem ordin.*

*In exposit. in reg. 1. p. c. 1. §. 1 fulc*

XLVI. *Regreditur cum pallio Elisæus.*

ELISÆVS ergo subtracto ab oculis suis spectaculo translationis, & quasi gloriosi triumphi præceptoris sui, non vltra sibi, quasi ad eum inquirendum, progrediendum putauit, sed noua erga multiplicem familiam sibi commissam sollicitudine incitatus, ad ipsam regreditur, *Et leuauit pallium Eliæ quod ceciderat ei*; Dubium videtur cui ceciderit pallium, & proculdubio dicendum est cecidisse Eliæ in currum ascendenti: alioqui dicendum fuisset, quod ceciderat sibi. Et cum pallium hoc magni thesauri, ac muneris instar complecteretur Elisæus, nõ vtique cecidisset; & quamuis cecidisset, non videbatur operæpretium id referre, sicut quod Eliæ, non vtique casu, sed non leui mysterio cecidisset; vt scilicet tam ipsi, quam cæteris Eliæ discipulis innotesceret, se in officio, sicut in pallio prophetali successisse, sibique miraculorum factam esse potestatem, vt qui pallium adeptus esset, quo proximè Elias insigne miraculum, ediderat. Recordaretur quoque vocationis suæ, quam pridem eiusdem pallij iniectione acceperat. Græca Sixti editio significat ita pallium ab humeris Eliæ cecidisse, vt ex alto in Elisæum ipsum decideret; habet enim; *& leuauit melotem Eliæ, quæ ceciderat desuper Elisæum.* καὶ ὕψωσε τὴν μηλωτὴν Ἠλιού (αὐτοῦ,) ἣ ἔπεσεν ἐπάνωθεν Ἐλισαιέ, fortasse agnoscenda vocabulorum traiectio, in hunc modum. καὶ ἰσαντος ὕψωσε τὴν μηλωτὴν Ἠλιού, ἣ ἔπεσεν ἐπάνωθεν αὐτοῦ. vt Græca Hebræis, & Latinis consentiant.

XLVII. *Et cum eo diuidit Iordanem.*

REVERSVSQVE *stetit super ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ.* Quæ postrema verba absunt ab Hebræo, & plerisque Græcis, & Latinis codicibus; sunt tamen in 70. Complut. & regiis, & ea videntur legisse Theodoretus & Procopius, & nunc in Latinis emendatis habentur, & nisi scribantur subintelligenda sunt. Id enim geminata percussio, & Elisæi admiratio, siue querela vt ait Abulensis [a] demonstrat, ideoque ab Hieronymo suppleta putantur. *Et dixit, vbi est Deus Eliæ etiam nunc?* 3 *Non quod putaret absentem*, ait S. Ambrosius, [b] *sed quia præsentiam eius in beneficiis requirebat. Et percussit aquas*, inquit Chaldæus, *& dixit, Suscipe petitionem meam Domine Deus Eliæ, etiam ipse.* Aut, Quomodo non adest nobis Dominus, qui Eliæ paulo ante in simili actione affuit, si in me resedit spiritus Eliæ, quem abeuntem perspexi? quod clamore testatus sum, qui pallium hoc promissionis magistri mei pignus accepi? In hac autem admiratione non diffidebat se aperiturum Iordanem, sicut Eliam; alioqui enim cum ne secunda quidem percussione diuisisset. *Qui enim hæsitat, non existimet*, ait Iacobus, [c] *quod accipiat aliquid à Domino.* Præsertim cum, ob spem frustratam, amplius etiam, iterando percussionem, dubitasset.

*a Tostat. in exp. tex. 3. q. 2.*
*b In Ps. 37. in ea verba, Cor meum conturbatum est.*
*c ca. 1 v. 6.*

XLVIII. *Iterata percussione.*

DICAMVS ergo cum Tostato [d] sapienter factum diuina prouidentia, vt aquæ Iordanis prima pallij percussione non diuiderentur, ne nouus propheta, spiritu prophetico recens accepto, cuipiam vanitati, & inani lætitiæ succumberet, si illico diuiderentur aquæ, sed vt ad Deum oratione recurreret; in eaque merita Eliæ imploraret, quibus id miraculum tribueretur; sicque tantula miraculi dilatio ad maius magnæ virtutis incrementum proficeret. Nec minore propterea apud suos authoritate, aut virtutis opinione valeret. Nam videntes

*d q. 28. in c. 2.*

filij prophetarum, qui erant in Iericho è contra, videlicet versus Iericho, in eo loco, in quo paulo ante substiterant, qui videtur fuisse collis aliquis, vnde prospectus in longinquum pateret. Et certe ex Iericho ciues non poterant videre Elisæum diuidentem aquas; cum, iuxta topographiam Adrichomij, duarum minimũ horarum itinere distet Iericho à Iordane. Hi ergo viso prodigio aperti rursum Iordanis, inter se *dixerunt, Requieuit spiritus Eliæ super Elisæum. Et venientes in occursum eius, adorauerunt eum proni in terram.* Magna quippe illi viro veneratio debebatur, qui tanti à Deo miraculi potestatem accepisset, & quem suum ipsi superiorem, & spiritualem patrem agnoscerent, in eius pallio, qui prius eodem officio fungebatur. *Honoratur, ac suscipitur à filiis prophetarum.*

Abul. Vatab. — DIXERVNTQVE *illi, Ecce cum seruis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere Dominum tuum*, De seipsis loquuntur in tertia persona: erant enim ipsi 50. viri, vt paulo ante dictum fuerat, [a] qui egressi erant ex oppido; nec minus Eliam Dominum suum censent, quam Dominum Elisæi, sicut cum Israëlitæ dicebant Samueli. [b] *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur.* Et Saul, *pepercit populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo.* Cur autem quærere cupiunt? *Ne forte tulerit eum spiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnam vallium*, vi scilicet turbinis deficiente, ceciderit in aliquem locum; Quæ Abdiæ quoque mens erat, cum diceret Eliæ. *Cum recessero à te, spiritus Domini asportabit te, in locum quem ego ignoro*: quod significat id non fuisse infrequens Eliæ, vt propterea eius rei, & consuetudinis non ignari discipuli, in eam opinionem venirent. Elisæus autem, qui probe sciebat non ad breue tempus à Domino absconditum Eliam, vt superioribus annis in torrente Carith, in Sarephta, in monte Horeb, eiusque deserto: sed ita absconditum, vt eum deinceps nemo visurus esset in terris, ait eis, *Nolite mittere.* XLIX. *Qui volũt Eliam inquirere.*

a ca. 2. v. 7.
b 1. Reg 12. 19.

QVASI dicat, [c] si putatis Eliam de more à spiritu Domini sublatum, non est cur eum præter morem inquiratis, pro sua enim consuetudine reuertetur; & inutilis erit labor vester; sin autem creditis eum plane ab hominum consuetudine abductum, tanto minus hic à vobis suscipiendus est labor; neque enim inuenturi estis eum: & quamuis eum inueniretis, nequaquam tamen illi reditum, contra diuinæ prouidentiæ rationem, persuaderetis. Non rediturum autem ipsum ad nos ex eo intelligere potestis, quod præter consuetudinem potestatem suam omnem vaticiniorum, prodigiorum, & gubernationis religiosarum familiarum, alteri in perpetuum commisit, ac credidit. Illi nihilominus importunis eum precibus perpulerunt, ad assentiendum eorum voluntati, ne si perstaret in sententia, nonnullum daret illi suspicioni locum, nolle ipsum Eliam redire, vt deinceps eo excluso, inter prophetas ac religiosos viros, vnus ipse principatum obtineret. Quod plurimum deinde rectæ ipsius administrationi, & subditorum erga se beneuolentiæ, & quieti obfuisset. Idque in Græco textu, Hebræoque significatur, vbi pro *donec acquiesceret*, legitur *donec pudesieret.* L. *Dissuadente, & tandem permittente Elisæo.*

c Abul. q. 19 & 30. in c. 2.

MISERVNT ergo quinquaginta viros, aut iuxta præcedentem expositionem, [d] iuerunt ipsi omnes, diuisisque inter se trans Iordanem locis, omnia per quam studiosè lustrarunt, si quid vspiam de Elia inaudirent; *qui cum quæsissent tribus diebus non inuenerunt. Et reuersi sunt ad eum. At ille habitabat*, siue substiterat *in Iericho*; interim scilicet dum illi quærerent, & spe frustrati reuerterentur; idque Hebræo, Græcoque textui consentaneum est, & iis quæ mox subiiciuntur de migratione eius in Bethel. Videtur enim potius in Carmelo habitasse, exemplo Eliæ; & aliquanto post illuc, ad eum adiuit mulier Sunamitis, per cuius ædes transibat Elisæus, [e] cum frequens collegia prophetarum, aut Samariam inuiseret. Triduo vero illo, dum suos, qui ibi habitabant, prophetas, ac religiosos consolatur, atque exhortatur ad perfectionem (nam hoc decimonono Iosaphati anno Elisæum cœpisse pascere Israëlem, vsque ad 10. annum Ioas scribunt Hebræi in Seder olam) [f]. Hierichontini ciues videntes eum Eliæ successisse, ac gratia miraculorum esse præditum, vt qui post eius migrationem, Iordanem mirabiliter aperuisset, perque eum sicco vestigio transisset: pro sanandis Ierichuntinis aquis eum exorarunt. Hoc enim prodigium, sicut & sequens de pueris occisis, ad hoc ipsum tempus videtur pertinere, nec vlla prorsus occurrit ra- LI. *Redeunt irrito labore.* *Habitatio Elisæi.*

d nu. 49.
ἐκάθητο.
e 4. Reg. 4. 25.
f c. 19.

tio, cur quæ Scriptura narratione coniunxit, nos tempore distrahamus, & in alium minus certum locum transferamus.

LII. *Oratur pro aquarum salubritate.*

Dixervnt *quoque viri ciuitatis* Ierichuntinæ *ad Elisæum. Ecce habitatio ciuitatis huius optima est*; salubris scilicet aër, situs commodus, & apte ad solem, & ventos habitatio constituta, *sicut tu ipse Domine perspicis. Sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.* At quomodo habitatio ciuitatis optima in amaris aquis, in sterili terra? Hebraice terra dicitur *orbans*, quo etiam respexerunt Septuag. à quibus dicitur ἀτεκνουμένη, id est fructibus, quasi filiis orbata. Non quidem tota, alioqui enim plane deserta fuisset, nec reperiretur qui ibi domicilium eligeret. Cum ergo terra sterilis dicitur, intelligendum id est, non de tota terra, quam mox fertilissimam fuisse ex Iosepho docebimus, sed de ea quæ id vitium ex aqua noxia præterfluente, qua imbuebatur contrahebat, idque ex allata medicina aperte conuincitur. Solas enim aquas sanauit Elisæus, & terræ sterilitas depulsa est; alioqui reliqua regio suam retinuisset sterilitatem, nec Ierichuntinorum desiderio fuisset factum satis. Male itaque is, qui Hebræum hoc loco vertit, *regio facit abortum*, priusque explicans, *hoc est*, inquit, *neque hominum & animantium fœtus, neque terræ fructus ad iustam maturitatem peruenire sinit.* Quis enim non malit in Arabiæ desertis, aut arenis Libyæ habitare, vt ne saltem frustratus expectatione affligatur? Iun. sectat.

LIII. *Quam sale iniecto confert.*

Elisævs sortem Ierichuntinorum miseratus, opem allaturus, *Afferte* ait *mihi vas nouum, & mittite in illud sal*; vas nouum requirit nullo adhuc sapore imbutum, ne qua ex parte in conspectu hominum miraculi minueretur autoritas, si forte illi suspicarentur inditum saporem aliquid ad tollendum aquæ amarorem contulisse. [a] Quæ fuit etiam causa vt non ipse mitteret sal in vas, & omnem à se fraudis, & præstigiarum suspicionem amoliretur. Id vas cum illi attulissent, egressus Elisæus ad fontem aquarum, misit in illum sal, cum vase videlicet, vt ait Iosephus, [b] & Abulensis; nisi forte vas tantum vsui fuit, ad deferendum salem, ad scaturiginem fontis. Misit autem ipsemet sal in fontem, vel cum vase, vel sine eo, quia in ea actione consistebat miraculum, quod vni Elisæo tribuendum erat, qui cum fide verba proferret, quæ Dominus ei suggerebat. Ideoque *hæc dicit Dominus*, inquit, *Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors*, id est ab eis mors in homines, aut animalia, quæ eas potabunt, *neque sterilitas*, in terra, quæ eis imbuetur.

a Abul. q. 31.

b l. 5. de bell. c. 4.

LIV. *in perpetuum, redditque meliores.*

Sanatæ *sunt ergo aquæ vsque in diem hanc*, inquit scriptor sacer, siue is fuit Ieremias, vt ait Tostatus, siue alius quispiam, imo & vsque ad præsentem diem, post bis mille quingentos triginta annos, & vltra. Quamuis autem probabile sit ita corruptas fuisse has aquas, quando Iosue maledixit vrbi Iericho, & eam Dominus anathemati subiecit, quod alioqui ante habitata non fuisset terra illa; aut, vt quidã Rabini volunt, ex quo Hiel eam restaurauit, probabilius tamen est fontem hunc à principio amarum, & terram, quæ eo allueretur sterilem fuisse, reliquam tamen regionem valde vberem, eaque vbertate allectos homines locum etiam tempore Elisæi frequentasse; ad potum autem, vt cætera fere in Palæstina, aquis pluuiis, & cisternis vsos fuisse. Donec collata diuinitus fonti, Elisæi ministerio, salubritate, multo cæteris fortasse præstantiores, vt Iosepho placet, siue ad potum, siue ad terræ fœcunditatem factæ sunt. Iuxta Christi Domini in edendis miraculis consuetudinem; qui non solum vitium tollebat è membris infirmis, [c] sed sanitatem etiam, cum virium incremento, reddebat: Sic aquam in nuptiis non solum conuertit in vinum, sed vinum longe optimum, atque nobilissimum.

913 / 1621 / 2534

c Abul q. 35. in c. 2.

LV. *Opus diuinæ potentiæ.*

Divinæ potentiæ fuisse hoc opus ex eo patet, quod sal natura sua inferre solet sterilitatem non auferre. Nam ea loca quæ salsis alluuntur aquis plane sterilia redduntur. Nec mirum, sal enim omnem humorem, quo herbæ frugesve nutriendæ sunt, exsiccat, atque exurit; Ita Elias [d] ante annos aliquot, cum ignẽ deuocaturus esset è cœlo, ad consumendum in Carmelo monte holocaustum, illud duodecim hydriis aquæ perfundi iussit, cum nihil sit igni aqua inimicius. Sic deinde Christus Dominus luto liniendo oculos, cœco lumen dedit, cum luto potius oculi excæcari possint. Et huc fortasse respexisse videatur Iacobus Apostolus [e] cum diceret, *Numquid potest fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus? sic neque salsa dulcem potest facere aquam*; fieri tamen potuit, vt ait in sacra philoso-

*An consentaneum naturæ.*

d 3. Reg. 18. 34.

e c. 3. 12.

[a ca. 34.] phia Vallesius, [a] vt vitium illud aquæ non fuerit salsugo, sed corruptio putrida & olida, quæ salis admixtione corrigitur. Nam sal calidæ & siccæ naturæ cum sit, & facile cum aqua dissolutus commisceatur, putres in ea siue vapores, siue partes absumit, & putredinem emendat, vt diutius retineat integritatem. Neque tamen propterea miraculum eleuatur. Nam quamuis consentaneum sit id vitium fuisse aquarum Ierichuntis, & Elisæum in earum curatione naturalem ordinem tenuisse; Deus tamen maximam addidit, supraque naturæ vires tantulo sali facultatem, vt tam multæ aquæ expurgari possent, & earum salubritas conseruari vsque in præsentem diem.

LVI. *Eadem historia ex Iosepho.*

[b l. 5. c. 4.] Historiam hanc Iosephus, hoc omissam loco, in librum de bello Iudaico transtulit, [b] quam nos huc, proprium scilicet locum, & suum transferemus. *Ad ipsam vero Iericho*, inquit, *largißimus fons est, rigandisque aruis vberrimus, iuxta veterem scaturiens ciuitatem: quam Iesus Naue filius, Hebræorum ductor primam in Chananæorum terra bello posiderat. Hunc fontem aliquando ferunt non solum terræ, atque lignorum fructus, sed etiam fœminarum partum obtundere solitum, cunctaque pariter morbo ac peste corrumpere? Postea vero mansueuisse, contraque saluberrimum ac feracißimum esse factum ab Elisæo propheta, qui Eliæ notus fuerat, atque successerat. Receptus enim hospitio ab Ierichuntinis habitatoribus, quod humaniores eos expertus erat, ipsos & omnem illam regionem perpetua gratia remuneratus est: progressusque ad fontem lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit. Iuxta deinde ad cœlum dexteram tendens, fontique immergens* [σπονδὰς μειλικτηρίους.] *blanda libamina, ipsum quidem precabatur vt fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret.*

LVII. *Ex eodem.*

Coelvm *vero vt fœcundioribus auris flumina temperaret, orabat: tamque vbertatem fructuum, quam succeßionem prolis daret indigenis; nec eos genitrix filiorum aqua deficeret, quoad iusti manerent. Ad has preces ex disciplina manibus quoque multa operatus, fontem immutauit; & qui antea his causa erat orbitatis ac famis, idem victus, ac fœcunditatis author est effectus. Denique rigationis eius tanta potentia est, vt si attigerit modo terram, sapidior sit, aquis diu perseuerantibus. Vnde eo quæ largius abutuntur, exiguum emolumentum habent, quæ vero parcius, plurimum. Amplius tamen quam cæteri fontes spatium rigat, & septuaginta quidem stadiis longam, viginti autem latam planiciem permeat.* Hæc, atque aliquanto etiam plura Iosephus.

LVIII. *Examinatur.*

Ampliorem enim multo facit Iosephus hanc narrationem, quam veritas exigebat. Nam Scriptura verbum nullum de mulierum sterilitate facit, sed terram duntaxat sterilem dicit, nec Hebræa vox aut Græca, quæ ex quorundam interpretatione orbitatem sonat, aliter accipienda est, quam pro materiæ de qua agitur conditione. Agitur autem de terra, quæ metaphorice orba dicitur, vel orbatrix, quod fructibus suis quasi filiis careat, iisque mortales priuet. Vere- [c Ser. 2. de Elisæo pro.] cundius tamen hic Iosephum improbo, quod sciam D. Ambrosium [c] eum hoc loco secutum esse. Nimia quoque fortasse videatur illa amplificatio, quod non solum terræ ac lignorum fructus, & mulierum partus ab his aquis dicat obtundi, sed cuncta pariter morbo ac peste corrumpi. Id enim si verum fuisset, plane [Καθόλου τε πᾶσαν εἶναι νοσώδη τε καὶ φθαρτικὴν πηγήν.] desertus, vt dixi, fuisset ille locus: qui tamen & ante Israëlitarum aduentum erat cultissimus, & ibidem ciuitas non ita pridem, Achabi tempore fuerat restituta, multorumque etiam religiosorum hominum habitatione frequentata. Quomodo autem vere diceretur habitatio illius ciuitatis bona, si aquæ non solum amaræ essent, sed cuncta pariter morbo ac peste corrumperent?

LIX. *Et in quibusdam improbatur.*

Vice autem versa, cum aquam deinceps factam saluberrimam, feracissimam, & tantæ potentiæ, vt solo tactu, & quidem leui, terram efficiat fertilem prædicat, ea prædicat quæ ex Scriptura probare non potest: quæ nihil aliud quam sanatas aquas affirmat, id est à natiuo vitio purgatas, ne deinceps mortem, aut sterilitatem afferrent. Cætera suspicioni, & coniecturæ relinquenda erant. Sed vt hæc oratori, sua ambitiosius amplificanti concedantur Quis ferat hanc chirurgicam miraculorum disciplinam, cuius Elisæum professorem facit? quis blanda illa, & mellita libamina in fontem immersa, superstitiose excogitata, [*Superstitionis fauet.*] cum constet nihil præter sal, in fontem immissum? Illud autem plane profanum & impium, quod ait prophetam fontem ipsum precatum esse, vt fluenta leniret, ac dulciores aquarũ venas aperiret, quasi diuinitas quædam, vt putabant

idololatræ, aquis inesset. Cœlum etiam, vt ex Græco liquet, orasse ait, vt fœcundioribus auris flumina temperaret, quod non de authore cœli, sed de cœlo ipso eum accepisse, ex simili facta ad fontem precatione constare potest. Ita se Iosephus Ethnicorum captui accommodare voluit, vt non solum superstitiosos eorum ritus foueret, sed sanctissimum etiam prophetam faceret idololatram.

LX. *Elisæus illuditur à pueris.* ASCENDIT *autem* Elisæus ex Iericho, quæ erat in campestribus, in oppidum Bethel, *cumque ascenderet per viam, pueri parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes, Ascende calue, ascende calue.* Erant pueri isti quamuis parui, doli ac malitiæ capaces, qui scirent caluitium esse aliquid exprobabile. Probro enim ducebatur caput cæsarie viduatum; quod simile appareat arboribus fronde carentibus, gramine campis, pluma volucribus. Quo ex sensu S. Ambrosius, [a] *Ipse autem vertex capitis,* inquit, *quam suauis & gratus? quam speciosa cæsaries? quam reuerenda in senibus, quam veneranda in sacerdotibus, quam terribilis in bellatoribus, quam decora in adolescentibus, quam compta in mulieribus, quam dulcis in pueris?* *Ob caluitium.* Caluitij deformitatem iniquissime ferebat Iulius Cæsar, obtrectatorum iocis sæpe expertus obnoxiam. Et Domitianus caluitio ita offendebatur, vt in contumeliam suam traheret, si cui alij in ioco, vel iurgio obiectaretur, vt de vtroque scripsit Sueton. [b] Est autem maxime exprobrabile caluitium, si ex culpa contigerit huius modi depilatio. Et cum in senectute facile feratur, extra eam viros caluitium sibi pudori ducere indicio est, quod pileolo, aut ementita cæsarie illud obtegant.

a in 6. hexa. c. 9.

b ca. 45 & ca. 18.

LXI. *Non impune.* PVERILI quoque petulantia offensus est Elisæus, *& cum respexisset,* Hebræi, Græci, Chaldæi codices addunt *post se*; ex quo intelligitur prophetam fuisse in ascensu montis, pueros autem in planicie à tergo eius. Conuersus ergo *vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini*, id est inuocato Dei nomine pueris à Deo punitionem expetit, quæ in parentes, qui istiusmodi licentiam patiebantur in pueris, redundaret. Nec abfuit ab hac petitione diuina inspiratio, quoniam Deus contemptum sui, in propheta suo, volebat vlcisci. [c] Itaque sentiendum potius, quam Elisæum motum impatientia, & vltionis in illusores desiderio, *Sine culpa propheta.* stultæ, ac male moratæ pueritiæ maledixisse. *Ergo egressi sunt duo vrsi de saltu*, qui facto celeriter, modo in hos, modo in illos impetu, *lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros.* Sic docuit Dominus honorem & ætati, & dignitati tribuendum: quantumque sibi displiceat illata seruis suis contumelia; quamque eam seuere aliquando in grandioribus vlturus sit, quam tot puerorum, leuitate magis quam malitia peccantium, terribili laceratione iudicauerit esse puniendam.

c D. Tho. 12. q. 108. ar. 1. ad 4.

LXII. *Sed Dei Zelo.* AVTHOR mirabilium sacræ Scripturæ [d] ait Elisæum non propriæ iniuriæ dolore pueris maledixisse, sed zelo commotum in parentes, à Domino Deo, & lege patrum suorum auersos, qui in eadem ciuitate Bethel, vbi alter vitulorum collocatus fuerat à Ieroboamo, idolis immolabant, quibus fortasse, vt tunc in more positum erat profanis illis hominibus, ipsi puerul erant consecrati. S. Augustinus [e] respondens Manichæis, qui Elisæum crudelitatis insimulabant, ait *Et cum iustitia.* parentes in filiorum pœna castigatos, qui parentibus suis instigantibus prophetæ insultabant, vt percussis paruulis, maiores reciperent disciplinam, & mors filiorum, fieret disciplina parentum. Et prophetam, quem mirabilia facientem nolebant amare, discerent vel timere. *Quin imo hac pœna,* inquit Procopius, [f] *magnum cum ipsis pueris, tum etiam parentibus ipsorum beneficium contulit. Illis quidem, quod crescentem progressu temporis malitiam eorum inhibuit; his vero, docendo, ne liberos hoc modo educarent, sed in timore Domini, & bonorum reuerentia.* [g] *Adultos etiam instituit, quando neque teneræ ætati pepercit. Omnino autem Dei iudicium, dum pueri adhuc essent, eos è medio sustulit, quos deteriores fore prouidebat. Ipsorum interitu, ipsos etiam qui tales non erant erudiens.*

d l. 2. c. 25.

e Ser. 204

f In 4. Reg.

g Vide Iust. q. 20.

LXIII. *Abit in Carmelu.* ABIIT *autem inde* Elisæus *in montem Carmeli*, [h] suos, qui eum montem incolebant, visitaturus: populi etiam fortasse indignationem in se, ad tempus aliquod declinaturus. In transitu autem hospitio Sunamitidis vsus est, vt sequenti anno dicemus: *& inde reuersus est in Samariam,* ait Scriptura, quo scilicet eum Spiritus Domini ducebat, vt imminenti expeditioni contra Moabitas interesset. & *Ioramus bellum parat.* Hebræorum regibus opem ferret. Ioramus enim rex Israëlis filius Achabi, dum hæc fiunt, post duorum regum eodem anno funera, & iusta parenti, & fratri

h 4 Reg. 2. 25.

persoluta, vix bene suscepto imperio, contra fœdifragum Moabitam arma quamprimum parat, Regisq; Iudæ, & Idumæorum auxiliares copias corrogat. Quæ priusquam à Scriptura narrentur, pauca quæ ad mores Iorami pertinent, præmittuntur. *Et fecit malum*, inquit, *coram Domino, sed non sicut pater suus, & mater:* adde & fratrem Ochosiam. *Tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater eius. Veruntamen in peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel adhæsit, nec recessit ab eis.*

MAGNO prorsus labore factum videtur, vt statuas Baalis, quas fecerat Achab, è regno suo auferret, quod ad patris sui condemnationem facere videbatur. Accedebat quod viueret adhuc impia Iezabel mater eius, quæ nefariam hanc idololatriam, Achabo dementato, recens in regnum Israëlis inuexerat. Credi autem non immerito potest Deum hanc illi mentem per Iosaphatum, belli suscipiendi occasione, indidisse. Cum enim Ioramus opera eius in bello Moabitico vellet vti, neque acquiesceret Iosaphatus, vt qui nuper ob datum Achabo patri eius auxilium reprehensus fuisset à Iehu filio Hanani; [a] eam præbendi auxilij conditionem videtur Iosaphatus obtulisse, si ille idolum Baalis è medio tolleret, sperans se illum paulatim ad Dei cultum penitus reuocaturum. Quam ille conditionem cum recepisset, merito illi cum suis in auxilium venit; Cur autem etiam vitulos non abstulerit, causa fuisse potest, quod Baalis cultus recens esset, ille autem inueteratus. Et manere poterat antiquus ille timor, qui Ieroboamum perdiderat, ne si populus Hierosolymam sacrorum causa frequentaret, eadem opera Iosaphatum illius regem, in suum regem, se deserto, atque exautorato, assumerent. Quod autem de statuta à Iosaphato conditione diximus, ex eo confirmatur, quod nunquam de hac armorum societate reprehensus fuit; & sine vlla cunctatione, non solum de auxilio, sed de sua etiam profectione petenti Ioramo annuit; & in eius gratiam Elisæus insigne miraculum edidit.

LXIV. *Aufert Baalis statuas, & qua occasione.*

*Cur non & vitulos.*

a 2. Paral. 19.2.

HABET ergo hic quoque annus expeditionem duorum regum, aut trium etiam si placet, addito rege, aut prorege potius Idumæorum stipendiario Iosaphati, contra Moabitas. Proregem dico propter illa verba tertij Regum extremi. [b] *Non erat tunc rex constitutus in Edom.* Ioramus tamen rex Israël eum mox regem vocat, [c] atque ipsemet Scriptor sacer; Iosephus quoque sub initium libri noni, vbi hanc historiam persequitur: & forte ab eo tempore hoc illum titulo Iosaphatus ornari passus fuerat. Hunc autem regem Moabitarum, quem editio Latina, Hebræaque vocat Mesa, Septuaginta appellant Mosa, & aiunt fuisse *Noced*, quæ est Hebræa vox, quam quidam apud Theodoretum, ipso minime repugnante, interpretati sunt ἀρχιποίμενα principem pastorum, alij pecuarium, vel armentarium, alij diuitem pecoris, dominum gregis; quæ omnia eodem redeunt cum vulgata, *nutriebat pecora multa.* Erat enim Moabitarum regio, eique vicina prouincia, quam Israëlitæ trans Iordanem occupabant, admodum pascua, Quæ causa fuit Rubenitis, & sociis, vt eam sibi sortem à Mose peterent. [d]

LXV. *Idumaus an rex.*

b ca.22. v. 48.
c 4. Reg. 3. 9.10.12.13.

נקד

*Rex Moabitarum pecuarius.*

d Num. 32.1.

CAVSAM belli huius, quam superiori quoque anno attigimus, Scriptor sacer in hæc verba præmittit, *Porro Mesa rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum, cum velleribus suis*, id est priusquam tonderentur, arietum lanatorum. *Cumque mortuus fuisset Achab, præuaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Israel.* Est enim naturale, vt quicumque sub onere gemunt, in omnem eius excutiendi occasionem intenti excubent. Cum autem paulo post Achabum, mortuus quoque esset Ochosias, hanc sibi gratulatus est fœlicitatem; sed breuis admodum, atque inanis fuit illa gratulatio. Nam mox à suscepto regno, *egressus est Ioram de Samaria, & recensuit vniuersum Israelem*, quem circa ciuitatem Samariam congregari iusserat. *Misitque ad Iosaphat regem Iuda, dicens: Rex Moab recessit à me*, repudiata soliti pensitatione tributi; *Veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit, Ascendam, qui meus est, tuus est, populus meus, populus tuus, & equi mei, equi tui*; vteris peditatu, atque equitatu meo perinde ac tuo. Liberaliter sane, sed & prudenter. Vidit enim suam quoque rem agi, in hac expeditione contra Moabitam: qui si defectionem impune tulisset, illico Idumæus Iudæ tributarius, eius secutus esset exemplum.

LXVI. *Causa belli.*

LXVII. *De via inquiritur.*

IOSAPHAT ergo cum in hanc expeditionem consensisset, simul etiam quæsiuit per quam viam placeret ascendere in Moabitidem, & hostem adoriri. Licebat enim transmisso ad Galgala Iordane, per tribum Ruben eum inuadere; quæ via erat expeditissima. Licebat & per Idumææ desertum, in quo olim duce Mose diu oberrarunt Israëlitæ: quam viam Iosaphat eligendam putauit, quod Idumæum secum habere vellet belli socium; quod sic parceret regno suo; exercitus enim non innoxij regionem transeunt: quod ita insperatus hosti superueniens eum facilius posset opprimere. Vnam atque alteram rationem tangit Iosephus, & addit valde probabiliter aduentum Iorami in Ierusalem. *Ergo postquam* inquit, *domi parauit exercitum, Iosaphatum quoque per nuncios sollicitauit, vt quandoquidem amicus esset paternus, auxilia mitteret paranti bellum contra Moabitas, qui tum recens à suo regno defecerant. At ille non se solum venturum auxilio promisit, sed Idumæorum etiam regem sibi obnoxium, in eam expeditionem pertracturum. Ioramus vbi renunciatum est ei de talibus auxiliis, venit Hierosolyma, & splendide ab eius loci rege exceptus, cum de communi sententia visum esset per Idumææ deserta, quà minime hostis expectaret iter facere, cum aliis duobus regibus Hierosolymis profectus est.*

*Iosaphatus fit belli socius.*

LXVIII. *In via siti laboratur.*

PROFECTIONEM Scriptura sic enarrat. *Perrexerunt igitur rex Israel, & rex Iuda, & rex Edom, & circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, & iumentis quæ sequebantur eos, dixitque rex Israel, Heu, heu, heu, congregauit nos Dominus tres reges, vt traderet in manus Moab.* Vox est hominis dolentis, & in summo discrimine positi. Cum autem sint hominis vitulorum cultoris, qui se nouerit inimicum Dei, hæc verba tanquam querelam contra Deum Iosephus non male interpretatur. *Et circuitu facto*, inquit, *die septima, ducibus itineris aberrantibus, in tantam iumenta, & milites aquarum penuriam inciderunt, vt omnibus tantum non desperantibus, Ioramus doloris impatiens exclamaret ad Deum, quanam sua culpa tres reges sine prælio in Moabitarum regis manus traderet.* Stolida plane oratio hominis de sua culpa dubitantis, qui se grauissimo scelerum omnium, Deoque infestissimo obstrictum dubitare non posset: quique aquæ penuriam iniustum Dei aduersum se odium interpretetur, cum eam necessitatem vel in ductores suos à via aberrantes, vel in propriam temeritatem, qui siccitati, & siti mature non prouidisset, merito referre potuisset, & reuera debuisset.

*Ioramus queritur.* | Τί ἐμοὶ καὶ σοί. (?)

LXIX. *Iosaphat Deum vult consuli.*

PIVS autem Iosaphat ad preces potius, quam ad querelas conuertitur. Et ait Iosaphat, [a] *Estne hic propheta Domini, vt deprecemur Dominum per eum?* Hebraice, Græcè, & Chaldaice, *consulamus, inquiramus*, &c. Sed Hieronymus expressit etiam modum consulendi humilem & supplicem, qui maxime decet homines in rebus aduersis constitutos. *Et respondit vnus de seruis regis Israel. Est hic Elisæus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.* Sæpius visus fuerat Elias in regno Israël, quam in Iuda, & cum eo Elisæus eius discipulus, qui & ipse erat ibi notior, vtpote subditus regis Israël, oriundus ex Abelmeula ciuitate tribus Manasse. Ex hoc quoque loco, vt ante monuimus, intelligitur Eliam iam fuisse translatum, cum hoc bellum inchoatum est. Apparet hic quoque Iosaphati pietas, qui, sicut in superiori bello contra Syros, in turba prophetarum Baalis, verum prophetam exquirit, & nominato sibi Elisæo, cuius fama nondum increbuerat, quærit an sit *apud eum sermo Domini*, [b] vt placet Tostato, estque probabilius, licet alij sine interrogatione affirmatiuè legant: quasi dicat, erit sine dubio apud eum sermo Domini, qui magni Eliæ fuerit indiuiduus comes.

a 4. Reg. 3. 11.

b 4. Reg. 3. 12.

LXX. *Reges adeunt Elisæum.*

DESCENDITQVE *ad eum rex Israel, & Iosaphat rex Iuda, & rex Edom.* Tres reges humiles adeunt prophetam Domini in periculo, & afflictione sua, nec eum ad se imperiose accersunt, vt nuper Eliam Ochosias: qui rebus prospere fluentibus, eum vix dignati essent respicere. Sic regulus [c] venit ad Iesum filij sui ægritudine compulsus. Idque videtur Elisæus de rege Israëlis innuere, ad quem propterea conuersus, asperius eum alloquitur. *Quid mihi & tibi est?* Quid mihi tecum commune est? qui prophetas Domini consulere non soles, sed nescio quos nebulones sacrificulos vitulorum. Vnde & subdit. *Vade ad prophetas patris tui* Achabi, *& matris tuæ* Iezabelis, quos ista eduxit, quibus ille credidit in interitum suum.

c Ioa. 4. 46.

Quæ non dixit Propheta vt eum ad rem impiam inuitaret, aut etiam insultandi causa, sed corrigendi, *Est enim confusio adducens gloriam, & gratiam.* [a] Et spiritu Dei plenus existimauit hanc temporis opportunitatem idoneam esse ad principem corripiendum, & si fieri posset, de via impietatis abducendum, cum cerneret eius cultores nullam posse in necessitate opem afferre.

a Eccli. 4. 28.

Pergit nihilominus Ioramus in priori querela sua, dissimulans propter præsentem necessitatem, obiurgationem prophetæ. *Cum itaque potentis fastum*, ait Theodoretus, [b] *necessitas depressisset, opportune reprehensio adhibebatur*, in qua pergens Elisæus, *Viuit*, inquit, *Dominus exercituum in cuius conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat erubescerem*, nisi ei honorem deferre vellem, eumque tanquam pium, ac religiosum principem, reuereri, atque honorare, *non attendissem quidem te, neque respexissem.* Verum cum causa illius, & periculum cum tuo coniunctum sit, tibi quoque consulendum est. Itaque non est quod mihi gratias agas, pro eo quod facturus sum, sed ipsi. Non enim tibi volui gratificari, sed illi. Rem quidem agebat nunc Ioramus honestam, atque laudabilem, consulendo prophetam Domini, nec contra eam fertur obiurgatio, nemo enim de bono opere lapidandus est, sed quod ei cætera vita, & religio non consentiat. Absurdum enim est idola tanquam Deum venerari, & à Deo, quem deserueris, atque contempseris, opem petere, aut expectare. Nec tamen existimandum est, etiam absente Iosaphato, Elisæum non fuisse laturum opem exercitui in summa necessitate constituto. Id enim charitas in proximum exigit, sed auxilium tunc non petenti regi, sed populo siti pereunti datum fuisset, vt notauit Abulensis. [c]

LXXI. Qui obiurgat Ioramum.

b q. 10. in 4. Reg.

c q. 11. in c. 3. 4. Reg.

Nunc *autem adducite mihi psaltem.* Requirebat hunc psaltem genere Leuitam qui aliquid in Dei laudem, ex Dauidis psalmis concineret, vt ait Theodoretus & Procop. tum vt harmoniæ suauitate ad deuotionem excitaretur, & tranquillior fieret animus, aptiorque ad accipiendam propheticam illustrationem, tum vt Deus laudum suarum celebratione, cui Elisæi preces adiungebantur, congrue moueretur ad reuelandum quid esset opus facto. *Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini*, spiritu videlicet prophetico afflatus est. Ex quo intelligitur prophetas non semper in promptu habuisse spiritū prophetiæ, ac ne certis quidem, definitisque temporibus; sed tantum cum diuinæ placitum esset voluntati, quam sæpe ieiuniis, & orationibus prophetæ promerebantur, vt de Ieremia, [d] & Daniele [e] satis constat. Nam ille decem dierum oratione didicit, quid Deus statuisset circa profectionem reliquiarum Iuda in Ægyptum; hic trium hebdomadarum spatio lugens, & panem desiderabilem non comedens; à vino quoque, carne, & vnguentis abstinens, didicit ab Angelo, quæ ventura essent populo suo in nouissimis diebus. Ergo & Elisæus externis auxiliis animum rite disponentibus, & internum affectum suscitantibus, atque promouentibus adiutus, factus est voti compos, & ait.

LXXII. Et requirit psaltem ad prophetandum.

q. 11.

d Iere. 42. ꝟ. 10.
e Dan. 10. ꝟ. 3 14.

Spiritus propheticus non semper adest prophetis.

Hæc *dicit Dominus, facite alueum torrentis huius fossas & fossas.* [f] Id est, replete multis scrobibus, & fossis totum hunc locum, in quo solet torrens decurrere. Chald. fiant in valle hac fossæ, & fossæ. *Hæc enim dicit Dominus, nō videbitis ventum*, austrum scilicet pluuiæ conciliatorem, *neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familia vestra, & iumenta vestra.* Deo aquas de thesauris suis educente, procul illato aquæ fluento. [g] *Parum est hoc in conspectu Domini; insuper tradet etiam Moab in manus vestras. Et percutietis omnem ciuitatem munitam, & omnem vrbem electam, & vniuersum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.* Non præcipit, sed prædicit quid facturi essent, vt ex sequentibus patebit: aut quantum daretur potestatis Israëlitis aduersus Moabitas. Cladem videlicet plerisque ciuitatibus afferetis, & vniuersę regioni vastitatem: plerisque inquam, secundum phrasim Scripturæ. Nam vrbem regiam non redegerunt in suam potestatem. Non peccarunt autem fructiferas arbores succidendo, quamuis id legi repugnare videatur; [h] quia lex de Chananitide intelligitur, quæ Moabitas non comprehendit.

LXXIII. Fiunt fossæ ad accipiēdas aquas.

f v. 16. c. 3.

g ait Theodoretus. q. 11. ex Iosepho. quod habet etiā Abul. q. 14.

Prædicit cladem Moabitarum.

h Deut. 20. 20.

Interim autem ecce promissionis effectum. *Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet*, id est hora sacrificij matutini; Chald. habet in aurora, Iosephus ante ortum solis. *Et ecce aquæ veniebant per viam Edom*; & repleta est terra

LXXIV. Aquæ ad exercitum defluunt.

*aquis*; fossæ videlicet ad excipiendam aquam præparatæ. *Sequenti die*, ait Iosephus, *priusquam sol oriretur, torrens magno impetu ferri cœpit, auctus imbribus, qui in Idumæam, trium dierum itinere inde distantem, demissi fuerant, vt & iumentis, & militi largissima esset potus copia*. Sic ipse verum cum exercitus Hebræorum oram Idumææ legeret, neque enim erat cur longius meridiem versus abiret, sed satis omnino erat vt in solitudine contermina iter faceret, non video cur Idumæam trium dierum itinere distantem Iosephus affirmet; An potius dicendum Iosephi mentem, atque adeo verba, si recte vertantur, ferre, vt pluuia non simpliciter in Idumæa, sed in quadam parte Idumææ contigerit, quæ tridui itinere ab exercitu distabat, longe enim lateque patebat Idumæa, adeo vt ad mare quoque rubrum procurreret. Ait enim Scriptura [a] Asiongaber, quæ est iuxta Ailath in littore maris rubri, esse in terra Idumææ.

*Idumæa perampla.*

*a 3. Reg 9. 26.*

LXXV. *Moabitæ prælio se parant.* VNIVERSI *autem Moabitæ audientes quod ascendissent reges, vt pugnarent aduersum eos, conuocauerunt omnes qui accincti erant balteo desuper, & steterunt in terminis*, seu finibus regionis suæ. Nimirum ad vocem præconis iussi sunt omnes Moabitæ, qui ascripti erant militiæ, aut potius, vt in summo rerum omnium discrimine, qui per ætatem arma ferre, ac pugnare poterant, conuenire, & ad oram regionis suæ tutandam confluere. *Rex Moabitarum*, inquit Iosephus, *vt audiuit tres reges contra se aduentare, à deserto inuasuros, excita omni sua militia, iussit eos in finibus occurrere, ne clam in ditionem suam impetum facerent. Qui videntes exoriente sole aquam in torrente; non procul enim à terra Moabitide aberat, colore sanguineam, quod eo tempore maxime aqua radiis icta rutilet*, & fortasse etiam arena torrentis ei colori seruiebat, accedente etiam nonnulla turbatione ex parte Dei, qui eos destinarat ad victimam, vt vult Tostatus, [b] *falso opinati sunt hostes propter sitim in semetipsos arma vertisse, & eorum sanguinem per torrentem defluere*, & cum hac persuasione regem suum adeuntes rogabant, vt eos ad diripienda hostilia castra ire permitteret. Quo impetrato, ruentes velut ad paratam prædam, ad Hebræorum castra perueniunt. Sic Iosephus.

*Vatab. Abul.*

*Mutuam hostium cædem suspicantur.*

*b q. 21. in c. 3. 4 Reg.*

LXXVI. *Ad prædam conuolant.* OMITTIT mutuam Moabitarum inter se cohortationem, *Sanguis gladij est, pugnauerunt reges contra se, & cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab.* Eleganter abest verbum ab Hebræo, & Græco. *Perrexeruntque in castra Israel*; ordinibus non seruatis, & acie non instructa. Ad prædam enim, non ad pugnam veniebant, quo faciliorẽ de se præbuere victoriam. Valde quippe eos spes sua frustrata est. *Coorientibus enim*, ait Iosephus, *in eos vndique hostibus, partim cæsi sunt, partim dissipati fugiendo, ægre in terram suam euaserunt. Venerunt igitur*, ait Scriptura, *qui vicerant.* Israëlitæ cum in fugam Moabitas compulissent, persecuti sunt eos, tergisque inhærentes gladiis eos confodiebant, simulque in Moabitidem ingressi *percusserunt eam, & ciuitates destruxerunt: & omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleuerunt, & vniuersos fontes aquarum obturauerunt, & omnia ligna fructifera succiderunt, ita vt muri tantum fictiles remanerent.* 4 Ciuitas videlicet regia, quæ lateritia habebat mœnia, ad quam se rex Moabitarum receperat, cum iis qui eo se proripere potuerant.

*Vatab. Abul.*

*Et ab Hebrais caduntur.*

*Et regio vastatur.*

LXXVII. *Obsidetur regia.* HEBRÆI autem, vt integra victoria potirentur, & bellum in capite ipso extinguerent, circundederunt fundibulariis ciuitatem, qui saxorum grandine omnes propugnatores è muris deturbarent, aut expellerent, interim dum sui muros quaterent, atque diruerent; perque ruinas in ciuitatem conferti irrumperent. De vnica vtique ciuitate vulgata loquitur, licet Vatablus de pluribus sigillatim hanc ipsam oppugnationem accipiat, vt sit sensus. Ingressus est Israël singulas vrbes, ad quas se præsidij causa Moabitæ receperant, & ipsos in eis Moabitas percusserunt. Vulgatæ tamen editioni consentiunt, qui muros fictiles in Chareseth, proprium ciuitatis nomen verterunt. Et vero vnicæ ciuitati linguæ omnes fauent, cum Iosepho, & proxima narratione, quæ habet eam ciuitatem magna ex parte percussam, in Hebræo est *percusserunt eam*, id est proximum erat vt caperetur; idq; voluit explicare S. Hieronymus. Nam reuera capta non fuit, cum obsidio soluta fuerit. Cum ergo videret rex Moabitarum hostem præualuisse, assumptis secum septingentis viris, facto impetu erumpere, atque elabi conati sunt, qua parte rex Idumæus obsidebat vrbem, sed irrito conatu.

*Pagn. Montan. Iunius.*

*Chareseth.*

REX *ipse*, ait Iosephus, *compulsus in quandam vrbem, & obsessus, veritus ne expugnata illa caperetur, erumpere cum septingentis equitibus tentauit, qua parte negligentiores excubiæ visæ sunt, quod vbi præter spem non successit, in vrbem reuersus rem extremæ necessitatis, & desperationis aggreditur. Seniorem enim filium, qui regni successor destinatus fuerat, productum in mœnia, toto hostili exercitu inspectante, holocautoma Deo sacrificat.* Chamos videlicet Deo Moabitarum. [a] Quamuis Rabini aliqui vero Deo immolasse putent. Quod communis improbat interpretum sententia. Sed cui fini hoc tam immane holocaustum? An ad extorquendum auxilium à diis suis, quibus tales hostiæ placebant? Porphyrius certe, vt notauit Serarius, è veteribus Phœnicum archiuis refert moris fuisse apud eos, vt in magnis calamitatibus filiorum charissimũ immolarent. 5 Eusebius quoq. in oratione de laudibus Constantini, ait Phœnices quotannis charos & vnicos liberos Saturno immolasse, idemque à Rhodiis factitatum esse, quem ritum imitati Hebræi, *immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonibus. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* [b] An potius ad impetrandam ab Israëlitis commiserationem? propterea enim non seorsim in templo aliquo, sed in muro, in omnium oculis eum iugulauit, atque incendit.

(Margin: LXXVIII *Regis eruptio irrita.* — a 3. Reg. 11. 7. — *Et sacrificium filij.* — 5. σχ. — b Psal. 105. v. 37. & 38.)

SIGNIFICAT id Iosephus, *Reges vero*, inquit, *hoc viso, tantam necessitatem miserati, & humanarum vicissitudinum memores, soluta obsidione domum quisque suam reuersi sunt.* Eum secutus Theodoretus, *Cum Moabitæ*, inquit, *funditus de medio tollerentur, tentauit quidem fugere rex eorum. Postquam autem valida, & strenua cohors ei non permisit, filium primogenitum, & regni successorem, in quadam turre obtulit in holocaustum. Hoc cum conspexisset multitudo hostium, miserata est casum illum, & soluit obsidionem.* Idem sentit Abulensis hoc loco. [c] Et reuera nihil est miserabilius, quam ex beato miser. Et quamuis illa crudelitas in filium innocentem, & quidem primogenitum, ac regni successorem, ad vltionis appetitum natura sua incitare possit; frangit tamen animos tanta necessitas, quæ inuitum parentem ad tam immanem audaciam compellat, & iram atque hostile odium, in terrorem tragicum, ac commiserationem commutat. Ita videntur sensisse Septuag. Nam vbi legimus ex Hebræo, *& facta est indignatio, siue ira magna in Israel*, Septuaginta habent μετάμελος μέγας, *pænitentia magna.* Doluerunt scilicet se miserum regem ad huiusmodi necessitatem, desperationem adegisse, quasi in ipsos pars aliquatanti criminis redundaret.

(Margin: LXXIX. *Hebræi misericordia soluunt obsidionē.* — c q. 23. inc. 3.)

NON desunt tamen qui hanc historiam in diuersam admodum sententiam trahant, velintque hunc Moabitarum regem, in eruptione quam Scriptura memorat factam contra Idumæos, comprehendisse filium regis Idumæorum, eumque in oppidum abduxisse captiuum, qua ex re consecutum sit vt rex Idumæorũ studio liberandi filij obsidionem deseruerit, & contra regem Israëlitarum ira magna exarserit, qui pertinacius obsidionem vrgeret. Post solutam autem obsidionem, obtulisse illum in holocaustum super murum ipsum, indéque enatum semen defectionis Idumæorum mox secutæ. Eoq; spectasse Amos prophetam, cum Dei indignationem in Moabitas denunciaret, *eo quod*, inquit, *incenderit ossa regis Idumæa vsq; ad cinerem*: nimirum offerendo prædicto holocausto. Verum hæc alij merito improbant. Est enim non solum noua, & nuper nata, & totique antiquitati ignota interpretatio, sed lubrico, & ancipiti nixa fundamento; quod Hebræa vox beno בנו *filium suum*, vt vertit Hieronymus, *& filium eius*, vt habet Montanus, verti possit; sicut υἱὸν αὐτοῦ, quod est in Græco. Res quoque ipsa parum illi fauet. Quomodo enim pater capto filio, non magis vrserit obsidionem, vt eum recuperaret, vel ab inuitis; præsertim cum res Moabitarum ad vltimam desperationem esset adducta? Quam probabile est soluta obsidione filium regis Edom super murum oblatum in holocaustum? Id enim non misericordiam conciliasset, sed furorem iustissimum concitasset, qui non nisi funditus deleto Moabita cum vrbe sua, conquieuisset. Deinde quomodo hinc nata defectio à rege Iuda, cum ira Idumæi non in ipsum, sed in regem Israël exarsisse dicatur? Non fuisse autem eam mentem prophetæ Amos, suo loco dicetur. [d]

(Margin: Montanus. Iunius. Tremell. — LXXX. *An immolarit filium Idumæi.* — Serar. Vatabl. — *An potius suum.* — d an. Oziæ 13.)

SENSVS ergo erit, Israëlitas, viso tali spectaculo, doluisse super tam indigno, tamque ingenti facinore, & agnoscentes illum satis alioqui graues luisse pœnas defectionis suæ, & totius regni vastitate, ac deprædatione emisse negatum tri-

(Margin: LXXXI. *Belli finis.*)

butum, recesserunt ab eo, & reuersi sunt in suam quisque regionem. Tributi autem nulla fit hoc loco mētio. Viderunt fortasse illum, ad summam paupertatem redactum, vnde id penderet non habere. Tradunt nihilominus Hebræi ipsum postmodum in defuncti Idumæorum regis ossa sæuiisse, vt refert S. Hieronymus in c. 2. Amos. 6. 6. x.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3139. IOSAPHATI 19.

1. N. 1. QVod ad Iorami annos hic nominatos attinet, etsi Montanus secutus Complut. in bibliis regiis, Græcum Septuag. ad vulgatam versionem, & textum Hebræum attemperatit; longe tamen aliter legitur in Septuag. Sixti, & aliis. Nam statim post illa verba, quæ locutus est Elias. 4. Reg. 1. 16. subditur. *Et reliqua verborum Ochosiæ, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israël.* Moxque resumitur quod omissum fuerat in vulgata, cum mutatione Chronologiæ, *Et Ioram*, inquit, *filius Achab regnat super Israël in Samaria annos duodecim, in anno octauo & decimo regis Iuda*, &c. quæ in vulgata, & in Hebræo habentur initio capitis tertij, & in eadem Sixti editione repetuntur. Cæterum ille decimus octauus Iosaphati annus exclusiuè, vt dixi, accipiendus est. Nam Achabi mors in 18. Iosaphati annum cadit. In quibusdam etiam Græcis libris pro anno 18. legitur 21.

2. XX. Biblia Romana habent ἐν ἐρήμῳ, *in deserto*, Hebr. *in sicco*. Deserta fuerat ab aqua tellus, renouato miraculo, quod ante annos 557. à Iosue eodem in loco factum fuerat. Hanc enim summam efficiunt anni 440. ab illo transitu Iordanis, vsque ad templi fundationem, à qua nunc annus agitur 117.

3. XLVII. In Hebræo est, *etiam ipse*, pro quo plerique Græci codices habent Αφφώ. Quam vocem Theodoretus agnoscit, & interpretatur κρύφιος, id est occultus. Existimarit fortasse aliquis corruptam esse vocem, & legendum, ἄφνω, id est ex occulto, & improuiso pro ἀφανῶς; ad significandum Deum Eliæ occultare potentiam suam. Verum parum solida est ista philosophia, vox enim Hebræa est אף הוא, aph. ho. etiam ipse.

4. LXXVI. In Hebræo habetur ad verbum, *Donec dimitterent lapides eius in pariete charesesh*, Pagnin. Vatablus autem. *Duntaxat, in Kir. hareseh reliquos fecerunt lapides eius.* Volunt nimirum hanc fuisse ciuitatem regiam, ad cuius vsque muros omnia disperdiderat, atque vastauerat Hebræorum exercitus. Hanc tamen vrbem Septuag. non agnoscunt, neque Chaldæus, neque Iosephus. Sed Dauid Kimhius, quem nouatores cupide secuti sunt. S. autem Hieronymus vertit muros fictiles, quia cheres, חרש significat testam aut fictile, igni vel sole coctum, vide Thesaurum Pagnini in eadem radice.

Habentur verba Porphyrij apud Eusebium l. 4. de præpar. sub titulo περὶ τῆς παλαιᾶς ἀνθρωποθυσίας, ὅτι τὸ πορφυρεῖν καὶ τῶν ἄλλων. Et paulo post initium. Επὶ καὶ Λακεδαιμονίους φησὶν ὁ Ἀπολλόδωρος τῷ Ἄρει θύειν ἄνθρωπον. Φοίνικες δὲ ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων, ἢ λοιμῶν, ἢ αὐχμῶν ἔθυον τῶν φιλτάτων τινά, ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ. καὶ πλήρης τε ἡ Φοινικικὴ ἱστορία τῶν θυσάντων ἣν Σαγχουνιάθων τῇ Φοινίκων γλώττῃ συνέγραψε. 5. LXXVIII. Quæ sic vertit nouus interpres. De antiqua hominum immolandorum consuetudine, ex Porphyrio, & aliis. Itemque Lacedæmone alium, Apollodoro teste, Marti immolare consueuerant. Iam Phœnices, vbi grauius siue bello, siue fame, siue etiam æstu laborarent, necessariorum suorum aliquem Saturno communibus addictum suffragiis immolabant: cuiusmodi exemplorum plena est Phœnicum historia, quam phœnicia lingua Sanchoniatho conscripsit &c. Quæ in Trapesuntio frustra quæres.

Hic annus 268. ab exciso Ilio, quem in indice notatum habes, est idem centesimus vitæ Homeri, iuxta ea quæ disputata sunt à nobis de eius natali, an. mun. 3039. qui est 168. Troiæ excisæ. Est autem hic idem annus ante vr. con. 164. non 124. vt est apud Eusebium, sub annum primum Agrippæ Syluij, filij Agrippæ Tiberini, cui errato consentaneum est alterum, vt ante primam Olympiadem hic annus centesimus dicatur. Nam Eusebius 24. annis, siue 6. Olympiadibus facit Romam Olympiadū initio posteriorem, sicut & Dionysius Halicarnassæus, quem sequimur. Re autem vera 139. ad primam vsq. Olympiadem reperiuntur, qui explentur 7. annis Iosaphati, quinque Iorami filij eius, totidem Athaliæ. 40. Ioas, 29. Amasiæ, & Oziæ quinquaginta duobus. Sicque Oziæ filius, cum initio primæ Olympiadis regnum auspicabitur. Porro in dicto Syluij anno errat Scaliger cum annum primæ Olymp. cum anno vrbis cōfundit. De Cornelij autem nepotis sententia, vide quæ dixi an. m. 3039. n. 3. & 4. communem enim errorem secutus est idem Scal. 6. XXCI.

| |
|---|
| 7 |
| 5 |
| 6 |
| 40 |
| 29 |
| 52 |
| 139 |



ANNVS MVNDI 3140. DILVVII 1484. QVINTÆ ÆTATIS 201. FVNDATI TEMPLI 118. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 20. IORAMI FILII EIVS 4. IORAMI REGIS ISRAELITARVM 2. AMARIÆ PONTIF. 3. ELISÆI 2. TROIÆ EXCISÆ 269. OPHRATANIS 17. IMPERII ASSYRIORVM 1209.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 913.



DVOBVS insignibus Elisæi miraculis nobilitatur hic annus, multiplicationis olei in gratiam pauperculæ viduæ, & depulsæ sterilitatis ab honesta, ac religiosa matrona; cuius postea filius insigniori etiam miraculo à mortuis excitatur. Hæc porro miracula posteriora esse Moabitico bello, præter seriem atque ordinem sacræ narrationis: illud haud leui argumento est, quod Elisæus operam suam pollicetur mulieri apud regem, vel principem militiæ, quorum scilicet notitiam, ac beneuolentiam nuper consecutus erat, obtinendo diuinitus aquam toti exercitui, eidemque victoriam denunciando. Illud quoq. de secundo potius anno Elisæi, quam primo suadet, quod dicitur Elisæus, cum frequenter transiret per Sunam, ab eadem matrona hospitio fuisse susceptus. Frequens autem iste transitus, experientiam non paucorum mensium videtur exigere. Nec tamen diutius differenda videtur conceptio pueri, vt durante regno Iorami Israëlitarum regis, quod duodecim annorum fuit, filius nascatur, & crescat, ita vt loqui possit, & ire in agrum; indéque excitatus à mortuis, cum matre septennio peregrinari, & ab eodem rege recuperare bona sua. Commoda ergo erit temporis distributio, vt extremo hoc anno, vel sequentis initio nascatur, deinde tertio suo anno moriatur, & reuiuiscat; indeque vltimus peregrinationis annus, in vltimum Iorami annum cadat. Quod Abulensis quoque [a] fatetur.

I. *Miracula Elisæi eorumque tempus.*

| Ioram. | |
|---|---|
| 1. | |
| 2. | |
| 3. puer. | 1 |
| 4. | 2 |
| 5. | 3 |
| 6. | 4 |
| qui & | 1 |
| 7. pere. | 2 |
| 8. | 3 |
| 9. | 4 |
| 10. | 5 |
| 11. | 6 |
| 12. | 7 |

[a] q. 1. in c. 8

PRIOREM autem fuisse multiplicationem olei, proxime dicto miraculo, ordo Scripturæ docet. Ad hunc autem annum illud differimus, vt sit tempus aliquod, quo tempore pauperis viduæ coniux Elisæum, post translationem Eliæ, frequentarit, vt non Eliæ, sed Elisæi seruus dicatur. Iosephus ait Ioramum confecto bello Moabitico Samariam reuertisse, secumque habuisse Elisæum, quem scilicet virum sanctum, sibique perutilem expertus erat. Neque vltra repulit eum à se propheta: sperabat fortasse fore, vt Ioramus nouo illo miraculo, nouoque Elisæi beneficio illectus, relicta sensim idololatria resipisceret. *Charitas* enim, *omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*. Hanc occasionem sumpsit mulier quædam vidua opem à propheta implorandi. A viro enim suo didicerat, quæ ille recens ab Eliæ translatione mirabiliter perpetrarat, tam in Iordane, quam in Ierichuntino fonte: & ab omnibus qui à bello erant reuersi audiebat, illi vni secundum Deum victoriam tribuendam esse; toti exercitui siti pereũdum fuisse, nisi illi aquam diuinitus impetrasset. Ergo sperauit ab eo viro misericordiam erga pauperem, religiosam, ipsique addictam familiam, qui erga tot impios, ignotosque beneficum se, ac misericordem præbuisset.

II. *Multiplicatio olei.*

QVÆ esset hæc mulier, Scriptura non tradidit, statum eius referre contenta, qui causas impetrandi contineret. *Mulier quædam*, inquit, *de vxoribus prophetarum clamabat ad Elisæum, dicens. Seruus tuus, vir meus, mortuus est, & tu nosti, quia seruus tuus fuit, timens Dominum*, & videlicet à populari scelere abhorrens, vt reliqui prophetæ. Atque adeo bona sua in legitimos, piosque vsus expendens, vt solent qui timent Dominum. *Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum*

III. *An hæc vidua Abdiæ procuratoris regij.*

*sibi.*, instar videlicet mancipiorum venalium. Quæ tamen esset hæc mulier, aut quis potius vir eius tradidit Iosephus, Abdiam scilicet Achabi procuratorem, idque persuasit Theodoreto [a], Procopio, Ioanni Hierosolymitano [b], Comestori, Nauclero, Lyrano, & propemodum Abulensi, qui ait hanc esse communem Hebræorum, & doctorum nostrorum sententiam: quæ nititur similitudine verborum illorum, quibus Abdias, agens cum Elia, vtebatur, cum diceret se ab infantia timuisse Dominum. Et quia ibidem ait se pauisse centum viros absconditos in speluncis, existimarunt Hebræi eum æs alienum inde contraxisse. Iuuat etiam nomen Abdiæ, quod conuenit vni prophetarum. Placet hæc ipsa ex Iosepho audire.

a q. 14.
b cap. 14.

IV. *Id ait Iosephus, & alij,*

OBEDIÆ, inquit, *uxor*, Abdiam Scriptura græca, & latina vocat, hebræa Obadiam, *qui Achabi dispensator fuerat, tunc vidua Elisæum adijt, dicens nec ipsum ignorare, quod ea persecutione, qua Iezabela sæuiebat in prophetas* [c], *maritus eius centum ex eo numero seruauerat, quos vt alere clam posset, multum æris alieni contraxerat. Nunc illo defuncto creditores & ipsam, & liberos in seruitutem velle rapere: quapropter orabat, vt ob hoc mariti benefactum, eius misertus opem aliquam præsentem afferret.* Libet & Theodoretum audire, ex noua Frontonis nostri emendatione: desunt enim non pauca in vulgatis libris, quæ ipse ex regiis manuscriptis suppleuit. *Aliqui dicunt*, Iosephum vtique intelligit, vt alias non raro, *eum esse Abdiam Achabi dispensatorem, qui centum viros in duabus absconditos speluncis, pane & aqua enutriuit, & ex eorum cura debitum contractum fuisse. Iure autem est admiranda vis prophetarum, quod cum efficiant, vt facultatibus abundemus, vitæ præbent adminicula. Etenim magnus Elias pusillum illud farinæ & olei, vt ad multum tempus sufficeret, effecit. At ille qui duplicem eius gratiam adeptus erat, alterius viduæ. Nam cum parum olei in vasa plurima iussisset infundi, & mariti exoluit debitum, & ipsam, & filios aluit.* Eadem, sed contractiora Procopius habet; & sicut Theodoretus, alienæ fidei rem esse cupit, non suæ, quæ nonnullo, vt arbitror, examine indigent.

c 3. Reg. 18. 3.

V. *Non videri* 1.

NEQVE tamen Iosepho negotium facessam, vt ea quæ sine vlla dubitatione affirmat, idoneo quopiam testimonio, aut ratione confirmet, cum ea narret, quæ mille pene annis ipsius ætatem antecedunt; sed tantum à veritatis amante lectore quæram, num satis attenderit Iosephus hancce viduam à Scriptura dici vnam de vxoribus prophetarum, quod in vxorem Abdiæ conuenire non potest, qui regius œconomus fuit, & regij palatij præpositus, & nutritor prophetarum, non propheta, aut discipulus eorum. Secundo non potuit vxor Abdiæ

2. vocare maritum suum seruum Elisæi, sed debuit Eliæ, magistri eius. Tunc enim cum Eliæ cognitus est Abdias, nondum Elisæus ad Prophetæ munus vocatus erat, sed agebat agricolam [d]. Deinde autem Eliæ famulabatur, fundens aquam super eius manus. Regiarum autem ædium dispensatores, istiusmodi viros ne norunt quidem. Nec videtur satis probabilis causa contracti æris alieni. Nam

d 1. Reg. 19 19.

3. iam tum cum Abdias occurrit Eliæ, illa nutritio prophetarum pridem facta fuerat [e]; nec vt recēs quiddam narratur. Cum ergo tunc in intima regis gratia, & familiaritate esset, & Rex postea duodecim ipsos annos vixerit, [f] nec minus fortasse Abdias, apparet eum satis potentem, & copiosum fuisse, vt ex ære suo centum viros aleret, & quidem non splendide, sed parce & sine strepitu, vel apparatu, vt in latebris: vnde ait se eos pauisse pane & aqua. Quid si non diuturna fuit illa nutritio?

e 3. Reg. 18. 1.
f a 10. Achabi.

VI. *Quomodo filii ad seruiendū abducendi essent.*

Denique non bona fide Scripturā auget, cum ait tam matrem quam filios ad seruitutem deposci, cum de duobus tantum liberis illa meminerit. Qua in re notat Abulens. [g] Hebræos ex lege non vendi solitos ex debito, nisi quod ex delicto proueniret, vt cum fur tenebatur ad quadruplum, & si non esset soluendo, venundari iubebatur [h]: sed ita vt ea seruitus ad annum vsque sabbaticum protenderetur, & non in perpetuum, vt in alienigenis. [i] Itaque Hebræi tunc potius mercenarij erant, quam serui. Debita vero absque culpa contracta, vt ex mutuo, vel commodato, non dissoluebātur ex lege per venditionē debitoris, aut filiorum eius, sed tenebatur debitor operam suam dare creditori, vsque ad debiti solutionem; qui si mortuus esset, filij qui eius bonis succedebant, eodem modo tenebantur seruire creditori; quo tempore non fiebant serui, siue mancipia, sed

g q. 5 in c. 4. 4. Reg.
h Exod. 22 3.
i Leuit. 25. 45. 46.

mercenari ſuam retinentes libertatem. Itaque recte Hieronymus, quod in Hebræo dicitur & Græco, *vt tollat filios meos in ſeruos*, ipſe vertit, *ad ſeruiendum ſibi*, more ſcilicet mercenariorum; non mancipiorum in perpetuam ſeruitutem.

VII. *Inquiritur modus ſubueniendi viduæ.*

HVIC ergo defuncti prophetæ viduæ dixit Eliſæus, *Quid vis vt faciam tibi?* Satis intelligebat velle ipſam ſuæ neceſſitati opem ferri, ſed de particulari modo ſciſcitabatur. Cupiebat enim, vt res ipſa docuit, Eliam magiſtrum ſuum imitari, qui Sarephtanæ viduæ farinam, & oleum multiplicauit: non dilationem, aut remiſſionem debiti, cum alterius incommodo impetrare. Cumque illa fortaſſe non ſatis intelligeret prophetæ mentem. *Dic mihi*, inquit ille, *quid habes in domo tua?* panem, vinum, ouem, farinam, oleum, &c. At illa reſpondit, *Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei, quo vngar.* In hebræo non habetur *in domo tua*, vel *in domo mea*, ſed tantum *in domo*, vt ſignificetur eam in conductitia domo habitaſſe. Quamquam illa etiam particula additur, non ſolum titulo dominij perpetui, ſed temporariæ poſſeſſionis. Et in græcis codicibus regiis priore loco additum eſt σοῦ, in quibus legitur etiam illud, *quo vngar*, ſicut & in Græcis, Romanis, & agnoſcitur ab Auguſtino [a]. Ab hebræo tamen, & chaldæo, & Ioſepho abſunt. Nec eſt quod videatur abſurdum pauperculam mulierem, quæ nihil haberet domi, meminiſſe vnctionis. Non enim ſignificat ſe tantillum illud olei, vnctioni ſuæ velle impendere; ſed tantulum duntaxat habere quantum vngendæ faciei, aut capiti ſatis eſſet. Eam tamen vnctionem proprie ſumit Toſtatus.

a Serm. 2. dom 5 poſt Trin.

VIII. *Colliguntur vaſa, multiplicatur oleum.*

CVI AIT Eliſæus, *vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca, & ingredere, & claude oſtium tuum, cum intrinſecus fueris tu, & filij tui: & mitte inde in omnia vaſa hæc: & cum plena fuerint tolles*; vt quodque plenum fuerit, ſepones, Hebr. Iuit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos, ne infidelis aliquis interesset, à quo miraculum impediri poſſet, dicente Domino, *ſecundum fidem veſtram fiat vobis. Illi offerebant vaſa, & illa infundebat. Cumque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum. Affer mihi adhuc vas; & ille reſpondit, non habeo. Stetitque oleum.* Textus apertus eſt; quem tamen aliqui non ſatis attendentes, putauerunt mulierem paululum olei ex ſuo illo lecytho in ſingula vaſa vacua infudiſſe; Deum autem eadem vaſa repleuiſſe: quo modo videtur Ioſephus accepiſſe. At ſic in ſingulis vaſis miraculum ſine neceſſitate fieret: cum ſufficiat vt lecythus ille mulieris ſemper emittat oleum, dum ſingula vaſa repleantur, & textus ipſe aperte docet ſingula vaſa de lecytho repleta fuiſſe: quod placet quoque Abulenſi. *Venit illa, & indicauit homini Dei; & ille, vade*, inquit, *vende oleum, & redde creditori tuo, Tu autem, & filij tui, viuite de reliquo.* Atque ita vno eodemque miraculo, & iuſtitiæ & miſericordiæ benigniſſimè prouiſum eſt.

IX. *Alterum miraculū circa Sunamitidem.*

CONTIGIT autem aliquanto poſt, vt ad poſterius miraculum tranſeamus, quod hoc ipſo anno diximus contigiſſe, cum Eliſæus per Sunam de more tranſiret; fuit ea vrbs in tribu Iſſachar, quam adibat homo Dei iter faciens de Carmelo in Iericho, aut Bethel, aut Galgala inuiſens collegia prophetarum. Eãdem vrbem primum celebrauit Abiſag illa Sunamitis, [b] quæ Dauidem ſeptuagenarium fouebat, ſed eam hoc tempore reddidit illuſtriorem altera Sunamitis, *mulier magna*, vt ait Scriptura [c], id eſt inſignis, aut virtutibus, vt explicat Chaldæus, qui eam vocat timentem peccata; certe honeſtate morum, ac pia deuotione præſtitiſſe, in Eliſæum impenſa benignitas abunde docet; Sed opibus quoque inſignis fuit, vt quæ nihil recipiendi ſubinde prophetæ onere grauaretur. Enituit autem maxime deuotionis feruor, quem illa verba ſignificant, *Quæ tenuit eũ vt comederet panem*, Hebræus, *vim ei fecit*: quandam nimirum precum violentiam adhibuit, ſuo vt hoſpicio vteretur; vt illi diſcipuli qui peregrinum Dominum coëgerunt, vt in Emaus ad ipſos diuerteret. Hic autem primus hoſpitij vſus apud hanc matronam ſuperiori anno videtur contigiſſe [d], cum ex Bethel, vbi lacerati fuerant quadraginta duo pueri, venit in Carmelum, vt ſuo loco ſignificauimus [e].

b 3. Reg. 1. Abu. in tex.
c 4. Reg. 4. 8.
d 4. Reg. 2. fi.
e an. præced. n. 63.

X. *Eius hoſpitalitas.*

CVMQVE deinceps frequenter illac iter faceret, diuertebat ad eam, eiuſque hoſpitio, neque inſcio, neque inuito marito, vtebatur: quæ viri ſancti actiones moreſq; cnotemplans, beneficium accipere ſe, non conferre arbitrabatur, quod

Propheta Domini, magnis Dei donis illustris apud eam libenter diuertebat. Itaque vt constanter eo bono frueretur, & ipsum opportunitas hospitij vehementius alliceret, proprium ei locum, cum bona mariti venia, exstruere voluit. Dixit ergo ad virum suum, *Animaduerto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.* Apparet eam nondũ auditione accepisse mirabilia eius opera, quæ lõge à Suna facta fuerãt, mulier enim minime vaga domi se continebat; ipse quoq; vir sanctus ea silentio ex humilitate premebat; sed eximias eius virtutes in conuersatione notabat. *Faciamus ergo*, inquit, *ei cœnaculum paruum*, id est domunculam separatam à reliquis ædibus; sic enim explicat Vatablus, quod in Hebræo legitur, *cœnaculum parietis paruum*, 4. scilicet parietibus constans, aut pariete à nostra habitatione seclusum, vt ibi à strepitu domestico liber, Deo vocare commodius possit. *Et ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos, maneat ibi.*

XI. *Studiũ gratitudinis Elisæi.* CONSENSIT maritus, paratus est locus. *Facta est ergo dies quadam, & veniens* Elisæus, *diuertit in cœnaculum*, sibi præparatum, *& requieuit ibi*; somnum, cibumque ibi capiens, quandiu in ciuitate mansit, muliere omnia ipsi libenter, liberaliterque ministrante. Vir autem sanctus, etsi norat qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accepturum à Deo, ipse nihilominus de gratitudine cogitans, eam ad se vocari iussit. Cum diuinum auxilium hospitæ præstare posset, etiam humana cura & prouidentia vult eam dignari. *Dixitque ad Giezi puerũ suum: voca Sunamitidem istam*, blandientis potius, quã contemnentis hæc verba sunt, *Qui cum vocasset eã, & illa stetisset coram eo, dixit ad puerum suum, loquere ad eam* Mirũ videtur vocatã fuisse mulierem, atq. adeo stetisse coram eo, & tamen cũ ea quasi idiomatis ignora, per interpretẽ loqui. 1 An illa præ modestia, & demissione animi indignam se reputans alloquio, & aspectu viri Dei, ad eius famulum conuersa erat? an potius nondum ingressa erat, sed manebat adhuc extra cubiculum Prophetæ [a]? nam paulo post rursum vocatur, & ingressa, Prophetam sine interprete audit, alloquiturque. Itaque illud *coram eo* idem erit ac coram cubiculo eius, aut musæo, siue oratorio, absque mutuo conspectu, ad quem paulo post admissa est; Exemplo modestiæ, ac verecundiæ singularis in muliere, & paternæ grauitatis in Propheta.

1 ex.

a Vide Abul. q. 19 in c. 4. 4. Reg.

XII. *Ei offert operam apud regem suã.* DIXIT ergo Propheta ad Giezi, *loquere ad eam. Ecce sedulo in omnibus ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi? nunquid habes negotium, & vis vt loquar regi, siue principi militiæ?* Gratia valebat Elisæus apud Ioramum regem Israelis, & principem militiæ eius, vtique ex bello Moabitico collecta. Ex quo etiam recte colligitur hanc historiam illo bello posteriorem esse, eam vero gratiam pio cuipiam operi cupiebat impendere, quę mens esse, debet religiosorum virorum principum aulas frequentantium: alioqui rectius & tutius habitant domi [b]. *Quæ respondit* per Giezi, *in medio populi mei habito.* Quod explicant Theodoretus, & Procopius, *Mihi placet otium, & nullis exerceri negotiis, & placide viuo & tranquille: neque in animum induco, vt cum vllo aliquam velim habere controuersiam.* Comestor autem, Lyranus, Vatablus, *Inter consanguineos meos habito, qui possunt mihi esse interpretes apud regem, si quid negotij habuerim, propter quod sit conueniendus.* Abulensis autem apte ad piæ mulieris modestiam: mulier popularis, ac media è plebe ego sum, non aulica, vt ibi mihi sit opus aduocatis, quorum gratiam ambire oporteat, ad regis, aut principum fauorem eblandiendum. Venit tamen postea tempus, cum ea ipsi gratia necessaria esset ad recuperandas possessiones suas, in quas alij, ea propter famem diu peregrinante, vt in vacuam hereditatem inuolarant.

b Vide Abul q. 22 in c. 4. 4. Reg.

XIII. *Discit eius desiderium à Giezi.* ACCEPTA huiusmodi responsione, *quid ergo vult*, inquit, *vt faciam ei? Dixitque Giezi, ne quæras, filium enim non habet, & vir eius senex est.* Illud, *ne quæras*, additum est ab interprete, explicandi causa, hebraicè, græcè, chaldaicè, *profecto non est ei filius.* Ac ne spem quidem habebat eius obtinendi, cum vir eius senex esset. Prudenter coniecit Giezi mulierem in honorato, & opulento coniugio, bonorum suorum heredem filium vehementer optare, ne bona deuoluerentur ad externos, & parentum nomen, defectu filiorum, in familia sua extingueretur. Hæc nimirum fuerat olim ipsi quoque Abrahamo [c], causa familiaris cuiusdam querelæ apud Dominum, cum Domino magnam quandam mercedem pollicenti,

c Gen. 15. 1. 2. An. Abr. 81. n. 6.

respondit. *Domine Deus, quid dabis mihi, ego vadam absque liberis; & filius procuratoris domus meæ*, nimirum erit hæres meus. Præcepit itaque Elisæus vocari matronam: nondum enim intra cubiculum, locumve, in quo erat Elisæus, ingressa fuerat, *quæ cum vocata fuisset*, stetit ante ostium. Hoc quoque non leue est modestiæ mulieris huius argumentum, quæ ne in domo quidem sua, propius adire audeat virum Dei, & tanto maius est argumentum, quanto illa maior erat, & honoratior.

XIV. *Elisæus ei spondet fœcunditatē.*

Vtique delectatus est Propheta demissione animi honestissimę mulieris, quæ nullo loco numeraret suam ergo Prophetam beneficentiam, & Deo pro eius fœcunditate celeriter exorato, dixit ad eam [a]. *In tempore isto, & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in vtero filium.* In Hebræo legitur. *Ad statutum tempus istud, secundum tempus puerperæ*, id est mensibus gestationis puerperæ euolutis, vel vt habet Pagninus, *viuente te, amplexaberis filium*; significans intra annum filium ei nasciturum, quem suis ipsa brachiis amplexari possit. Itaque mox non solum conceptionem, sed natiuitatem quoque Elisæus dicitur promisisse. D. autem Hieronymus ex cōmuni loquēdi modo dixit, *si vita comes fuerit*, pro vita comite [b], omissa cōditionali. Cū minime dubiū fuerit Prophetæ, illam in viuis fore. Idq. necessariū erat. Si enim dubia fuisset vita, dubia quoquo fuisset cōceptio, & natiuitas filij, & nihil certi habuisset prophetia, vt notauit Tostat. [c] Abest etiam à Græcis codicibus illa conditionalis, & apud Theodoretum, εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον, ὡς ἡ ὥρα, ζῶσα σὺ περιειληφυῖα υἱόν. *Ad tempus hoc, sicut hora*, id est in hac hora, *viuens tu conceperis filium*; & mox, *affirmatiue dedit promissum, quod naturæ superat imbecillitatem. Declarat* ait Procopius, *ipsum conditorem vniuersi per os ipsius locutum esse: hancque ob causam certam promissionem fecit.* Neque necesse est partum ad proximum annum, sicut neque conceptionem ad tertium mensem differre. Non ignorabat enim Elisæus, qui huic matronæ gratificandi studiosus erat, bis dare, qui cito dat; vt est in prouerbio. Ergo in re dubia æquum est probabiliora sequi.

a 4. Reg. 4. 16.

b Gen. 18. 10. 14.

c qu. 16 in hoc cap.

XV. *Quam acceptat cum precibus.*

Hic mulier vehementer exhilarata, & promissi auidior quam certior, *Noli quæso*, inquit, *domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.* Septuaginta, *ne fallas ancillam tuam.* Vt illi videretur couenire, quod tanto postea de discipulis dictum est, *Adhuc autem illis non credentibus, præ gaudio, & mirantibus.* Quod præuidens propheta, noluit id ei à famulo suo nunciari, sed ipsemet ei promisit filium. Ipsa autem timebat ne non propheticè prædiceret, sed eius exhilarandæ gratia id polliceretur. Nihilominus promissionis veritatem res ipsa docuit. Nam concepit mulier, & peperit filium, in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Elisæus. Fuit mirabilis ista conceptio, non solum quia prænunciata est à propheta, sed quia seni ad gignendum inhabili, hanc enim vnam sterilis coniugii causam Giezi protulit, Dominus ab Elisæo exoratus virtutem dedit gignendi masculi. Subsecuta vero natiuitas nihil miraculi habuit, sed plane naturalis fuit.

Luc. 24. 41. ἀπιστούντων ἀπὸ τῆς χαρᾶς.

## *SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 3140.*

### *Iosaphati 20.*

1. N. XI.

Qvidam è nouatoribus cum videret hoc loco bis vocatam Sunamitidem ab Elisæo, eàque bis dici stetisse se coram eo, existimauit versum 13. & 14. quasi per parenthesim inserta fuisse, eaque ad præteritum tempus pertinere, quo Elisæi iussu Giezi allocutus eam fuerat, & posteriore loco resumi phrasim, quæ paulo ante inchoata fuerat. Verum nihil est quod cogat ad hanc traiectionem admittendam, & præsentia tempora in plusquam perfectum mutanda; præsertim cum phrasis non eodem modo resumatur, & prius dicatur stetisse coram illo, posterius autem, coram ostio. Neque in Hebræo est, *Vocauit eam, vt sisteret se*, sed *vocauit eam, & stetit.* Illud enim imperiosum, atque indecorū est, imo & falsum. Vocabatur enim, vt ex ea intelligeretur, quomodo ipsi posset propheta gratificari. Adde quod nullum potest assignari tempus, quo illud colloquium Giezi cum muliere habitum fuerit.

ANNVS MVNDI 3141. DILVVII 1485. QVINTÆ ÆTATIS 202. FVNDATI TEMPLI 119. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 21. IORAMI FILII EIVS 5. IORAMI REGIS ISRAELITARVM 3. AMARIÆ PONTIF. 4. ELISÆI 3. TROIÆ EXCISÆ 270. OPHRATANIS 18. IMPERII ASSYRIORVM 1210.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 912.

NASCITVR hoc anno Iorami tertio infans Sunamites, miraculo genitus, & maiori etiam miraculo destinatus. Omnia in vtroque regno Hebræorum suum cursum tenent. Filius Achabi matris artibus superstitionis suæ tenax, vti credere par est, spem Iosaphati, & Elisæi, & omnium bonorum eludit. Ideoque mox eum Dominus, cũ toto regno suo, grauissima fame, aliisq. malis exercet. Moabitæ quoque, cum Ammonitis, & Idumæis, & auxiliaribus Syrorum copiis magnum exercitum clanculum, ac dissimulanter contrahunt, in perniciem regni Iuda, nihil sentiente Iosaphato: donec nunciatum est ei, ingressas iam hostiles copias in regnum suum [a]. a 2. Par. 20

ANNVS MVNDI 3143. DILVVII 1487. QVINTÆ ÆTATIS 204. FVND. TEMPLI 121. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 23. IORAMI FILII EIVS 7. qui & 1. IORAMI REGIS ISRAELIT. 5. AMARIÆ PONT. 6. ELISÆI 5. TROIAE EXCISÆ 272. OPHRATANIS 20. IMPERII ASSYRIORVM 1212.

ANNVS ANTE CHRISTVM 910.

I. *Ratio difficultatis chronolog.*

RATIO primum temporis à nobis reddenda est, priusquam res anni huius, in vtroque regno gestas persequamur. Illud autem, in horum temporum satis impedita chronologia, negotium in primis facessit, quod 4. Reg. 8. [b] dicitur anno quinto Iorami filij Achabi, qui præsens annus est, regnasse Ioramum filium Iosaphati. Nã si dixerimus hunc Ioramũ filium Iosaphati regnasse in demortui patris locũ, cum Script. pugnabimus, quæ 25. annos Iosaphati regno tribuit, quorũ hic est tãtum tertius & vigesimus, & à morte Achabi quintus. Sin autem dicamus eum viuo patre regnasse, id nõ inchoatum est hoc anno, sed intra illum annum, quo Iosaphat cum Achabo in Ramoth Galaad profectus est, vt superius explicatum est [c]. Respondeo cum Torniello [d], hunc Ioramum Iosaphati filium bis viuo patre dictum esse regem, primum quidem anno Iosaphati decimo octauo, cum is ad bellum Syriacum, cum rege Israëlis profectus est: qui & filium suum Ochosiam in Samaria regem se absente agere voluit; ita vt proreges potius, quam reges dici possent, viuente scilicet vtriusque patre, & à neutro regni administratione deposita.. In eo bello mortuus est Achab; & Ochosias solus vere, & proprie rex fuit in Israële.

*Ioram Iudæus bis viuo patre nominatur rex.*

b vers. 16.

1. Reg. 22. 41.

c an. Iosaphati 17. n. 1. & 27. & 28.

d a. 121. 5. ætat.

II. Qui annus hic sit 1. & 7. sit.

IN regno autem Iudæ à bello reuersus Iosaphat regnum de more administrat, Ioram autem filius eius quiescit. Quia tamen collata prius dignitas verbo sublata non fuit, propterea etiam secundus illius annus in Scriptura memoratur. Nam 4. Reg. 1. [a] dicitur Ioram frater Ochosiæ regnasse pro eo, anno secundo Ioram filij Iosaphat, à quo anno hic est reuera septimus, respondens alterius Iorami quinto. Nunc autem cum Iosaphat vigesimum tertium regni annum ageret, ætatis autem quinquagesimum octauum, videtur totam regni curam in Ioramum filium triginta duos annos natum transtulisse, cumque iteratò regem dixisse. Addo autem Iosaphatum nunc suscipientem bellum formidolosissimum contra Ammonitas, Moabitas & Idumæos, vt mox dicemus, veritum, ne quid ei admodum iam senescenti humanitus contingeret, filium suum in omnem euētum iterum regem dixisse, hoc anno vigesimo tertio regni sui: idque probabilius videtur, quam post absolutum bellum factum regem, vt putāt Hebræi in Seder. cap. 17. Hic ergo annus non solum septimus erit Iorami regis Iudæ, sed etiam primus, & quidem primus potius quam septimus, alioqui non simpliciter octo annis, sed quatuordecim regnasse diceretur.

a vers. 17.

III. An dicatur quintus Iosaphat.

TORNIELLVS secutus Hebræos expositores, hunc eundem vigesimum tertium Iosaphati annum, vult à Scriptura quintum quoque appellari [b], quoniam Iosaphatus annos regni sui numerare cœperit ab eo tempore, quo in bello Syriaco, in quo occisus est Achab, grauissimum adiit ipse vitæ discrimen, cum illud diuino auxilio implorato fœliciter euasit. Verba illius loci sic habent. *Anno quinto Ioram filij Acbab regis Israel, & Iosaphat regis Iuda regnauit Ioram filius Iosaphat rex Iuda.* locus ambiguus est: Nam primò quidam latini codices non habent illa verba, *Et Iosaphat regis Iuda*, nec ea Tostatus agnoscit, sed disertè repudiat. In regiis bibliis, neque latinè, neque græcè reperiuntur. Leguntur tamen in Hebræo, & Chaldæo, & Græco Sixti, cuius Latinus interpres putat ea redundare, sicut Abul. in Hebræo. Fuerunt tamen retenta, etiam in emendata editione vulgata. 2. Torniellus cum Hebræis, retinenda putant, & in eis volunt subintelligi annum quintum; vt sit sensus, anno quinto Iorami, & anno 5. Iosaphati, propter rationem proxime allatam, eisque textus multum fauet, ex vi copulatiuæ particulæ. 3. Vatablus vult ex Hebræo per parenthesim legi (Iosaphat autem rex Iuda) ac subaudire, mortuus est: verum id dici non potest, quia Iosaphat regnauit adhuc biennium.

b 4. Reg. 8. 16.

vide Abul q. 17. in c 8

IV. Alia expositio improbata.

ALITER quoq. Tostat. explicari posse putat hunc locū, vt Iorami annus 5. non repetatur in verbis sequentibus, quæ pertinent ad Iosaphatum, sed in his tantū regnasse dicatur, non memorato regni anno, in hanc sententiam, anno 5. Ioram regis Israel, cum Iosaphat esset rex Iuda, regnare cœpit Ioram filius eius, vt videatur facta Iosaphati mentio, vt intelligeretur simul cum filio regnasse. Ideoq. quidā vertūt Hebræum, *cum Iosaphat esset rex Iuda*. At eam expositionem non fert edit. vulg. quæ habet in patrio casu *regis Iuda*. Verum quoniam in hac oratione aliquid supplendum, vel subintelligendum est, cur non annum potius 23. Iosaphati intelligamus subaudiri, iuxta rei veritatem, & planissimam sententiam, quam alium aliquem annum, qui noua quapiam interpretatione indigeat? Nam quod hunc annum Abulensis, aliique nonnulli vigesimum quintum Iosaphati appellant, ex eo contigit quod annos Ochosiæ ab annis Achabi separant. In quo ab Eusebio quoq. peccatum est, cuius Chronologia in horum regum annis non semel à Scriptura dissentit: vt quod Iosaphatum prius regem facit quam Achabum: quod vtrumque Ioramum eodem anno reges instituit, & alia id genus.

Tremel. & Iun.

Altera probabilior.

V. Iosaphat constituit Ioramum regem.

CÆTERVM octo anni Iorami, quibus regnasse dicitur Ierosolymis [c], non ab illo tempore initium ducunt, quo primum vocatus est rex, neque ab eo quo solus mortuo patre regnauit, de quo 2. Paral. 21. sed à præsenti anno numerantur, quo Iosaphat totam pene regni curam in eum transfudit, etiam testamento facto, vt vult Torniellus: quo assignauit fratribus eius multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum ciuitatibus munitissimis in Iuda. Regnum autem tradidit Ioramo, eo quod esset primogenitus, vt eodem loco secundi Paralipomenon dicitur [d]. Id autem necessaria ratione probatur, quoniam 4. Reg. 8. [e] Ioram rex Iuda dicitur mortuus anno duodecimo Iorami regis Is-

c 4. Reg. 8. 17.

d c. 21. v. 25

e 4. Reg. 8. 17.

ANNVS MVNDI 3141. DILVVII 1485. QVINTÆ ÆTATIS 202. FVNDATI TEMPLI 119. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 21. IORAMI FILII EIVS 5. IORAMI REGIS ISRAELITARVM 3. AMARIÆ PONTIF. 4. ELISÆI 3. TROIÆ EXCISÆ 270. OPHRATANIS 18. IMPERII ASSYRIORVM 1210.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 912.

NASCITVR hoc anno Iorami tertio infans Sunamites, miraculo genitus, & maiori etiam miraculo destinatus. Omnia in vtroque regno Hebræorum suum cursum tenent. Filius Achabi matris artibus superstitionis suæ tenax, vti credere par est, spem Iosaphati, & Elisæi, & omnium bonorum eludit. Ideoque mox eum Dominus, cũ toto regno suo, grauissima fame, aliisq. malis exercet. Moabitæ quoque, cum Ammonitis, & Idumæis, & auxiliaribus Syrorum copiis magnum exercitum clanculum, ac dissimulanter contrahunt, in perniciem regni Iuda, nihil sentiente Iosaphato: donec nunciatum est ei, ingressas iam hostiles copias in regnum suum [a]. [a] 2. Par. 20

ANNVS MVNDI 3143. DILVVII 1487. QVINTÆ ÆTATIS 204. FVND. TEMPLI 121. IOSAPHATI REGIS IVDÆ 23. IORAMI FILII EIVS 7. qui & 1. IORAMI REGIS ISRAELIT. 5. AMARIÆ PONT. 6. ELISÆI 5. TROIAE EXCISÆ 272. OPHRATANIS 20. IMPERII ASSYRIORVM 1212.

ANNVS ANTE CHRISTVM 910.

I. *Ratio difficultatis chronolog.*

RATIO primum temporis à nobis reddenda est, priusquam res anni huius, in vtroque regno gestas persequamur. Illud autem, in horum temporum satis impedita chronologia, negotium in primis facessit, quod 4. Reg. 8. [b] dicitur anno quinto Iorami filij Achabi, qui præsens annus est, regnasse Ioramum filium Iosaphati. Nã si dixerimus hunc Ioramũ filium Iosaphati regnasse in demortui patris locũ, cum Script. pugnabimus, quæ 25. annos Iosaphati regno tribuit, quorũ hic est tãtum tertius & vigesimus, & à morte Achabi quintus. Sin autem dicamus eum viuo patre regnasse, id nõ inchoatum est hoc anno, sed intra illum annum, quo Iosaphat cum Achabo in Ramoth Galaad profectus est, vt superius explicatum est [c]. Respondeo cum Torniello [d], hunc Ioramum Iosaphati filium bis viuo patre dictum esse regem, primum quidem anno Iosaphati decimo octauo, cum is ad bellum Syriacum, cum rege Israëlis profectus est: qui & filium suum Ochosiam in Samaria regem se absente agere voluit; ita vt proreges potius, quam reges dici possent, viuente scilicet vtriusque patre, & à neutro regni administratione deposita.. In eo bello mortuus est Achab; & Ochosias solus vere, & proprie rex fuit in Israële.

*Ioram Iudæus bis viuo patre nominatur rex.*

[b] vers. 16.
3. Reg. 22. 41.
[c] an. Iosaphati 17. n. 1. & 27. & 28.
[d] a. 121. 5. ætat.

II. Qui annus hic sit 1. & 7. eius.

IN regno autem Iudæ à bello reuersus Iosaphat regnum de more administrat, Ioram autem filius eius quiescit. Quia tamen collata prius dignitas verbo sublata non fuit, propterea etiam secundus illius annus in Scriptura memoratur. Nam 4. Reg. 1. [a] dicitur Ioram frater Ochosiæ regnasse pro eo, anno secundo Ioram filij Iosaphat, à quo anno hic est reuera septimus, respondens alterius Iorami quinto. Nunc autem cum Iosaphat vigesimum tertium regni annum ageret, ætatis autem quinquagesimum octauum, videtur totam regni curam in Ioramum filium triginta duos annos natum transtulisse, eumque iteratò regem dixisse. Addo autem Iosaphatum nunc suscipientem bellum formidolosissimum contra Ammonitas, Moabitas & Idumæos, vt mox dicemus, veritum, ne quid ei admodum iam senescenti humanitus contingeret, filium suum in omnem euētum iterum regem dixisse, hoc anno vigesimo tertio regni sui: idque probabilius videtur, quam post absolutum bellum factum regem, vt putãt Hebræi in Seder. cap. 17. Hic ergo annus non solum septimus erit Iorami regis Iudæ, sed etiam primus, & quidem primus potius quam septimus, alioqui non simpliciter octo annis, sed quatuordecim regnasse diceretur.

a vers. 17.

III. An dicatur quintus Iosaphat.

TORNIELLVS secutus Hebræos expositores, hunc eundem vigesimum tertium Iosaphati annum, vult à Scriptura quintum quoque appellari [b], quoniam Iosaphatus annos regni sui numerare cœperit ab eo tempore, quo in bello Syriaco, in quo occisus est Achab, grauissimum adiit ipse vitæ discrimen, cum illud diuino auxilio implorato fœliciter euasit. Verba illius loci sic habent. *Anno quinto Ioram filij Achab regis Israel, & Iosaphat regis Iuda regnauit Ioram filius Iosaphat rex Iuda.* locus ambiguus est: Nam primò quidam latini codices non habent illa verba, *Et Iosaphat regis Iuda*, nec ea Tostatus agnoscit, sed disertè repudiat. In regiis bibliis, neque latinè, neque græcè reperiuntur. Leguntur tamen in Hebræo, & Chaldæo, & Græco Sixti, cuius Latinus interpres putat ea redundare, sicut Abul. in Hebræo. Fuerunt tamen retenta, etiam in emendata editione vulgata. 2. Torniellus cum Hebræis, retinenda putant, & in eis volunt subintelligi annum quintum; vt sit sensus, anno quinto Iorami, & anno 5. Iosaphati, propter rationem proxime allatam, eique textus multum fauet, ex vi copulatiuæ particulæ. 3. Vatablus vult ex Hebræo per parenthesim legi (Iosaphat autem rex Iuda) ac subaudire, mortuus est: verum id dici non potest, quia Iosaphat regnauit adhuc biennium.

b 4. Reg. 8. 16.

vide Abul q. 27. in c 8

IV. Alia expositio improbata.

ALITER quoq. Tostat. explicari posse putat hunc locũ, vt Iorami annus 5. non repetatur in verbis sequentibus, quæ pertinent ad Iosaphatum, sed in his tantũ regnasse dicatur, non memorato regni anno, in hanc sententiam, anno 5. Ioram regis Israel, cum Iosaphat esset rex Iuda, regnare cœpit Ioram filius eius, vt videatur facta Iosaphati mentio, vt intelligeretur simul cum filio regnasse. Ideoq. quidã vertũt Hebræum, *cum Iosaphat esset rex Iuda.* At eam expositionem non fert edit. vulg. quæ habet in patrio casu *regis Iuda.* Verum quoniam in hac oratione aliquid supplendum, vel subintelligendum est, cur non annum potius 23. Iosaphati intelligamus subaudiri, iuxta rei veritatem, & planissimam sententiam, quam alium aliquem annum, qui noua quapiam interpretatione indigeat? Nam quod hunc annum Abulensis, aliique nonnulli vigesimum quintum Iosaphati appellant, ex eo contigit quod annos Ochosiæ ab annis Achabi separant. In quo ab Eusebio quoq. peccatum est, cuius Chronologia in horum regum annis non semel à Scriptura dissentit: vt quod Iosaphatum prius regem facit quam Achabum: quod vtrumque Ioramum eodem anno reges instituit, & alia id genus.

Tremel. & Iun.

Altera probabilior.

V. Iosaphat constituit Ioramum regem.

CÆTERVM octo anni Iorami, quibus regnasse dicitur Ierosolymis [c], non ab illo tempore initium ducunt, quo primum vocatus est rex, neque ab eo quo solus mortuo patre regnauit, de quo 2. Paral. 21. sed à præsenti anno numerantur, quo Iosaphat totam pene regni curam in eum transfudit, etiam testamento facto, vt vult Torniellus: quo assignauit fratribus eius multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum ciuitatibus munitissimis in Iuda. Regnum autem tradidit Ioramo, eo quod esset primogenitus, vt eodem loco secundi Paralipomenon dicitur [d]. Id autem necessaria ratione probatur, quoniam 4. Reg. 8. [e] Ioram rex Iuda dicitur mortuus anno duodecimo Iorami regis Is-

c 4. Reg. 8. 17.

d c. 21. v. 25

e 4. Reg. 8. 17.

raëlis, quando & Ochosias successit patri in regno Iudæ. Cum ergo filius Iosaphati regnauerit tantum octo annis, necesse est primum eius annum concurrere cum quinto anno Iorami filij Achab: quam vides esse nostram in anni huius indice chronologiam. Sic ergo stabilitus est primus annus Iorami filij Iosaphati, qui vt spero sequentibus lucem dabit.

VI. *Annus Sabbaticus octogesimus.*

*Quando contigerit hoc bellum.*

QVOD attinet ad res gestas hoc anno quem sabbaticum ordine octogesimum numeramus, eundemque 560. ab ingressu in Chananitidem, vt à regno Iudæ ducamus initium, ad hunc annum referimus bellum Moabitarum, & Ammonitarum, & Idumæorum, susceptum contra Iosaphatum; quod fuse traditur 2. Paral. 20. Id tradit chronicum Hebræorum ca. 17. *Anno quinto*, inquit *Ioram filij Achab regis Israël, & Iosaphat regis Iuda, dum redirent de prælio, postquam interemissent Ammonitas, Moabitas, & Idumæos, constituerunt regem Ioram filium Iosaphat super Iuda, qui habuit fratres filios Iosaphat, sex.* hæc ibi; Quibus potius assentimur, quam aliis, in quibus Iosephus [a], qui hoc bellum in annum vltimum Achabi & Ochosiæ conijciunt, & vno, aut altero mense, quibus Ochosias superuixit Achabo, coarctant. Nec ratio, qua huiusmodi opinio nititur, admodum efficax est; quod scilicet post enarratum illud bellum, additur, [b] *Post hæc iniyt amicitias Iosaphat rex Iuda cum Ochosia rege Israël*, qui scilicet hoc tempore quintum iam annum erat extinctus. Verum illud *Post hæc* eandem vim habet, ac si diceretur. *Ad hæc*, siue *Præterea*, vt seruiat narratiunculę suo loco prætermissæ; quod etiam in fine libri tertij regum factum est. Non enim subduntur ea verba immediate narrationi huius belli, sed adijciuntur quasi auctarium quoddam rerum à Iosaphato gestarum, & communi formula conclusarum. Alioqui quo modo ex ordine narrandi Scripturæ colligunt hoc bellum gestum ante mortem Ochosiæ, ita iustius inferetur initam cum Ochosia amicitiam, vltimam esse omnium rerum à Iosaphato gestarum, quod falsum esse constat. Iuit enim illo mortuo in bellum aduersus regem Moabitarum, cum Ioramo Ochosiæ successore.

*Non tempore Ochosiæ.*

a l. 9. c. 1.

b 2. Par. 20. 35.

VII. *A quibus excitatum.*

PRIMVM autem circa bellum ipsum quærendum videtur, à quibus populis suscitatum fuerit, & qua de causa, tum quæ Iosaphati ad bellum præparatio; quam secuta est prophetica victoriæ prædictio, ipsaque victoria, cum spoliis, & triumpho. Populi tres memorantur, primum Moabitæ, deinde Ammonitæ, tertij ambigui sunt, quarto loco obiter adduntur Syri: Ambigui sunt inquam tertij; nam Ammonitæ quoque vocantur à Scriptura. *Post hæc*, inquit, *congregati sunt filij Moab, & filij Ammon, & cum eis de Ammonitis ad Iosaphat, vt pugnarent contra eum.* 1 Nonne Ammonitæ sunt filij Ammon? quomodo ergo hic quasi duo populi referuntur? Iosephus, qui hanc historiam sub initium noni Antiquitatum tradit, Arabes interpretatur. *Per idem tempus*, inquit, *Moabitæ, & Ammonitæ, cum Arabum auxilijs bellum inferunt.* Quidam alij Hebræi intelligunt Amalecitas, qui lingua & habitu se Ammonitas mentirentur. Septuaginta Sixti habent ex Minæis; sed qui fuerint isti Minæi non apparet. Nisi forte placet intelligere Ægyptios à Minæo ipsorum rege ita dictos; seu potius populos in Arabia ad mare rubrum habitantes, qui, vt ait Stephanus, primi thuris commercium fecere: eos enim μιναίους vocat. de quibus iterum temporibus Ozię mentio erit. [c]

1 v. 1.

c 2. Par. 26. 7. 8.

VIII. *An ab Idumæis quoque.*

COMMVNIS sententia est, intelligi hoc loco Ammonitarum nomine Idumæos, adeo vt plerique libri latini habeant non *de Ammonitis*, sed, *de Idumæis*, quam lectionem agnoscit, probatque Lyranus, & alij. Et certe toto reliquo capite [d] Scriptura sæpius nominat Idumæos, siue habitatores montis Seir; iungitque Moabitis, & Ammonitis. Placet in eandem sententiam audire Hieronymum, in Tradit. in hunc locum: *Ammonites*, inquit, *Idumæos vult intelligi, qui ob reuerentiam fraterni nominis, nolebant in pristino*, aut proprio, *habitu arma mouere contra Israel, sed transfigurabant se in habitum Ammonitarum.* Et recte quidem, nisi quod illa fraterni nominis reuerentia frigidior videtur: erat enim iampridem plurimis bellis violata; nam Saulis tempore [e] inter hostes Israëlitarum numerabantur Idumęi: quos deinde Ioab, & Abisai, Dauide regnante, pene internecione deleuerunt. [f] Itaque timorem potius causam dixerim huius habitus ementiti. Siquidem, vt paulo ante dicebamus, Idumæi subditi erant regi Iuda, & ei tri-

d v. 10. 22. 23 l. 2. Par. 10.

e 1. Reg. 14. 47.

f 2. Reg. 8. 14. & 3. Reg 11. 14. 15.

buta pendebant, & cum eo nuper aduersus Moabitas pugnauerant, & ab eius potentia, propter vicinitatem, sibi vehementer metuebant; suo præsertim malo non semel edocti.

METVS ergo latendi causa erat: militãdi verò cũ Moabitis, & Ammonitis, fuit nonnulla spes, desiderium certe excutiendi iugum tributarium, quo iam inde à Saule, & Dauide, & nunc à Iosaphato premebãtur. Sed quæ causa fuit ipsis Moabitis, & Ammonitis, bellum Iosaphato inferendi? Moabitæ quidem nuper ab eo, & Ioramo Israëlita summa clade, & vastitate affecti fuerant; ideoque incredibili vindictæ cupiditate ardebant. Iis facile fuit sibi adiungere Ammonitas, fœderatos semper & socios, & ab antiquos fratres, vt Idumæi & Israëlitæ. Cupidè quoque, quamuis dissimulanter, Idumæos sibi, spe libertatis iniecta, adiunxerunt, vt hac quoq; parte vires Israëlitarum diminuerent, augerent suas. Deinde ne vterque Israëlitarum rex coniunctis copiis facile ipsis pares esse posset, aut præ se tulerunt se vnum regem Iosaphatum armis petere, qui nulla re violatus à Moabitis, tantam ipsis cladem intulisset, & insuper Idumæos contra se armasset; aut certe ex improuiso Iosaphatum inuasere, vt illi ægre subditorum arma contrahere, nedum externa auxilia implorare liceret. Ea porro mente fuisse vt Hebræorum nomen extinguerent, aut sedibus suis exterminarent, illa Iosaphati ad Deũ verba significant; *Nituntur eijcere nos de possessione, quam tradidisti nobis.* — IX. *Quæ belli causa.*

VENERVNTQVE *nuncij*, [a] *& indicauerunt Iosaphato dicentes: venit contra te multitudo magna de his locis, qui trans mare sunt, & de Syria, & ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi.* Mare intelligit mortuum, siue Sodomorum, qui lacus Asphaltites Iosepho, id est bituminis, cuius ingens ibi fuit copia. Mare salis, & mare salinarum, in quod Iordanis influit, Hieronymo. De Syria etiam venisse dixit; non quidem, vt arbitror, de Syria Damasci, Syri enim qui parebant Benadado, Iosaphatum non oderant, vt apparuit in bello, quo occisus est Achab; sed Syriæ nomine comprehenduntur Ammonitarum, & Moabitarum regiones, quæ in Syria late sumpta erant. Cuius rei argumentum est, quod Syri deinceps in reliqua huius belli historia non memorantur. Asasonthamar vrbs erat, vt scribit Hieronymus, antiquissima, in qua Amorrhæi quondam Abrahami temporibus habitabant, quos interfecit Chodorlahomor, iuxta eremum Cades. Dicta est Assasonthamar, id est vrbs palmarum, eo quod palmis eius ager abundaret. Dicta est postea Engaddi; de qua Hieronymus. *Engaddi in tribu Iuda, vbi absconditus est Dauid in solitudine, quæ est in regione campestri Ierichuntis. Vocatur autem vsque hodie vicus prægrandis Iudæorum Engaddi, iuxta mare mortuum, vnde & opobalsamum venit; quas vineas Engaddi Salomon nuncupat.* Ita Hieron. *Ad Engaddam,* ait [b] Iosephus, *vrbem Asphaltitæ lacui vicinam, trecentis stadiis Hierosolymis distitam castra metantur: cuius ager egregia palmeta fert, & balsamum.* hæc ille [c]: non oportet hunc agrum valde vicinum esse lacui, iuxta ea, quæ de Sodomorum euersione suo loco diximus. [d] — X. *Certior fit Iosaphat.* — *Syri.* — *Asasonthamar.* — *Engaddi.*

a Paral. 20. 2. — in loc. heb. — Thamar palma. — b lib. 9. c. 1. — c vide Adrich. in tribu Iuda n. 116. — d a.m. 2138 n. 74. — e 2. Par. 20. 3.

IOSAPHAT autem his nunciis *timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Deum, & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda.* [e] Timidior quidem est senectus; sed & Dominus timorem incussit, vt ad ipsum cum multo merito recurreretur, & gratior esset insperata victoria. Ad ieiunium accessit publica, & communis oratio. *Congregatusque est Iudas ad deprecandum Dominum, sed & omnes de vrbibus suis venerunt ad obsecrandum eum.* Hebr. *vt quærerent à Domino*, veniam scilicet & pacem, eiusque opem infimis precibus implorarent. *Cumque stetisset Iosaphat in medio cœtu Iuda & Ierusalẽ, in domo Domini ante atrium nouum.* 2 Omnes docti ignorãt, ait Vatab. quodnam fuerit atrium illum nouum. Verum supra diximus, plerosque viros doctos, in quibus Montanus, Salmerõ, Genebrardus, Baradius, Pineda, existimare hoc atrium nouum esse atrium fœminarum; nouum dictum, non quod aliud esset ab atrio Israëlis, sed quod noua separatio adiecta esset ad viros à mulieribus seiungendos. Ergo antè hoc atrium ad orandum compositus rex Iosaphat ait. — XI. *Et recurrit ad Deum.* — *Ad atrium nouum templi.*

v. 5. 2 ex.

DOMINE *Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis gentium*, neque enim imperium tuum, ac potentia, Hebræorum finibus perangustis circumscripta est, *in manu tua est fortitudo & potentia, nec quisquam tibi potest resistere.* Hoc quasi exordio vsus rex pius, iniustitiam causæ aduersariorum ostendit; quæ in Deum quoque redundet, cuius dispositionem irritam facere — XII. *Ibique Deũ orat.*

velint, auferendo quod ille dederit. *Nonne tu Deus noster interfecisti omnes habitatores terræ huius, coram populo tuo Israel, & dedisti eam semini Abraham amici tui, in sempiternum? Habitaueruntque in ea* quingentis iam ac sexaginta annis, *& extruxerunt in illa sanctuarium.* Alterum adiicit impetrandæ opis argumentum, quod sanctificato diuinitus templo, quod sibi construi iusserat, fidem suam obligarit aduersis Hebræorum temporibus, se in eo exoratum iri. Nomine siquidem totius populi Dei, hæc, aut his per quam similia dixerat Salomon ante 114. annos [a], *Si irruerint super nos mala, gladius iudicij,* siue gladius vindicans, id est, bellum iusto Dei iudicio immissum, ad vindicanda scelera populi sui, *pestilentia, &, fames stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua inuocatum est nomen tuum, & clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, saluosque facies.* Nimirum pia in Deum fiducia exigit ab eo Iosaphat, vt qui ratam habuerit orationem in dedicatione templi habitam, liberet populum ad eum, in eius templo confugientem.

*Quæ vis orationis eius.*

a 3. Reg. 8. 30. & seqq. & 2. Par. 20. 9.

XIII. Addit & querelam de iniusta inimicorum cupiditate. *Nunc igitur ecce filij Ammon, & Moab, & mons Seir,* eius scilicet montis incolæ Idumæi: ex quo clarum est, non ignorasse Iosaphatum, Idumæos sese hostibus suis adiunxisse, quantumuis illi latere voluerint, pergit. *Per quos non concessisti Israel, vt transirent, quando egrediebantur de Aegypto,* vt secundo Deuteronomij fuse traditum est [b], *sed declinauerunt ab eis, & non interfecerunt illos.* Non solum Idumæos, sed & Moabitas, & Ammonitas intactos reliquerunt. At ipsi è *contrario agunt,* ingrati videlicet reddunt mala pro bonis, *& nituntur eijcere nos de possessione, quam tradidisti nobis. Deus noster ergo non iudicabis eos? In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus: hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. Sic precatus est lacrymans,* ait Iosephus. Nec dubium quin regis exemplum secutus sit, *omnis Iuda,* qui *stabat coram Domino cum paruulis, & vxoribus, & liberis suis.*

*Queritur de aduersariis ingratis.*

b Deut. 2. 9. 19.

XIV. Non potuit misericors Dominus non flecti precibus, lacrymisque populi sui. Itaque Leuites quidam nomine Iehaziel filius Zachariæ de posteris Asaph in medio turbæ diuino Spiritu afflari cœpit, & dicere; *Attendite omnis Iuda, & qui habitatis Ierusalem, & tu rex Iosaphat. Hæc dicit Dominus vobis. Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem, non est enim vestra pugna, sed Dei. Cras descendetis contra eos: ascensuri enim sunt per cliuum nomine Sis, & inuenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Ieruel.* Alij, in extrema valle versus desertum Ieruelis. Distincta locorum notatio vehementer facit ad fidem. Quæ ita Iosephus explicat. *Mox edicit, vt in crastinum se parent ituri obuiam hostibus, & occursuri eis, Engaddam inter & Hierosolymam, ad quendam cliuum cui nomen Sis, voce Hebræis significante eminentiam.* Id tamen nomen florem Vatablus interpretatur, & fatetur ignorare quamobrem ita diceretur. Septuaginta vocant Assis. Solitudo autem Ieruel, quam omittit Iosephus, ab hac die ita vocata est, vt ait Hieron. & significat timorem Dei, eodem interprete.

*Deus eum consolatur, & victoriam promittit.*

XV. Pergit autem Scriptura [c], *Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos, ô Iuda, & Ierusalem.* Consentanea est hæc promissio antiquæ illi, cum trepidãtibus Hebræis, & Pharaone persequente, dixit Moyses [d], *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Designatio quoque temporis, valet ad faciendam fidẽ. *Nolite timere nec paueatis, cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiscum.* Non abludit ab illa Saulis ad Iabesitas promissione, *cras erit vobis salus, cum incaluerit Sol. Iosaphat ergo, & Iuda, & omnes habitatores Ierusalem, ceciderunt proni in terram coram Domino, & adorauerunt eum.* Leuitæ autem de filiis Caath, & de filiis Core, *laudabant Dominum Deum Israel voce magna in excelsum,* psalmis videlicet Dauidicis, cum instrumentis musicis personabãt, gratias agentes Deo de promissa victoria, orantesque, ne qua sua culpa insignis Dei beneficentia impediretur: in eamque sententiam, electos Psalmos decantabant, in eandemque postridie rex eos exhortatus est.

*Se vno pugnante.*

c 2. Par. 20 17.

d Exod. 14. 14.

Cumque *mane surrexissent egressi sunt per desertum Thecuæ,* quod adiacet oppido Thecuæ Bethlehemo duobus milliaribus distante, orientem versus, quod est rectum iter ad solitudinem Ieruel apud Adrich. in topographico typo, tribus

*Iosaphat populũ consolatur, & monet.*

IOSAPHATI PRO BELLO PRECES.

Iudæ. *Profectisq. eis stans Iosaphat in medio eorum dixit: Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ierusalem: credite in Domino Deo vestro, & securi eritis, credite prophetis eius; & cuncta euenient prospera:* nihil enim æquè retardat diuinā beneficētiam, ac diffidentia de paterna eius in nos prouidentia, & prolixa de nobis bene merendi voluntate. Hinc illa, *secundum fidem vestram fiat vobis: quid timidi estis modicæ fidei? Modicæ fidei quare dubitasti? Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent; Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius.* Hæc Iosephus ita à rege dicta intelligit, vt ne ordinari quidem aciem suorum ad pugnandum voluerit, sed pugnam totam, iuxta prophetæ vaticinium, Deo permiserit. Sic enim ait. *Diluculo vero progressus rex in solitudinem subiectam oppido Thecuæ admonuit multitudinem, credendum esse prædictioni propheticæ, & ne struendam quidem aciem, sed in primo agmine constituendos Sacerdotes cum tubis, & Leuitas cum cantoribus, agendasque Deo gratias, non aliter quam liberata iam ab hoste patria.*

XVII. *Hostes se mutuo cōcidunt.*

CVMQVE *cœpissent laudes canere*, cum longius adhuc ab eis abessent, cœpit Dominus pugnare pro eis. Nam *vertit insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant, vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt.* Id quomodo factum fuerit difficile est intelligere, in tanta Scripturæ breuitate. Apparet eos, audito Iosaphati aduentu, idoneo in loco ei struxisse insidias, in quas alij de eodem hostili exercitu temere illapsi, ratiq. hostes, pugnæ initium inter se dederint, aliiq. aliis superuenientes acrisia percussi, vt in pugna Ionathæ contra Philisthæos [a], menteque confusi, non prius pugnare destiterint, quam Idumœi profligati conciderent. Sequitur enim. *Namque filij Ammon, & Moab consurrexerunt aduersum habitatores montis Seir*, ex quo factum est, *vt interficerent, & delerent eos.* Etsi alia fuerit eorum intentio, sic enim accipiendus videtur hic locus, ne insidiæ frustra memoratæ videantur. C*umque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi*, rixa aliqua temerè suborta, *mutuis concidère vulneribus.*

a m.̄ 2964. n. 67.

XVIII. *Iudæorum præda de hostibus.*

CVM ita debellatum esset, *Iuda cum venisset ad speculam, quæ respicit solitudinem*, cliuum scilicet illum, ex quo late patet prospectus in valles, camposque subiectos, *vidit procul omnem late regionem plenam cadaueribus, nec superesse quemquam, qui necem potuisset euadere.* Iosephus omissa insidiarum mentione, *Deus vero*, inquit, *terrorem & consternationem immisit Ammanitis, & eorum socijs, ita vt alij in alios ruentes hostiliter inse inuicem debaccharentur, tanto furore, vt ne vnus quidem ex tot millibus reliquus fieret. Venit ergo Iosaphat*, ait Scriptura, *& omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: inueneruntque inter cadauera variam supellectilem, vestes quoque, & vasa preciosissima*, siue desideriorum iuxta phrasim hebraicam, *& diripuerunt, ita vt omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ magnitudine prædæ. Die autem quarto congregati sunt in valle benedictionis. Etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocauerunt locum illum, vallis benedictionis, vsque in præsentem diem.* Hæc victoria sine sanguine & sudore.

XIX. *Et triumphus.*

SEQVITVR triumphus, non quadrigis illatus in vrbem, & in templum Capitolini Iouis; cum crebris in Imperatorē dicteriis, sed in ciuitatem sanctam, in templū Domini, cum multiplici laude, & gratiarū actione in Dominū exercituum. *Reuersus* enim *est omnis vir Iuda, & habitatores Ierusalem, & Iosaphat ante eos in Ierusalem, cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. Ingressiq. sunt in Ierusalem cum psalteriis, & cytharis, & tubis in domum Domini.* Qua tanta victoria euulgata, *irruit pauor Domini super omnia regna terrarum, cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel. Quieuitque regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum. Inde reuersus*, ait Iosephus, *cum exercitu rex Ierolyma, per aliquod dies in sacrificiis, atque epulis occupatus fuit. Quin & in exteras gentes, tam mirificæ victoriæ fama perlata, eam regi sanctitatis, ac pietatis opinionem conciliauit, vt res eius sub diuini numinis tutela esse pro cōperto crederent, mansitq. vsque ad extremum eius diem hæc persuasio.* Nusquam in hoc bello Scriptura, vel Iosephus Iorami regis Israelis meminerunt. Chronicum tamen Hebræorum, cap. 17. ait vtrumque regem in id bellum profectum, & in reditu ab vtroq; constitutum Ioramum filium Iosaphati super Iudam. Sed id ante bellum factum fuisse, probabilius videri diximus [b] Ioramum autem Israelitam putamus abfuisse.

*Ac fama late sparsa.*

b sup. nu 2.

TEMPLI FVNDATI 121.

XX. *Moritur filius sunamitis.*

MIRACVLVM PVERI AD ELISÆO SVSCITATI.

HÆC dum in regno Iudæ agebantur [a], Elisæus mirabilia in Israële faciebat. Cum enim creuisset puer ille, Elisæi precibus impetratus, & tertium ætatis annum ageret, iuxta rationem temporis superius constitutam [b], licet quartum, vel quintum illi tribuat Abul. quasi primo anno Iorami natus esset puer, quod fieri nequit. Suscitatum tamen anno 5. Iorami fatetur, q. 1. in cap. 8. Puer ergo egressus ex vrbe, alicuius vt fit domestici ductu, ad patrem, qui cum messoribus erat, venit: ex quo intelligitur hoc miraculum sub æstatem contigisse, cum feruente solis radio tactus puerulus, male habere cœpit, sicut postea maritus Iudithæ. Dixitq. puer *patri suo, caput meum doleo, caput meum doleo.* Pater autem famulo cuipiam, *tolle*, inquit, *& duc eum ad matrem suam*, vel, vt alij, fer eum, quomodo habent Septuaginta, & Chald. paruulus enim erat, & æger. *Qui cum tulisset*, eum in vrbem, *& duxisset ad matrem suam*, quæ pro suo in vnigenitum amore curam eius ageret, *posuit eum illa super genua sua, vsque ad meridiem, & mortuus est.* Et scilicet *in lachrymas abiere oculi, in suspiria pectus*, sed infudit illico Dominus in eius animum spẽ eius suscitãdi ab Elisæo, à quo forte didicerat suscitatũ puerũ viduæ Sarephtanæ [c], sicq. tẽperatus est, ac dissimulatus dolor, dum illi remediũ animosa quęrit.

a 4. Reg. 4. 18.
b a.m. 3140. n. 1.
c 3. Reg. 17. 17.

XXI. *Mortem dissimulat mater.*

ASCENDIT *autem* ad cœnaculum Elisæi, *& collocauit* puerum mortuum, *super lectulum hominis Dei*, siue sperãs aliquod inde auxilium, ob contactum viri Dei: siue vt euocatus Elisæus, eum ibi reperiret ad orandum pro eo, seorsim ab omnibus domesticis: siue vt eum absconderet, vt ait Tostat. [d] ne mors eius patri innotesceret, grauissimoque eum mœrore conficeret, & matris profectionem, & filij suscitationem fidei defectu impediret. Illo autem abdito in cubiculo viri Dei, eoque clauso, nemo illum reperiret, maneretque res integra vsque ad Elisæi aduentum. *Et egressa* in agrum vbi erat vir eius, *vocauit virum suum*, dissimulatoq. dolore suo, ait illi, *Mitte mecum, obsecro, vnum de pueris, & asinam, vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar.* Monet virum de discessu, ne is de eius absentia turbetur. Necesse autem est breue fuisse iter ab oppido Suna, vsque ad Carmelum, si mulier à meridie ad vesperam in asino sedens, se putabat eo peruenire posse, & confecto negotio reuerti. Præsertim cum id tempus & profectione in agrum, & parando discessu diminutum fuisset. Fortasse non sperauit se eodem die reuersuram. Certe Adrich. in typo tribus Zabuloniæ, illud iter octo aut nouem horarum esse vult, quod celerrimus equus, nedum tardus asellus, bis eodem pomeridiano tempore emetiri nõ posset. Adde quod, si perbreuis esset via inde ad Carmelum, nequaquam ibi Elisæus, aut eundo, aut redeundo substitisset, quod nõ aduertit Abul. [e] Itaque crediderim mulierem eo die in Carmelum non peruenisse, sed in pagum aliquem diuertisse, postridieque clara iam luce ab Elisæo in itinere agnitam, missumque ad eam Giezi à propheta.

d q. 29. in c. 4.
e q. 32. in c. 4.

XXII. *Et petita à viro commeatum.*

MARITVS autem, qui nihil de pueri morte suspicabatur, nullum de eo verbũ facit, sed tantum: *Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatũ.* qui erant festi dies, quibus populus solebat adire Synagogas, aut prophetas, peritosque legis, ad audiendum verbum Dei. Et apparet, non nunc primum eo adijsse mulierem, eiusdem rei causa. Calẽdæ autem & Sabbatũ, pro peruigilio eorum dierum videntur sumi, quia diebus festis, & maximè Sabbato, tam longum iter non poterat confici. Ergo pridie dierum illorum ibatur, festo die pietati dabatur opera, postridie ad sua quisque reuertebatur. *Quæ respondit, vadam.* Tostat. legit, *vale.* Hebraicè, græcè, chald. *Et dixit, pax*, scilicet, *tibi sit, bene vale*, quidam, quieto animo esto. Dissimulat mulier veritatem, ne senex de morte vnigeniti filij vehementius affligatur, fortassis cum propriæ vitæ periculo: aut ratus eam inutile moliri opus, abire non patiatur; mendacium quoque vitare cupiens, & longiore sermone animo clausum dolorem prodere timens, vno verbo sermonem abrupit, abeundi licentia, non tam impetrata, quam rapta.

XXIII. *Adit cum famulo virum Dei.*

STRAVITQVE *asinam, & præcepit puero, mina & propera*, 3 *ne mihi moram facias in eundo, & hoc age quod præcipio tibi.* Hebræus. ne moreris me equitando, nisi dixero tibi; significans velle iter accelerari, nec sui haberi rationem, quamuis mulieres lentius equitare soleant. Chaldæus tamen aliò traxit sententiam loci. *Ne molestes me, vt equitem, nisi cum dixero tibi*, à qua sententia non multum absunt Septuaginta. Id tamen videtur obstare intentioni eius accelerandi iter.

3 ex.

Nec obstat, quod aiunt Vatablus & Sa, duxisse asinam, vt propheta veheretur, non ipsa. Nam inter eundem potuit & ipsa vehi, nec videtur propheta viuida ætate, & pedes ire solitus, vt religiosum virum decet, mulierem honestam peditem fuisse ducturus. Quidam putant famulum iussum cum asina præcedere, dum ipsa sequeretur lentius, siue vt quamprimum moneretur vir Dei de aduentante muliere, siue deuotionis causa, ad virum sanctum pedes ire voluit; retineret potius asinam sibi, iuberetque famulum præcedere: sed neque hoc conuenit. Parum enim tutum aut decorum est mulierem solam, siue peditem, siue

4. rx. cum asina iter facere. 4 Verum hac de re plura paulo seorsim dicemus.

Commvnem itaque, maximéque obuiam sequamur expositionem, ambos simul confecisse hoc iter. *Profecta est igitur, & venit ad virum Dei.* Non est intelligendum adhuc peruenisse. mox enim iubetur Giezi ire in occursum eius, sed iter direxisse versus montem Carmeli. Cumque ex alto montis *vidisset eam vir Dei è contra*, siue ex aduerso venientem, oculos Sunam versus intendendo, & eam ex vestitu, aut etiam ex reuelatione agnouisset, causa tamen aduentus non reuelata, *ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa*, hospita scilicet nostra. *Vade ergo in occursum eius, & dic ei. Rectène agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum?* XXIV. *Qui mittit in occursum Giezi.*

q. 37. in c. 4. Hebraice, *Num pax tibi? num pax viro tuo? num pax puero?* Voluit fortasse, vt putat Abulens. mulieri satisfacere per internuncium, nec admittere eam ad colloquium. Nam per mediatorem Giezi eam nuper fuerat allocutus, multo autem minus volebat eam ad pedes ipsius accidere; quia bonum est mulierem non tangere. Itaque etiam tunc stetit ad ostium, propheta eam alloquente; cuius rei signum haud obscurum est, quod cum illa se ad Elisæi pedes abiecisset, eam Giezi voluit amouere. *Quæ respondit, Recte.* Non vsa mendacio, sed ironia; ne si rem patefaceret, non posset mulier ipsum prophetam ad se adducere, quod illa in primis cupiebat, & sperabat se consecuturam, si per seipsam causam suam ageret. Sed ipse ei per seruum suum responderet; eámque din itteret.

Cvmqve *venisset ad virum Dei in montē, apprehendit pedes eius, & accessit Giezi vt amoueret eam. Et ait homo Dei, dimitte illam; anima enim eius in amaritudine est*, neq; afflictæ augenda est afflictio, repellendo eam. Amaritudinem autē ex ipso vultu colligebat: quem vltra nō componebat ad hilaritatem, sed ad mœrorem & luctū, conciliandæ misericordiæ causa. *& Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Præmature nimirum, vt solebat, præueniens interrogationem meam. Quod tamen non erat perpetuum: cuius rei argumentum est aduocatus ille psaltes, antequam regibus de aqua inquirentibus responsum daret. Cum ergo audiret mulier, quæ adhuc tacita iacebat ad prophetæ pedes, & lacrymis, singultibusque loquebatur, non reuelatam prophetæ à Domino calamitatem suam, eam oratione abrupta, & perturbata prodidit. *Nunquid ait petiui filium à domino meo? Numquid non dixi tibi ne illudas me?* Quasi dicat satius fuisse non habuisse filium, quam eo tam breui tempore priuari. Sperauisse se beneficium vltro oblatum, & concessum, constantius, ac diuturnius fore: illusam se in expectatione sua, & vna cum filio suo, omnia sibi gaudia, omnia vota, omnia desideria concidisse. XXV. *Adit prophetam.* *Et apud eū casum suū deplorat.*

Hîc propheta commiseratione commotus erga hospitam suam, ait ad Giesi famulum suum. *Accinge lumbos tuos*, vt expedite iter facias. *& tolle baculum meum in manu tua, & vade*, & scilicet impone eum super corpus defuncti, vt paulo post additur, si forte Deus velit eo instrumento vti ad miraculum, sicut olim virga Mosis tot miracula ediderat, & nuper Eliæ pallio bis Iordanem aperuerat: si forte inquam. Neque enim à Deo mandatum acceperat baculo tentandi miraculum; non enim irrita fuisset illa iussio. Notauit Vatablus iussisse Elisæum accipi à famulo scipionem suum, vt si forte eo modo reuiuisceret puer, hoc miraculum non sibi, aut Giezi tribueretur, sed Deo. Eandem ob causam postea iussit Naamanem sese abluere in Iordane; nec quod ille optabat, descendere voluit, aut locum lepræ tangere, & Deum inuocare super eum. Sic & Elias satagebat dimittere à se Elisæum, nec ipsum habere conscium, & spectatorem triumphi sui, in curru & equis igneis. A quo nunc Elisæus hoc humilitatis studium videtur didicisse. Idipsum pertinebat ad insigne mysterium, * vt intelligeretur lege veteri, quæ minis ac plagis vtebatur, non suscitari genus humanum peccato mortuum, XXVI. *Qui famulum mittit cum baculo.*

* Vide grat. in introd l. 3.

sed ipsiusmet prophetæ magni aduentu, & corporis sui ad eius corpus applicatione.

XXVII. *Qui salutationes et prohibeat.* Præceptum autem illud contra bonos mores videri possit, quo tamen Christus Dominus ipse legitur vsus, [a] *Si occurrerit tibi homo*, inquit Elisæus, *non salutes eum, & si salutauerit te quisquam, non respondeas illi.* Christus autem mittens discipulos suos, *Neminem*, inquit, *per viam salutaueritis.* Verum hac oratione nihil aliud vult propheta, quam vt ne moras in eundo trahat, sed summa diligentia eò recta se conferat, nec salutationibus, aut collocutionibus tempus terat, quin potius ab iis quamprimum se expediat, vt ij solent qui magni momenti negotio vrgentur, quod positum in celeritate sit. Hæc omnino mens est S. Ambrosij ea Christi verba interpretantis, cuius elegantem orationem non pigebit ascribere. [b] *Fortasse quibusdam*, inquit, *hoc durum & superbum, nec mansueti & humilis Domini præcepto conuenire videatur: quod ille qui etiam accubitionis loco præcipit esse cedendum, hoc loco mandet discipulis, neminem salutaueritis in via, cum iste communis sit vsus gratiæ. Sic inferiores superiorum sibi fauorem conciliare consueuerunt. Gentiles quoque cum Christianis habent huiusmodi officiorum commercia. Quomodo Dominus hunc vsum humanitatis auellit.* Et mox. *Denique & Elisæus cum mitteret seruum suum, vt baculum eius poneret super corpus defuncti pueruli, mandauit ei, ne per viam aliquem salutaret. Festinatio enim iubebat eum contendere, vt celebrandæ resurrectionis exequeretur officium, ne confabulatione alicuius obuij mandato deflecteretur à munere. Ergo & hic non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur: vt quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana.* Sic S. Ambros. At Theodoretus q. 17. *Sciebat*, inquit, *eum honoris, & inanis gloriæ cupidum, & futurum vt occurrentibus in via sui cursus causam indicaret; inanis autem gloria impedimento esse solet ne fiat miraculum.* Idem habet & Procopius. [c]

*Ex Ambros. Et Theodoreto.*

[a] Luc 10. 4.
[b] l. 7. in Luc.
[c] Vide Abul. q. 50 in c. 4.

XXVIII. *Quare eum festinare iussit.* Festinatio porro hæc non iniustis rationibus nitebatur, [d] Par enim erat vt piæ mulieris calamitati, bene præsertim de propheta meritæ, primo quoque
1. tempore succurreretur. Gratius est enim beneficium quod prompta donantis celeritate commendatur, adeo vt iuxta prouerbium geminari videatur. Prouidendum quoque erat vt suscitatio pueri patris eius cognitionem, & acerbissi-
2. mum de morte vnigeniti mœrorem anteuerteret, vt non prius audiret filium
3. suum mortuum fuisse, quam viuere. Cauẽda etiam erat diuturna mulieris absentia, occupatissimo tempore messium, quam marito spoponderat breuissimam
4. fore. Accommodabat quoque se propheta populari hominum captui ac iudicio: cui videtur difficilius multo iam tempore mortuum suscitare, quam recens defunctum. Et reuera ex historiis constat hos crebro à viris sanctis fuisse suscitatos, non item illos. Et quamuis vero miraculorum autori Deo, non sit vnum altero difficilius, & vtrumque æque infinitæ ipsius subiaceat potestati: Humano tamen iudicio vnum apparet altero difficilius, quia in diuturna animæ absentia, organa magis corrumpuntur, minusque apta fiunt ad eam vel recipiendam, vel retinendam. Quæ causa est vt quatriduani Lazari suscitatio in maximis miraculis numeretur.

[d] Abul. q. 44. & 45.

XXIX. *Mulier exorat prophetam vt veniat.* Ergo Giezi celeriter antecedit. Mater autem pueri, in omnem euentum, vult secum prophetam domum adducere, Ideoque *viuit Dominus*, inquit, *& viuit anima tua non dimittam te.* Quod videns Elisæus, quamuis non statuisset abire Sunam, nisi post reditum Giezi, si forte nihil ille profecisset, victus tamen hospitæ suæ precibus, & asseueratione iureiurando firmata, *Surrexit, & secutus est eam. Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus*, vitæ scilicet argumenta nulla præbebat, non loquebatur, neque loquentem, aut clamantem audiebat. In Græco enim loco sensus, est auditus, in Hebræo attentio. *Reuersusque est in occursum eius, & nunciauit ei dicens, Non surrexit puer.* Alij non euigilauit, non est excitatus quasi de somno. Quo accepto nuncio progressus est Sunam vsque, & ingressus est in cœnaculum suum, in quo puer mortuus iacebat super lectulum eius. Ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, vt semotis arbitris posset puero incubare; & calefacere corpus eius. Quam rem tanquam parum decoram, ne matrem quidem eius, aut discipulum suum spectare voluit. [e]

[e] Vide Abul. q. 51.

ORDO porro rei gestæ hic fuit. Primum preces ad Dominum fudit impetrandi miraculi causa; erat enim propheta causa eius moralis, non physica. Quæ fuerit eius oratio proditum non est: similis vtique fuerit ei, qua pridem vsus est Elias, nimirum in simillimo negotio, [a] & pari conditione personarum. Secundo *ascendit* super lectum, in quo iacebat puer, *& incubuit super eum*, donec calefieret caro mortua à viuente. Id autem consecutus est, ponendo, *os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius.* Alternatim vero diuersa pueri membra, propriis calefecit, & suis. alioqui pueruli membra paruula, magni viri membris non congruissent. Tertio cum satis diu procubuisset super mortuum, adeo vt cadauer calefieret, descendit è lecto, & inambulauit per cubiculum, Deum orans pro suscitatione pueri. Et vno, atque altero spatio confecto, rursum ascendit ad lectum, & incuruauit se super puerum; sicque bis incubuit super mortuum, séque illi applicuit, sæpius vtique idem facturus, donec mortuus aliqua vitæ signa ederet, ad quæ calefactio disponebat. Septuag. regia, & Complut. addunt, *& inspirauit super eum*, imitatus scilicet hominis conditorem, cum luteum opus animauit. Quam lectionem agnoscit S. Augustinus, [b] multaque circa eam philosophatur: breuius Theodoretus q. 18. quos consule. Illud tamen addiderim, suspicari Franciscum Valesium, lib. de sacra Philosophia ca. 35. Hunc puerum non plane extinctum fuisse, sed syncope, quæ est grauissimum deliquium, fuisse correptum; & ea quasi mortuum iacuisse, ab eaque Elisæi calefactione liberatum, *Nulla vero calefactio*, inquit, *ad eam rem vtilior atque accommodatior, quam alterius hominis, cui calor adhuc viget admotio, & calidi anhelitus insufflatio. Is enim calor congener est, & vitalis: scimusque nonnullos, qui viderentur omnibus qui aderant extincti, hac ratione esse reuocatos.* Hæc & plura Vales. Qui tamen communi sententiæ de vera morte, veraque suscitatione, modeste, ac religiose acquiescit.

XXX. *Ordo miraculi.*

*An syncope laborarit puer.*

a 3. Reg. 17. 20.

b l. 3. de anima c. 15.

DEVS autem, qui iuxta arcana prouidentiæ suæ consilia, modo tardius, modo celerius exaudiebat seruorum suorum preces, quique Eliam pro Sarephtanæ viduæ puero, vsque ad tertiam orationem voti compotum non fecit, Elisæum ad secundam orationem exaudiuit; siue quia is maioris meriti fuit, siue quia duplicem Eliæ spiritum accepit. Ait autem Abulensis [c] vtrumque, in miraculis quæ publice fiebant ad fidei confirmationem, illico exauditum fuisse, ne populi fides infirmior vacillaret; priuatim autem, vbi aberat id periculum, Deum, vt humiliores, & feruentiores ad orandum redderet seruos suos, non statim eos voti compotes fecisse. *Et oscitauit*, siue sternutauit, vt alij ex Hebræo vertunt, quidam singultiuit, *puer septies, aperuitque oculos.* Septuag. regia & Complutensia, & confortatus est septies, & mouit se puer, aperuitque oculos. Quæ recuperatæ vitæ indicia minime vacant mysteriis, sed ea persequi alterius est otij, & instituti. Vbi autem se exauditum vidit propheta, puerũque viuere, gratias, vt par erat egit Deo: tum aduocata matre, *tolle* ait *filium tuum. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adorauit super terram*, virum sanctum & benefactorem summissius honorando: *tulitque filium suum, & egressa est* ex prophetæ cœnaculo.

XXXI. *Cur non statim reuixit.*

c q. 55. super c. 4.

ELISÆVS *autem reuersus est in Galgala.* Noluit scilicet ibi multas laudes, & congratulationes non solum honoratæ familiæ, sed totius etiam ciuitatis audire. Itaque quamprimum ad propria rediit. Prius tamen quam rediret, *locutus est ad mulierem, cuius viuere fecerat filium*, vt habetur infra initio cap. 8. ex quo suppleri debet hic locus, monuitque eam, beneuolentiæ in totam familiam, & gratitudinis ergò, vt imminentem cladem euitaret. [d] *Surge*, inquit, *vade tu, & domus tua, & peregrinare vbicumque reperreris. Vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis*; prospice ergo rebus tuis, vt commune malum leuius ferre queas. Monet autem de diuturnitate famis, ne illa existimans eam breuem fore, subsisteret in terra Israël, omniaque sua diuendere, ac consumere cogeretur: quæ illi salua peregrinando manserunt, vt suo loco dicetur. Quare autem de hac peregrinatione suscipienda cum muliere potius, quam cum viro, à quo regenda erat, egerit, id contractæ iam familiaritati tribui potest: quandoquidem ipsa erat, quæ omnia necessaria, magna cum charitate, humilitate, ac reuerentia prophetæ ministrabat.

XXXII. *Abit propheta, & mulierem de fame præmonet.*

d 4. Reg. 8. 1.

EXISTIMAT etiam Abulensis [e] virum mulieris huius mortuum fuisse,

XXXIII. *Mors mariti eius.*

e q. 5 in c. 8. 4. Reg.

quando Elisæus cum ea de suscipienda peregrinatione verba fecit; idque videtur innuere textus ipse, in quo dicitur, *Surge, vade tu, & domus tua*; viuo enim marito dictum fuisset, vade tu, & domus viri tui; vel, vade tu, & vir tuus, Aut potius euocato viro dixisset propheta. Accipe puerum, & matrem eius, & peregrinare vbicunque repereris. Quod si mortuus fuit, recte dici potest hæc ab Elisæo, non statim atque excitatus est puer, dicta fuisse mulieri, sed post tempus aliquod, vnius fortasse vel alterius mensis, intra quod tempus vir eius defunctus fuerit. Interiectum hoc spatium suspicari licet, ex eo quod Scriptura non ait, Prophetam suscitato puero reuertisse in Carmelum, vnde videlicet ipsum mulier adduxerat, sed in Galgala; & quidem, vt statim subiicitur, cum esset fames in terra, quæ sequenti anno cœpit. Ergo Elisæus excitato puero, rediit ad dilectum sibi Carmelum, & post vnum alterumve mensem Suna transiens, inuenit patrem familias defunctum; erat enim senex, vt ante annos aliquot dixerat Giezi. [a] Tuncque mulierem monuit de peregrinatione suscipienda. Itaque illud: *Et Elisæus reuersus est in Galgala*, aliqui ad sequentem sententiam non male referunt, in hunc modum. Elisæo autem reuerso in Galgalam, quo scilicet dudum ierat, cum Elia præceptore suo, [b] cum fames esset in ea terra, & filij prophetarum sederent coram eo, edixit puero suo, &c.

*Quo rediit rus Elisæus.*

*a c. 4. v. 14.*

*b ca. 2. 1.*

XXXIV. *Annus mortis Homeri.*

CADIT in hunc annum ducentesimum septuagesimum secundum ab excisa Troia, celeberrimi, & poëtarum Græcorum facile principis Homeri mors: iuxta ea, quæ anno 168. ab eadem clade diximus, qui fuit annus Salomonis vigesimus. Iulius enim Solinus cap. 53. sui Polyhistoris *Smyrna*, inquit, *Homero vati patria extitit, qui post Ilium captum anno 272. humanis rebus excessit, Agrippa Syluio Tyberini filio Albæ regnante*; atque adeo, iuxta Eusebij Chronologiam, regnum inchoante. Apud eum enim Ophratanis Assyriorum regis vigesimus, qui est præsens annus, cum dicti Agrippæ anno regni primo concurrit. Addit autem Solinus mortuum Homerum 160. annis ante vrbem conditam. Quod tempus accuratæ congruit cum nostra Chronologia. Ab hoc enim anno centesimus sexagesimus cadit in vrbis natalem diem, expleturque tribus annis Iosaphati, qui supersunt, & quinque Iorami filij eius, quibus sine patre regnauit, & sex impiæ Athaliæ; quibus adde 40. Ioas, 29. Amasiæ, 52. Osiæ, 16. Ioathani, & nouem Achazi omnes 160. conficiunt. Quibus si addas annos ab excisa Troia 272. inuenies annos 432. quos constituit Dionysius Halycarnassæus, ab excisa Troia ad Romam conditam. Eadem autem Chronologia ostendit Homerum centum & quatuor annis vixisse, vt non sine causa eius senium etiam oraculis celebretur.

| |
|---|
| 3 |
| 5 |
| 6 |
| 40 |
| 29 |
| 52 |
| 16 |
| 9 |
| 160. |
| 272 |
| 432. |

XXXV. *Vbi, & quomodo mortuus.*

DE Homeri porro morte non alium libet autorem proferre quam Herodotum, vitæ illius scriptorem antiquissimum. Ineunte vere, inquit, moliebatur Homerus è Samo Athenas proficisci, soluensque vna cum popularibus quibusdam ad Ion appulit, vbi stationem non ad vrbem, sed in littore habebant. Hic contigit Homerum grauiter ægrotare; egressus igitur è naui in crepidine littoris iacebat ægrotus. Quumque diutius illic ob nauigandi difficultatem in portu remorarentur, subinde pleriq; ex vrbe descendentes operam Homero dabant, eumque audientes admiratione prosequebantur. Iam vero nautis, cæterisque aliquot, qui è ciuitate conuenerant, illic apud Homerum considentibus, forte pueri piscatores cò appulerunt, qui è nauicula egressi, hæc illis verba fecerunt. Agite peregrini audite nos, numquid eorum quæ proponemus explicabitis? Ibi è præsentibus quidam iubebat eos proloqui. Illi, nos, inquiunt, quæcumque cepimus reliquimus; quæ vero non cepimus nobiscum portamus. Et cum nemo id ænigmatis interpretari posset, piscatores explicabant. Significantes nimirum se, cum piscium nihil capere possent, desidentes in sicco, pediculos venatos, & horum quotquot cepissent abiecisse: quos autem non inuenissent, domum retulisse. Sic Herodotus, cupidus exhilarandi lectoris sui.

XXXVI. *Eius sepulchrum.*

AD quod ænigma alludens nescio quis, distichon hoc edidit.

*In syluam vado venatum cum cane quino,*
*Quod capio, perdo, quod fugit, hoc habeo.*

Pergit Herodotus. *Ex hac autem ægritudine extremum diem clausit Homerus in Io, non, vt arbitrantur aliqui, ænigmatis perplexitate enectus, sed morbo.* Alludit vtique

ad oraculum, quod reddidisse fertur Apollo Homero, de patria, & parentibus sciscitante.

*Insula Ios matrem, nato factura sepulchrum*
*Progenuit, iuuenum tu vero ænigma caueto.*

Id oraculum apud Pausaniam libro 10. leges.

De sepulchro hæc addit historicus. Extinctus vero in Io Homerus, à comitibus suis, atque ciuibus, qui ex vrbe in colloquium cum eodem venerant, in littore ibidem honorifice sepultus est. Cuius sepulchro multo post tempore Ienses, vbi poësis eius iam publicata ab omnibus celebraretur, huiusmodi inciderunt carmen elegiacum.

Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει
Ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα, θεῖον Ὅμηρον.
*Hic iacet augustum caput, hic diuinus Homerus,*
*Claro qui Heroum celebrauit carmine gesta.*

Scribit Pausanias in Bœoticis pro foribus templi Delphici videri æneam Homeri statuam columnæ superpositam, cum Apollinis responso, quod seorsim referam. 5 — 5. XX.

Herodoto de Io consentiunt Plutarchus in Sertorio, Strabo lib. 10. Pausanias in Bœoticis. Solinus ca. 17. qui ait Ion cæteras cycladum Homeri tumulo antecedere, & alij passim. Sed de his satis. Vide annum excisæ Troiæ 168.

*SCHOLIA IN ANNVM MVNDI.* 3143. *IOSAPHATI* 23.

1. N. VII. QVidem è sectariis, illud, *& cum eis de Ammonitis*, quæ ad verbum habentur in Hebræo, legunt, *& alius, qui trans Ammonitas habitabant, cum eis*; quos Syros fuisse volunt, quoniam mox sequitur, *de his locis, quæ trans mare sunt, & de Syria.* Verum cum de Syris tota reliqua narratione nulla sit mentio, siue in oratione Iosaphati, siue in pugna, siue post pugnam, communi versioni, & interpretationi adhærendum videtur, iuxta ea quæ diximus n. 7. & 8.

2. N. XI. Nec magis probandi iidem nouatores cum atrium nouum à rege Asa constructum volunt in templo, cum Scriptura tantum dicat ab eo dedicatum altare, quod erat ante porticum. 2. Par. 15. 8. quis non intelligat quantum distent atrium & altare? quantum differant construere, & dedicare? Accedit quod nihil habeat probabilitatis ista atrij constructio, quæ pertinet ad annum 15. regni Asæ; vt n. 17. eius anni diximus, Neque collapsum aliquod atrium, siue porticum templi Salomonici, quod totum opere solidissimo constructum fuisse constat, intra 65. annos ostēdere possunt; neque locum inuenire vbi illud construant, cum vertex montis Moriæ totus occupatus fuerit, & insuper spatium illud amplificatum, vt eo totum templum cū suis porticib. capi posset. Præterquam quod absolutissima, sibique vndique respondens structura templi, nouam porticum admittere non poterat, sine maximo architecturæ, & proportionis vitio.

5. XXIII. Septuag. Age, & vade, ἄγε, καὶ πορεύου. Hebr. & Chald. duc, & ambula. Alij præcede, & proficiscere Minandi vox est in sacris literis non infrequēs, neq. inusitata Latinis. Auson. Fest.

Ibid. In plerisque libris Græcis, etiam in editione Romana, habentur hæc quoque verba mulieris ad famulum suum, Δεῦρο, καὶ πορεύου, καὶ ἐλεύσῃ πρὸς τὸν ἄνθρωπον τοῦ θεοῦ εἰς ὄρος τὸ Καρμήλιον. *Heus, & ibis, & venies ad hominem Dei ad montem Carmelium.* Vnde sequitur, *Et iuit*, nimirum famulus, *& venit vsque ad hominem Dei ad montem*, vbi scilicet de aduentu heræ suæ prophetam monuit: qui è monte respiciens Sunam versus, vidit eam ex aduerso aduentantem, & misit Giezi in occursum eius. Et confirmatur hæc expositio, quia alioqui mulier bis diceretur venisse ad hominem Dei. Videtur sane hic geminus aduentus viam aperuisse aliquibus, vt priora illa verba, *venit ad hominem Dei*, ad famulum referrent, quam expositionē repudiauit in vulg. Hieronymus, qui habet, *Profecta est igitur, & venit ad virum Dei*; ad tollendam ambiguitatem Hebræi, & Græci textus. Itaque verbum *venit* priore loco, significat ire, posteriore peruenire. Adde quod prædicta verba Græca, quæ ab Hebręis absunt, Latinisque codicibus, additititia, & superflua à nonnullis dicuntur. Mansit ergo cum hera famulus, cumque ea iter fecit, iuxta expositionē, quam in textu amplexi sumus.

In eadem columna, inquit Pausanias, p. 341. Græco Lat. leges illud Apollinis responsum, quod ipsi poetæ de patria sua sciscitanti editum memorant. 5. XXXVI.

Ὄλβιε, καὶ δύσδαιμον, ἔφυς γὰρ ἐπ' ἀμφοτέροισι.
Πατρίδα δίζηαι· μητρὶς δέ τοι, οὐ πατρὶς ἐστιν.
Ἔστιν Ἴος νῆσος μητρὸς πατρίς, ἥ σε θανόντα
Δέξεται. ἀλλὰ νέων παίδων αἴνιγμα φύλαξαι.
*Felix atq; miser, nam sors te ad vtramq; creauit,*
*De patria quæris, sibi matria, non patria vlla est.*
*Insula Ios matris patria est, ea funere functum*

*Te capiet. Sed enim puerorum ænigma caueto.*
Addit de Homeri matre Pausanias. *Monstrant Ietæ in insula Homeri sepulchrum, & seorsum Clymenes, Homeri Clymenem matrem fuisse dictitantes. Cyprij vero, nam & hi sibi Homerum vindicant, Themisto indigenam fœminam Homeri fuisse matrem dicunt;* idque Euchi vaticinio confirmãt, quod apud eundem leges. Et illud inter alia.

Ἔσσεται ἀθάνατος, καὶ ἀγήρως ἤματα πάντα.

*Immortalis erit, senio neque cesserit vnquam*

Idem Homerum ex morbo luminibus captum fuisse tradit, neque tamen infortunio succubuisse, sed quæ instituerat perfecisse, lib. 4. pag. 144. Et lib. 2. p. 76. fortunam incusat, quæ non contenta oculis Homerum priuasse, vt priori malo aliud calamitatis genus adderet, inopia oppressum, victum sibi emẽdicantem errare per omnes prope terras coegerit. Eleganter, vt cætera, Tullius, quod instar sit epitaphij. *Traditum est*, inquit Tuscul. 5 114. *Homerum cæcum fuisse. At eius picturam, non poesim, videmus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, vt quæ ipse non viderit, nos vt videremus, effecerit. Quid ergo aut Homero ad delectationem animi, ac voluptatem, aut cuiquam docto defuisse vnquam arbitramur?*



# ANNVS MVNDI 3144. DILVVII 1488. QVINTÆ ÆTATIS 205. FVNDATI TEMPLI 122. IOSAPHATI 24. IORAMI FILII EIVS 2. IORAMI ISRAELITÆ 6. AMARIÆ PONTIF. 7. ELISÆI 6. TROIÆ EXCISÆ 273. OPHRATANIS 21. IMPERII ASSYRIORVM 1213.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 909.

I. *Primus annus famis Israelitæ.*



IORAMI regis Israëlitarum annus sextus, primus fuit septennij famis ab Elisæo prænunciatæ, [a] qua Deus & regis & populi Israëlitici peccata, & maxime continentem idololatriam vel emendare voluit, vel punire: iuxta id quod per Moysem [b] tanto ante prædixerat. *Cauete*, inquit, *ne forte decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino, seruiatisque diis alienis, & adoretis eos. Iratusque Dominus claudat cœlum, & pluuiæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de terra optima.* Id res ipsa docuit, quoniam fames non videtur vltra regnum decem tribuum progressa, nec Iudæ regnum attigisse; id enim scriptura non taceret. Accedit quod in vicina Palæstina fames non fuit, nisi dicas oram maritimam Palæstinæ sibi de frumento, nauigatione ex vicinis prouinciis, Ægypto præsertim, prouidisse, & fame alioqui ipsam quoque laboraturam fuisse. *An supernaturalis fuerit.* Iuuat nihilominus prædictam de solius Israëlis fame sententiam, quod ea diuinitus, & præter naturæ ordinem, in peccatores istos immissa videatur. Id enim haud obscure ea verba significant, *vocauit Dominus famem, & veniet super terram.* Et nomine famis aliqui intelligunt Angelum aliquem, puta huic regno præpositum, qui iussus à Deo, in illud sterilitatem induxerit. Legimus enim [c] datam fuisse potestatem quatuor Angelis nocendi terræ, & mari, & arboribus.

II. *Et quanta ex Hebræis.* Credidit prophetæ Sunamitis, & domus eius tota, & *surrexit*, [d] *& fecit iuxta verbum hominis Dei, & vadens cum domo sua peregrinata est in terra Philisthijm diebus multis.* Hebræi huius magnitudinem famis supra omnem fidem, modumque exaggerant. Dauid enim Kimius aliquam sectatus in hac septenni fame concinnitatem, ait Israëlitas primo anno comedisse fructus, quos habebant in domibus suis collectos ex annis præcedentibus. In secundo fructus quos primo anno collegerant; in tertio animalia munda, & lege permissa: in quarto immunda, vt equos, asinos, camelos: in quinto reptilia, in sexto filios suos & filios, in septimo carnes brachiorum suorum; quæ tanquam absurda, & delira refutat pluribus *Rejiciuntur.* Abulensis. Certe illud clarum est potuisse Israëlitas, priusquam ad tantam peruenirent necessitatem, vicinas adire prouincias, sicut Sunamitem illam. Ex cuius historia intelligi potest terram parcè quidem, & malignè fruges produxisse, nonnullas tamen produxisse. Alioqui rex post septennium non iussisset Sunamiti reddi vniuersos reditus agrorum, à die qua reliquerat terram, vsque ad tempus

illud.

[a] 4. Reg. 8. 1.
[b] Deut. 11 16.
[c] Apoc. 7. 2.
[d] 4. Reg. 8 2.

illud. Aliquos ergo fructus perceperāt ij, qui in ipsius absentis bona inuolarant.

III. *An licuerit huic mulieri peregrinari.*

Licvit autem huic mulieri infidelium terras peregrinando peragrare. Neque enim ibi multo maiorem habitura erat prolabendi in idololatriam occasionem, quam in patria sua, in qua, sicut in toto regno, omnia plena erat idolorum cultoribus. Neque lex Hebræorum vetabat adire longe positas Ethnicorum regiones. Itaque Noëmi cum marito, & filiis toto decennio in Moabitide, vrgente fame commorata est, & Dauid per 4. menses apud Philisthæos, & olim apud Ægyptios, & Palestinos, Abraham, Isaac, & Iacob: & Moses apud Madianitas annos plurimos. Et quamuis huiusmodi peregrinatio lege fuisset interdicta, necessitas tamen eos, qui alioqui obnoxij erant legi, à lege liberos reddebat, ac solutos; quæ erat huius quoque mulieris excusatio. Accedebat & sancti prophetæ iussio, quem ex ore Domini proloqui non dubitabat; aut certe nihil illicitum, vel iniustum suadere, merito persuasum habebat. Quoniam vero non constat quoto famis huius anno contigerit geminum illud miraculum, quod extremo capite quarto huius libri narratur, vtrumque ad hunc primum annum referemus, Scripturæ ordine in narrando seruato. Iosephus vtrumque missum fecit.

IV. *Miraculū in colocynthide.*

Cvm ergo inualesceret fames, Elisæus profectus est in Galgala, vbi habitabat familia vna discipulorum eius, [a] & Eliæ præceptoris eius, dum adhuc inter mortales versaretur; profectus est, inquam, vt religiosos eius loci viros inuiseret, vt magister, & super communi malo famis consolaretur, vt pater: aut vt ei leuamentum aliquod afferret, vt propheta, & vir Dei, à quo apparet eum ad hoc iter incitatum. Et quamuis nō dubitabat viros, voluntate ac professione pauperes, quique, vt ait Theodoretus, q. 19. nullas haberent possessiones, cibi penuria vexari, cum mediocris fortunæ homines eius incommoda sentirent: erat tamen cor eius intentum ad Dominum, ex cuius gratia, & beneficentia mortales liberales fiunt, cui benignitati eius quoque præsentia seruiebat. Itaque in Galgalis filij prophetarum habitabant coram eo. Vatabl. versabantur apud eum; Hebraicè, *sedebant coram eo*, vt Maria secus pedes Domini; vt scilicet ab eo audirent verbum Dei, & refectio spiritalis in corpus ipsum redundaret. *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Sedebant coram eo, vt discipuli, quo modo fatetur Paulus Apostolus, se secus pedes Gamalielis eruditum fuisse.

[a] 4 Reg. 2. 1.

*Paupertas prophetarum.*

V. *Colligunt herbas agrestes.*

Dixitqve Elisæus *vni de pueris eius*, erat fortasse vnus aliquis in singulis prophetarum collegiis, qui Elisæi curam peculiarem gereret, cum adesset. In Hebræo tamen, & Græco habetur, *dixitque puero suo*, nimirum Giezi, nam paulo post Septuag. hoc ipsum proprium nomen inserunt. Dixit ergo ei, *pone ollam grandem*, multis enim parabatur cibus, *& coque pulmentum*, siue offam *filiis prophetarum. Et egressus est vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes.* Hebraicè habetur Arioth, quam vocem Septuaginta retinuerunt, & agnoscitur à Theodoreto q. 19. plerique interpretati sunt ἀγριολάχανα, id est olera agrestia. Quidam existimāt, vt ait Vatabl. significare Erucam ab ora, id est lumen, quòd conferat claritati oculorum, vt scribit Plinius. [b] Iam ergo hortenses herbæ, & domesticæ defecerant, cum in agris requirerentur. *Inuenitque quasi vitem syluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri*, id est cucurbitas agrestes, quæ ob amaritudinem solent fel terræ appellari, [c] *& impleuit pallium suum, & reuersus concîdit in ollam pulmenti, nesciebat enim quid esset;* ac ne reliqui quidem eius socij: nam in Hebræo, & Græco est, ne sciebant: qui numerus deinceps seruatur.

[b] l. 20. c. 13. Pagni in voce אור.

[c] Vide Fran. Vales. c. 36. sacræ phil.

VI. *Amarorē tollit Elisæus.*

Infvdervnt *ergo sociis* in gabatas, lances, scutellas, *vt comederent: cumque gustassent de coctione, clamauerunt dicentes, mors in olla vir Dei*, putarunt venenum iniectum in lebetem, *& non potuerunt comedere* ob amaritudinem. *At ille, afferte, inquit, farinam, cumque tulissent, misit in ollam, & ait, infunde turbæ vt comedant*, hic Septuag. regia inserunt nomen Giezi, *Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla. Sed quo pacto* ait Vallesius in sacra philosophia; [d] *fieri potuit vt vera colocynthis, quæ non amara solum est, sed adeo perniciosa, vt si supra quatuor obolos, etiam emendata sumatur, possit superpurgationes, & exulcerationes ventris, & mortem afferre; atque adeo admota exterius enecet fœtus, solius farinæ, siue triticeæ, siue hordeaceæ immistione emendari adeo, vt*

[d] ca. 36.

*mox daretur turbæ abundanter pro cibo* Respondet autem, non id naturaliter, & citra miraculum effectum esse; ita tamen vt hic quoque modus quidam naturalis operationis retentus sit. Nam medici omnes inter emendantia colocynthidem recensent ea, quæ lenta sunt, & glutinantia; cuiusmodi est amylum, quod ex tritico conficitur, & farina triticea, quæ acrimoniam amaritudinis hebetant; modica tamen farina in grandi olla, perexiguam vim, aut nullam potius habere potuisset, nisi diuina primæ causæ efficacia interuenisset. [a]

[a] Vide Abul. q. 6. in c. 4.

VII. *Panes dati Elisæo.*

SEQVITVR alterum miraculum. *Vir quidam*, ait Scriptura, [b] *Venit de Baalsalisa, deferens viro Dei panes primitiarum.* Eam vrbem ponit Adrichom. in tribu Ephraim, in campestribus Saronæ regionis fertilissimæ, circa quam oberrauit olim Saul, quærens asinas patris sui. Sita erat iuxta mare mediterraneum, & montem Saron, qui, sicut & Carmelus, ab Esaia pulchritudine, [c] & fertilitate celebratur. Vt non mirum sit inde ad virum Dei panes primitiarum fuisse delatos, *viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua*, non multum fuit frumentū, quod in pera ferri poterat. Pagninus vertit, *plenas spicas virides in veste sua*, Montanus *in tunica sua*. Vatab. spicas triticeas *cum folliculis*, alij *cum gluma sua*. Peram tamen habent Septuag. & palathas, siue ficorum massas in ea. Chaldæus, *& manipulos in vestimento suo*, à propria veste ad metaphoricam videtur facta translatio. Huiusmodi manipuli de spicis virentibus mentio est in Leuitico [d]. Et videatur hic, cum nō liceret primitias Hierosolymā ferre, eas ad virum Dei attulisse: mauult tamen Tostatus primitias latè accipere pro primis fructibus qui solent viris honoratis offerri, ne Elisæus iura sacerdotum, & Leuitarum vsurpasse dicatur.

[b] 4. Reg. 4. 42.
[c] ca. 35. 2.
[d] ca. 2. 14.

VIII. *Multiplicantur.*

ACCEPTVM munus Elisæus in communem impendit vtilitatem, *da populo*, inquit, *vt comedat*, erat enim eis mensa communis, vt religiosis viris. Nec Elisæus sibi proprium id munus habere voluit, paupertatis studio repugnante. *Respondit que ei minister eius; quantum est hoc, vt apponam centum viris?* Sic postea ille Christi discipulus, [e] *quid hæc inter tantos?* Perstat nihilominus Elisæus in sententia, iteransque iussionem, *Da populo* inquit, *vt comedat. Hæc enim dicit Dominus Comedent, & supererit. Posuit itaque coram eis, qui comederunt, & superfuit iuxta verbum Domini*; quod scilicet prædixerat Elisæus Domino reuelante. Quæ fuit aperta figura miraculi tanto post à Christo Domino semel atque iterum perpetrati. [f] Itaque putat etiam Abulensis adhibitam ab Elisæo benedictionem, vt in ore ac manibus comedentium cresceret, vt ex iis panibus quisque ad satietatem comederet. Nam comedere, siue degustare duntaxat, quisque poterat sine miraculo; at saturari sine miraculo non poterant centum viri de paucis panibus, famelici præsertim, & pane per supernaturalem multiplicationem reddito meliore, ac sapidiore; sicut supra de aquis Ierichuntinis dictum est. Apparuit tamen Christi miraculum maius, quia & plures multo & de paucioribus panibus saturati sunt, & reliquiæ copiosiores fuerunt; quæ tanquam modicæ, hoc loco distinctius non sunt expressæ. [g]

[e] Ioan. 6.
[f] Marc. 8. & Ioan. 6.
[g] Vide Tost. q. 1. in ca. 4.

IX. *Elisæi, & prophetarum paupertas.*

SVMIT hinc Theodoretus argumentum paupertatis prophetarum, quod non videtur omittendum. *Quod autem vita prophetarum*, inquit, *nullas habuerit possessiones, docet historia. Nam qui erat eorum primus*, Elisæus, *nunc quidem eos excepit conuiuio olerum agrestium: nunc autem panes hordeaceos viginti apposuit centum viris, eosque ab aliis allatos. Eis autem tantam benedictionem impertiit, vt & illos centum exsatiaret, & post satietatem superessent permulti.* Vides suppletam, quam textus omiserat, benedictionem, & saturitatem, & copiam reliquiarum Quamuis autē Theodoreti probatio, æquè coactæ, ac voluntariæ paupertati conuenire possit. Non desunt tamen quæ voluntariam Elisæi paupertatem probent. Primum quod coacta illa penuria in laude non sit, at Theodoretus mox Elisæi paupertati vim tribuit curati à lepra Naamani, *Tanta autem*, ait *erat vis illius paupertatis, vt rex Syrorum illius egeret gratia*, &c. Deinde sponte susceptam id docet, quod cum valeret gratia apud regē, & militiæ principem, adeo vt etiam alteri impetrare posset quod liberet, Sunamitis tamen charitate vti, & eleemosynis viuere voluerit. Quid constanter repudiata Naami munera, quæ gratitudinis nomine accipere potuisset, nonne voluntariam paupertatem clamant? Eandem vero fuisse cæterorum prophetarum vitæ rationem, idem Theodoretus affirmat, [h] & Giezi pœna significat. Verum de his alius erit nobis dicendi locus.

*Voluntaria.*

[h] q. 19. in 4. Reg.

ANNVS MVNDI 3145. DILVVII 1489. QVINTÆ ÆTATIS 206. FVNDATI TEMPLI 125. IOSAPHATI 25. ET VL. IORAMI FILII EIVS 3. IORAMI ISRAELITAE 7. AMARIÆ PONT. 8. ELISÆI 7. TROIAE EXCISÆ 274. OPHRAT. 22. IMPERII ASSYRIORVM 1214.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 908.

SECVNDO Israëliticæ famis anno mortuus est Iosaphat rex Iuda. Hic est enim vigesimus quintus regni eius, & ætatis sexagesimus. Nam 35. *annorum erat*, vt ait Scriptura, [a] *cum regnare cœpisset, & 25. annis regnauit in Ierusalem. Nomen matris eius Azuba filia Salai.* Vel Silai, vt legitur in Tradit. in 2. Paral. 20. *Silai*, inquit scriptor ille, *interpretatur missus. Ipse est Anani prophetes, filius Iaddo, de quo superius dictum est, qui idcirco Missus vocatus est, eo quod ad Iosaphat generum suum ad prophetandum missus sit.* Hæc ibi, quæ parum probabilia videntur, *& sunt alpina frigidiora niue.* Nam Hanani missus est ad Asa, [b] non ad Iosaphat filium eius; ad quem legitur missus Iehu filius Hanani, non ipsemet Hanani. [c] Denique in Iaddo quoque erratum videtur, pro Addo, cuius visio contra Ieroboamum memoratur, [d] sicut Abiæ, & Roboami historia, ab eodem propheta conscripta. [e] Sed vt mittamus rabinorum quisquilias, Iosaphato principi optimo breuiter parentemus. — I. *Mors Iosaphati.*

*a 3 Reg. 22. 42. & 2 Paral. 20. 31.*
*b 2. Paral. 16. 7.*
*c 2. Paral. 19. 2.*
*d 2. Paral. 9. 29.*
*e c. 12. 15 & c. 13. 22.*

VIR enim fuit ex clarissimis & laudatissimis regibus Iudæ, Christi Domini progenitoribus; cuius pro pietate & religione zelus à Scriptura commendatur. Qua in re etiam patrem suum Asam, virum quoque egregium, & à sordibus idolorum immunem, superauit: vt qui fiduciam assumpsit pro Domino ad excelsa superstitioni dicata demolienda, & reliquias effœminatorum abstulit, & populum suum vniuersum in diuina lege erudiendum curauit. Itaque & Deus eum diuitiis, & gloria inclytum reddidit, bello fortem, ac fœlicem, pro quo Deus vbique pugnaret, & in cuius gratiam hostium in seipsos arma conuerteret. Numerosa quoque prole fortunatum diceremus, si ea quoque fortunata fuisset, nec habuisset bonus princeps primogenitum, qui cum fratribus instar patris esse debuisset, instar tyranni, ac tortoris fuit. [f] Quamquam & ipse Iosaphat reprehensus est, qui se, familiamque suam impio Achabo affinitate coniunxerit, accepta primogenito suo Ioramo filia eius vxore, quodque impiis Israëlitarum regibus Achabo, & Ioramo præbuisset auxilium. Etsi id zelo conuersionis ipsorum, præsertim Iorami, vt diximus, [g] factum fuisse merito videri possit. Quæ causa fortasse fuit, cur Ecclesiasticus, [h] in regibus Iuda qui non peccauerunt, Iosaphatum non posuerit. — II. *Eius commendatio.* — *Et qua in eo improbata.*

*f 2. Paral. 21. 1.*
*g an. m. 3139 n 64.*
*h ca. 49.*

QVOD ad regnum Israëlis attinet, pergit Elisæus facere mirabilia. Et Scriptura quidem proxime ante memoratis, quę ab eo diuinitus perpetrata fuerant, etiam Naamani Syri curationem subiunxit; quæ tamen ad vltimum regni Iorami annum necessario referenda est, refferturque passim ab omnibus, qui ordinem temporum in sacra historia studiosius inspexerunt, nominatimque à Tostato, Serario, & Torniello. Idque ratio persuadet, quod sub eius curationem Giezi factus est leprosus; absurdum est autem existimare ipsum lepra deformatum familiariter egisse cum Ioramo rege, post annos fa mis transactos, vt habetur capite 8. libri huius. Nondum ergo leprosus erat, & consequenter neque Naaman adhuc curatus. Si quis tamen, ait Serar. textus ordinem retinere vellet, diceret Giezi pœnitētiam egisse, sicq; Deum & Elisæum placasse, lepramq; à se, si non à posteris omnib repulisse. Cætera miracula nullam suggerunt notam, ex qua certum annum coniicere possimus, quo facta fuerint. Nam quæcūq; ad Elisæum pertinent, ordine Scriptura pertexuit. Apparet tamen, intra famis septenniū contigisse, quæ capite sexto & septimo cōtinentur. Nam octauum caput fa- — III. *Ratio temporis historia Naamani.*

mem iam finitam ponit. De Naaman ergo, anno Iorami vltimo dicendum erit.[a]

IV. *Et ferri aqua innatatio.*

Nihil ergo vetat quo minus, seruata serie narrationis Scripturæ, miraculum de ferro supernatante, quod capite sexto descriptum est, in hunc annum referamus, sicut & primas Syriæ regis, contra Ioramum regem Israëlis insidias. Nam, vt obseruauit Abulensis;[b] frequentia illa prophetarum, quæ confluebat ad Elisæum hoc tempore, & angustam reddebat habitationem, index est egestatis; qua sæuiente, prophetæ, qui religiosam profitebantur paupertatem, ad communem parentem suum Elisæum vndique conuolabant, vt ab eo vel diuina subsidia, per miracula, vel humana, per eius eximiam apud omnes gratiam, consequerentur. Nam quod Hebræi dicunt, homines prophetarum studiosos familiarius versatos cum Elisæo, abiecto Giezi, quam antea; quod Giezi sectatoribus prophetæ esset acerbior; ideoque hos filios prophetarum familiariter nunc egisse cum eo, adeo vt ipsum secum lignatum abducerent, parum vtique probabile est. Etsi enim Giezi acerbitas inde quoque firmari possit, quod Sunamitidem ab Elisæi pedibus inurbanius amouebat. Si tamen hoc miraculum, & reliqua quæ consequuntur, post eiectum Giezi facta sunt, omnia ad vltimum Iorami annum essent referenda: quod fieri non posse ex sequentibus patebit.

*Prophetæ ad Elisæū confluunt.*

a Ann. m. 3150. n. 16.

b q. 2. in c. 6.

Apud Vatab. & Tost. q. 2.

V. *Ex quo sit angusta habitatio.*

Itaque vrgente fame multa turba prophetarum, de ciuitatibus, in quibus habitabant, properabant ad Elisæum, adeo vt eos habitatio antiqua non caperet. Apparet autem nunc quoque habitasse Elisæum in Galgalis, vbi duo illa miracula ediderat, sublatæ amaritudinis, & multiplicatorum panum; neq; enim inde abiisse, aut aliò profectus legitur: idque ea coniectura non satis confirmat, quod lignatum ad Iordanem, tanquam vicinum locum, profecti dicantur: neq; enim inde petebant lignum ad ædificandum alibi, sed ibidem ędificaturi erant, vt habetur in textu. Dici potest habitasse in Iericho, vel in Samaria, vt ait Abul. cui de Iericho facilius assentior, malo tamē Galgala. *Dixerunt ergo filij prophetarū ad Elisæum. Ecce locus in quo habitamus corā te, angustus est nobis. Eamus vsq; ad Iordanem, & tollant singuli de sylua materias singulas*, in Hebræo & Græco est, vnusquisque tignum vnum, *vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum*. Nolunt ergo sua tuguriola dilatare, sed nouæ ad Iordanem coloniæ parare domicilia, vt reliqui in Galgalis, in Iericho, in Bethel laxius habitarent. *Filij prophetarum, quos monachos in veteri testamento legimus*, ait Hieronymus,[c] *ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant.* Eos ergo monachos agnoscit vocatque Hieronymus, sicut & Ioannes Hierosolymitanus passim, in libro quem sæpius retulimus. Abulensis ait eos quasi nihil habuisse, nisi quæ sibi à populo dabantur.[d]

4. Reg. 4. 38. & c.

Serat.

*Monachi veteris testamenti.*

c to. 1. ad Rusticum ep. 4.

d q. 4. in c. 6.

VI. *Paupertas eorum voluntaria.*

Theodoretus quoque religiosam eorum celebrat paupertatem, *Chorus prophetarum*, inquit, *extremam amplectebatur paupertatem*, τὴν ἐσχάτην ἠσπάζετο πενίαν. Non ait tolerabant, sed amplectebantur, vtiq; voluntariam, atque vltro susceptam. Pergit, *non enim habebant domos, sed vtebantur tuguriis. Quamobrem à magno illo propheta supplices petierunt, vt abiret cum ipsis ligna secantibus ad ea construenda. Tanta autem vtebantur paupertate, vt ne securim quidem sustinerent possidere.* Supplici petitione vsos dicit, quod 70. ἐπιεικῶς, leniter, mansuete, quia Hebraicè habetur, *velis nunc & veni*, dignare obsecro nobiscum venire, humilis enim est miniméque imperiosa, vt subditorum ad superiorem, oratio. Et apparet voluisse eos à propheta locum, situm, magnitudinem cellarum designari, fortasse & benedici. Valitura quoque erat præsentia, vt promptius, feruentiusque laboraretur. Acquieuit rogationi propheta, *& abijt cum eis, cumque venissent ad Iordanem cædebant ligna.*

ἱκέτευον.

*Procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex,*
*Fraxineæque trabes, cuneis & fissile robur*
*Scinditur, aduolunt ingentes montibus ornos.*

VII. *Ferrum fugiens demergitur.*

Accidit *autem vt cum vnus materiam succidisset*, 1 *caderet ferrum securis in aquam*, dum scilicet arborem validis ictibus animosè pulsaret, ac deiicere pergeret, ferrum manubrio elapsum fugit, & casu in flumen irruens abiit in præceps. *Exclamauitque ille & ait, heu, heu, heu Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam.* Et videlicet, non habeo vnde Domino eius faciam satis, restituens quod vtendum acceperam. Illico misericordia motus homo Dei, *vbi cecidit?* inquit. *At ille*

1 ex.

Vatabl. Abul. *monstrauit ei locum, Præcidit ergo lignum, & misit illuc.* Ipsemet propheta lignum præcidit, atque aptauitque vt esset manubrium, & proiecit in aquam, ex quo geminum consecutum est miraculum, alterum quod rectâ manubrium incidit in foramen ferri, eoque sponte se induit. Alterum quod manubrium fecit natare ferrum, vnde Tertullianus l. 3. contra Marci. *Geminum in securi miraculū.*

*Demersam fluuio releuauit virga securim.*

a cap. 12. Et libro contra Iudæos [a] ait ferrum quidem supernatasse, sed lignum mersum esse, quod receperunt filij prophetarum. Non vult ita demersum vt in fundo resederit: quomodo enim ipsum ibi acciperent? sed ibi ferro se inseruisse, & cum eo rursum summam aquam petijsse. Itaque vtrumque præter naturam accidit, vt & quod leue erat mergeretur, & quod graue, aquis innataret: & insuper vt alterum alteri sponte aptaretur, perinde ac si hominis interueniret manus. Id enim nisi contigisse fateamur, frustra lignum in aquas deiectum fuisse fatendum erit.

VIII. *Explicatur.* IVVIT quidem aquæ densitas, vt in ea ferrum facilius moueri, & sursum ferri, & sustentari posset, quam in aëre: Dei tamen auxilium interuenire necesse fuit, vt res perfici posset, vt fusius disserit author Mirab sacræ Scripturæ.[b] Agitatio quoque aquarum efficit, vt pleraque, quæ in fundo subsidunt, emergant, atque fluitent, & si violentior fuerit agitatio, vt in tempestate, res admodum graues in sublime efferantur. At hic aquæ turbatio à ligno facta, tanta non fuit, vt ferrum in altum eueheret. Oportuit ergo Deum ferro pondus detrahere, vt ait Vallesius, [c] adeo vt agitata aqua, valuerit arenularum more subleuari. Malim tamen assentiri Abulensi, [d] qui ait hæc quidem fuisse miracula, quatenus erant præter ipsarum rerum conditionem naturalem, non tamen fuisse absolute miracula, quæ requirunt eius manum, qui facit mirabilia magna solus; cum possent vnius Angeli simplici ministerio perfici, qui proiectum lignum apprehenderet in fundum deferret, ferro insereret, in altum eueheret, & securim ibi fluitantem sustentaret, dum eam lignator acciperet. Hoc autem modo rem contigisse, Angelo hominibus, Dei voluntate in exiguis quoque rebus, subseruiente, admodum probabile videtur.

b l. 2. c. 25.

c ca. 17.

d q. 3. in c. 6.

*Factum videtur ab Angelo.*

IX. *Offensio Syrorum, & quæ illius causa.* SEQVITVR alterum Elisæi miraculum, quod in occultorum reuelatione consistit, *Rex* enim *Syriæ* Benadad *pugnabat contra Israel.* Non erant illi quidem reipsa in armis, atque in acie; sed hostili erant inter se animo, nec erat pax inter eos. Quæ autem fuerit istarum inimicitiarum causa, ægre è scriptura colligitur. Iosephus eam ne tangit quidem. Dici potest Syros, potentiæ suæ, ac diuitiarum conscios, & Hebræorum aliquando victores, ac dominos, [e] grauissimum in eos odium concepisse, propter geminam illam cladem ab Israëlitis acceptam, alteram in montibus, in vallibus alteram; in qua centum millia Syrorum vna die perierant: præter 27. millia, quos corruens murus oppresserat. Voluerunt etiam illud dedecus obliterare, quod funibus in collum insertis, & saccis induti, ad regem Israelis Achabum supplices venerant. [f] Itaque consilium iniit Benadad cum seruis suis dicens, *in loco illo, & illo ponamus insidias,* quod vulgo dicimus, *en tel & tel lieu,* compendiosæ orationis gratia; 2 & quia nihil interfit loca ipsa nominatim referre. Non est autem dubium, certum quendam à Syro nominatum locum, & insidiis destinatum fuisse.

e 3. Reg. 20.

f v. 32.

2. eχ. Vatab.

*Et insidiæ.*

X. *Reteguntur ab Elisæo.* MISIT itaque vir Dei, qui diuinitus de hoc Syrorum concilio edoctus fuerat, ad regem Israel nuncium cum mandatis, vt eum moneret, ne temere talem adiret locum, quia deliberatum, ac constitutum erat Syris ibi insidias struere. Retinuit phrasim hebræam vulgatus interpres, sicut & Septuag. cum ait, *quia ibi Syri in insidiis sunt;* non enim iam illic erant, sed ituri erant. In Hebræo siquidem habetur, *in eum locum Aramæi descendunt,* id est proxime descensuri sunt, vel certissime descendent. Ideoque sequitur, *Misit itaque rex Israel ad locum, quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi non semel neque bis,* id est dispositis ibi militibus, locum custodiuit sibi, idque sæpius. Ex quo intelligi potest id non hoc tantum anno factum, sed forte etiam præterito, & sequenti. Non enim paucis interiectis dieb. huiusmodi struuntur insidiæ; sed satis multū interiicitur temporis, vt priorum pene obliti, minus caueant posteriores.

κἰκρυπται.

mem iam finitam ponit. De Naaman ergo, anno Iorami vltimo dicendum erit.[a] *a Ann. m. 3150. n. 16.*

IV. *Et ferri aqua innatantis.* NIHIL ergo vetat quo minus, ſeruata ſerie narrationis Scripturæ, miraculum de ferro ſupernatante, quod capite ſexto deſcriptum eſt, in hunc annum referamus, ſicut & primas Syriæ regis, contra Ioramum regem Iſraëlis inſidias. Nam, vt obſeruauit Abulenſis;[b] frequentia illa prophetarum, quæ confluebat ad Eliſæum hoc tempore, & anguſtam reddebat habitationem, index eſt egeſtatis; qua ſæuiente, prophetæ, qui religioſam profitebantur paupertatem, ad communem parentem ſuum Eliſæum vndique conuolabant, vt ab eo vel diuina ſubſidia, per miracula, vel humana, per eius eximiam apud omnes gratiam, conſequerentur. *Prophetæ ad Eliſæũ confluunt.* Nam quod Hebræi dicunt, homines prophetarum ſtudioſos familiarius verſatos cum Eliſæo, abiecto Giezi, quam antea; quod Giezi ſectatoribus prophetæ eſſet acerbior; ideoque hos filios prophetarum familiariter nunc egiſſe cum eo, adeo vt ipſum ſecum lignatum abducerent, parum vtique probabile eſt. Etſi enim Giezi acerbitas inde quoque firmari poſſit, quod Sunamitidem ab Eliſæi pedibus inurbanius amouebat. Si tamen hoc miraculum, & reliqua quæ conſequuntur, poſt eiectum Giezi facta ſunt, omnia ad vltimum Iorami annum eſſent referenda: quod fieri non poſſe ex ſequentibus patebit.

*b q. 2. in c. 6.*

*Apud Vatab. & Toſt. q. 2.*

V. *Ex quo fit anguſta habitatio.* ITAQVE vrgente fame multa turba prophetarum, de ciuitatibus, in quibus habitabant, properabant ad Eliſæum, adeo vt eos habitatio antiqua non caperet. Apparet autem nunc quoque habitaſſe Eliſæum in Galgalis, vbi duo illa miracula ediderat, ſublatæ amaritudinis, & multiplicatorum panum; neq; enim inde abiiſſe, aut aliò profectus legitur: idque ea coniectura non ſatis confirmat, quod lignatum ad Iordanem, tanquam vicinum locum, profecti dicantur: neq; enim inde petebant lignum ad ædificandum alibi, ſed ibidem ędificaturi erant, vt habetur in textu. Dici poteſt habitaſſe in Iericho, vel in Samaria, vt ait Abul. cui de Iericho facilius aſſentior, malo tamẽ Galgala. *Dixerunt* ergo *filij prophetarũ ad Eliſæum. Ecce locus in quo habitamus corã te, anguſtus eſt nobis. Eamus vſq; ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſylua materias ſingulas*, in Hebræo & Græco eſt, vnuſquiſque tignum vnum, *vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum.* Nolunt ergo ſua tuguriola dilatare, ſed nouæ ad Iordanem coloniæ parare domicilia, vt reliqui in Galgalis, in Iericho, in Bethel laxius habitarent. *Filij prophetarum, quos monachos in veteri teſtamento legimus*, ait Hieronymus,[c] *ædificabant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis, & turbis vrbium derelictis, polenta, & herbis agreſtibus victitabant.* Eos ergo monachos agnoſcit vocatque Hieronymus, ſicut & Ioannes Hieroſolymitanus paſſim, in libro quem ſæpius retulimus. Abulenſis ait eos quaſi nihil habuiſſe, niſi quæ ſibi à populo dabantur.[d]

*4. Reg. 4. 38. &c.*

*Serat.*

*Monachi veteris teſtamenti.*

*c to. 1. ad Rusticum ep. 4.*

*d q. 4. in c. 6.*

VI. *Paupertas eorum voluntaria.* THEODORETVS quoque religioſam eorum celebrat paupertatem, *Chorus prophetarum*, inquit, *extremam amplectebatur paupertatem*, τὴν ἐσχάτην ἠσπάζετο πενίαν. Non ait tolerabant, ſed amplectebantur, vtiq; voluntariam, atque vltro ſuſceptam. Pergit, *non enim habebant domos, ſed vtebantur tuguriis. Quamobrem à magno illo propheta ſupplices petierunt, vt abiret cum ipſis ligna ſecantibus ad ea conſtruenda. Tanta autem vtebantur paupertate, vt ne ſecurim quidem ſuſtinerent poſſidere.* Supplici petitione vſos dicit, quod 70. ἐπιεικῶς, leniter, manſuete, quia Hebraicè habetur, *velis nunc & veni*, dignare obſecro nobiſcum venire, humilis enim eſt miniméque imperioſa, vt ſubditorum ad ſuperiorem, oratio. Et apparet voluiſſe eos à propheta locum, ſitum, magnitudinem cellarum deſignari, fortaſſe & benedici. Valitura quoque erat præſentia, vt promptius, feruentiuſque laboraretur. Acquieuit rogationi propheta, *& abijt cum eis, cumque veniſſent ad Iordanem cædebant ligna.*

*ἱκέτευον.*

*Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex,*
*Fraxineæque trabes, cuneis & fiſſile robur*
*Scinditur, aduolunt ingentes montibus ornos.*

VII. *Ferrum fugiens demergitur.* ACCIDIT *autem vt cum vnus materiam ſuccidiſſet,* 1 *caderet ferrum ſecuris in aquam*, dum ſcilicet arborem validis ictibus animoſè pulſaret, ac deiicere pergeret, ferrum manubrio elapſum fugit, & caſu in flumen irruens abiit in præceps. *Exclamauitque ille & ait, heu, heu, heu Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam.* Et videlicet, non habeo vnde Domino eius faciam ſatis, reſtituens quod vtendum acceperam. Illico miſericordia motus homo Dei, *vbi cecidit?* inquit. *At ille*

*1 ex.*

*monstrauit ei locum, Præcidit ergo lignum, & misit illuc.* Ipsemet propheta lignum præcidit, aptauitque vt esset manubrium, & proiecit in aquam, ex quo geminum consecutum est miraculum, alterum quod rectà manubrium incidit in foramen ferri, eoque sponte se induit. Alterum quod manubrium fecit natare ferrum, vnde Tertullianus l. 3. contra Marci.

Vatabl. Abul.

*Geminum in securi miraculum.*

*Demersam fluuio releuauit virga securim.*

a cap. 12. Et libro contra Iudæos [a] ait ferrum quidem supernatasse, sed lignum mersum esse, quod receperunt filij prophetarum. Non vult ita demersum vt in fundo resederit: quomodo enim ipsum ibi acciperent? sed ibi ferro se inseruisse, & cum eo rursum summam aquam petiisse. Itaque vtrumque præter naturam accidit, vt & quod leue erat mergeretur, & quod graue, aquis innataret: & insuper vt alterum alteri sponte aptaretur, perinde ac si hominis interueniret manus. Id enim nisi contigisse fateamur, frustra lignum in aquas deiectum fuisse fatendum erit.

IVVIT quidem aquæ densitas, vt in ea ferrum facilius moueri, & sursum ferri, & sustentari posset, quam in aëre: Dei tamen auxilium interuenire necesse fuit, vt res perfici posset, vt fusius disserit author Mirab sacræ Scripturæ.[b] Agitatio quoque aquarum efficit, vt pleraque, quæ in fundo subsidunt, emergant, atque fluitent, & si violentior fuerit agitatio, vt in tempestate, res admodum graues in sublime efferantur. At hic aquæ turbatio à ligno facta, tanta non fuit, vt ferrum in altum eueheret. Oportuit ergo Deum ferro pondus detrahere, vt ait Vallesius, [c] adeo vt agitata aqua, valuerit arenularum more subleuari. Malim tamen assentiri Abulensi, [d] qui ait hæc quidem fuisse miracula, quatenus erant præter ipsarum rerum conditionem naturalem, non tamen fuisse absolute miracula, quæ requirunt eius manum, qui facit mirabilia magna solus; cum possent vnius Angeli simplici ministerio perfici, qui proiectum lignum apprehenderet in fundum deferret, ferro insereret, in altum eueheret, & securim ibi fluitantem sustentaret, dum eam lignator acciperet. Hoc autem modo rem contigisse, Angelo hominibus, Dei voluntate in exiguis quoque rebus, subseruiente, admodum probabile videtur.

VIII. *Explicatur.*

b l. 2. c. 25.

c ca. 17.

d q. 3. in c. 6.

*Factum videtur ab Angelo.*

SEQVITVR alterum Elisæi miraculum, quod in occultorum reuelatione consistit, *Rex enim Syriæ* Benadad *pugnabat contra Israel.* Non erant illi quidem reipsa in armis, atque in acie; sed hostili erant inter se animo, nec erat pax inter eos. Quæ autem fuerit istarum inimicitiarum causa, ægre è scriptura colligitur. Iosephus eam ne tangit quidem. Dici potest Syros, potentiæ suæ, ac diuitiarum conscios, & Hebræorum aliquando victores, ac dominos, [e] grauissimum in eos odium concepisse, propter geminam illam cladem ab Israëlitis acceptam, alteram in montibus, in vallibus alteram; in qua centum millia Syrorum vna die perierant: præter 27. millia, quos corruens murus oppresserat. Voluerunt etiam illud dedecus obliterare, quod funibus in collum insertis, & saccis induti, ad regem Israelis Achabum supplices venerant. [f] Itaque consilium iniit Benadad cum seruis suis dicens, *in loco illo, & illo ponamus insidias,* quod vulgo dicimus, *en tel & tel lieu,* compendiosæ orationis gratia; 2 & quia nihil interfit loca ipsa nominatim referre. Non est autem dubium, certum quendam à Syro nominatum locum, & insidiis destinatum fuisse.

IX. *Offensio Syrorum, & quæ illius causa.*

e 3. Reg. 20.

f v. 32.

*Et insidiæ.*

2. ex Vatab.

MISIT itaque vir Dei, qui diuinitus de hoc Syrorum concilio edoctus fuerat, ad regem Israel nuncium cum mandatis, vt eum moneret, ne temere talem adiret locum, quia deliberatum, ac constitutum erat Syris ibi insidias struere. Retinuit phrasim hebræam vulgatus interpres, sicut & Septuag. cum ait, *quia ibi Syri in insidiis sunt;* non enim iam illic erant, sed ituri erant. In Hebræo siquidem habetur, *in eum locum Aramæi descendunt,* id est proxime descensuri sunt, vel certissime descendent. Ideoque sequitur, *Misit itaque rex Israel ad locum, quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obseruauit se ibi non semel neque bis,* id est dispositis ibi militibus, locum custodiuit sibi, idque sæpius. Ex quo intelligi potest id non hoc tantum anno factum, sed forte etiam præterito, & sequenti. Non enim paucis interiectis dieb. huiusmodi struuntur insidiæ; sed satis multũ interiicitur temporis, vt priorum pene obliti, minus caueant posteriores.

X. *Reteguntur ab Elisæo.*

κάμπτουσι.

Nihil ergo absurdi fecerimus, si in annum sequentem conatum Syrorum ad comprehendendum Elisæum distulerimus.

XI. *Iosephus leniter arguitur.* CÆTERVM Iosephus [a] illas sæpius iteratas insidias parum fideliter narrauit, ait enim. *Idem Elisæus Ioramum per nuncios admonuit, vt locum quendam caueret, in quo à Syris occidere eum volentibus insidiæ positæ fuerant, quo factum est vt ille præmonitus venatum non iret.* De venatione quidem non male excogitata res est: Sed plures insidias, & diuersa loca, in vnum tantum, vnasq; insidias commutare non oportuit. Præsertim cum illud *non semel neque bis* in Hebræis æquè, ac Græcis codicibus habeatur. Nec vitare tantum oportuit insidiarum locum, sed eundem præoccupare, vt consilium fieret consultoribus ipsis noxium. 3 — a l. 9. c. 2. — 3. ex.

*SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3145. IOSAPH. VLT.*

1. N. VII. MAteriam succidisset, imo dum maxime succideret, præteritum pro præsenti, sicut mox præsens pro futuro, *in insidiis sunt*, pro futuri sunt. Cæterum non erat quod noui interpretes, materiæ nomen pro ligno, vel arbore vitarent, sæpius enim ita vsurpatam materiam apud M. Tullium facile est inuenire.

2. XI. In Hebræo est, Peloni, Almoni, quæ Pagninus vertit, *in loco tali, & tali*, Montanus *in loco abscondito incelebri*, secutus Chaldæum paraphrastem. Septuag. Hebræas voces retinuerunt, εἰς τὸν τόπον, τόνδε τινὰ ἐλμωνί, παρεμβαλῶ, siue vt alij φελμονὶ ἐλμωνὶ ... ἔνεδρον. *Castrametabimur*, aut *ponemus insidias.*

Iuuat hic monere lectorem errati Chronologici apud Clementem Alex. l. 1. Strom. p. 239. Græc. Lat. vbi filio Roboami, quem vocat Abiu, tribuit annos regni 23. filio autem eius Asa totidem, nepoti vero Iosaphato quinque. Sed duæ decades aui, restituendæ sunt nepoti, numerus autem annorum Asæ excidit. — ὁμοίως.

ANNVS MVNDI 3146. DILVVII 1490. QVINTÆ ÆTATIS 107. FVNDATI TEMPLI 124. IORAMI REGIS IVDÆ 4. IORAMI REGIS ISRAELIS. 8. AMARIÆ PONT. 9. ELISÆI PROPHETÆ 8. TROIAE EXCISÆ 275. OPHRATANIS 23. IMPERII ASSYRIORVM 1215.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 907.



I. *Ioram fratres suos occidit.* TERTIVS hic annus famis apud Israëlitas, quo primum anno solus Ioramus, defuncto patre Iosaphato, regnauit Hierosolymis, non minus tristis Iudæis, ac luctuosus illuxit. *Surrexit enim Ioram*, ait Scriptura, [b] *super regnum patris sui, cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio.* Illa confirmatio, qua se in regno suo stabiliuit, deuinctis sibi aut muneribus, aut promissionibus iis, qui sibi poterant negotium facessere, aliquod tempus exigit. Oportuit enim prouidere ne perpetrando id facinus quod moliebatur, totum regnum turbaretur, & ab ipso deficeret, quamuis, promissione diuinitus Dauidi facta, satis tutus erat. Iosephus illa confirmatione omissa, *Alter vero Ioramus*, inquit, *Hierosolymis imperitans, mox vt principatum adyt, à cædibus fratrũ, & paternorum amicorum potestatem auspicatus est.* Fuerunt illi numero sex, Azarias, & Iahiel, Zacharias, & alter Azarias, qui tamen in Hebrço à superiore nonnihil differt, & Michaël, & Saphatias. — b 2. Par. 21. — ἀδελφούς.

II. *Et quosdam de principibus Iuda.* ADDIT Scriptura occidisse etiam quosdam de principibus Israëlis: dubiumque est an vocem Israëlis proprie sumat, pro subditis alterius Iorami in Samaria regnantis, an latius pro Hebræis posteris Iacobi, qui Israël quoque dictus est. Rem dubiam reliquit Iosephus, quia illi paterni amici ex vtrolibet regno esse poterant, quod Iosaphat cum Achabo affinitate iunctus esset. Nihilominus dicẽdum est Israëlem hoc loco pro Iuda sumptũ esse, sicut & paulo ante,

vbi enim legimus, *Hi omnes filij Iosaphat regis Iuda*, in Hebræo est *regis Israel*, quoniam tribules Iuda, & Beniamin, erant ipsi quoque filii Israel. Neque ratio patitur, vt Ioram regis cognati sui subditos, viros præsertim principes, interficeret; sicque domi, & foris omnes in se concitaret. Quare porro tam fratres, quam istos principes occiderit, facile est coniicere; illos quidem, siue quia pij erant, & imitatores operum patris sui, vt est in traditionibus Hebraicis [a], cum ipse ambularet in viis Achabi, cuius filiam habebat vxorem. Sicut autem stulto odiosa est sapientia, ita pietas impio: siue quia solus, sine timore, regnare cupiebat. Meticulosa est enim, & suspicax ambitio; & qui iam cum patre diu regnarat, sociorum regni pertæsus, non sibi videbatur rex, dum fratres, quasi consortes imperij, atque æmulos apud se haberet. Principes vero de medio sustulit, quia fratrum amicos credebat, & mortis eorum vindices formidabat. Credibile etiam est structam aliquam fuisse calumniam, vt rudi populo res probabilis appareret, & innocentes vitæ simul & famæ iacturā facerent. Sed non impune tulit tantum facinus. Nam & regnum Idumæorum breui amisit, & post sequentem annum grauissima ægritudine biennio vexatus, extinctus est.

*Israel pro Iuda.*

a 2. Par. 21. 6.

III. *Turbatur Syrus proditionem timens.*

HÆC dum Hierosolymis aguntur, *conturbatum est cor regis Syriæ* [b], quem Scriptura Benadad in sequentibus appellat, Iosephus autem Adad; eo quod sua destruendis insidiis consilia, Israëlitarum regi, inimico suo innotescerent. Eoque magis turbabatur, quod non poterat casui, aut fortunæ tribuere istam præueniendarum insidiarum constantiam, ideóque eam alicuius suorum proditioni ascribebat. Ergo conuocatis seruis suis, ait. Quare nō indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel? Et quamuis coniecturam duntaxat, quam dixi proditionis haberet, quæ reipsa inanis erat, asseueranter tamen loquitur, quasi re sibi plane comperta, vt in proditore, si quis esset, indicium aliquod timoris aut vultu, aut verbis exprimeret, vnde in pleniorem ipse cognitionem criminis venire posset. Recte enim ille, *Heu quam difficile est crimen non prodere vultu.* Rem auget Iosephus [c] vehementius, *Adadus autem*, inquit, *frustratus insidiis indignatus est, ratus à suis detectas, & vocatis domesticis per conuiuium proditores appellauit; minatus etiam mortem, eo quod rem solis creditam, hostis per eos cognouerit.* Verum hæ mortiferæ minæ in Scriptura non leguntur.

b 4. Reg. 6 11.

c l. 9. c. 2.

IV. *Docetur de reuelatione Elisæi.*

DIXITQVE *vnus seruorum eius*, quem Tostatus suspicatur fuisse Naamanem Syrum, iam lepra mandatum: sed id postmodum ipsemet sub initium capitis octaui refutat. Quod si iam hoc beneficium ab Elisæo accepisset, homo maximæ apud regem authoritatis, ipsum ab his consiliis, insidiisque auocasset. Hic ergo qui regi Syro à consiliis erat: *Nequaquam*, inquit, *domine mi rex. Sed Elisæus propheta, qui est in Israel, indicat regi omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclaui tuo.* At hoc consiliarius hic, nisi ex probabilitate, scire non quibat; quæ erat plurimum consentanea famę, quæ de hoc admirabilium patratore propheta, qui diuina familiaritate fruebatur, meritoque homo Dei audiebat, longè, latéque spargebatur. Itaque illud *indicat regi*, idem est quod indicare potest. Et reuera necesse erat indicari à propheta. Alioqui priusquam Benadadi consiliarius Ioramum adire posset, & ille armatam manum, in locum insidiis destinatum, mittere, Syrus locum occupare, si non perpetuo, certe aliquando potuisset Quod tamen longe secus acciderat. Hic iam vide quid homo parum prouidus consilij capiat.

V. *Quem statuit comprehendere.*

Dixit enim eis, *Ite, & videte vbi sit, vt mittam* validam armatorum manum, *& capiam eum*: quem, vbi factus fuerit arbitrii mei, impediam ne irrita faciat consilia mea in gratiam hostis mei; sed hanc potius secretorum scientiam in meum emolumentum vertat. Simulque misit exploratores, qui persentiscerent vbinam gentium esset Elisæus. Demens qui non intelligeret æque posse diuinitus prophetæ innotescere insidias sibi paratas, ac regi; easque irritas reddere, atque inanes. An forte non credidit suis? aut existimauit lumen, ac cognitionem propheticam non esse perpetuam; ideóque posse nunc non illustrari mentem eius, & non agnoscere quæ sibi parabantur; præsertim cum non desint qui aliis sapiant, sibi non sapiant. Quid si ira, aut alia perturbatione dominante, non tantum ratiocinari potuit; & alioqui erat stupidior, vt qui putaret Deum, qui in

*imprudenter.*

montibus vinceret Syros, ab iis in vallibus, cum populo quem protegeret, victũ iri? cum tamen vulgo Deum omnia posse fateantur omnes.

VI. *Mittit copias in Dothaim.* IUERUNT ergo Syri iussu regis, & tam domi, quam in regno Israel dissimulanter sciscitati sunt vbi esset Elisæus: & re satis explorata, reuersi, nunciarunt eum esse in Dothan, siue Dothain; oppido in tribu Zabulon, vt vult Adrichomius, vinetis, oliuetis, & ficetis valdè amœno, quod à monte Bethuliæ milliario vno distat, parique spatio ab altera Bethlehem eiusdem tribus, in terra campestri posita, & vtrimque montibus non multum altis cincta. Ager eius, qui idem cum oppido sortitur nomen, fontibus irriguus est, alendisque pecoribus aptissimus, vbi olim Ioseph patriarcha fratres suos pecora pascentes inuenit. Gen 37.17. Distatque à Samaria, quæ illi ad austrum est, duodecimo milliario, vt ait Hieronymus in locis Hebraicis; quod parum conuenit cum topographia Adrichomij. Et reuera necesse est hoc oppidum parum à Samaria abfuisse, vt inde Elisæus Syros in Samariam sine cibo, & sine fraudis suspicione deduceret, vt notat Abul. [a] Itaque rectius alij Dothan in tribu Manasse, quæ erat contermina tribui Ephraim, in qua erat Samaria, collocant. Et fortasse geminum fuit eiusdem nominis oppidum. Quid ibi rerum ageret propheta incertum est, fortasse ibi quoque collegium discipulorum habuit, aut certe, vt pastor bonus, desolatum Domini gregem visitabat, atque excolebat. Misit ergo Benadad illuc equos & currus, & robur exercitus, vt si res ita ferret, possent Elisæum vi Israelitis eripere. Venerunt tamen nocte, vt improuisi ciuitatem præsidio destitutam vallarent, & ciues, supremæ cladis, ac vastitatis metu, ad deditionem prophetæ compellerent.

[a] q. 16. in cap. 6.

VII. *Quæ terrēt famulum prophetæ.* CONSURGENS *autem diluculo minister viri Dei* [b]. Hunc fuisse Giezi facile crediderim, quoniam, vt supra diximus, nondum ei lepra Naamanis adhæserat, etsi eum Scriptura non nominat, nec Iosephus. Hic igitur prophetæ famulus, *egressus*, domo scilicet, vel cubiculo in editiorem aliquem locum, vnde liber esset prospectus extra ciuitatem, & *vidit exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nunciauitque ei dicens, heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus?* quæ nobis aut elabendi via, aut resistendi modus. *At ille respondit: Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Nondum famulus rem exposuerat, cum iam eam diuinitus Elisæus agnouerat: itaque ad mentem eius potius, & trepidationem, quam ad verba respondit. Cumque is formidinem deponere non posset, voluit eum mirabili spectaculo confirmare. Et conuersus ad preces, *Domine*, inquit, *aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit. Et ecce mons plenus equorum, & curruũ igneorum in circuitu Elisæi*, quales ipsi Elias, ab hominibus abiens, vidẽdos exhibuerat: nec solos equos vidit, aut currus, id enim non satis erat ad eximendum famulo prophetæ metum, sed simul apparuerunt equites egregij, & armati milites curribus insidentes. Erant autem angeli, qui aërem addensatum ita efformarant, & igneum colorem adiecerant, implentes illud prophetæ regij, [c] *Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.*

[b] 4. Reg 6 15.

[c] Psal. 103. 4

VIII. *Quî Deus aperuerit oculos famuli.* AT quid est, inquies, quod Deus oculos famuli huius aperuisse dicitur? non enim apparet vllo Dei auxilio extraordinario fuisse opus: Nam angeli in substantia sua, quantumuis apertis diuinitus oculis, videri non poterant, cum res incorporea, quæ colore caret, ac luce, sit extra oculorum obiectum; in corporibus autem assumptis, sine alio auxilio naturaliter poterant videri. Respondeo cum Abulensi [d] istam oculorum apertionem nihil aliud fuisse, quam exhibitionem obiecti visibilis: quia ante orationem Elisæi, non erant aliqui currus aut equi, quos famulus iste videre posset, ideoque quasi oculos clausos haberet, nihil videbat. Posito autem obiecto, illud vidit, vt videre solent, qui apertos habent oculos. Itaque in eius oculis nulla est facta mutatio facultatis videndi, sed species tantum ab obiecto nouo inditæ. Eodemque modo dici potuit apertos fuisse oculos Elisæi. Quia tamen ad confirmandum, & consolandum hunc famulum, Dominus voluit hosce currus, & equites apparere, cum ea visio prophetæ non esset necessaria, ideo dicuntur aperti oculi pueri, non Elisæi.

[d] q. 11 & 14 in cap. 6. 4 Reg.

IX. *Mirabilis Dei bonitas* QUIS autem non miretur hoc loco singularem Dei bonitatem, atque indulgentiam in seruos suos, qui tantum hunc apparatum ediderit, multasque ange-

lorum legiones repræsentarit, in eum vnum finem, vt Elisæo prophetæ suo gratificaretur, qui ea ratione famulo suo metum excuti cupiebat. Non enim eo aduocati sunt, vt pugnarent contra Syros, eosque vel plagis contrucidarent, vel terrifico aspectu in fugam verterent; neque enim reuera pugnaturi erant, aut quidquam omnino contra Syros acturi, neque id Dominus statuerat, vt euentus ipse docuit: nihil enim ab eo frustra fit. Et si pugnaturi fuissent, non aëreis corporibus, sed spiritali sua virtute pugnassent. Deinde ad huiusmodi certamẽ, non opus erat curribus igneis, equitibusque montem repleri, sed vnus aliquis angelus, omnibus pene momento temporis extinguendis suffecisset. Denique confirmato puero apparere desierunt, & apparet à nemine præterea hanc visionẽ spectatam fuisse. Quam vere igitur dictum est, *voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet*. Pleni sunt sacri libri mirabilibus operibus, quæ Dominus in gratiam famulorum suorum edidit in hoc exilio: vt merito conijciamus, quibus spectaculis, ac bonis in cœlo, omnia ipsorum desideria, quantumuis ampla, atque capacia, expleturus sit.

*Elisaevs eludit insidias Syrorum, & indulgentias.*

X. *Hostes percussi cæcitate.*

HOSTES *vero descenderunt* ad Elisæum. Videtur egressus ex vrbe Elisæus cum puero suo, accinctus ad iter Samariam versus; eo siquidem è vestigio profectus est, deducens Syros; neque regressus est ad tollendum aliquid de domo sua, non baculum, non sacculum, non calceamenta, non galerum, aut si quid aliud itineri necessarium erat. Porro Elisæus videns hostem venientem ad se, vt de Elisæo, quem alioqui norant, inquirerent, an esset in oppido. Poterat enim, dum ipsi Damasco veniunt, abiisse ex Dothain, & aliò se contulisse: videt, inquam hostem, & simul ad Deum oratione conuersus. *Percute obsecro*, inquit, *gentem hanc cæcitate*, *Percussit eos Dominus ne viderent*, id est, ne vere agnoscerent res quas videbant, iuxta petitionem Elisæi. Excæcatio autem facta videtur per immutationem specierum diuersarum ab obiectis suis, cum aliqua perturbatione phantasiæ, oculis in sua naturali dispositione permanentibus: sicut cum oculi discipulorum tenebantur, ne Dominum alioqui probe cognitum agnoscerẽt. Neq. enim existimandum est, hanc cæcitatem parem fuisse ei, qua affecti sunt scelerati Sodomitæ, ad ostium iusti Loth insanientes, qui *subitaneis coopertis sunt tenebris*. vt loquitur Sapiens [a], aut Elimas ille magus, qui non vidit Solem vsque ad tempus, in quem confestim cecidit caligo, & tenebræ, ita vt cogeretur quærere, qui ei manum daret: aut Saulus ipse, cum in terram ex equo deiectus est. Nam isti clare videbant omnia, nec eos, vt cæcos duxit Elisæus, sed vt viæ ignaros, & ab ea aberrantes; etsi Iosephus dicat Deum visum eorum obscurasse. Agnouissent enim illi istam caliginem omnibus præsertim communem [b], & ab inceptis destitissent, rogantes Elisæum, vt pristina sibi oculorum dispositio restitueretur.

*& cuiusmodi ea fuerit.*

a Sap. 19. 16.

ἀμαυρῶσαι.

b Abul. q. 25

XI. *An mentitus cum eis Elisæus.*

DICIT *autem ad eos Elisæus*, *Non est hæc via*, *neque ista est ciuitas*. Petierant videlicet ab ipsomet Elisæo non agnito, nunquid hæc esset ciuitas, in qua erat Elisæus; & si non esset, quæ via ad illam duceret. Non est autem mentitus Elisæus, licet id fateatur Abulensis [c]. *Magis*, inquit, *videtur dicendum quod mentitus fuerit, & tamen mendacium illud fuerit officiosum; vel non reputatũ est mendacium, quia illud dicebat Elisæus Deo incitante, ad hoc quod manifestaretur gloria Dei, per ostentionem istius miraculi*. Sic ipse. Vbi tria sunt quæ improbanda videantur. Nam primo si reuera erat mendacium, quomodo potest non reputari tale, sine falsa æstimatione? Secundo si mendacium fuit, quomodo incitauit Deus Elisæum ad dicendum mendacium, quin peccati author dicatur? Et quomodo mendacium, quod natura sua malum est, assumi potest quasi medium ad bonum finem, cum certo constet non esse facienda mala, vt eueniant bona? Neque dici potest eum duas coniungere responsiones, quæ particula *vel* separentur. Nam reuera vnica est responsio, & vox *mendacium*, quæ antecedit in priore membro, in posteriore subintelligitur. Sicque illud *vel*, non distinguit responsiones, sed qualitates istius mendacij, vt scilicet fuerit vel officiosum, vel opinatum mendacium. Adde quod si esset gemina responsio, in posteriore dicendum fuisset, *vel non fuit mendacium*, non autem, *vel non reputatum est*, puta ab Elisæo: quia si res falsa fuit reuera, non fuerit quidem mentitus Elisæus, sed Deus eum sine culpa sua incita-

c q. 17. in c. 6. 4. Reg.

*refellitur Abulensis assertioni.*

tare non potuit ad dicendum falſum. Denique tota ſequens eius oratio oſtendit eum in eadem opinione officioſi mendacij perſiſtere, quod referretur ad gloriam Dei, quod probauimus abſurdum eſſe.

XII. *Non fuiſſe locutum ad eorum mentem.*

RECTIVS itaque dixerimus Eliſæum hac reſponſione ſua non fuiſſe mentitum; non reſpondit tamen ad eorum mentem, ſicut reuera non tenebatur rationem habere intelligentiæ ipſorum, qui hoſtes erant, non legitimi iudices; ſed reſpondit ad mentem propriam, & ſuam. Nimirum eam ciuitatem non eſſe Samariam, nec eos hactenus eam tenuiſſe viam, quæ ad illam duceret, & in qua inuenturi, & agnituri erant Eliſæum. Nam nunc cum non cognoſcerent prophetam, non poterant proprie, ac vere dici reperiſſe ipſum, neque ciuitatem in qua erat. *Sequimini me,* inquit propheta, *& oſtendam vobis virum quem quæritis,* quod reuera fecit, ſed in hoſtili ciuitate: *Duxit* enim *eos in Samariam;* ſimulque curauit regem Ioramum, qui illic erat, tota de re per puerum ſuum admoneri, vt validiore ciuium, & armatorum manu cingerentur, ante quam proprium ipſi periculum poſſent agnoſcere. Hoc enim factum eſſe, ſequentia apertè docent. Non duxit autem eos aliò, quam in regiam ciuitatem: ſiue quia cum numerus ingẽs Syrorum adeſſet (miſerat enim Benadad currus & equites, & robur exercitus, vel, vt eſt in Hebræo, grauem exercitum) non facile poterant intra aliam ciuitatem in periculo verſari; nec eis alibi de cibo, quod cupiebat Eliſæus, commode prouideri.

XIII. *Ingrediuntur Samariam.*

CVMQVE ingreſſi fuiſſent Samariam, neque enim quidquam eis negotij faceſſebant in portis Samariæ, cum viderent eos ab Eliſæo propheta duci, quem parentis loco Ioramus rex habebat: mox enim dixit. *Nunquid percutiam eos pater mi?* Cum ergo ingreſſi eſſent Samariam, & magnis Iorami copiis circumfuſi, orauit Dominum Eliſæus, vt ſublato impedimento, quod eorum oculis, vel phantaſiæ immiſerat, priſtinæ diſpoſitioni reſtituerentur. *Domine,* inquit, *aperi oculos iſtorum, vt videant.* (Apparet enim, niſi diuina ope interueniente, eos in eodem ſtatu permanſuros fuiſſe,) videant quo deducti ſint, & quam ſit facile prophetæ, vlciſci malam ipſorum erga ſe voluntatem [a]. *Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ.* Et videlicet ingenti terrore concuſſi ſunt, ne illico, innuente rege, configerentur telis. Idque rex ipſe cupiebat; noluit tamen eam facere militi ſuo poteſtatem, inconſulto propheta. Nam ſequitur: *Dixit rex Iſrael ad Eliſæum,* ſeuocatum videlicet, ac ſeorſum à turba, *cum vidiſſet eos* eſſe in ſua poteſtate, *Numquid percutiam eos, pater mi?* Videbat enim hoſtem non ſupplicem, ſed armatum, quique in regnum ſuum hoſtili animo ingreſſi fuerant, vt prophetam regno perutilem, perque neceſſarium inuitum auferrent.

*& agnoſcunt periculum ſuũ.*

a 4. Reg. 6. 20.

XIV. *Propheta vetat eos interfici.*

NIHILOMINVS cum videret eos diuinitus à propheta, & non humanis artibus deductos in Samariam, recte conſuluit prophetam, vt ſciret quem ad finem Deus eos in huiuſmodi diſcrimen capitis adduxiſſet, & quid fieri placeret. Ipſo enim prohibente, aut propheta eius nomine, non licebat illos contingere. Idque ſignificat ſubiecta reſponſio. *Non percuties, neque enim cepiſti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias:* quaſi dicat, Non vult Dominus eos à te interfici, ſed beneuole atque amice dimitti, in quo nulla tibi fit iniuria, neque irritus redditur labor tuus? Itaque æquo animo feres Deum Syris oſtendere, quam irrita ſint conſilia hominum contra ſeruos ipſius, cum ei placuerit eos defendere: quamque facile poſſit ipſorum conſilia in caput eorum conuertere. Interea etiam bonitate contra malitiam certandum eſt, bonumque pro malo reddendum; ſi forte velint beneficio affecti reſipiſcere, qui poterant alioqui ſine vlla iniuria trucidari. Imo & debebant, ne publicos patriæ hoſtes fouiſſe, in commune detrimentum viderentur; quod vtique non poterat à priuata Eliſæi perſona remitti, licet priuatam ipſe iniuriam poſſet cum laude remittere.

*Sed iubet conuiuio excipi.*

XV. *Excipiuntur & dimittuntur ad dominũ.*

PRÆVENIENS igitur illud Apoſtoli [b], *Si eſurierit inimicus tuus, ciba eum, ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius,* eodem Domino dictante ait, *pone panem & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad dominum ſuum. Appoſitaque eſt eis magna ciborum præparatio.* Multi enim erant, & decebat rationem haberi regiæ magnificentiæ, etiam in ſumma annonæ ca-

b Rom 12. 20.

ritate, ne malignè exhibita gratia, minus grata esset, minusque beneficiarios obligaret. *Et comederunt, & biberunt, & dimisit eos, abieruntque ad dominum suum.* Qui pro superbia, ac stupore suo iniquius tulisse videtur, non captum Elisæum, quam gratum habuisse tot proceribus suis, qui in hostium potestatem deuenerant, vitam, ac libertatem fuisse concessam. Imo, quæ est hominum superborum aliquando peruersitas, hanc suam numerauit iniuriam, quasi ab Elisæo sibi illusum esset, ab Ioramo autem contemptim insultatum. Quæ ne temere à nobis excogitata videantur, atrox bellum non ita multo post ab eodem Syro contra Ioramum excitatum, admodum probabilem facit illam coniecturam.

*Irritæ Syror. insidiæ.*

*Quis tum eius sensus.*

XVI. *Latrunculi Syriæ in Israele cessant.*

QVI tamen latrocinantium in morem in terram Israël solebant excurrere: *non vltra venerunt in terram Israël.* Siue quod eorum fortasse magna pars ab Elisæo, & Ioramo beneficio fuerat affecta. Siue quod timebant ne similiter excæcati, non similem veniam obtinerent, sed ingratitudinem luerent seueriore vindicta. Illud autem *non vltra* de longissimo tempore accipiendum est: neque enim latrones Syriæ à Scriptura [a] ante Nabuchodonosoris tempora memorantur, sub annum ante Christum 619. id est annis octo & octoginta supra ducentos Minime dissentit ab hac sententia Iosephus; ait enim Syros non vltra clam, & per insidias contra Israëlitas venisse, sed aperto Marte, & iusto exercitu conscripto. *Illi reuersi,* inquit, *omnia quæ eis contigere suo regi renunciant; qui in tanto prodigio manifestam Dei potentiam admiratus, simulque vatis diuinitatem, nihil posthac contra Israëlitarum regem clam molitus est, sed decreuit aperto Marte rem gerere, potentiorem se ratus, & numerosioris exercitus Dominum, atque adeo regionis longe amplioris.* Idem etiam sensit Abulensis [b].

a 4. Reg. 24. 2.

b qu. 24. in c. 6.

XVII. *Obsidio Samariæ differenda.*

QVANTVM porro intercesserit temporis vsque ad obsidionem Samariæ à Benadado Syrorum rege susceptam, non satis constat. Non multum tamen intercessisse, series ipsa narrationis scripturæ docet. Veruntamen quoniam non tam cito ingens exercitus, & omnia ad diuturnum bellum necessaria præparantur, obsidionem recte opinor ad proximum annum differemus. Non exiguam certe moram innuit Scriptura [c] cum ait. *Factum est autem post hæc congregauit Benadad rex Syriæ vniuersum exercitum suum,* &c.

c 4. Reg. 6. 24.



ANNVS MVNDI 3147. DILVVII 1491. QVINTÆ ÆTATIS 208. FVNDATI TEMPLI 125. IORAMI REGIS IVDAE 5. IORAMI REGIS ISRAELITÆ 9. AMARIÆ PONTIF. 10. ELISÆI 9. TROIÆ EXCISÆ 276. OPHRATANIS 24. IMPERII ASSYRIORVM 1216.

ANNVS ANTE CHRISTVM 906.

I. *Quartus annus famis.*



QVARTVS agitur famis annus [d], quo Samariā Benadad obsedit; idque ex eo haud obscure colligitur, quod statim à principio obsidionis, fames grauissima memoratur, quæ aliis temporibus vix post multorum annorum obsidionem, in vrbe præsertim regia, contigisset. In iis enim ciuitatibus, ciues opulenti plerique, ad multos annos frumenta recondunt: quanquam hanc totam famem non arbitror primo anno obsidionis cōuenire, vt mox dicetur. Nam de rege Iudæ primùm dicendum est, de quo tamen hoc tempore nihil aliud dicere possumus, quàm illud quod habetur 2. Paral. [e] *Ambulauitque in viis regum Israel, sicut egerat domus Achab; filia quippe Achab, erat vxor eius; & fecit malum in conspectu Domini.* Hic videlicet optimi patris filius pessimus aditum sibi ad impietatem, scelestissima sex fratrū nece, præparauit; ad quod etiam scelus hominem perpulit fortasse, quod sibi impunè licere cupiebat idolis, aureisque vitulis seruire. Nihil enim aliud, defuncto parente, ipsum in officio

d 4. Reg. 6. 24.

e c. 21. 6.

*Rex Iuda, & Iorami impietas.*

poterat continere.

II. *Eiusque causa Athalia.*

CAVSAM mali huius refert Scriptura in impiam Athaliam eius vxorem, Achabi filiam, quæ Ioramum perdidit, sicut ante Iezabel Achabum. Cæterum D. Hieronymus in 2. Paral. cap. 21. ait Athaliam, non Achabi, sed Amri filiam fuisse, *imitatione illius*, inquit, *filia eius vocata est; vnde & in libris Regum dicitur de Ioram: Erat quippe gener domus Achab.* Sic ipse. Cui videtur fauere, quod in 4. Regum [a], dicitur Athalia filia Amri. Et iterum 2. Paral. cap. 22. Verum communis sententia est Athaliam fuisse filiam Achabi, neptem autem Amri. Nam id affirmatur in 4. Regum [b]. frequentissimum enim est vt filius pro nepote accipiatur. Sic vno in loco Iehu qui Ioramo successit,[c] dicitur filius Namsi: in alio vero filius Iosaphat, filij Namsi. Priore ergo loco filium pro nepote dixerat. Inauditum autem est, vt quæ soror est filia dicatur; nec sequitur si Ioram gener fuit domus Achabi, propterea fuisse generum Amri, & non potius ipsius Achabi, à quo vt notiore, domus denominatur potius, quam ab Amri. Iosephus [d] quoque ait Ioramum filium Iosaphat habuisse commune nomen cum rege Israëlitarum vxoris suæ fratre, qui Achabi filius fuit. Ergo Achab genuit Athaliam, & Ioramum. Et iterum cum de Iorami filij Iosaphat impietate agit, sub finem eiusdem cap. *Videbatur*, inquit, *cum Israeliticis regibus certamen suscepisse ne inferior haberi posset, quantum ad impietatem attinet, nactus ad hoc magistram idoneam Gotholiam vxorem* (sic vocat Athaliam, secutus Septuag.) *quæ fuit Achabi filia, à qua externorum numinum cultum didicit.* Sic Iosephus. Addo quod vetula esset Amri filia, nec iungenda 32. annorum regi; quod mater dicatur Ochosiæ [e]; quod nunquam vxor Iosaphati, sed vbique Iorami vxor. Res clara est.

*Cuius filia fuerit*

[a] cap 8. 16. v. 2.
[b] c 8 18. & 2. Par. 21. 6
[c] 3 Reg. 19. 16. 4. Reg. 9 14
[d] l 9 ant. c. 12.
[e] 2. Par. 22 5.

III. *Distinctius explicatur Iorami impietas.*

IMPIETATEM Iorami Scriptura mox distinctiùs explicat [f]. Postquam enim defectionis subditorum ab eo retulit causam, subdit. *Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum; insuper & excelsa fabricatus est in vrbibus Iuda, & fornicari fecit* (fornicatione spiritali idololatriæ) *habitatores Ierusalem, & præuaricari Iudam. Ioramus*, inquit Iosephus [g], *in dies nouis superstitionibus Deum irritare, & populi religionem deprauare non destitit.* Non coluit autem duntaxat vitulos aureos, vnde mox dicitur incessisse per iter regum Israël, sed etiam Baal, & si qua fuerunt alia idola, quæ Achab, & Iezabel, eorumque familia coluerat; quæ dudum Ioramus Israëlita, id agente Iosaphato sustulerat, vt superiùs dictum est [h]. Vnde dicitur ibid. imitatus fornicationem domus Achab: & Iosephus id explicans ait eum effigies hominum colere, quemadmodum & Achabum, sibi subditos compulisse.

[f] 2. Par. 21. 10.
[g] l. 9. ant. c. 2.
[h] an. Iosaph 19. n. 64.

IV. *Qua pœna affectus.*

DENIQVE satis scelerum perpetrauit, vt meritò posset Dominus eum, eiusque familiam vniuersam excindere. Imitatorem enim, & æmulum impietatis Achabi, & Baasæ, & Ieroboami non dissimili pœna plecti conueniebat. Id tamen Dominus excepit, propter Dauid seruum suum. Vnde ibidem legitur [i]. *Noluit autem Dominus disperdere domum Dauid, propter pactum quod inierat cum eo: & quia promiserat, vt daret ei lucernam* (id est, successorem regni) *& filiis eius omni tempore*: idem etiam habetur in 4. Regum [k]. Hac autem vna pœna excepta, multa in eum Dominus verbera intorsit, quæ sequenti anno videntur inchoata: Deo eum aliquandiu in suis sceleribus, & excelsorum, altarium, & statuarum, & lucorum extructionibus, bacchari permittente. Permittamus & nos, & in Samariam transeamus, quò Benadad ducit exercitum, Israëlitas miserè vexaturus.

[i] v. 7.
[k] c. 8. 19.

V.

FACTVM *est autem post hæc*, ait Scriptura [l], intelligens post amicam Syrorum à Samaria dimissionem, Elisæo id apud regem Israëlis agente: *congregauit Benadad rex Syriæ vniuersum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam.* Hæc variatio temporis diuturnitatem obsidionis innuit, quæ statim apertiùs traditur, cum dicitur tandiu obsessa, donec caput asini venundaretur octoginta argenteis. Id autem nemo crediderit principio statim obsidionis contigisse, sed multa alia antecessisse vulgaria in obsidionibus fieri, ac ferri solita, quæ Scriptura prætermisit. De huius obsidionis initio perpauca tradit Iosephus [m]. *Decreuit*, inquit, *Adad aperto Marte rem gerere, potentiorem se ratus, & numerosioris exercitus Dominũ. comparatisque ingentibus copiis vniuersas contra eum eduxit; qui putas se imparem, si collatis*

[l] 4. Reg. 6. 24.
[m] l. 9 c. 2. ante med

*signis res ferro gerenda sit, intra Samariam se continuit, fretus vrbis munitionibus.* Adadus vero cogitans si non machinis, fame tamen eam se in potestatem redacturum, oppugnationem aggreditur. Interea vero toti regno Syrus de more vastitatem intulit, quamquam fame quartum iam annum regionem peruagata, nihil admodum, quod vastare posset, inuenit.



ANNVS MVNDI 3148. DILVVII 1492. QVINTÆ ÆTATIS 209. FVNDATI TEMPLI 126. IORAMI REGIS IVDAE 6. IORAMI REGIS ISRAELITÆ 10. AMARIÆ PONTIF. 11. ELISÆI 10. TROIÆ EXCISÆ 278. OPHRATANIS 25. IMPERII ASSYRIORVM 1217.

ANNVS ANTE CHRISTVM 905.



HIC annus vtrique regi Hebræorum admodum tristis, ac luctuosus fuit. Nam rex Iuda regnum Idumæorum infelici, atque irreparabili iactura perdidit; quin etiam in regno suo amisit ciuitatem Lobna, & tristissima ab Elia nuncia accepit: & insuper alui langore insanabili diuinitus percussus est. Hæc licet designatum annum in Scriptura non habeant, & à plerisque chronologis vel omittantur, vel confusè, cum rebus aliis diuersorum temporum, congerantur, probabiliter tamen credimus ad hunc annum referenda esse, propter rectam coordinationem eorum, quæ ad Ioramum pertinent. Rex autem Israël arctissima obsidione pressus in Samaria, extrema quæque cum populo suo perpessus est. Quæ diligentius explicanda sunt, sunt enim cognitione dignissima, omnemque in partem ad exemplum vtilia. I. *Res huius anni.*

AD hunc ergo annum, iuxta ea quæ anno superiore posuimus, illa pertinent, quæ 2 Par. [a] habentur, *In diebus illis rebellauit Edom, ne esset subditus Iudæ, & constituit sibi regẽ*, qui esset defectionis caput, cæso rege suo, vt ait Ioseph. [b], qui Iosaphato hactenus paruerat. Hoc initium malorum regis Iudæ, permittente Domino, vt qui à Deo impiè defecerat, sibi subditos perfidos experiretur; & qui paterna, & auita pietatis exempla neglexerat, stipendiarium regnum à patribus, auisque sibi relictum, prorsus amitteret. Iustum quippe erat, vt temporariam quoque mercedem religiosæ vitæ perderet, qui sciens, ac prudens indignissimũ eius naufragium fecisset. Mirum quidem videtur Idumæos, qui ante quinque annos maxima clade affecti fuerant, quando vna cum Moabitis, & Ammonitis, contra Iosaphatum anno 23. eius coniurauerant, tam cito ausos fuisse a rege Iudæ deficere: sed Deus, qui eos Ioramo aduersarios suscitauit, eis quoque animos, & audendi, & resistendi dedit, eorum mala voluntate ad Ioramum puniendum bene vsus. Nec credibile est magnum Idumæorum exercitum se se tunc Moabitis, & Ammonitis adiunxisse, quippe qui latere inter alios ambiebant, quod in magna multitudine fieri non potuisset. Itaque multi in tota Idumæa relicti, qui auidi libertatis, & tributorum pertæsi, Iorami mandata negligerent. Animos quoque facere potuit obsidio Samariæ. Intellexerunt enim Idumæi, regem Samariæ regi Iudæ, in suam ipsorum perniciem, adesse non posse. II. *Idumææ defectio.* *Qui probabilis fiat.*

[a] 21. 8. [b] l. 9. c. 2. ad finem.

HAC defectione cognita venit Ioram in Seirá montem Idumæorum, *& omnes currus cum eo*, vt dicitur in quarto Regum [c]. *& surrexit nocte, percussitque Idumæos, qui eum circumdederant, & principes curruum: populus autem fugit in tabernacula sua.* Sententia loci est, Ioramum cum suis in montem Seir penetrasse: noctuque ab Idumæis, vndique cinctum fuisse; fiducia quippe locorum, eis spem dabat Iudæos opprimendi. Verum Ioram cum suis de no- III. *Expeditio Iorami cõtra Idumæos.*

[c] c. 8. 21.

ĉte surrexit, & Idumæos inuasit, fuditque; sed ipsi in nota latibula se proripuerunt, vtique timore, quem tamen Iosephus videtur in Ioramum transferre. Ait enim, *Quam iniuriam vlturus Ioramus cum equitatu, qui tum ad manum erat, & curribus in Idumaam noctu irrupit, & exustis vicis finitimis, non est ausus vlterius progredi. Nec tamen hac expeditione quicquam profecit.* Sic ipse. Nec sanè facilè victoria de istiusmodi hominibus expectari potest. Nam monticolæ inter rupes, & saxa absconditi ægerrimè vinci possunt, quod paucorum vim facile eludant: magni autem exercitus ibi fame deficiant. *Irrita.* *Recessit ergo Edom ne esset sub Iuda, vsque ad diem hanc*, id est, vsque ad posteriora tempora euersi regni Iudæorum, quando libri huius scriptor Ieremias propheta vixit, vt ait Tostatus cum aliis [a]. [a] q.31. in c. 8.4 Reg. ti.

IV. *Defectio Lobnæ.* EODEM *tempore recessit, & Lobna, ne esset sub manu eius* [b]. Lobna, etiam Labna dicitur, & à Iosepho Labina. *Plures*, inquit Iosephus, *defectiones secutæ sunt, excutientibus eis iugum, & illis qui Labinam regionem incolunt.* Fuit hæc ciuitas in tribu Iuda, vt ait Hieronymus in locis, ciuitas sacerdotalis, quam primis illis temporibus tenuit Iosue [c], regemque illius interfecit. Eiusdem Hieronymi tempore villa tantum erat. Obsessa fuit à Sennacherib rege Assyriorum, vt suo loco dicetur [d]. Vtrum autem hæc ciuitas suas sibi res agere voluerit, an se alij regi subiecerit, non liquet. Fortasse sese in protectionem Philisthinorum, quibus vicini erant, dediderunt: videnturque hoc ipso postea ad regem Iudæ rediisse, quod de Lobna Scriptura non dicit in defectione perdurasse, quod tamen de Edom ibidem affirmat. Existimo autem ab Ozia recuperatam, vt postea dicetur. *An perpetua.*

[b] 2. Par. 21. 10. [c] Iosue 21. 13. [d] 4. Reg. 19. 8.

V. *Literæ Eliæ in Ioramũ.* INTEREA dum subditi regis Iudæ ab occidente, & meridie deficiunt, allatæ sunt ei literæ ab Elia propheta. Mirum est ab Elia literas fuisse ad Ioramum allatas; qui ante annos nouem ex hominibus abductus fuerat. Chron. Hebr. c. 17. ait allatas de cœlo, quia iam septem erant anni, ex quo Elias reconditus disparuerat. Verùm supra ostensum est, mox post Ochosiæ mortem, initio regni Iorami, subtractum fuisse Eliam; nunc autem decimus annus Iorami agitur. Scriptas ab eo apparet, ait Sa, antequam in cœlum tolleretur, sed datas multo post; potuit enim spiritu prophetico præuidisse, quæ facturus erat Ioram, & quæ passurus, sicque hanc scripsisse epistolam, quæ ipsi opera Elisæi hoc tempore redderetur. Quidam putant alium ab Elia Thesbite hunc fuisse. Non puto minus probabilem Hebræorum opinionem, quam Lyranus rationi consentaneum putat, ab Elia scilicet sub idem tempus, quo missa est, scriptam fuisse hanc epistolam. Nihil enim est absurdi, & multo maiorem potuit habere authoritatem, ad Ioramum ad sanam mentem, si mens non læua fuisset, reducendum.

VI. *Quæ earũ sententia.* IN iis literis ita scriptum erat. *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, & in viis Asa regis Iuda.* Arguit tanquam à patris, & aui pietate degenerem: neutrum enim, vel leuiter afflauit idololatria, cui se iste totum dedidit. *Sed incessisti per iter regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Hierusalem.* Diuus Hieronymus [e] ait plerosque putare Ioramum in domo Dei excelsa fabricatum fuisse in monte Moria. Quod parum probabile est, tum quia id non tacuisset Scriptura, sed vehementer exaggerasset. Tum quia illa non tam seuerè accusasset Manassem, tantum facinus ausum, si exemplum in Ioramo præcessisset. Sed pergit epistola *Insuper & fratres tuos, domum patris tui, meliores te occidisti. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis, & vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua.* Neque his terminis mala tua definientur. *Tu* enim ipse *ægrotabis pessimo langore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.* Vt ea sit quotidiana monitio ad resipiscendum, aut futurorum suppliciorum rudimentum. Nec vanæ fuerunt, aut tardæ minæ, hoc ipso anno acri viscerum dolore torqueri cœpit. Nam vt rectè Torniellus [f] notauit, cùm constet eum totis duobus annis ægrotasse [g], nec regni sui annum octauum expleuisse, necesse est eum tantundem anno suo sexto ægrotasse, quantum ante finem anni octaui mortuus est. *Initium ægritudinis Iorami.*

[e] in 2. Par. c. 21. [f] an. 116. [g] 2. Par. 21. 19.

Iam quod ad obsidionem Samariæ attinet, quæ de ea Scriptura narrat satis ostendunt obsessos extrema quæque passos esse, nec corporibus solùm, sed animis. Quippe quibus nulla spes esset, quin post tantam famem, post vigilias, pericula, & mala omnia, quæ in obsidione ferri solent, in manus hostium, deditione veniendum esset, & ea subeunda, quæ hosti victori, & longa obsessorum obstinatione fatigato, collibitum esset. Nam nulla spes erat auxilij, ad soluendam obsidionem, in cognato rege Iuda, & ægro, & multiplicibus malis, & aduersariis implicito. Nulla in Moabitis & Ammonitis, contra quos proximè bellum gesserant. Nulla in Philisthæis immortalibus Israëlitarum hostibus; nulla in remotioribus principibus, quibuscum nulla his temporibus erant fœdera, & societates: nulla in ipsius hostis clementia, etsi de eo bene meritus fuisset Achab Iorami pater, eique vitam ipsam dedisset. Nulla in vitulis, & idolis suis: nulla, quod caput est, in ipso Deo, quem sibi inimicum, & meritissimò infensum esse non dubitabant. VII. *Obsidio Samariæ, & obsessorum conditio.*

a 4. reg. 6. 25. Obsidebatvr ergo Samaria [a], *& tandiu obsessa est donec venundaretur caput asini octoginta argenteis.* Septuaginta Sixti habent quinquaginta, sicut & D. Augustinus [b]. Latina tamen nostra cum Hebræis consentiunt. Respondent autem octoginta sicli argentei centum, & decem Gallicis libris. *Et quarta pars cabi stercoris columbarum, quinque argenteis.* Suppressit sicli vocem vtrobique vulgatus, sicut & Hebræus, quam vtrobique Septuaginta expresserunt. Cum caput asini steterit 37. fermè aureis, quid de reliquis partibus corporis eius, in quibus plus cibi est, dicendum est: Columbina verò stercora, vt Hebræi apud Vatablum putant, ad fouendum ignem emebantur; sed id parum mihi videtur probabile. Non enim deerant vilia ædificia, quæ diruerentur ad ignem nutriendum: Nec mens videtur alia Scripturæ, quam has quoque sordes ad cibum referre, sicut asinos, & infantes: diluta fortasse in aqua sumebantur in cibum, vt quoquo modo latranti stomacho illuderent. Certè Iosephus emptum ait vt esset ἀντὶ ἁλῶν. id est loco salis, vel obsonii, vt vertit Gelenius, idemque habet Theodoretus. Cæterum idem Iosephus quartam cabi partem sextarium interpretatur. Est autem cabus frumenti, vel farinæ diurnus vnius hominis cibus, vt fusius docet Villalpandus [c]. Ex quo intelligitur incredibilis, & inaudita fames, qua nunc Israelitæ soluebantur legibus, quibus vsu, aut etiam tactu talium rerum prohibebantur. Sed eam tamen famem etiam videtur augere, sequens historia. VIII. *Argumenta famis.* *pretium capitis asini.* *stercora in cibum.*

b sermon. 3 dom. 7 post trin.

c t.3.l.3.c.23

Cvmqve rex *Israel transiret per murum*, lustrando scilicet vrbem, & murorum stationes obeundo, *quod singulis diebus faciebat*, vt ait Iosephus, *nihil æquè reformidans, quàm ne quis fame adactus, & non ferens inopiam, vrbem hostibus proderet*; mulier quædam exclamauit ad eum, dicens. *Salua me domine mi rex. Qui ait; Non te saluat Dominus, vnde te possum saluare?* Sic habet vulgata emendata, hoc sensu, cùm Dominus, cuius est omnis salus, te non saluet, quomodo possum te saluare, cum vana sit salus hominis, præsertim repugnante Deo? & ita vertitur apud Vatabl. *Quandoquidem Dominus tibi non fert opem, vnde ego tibi ferrem opem, de horreóne, an de torculari?* Et probat Sa. Nec abest Chaldæus ab hac sententia. *Ni saluet te Dominus, vnde saluabo te?* Regia legunt, *non*, adduntque virgulam, & subaudiunt, possum, vel quid simile: subduntque, *te saluet Dominus*, vt sit bene precantis oratio, qualis est oratio eorum, qui pauperem sine stipe à se dimittunt, excusantque propriam aliquando inopiam. Ita rex addit, *vnde te possum saluare, de area, vel de torculari?* Significans neque frumentum sibi, neque vinum suppetere, vnde possit inopiæ eius opem ferre. Seuerior est Hebraica phrasis, quam habent Septuag. At Hebræi. *Non saluam faciat te Dominus*, vt sit irascentis imprecatio. Sicque hũc locum interpretatur Abulensis, & Iosephus [d]. *Cumque mulier quædam*, inquit, *exclamasset: Miserere Domine, putans eam aliquid cibi petere, commotus ira malè precatus est ei, negans sibi esse vel areas, vel torcularia, vnde ipsi impertiri posset aliquid.* Vatabl. quoque. *Dispereas*, inquit, *Quare petis à me cibum, cùm scias me omni re carere?* Nec aliena est oratio à moribus hominis impij; sed iratus quoque animus eius mox se in Elisæum apertè prodit. Prior tamen expositio magis placet, vt sit gementis, & compatientis oratio, vel bene precantis. Nec enim eo tempore conueniebat IX. *Mulier apud regem queritur.* *responsio regis fatentis penuriam suam.* *aut irascentis.* *prior probatur.*

d l.9 Ant. c.2.

regem ipsum fieri quasi vnguem in vlcere, & præcipitantes in desperationem, etiam vltro vrgere, atque impellere. Nec desunt qui cum Chaldæo illud אל al Hebraicum interpretentur *nisi*. Sed pergit Ioram.

X. *Horribile mulieris facinus.* DIXITQVE *ad eam rex. Quid tibi vis* [a]? Quæ respondit. *Mulier ista dixit mihi. Da filium tuum, vt comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixique ei die altera. Da filium tuum, vt comedamus eum, quæ abscondit filium.* Amore nimirum, & maternis visceribus refugientibus a tam horrendo facinore; quo innocens infantulus vltro occidebatur, & quidem ab ea, quæ omni erga eum charitate deuincta erat: propterea que in vno, eodemque crimine omnia naturæ iura violabat. Neque enim vlla famis, aut alia quæcumque necessitas eam poterat excusare: moriendum enim potiùs fuit, quam tantũ facinus attentandũ. Existimat tamen Tostat. [b] in huiuscemodi summa necessitate, posse humana corpora, siue morte damnatorum, siue sponte morientium in cibum cedere, non obstante horrore naturali, & honore sepulturæ corporibus humanis debito, quæ tanti necessitati concedunt: ideoque has mulieres filios casu aliquo mortuos comedere potuisse. Nunc autem vtraque mortis rea fuit, tam ea quæ innocentem occidit, quam quæ consensit in cædem. Scelestum quoque pactum fuit de altero postmodum interficiendo; ideoque promissio rescindenda fuit, mutandumque in turpi voto decretum.

[a] 4. reg. 6. 27. 2.
[b] q. 31. inc. 6.

XI. *An fuerit à rege puniendum.* QVOD *cùm audisset rex, scidit vestimenta sua* [c], *& transibat per murum*. Et ictus atrocitate facinoris, ac nouitate dissimulauit, ratus non dandam afflictionem afflictis, & crudeli necessitati compatiendum hoc tempore. Potuit tamen, atq. adeo debuit, si iuris attendendus est rigor, illam saltem quæ regem inclamauit, & suum crimen publicum esse voluit, morti tradere; ne reus ipsemet fieret impunitatis tanto crimini concessæ. Neque enim in eius potestate fuit in diuinis legibus, in re præsertim tanti momenti, dispensare. Maluit tamen in hoc facto pœnam diuinitus immissam suis, populique peccatis cogitare, quam culpam: videns impletum illud, quod tanto ante in lege à Moyse denunciatum fuerat [d]. *Obsideberis intra portas tuas, in omni terra tua, & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorũ tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia, & vastitate, qua opprimet te hostis tuus.*

[c] vers. 30.
[d] Deut. 28. 52.

XII. *Eiusdem pœnitentia.* VIDITQVE *omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecùs*: Nimirum scissa tunica interius cilicium apparuit. Quo fortasse Deum placare voluit, vt ante aliquot annos pater eius Achab [e]. Et certè probabilitate non caret, idque affirmat Abulensis, sicut humiliationi, & ieiunio, & cilicio Achabi data est commeriti supplicij dilatio; Ita & huic pœnitentiæ Iorami concessam obsidionis solutionem. *non inanis.* *Percussus*, inquit Iosephus, *vehementi dolore Ioramus vestem sibi conscidit, & exclamans hoc demum defuisse ad calamitatum summam, ira contra Prophetam accenditur*; & quidem tanta, vt sese graui iureiurando astringat, curaturum ipsi caput abscindi. *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisæi filij Saphat super ipsum hodie.* Sed effudit eam vocem iracundia, in præsenti casu tam inopinato, & temerarij iurisiurandi culpa non caruit, quæ tamen ira non multo post resedit, ac sedata est.

[e] 3. reg. 21. 27.

XIII. *Et ira in prophetam.* SED quæ causa fuerit huius in Elisæum iræ, non satis apparet. An quia non permiserit dudum Syros interfici in Samaria, à quibus nunc tot conficiantur malis? At id valuit ad eos reddendos mitiores; quibus tunc interfectis, non poterãt vllam veniã in deditione expectare. An potius quia ciuitatem, quam precibus suis liberare posset, ad tantam calamitatem deuenire pateretur, quæ mulieres, alioqui misericordes, & suorum filiorum amantes, ad eos trucidandos, & ritu ferino deuorandos compelleret. Itáque hunc locum intellexit Iosephus, qui ait, regem tollendum Elisæum dictitasse, qui in tantis malis nullum dignaretur a cœlesti numine impetrare subsidium. Demens qui nõ intelligeret, in se, non in propheta residere culpam; qui cum Elia dicere poterat. *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim* [f]. Ipse autem Elisæus minimè deerat officio suo; memor eius quod dicebat Samuel populo peccatori [g]. *Absit à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis.*

[f] 3. reg. 18. 18.
[g] 1. reg. 12. 23.

XIV. *Quem mãdat occidi.*

Elisaevs *autem ſedebat in domo ſua* ( intra vrbem Samariæ ) quam domum Toſtatus putat alienam fuiſſe, & non prophetæ ipſius, ſiue quia paupertatem profitebatur; ſiue quia non erat ipſe Samarita, & iam ſecuturus Eliam, cuncta dimiſerat. [a] *Et ſenes optimates ciuitatis ſedebant cum eo. Præmiſit itaque virum*, ſicarium ſcilicet rex miſit, qui prophetam conficeret; rex autem mox ſecuturus erat, vt eo ſpectaculo, & vltione frueretur. *Et antequam veniret nuncius ille. Dixit* Eliſæus *ad ſenes:* Ioſephus, *ad diſcipulos. Nunquid ſcitis quòd miſerit filius homicidæ hic*, id eſt Rex Ioram, *vt præcidatur caput meum?* Filium homicidæ vocat filium Achabi, cuius conſenſu occiſus eſt Naboth: vel filium homicidæ dixit ſimpliciter pro homicida, vt filius hominis pro homine paſſim vſurpatur; & reuera reus erat homicidij, cùm iam mandatum dediſſet de occidendo propheta. *Videte ergo*, Eliſæus ait, *cùm venerit nuncius, claudite oſtium, & non ſinatis eum introire; ecce enim ſonitus pedum Domini eius poſt eum eſt.* Id eſt eum proximè ſequitur rex ipſe.

a 3 Reg. 19. 11.

Abul. Vatab. Sa.

XV. *Nuncium rex ſequitur.*

Adhvc *illo loquente eis, apparuit nuncius, qui veniebat ad eũ.* Apparuit, affuit ſcilicet ad ianuam: ſed adfuit Rex quoq; , vt dixerat propheta; *& dixit*, nimirũ rex, *Ecce tantũ malum à Domino eſt, quid amplius expectabo à Domino?* In eum ſtatũ iam res redactæ ſunt, vt nihil à Deo deinceps vel beneuolo expectandum, vel irato timẽdum ſit. Ad extrema enim malorum omnium deuenimus, quando eo redacti ſumus, vt mulieres filiorum ſanguine cruentatæ, rabida fame compellente, deuorent eos. Vatablus Ioſephum ſecutus, etſi paſſim diſſimulet, ait regem anteuertiſſe nuncium, quem miſerat, quod protinus mutaſſet ſententiam; nec vellet illum exequi, quod ſibi fuerat imperatum. De mutata ſententia conſentit Abulenſis, & Theodoretus,[b] quem operæpretium ſit audire. *Rex ſtolidus æmulatus patris, & matris animum ſpirantem cædem, iuſſit amputari caput prophetæ, idque ſacco indutus, & cùm à Deo precibus contenderet vt ſolueret, ac diſſiparet horrendam illam, & ſtridentem nubem: & cùm oporteret ſupplicare prophetæ, vt Deo pro ipſo offerret interceſſionem, hoc quidem non fecit, ſed minatus eſt ſe eum interempturum, vt qui negligeret, vel ſponte deſpiceret ſummam calamitatem, ſed ſtatim ductus pœnitentia, accurrit cædem reprimens.* Sic ipſe, eodemque modo Procopius in quartum Regum.

b q. 23. in l. 4. Reg.

XVI. *Moxque ſententiam reuocat.*

Iosephvs autem ſic habet.[c] *Ioramus*, inquit, *homicidæ filius miſit qui caput mihi adimat. Nunc aduentum eius obſeruate, vt dum erit pro foribus, opponatis vos, & obiectis foribus illum remoremini: mox enim rex ipſe aderit mandati iam pœnitens. Illi ita vt iuſſi ſunt, hominem venientem excludunt: moxque Ioramus ad ſe reuerſus, & veritus ne cædes acceleraretur, quantum potuit ad Eliſæum properat, interuentu ſuo cohibiturus miſſum à ſe hominem, & vatem periclitantem ſeruaturus. Quo vt ventum eſt, incuſare eum cœpit, quod in tantis calamitatibus ſe cum ciuibus deſpiceret, nec vllum à Deo peteret remedium.* Hæc incuſatio prophetæ in ſcriptura non eſt, ſed diuini potius auxilij deſperatio. Quomodo ergo inuocabunt, in quem nõ crediderunt? ait Apoſtolus; [d] aut quomodo à Deo remedium petet, aut peti curabit, qui præ deſperatione nihil à Deo expectet amplius? Eſt enim aperta contradictio, nihil ab aliquo expectare, & nihilominus ab eo aliquid petere: quamquam ea vox, *quid amplius expectabo à Domino?* ab animo dubitante potiùs, quàm ſpe omni vacuo miſſa videatur.

c l. 9. Anti. cap. 2.

d Rom. 10. 14.

XVII. *Propheta ingentem vilitatem promittit.*

Dixit *autem Eliſæus, audite verbum Domini.* [e] Supponit hæc, & ſequens oratio, pleroſque cum ipſo rege in domum Eliſæi fuiſſe ingreſſos, quibus ipſe optatiſſimum nuncium, planeque inſperatum, & incredibile, Deo inſpirante pronunciat. Solus enim reuelare potuit, qui & perficere, intra paucas horas, ſummam rerum omnium vilitatem; vt intelligant Iſraëlitæ ſummam Dei optimi maximi potentiam, & inæſtimabilem eiuſdem in incredulos, & immerentes, benignitatem; atque ad eum relicta perfidia conuertantur, & beneficio maturè nunciato exhilarentur: illudque vero largitori Deo tribuant, non caſui, aut fortunæ. *Hæc dicit* Dominus. *In tempore hoc.* Septuaginta, hac hora, *cras modius ſimilæ vno ſtatere erit*, id eſt, ſiclo argenteo; *& duo modij hordei ſtatere vno, in porta Samariæ.* In Hebræo vtrobique habetur ſiclus: pro modio autem ſatum, ſicut in Chaldæo, & Ioſepho, & ſæpe in editionibus vulgatis. Septuaginta porro generale menſuræ nomen loco modij, vel ſati retinuerunt. Modius tamen Romanus, ſiue Italicus, proprie loquendo, non reſpondet ſato: nam ſatum continet 24. ſextarios; modius autem 16. Ideoque D. Hieronymus, & hoc loco Ioſephus aiunt ſatum con-

e 4. Reg. ca. 7.

*Cabus 4. Sextar. Modius 16. Satum 24.*

tinere vnum modium Italicum cum dimidio, vt pluribus docet Villalpand. [a] Satum ergo continet sex cabos: quoniam cabus [b] est quarta pars modij, vt ait Epiph. de mensuris: ex quo sequitur similam factam esse 120. partibus stercore columbæ viliorem. Satum enim 24. sextarios, siue quadrantes cabi continet, vt diximus, quorum singuli valebant quinque argenteis.

[a] tom. 3 2. par. l. 3 c. 10. [b] tom. 3 l. 3 c. 13. Villalp ex Rab. Salo. 14 Leuit.

XVIII. *An sibi particulariter notam.*

NON explicat propheta quem ad modum res esset euentura, & fortasse non illi amplius reuelauit Dominus, quàm quod verbis significabatur; maximam scilicet futuram postridie annonæ vilitatem, adeo vt in foro rerum venalium triticum, & hordeum tantillo pretio distraherentur. Quòd si forum erat extra portam Samariæ, in ea area, in qua rex Iosaphat, & Achab pridem considerant [c]: videtur etiam intellexisse hostem abiturum, obsidione soluta. Credibile tamen est totam rei historiam, cum omnibus suis circunstantiis, fuisse illi reuelatam, cum nonnullas earum tam distinctè prædixerit. Non enim solum dixit insignem à Deo imminere abundantiam: sed addidit locum, tempus, frumentum, mensuras, pretium; denique & circunstantias personarum, & illius qui communi beneficio, in suæ incredulitatis pœnam, fruiturus non erat.

[c] 3. Reg. 22. 10.

XIX. *Ducis vnius incredulitas.*

ITAQVE cùm ea vilitas omnem fidem superare videretur, *respondens vnus de ducibus, super cuius manum rex incumbebat, homini Dei ait. Si Dominus etiam fecerit cataractas in cœlo, nunquid poterit esse quod loqueris?* Tristatem vocant Septuaginta, in eadem significatione, qua τριστάτης: propriè is est qui tertio loco stat, quasi diceretur tertius à rege, vt Vatabus quoque notauit, aliqui triarium interpretantur: Iosephus autem tertiæ regiarum copiarum parti præpositum. Cataractas porro Pagninus, Vatablus, & alij, fenestras vertunt, in hanc sententiam: si Dominus faceret fenestras in cœlo, & per eas triticum deplueret, num posset esse tanta vilitas? Eleganter Iosephus. *Non credibilia, inquit, polliceris, mi vates, & sicut absurdum sit sperare simile, aut hordei pluuiam, ita nec quod tu dicis mihi sit verisimile.* Videtur alludere ad mannæ pluuiam, iuxta illud Dauidis [d]. *Mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.* Et rursum. *Et pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.*

τα τριστάτας. [d] Psal. 77. 23 24. 27.

XX. *Eiusque pœna.*

PROPHETA huic duci respondens. *Videbitis*, inquit, *oculis tuis, & inde non comedes*: in pœnam scilicet incredulitatis. Alios enim fidem habuisse prophetæ, atque adeo ipsum regem, satis innuit Scriptura, cùm vnum tantum, quasi vnus esset duntaxat incredulitatis reus, supplicio affectum refert. Idque affirmat Iosephus. *Propheta dictis*, inquit, *rex cum suo comitatu supra modum exhilaratus est, propter expertam toties prædictionum fidem; tum quoque nihil addubitans, & præsentem difficultatem spe futuri subleuans.* At, inquies, cum nullum hoc tempore miraculum ederet, quo doceret se propheticè nunc, & diuino afflatum spiritu loqui, non videbatur magna ab eo culpa, ideoque neque morte digna contrahi non credendo, nec multo maior quam si quis viro graui, quippiam valde absurdum narrãti non crederet. Verum, vt ait Tostat [e]: vir hic non solum verbis prophetæ abrogauit fidem, sed ne diuinitus quidem id fieri posse existimauit. Non enim negauit, rem fuisse reuelatam; sed ne à Deo quidem fieri posse, quidquid tandem ipse moliretur. Sapiẽter itaque Dominus permisit hominem videre promissam abundantiam, vt conuinceretur, nec tamen gustare passus est, vt per quæ peccat quis, per eadem & puniatur.

[e] q. 8. in c. 6

XXI. *Leprosi ad Syros transfugiunt.*

QVOMODO autem Deus fidem prophetæ liberauerit soluta obsidione, exactè Scriptura recenset. *Quatuor*, inquit, *erant viri leprosi iuxta introitum portæ, qui dixerunt ad inuicem, quid hic esse volumus donec moriamur? siue ingredi voluerimus ciuitatem, fame moriemur, siue manserimus hic, moriendum nobis est: venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ, si pepercerint nobis viuemus; si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur*; perinde erit, quia etiam alioqui eramus morituri. Rectè itaque ratiocinantur, & probè rebus suis consulunt isti leprosi. Nam indubitatam mortem, in incertam commutant, prout exigit recta ratio. quòd si illis æque certum fuisset se occisum iri à Syris, ac certum erat se fame perituros, si ad eos non adirent, manentes in suo loco, aut vrbem adeuntes, tum male ad Syros transfugissent: quia illic mortem duntaxat paterentur, sic autem ad propriam mortem non parum conferrent.

a 4 Reg. 7.5.

Svrrexervnt *ergo vesperi,* [a] *vt venirent ad castra Syriæ: cumque venissent ad principium castrorum Syriæ*, erant ea extra teli iactum, neque enim pugnare cupiebant, aut Samariæ muros euertere, contenti famem in vrbe pro ipsis pugnare. Putat Abulensis castra ad dimidiam leucam vrbe abfuisse. Cùm ergo venissent ad principium castrorum Syriæ, *nullum ibidem reperuerunt. Siquidem paulò ante Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi. Dixeruntque ad inuicem; ecce mercede conduxit aduersum nos rex Israel, reges Hethæorum, & Aegyptiorum, & venerunt super nos. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & equos, & asinos in castris, fugeruntque, animas tantum suas saluare cupientes*: Quæ scriptor sacer non aliunde, quàm ex diuina reuelatione didicit; non enim sonitus curruum, & equorum, multóque minùs verborum, quæ Syri protulerant, ab Israëlitis fuerant audita. XXII. Et eorum fugam agnoscunt. Et quo eam modo.

Nonnihil in hac Syrorum fuga vel mutat, vel distinctiùs habet Iosephus. *Ea nocte Deus Syros exterruit, immisso in aures eorum sonitu, quasi curruum, & armatorum aduenientium à Deo; vt crescente magis, ac magis suspicione, consternati è totis castris ad regem suum concurrerent, dicentes adesse reges à Ioramo conductos, regem Aegypti, & regem insularum: iam enim exaudiri eorum strepitum. Hæc nunciantibus Adadus credidit, quod & ipsi aures inani sonitu pulsarentur, vt cæteris; & per summam trepidationem omnes sine ordine ad fugam se expediunt, relictisque intra castra & equis, & iumentis, & diuitiis maximis, totam spem salutis in fugiendo collocant.* Sic ipse. Quàm multos credas Syrorum in desertis, & inuiis locis noctu oberrantes, in saltibus, & speluncis, vel belluarum dentibus, vel præcipitio, vel fame consumptos? quippe qui omnia à se abiecerant, quibus vel tueri se, vel nutrire potuissent: quàm multi, qui Iordanem attingere potuerunt, in eius transitu fluctibus hausti periere. Nam perpaucos de tanto exercitu nauigia ad traiectum inuenisse credibile est. XXIII. Ex Iosepho.

Viden' vt ludat in humanis diuina potentia rebus? Noluit Dominus in Syros ipsos duodecim Angelorum legiones immittere, sed inanem imaginationem, sed inconsultum, & irritum metum, sed ridiculum aurium tinnitum, vt fugerent nemine persequente, & timerent vbi non erat timor. Adeo vt nullum agnoscendi hostem, nullum resistendi consilium caperent, nullis præsidiis se satis munitos, nullis fossis, aut aggeribus satis vallatos, nullis armis satis tectos putarent; sed fuga præcipites auolarent, timorem in pectoribus, salutem in pedibus, hostem in auribus circumferentes. Recte porro Dominus nocturnum tempus, quod ipsum per se formidolosius est, ad hunc timorem immittendum elegit, quo Syri nec hostem venientem videre, neque sonitus veritatem explorare possent. XXIV. Deus in hostes suos illudit.

Qvos autem reges Hetheorum formidare possent nō satis apparet. Textus Hebræus, & Chald. vocat Chithæos; Græcus Chetæos. Respondeo duplices Chetæos, siue Cethæos in scriptura reperiri. Et alij quidem habent ח initio nominis sui, qui ab Hetæo filio Chanaam, filio Cham, filio Noëmi sortiti sunt nomen: [b] quos Scriptura passim Hethæos nominat, erantque vna de septem gentibus, quæ à principio regna Chanaam occupabāt, quorum hoc tempore vix vllæ reliquiæ inueniebantur, nedum reges cum populis suis: vt patet ex tertio Reg. [c] Vt propterea ibidem, cap. decimo extremo, reges Hethæorum, pro Cethæorum positi esse videri possint. Alij enim Cethæi per כ scribuntur, suntq; populi insulares, ab vno filiorum Iauam, filij Iaphet, filij Noë ita dicti: sic enim legimus Genes. 10.4. *Filij Iauan, Elisa, & Tharsis, Chetim, & Dodanim: ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam,* &c. De his Ierem. [d] *Transite ad insulas Cethim, & videte.* Quo nomine Cyprum, nobilem in mediterraneo insulam Iudæis vicinam, & adiacentes ei insulas intelligit; & per eas, vt ibi ait Theodoretus, & Hieron. partes Hesperias, & maris mediterranei incolas. Ezechielis 27.6. insulas Cethim interpres noster vocat insulas Italiæ. Et Daniel. 11. 30. vocat Romanos, quasi Dominos illarum insularum: & initio Machab. terra Cethim vocatur Græcia, siue Macedonia, vnde ortum duxit Alexander; quòd ea regio maxima ex parte mari, quasi insula, alluatur. De his ergo Cetheis, id est Cypriis, Cretensibus, aliisque insularibus hoc loco Scriptura videtur intelligenda: quo modo & Iosephus intellexit, qui regem Hetheorum regem insula-

XXV. Qui reges Hethæorū. Cethæi gemini.

b Genes. 10. 15.

c ca. 9. 20.

Cethæi insulares. Cyprus.

d c. 2. 10.

rum interpretatus est, quamuis in Hebræo per ה loco כ scribatur: sicut & 3. Regum, [a] vt paulo ante significaui. Sed redeamus ad leprosos.

*a ca 10 19. b vers. 5.*

XXVI. *Leprosi prædantur in castris.*

IGITVR cùm venissent, ait Scriptura. [b] *Leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt vnum tabernaculum, & comederunt, & biberunt; tuleruntque inde argentum, & aurum, & vestes, & abierunt, & absconderunt. Et rursum reuersi sunt ad aliud tabernaculum, & inde similiter auferentes absconderunt*, quod mox per otium tollerent, & domum deferrent. Nondum autem putabant Syros fugisse, alioqui enim non absconditissent prædam, sed libere ea se onerantes, domum deportarent, aut si quid absconsuri erant, antequam hostium fugam nunciarent, discurrissent per castra, vt aurum tantum, & argentum, & si qua alia erant preciosissima, absconderent, quæ sibi haberent, præter ea, quæ mox propter bonum nuncium, à rege accepturi erant; & non vestes, & id genus alia. Licita autem fuit ista deprædatio, quam belli iustitia, & cibi necessitas ab omni culpa purgabant. Cæterum bis tantum collectam prædam à leprosis Scriptura refert, Iosephus autem quater; in Græco enim τετράκις habetur.

XXVII. *Mox adeūt vrbem.*

DIXERVNTQVE ad inuicem, agnita inanitate castrorum. *Non rectè facimus*, quod soli fruimur hac lætitia, quæ toti vrbi communis esse debet. *Hæc enim dies boni nuncij est. Si tacuerimus, & noluerimus renunciare vsque mane, sceleris arguemur*, qui quietem nostram communi bono, in tantis omnium angustiis, prætulerimus, cùm interim aliqui perire possint; nec tamen in culpa se esse putant ob delibatam prædam; erat enim primo occupantis, saltem quandiu res erat ignota; eiusque rei signum est, quod non fuit præda authoritate publica distributa, sed vendita ab iis, qui eam rapuerant, *pura modius similæ statere vno*, &c. *Venite* ergo inquiunt, *eamus, & nunciemus in aula regis*, vt ab eo statuatur quid fieri placeat. Cumque venissent ad portam ciuitatis, narrauerunt eis dicentes; *iuimus ad castra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos, & asinos alligatos, & fixa tentoria.*

XXVIII. *Et castrorum inanitatem nunciant.*

HÆC cùm ad ianuam audita essent, qui ad eam excubabant, iuerunt ad palatium regis, eique nunciarunt, quæ leprosi retulerant. *Qui surrexit nocte, & ait ad seruos suos. Dico vobis quid fecerint nobis Syri. Sciunt quia fame laboramus, & ideo egressi sunt de castris, & latitant in agris, dicentes, cùm egressi fuerint de ciuitate capiemus eos viuos, & tunc ciuitatem ingredi poterimus.* Rectè conuciebat rex structas Israëlitis à Syro insidias, quòd speraret ea ratione cito debellatum iri; cùm alioqui obsidio posset in longinquum adhuc tempus trahi, propter obsessorum pertinaciam. Accedebat & alia vtilitas, quod plurimam seruorum turbam acquisituri erant, occupata ciuitate, qui perituri erant fame, priusquam deditionem facere persuaderi possent. [c] Itaque videbatur rex insidiarum metu obsidionem tolerare velle.

*c Abul. q. 30 in c 7. 4. Reg.*

XXIX. *In ea mittuntur exploratores.*

RESPONDIT *autem vnus seruorum eius: Tollamus quinque equos, qui remanserunt in vrbe, quia ipsi tantum sunt in vniuersa multitudine Israel, alij enim consumpti sunt*, in cibum enim conuersi, nutrierunt dominos suos. *Eligat ergo Rex quinque viros fortes*, qui iis insideant, & rem omnem explorent. Rab. Chimki interpretatur. Accipiantur aliqui è quinque equis, qui reliqui sunt apud nos. Variat etiam hic Iosephus, & à Scriptura discedit: *Hoc consilium regis quidam laudauit vt prudens, additque sibi videri mittendos duos equites*, Scriptura quinque dixit, *qui omnia Iordanem vsque explorent: qui si forte intercipiantur, cautiores fore cæteros, ne & ipsi temere progressi circumueniantur; nec duorum equitum fore grauem iacturam, quos fortassis alioquin fames absumeret.* Visum tamen est regi vt duo tantum mitterentur.

XXX. *Via cōstrata spoliis.*

ADDVXERVNT *ergo duos equos*, in Hebræo est *duos currus equorum*, id est duos equos curules. Septuaginta δύο ἐπιβάτας ἵππων, duos ascensores equorum, id est equites expeditos, forte significatur equos duos è regio curru sumendos, & suspicioni fauet, quod rex ipse loquitur: sequitur, *misitque rex in castra Syrorum dicens, ite & videte. Qui abierunt post eos, vsque ad Iordanem. Ecce autem omnis via plena erat vestibus, & vasis*, bellicis videlicet, id est armis, vt Iosephus quoq; interpretatur, *quæ proiecerant Syri cùm turbarentur*, vt scilicet expeditiores fugerent, nec eis grauati, tardatique facile ab imminentibus à tergo opprimerentur. Non enim in castris tantum terrificus ille sonitus curruum, & equorum aduentantium auditus est, sed magis, magisque inclarescebat, hostemque viciniorem, & tantum non dorsa fodicantem fugientium, clamabat. Nam si in castris tãtum perstrepuisset

ille sonus, respexissent ipsi se, hostemque subsequentem, & nemine apparente rediissent in castra; nihilque damni præter inanem metum sensissent. At perseuerante sonitu, crescentéque, ob æstimatam hostis vicinitatem, metu, quæcumque raptim à castris abstulerant, vt aurum, argentum factum, infectúmque, vestémque necessariam, obuiaque arma; (nam equis ne frena quidem inücere præceps permiserat pauor,) ea omnia, vt celeriùs currerent, abiiciebant.

XXXI. *Cur non redierint in castra Syri.* AT, inquies, vt tota nocte insani cucurrerint, eosque tenebrarum amicus metus, quasi œstro, aut stimulis cruentarit, certe aurora micante inanem metum agnoscere potuerunt; seque præstigiis quibusdam delusos, ac compulsos ad fugam; cur non tunc saltem ad castra reuersi sunt? An quia, vt in huiusmodi fuga contingit, dispersi erant? & quo quemque impetus tulerat, aut spes salutis, eo præcipites auolarant, vt iam exercitus in vnum cogi non posset? An eos vsque adeo nocturna, continens, concitaque fuga fatigauerat, vt necessario quiescendum esset? An sub lucem paulatim remisit sonitus, & Syri arbitrati sunt illos se cum Samaritis ad occupanda castra, spoliandaque recepisse, idque perfectum iri, priusquam ipsi ad castra peruenire possent? se nunc rebus omnibus, atque adeo animis ad pugnam imparatos, quibus illi nunc abundarent? Denique Deum Hebræorum cogitare potuerunt, à quo delusi nunc tantùm, & fugati essent; cuius populum si insectari pergerent, illatam ille in montibus, vallibusque cladem redintegrare posset.[a]

[a] Abul q. 56.

XXXII. *Israëlitæ castra Syrorum populantur.* REVERSIQVE nuncij nunciauerunt regi, quid in castris, quid toto itinere Iordanem vsque reperissent; & videlicet incredibili gaudio populum semiuiuum compleuerunt. *His auditis*, ait Iosephus,[b] *Rex multitudinem ad castrorum direptionem emittit, nec fuit vulgaris præda, sed auri, & argenti plurimum, & varia iumentorum genera: præterea tantum inuenerunt frumenti, atque hordei numerum, quantum nec in somnis sperare poterant, vt mox omnes præteritæ famis obliuio caperet. Tanta enim fuit abundantia, vt duo sata hordei siclo emerentur, & eodem pretio satum similæ, iuxta Elisæi vaticinium. Satum autem continet modium Italicum, & dimidium*, nimirum 24. sextarios, vt ante dixi:[c] cùm modius habeat tantum sedecim. Fortasse autem hanc illi prædam ex toto regno Israëlitico ante corraserant, & ad sua castra conuexerant.

[b] 19. c. 2.

[c] Num. 17.

XXXIII *Mors ducis iuxta vaticinium.* QVOMODO porro expletum sit circa ducem illum prophetæ vaticinium, sic Scriptura enarrat. *Porro rex ducem illum in cuius manu incumbebat, constituit ad portam:* siue vt in omnem euentum, hostium alicubi latitantium repentinam arceret irruptionem, siue *vt cohiberet proruentis multitudinis impetum, ne se inuicem conculcando obtererent*, vt ait Iosephus, *hoc ipse passus est, atque ita interÿt, vt solus ipse hac copia non sit adiutus, qui prænuncianti prophetæ annonæ abundantiam, credere noluisset.* Itaque, Iosepho interprete, Elisæus non tam prædixit ducem hunc visurum venditionem, & pretij vilitatem, quàm abundantiam; prius enim videtur irrumpentis populi prostratus impetu, atq. protritus, quàm annona venalis exponeretur.

XXXIV. *Finis belli.* HVNC habuit exitum Samaritana obsidio, quam tamen Iorami, & Israëlitarum conuersio non est consecuta, etsi non dubium sit Elisæum, tanti miraculi, & beneficij occasione, muneri suo, in rege, & populo ad Dei cultum reuocando, minimè defuisse. Sed miracula omnia, & beneficia Dei in maiorem illis ingrati, & impij animi condemnationem cesserunt. Id cum omnibus Israëlitarum regibus æque contigerit, illa vtique incessit animos eorum formido, quæ Ieroboamum à principio tenuit, si Hierosolymis duntaxat Deum colere liceret, regnum decem tribuum dilapsum iri, & ad Iudam tribus omnes facile redituras.

## ANNVS MVNDI 3149. DILVVII 1493. QVINTÆ ÆTATIS 210. FVNDATI TEMPLI 127. IORAMI REGIS IVDÆ 7. IORAMI REGIS ISRAELIS 11. AMARIÆ PONT. 12. ELISÆI PROPHETÆ 11. TROIAE DELETÆ 279. OPHRATANIS 26. IMPERII ASSYRIORVM 1218.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 904.

I. *Sextus annus famis.* SEXTVS eſt hic annus prædictæ ab Eliſæo famis, quæ Iſraëlitarum regnum afflixit. Etſi enim Samaria obſidione ſoluta releuata erat, non tamen propterea totum regnum neceſſariis rebus abundabat, quòd miſerè à Syris paulò ante fuiſſet expilatum. Quamquam ſi quis obſidionis ſolutionem ad tertium annum, ex quo cœpta eſt protrahendam putarit, ei non magnopere repugnarim, modo ad tertium quoque annum differat illam infantis deuorationem, quæ cum ſolutione prorſus coniuncta eſt.

II. *Ægritudo Benadadi.* SVB huius anni initium, vel certe præcedentis extremum, morbum Benadadi regis Syriæ, ex quo denique mortuus eſt, credimus contigiſſe. Nam poſt ignominioſam Samaritanæ obſidionis ſolutionem, & exprobrabilem fugam, in morbum incidit, & quidem, vt apparet, ſatis diuturnum, vt qui mœrore langueret, vt mox dicetur. Sunt qui in ſequentem annum mortem eius differant, Iorami Iſraëlitarum regis duodecimum, quo conſtat Hazaëlem Syris imperaſſe. Sed nihil vetat quo minus & illius mortem, & huius regni principium in hunc ipſum annum coniiciamus, cùm neutrius anni in Scriptura tradantur, nec appareat illius morbum tamdiu duraſſe, vt æger ad annum ſequentem peruenerit; cùm præſertim acceleratam illi mortem ab Hazaële ſucceſſore, Scriptura ſignificet. De eius morbo, eiuſque cauſa Ioſephus hæc admodum probabiliter narrat.[a]

III. *Eius cauſa.* REX *autem Syrorum Damaſcum reuerſus incolumis, vbi cognouit diuinitus immiſſo terrore, ſe vna cum exercitu in fugam coniectum, & vanum fuiſſe, quod de aduentu hoſtium crediderant, ratus omnino aduerſum ſe habere Numen, per animi ægritudinem in morbum etiam corporis incidit.* Et ſanè non parum hæc cogitatio momenti habuit, in mente hominis, licet à Deo alieni, vt qui eum mox cõſulendum putarit; quiq; iã experientia didiciſſet, quanto ſibi cum aduerſario res eſſet, qui hoſtes populi ſui in montibus, vallibuſque affligeret, qui quantumuis numeroſos deleret exercitus, qui nutu vrbium hoſtilium mœnia in præceps daret, qui aduerſariorum conſilia euulgaret, atque irrita redderet, ipſumque robur exercitus cæcitate percuſſum, hoſtium permitteret poteſtati; qui denique proximè, diuturnam obſidionem pudendo fine, atque execrabili fuga clauſiſſet; quæ cùm generoſis hominibus acerbiſſima ſit, inſtar mortis eſt principibus viris. Accedebat ingens iactura diuitiarum ſuarum, quibus hoſtes, cum eius irriſione fruebantur, cum ipſi nudi, atque inermes, curſu, fame, pauore, fatigatione confecti aufugiſſent, domumque irriſi reuertiſſent.

IV. *Eliſæus venit Damaſcum, & cur.* INTEREA *venit Eliſæus Damaſcum*, vt dicitur in 4. Reg.[b] *Et Benadad rex Syriæ ægrotabat; nunciaueruntque ei dicentes, venit vir Dei huc.* Aduentus cauſam Scriptura ſubticuit; creditur tamen Dei monitu, ad inungendum Hazaëlem in regem Syriæ, veniſſe. quod ante 24. annos Helias in mandatis acceperat:[c] & per diſcipulum ſuum Eliſæum videtur expleuiſſe hoc tempore, quo diuinitus cognouit Benadad eſſe moriturum. Id confirmatur ex eo quòd mox Scriptura narrat Eliſæum Hazaëli regnum Syriæ, & quidem cum lachrymis, prædixiſſe; quid ergo vetat dicere etiam inunxiſſe, cùm id nominatim à Deo fuiſſet imperatum, iam ab ipſo ſeptimo Ioſaphati anno. Vbi diximus videri probabilius factam ab

a l. 9. ant. c. 2.
b c. 8. 7.
c 3. Reg 19. 15.

Elia declarationem Hazaëli, ipsum regem fore, quam collatam vnctionem. Adde postremo Chronicum Hebræorum, in quo asseritur Elisæum abiisse Damascum, ibique vnxisse Hazaëlem regem Syriæ.

NIHIL autem adiit periculi Elisæus adeundo Damascum, non solùm Deo prophetam suum in terra hostili protegente, sed quod illi partim sibi timebant à discipulo eius, qui ignem deuocabat de cœlo, quique magistri spiritum duplicem acceperat, & bestias suarum iniuriarum habebat vltrices; partim autem eum diligebant, à quo ita erant in periculum adducti, vt beneuolè recepti, & à certissimo interitu liberati essent, partim denique viri virtutem, & sanctitatem reuerebantur, sibique ignominiosum putassent, non virum aliquem militarem, sed religiosum, & prophetam Dei, iniuria vlla, nedum supplicio affecisse. Quinetiam rex ipse tanto eum in pretio habebat, vt ne auderet quidem ipsum ad se, quamuis vltro in eandem vrbem tunc venientem, accersere; veritus fortasse ne is domum hominis alienos colentis deos subire nollet, sed eum perhonorifica legatione consuleret, vocaret patrem, magnisque muneribus honoraret. V. *An periculum adierit.*

a 4. Reg. 8. 8. ET *ait rex ad Hazael,* [a] *tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei.* Agrum ille quidem Damascenum iam adierat, vrbem tamen ipsam nondum attigerat, etsi paulò ante dicatur venisse Damascum, prouincia primariæ vrbis nomine intellecta. Pergit. *Et consule Dominum per eum dicens, si euadere potero de infirmitate mea hac. Iuit igitur Hazael in occursum eius, habens secum munera, & omnia bona Damasci, onera* 40. *camelorum.* Nihil significat Scriptura, aut Iosephus, an huiusmodi munera receperit Elisæus. Illud certe constat, si recepit, mero beneuolentiæ nomine, non in mercedem diuinæ prophetiæ recepisse. Et sanè videantur non fuisse à propheta repudiata: alioqui enim tanta, tamq; pretiosa dona reiecta, Scriptura sine commendatione non præteriisset. Nam qui olim Samuelem cum Saule adiit [b] consulturus Videntem, satis significat non solùm prophetis aliquid offerri solitum, sed etiam ab eis recepi. Nam si constaret nihil recipi, non fuisset Saul de oblatione solicitus. VI. *An munera admiserit.*

b 1. Reg. 9. 7.

RECTIVS tamen fuerit cum Tostato existimare non fuisse recepta. Primum ne religiosam paupertatem, quam adamabat, ac profitebatur, tot, tantisq; muneribus violare videretur, & cæteris eius cultoribus, suisque discipulis esset offendiculo. Nec res specie, atque opinione simoniæ caruisset: cuius vitandæ gratia Naamani munera postea repudiauit; à quo tamen potius accipere licuisset, qui ea titulo gratitudinis, accepta iam sanitate, obtulit. Hic autem offerebat antequam responsum ab Elisæo accepisset: at quæ præcedunt collatam gratiam, auaritiæ potius suspicionem mouent, quam quæ sequuntur. Eandem mouet magnitudo munerum, cùm modica res loco pretij haberi non possit. Neque satis vulgo probaretur, ab eo accipi munera, in quem nihil beneficij contuleris aut collaturus sis. Nam quod Samuelem legimus accepisse, tam exiguum fuit, vt pretium operæ propheticæ æstimari non posset. Scriptura deniq; tacuit repudiata munera, à viro sancto, cultore paupertatis, quòd id per se minimè obscurum esset. VII. *Non videri.*

CVMQVE *stetisset coram eo ait, filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te dicens; Si sanari potero de infirmitate mea hac? Dixitque ei Elisæus; vade, dic ei, sanaberis. Porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur.* At, inquies, quid quæso est mentiri, si hoc non est? Quid est inducere alterum ad peccandum, si Hazaëlem propheta non inducit? Nec satis euadit Iosephus cum ait, prophetam nuncio nihil mali renunciare iusso, tamen moriturum regem indicasse, quasi diceret. Celabis tu quidem veritatem arbitratu tuo, certum tamen habeto, eum moriturum. Non satisfacit, inquam, huic difficultati, cùm Scriptura disertè dicat, *dic ei, sanaberis*; vel ad verbum, *viuendo viues*, quomodo etiam habent Septuaginta, & Chald. Vatablus ait quosdam Hebræorum subaudire negationem, viuendo non viues; est quidem in Hebræo, *dic non*; sed illud *non* volunt Rabbini positum pro ei, id est, lo לא, quod est *non*, pro lo לו, quod est ei, vt notat Sa, qui hoc modo explicat; potes quidem ei dicere, quantum ad vim morbi attinet, non esse lethalem, reuera tamen Dominus ostendit mihi eum esse moriturum; quæ satis commoda est multorum explicatio. Nec tamen absurdum puto interpretari illud *vade*, VIII. *Colloquium Hazaelis, & propheta.*

& *dic ei*, quasi dictum esset, vades, & dices ei, nolens scilicet esse mali nuncius. Sic Dominus dixit spiritui malo [a] qui pseudoprophetas decepturus erat, *egredere, & fac ita*. Vel, dic ei, si volueris, eum curatum iri, nihilominus ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.

a 3. Reg. 22. v. 22.

IX. *Flet Elisæus.* STETITQVE *cum eo, & conturbatus est, vsque ad suffusionem vultus*; siue immutationem, lachrymarũ indicem. Videtur alludere Hieronymus ad suffusionem oculorum, quæ est humoris in oculis collectio: verum dubium est quis steterit, & quis conturbatus fuerit, Hazaëlne, an propheta. De Hazaële accepit Iosephus. *His auditis*, inquit, *regius famulus dolore affectus est*. Accipiunt & Septuaginta Complut. & regia. Sic enim habent. *Et stetit Hazael ante faciem eius, & apposuit coram eo munera, donec confusus esset*. Verum Septuaginta Sixti ad Elisæum referũt, sicut Abulensis, & Vatablus, qui ait virum Dei auertisse faciem suam, volentem cõtinere se à lachrymis, & dissimulare mœrorem animi sui, appositis ad vultum manibus, sed tandem lachrymas erupisse, vnde subditur, *fleuitque vir Dei*. Et sine dubio hanc sententiam magis exigit editio vulgata, quæ proximè ante Elisæum nominarat, & proximè post virum Dei nominat, vnde propheta facile intelligi potest, durè, & coactè Hazael.

X. *Causa lachrymarũ.* ANIMADVERSIS autem prophetæ lachrymis Hazael ait. *Quare Dominus meus flet? At ille dixit, quia scio quæ facturus sis filiis Israel mala.* [b] *Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* Dira crudelitas in personas imbelles, & innocentes: præsertim cum vnica cæde, duæ personæ tollerentur è viuis. Et hoc tantum flagellum suscitauit Dominus in populum, Dei sui desertorem, si fortè resipisceret. Hæc in sequentibus bellis contigisse oportet; neque enim falsa fuit, & irrita prædictio; sed facta nihilominus fuerunt liberè, nec tamen erant necessariò, sed omnino & infallibiliter, vt aiunt, euentura. *Dixitque Hazael; Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam?* Quasi diceret; quomodo id ego possum, qui instar canis abiectissimus sum? Iosephus tantum. *Vnde mihi vires, vt hæc faciam? Et ait Elisæus: Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.* Hic autem commodè fieri potuit Hazaëlis inunctio, & facta videtur, vt diximus.

b Vide infrà an Iehu 1 nu. 3 & 4.

XI. *Mors Benadad.* QVI *cùm recessisset, venit ad Dominum suum, qui ait ei, quid dixit tibi Elisæus? At ille respondit. Dixit mihi, recipies sanitatem. Cumque venisset dies altera tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit supra faciem eius.* Stragulum interpretatur Chaldæus operimentum villosum. Pagninus pannum è pilis caprarum. Iosephus rete madidum, quo iniecto eum suffocauit, longè abit à textu, & à veritate. Kimhi ait Hazaëlem pannum madefactum regi porrexisse, quasi febricitatem refrigeraturum; re autem vera suffocare voluisse, itáque fecisse: alij per imprudentiam malunt tam regis petentis, quam Hazaëlis porrigentis mortem contigisse; In summa mortuus est Benadad, *& regnauit Hazael pro eo.* Quamdiu verò regnauerit Benadad vix colligi è scriptura possit, præsertim cùm non desint, qui plures eodem nomine in Syria reges dictos putent. Scribit enim Vatablus [c] existimare doctiores Benadad fuisse commune nomen regum Syriæ, vt Pharaonem regum Ægypti. Id tamen certo affirmare possumus, si vnus, & idem fuit Benadad qui nunc mortuus est, & qui primum sub 17. annum regni Asæ memoratur [d] eum ad 6. & 50. annos regnasse, quod minime absurdum est.

σίκτρον δασὺ.

c 4. Reg. 6. 28.

d 3 Reg. 15. 18. 24. Asæ. 25. Iosaph. 7 Ioram. 36.

XII. *Palatium Benadad.* HIC priusquam abeamus à Syria non erit, opinor, ingratum lectori audire Beniaminum Iudæum in suo itinerario palatium Benadadi memorantem. *Est* inquit, *in Damasco vrbe, Israelitarum synagoga, quam illi Gumagh Dumesque, hoc est Damasci Moschæam vocant, cui simile ædificium nusquam terrarum conspicitur. Dicitur autem ab incolis fuisse palatium regis Benhadad. Estque illic murus vitreus magorum opere constructus, foraminibus distinctus, dierum solis numero paribus, ita vt singulis diebus sol singula foramina subiens, gradus duodecim, horis diei aptatos perambulet; atque ita tempus indicet annuum, ac diurnum. Sunt autem intra palatium ipsum ædes, siue balneola ex auro, argentoque constructa; in quibus solium simili materia est, magni dolij instar, itaut tres homines lauantes simul capiat*, tot videlicet seculis tanta vis auri atque argenti ibi intacta? *Credat Iudæus apella, Non ego.* Sed relicta ad tempus Syria, regnum Iudæ inuisamus.

XIII. *Quo loco essent res Iudæ.* NON meliore fuerunt conditione Iudæi, quàm Israëlitæ. Nam rex ipse [e] ex-

e 2. Par. 21. 15. 19.

quisitissimis

quisitissimi, viscerum in dies computrescentium tormentis excruciabatur, vitalibus paulatim, & per singulos dies ex altis vlceribus egredientibus, vt nec publicæ rei vacare, nec sui satis compos esse posset; ostendente Domino quantum displicuisset ipsi barbara illa crudelitas, qua eisdem visceribus effusos fratres nefarie sustulisset. populus autem longè grauissima clade affectus est à Philisthæis, & Arabibus.

2. Par. 21. 16 Hvivs belli causam, Deum scelera Iorami Iudæi vindicantem, Scriptura prodit. *Suscitauit*, inquit, *Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum*, qui in pœnis Hebræorum iampridē dormiebant, *& Arabum, qui confines sunt Aethiopibus* Habetur hoc loco aperte Æthiopia, alia ab ea, quæ trans Ægyptum est, quæ cum hac confusa, plerosque induxit in fraudem. Rem tamen humanitus intuentibus, gemini huius belli, siue exercitus causa non difficilè se offert, si meminerimus Lobnæ, & Idumæorum anni præteriti defectionem. Cùm enim Lobna vicina esset Philisthæis, Arabibus Idumæa, vtrique proximos suos ad bellum contra Iudam incitarunt; Iudæ calamitates suam pacem, & felicitatem verissimè interpretando. Florente enim regno, bellum cruentissimum tam Idumæis, quàm Lobnæis, vt perfidis, & transfugis, expectandum erat: sed iacente rege, & Deo populum, à quo impiè desertus fuerat, deserente, præda eorum fuerunt, quibus terrori esse debuissent. XIV. Belli causa.

Ascendervnt ergo isti *in terram Iuda, & vastauerunt eam, diripueruntque omnem substantiam, quæ inuenta est in domo regis, insuper & filios eius, & vxores; nec remansit ei filius, nisi Ioachaz, qui minimus natu erat.* Oportet ergo hosce Philisthæos, & Arabes, præter vastitatem toti regno illatam, etiam in regiam vrbem vel vi, vel deditione penetrasse, in ipsumque regium palatium; ibi enim erant regiæ opes, & filij, & vxores eius. Nisi fortè hæc domus regis, cum familia ipsius extra ciuitatem fuit, quando Hierosolymorum hoc loco Scriptura non meminit, sicut nec cædis vxorum, aut filiorum eius; meminit tamen infra [a] filiorum interfectorum à latronibus Arabum in castra irruentibus Vbi autem fuerint tum posita huiusmodi castra non satis liquet: nisi fortè apud Idumæos, contra quos, post defectionem, arma mouerat Ioram, ibique exercitum in castris, & in armis esse voluerat, ad Idumæos vexandos, atque edomandos. Sed Arabes ab Idumæis, vt diximus, exciti, irruentes in castra, regis filios, cum plerisque aliis occiderunt, occisas etiam regis vxores tradit Iosephus. [b] *Nec multo post*, inquit, *exercitus Arabum, qui versus Aethiopiam incolunt, cum aliis barbaris Iorami regnum inuadit, qui & regionem omnem, & ipsam regiam diripuit, iugulatis etiam vxoribus eius, ac liberis: vnicus tantum fuit superstes, ægrè elapsus è manibus hostium, Ochosias.* Sic Iosephus. XV. Clades Iudæ, & Iorami.

a 2. Paral. 22. 1. (marg.: 1. Paral. c. 22. 1.)

b lib. 9. c. 3.

In quo si quis clarissimum Dei iudicium non animaduertit, plane cæcus est; qui non videat hosce barbaros, cæde filiorum regis, regiorum fratrum manibus parentasse; & ei qui interfectorum fortunas, vt assolet, proprio fisco addixerat, proprias abstulisse. Et insuper, ne deesset epimetrum, eius vxores, prius fortasse violatas, ritu barbarico iugulasse. Nec tamen dixit insipiens in corde suo; *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Post hanc publicam calamitatem, regem in morbum incidisse Iosephus ait; sed profectò nimium seram eius ægritudinem facit, quæ alioqui biennio non durasset, vel nimis Philisthæum hoc, & Arabicum bellum accelerat, nec ei satis temporis ab Idumæorum defectione, & regis contra eos expeditione tribuit. XVI. Iudicium Dei aduersus Ioramum.

Psal. 118.

Hoc ipso anno exeunte, videns Ioramus se atrocissimo vexatum morbo, qui omnem curationem, aut leuationem respueret, proptereáque se in dies deficere, nec Reip. negotiis vacare posse, Ochosiam, vnicum sibi filium diuinitus relictum, propter Dauid seruum suum, cui fiebat hæc gratia, regem declarat, & successorem; quod non ita multo post sub initia anni sequentis contigit: sicque facile conciliamus duo Scripturæ loca, ad speciem repugnantia. Nam in 4. Regum [c] dicitur Ochosias regnare cepisse anno 12. regis Israël: at capite 9. versu 29. dicitur anno vndecimo Ioram filij Achab regnare cœpisse. Nimirum hoc anno, qui est 11. regni Iorami filij Achab, regnare cœpit Ochosias cum patre Ioramo, qui iacebat in tormentis. Sequenti autem anno, qui est duodecimus, mortuo patre, solus regnauit in regno Iudæ. XVII. Ochosiæ regnum.

c c. 8. 25.



ANNVS MVNDI 3150. DILVVII 1494. QVINTÆ ÆTATIS 211. FVNDATI TEMPLI 128. IORAMI REGIS IVDÆ 8. IORAMI REGIS ISRAELIS 12. AMARIÆ PONT. 13. ELISÆI PROPHETÆ 12. TROIAE DELETÆ 280. OPHRATANIS 27. IMPERII ASSYRIORVM 1219.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 903.

I. *Res anni huius. an. Sabbat. 81.*



MVLTA in hunc annum cadunt, qui sabbaticus est ordine octogesimus primus, quæ diligenter digerenda sunt, suoque ordine enarranda, ne veritas, imperitia narrantis, careat probabilitate; & primum quæ ad Iudam pertinent videamus. Moritur Ioram, regnat Ochosias, nascitur ei regni successor Ioas, pugnat contra Hazaëlem, inuisit regem Israëlis.

In Israele initur fames; redit è peregrinatione Sunamitis, suaque recuperat; mittitur Naaman a Syro, & sanatur ab Elisæo. Ioram renouat bellum contra Syros, ob ciuitatem Ramoth Galaad, in pugna vulneratur, ægrotat in Iezraël. Mors autem eius, & Ochosiæ regis Iudæ, qui eodem tempore occisus est, ad initia prima anni Iehu videtur differenda, vt distulit Torniellus.[a] *a An. 129. 5. Æt.*

II. *Mors Iorami, & ratio temporu.* QVOD ergo ad mortem Iorami attinet, eam eleganter Scriptura enarrat,[b] *cum*, inquit, *dies succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita vt egereret etiam viscera sua, langore pariter, & vita caruit*: integros etiam annos duos infirmum fuisse Ioramum Hebræa, & Græca volumina consentiunt. Cùm autem hic annus integer non fuerit magna enim pars eius ad Ochosiam pertinet, etsi Ioramo tribuatur; sequitur eum magnam partem octaui, qui totus ei tribuitur, ægrotasse; sequitur quoq; Ochosiam, qui vnum annum regnasse dicitur, non augere Chronologiam regum Iuda: quia prior pars anni, qua cum patre regnauit, patri tribuitur: posterior autem anni pars, qua mortuo patre regnauit, in vltimo patris anno numeratur. Nam Scriptura vtrumque Ioramum, & Ochosiam alterius filium, eodem anno mortuos esse testatur. *b 2 Paral. 21.19.*

III. *Morte, & vita infelix.* NEQVE vero Ioram morte felicior, quàm vita fuit. Nam ea in summa impietate, in publico scandalo idololatriæ, quod iterum in regnum inuexit, & aliis atrocibus sceleribus transacta, nec Deo per pœnitentiam in longa ægritudine requisito, id enim si factum fuisset Scriptura minimè tacuisset: vtique subsecuta est mors, quæ ad æterna supplicia aditus fuit: corpus autem eius contumelia affectum est, hoc ipso quòd regum sepultura caruit. *Mortuusque est*, inquit sacer historicus,[c] *in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundùm morem combustionis exequias, sicut fecerat maioribus eius.* Et mox. *Ambulauitque non rectè, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid; veruntamen non in sepulchro regum.* Iosephus autem.[d] *Id malum*, inquit, *in ventrem eius ingruit, vt manifestè diuinæ iræ iudicio miserabiliter periret, videns quotidie per ventrem intestina defluere.* Author operis imperfecti apud Chrysostomum, ait Ioramum ante biduum mortis suæ, intestina sua putrefacta iactasse. Addit Iosephus. *Quin & populus insultauit eius cadaueri; facile ex tali eius morte coniectans, quàm inuisus Deo fuisset: nec enim regio funere dignatus est, nec paterno intulit monumento.* *c 2. Par. 21. 19.* *d l. 9. c. 3.*

IV. *Etiam populo execrata.* EXHORRVIT videlicet populus attingere, aut videre fœdum cadauer, altis vlceribus plenum, totum vndique sanie purulenta diffluens, vermibus haud dubiè scatēs, & fœtore, vt assolet, latè grassante, intolerabile. Nec iniuria recusauit honorare corpus, quod in vita & morte factū fuisset diuinæ indignationis obiectū, ne summæ illi diuinæ iustitiæ repugnare videretur. Laudarūt Deum potius,

qui, utique erant veræ pietatis cultores, qui tantam pestem, quam pius Iosaphat futurorum inscius collocarat in solio suo, è viuis sustulisset. Nondum tamen diuinam in regnum Iudæ iram, Ioramo sublato resedisse, Ochosias filius eius, & vxor Athalia, nequissimum caput, abunde docuerunt. Et de Ioramo hactenus, ad eius filium Ochosiam transeamus.

V. Regnum Ochosiæ regis Iuda, & quæ eius ætas.

Seqvitvr hic grauissima, celeberrimáque difficultas circa Ochosiæ ætatem, qui nunc statim à Iorami patris morte solus regnare cœpit, quæ præclara doctorum ingenia sæpe, & vehementer exercuit. Ea in conciliandis duobus Scripturæ locis posita est, quæ primum proferenda sunt; sic autem habent. *Constituerunt*, inquit scriptor libri Paral. [a] *Habitatores Ierusalem Ochosiam filium eius minimum*, Iorami videlicet filij Iosaphati, *regem pro eo: omnes enim maiores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra; regnauitque Ochosias filius Ioram regis Iuda. Quadraginta duorum annorum erat Ochosias cùm regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem.* Et hoc modo legitur in Hebræo, & in Septuaginta regiis, & Complut. Cætera verò Græca omnia aiunt Ochosiam viginti, vel viginti duorum annorum fuisse, cùm regnare cœpit. In 4. autem regum, [b] sic legimus. *Anno duodecimo Ioram filij Achab* (qui præsens est annus) *regis Israel, regnauit Ochosias filius Ioram regis Iuda. Viginti duorum annorum erat Ochosias, cùm regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem* Eundem numerum viginti duorum annorum, habent Hebræi cod. & Chaldæus Paraph. & Septuaginta regia, Complut. Sixti, & passim omnia.

a Paral. l. 2. c. 22. 1.

b c. 8. 25.

VI. Ratio difficultatis.

Perspicva est hoc loco antinomia: etenim quomodo fuit Ochosias annorum viginti duorum, cum regnare cœpit, si erat quadraginta duorum? Quomodo alteruter locus mendosus non est? Apparet autem magna in Chronologia 2. Paral. absurditas. Si enim Ioram pater Ochosiæ, vt paulò ante Scriptura retulit, triginta duorum annorum erat, cùm regnare cœpit, & regnauit octo annis, quadraginta tantum annis vixit; quomodo filius eius, qui ei immediate successit, quadraginta duorum annorum erat cùm regnare cœpisset? id est biennio senior proprio patre; vt notauit Rab. Iose. in Chron. Hebr. c. 17. & D. Hieronymus in 2. Paral. c. 22. eamque quæstionem affirmat valde esse perplexam, vt res ipsa loquitur.

VII. Explicatio Hebræorũ. improbatur.

Diversi diuersimodè hunc nodum explicare conantur. Primo Hebræi in suo Chron cap. 17. aiunt hos annos 42. Ochosiæ numerandos esse, à tempore contractæ affinitatis cum familia Achab: cui sententiæ consentit Genebrardus in Chronol. At quid hoc ad annos vitæ Ochosiæ, de quibus agimus? deinde affinitas inita non est Iosaphato ducente filiam Amri, vt illi sine vlla probatione asserunt, sed Ioramo ducente Athaliam filiam Achabi, vt supra non semel demonstrauimus: ex quo non quadraginta duo anni, sed viginti tres tantummodo numerantur. Non animaduerterunt filiam pro nepte sumi, cùm Athalia dicta est Amri filia, [c] quæ neptis erat. Secundo D. Hieronymus in quæstionibus Hebr. in 2. Paral. ait Ioramum vixisse annos quadraginta, & regnasse annos vigintiocto. Octo quidem, antequam fratres occideret, cùm adhuc innocenter viueret. *Viginti verò anni*, inquit, *quibus regnauit, ideo à numero eius auferuntur, quia in langore, & tribulatione deduxit eos: ideo filio eius tribuuntur, qui non amplius, quàm viginti duos annos habens regnare perhibetur, ne de numerorum summa remanentes, errorem indagini temporum facerent.* D. Hieronymum ex parte secutus est Vatablus. [d] Nam ait Ioramum fuisse regem viginti octo annos, sed eo viuente filium eius regnum administrasse viginti annis.

c 2. Paral. 22. 2. 4. Reg. 8. 26.

Hieron. ex ijsdem.

d 2. Paral. 21. 30.

VIII. Improbatur.

Vervm Scriptura vbique ei octo tantùm annos disertissimè tribuit, [e] vt de hac veritate ambigere non liceret; nusquam autem significauit vel vnum mensem, ne dum viginti annos ampliùs regnasse. Deinde si Ioram vixit quadraginta annis, vt ipse fatetur, & affirmat Iosephus, [f] & omnes consentiunt, & regnauit viginti octo, ergo duodecim annorum erat, cùm regnare cœpit, non triginta duorum, quod tamen Scriptura ter affirmauit; vel sexaginta, non quadraginta annis vixit. Constat præterea Ioramum sub ipsum initium regni sui, & mortem Iosaphati patris sui, fratres interfecisse, nō post octo annos, qui ne vno quidem die, saltem post mortem patris, innocēter vixisse perhibetur. Nec viginti annos

e 4. Reg. 8. 17. 2. Paral. 21. v. 5. & iterum in fin. eiusdem cap.
f l. 9. c. 5.

in langore traduxit, sed duos duntaxat; vt habetur in 2. Paral. [a] Denique vt ait Torniellus. Si Scriptura sacra viginti annos de regno Ioram substractos, eius filio Ochosiæ tribuere voluisset, ne Chronologiæ sacræ deessent, certè non eius vitæ, sed regno tribuendi erant, vt diceretur non vno, sed viginti, & vno anno regnasse: in Chronologia enim non vitæ, sed regni annos omnes numerant. [a c.21 19.]

IX. *Vatabli, & aliorum interpretatio.* TERTIA explicatio est Vatabli, & habetur apud Abulensem; [b] quem multi secuti sunt, vt Sa in hunc locum 2. Paral. Azor. [c] Gordon 1. tom. Chron. [d] Vt Ochozias regnauerit cum patre 20. annis, solus autem post eius mortem, vno. Itaque viginti duorum annorum erat cùm regnare cœpit, vt dicitur 4. Reg. 8. Sed cum patre, cum quo regnauit 20. annis. Et rursum quadraginta duorum annorum erat, cùm regnare cœpit, vt dicitur 2. Paral. 22. sed solus. Verùm præter ea quæ dicta sunt contra secundam expositionem, & alia, quæ apud Tostatum leges loco citato, quid fiet istis viginti annis? Quomodo non mendosam reddent sacram Chronologiam? Quod sanè fatetur Azor. Sed fortè satiùs est alibi mendum minore damno agnoscere. Alij dicunt non augere Chronologiam, quia includuntur in annis Iosaphati, qui Ioramum socium regni, quinto anno sui principatus assumpserit: sed hæc gratis dicuntur, & nituntur loco valde salebroso, atque ambiguo. Deinde sic patrem, filium, & auum simul regnasse oportuerit, per duodecim annos, quod inauditum est. Et si Ioram tantum octo annis bonus fuit, quomodo eius impietatem pius & religiosus pater duodecim annis tolerauit? [b q 39 in c 8 4. Reg.] [c to. 1. l. c.55. q. 4.] [d c.11. n. 7]

X. *Quarta explicatio.* ALIQVI traiectionem in verbis Hebræis 2. Paral. c. 22. agnoscunt, & quæ posteriora sunt, transferunt in priorem locum, in hunc modum. *Regnauit Ochosias filius Ioram regis Iuda, cuius matri nomen Athalia filia Amri agentis quadragesimum secundum annum, cùm Ochosias regnaret, qui vno anno regnauit Hierosolymis.* Volunt enim quadraginta duos annos non ad Ochosiam, sed ad Amri pertinere; à cuius regno pacifico in Samariam translato, hic sit annus quadragesimus secundus: qui ex octo annis Amri, viginti duobus Achabi, cum Ochosia filio eius, & duodecim Iorami conflentur. Verùm dura est, nec parum audax ista verborum transpositio, quæ magnum vulnus corpori, ad sanandum næuum inferre videatur. Nihil quoque ad rem præsentem faciunt Samaritani isti anni, vt omittam duram quoque illam phrasim, vt Amri dicatur agere annum quadragesimum secundum, qui ante annos triginta quatuor erat mortuus: sic enim nunc Dauid diceretur annum agere, siue filius esse 170. annorum, quia ante 170. annos regnare cœpit, qui iam à 130. annis abiit è viuis. Nihilominus hanc æram Samaritanam probat Serarius, nec improbat Genebrardus, & alij, quamuis textui Latino aptari non possit. [Trem. Iun.]

XI. *Postrema expositio.* DICENDVM est igitur Ochosiam tribus & viginti duntaxat annis vixisse, vno tantum partim solum, partim cum patre regnasse, vt dixi in fine anni præcedentis; in locum autem Paral. [e] mendum irrepsisse. Ita sentit Caietanus in 2. Paral. quem sequitur Torniellus anno 127. quintæ ætatis, [f] Et Turcellinus cap. 5. suæ Chronol. q. 15. Scaliger, Capellus; sed omittamus sectarios. [e l.2. 22.] [f an. m. 3108.]

*Ochosias 23. tantum annos vixit.* Probatur primum: Quia hic annus regni, & mortis Ochosiæ est tantum 23. à contracta affinitate cum Achabo, & inito matrimonio inter Ioramum patrem Ochosiæ, & Athaliam filiam Achabi; quod anno septimo Iosaphati contigisse, eodem loco docuimus. Secundo, si quadraginta tribus annis vixit Ochosias, Iosaphat trimulus, aut quadrimulus genuerit Ioramum, patrem Ochosiæ. Nam Iosaphat 35. annorum erat cùm regnare cœpisset, & viginti quinque annis regnauit, vt dicitur in 3. Regum: [g] Sexagenarius ergo mortuus est: adde ab eius morte ad hanc diem 5. annos, fient 65. (vel ad summum 68. si placet omnes annos regni Iorami separare ab annis regni Iosaphat, quod tamen fieri non potest) horum ergo 65. vel 68. annorum Iosaphati, 43 tribuendi erunt Ochosiæ; Ioramo autem, quando eum genuit, saltem viginti, qui efficiunt 63. supersunt ergo Iosaphato duo anni, vel ad summum quinq; quando genuit Ioramum, quod absurdissimum est. Tertio, vt disputat Caietanus, [g c.22. 42.]

QVOMODO FACTVS REX OCHOSIAS.

[a] Vt dicitur 4. Reg. 3. 1.
[b] 4. Reg. 8. 16.

totum tempus regni Iorami regis Iudæ, & Ochosiæ filij eius, includitur in regno Iorami regis Israël. At is tantum 12 annis regnauit, [a] ergo non potuit regnare Ochozias cum patre 20. annis, & vno solus. Nam in Scriptura habetur [b] Ioramum filium Iosaphati regnare cœpisse 5. anno Iorami filij Achab; & nunc ambo eodem anno moriuntur, nec tantum duo Iorami, sed etiam Ochosias Iorami Iudæi filius.

XII. *Mendum videri in numeros irrepsisse.*

NEQVE vero valde absurdum est in notis numerorum etiam Scripturæ, mendum irrepsisse: certe in hoc ipso loco Septuaginta Sixti non quadraginta duos annos, sed viginti tantum habent; & ibidem in scholio notatur in alijs libris legi, ἐτῶν εἴκοσι καὶ δύο. Nec est qui ignoret in biblijs nuper editis iussu summorum Pontificum, multa in editione vulgata esse emendata. At hoc emendatum non est, quia ea lectio antiquitate nititur, & Hebræorum, multorumque Græcorum codicum, atque Latinorum authoritate. Denique quia plerique viri graues locum quoquo modo interpretari, quàm mendosum dicere maluerunt, quòd nunc tamen multi viri docti, & religiosi dixerunt: cùm viderent id nullam in partem fidei obesse posse, & vnum Scripturæ locum pluribus alijs eiusdem Scripturæ locis, & apertis rationibus officere. Sed hæc aliquanto spinosiora iam omittamus.

XIII. *Quomodo factus sit rex Ochozias.*

[c] 2. Paral. 22. 1.
[d] l. 9. c. 3.

QVID est causæ cur Scriptura dicat. [c] *Constituerunt autem habitatores Ierusalem Ochosiam filium eius minimum regem pro eo.* Iosephus quoque [d] *Populus Hierosolymitanus Ochosiam in paternum solium imposuit*: præsertim cùm iam viuo patre regnaret? Turbas aliquas videtur innuere, quæ circa Iorami mortem contigerint. Nam populus ab eo auersus fuit, vt circa eius sepulturam, ex Scriptura, & Iosepho diximus, siue propter impietatem eius, siue ob publicas calamitates, quibus eo regnante affectus est. Itaque cùm odium in filium quoque ipsius, (à quo vt iuuene, & paternæ impietatis æmulo nihil boni speraret,) facilè redundaret, eum à regno repellere, aliumque aliquem subrogare voluit. Sed præualuit populus Hierosolymitanus, eumq; in paterni regni possessione constituit. In quo nihilominus pessimè se gessit; sic enim de eo loquitur Scriptura. [e] *Sed & ipse ingressus est per vias domus Achab, mater enim eius* (Athalia) *impulit eum vt impiè ageret; fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab: isti enim fuerunt ei consiliarij post mortem patris sui, in interitum eius, ambulauitque in consilijs eorum.* Quæ breuiùs tanguntur in lib. 4. Reg. [f]

[e] 2. Paral. 22. 3.
[f] c. 8. v. 27.

XIV. *Nascitur ei filius.*

HOC ipso anno natus est Ioas Ochosiæ filius, ex Sebia de Bersabee, [g] qui post Athaliæ tyrannidem in regno Iuda, opera Ioiadæ magni sacerdotis, regnauit, vt suo loco dicemus. Hoc autem loco satis est cum Scriptura pluribus in locis asserere, Ioas fuisse filium Ochosiæ; [h] quod referre superfluum esset, nisi extitissent patrum memoria, qui suppositititium Philonem secuti, negarent Ioas ex Ochosia natum fuisse, quod progenies Salomonis in Ochosia defecisset; Ioas autem ex familia Nathan, qui fuit vnus ex Dauidis filiis, natum esse, quem errorē multi aperte refutarunt, in quibus Torniellus, [i] & Pineda in primis, [k] quem consulere operæpretium fuerit. Id tantum dicam. Si Ioas fuit filius alterius de posteris Dauidis, & non Ochosiæ, certè non rectè dicitur Ioas filius regis, quod tamen non vno in loco dicitur. [l] Nam ille alter de posteris Nathan, qui fingitur pater Ioas, non fuit rex; ideoque neque filius eius, filius regis. Quid quod in Christi progenie per Nathan apud Lucam nusquam inuenitur Ioas? Maneat ergo Ioas filius Ochosiæ, qua tera Scriptura assertus, & à duobus annorum millibus, & ampliùs, ab omnibus semper creditus, & indubitatus.

[g] Vt habetur 2. Par. 24. 1. & 4. Reg. 12. 1.
[h] Id ea tradit. 4. Reg. 11. 2. c. 13. v. 1. 1. Par. 3. 11. 2. Par. 22. 11.
[i] An. 3155 ætat.
[k] l. 7. de reb. Salom. c. 23.
[l] 4. Reg. 11. 4. 2. Par. 23. 3.

XV. *Ochosias idem & Ioachaz.*

ADDAMVS hic obiter, ne quis in hoc Ochosia fallatur; alterum enim Ochosiam Israëlis regem nunc non moramur, hunc, inquam, Ochosiam in omnibus prædictis locis Ochosiam dici, & ab Hebraizantibus mutatis punctis Achaziam: aliquando etiam Ioachaz, [m] vt 2. Paral 21. vbi minimus natu Iorami dicitur, quemadmodum & 2. Paral. 22. [n] Hoc anno infeliciter pugnauit Ochosias contra Syros; quod priusquam exponamus, quædam de regno Israëlitarum, quæ antecesserunt hanc pugnam præmittenda sunt.

[m] Vt 2. Par. 21. 17.
[n] c. 22. 1.

XVI. *Finitur fames, & redit peregrina.*

SEPTIMVS hic est annus famis ab Elisæo pronunciatæ, vt habetur in 4. Regum, [o] quo regnum Israelis, Deo terræ fertilitatem restituente, & copiosam

[o] c. 8. 1.

meſſem tribuente, reſpirare cœpit. Videtur enim fames à meſſe in meſſem dimetienda. *Cumque finiti eſſent anni ſeptem, reuerſa eſt mulier*, cui Eliſæus filium dederat, & mortuum reſtituerat, vt ante dictum eſt: *reuerſa eſt*, inquam, *de terra Philiſthiim* in terram ſuam Sunam; ſed omnia bona ſua inuenit ab aliis, occaſione abſentiæ ſuæ, occupata, exiſtimantibus eam nunquam reuerſuram; ſed alicubi, vt peregrinis aliquando contingit, caſu aliquo perituram. Itaque inde egreſſa venit in Samariam, *vt interpellaret regem* Ioramum filium Achabi adhuc regnantem, *pro domo ſua, & pro agris ſuis*, quæ ſponte reddere nolebant, qui in ea inualerant. Quod autem non fuerit vſa opera Eliſæi, qui ſe pridem ei obtulerat ad huiuſmodi officium, [a] cauſam reor fuiſſe cum Abulenſi, [b] quòd vir Dei profectus eſſet in Syriam, iuxta ea quæ proximo anno dicebamus, aut certè varias diſcipulorum ſuorum luſtraret ſedes. a 4. Reg. 4. 13 b q 11 inc. 8 4. Regũ.

XVII *Hiſtoriam Naaman huc referendam.*

REX *autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei dicens. Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Eliſæus.* Quæ ille narrabat ex ordine; ex quo apertiſſimum videtur Giezi non fuiſſe adhuc lepra percuſſum, eaque inſanabili, ac perpetua; quæ tam in ipſum, quam in ſemen eius erat redundatura. Quomodo enim, vt ante dicebamus, Rex Iſrael cum Giezi, qui totus albicabat lepra, familiariter, diuque loqueretur? Nec obiici poteſt ipſe Naaman leproſus, qui paucis tantum maculis inquinatus erat, vnde dicebat ipſe, exiſtimaſſe ſe prophetam lepræ loca tacturum. Deinde admodum magna eſt diſtantia inter famulum prophetæ, & principem militiæ, virum eximium, & benemeritum, virum fortem, & diuitem: nec conſtat eum tunc familiariter cum rege verſatum. Ideoque tota hiſtoria Naaman ad hunc annum referenda, & huic narrationi merito poſtponenda fuit: quamuis primum per occupationem ἀνακεφαλαίωσις narrata fuerit à Scriptura. Confirmatur hæc veritas ex Chronico Hebræorum, initio cap. 18, vbi dicitur extremo anno ſeptennij famis Elizæum maledixiſſe Giezi. Conſentit Toſtatus hoc loco, & q. 1. in cap. 8. & alij quos ſupra memorauimus. [c] c An mun. 3145 n. 3.

Cum ergo Giezi *regi narraret, quomodo mortuum ſuſcitaſſet, apparuit mulier cuius viuificarat filium, clamans ad regem pro domo ſua, & pro agris ſuis; Dixitque Giezi. Domine mi rex, hæc eſt mulier, & hic eſt filius, quem ſuſcitauit Eliſæus; & interrogauit rex mulierem, quæ* diſtinctius *ei* cuncta *narrauit. Deditque ei rex eunuchum vnum, dicens: reſtitue ei omnia, quæ ſua ſunt, & omnes reditus agrorum, à die qua reliquit terram, vſque ad præſens.*

XVIII. *Sunamitis bona ſua recuperat.*

CONCILIAVIT mulieri regis fauorem, quod agnouit Rex antiquam eius in prophetam benignitatem, & mutuam prophetæ in eam beneuolentiam. Sed illud maximè quod agnouit eam à Deo tam inuſitato miraculo honoratam; ideo eam ſtatim voti compotem reddidit, tradito ei vno de cubiculariis ſuis, cuius opera, & bona ipſa, & ſeptem annorum reditus recuperaret. Quo etiam facto Deus ei priſtinam in Eliſæum hoſpitalitatem cumulatè rependit; neque enim fieri poteſt vt diuina munificentia vinci ſe à ſeruulis ſuis patiatur.

XIX. *Naamani hiſtoria. A Ioſepho prætermiſſa.*

IAM quod ad Naamani curationẽ attinet; [d] *is erat princeps militiæ regis Syriæ, vir magnus apud Dominum ſuum, & honoratus, per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ*, regnante nimirum Benadad; ſed quo in prælio, quo rerum diſcrimine, contra quos, Scriptura ſilentio inuoluit. Ioſephus autem totam hanc hiſtoriam, quamuis perilluſtrem, & prodigiis nobilitatam, miſſam fecit. *Erat autem vir fortis, & diues, ſed leproſus. Porro de Syria egreſſi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de terra Iſrael puellam paruulam, quæ erat in obſequio vxoris Naaman*; quam Dominus deſtinarat in ſalutem corporis, & animæ Syri huius; *quæ ait ad dominam ſuam: Vtinam fuiſſet dominus meus ad prophetam, qui eſt in Samaria, profectò curaſſet eum à lepra quam habet.* Non ignorabant Eliſæum Syri mirabilium patratorem; id enim ipſimet experti erant, ſed morborum curatorem neſciebant, præſertim lepræ, quoniam multos leproſos eſſe conſtabat in terra Iſraël; [e] aut certè diuina prouidentia nondum ea res eis in mentem venerat, donec puella Iſraëlitica illis aurem vellicaret. d 4. Reg. 5. e Luc. 4. 27.

MVLIER pro marito iure solicita rem non neglexit, præsertim quæ poterat multa de Elisæo, rumore nuncio didicisse, sed eam ad virum detulit, qui de fœda, & probrosa ægritudine curanda solicitus, quæ sibi spes sanitatis esset oblata regi significauit. Is erat nunc Azaël, defuncto Benadado, iuxta constitutum hactenus historiæ ordinem. Is pro sua in principem militiæ beneuolentia; *Vade*, inquit, *& mittam literas ad regem Israel. Qui cum profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti*; id est, tredecim millia aureorum, & insuper septingentos, & quinquaginta aureos nostrates, posita vncia 55. ſs. & libra duodecim vnciarum, & talento 125. librarum, iuxta Epiphanium, & Scripturam ipsam. Tulit etiam secum, *sex millia aureos*, scilicet siclos, id est, duo auri talenta, siue 25 millia aureorum Gallicorum; quodlibet enim talentum tria millia siclorum auri continet; & quilibet siclus semiunciam. Accepit & *decem mutatoria vestimentorum*. Vestes elegantiores, ait Vatablus, & præstantiores intelligit, quibus vtimur in publico, & diebus solemnibus, & cum quotidianis mutamus.

XX. *Adit Ioramum cũ muneribus.*

*eorũ valor.*

LITERARVM autem hæc erat sententia. *Cùm acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naamam seruum meum, vt cures eum à lepra sua.* Sapit hæc epistola superbos, ac feroces spiritus regum Syriæ, quales prodidit pridem Benadad [a]. Et mox Hazaël multo etiam sæuiorem se præbuit aduersus Israëlitas. Quod vt concedamus: Non videtur tamen fuisse alia mens Hazaëlis, quàm petere, vt rex Israël operam daret, vt curaretur Naaman opera Elisæi, iuxta acceptam ab eo, de mirifica prophetæ virtute, relationem. Nec difficile id fuisset Ioramo intelligere, nisi præceps iracundia hominis mentem obnubilasset, & memoriã quamuis recentem Elisæi, mortuos etiam excitantis, ad tempus abstulisset. Nam lectis literis, *scidit vestimenta sua, & ait: Nunquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare, quia ipse misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? Animaduertite, & videte, quod occasiones quærat aduersum me.* Curationem à lepra, & vitæ restitutionem eodem in ordine, eiusdemque potestatis esse interpretatur.

XXI. *Litera Hazaelis.*

[a] 3. Reg. 20. 36. 18.

HIC tamen Iorami timor, & querela fundamento non caret. Vnde enim tam imperiosa oratio, nisi ab eo, qui vellet sibi cum pari superbia responderi, & contemptum armis vindicare? proximamque fugam longè ignominiosissimam, gloriosa aliqua victoria obliterare? præsertim cùm à propheta accepisset, se multis cladibus populum Israëliticum affecturum; inde enim illi incaluerat animus, spe certa victoriæ. Timebat Ioram, qui nunc primum à fame, & obsidione luctuosissima respirare cœperat, & timebat Syrum, quem ei Elisæus fortasse formidolosum reddiderat, vt caueret hominem, qui populo Dei multa mala illaturus esset. Dixerit aliquis fortasse verba Hazaëlis in mitiorem partem Ioramum interpretari debuisse: nam sæpe austeriora sunt verba, quàm animus loquentis, atque sententia. Verùm vt id amicos inter, & familiares contingat: inter reges tamen, & eos reges, qui sæpe de capite, ac fortunis omnibus digladiantur, non videtur habere locum huiusmodi interpretatio.

XXII. *Et Iorami timor.*

[b] 4. Reg. 5. 8

CVM *ergo audisset* [b] *Elisæus vir Dei, scidisse regem Israel vestimenta sua, misit ad eum dicens; quare scidisti vestimenta tua? Veniat ad me, & sciat esse prophetam in Israel;* qui scilicet hæc diuina largitate, & his maiora possit. Tametsi ea cum prophetiæ dono non sint natura coniuncta. Multi enim erant illo ipso tempore prophetæ in Israële, & in Iuda, qui id non poterant, quod poterat Elisæus, quodque rogabat, vel potius iubebat Hazaël Syrus. Missu ergo Iorami, *venit Naaman cũ equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Elisæi*; hæc domus erat in Samaria, vbi habitabat rex Israel, cuius mentio habetur infra [c], vt in vrbis obsidione ante tradidimus. *Misitque ad eum Elisæus nuncium, dicens: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.*

XXIII. *Euocat Elisæus ad se Naaman.*

[c] c. 6. v. 31.

CREDIDIT se contemptum Naamam, quòd per nuncium secum ageret Elisæus. Ideoque, *iratus recedebat dicens, putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.* Nec tamen id Elisæus ex contemptu, sed ex diuina iussione, & sua humilitate faciebat, qui se, vt ante diximus, nihil miraculo attulisse credi volebat. Deus autem hominis humilitatem, atque obedientiam, gratiæ suæ præuiam, requirebat. Credidit etiam illusum se, ac deceptum, dato inutili curationis remedio.

XXIV. *Is primum non acquiescit prophetæ.*

Proptereaque subdit. *Nunquid non meliores sunt Abana, & Pharphar, fluuij Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder?* Quasi dicat. si quid posset aqua Iordanis, posset & alia melior ea; nondum intelligens non tam aquam, quam obedientiam ipsi sanitatem præstituram. Eamque non aquæ, sed Deo esse tribuendam. Quamquam & diuersis aquis diuersas inditas à Deo virtutes ignorare non potuit: sed voluit Dominus hoc præludio honorare Iordanem, quem tanto post baptismo suo honoraturus erat, & in eo aquis omnibus vim spiritalis regenerationis largiturus.

XXV. *Deinde persuasus à suis obtemperat.* CVM ergo *Naaman vertisset se, & abiret indignans, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras,* vt à tam fœdo morbo curareris, *quanto magis quia nunc dixit tibi: lauare, & mundaberis?* Ne quæso tantum bonum tantulæ difficultati antetuleris. Non est ægroti præscribere medico, quo medicamento curari velit, quum eius fidei, ac peritiæ debeat rem totam permittere; contentus patientiæ, atque obedientiæ specimen dare. Nec discipuli præceptorem docere, qua methodo morbus ignorantiæ depellendus sit. Distabat quidem Iordanis vnius fere diei itinere a Samaria, quia ei proximus erat, sed ea quoque erat in Damascum via; ideoque Syri, dum obsidionem soluerunt, Iordanem versus confugerunt, ad propria redituri; sed cùm Iordanis obliquum habeat cursum, potuerunt eum, & orientalem, & septemtrionalem multo longius traiicere.

XXVI. *Qui fluuij Damasci, ex Adrichomio.* QVOD ad hosce Damasci fluuios attinet; Adrichomius in Manasse trans Iordanem de his agit, & de Abana quidem, n. 2. *Abana*, inquit, *Hebræis Amana, alias Aman, & Amma, limpidissimus, & iucundus Damasci fluuius est, qui in Decapolitana regione à radicibus montis Libani exortus meridionale, ac occidentale vrbis Damasci latus alluit; indeque per planiciem Archadob defluens, in mare Syriacum effunditur.* De Pharphar autem n. 75. *Profundus*, inquit, *& amænus Damasci fluuius est, qui è radicibus Libani montis Damasci propinquis emanans, eam vrbem intersecat, deinde Antiochiam tendens eius mœnia lambit, tandemque mari mediterraneo commiscetur.* Vter autem istorum sit Chrysorrhoas, quem Ptolemæus iuxta Damascum fluere scribit, non admodum constat: sed si Chrysorrhoas, non etiam Damascum interfluit, erit vtique Abana, vt Beniamino placet, cui potiùs crediderim.

*Abana.* *Pharphar.* *Chrysorrhoas.*

XXVII. *Ex Beniamino Iudæo.* VERVM de Chrysorrhoa consuli potest Ortelius in thesauro geographico: ego hic Beniaminum Iudæum addo, qui visa, ac notata referat; in suo enim itinerario sic habet. *Vrbs ipsa Damascus maxima, atque pulcherrima est, muris cincta: regio verò tota hortis, & paradisis instructissima, ex singulis lateribus quindena continens milliaria. Nusquam alias in tota terra fructifera vrbs huic similis visitur, quam duo flumina ex Hermone monte delapsa beant, Amma, & Parphar; sita est enim vrbs sub Hermone monte, Amma vrbem ipsam influit, cuius aquæ per tubos in omnes magnatum domos, atque etiam in fora, & plateas deducuntur; estque regio ipsa negotiis omnium terrarum frequens. Paphar vero vrbem ipsam præterfluens, hortos & paradisos omnes irrigat.* Hæc ibi. Redeo ad Naaman [a].

XXVIII. *Sanatus reddit ad Elisæum.* DESCENDIT ille, erat enim Samaria in colle, nisi ad fluuij alueum id referre malis, *& lauit in Iordane septies, iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. Reuersusque ad virum Dei, cum vniuerso comitatu suo venit, & stetit coram eo,* vt de accepto beneficio illi, atque in primis Deo, cuius ipse personam repræsentabat, gratias ageret; deinde vt munera, in signum grati animi, tam Deo, quàm prophetæ ipsius offerret. Volebat quoque apud virum Dei suam, erga verum Deum, profiteri fidem, quam experimento, in suo ipse corpore didicisset, quod opus cum supra vires naturæ sit, non nisi authori naturæ Deo tribui potest; eo siquidem cæterorum deorum, aut dæmonum potius, virtus attingere non valet. Et ait, *Vere scio quod non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque, vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Omnino ergo videtur hæc oblatio à Naaman facta, non tam prophetæ, quàm Deo, cuius vnius diuinitatem, & dominium in vniuersam terram agnoscebat: quemque sibi in Deum deinceps assumebat, idolis repudiatis.

[a] 4. Reg. 5. 14.

XXIX. *Qui recusat eius munera.* QVÆ tamen propheta, quantumcumque precibus fatigatus, constanter recusauit. Subdit enim. *Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim*

*faceret, penitus non acquieuit.* Dei vtique id consilium fuit, qui prophetæ omnes regebat actiones; quo referri potest illud. *Viuit Dominus, ante quem sto.* Quis autem quærat à Domino, cur ita facis? & vnica hæc causa prophetæ satis fuit, vt Naamani precibus non acquiesceret; sed huius ipsius voluntatis, congruæ aliquæ rationes ex parte prophetæ reddi possunt. An quia animaduertebat famuli sui Giezi inhiantem in dona Syri auaritiam, ad eam castigandam, bona offerentis voluntate contentus fuit? An proselytum illum docere voluit Dei beneficia pecunia rependi, aut æstimari non posse, omniaque terrena, ad illa comparata, nimium vilia atque abiecta esse? An prælatos docere voluit terrenorum contemptum, nec bona fidelium quærenda esse, sed fideles ipsos exemplo Apostoli dicentis [a]. *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Satis tamen constat hæc munera à propheta recipi potuisse nomine eleemosynæ, qui pauper esset, & paupertatem cum discipulis suis profiteretur, & aliena benignitate viueret; itaque nuper panes primitiarum ab offerente accepit; præsertim cùm hæc liberalitas collatam à propheta gratiam non antecederet, sed omnino sequeretur. Manifestum est autem hoc loco præmium, & merces obedientiæ, cui & mirabilis corporis sanitas, & optabilior ab infidelitate animi conuersio attributa est.

a 2. Cor. 12. 14.

*Quæ potuit recipere.*

XXX. *Petit Syrus terram à propheta.*

DIXITQVE *Naaman, vt vis*, non acquiescis precibus meis, ego acquiescam voluntati tuæ: non sum dignus, vt quicquam à me accipias, qui tanto beneficio me tibi deuinxisti. Ego tamen aliquid à te accipere velim, vt augeam obligationes erga te meas. *Concede, obsecro, mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum Burdonum de terra; non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino:* vult sibi dari de humo Israëlitica, quantum par mulorum ferre possit [b], vt Domino altare de terra faciat; eam scilicet lapidibus, in formam altaris excitatis, includendo, vel imponendo. Vbi vides quantum mutatus ab illo sit, qui paulo ante aquam Israëliticam præ Damascena contemnebat, nũc terram Israeliticam præ Damascena, & Syriaca, sanctam putat, vtpote vero Deo consecratam. *Admirabilis iste vir*, ait Theodoretus, qu. 19. in hunc locum, *ipsam quoque terram Israel sanctificatam esse credens, postulauit accipere de ea duo mulorum onera, vt supra eam tantummodo offerret Domino sacrificia;* quod illi vtique licebat, qui legis Mosaïcæ ritibus non erat astrictus.

b Mulos enim habent Heb. Chal. & 70 & Burdo, ex equo, & asino est, nec vox male latina.

*& cui vsus.*

XXXI. *Fit Dei cultor, non tamen Hebræus.*

SIQVIDEM Naaman ita deficiebat ab idolis, eorumque veneratione, & Deũ Israëlitarum verum, atque vnicum agnoscebat Deùm, vt tamen Hebræorum religioni non daret nomen suum, fieretue proselytus, aut circumcisioni, & reliquæ Iudæorum legi obnoxius; sed à legis oneribus liber, Deum spiritali cultu fidei, spei, & charitatis coleret, vt alij quondam viri iusti in lege naturæ. Cultu etiam externo eum honoraret, vt corporis, animique Dominum illum agnosceret: puta sacrificio aliquo, vt illa tempora ferebant, aut ieiunio, genuflexione, oratione supplici, aut simili quapiam ceremonia; quandoquidem nulla in specie præscripta erant cæteris nationibus; & ipse Deum, vt peculiarem benefactorem, cultu aliquo prosequi debebat [c].

c vide Abr. q. 19. 20. 21. in c. 5. 4. Regum.

XXXII. *Petit vt liceat sibi adesse Regi, in templo Remmon.*

CVM autem abituro preces suas polliceretur Elisæus, eumque de constantia in veri Dei cultu admoneret: *Hoc solùm est*, inquit, *de quo depreceris Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente super manum meam, (si adorauero in templo Remmon*, (id est, si incuruauero me in speciẽ adorantis, licet minimè adorem) *adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re.* Sapit hæc oratio hominem, qui cùm statuisset deinceps vitam piè, ac religiosè traducere, oculos coniecerit in omnes peccandi occasiones, quas cùm se facile superaturum speraret, in hoc ancipiti regis obsequio hæsit: ne aut Deum, talem famulatum præstando, aut regem negando, sibi redderet infensum. Iam cognorat Naaman, vel naturæ lumine, vel admonente propheta, Deo tam internum, quàm externum cultum deberi, idolis autem neutrum exhibendum esse. Petit ergo vt liceat sibi non negare hoc obsequium regi, quod cum externa idoli veneratione videatur esse coniunctum.

XXXIII. *Quod pro-*

QVOD concedens propheta, dixit ei. *Vade in pace.* Quibus verbis non facit

*phe:a concedit.*

ei potestatem simulandi venerationem idoli, id enim Naaman non petebat: & vt peteret, id concedere propheta non poterat, cùm nemini sit ius cuiquam indulgere in re, quæ natura sua mala sit; sed petebat rem natura sua licitam, cũ timore quodam, ne id malum esset, quod malum reuera non erat. Nam sustentare regem, vel ambulantem, vel inclinantem se, vel genu flectentem, nihil habet natura sua malum, ex accidente autem est, quod contingat sustentari, dum ille coram simulachro incuruatur. Id enim non est idolo, vel re ipsa, vel dissimulanter venerationem exhibere. Nam ne simulationem quidem permissam præclare docuit egregius ille Eleazarus [a], qui maluit acerbissima morte perimi, quam simulare se illicitas comedisse carnes, & in ætate decrepita scandalo esse iuuentuti. Timorem ergo illum, in homine recens ad Deum conuerso, ab ignorantia profectum, propheta excutiens ait, *Vade in pace.* [1]

*simulatio illicita.* — a 2. Mach. 6. 24. — 1 ex.

XXXIV. *Quid ille deinceps domi.*

VALDE autem assentior Serrario, cui minimè dubium est, quin Naaman domum reuersus ad veri Dei cognitionem, tanti miraculi commemoratione, vitæque commutatione vxorem, propinquos, amicos, aliosque non paucos traduxerit, in primisque suos illos famulos miraculi testes, & adiutores, dum dominũ suũ ad simplicem obedientiam, quam Deus, & Elisæus ab eo requirebant, cohortati sunt. Non deseruerunt eum fidelem, quem adhuc idolorum cultorem, non herum, aut dominum, sed patrem experiebantur, ac vocabant: cuius sanitatem, vt parentum vitam filij, magna sollicitudine ambiebant. Sed hæc postea; interim autem Naaman non minus quàm ille Candacis reginæ Eunuchus [b], reuertebatur gaudens in curru suo. Nam vnicam ille, hic noster geminam consecutus erat sanitatem.

b Act. 8. 27.

XXXV. *Giezi ambit munera.*

GEMIT interea frustrata cupiditas, & luctu lætitiam prosequitur abeuntis, vixque spatium aliquod itineris nouus Dei cultor confecerat, cùm intra se Giezi puer viri Dei. *Pepercit*, inquit, *Dominus meus Naaman Syro isto*, id est, parcum se præbuit in accipiendo, timuit ne minueret opes potentis, atque opulentis hominis: nec rationem habuit penuriæ nostræ, vt non acciperet ab eo quæ attulit. Viuit Dominus, quia curram post eum, vt accipiam ab eo aliquid. Quare autem aliquid duntaxat Giezi? Cur non omnia, quæ ille sponte obtulit? Quare tu quoque Syro isti parcis? Causam vero similem inuenire non potuit, cur Elisæus mutata subito voluntate, qui ne particulam quidem munerum voluerat accipere, nunc omnia postularet. Timuit quoque ne, cum omnia ipse ferre non posset, plures famuli redirent onusti, sicque res vulgaretur, aut ipsemet fortasse Naaman redire vellet, sibique apud Elisæum gratulari [c]. *Et secutus est Giezi post tergum Naaman; quem cùm vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum eius, & ait; rectène sunt omnia?* Chald. Num pax est eadem sententia; *& ille ait, rectè.*

c Abul. quæ. 27. in c. 15.

XXXVI. *Et à Syro callidè petit & accipit.*

DOMINVS *meus*, inquit, *misit me ad te, dicens, modò venerũt ad me duo adolescentes de mõte Ephraim ex filijs prophetarum.* Callidè causam nouã excogitauit, quæ ab ipsius Syri digressu cõtigisset, vt mutatio voluntatis prophetæ probabilis appareret; & causam, quæ ipsum prophetam attingeret, qui omnium istorum prophetarum rectorem agebat, & patrem. Illis itaque petit *talentum argenti, & vestes mutatorias duplices*; quæ pecunia, in ære Gallico: ad 4125. francos, siue 1375. aureos ascendebat. *Dixitque Naaman: melius est vt accipias duo talenta. Et coëgit eum.* Rectè coegit Naaman Giezi ad accipiendum: quia ille ponebat in lucro, vt propheta aliquid à se accipere dignaretur; & hic fingebat se mandatum præceptoris sui transgredi nolle. Ergo victus precibus duplum accepit, & vt intelligatur talentum, non vnum aliquod esse numisma, sed pondus, quod multa numismata caperet, ponitur tota illa pecunia *in saccis duobus*, & vt grauitas talenti æstimetur, duo serui adhibentur, quorum singuli singula talenta, cum singulis vestimentis ferrent: Valor autem talenti æstimatur ex eo, quod mox propheta ait, Giezi accepisse pecuniam, vt emeret oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. Num tam multa possunt modica emi pecunia?

XXXVII. *Et abscondit domi.*

CVMQVE *venisset iam vesperi*. Alij ex Hebræo. *Cúmque venissent in munitionem.* Pagninus, *in locum editum.* Montanus, *in locum quendam secretum.* Vatablus, & Chald. *in obscurum, & tenebrosum*, vt Septuaginta; Quod ambiguè positum, ad obscurum tempus, æque ac locum obscurum pertinet, & vtcumque ad cælandum furtum

valet. Omni quippe studio, ac cautione prouidebat, ne qua illius aura criminis ad Elisæum afflaretur; ne qua ipse apud eum suspicione laboraret, apud quē cupiebat in magna esse opinione integritatis, atque sanctitatis. Tulit ergo Giezi saccos cum pecunia, & vestibus de manu seruorum Naaman, & reposuit in domo, id est, tradidit seruanda in quadam domo, aliena vtique; nam pauperis prophetæ famulus propriam non habebat: neque in domo prophetæ, quia mox re iam occultata, dicitur ingressus ad dominum suum. *Dimisitque viros, & abierunt* ad dominum suum, ad locum in quo didicerant illum pernoctaturum.

IPSE *autem ingressus, stetit coram domino suo, & dixit Elisæus, vnde venis Giezi? Qui respondit, non iuit seruus tuus quoquam. At ille ait: nonne cor meum in præsenti aderat,* id est, spiritu prophetico aderam tibi, & Deus exhibebat mihi præsentem te, & Naaman, & omnia, quæ gesta sunt inter vos, *quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Insanabilis erit in te, posterisque tuis, vsque ad tertiam & quartam generationem, quandiu scilicet potest pater, qui punitur in filiis, spectator esse, ac particeps illius calamitatis [a]. Statim autem diuina vltio subsecuta est denunciationem prophetæ: nam *egressus est ab eo leprosus, quasi nix*: lepra quasi niue aspersus, & albicans. Hunc exitum habuit auaritia Giezi, fraude, mendacio, & sacrilegio cumulata, quippe qui pretium accepit, diuinitus à propheta traditæ sanitatis. XXXVIII. *Damnatur ab Elisæo.*

[a] vid Abu. q 45. in c. 5.

NAM sacrilegium, & labes simoniaca Giezi, minimè dubia esse potest, quamuis ipse sanitatem neque vendidisse, neque emisse videatur, quia illam non dedit, sed Elisæus; nec recepit, sed Naaman. Nihilominus cùm ipse apud se statuit, atque adeo iureiurando firmauit propositum accipiendi aliquid, intuitu diuinitus datæ sanitatis, animo simoniam admisit; cum autem re ipsa pecuniā accepit, eam culpam reipsa perpetrauit. Non dedit ille quidem sanitatem, sed alieno nomine falso vsurpato, vendidit. Petiit enim pecuniam nomine Elisæi; sicut si ministri episcopi pro collatis ordinibus pecuniam accipiant. At temporalis quædam res est sanitas, & pro ea conferenda medici, non male pecuniam accipiunt. Verùm hæc collatio supernaturalis, ac diuina fuit, nec pecunia æstimabilis. Ideoque qui hanc sancti prophetæ operam vendidit, verè sacrilegus, ac simoniacus fuit: cuius particeps non fuit, qui pecuniam dedit, cum illam beneuolentiæ, & gratitudinis nomine dederit, sicut illam ea intentione detulerat, vt iustè, ac debitè distribueretur. XXXIX. *Fuisse vere sacrilegum.*

VIDE autem diuinam in hanc pœna inferenda prouidentiam, atque æquitatem; ne quis fortè eam plagam casu diceret contigisse. Leprosi hominis pecuniam iniustè accepit, accepit & lepram, quæ cum pecunia transiuit in sacrilegum; vt onus sentiret, qui sentiebat emolumentum. Æquum fuit, vt qui circa lepram peccabat, lepra puniretur, ne si alia pœna succederet, alterius cuiuspiam criminis, olim ab eo perpetrati, pœna crederetur: proptereáque statim, atque denunciata est ab Elisæo sententia criminis, illico lepra adhæsit criminoso. Iustum fuit, vt turpissimum lucrum morbi acciperet, qui turpissimum quæstum diuinæ gratiæ faciebat: & qui æstuabat auaritia, æstuantem pustulis carnem circumferret, occultique facinoris publicam ostentaret pœnam; denique qui filios ditare voluerat, eosdem infamis supplicij hæredes, & noxæ testes relinqueret. XL. *Æquitas eius pœnæ.*

QVÆRIT Abulensis [b], an Elisæus pecuniam famulo suo Giezi reliquerit, quam constabat per simoniam, & fraudem fuisse acquisitam; & certum sit res, per huiusmodi artes acquisitas, non transire in dominium acquirentis. Respondetur autem reliquisse: & Scriptura subobscurè innuit, Giezi habiturum lepram, sicut habuit pecuniam, & sicut hanc sacculis, ita illam corpori perpetuo adhæsuram. Cæterum liquet ex iure naturæ res turpi lucro acquisitas, vt meretricio, histrionico, simoniaco, vsurario, cedere in dominium acquirentis, in quem eius voluntate transfertur, qui ante iure possederat. Idemque valet etiam in quæstu simoniaco, vbi non venditur, aut emitur ordo, vel beneficium, sed collatio eius, quæ est reuera conferentis. Rerum tamen tur- XLI. *An Giezi eam pecuniam vere acquisiuerit.*

[b] q 44. in c. 5. 4. Reg.

piter acquisitarum quidam ecclesiastico, aut etiam ciuili iure, domini non fiũt: nimirum simoniaci, aut vsurarij, quos iura inhabiles ad tale dominium reddiderunt: ideoque obnoxij sunt restitutioni. Quæ iura cum Elisæi, aut Giezi temporibus nulla essent, non reddebatur Giezi hac ex parte inhabilis ad possidendam acquisitam pecuniam; eique poterat peccatum proprium, sicut histrionibus, fieri quæstuosum.

XLII. *Aut potius propheta indulgente retinuerit.*

Ex altera parte cum pecuniam illam suo nomine non petierit, sed Elisæi; eamque Naaman non dederit Giezi, sed Elisæo; clarum est eam non ad Giezi, sed ad Elisæum pertinuisse, in quem Naaman eius dominium volens, sciensque transtulit; eique, licet inscienti rectè fuisse, quamuis cum alieno sacrilegio, acquisitam; nullo quippe modo eius criminis particeps, aut conscius fuit. Cùm ergo illius esset dominus, potuit eam donare Giezi, quamuis non petenti, & eius in eum transferre dominium, vt deinceps eam possideret, vt suam, vero domino illam, vt turpiter acquisitam, repudiante. Et quamuis iniustum videatur aliquem de peccato suo commodum referre: voluit tamen propheta in eum esse misericors, qui deinceps cum filiis suis futurus erat extorris ab hominum communione, secundum legem, nec facile vitæ necessaria acquisiturus. Dedit quoque in compensationem famulatus, quo ei aliquot annis inseruierat.

XLIII. *Ioram consilia belli agitat.*

Interea Ioram filius Achab, *Audita morte Adadi à continuis pauoribus respirauerat, lætus tandem aliquando licere sibi in pace viuere*, vt ait Iosephus [a]. Non tamen diu studia pacis coluit. Cùm enim memoria repetebat patrem suum, in conatu repetendæ ciuitatis suæ, à Syris occisum, eandemque nihilominus ab iisdem occupatam teneri, eius recuperandæ desiderio, & paternæ mortis, & Samaritanæ obsidionis vlciscendæ æstuabat. Itaque quod pridem Achab à Iosaphato petierat, ipse ab Ochozia postulauit, vt sibi copiis suis in bello suscipiendo, ac conficiendo adesset. Belli enim consilium ab eo initum est, cuius intererat, & sua repetere, & proprias iniurias vlcisci. Ideoq; Scriptura [b] abiisse ait Ochoziam cum Ioramo filio Achab, non autem vice versa, *ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaath.* Habuit autem Ioram in copiis suis Iehu, vnum de primariis ducibus.

[a] l.9.c.2.
[b] 4.Reg 8.28.

XLIV. *Hazael propugnat Ramoth contra eos.*

Hazael autem Syrus, qui, vt dixi, bellum contra Israëlitas ambiebat, & occasionem eius gerendi captabat, lætus eam arripuit, & exercitum in Ramoth Galaad contra vtrumque regem, eam ciuitatem inuadere cupientem, adduxit. Ibi acriter vtrinque pugnatum est, adeo vt rex ipse Ioram, multis vulneribus affectus, bellum deserere, idque ducibus suis conficiendum relinquere coactus sit; id sequens Scripturæ narratio exigit, & à Iosepho quoque affirmatur [c]. Diuino autem instigante numine in Iezrahel profectus est, vt à plagis suis curaretur. [d] *Vulnerauerunt*, ait Scriptura, *Syri Ioram. Qui reuersus est, vt curaretur in Iezrahel, multas enim plagas acceperat in supradicto certamine*, quæ etiam habentur in 4. Regum [e]. Ex quo corrigendus est Iosephus, qui vnicum in eo vulnus agnoscit. [f] *In ea oppugnatione*, inquit, *sagitta ictus à quodam Syro, non lethaliter, in Azaram*, Ita vocat Iezrahel, *vrbem se recepit, curandi vulneris gratia, relicto in obsidione Ramatha toto exercitu, cui Iehum Amasiæ filium*, Scriptura filium Namsi appellat, *præfecerat.*

*Ioram vulneratus recedit à bello.*

[c] l.9.c.4.
[d] 2. Par. 25 5.
[e] c.8.29. & c.9. 15.
[f] l.9.c.4.

XLV. *Ochosias recedit Hierosolymã, & inuisit Ioramum.*

Ochosias autem sibi metuens, qui reges quoque plagis patere in rege socio vidit, quamprimum Hierosolymam rediit, vbi cùm, vt fit, de Iorami valetudine per nuncios inquisisset, & morbum eius diuturniorem comperisset, ad eum inuisendum Hierosolymis profectus venit in Iezrahel. Sed aliud Dei consilium fuit; quod præclarè Scriptura ipsa explicat [g]. *Igitur Ochosias filius Ioram, rex Iuda descendit, vt inuiseret Ioram filium Achab, in Iezrahel ægrotantem. Voluntatis quippe fuit Dei aduersus Ochoziam, vt veniret ad Ioram, & cùm venisset etiam egrederetur cum eo aduersus Iehu filium Namsi, quem vnxit Dominus, vt deleret domum Achab.* Interim autem dum bellum ducitur in Ramoth Galaad, & ægrotat Ioram in Iezrahel, reliquus annus abiit, in cuius extremo, vel sequentis initio, Iehu in regem Israëlis, iuxta veterem Eliæ prædictionem, inunctus est. Ab ea ergo inauguratione sequentem annum inchoabimus.

[g] 2. Par. 22. 6.

SCHOLIVM

*SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3150. IORAMI. VLT.*

1.N.xxxiii. ABIIT ergo ab eo electo terræ tempore. Hebraicè, & Chald. abiit ab eo, quasi miliare terræ. Septuag. Hebræorum nomen retinuerunt, in Chabratha terræ, quod aliqui miliare, aliqui iugerum, stadiumue reddunt Eadem vox Genes. 35.16. redditur verno tempore; quia כבר cebar, cum aliqua mutatione punctorum, tam spatium terræ, quam temporis significat: & cum terræ spatia plerumque tempore metiamur, electum terræ tempus nihil aliud erit, quem certum quoddam tempus, vel horæ, vel semihoræ, quo miliare conficere possumus.



## ANNVS MVNDI 3151. DILVVII 1495. QVINTÆ ÆTATIS 212. FVND. TEMPLI 129. ATHALIÆ REGINÆ IVDÆ 1. IEHV REGIS ISRAELIS 1. IOIADÆ PONTIFICIS 1. ELISÆI PROPHETÆ 13. TROIAE DELETÆ 281. OPHRATANIS 28. IMPERII ASSYRIORVM 1220.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 902.



Esa. 34.6.7. HIC est annus vltionis Domini, annus retributionis iudicij Sion, & Israël. Hoc anno *gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe*, non sanguine *agnorum, & hircorum, vel sanguine medullatorum arietum*: sed sanguine regum, & principum aceruatim interfectorum; sanguine præsidum, & optimatum, sanguine Sacerdotum, & Prophetarum: omnia terroribus, lamentis, funeribusque plenissima. Hinc videbimus coniurantem Iehu in dominum suum, & arma in Syros destinata, in regiam familiam conuertentem, & in vtrumque regem Dei iussu fulminantem. Nam alterum propria sagitta configet, alter iussu eius confodietur: reginæ dabuntur in præceps, equorum pedibus proterentur, & conculcabuntur. Septuaginta regis filiis frangentur ceruices; regum fratres duo, & quadraginta in cisterna iugulabuntur; pseudoprophetæ, & sacerdotes Baal centeni, quasi per iocum, trucidabuntur in templo eiusdem Baal, quod mox pudendo ministerio destinabitur. NVM. I. *Summa rerum anni huius in Israele à Iehu.*

RVRSVM in Iuda offendemus furentem Athaliam, Proserpinam alteram, vel Medeam, Iudaici regni facem, & turbinem, regis vxorem, regis matrem, pestem coniugis, perniciem nati; quibus idololatria corruptis, & vitam, & imperium, & in ipso ætatis flore impia, & crudelis eripuit; eius enim vnius criminis reos, Deus Iehu interimendos dedit. Nec his contenta, omne semen regium, omni indagine rimatur, & in suum ipsa genus, & sanguinem, culpa omni vacuum, ita bacchatur, quo modo barbaros, à quibus omni genere contumeliarum, & calamitatum vexata esset, quorum scelere parentes, maritum, liberos, crudeli funere amisisset, minime vltura videretur. II. *Et in Iuda ab Athalia.*

Noluit tamen Dominus facere consummationem, propter Dauid seruum suum, sed labentem rempubl. atque adeo ad interitum præcipitantem, ope magni Sacerdotis Ioiadæ retinuit, ac sustentauit. Propterea enim eum iam iam grandem gradu, ad hæc difficillima tempora reseruauit.

DE quo prima nobis hoc loco nascitur quæstio, fueritne hoc tēpore Ioiada, quem Sepuag. & Ioseph Ioiadū vocant, summus pōtifex. Nam in catalogo pontificum, qui 1. Par. c. 6. habetur, nulla extat Ioiadæ mentio: Nulla 1. lib. Esdr. 7. 1. III. *Fueritne Ioiada pontifex.*

nulla apud Ioseph. [a] Et Scriptura quidem Amariæ Achitobum filium subiicit. Iosephus autem nescio, quæ pontificum nomina suggerit à Scriptura ignorata, non aliena tamen à chron Hebræorum, vt in successione Ioiadæ dicemus, Phideam, Sudeam, Iulum, &c. Denique Scriptura hebraica nunquam eum pontificem, semper Sacerdotem vocat, sicut & Septuag. Chronicum tamen Hebr. eum in albo pontificum collocat, & tempore Athaliæ pontificatum gessisse affirmat; cui assentitur Genebr. Iosephus quoq. [b] nouies ἀρχιερέα, siue pontificem appellat; eius tamen nomen excidit in catalogo pontificum ab ipso edito. Nam lib. 20. antiq. cap. 8. ait à tempore Salomonis ad templum à Nabuchodonosore euersum, 18. fuisse pontifices, cum 17 tantum in illo catalogo numerẽtur. Chronicum minus Hebræum vocat eum pontificem, & principem Sacerdotum; imo 2. Paral. [c] vocatur princeps, & caput, etiam in Hebræo; vtique Sacerdotum, & Leuitarum: & iterum [d] dicitur primus Sacerdos, vel summus, vel caput, & alibi quoque.

a Lib. c. 11
b l. 9. c. 6. 7
c c. 24. 6.
d vers. 11.

IV. *Eius pontificatus probatur.*

HABEMVS ergo testimonium maius Iosepho, & Hebræo chronico [e]. Nam eadem Scriptura eum quater, & in 4. Regum 12. ter pontificem vocat, eique pontificium munus maximum tribuit, regis videlicet Ioas inunctionem. Si quis enim alius fuisset pontifex, nequaquam is hoc sibi ministerium præripi passus esset: neque id Ioiada, vir sapiens, & timens Deum, attentasset inuadere. Pontificem etiam prodit contracta cum regia stirpe affinitas, vt in Aarone primo pontifice patet, & in Achimaa genero Salomonis [f], supra diximus. Cuius autem erat officium, nisi summi pontificis, medium se constituere regem inter, vniuersumque populum, & Deum, & renouare fœdus, vt esset populus Domini? Cuius erat præpositos in domo Domini constituere, sub manibus Sacerdotum, & Leuitarum, nisi eius, qui toti templo, & omnibus Sacerdotibus præesset? quis coram summo alio pontifice pro arbitrio puerum in principem populi assumpsisset, & reginam morti addicere ausus esset? Quis regi vxorem dare, & erga eum optimi, sapientissimique parentis vice fungi? Hæc si quis è sanctis Patribus argumenta suggereret põtificatus Ioiadæ, quæ Scriptura ipsa suppeditat, quis dubitaret Ioiadam, si quem alium vnquam, summum Sacerdotem appellare? 1 Maneat ergo Ioiada, si quis alius, optimo iure pontifex. Vtrum autem aliquanto ante mortem Iorami, & Ochosiæ summum pontificatum tenuerit, affimare non possumus. Possumus tamen eum agnoscere pontificem fuisse hoc ipso anno, cum Iosabeth eius vxor anniculum regem, pio ac necessario furto, abstulit. Et Iosephus satis perspicuè docet eam iam fuisse nuptam pontifici, cum huius furti gratia regiam ingressa est. Et de pontifice hoc quidem loco hactenus. Nunc vtriusque regis interitum, & quæ aliquanto tempore sunt antegressa persequamur.

e 2. Par. 22 & 23.
f 3. Reg. 4. 15.
1 ☧.

V. *Mittitur discipulus Elisæi, & quis ille fuerit.*

REDIERAT Ioramus rex Israëlis è bello Syriaco saucius, & in Iezrabele curabatur: cum ad eum officij gratia, vti diximus descẽdit Ochosias rex Iuda, eius ex Athalia sorore nepos. Interea Elisæus propheta vocauit vnum de filiis prophetarum, noui regis inungẽdi causa. Hunc Hebræi [g] vocant Ionam filium Amitthæi, siue, vt est in vulgata, Amathi, si tamen hic idem est Ionas, qui ad Niniuitas missus est, vt affirmat idem Chron. & Ioãnes Patriarcha [h], qui illũ ait fuisse filium viduæ Sarephtanæ, vitæ ab Elia restitutũ: quod habent etiam Epiph. [i] & Hieron. sed id parum probabile videri, dicemus anno 16. Amasiæ. Hunc ergo siue Ionam, siue alio quopiam dictum nomine, accersit Elisæus, vt mittat ad Iehu, quod se crederet non satis tuto, neque latenter eo munere fungi posse: cum esset propheta celeberrimus, eiusque actiones notarentur; ideoque satius duxit, eo ignotum aliquem prophetam mittere. Ita videtur sensisse Theodoretus [k], & Abul. [l] Verum id parum probabile reddit eiusdem Elisæi profectio in Damascum ad inungendam Hazahelem. Et cùm multis de causis ire posset ad exercitum, in quo erat Iehu, facile erat veram occultare, vt fecit Samuel, cum ad inungendum Dauidem profectus est. Accedebat quod Ramoth, plurimum distabat à Iezrahele, vbi ægrotabat Ioram. Itaque dicendum videtur, Elisæum mandatum à Domino accepisse, vt vnum aliquem de discipulis mitteret, eius negotij conficiendi causa.

g in Chron c. 18. & 19.
h lib. de instit. Monac. c. 11.
i lib. de vita prophet. & Hieron. in Comm. in Ionam.
k Theod. q. 27.
l q. 2. in ca. 9. 4. Reg.

Prophetamittitur ad Iehu.

HVNC discipulum sic affatur Elisæus. *Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulum olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad.* Hæc lumborum accinctio pertinet ad festinationem, vt cum Elisæus misit Giezi ad suscitandum filium Sunamitis [a], quem celerrimè volebat iter conficere, adeo vt eum ne salutandi quidem causa, in via tantillum subsistere pateretur, eum lumbos iussit accingere. Hic quoque festinatione opus erat, vt Iehu inunctus, tempori adesse posset in Iezrahel, priusquam Ochosias à Ioramo discederet, vt mox dicetur. Quod autē iubetur ferre oleum secum ad inunctionem, pertinet ad celandum negotiū; vt ne Iehu quidē sciret quid facturus esset propheta, priusquā res facta esset; ne quod alicunde impedimentum, vel mora nasceretur. Si autē illic inquisisset oleū propheta missus ab Elisæo, res ante tempus innotesceret, aut fieret certè vehementer suspecta.

*a 4. Reg. 4. v. 24.*

VI. *Cum mandato inungendi Iehu.*

CVMQVE *veneris illuc, videbis Iehu filium Iosaphat, filij Namsi. Et ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum*, id est, seuocabis eum de medio reliquorum principum exercitus Israëlitici, quasi secreti aliquid meo nomine cum eo cōmunicaturus, *Et introduces eum, in interius cubiculum. Tenensque lenticulam olei, fundes super caput eius, & dices: Hæc dicit Dominus, vnxi te regem super Israel*, cætera mandata de disperdenda domo Achab breuitatis causa subticentur, ad id vsque tempus quo expleta sunt. *Aperiesque ostium, & fugies, & non ibi subsistes.* Iussit eum, ait Iosephus, *fugientis more iter facere, nemine abitus eius conscio. Noluit quoque eum quidquam responsi expectare.* Sed ad quid hæc in eundo, & redeundo festinatio? Accelerari voluit Propheta negotium, vtiq. ex Domini voluntate, & loci temporisque occasionē occupari, dum collectus erat exercitus, qui pœnas sumpturus erat de familia Achab, & cō gregati reges morti destinati. Nam si alter Hierosolymā, alter Samariam rediisset, difficillimum fuisset, sine diuturna obsidione, & multa populi cæde reges, & eorum familias, & optimates in potestate habere, sine nouo aliquo miraculo.

*4. Reg. 9. 2.*

VII. *Quo id modo exequēdum.*

ABIIT *ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad.* Sed vnde abiit ex Samaria opinor, vbi domus Elisæi, vnde vsq. in Ramoth Galaad, duorum, triumue dierū iter interiectum erat. *Et ingressus est illuc* in ciuitatem ne, an in castrorum locum? Vatab. [b] ait paulo ante hanc coniurationem Ioramum defendisse ciuitatem Ramoth, *quæ tum erat*, inquit, *in potestate Israëlis*: cui videtur fauere Hebr. [c] *Et Ioram obseruauerat in Ramoth Galaad.* Chald. & Septuag *custodierat.* At quomodo custodiebat ciuitatem, nisi eam possideret? verbum שמר schamar, non tantum est custodire, sed etiam obsidere, vt 2. Reg. 11. vbi Ioab seruare, & custodire dicitur ciuitatem Rabba, quam obsidebat, vbi Chald. *Et fuit quando obsedit Ioab vrbem.* Et obseruare ciuitatem non minus est impugnantis, quā defendentis: φυλάσσειν quoque est obseruare, & captare opportunitatem gerendæ rei, & hebræo verbo val de respondet, & pro obsidere ponitur loc cit. [d] quemadmodum & hoc loco.

VIII. *Israelitæ an occupassent Ramoth.*

*b 4. Reg. 9. n. 17.*
*c vers. 14.*
*d 2. reg. in 70 Sixti.*

NEGANTI sententiæ, quæ est edit. vulg. in qua legimus, *Porro Ioram obsederat Ramoth*, ratio quoq. vehementer fauet. Si enim Ioram possidebat Ramoth, quomodo nō ibi potius curari voluit, quā æger per hostium obsidentium castra in longinquam vrbem Iezrahel abire? aut quomodo duo reges sponte obsidionē ferre voluerunt, & in vrbe clausi vtriusq. regni aleā iacere? Deniq. quod tandem tempus profertur, aut occasio, aut testimonium captæ ab Israëlitis Ramoth Galaad, & Syris ablatæ? Ex quo enim ad eam vrbem occisus est Achab, Israëlitæ à Syris semper afflicti fuerūt: præsertim cum ad 7 annorum famē etiam obsidio Samariæ accessisset. Illud quoque *obsederat*, haud obscurè significat desertam ab Ioramo fuisse obsidionem: in qua tamen, loco sui proregem Iehu reliquerat.

IX. *Pars negās.*

SED vtramque sententiam Iosephus rectè conciliabit. Ait enim Ioramum in ea oppugnatione sagitta ictum à quodam Syro, in Azaram vrbem, se recepisse curandi vulneris gratia; relicto in obsidione Ramathæ toto exercitu, cui præfecerat Iehu: hæc pro veritate vulgatæ editionis faciunt. Addit autem, quod alteri quoquo modo fauet. *Qui illam*, inquit, *vi expugnatam recep̄it; erat autem ei propositum percurato vulnere Syros bello aggredi. &c.* Oppugnauit igitur Ioram per se, suosque ciuitatem: per suos autem captam custodiuit sibi. Denique paulo post edicitur, vt nemo egrediatur profugus de ciuitate, ne vadat, & nunciet in Iezrahel. Erāt ergo in ciuitate, eamque habebant in potestate; alioqui non potuissent egressum impedire. Itaque sentit Abul. [e] interiorem vrbem a Iehu captam fuisse, ar-

X. *Conciliantur ambæ opiniones.*

*e q. 6. in hūc locum.*

cem autem adhuc in Syrorum potestate mansisse.

XI. *Adit propheta principem Iehu, & vngit.*

INGRESSVS est ergo discipulus Elisæi in ciuitatem Ramoth, paulo ante à ducibus occupatã: in domum aliquam, vbi principes exercitus sedebant, concilium de bellicis rebus, de more agitantes, & oculis ad Iehu cõuersis ait, *verbum mihi ad te, ô princeps. Dixitq. Iehu, ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit. Ad te, ô princeps: & surrexit, & ingressus est cubiculũ.* Cubiculum non castra, sed domum & ciuitatem declarat. *At ille fudit oleum super caput eius.* Vatab. intelligit opobalsamum nomine olei. Tostat. [a] mauult cõmune oleum, quod in promptu esset prophetæ festinanti. Oleum autem sacrũ in tẽplo seruabatur, nec erat in prophetæ potestate, nec obtineri poterat, nisi propalata re, quam oportebat esse occultissimam. [a] q. 5. in c. 9

XII. *Editq. oraculum contra Achabum.*

ORACVLVM autem ipsum hoc fuit [b]. *Hæc dicit Dominus Deus Israel, vnxi te regem super populum Domini,* qui est in regno *Israel*, neq. enim regnũ Iudæ tui iuris esse volo, vnxi autem, vt *percutias domum Achab domini tui*, cuius tu hactenus stipendiis militasti, *Et vlciscar sanguinem seruorum meorum Prophetarum, & sanguinem seruorum omnium Domini de manu Iezabel*, in quibus Naboth cũ filiis suis. *Perdamq. omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingentem ad parietem*, ne canes quidem reliquos faciã, nedum homines, qui ad Achabum quoquo modo pertineant. In iis autẽ non solum viros egregios occidi volo, sed eos quoque qui abiectissimi sint, quique propter animi, corporisue defectus domi se clausos contineant, neq. in publicum, cũ familiæ dedecore prodire audeant[c]. Non parces iis, qui præstãtibus, ac regiis naturæ dotibus præditi sunt, ac ne iis quidem, qui conditione miserabiles, animum tuum possent ad misericordiam inflectere, omnes hauriet gladius tuus. Volo enim Achabi domum fieri instar domus Ieroboami filij Nabat, & sicut domum Baasa filij Ahia. [b] 4. Reg. 9. 6 [c] Abul in hunc locũ

XIII. *Et contra Iezabelem.*

NEQVE hic malorum, & vltionum finis: illam enim maximè gladio diuinæ animaduersionis peti oportèbat, quæ fons, & caput omnium malorum fuit, quæ regem Achabum perdidit, & ad omnia scelera pertraxit, quæ manus suas, animumque, prophetarum, aliorumque innocentium sanguine cruentauit. Ergo *Iezabel comedent canes in agro Iezrahel, nec erit qui sepeliat eam.* Itaque duo exigit Dominus à Iehu, quorum gratia ipsum ad solium regium euexerit, primum, vt vlciscatur sanguinem prophetarum, & seruorum Domini contra impiam Iezabelem, eam scilicet interficiendo, & canibus præbendo dilacerandam. Secundo, vt disperdat omnem familiam Achabi à minimo vsque ad maximum, sicut iam in duabus regum familiis cõtigerat. Cum autem Iudæis omnibus esset acerbissimum posteritate priuari, vt lex de suscitando semine defuncti sine liberis abundè testatur, tum maximè principibus viris, quorum prima fere laus à generis antiquitate petitur. Propterea que Dauid in maximis Dei beneficiis numerabat promissam sibi posteritatem *vsq. in sempiternum* [d]. Cæterũ has easdem minas in Achabũ, Elias iam ante annos 15. [e] in faciem eius non sine terrore effuderat. Baasa. Ierob. [d] 2. Reg. 7. [e] 3.3137 nu. 16 & seqq 3. Reg. 21. 21.

XIV. *Abit propheta, Iehu à sociis interrogatur.*

PERFVNCTVS munere suo propheta, memor præcepti magistri sui Elisæi, *aperuit ostiũ*, quod ante clauserat, ne quis fieret ceremoniæ testis, aut vaticinij particeps, donec perfecta res esset. *Et fugit*, ne forte euulgata re, aliquis eorum, qui ad domum Achabi sanguine, affinitate, vel familiaritate pertinebant, eum tãquam defectionis autorẽ comprehenderent, & occiderent. *Iehu autem egressus est ad seruos domini sui: qui dixerunt ei, Rectène sunt omnia? quid venit insanus iste ad te?* quasi diceret. Nũ quid mali nuncij est à propheta. Insanum autem vocant, quia pro furiosis sæpe habiti sunt, eo quod insiliente in eos Spiritu Domini, sæpe sui compotes non videbantur. Quod ipsum & spiritus diabolicus faciebat, iuxta illud:

*——— Non vultus, non color vnus.*
*Non comptæ mansere comæ: sed pectus anhelum,*
*Et rabie, fera corda tument, maiorque videri*
*Nec mortale sonans, afflata est numine quando.*
*Iam propiore Dei. ———*

XV. *Nunciat regnum sibi delatum.*

QVI *ait, nostis hominem, & quid locutus sit.* Nulla est interrogatio. *Percontantibus autem illis*, inquit Ioseph. [f] *qua de causa venisset iuuenis, & insanum videri dicentibus: Rectè*, inquit, *coniecturam facitis, nam insani verba locutus est. Illis vero magis etiam sibi exponi quid esset orantibus, regnum populi sibi à Deo delatum, ait illum dixisse.* Textus signi- [f] l 9. c. 4.

ficare videtur, alia quoque dicta fuisse à Propheta, & inter alia ipsum regem factum super Israël. Ad hanc vocem omnes diuinitus excitati, ei statim regnum detulerunt. *Festinauerunt itaque, & vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba; & dixerunt. Regnauit Iehu.* In hebræo habetur: Acceperunt quisque vestem suam, & posuerunt subter eum, ad fastigium graduum. Septuagint. retinuerunt vocem hebræam Garem, quæ summitatem, & fastigium significat. Gradus scilicet aliquos opere tumultuario excitarunt, quos palliis suis loco aulæorum constrauerunt, & in summo eorum ipsum collocarunt. Chald. in gradu horarum, forte in gradibus horologij, qui speciem tribunalis referre facile poterant.

XVI. *Proclamatur rex, & alia ceremoniæ.*

IOSEPHVS valde consentit editioni vulgatæ. *Hæc vbi prolocutus est, vnusquisque ducum detraxit sibi pallium, quibus congestis in speciem solij, & ipso superimposito, tubis & cornibus iusserunt signa canere, Iehum nouum regem consalutantes faustis acclamationibus.* Vides quamuis in re turbida, seruatas non paucas ceremonias inaugurandorum regum. Prima fuit iniunctio, à propheta facta; altera, populi acclamatio, qua is Iehu in regem accepit: tertia, collocatio regis in solio regali: accessit quarta, initi fœderis regem inter & populum, quo hic regi fidem, & obedientiam, ille populo paternam prouidentiam, curam, defensionem contra hostes promitteret. Id verbis illis continetur. *Coniurauit ergo Iehu filius Iosaphat, filij Namsi contra Ioram.* Coniuratio enim multorum est simul iurantium, & pactum aliquod iureiurando roborantium, quæ est Abul. interpretatio. *

* in expos text. & q. 14 & 16.

XVII. *Prouidet vt secreta sit coniuratio.*

EA suorum voluntate cognita, regnoque admisso in perniciem domini sui, prospiciendum fuit, ne is maturè monitus, fuga sibi consuleret, Samariam munitissimam peteret, sicq. irriti fierent conatus eorum, nihilque aliud quam perduellium, & cõiuratorum nomen, & supplicium adipiscerentur. *Dixitque Iehu, si placet vobis, nemo egrediatur profugus de ciuitate* (eam ergo iam occuparant) *ne vadat, & nunciet in Iezrahel.* Nec opinãtem enim Ioramum voluit opprimere. Nihil de Ochosia propheta dixerat. Licet Iosephus dicat Iehu vtrumq. opprimere voluisse. *Quos*, ait, *vt Iehu repentino accessu opprimeret, edixit, vt è suis militibus nemo Ioramo indicium faceret. Hoc enim eximium fore argumentum, quod bona fide regnum sibi detulerint. Milites vero læti imperata faciunt, & omnes vias obsident, ne quis ad Ioramum, illis inscijs, peruenire, & quid agatur, renunciare valeat.*

XVIII. *An in ea peccatum sit.*

APPARET autem in hac coniuratione, neque à populo, neque à nouo rege peccatum. Sciebat enim populus reges à Deo solio imponi posse: ac pro arbitratu suo, maxime culpis eorum exigentibus deponi, & abdicari. De diuina autẽ voluntate eis satis constabat, tam ex Eliæ oraculo Achabo edito, quã ex præsenti missione ab Elisæo facta, prophetæ, à quo rex nouus inunctus esset. Accedebat, & internus animi motus, quem Deus principibus, totique exercitui suggessit erga Iehu, vt eum verum dicere, & à Deo in regem electum esse, nullo modo dubitarent. Neque enim sine motione diuina, totus populus ita subito à Ioramo auersus, & ad Iehu fuisset conuersus. Quæ cum notiora essent ipsi Iehu, etiam cum merito diuinam vltionem, quamuis periculosam atque difficilem, exequendam suscepit. Et quia id sine auxilio exercitus fieri non potuit, eius sibi opem iureiurando firmatam exegit aduersus eum, quem Deus nolebat vltra regem esse.

Abul. q. 15. & 16.

XIX. *Iehu venit in Iezrahel*

ET *ascendit, & profectus est in Iezrael*, derelicta arcis oppugnatione. Vrgebat enim præsens negotium, in quo, non de obtinenda arce vna, sed reg no vniuerso agebatur: & grauissimum erat in mora periculum. Recenti quoque exercitus calore vtendum erat, ne eo frigescente, varias in partes schismate distraheretur. Denique par erat Dei iussionem, cuius negotio anteferri, atq. antiquiorem duci. In Iezrahel autem transmisso Iordane profectus est, *quoniam Ioram*, cuius vnius petebatur caput, *ægrotabat ibi, & Ochosias rex Iuda descenderat ad visitandum Ioram. Igitur speculator, qui stabat super turrim Iezrael, vidit globum Iehu venientis.* (Septuag. habent puluerem globi.) Fidelis speculator, maturè monuit de periculo, antequam id satis posset agnoscere, *& ait. Video ego globum. Dixitque Ioram. Tolle currum*, siue equitem cursorem, vt est in hebræo & græco, *& mitte in occursum eorum, & dicat vadens: Rectène sunt omnia?*

Idem q. 16 in c. 9.

XX. *Occurrens nuntiorum.*

ABIIT *ergo qui ascenderat currum in occursum eius, & ait, hæc dicit rex. Pacatáne sunt omnia? Dixitque Iehu. Quid tibi & paci? transi, & sequere me*, quasi dicat: Quid tua intereſt pax ne ſit, an bellum. Ne tamen iſte regrediens regem periculi admoneret, non permiſſus eſt regredi. Paulo aliter Ioſephus. *Ille è veſtigio mittit quendam equitem, qui occurrat, & cognoſcat quiſnam veniat. Ad quos vbi acceſsit eques, rogat quid agatur in exercitu. Regem enim ſcire cupere: Iehu iubet illum nihil hac de re eſſe ſollicitum, & vt ſequatur ſe cum alijs. Nunciauit quoque ſpeculator dicens: Venit nuntius ad eos, & non reuertitur. Miſit etiam currum equorum ſecundum*, id eſt, equum currilem cum equite, *venitque ad eos, & ait, hæc dixit rex: Nunquid pax eſt? Et ait Iehu, Quid tibi & paci? Tranſi, & ſequere me.* lib. 9. cap. 5.

XXI. *Agnoſcitur Iehu.*

HIC rurſum ſpeculator, *venit vſque ad eos, & non reuertitur; eſt autem inceſſus quaſi inceſſus Iehu, filij Namſi, præceps enim graditur.* Eleganter reddidit Hebræum, *furioſè*: ſignificat Iehu ſolitum præproperè agitare currum. Pagninus, *furioſè incedit.* Montanus, *in temeritatem ducit*, שגע ſchagah enim eſt inſanire, qua voce paulo ante vſus eſt, dum prophetam vocauit inſanum, vt mirum ſit Chald. interpretari, *in quiete ducere*. Et Ioſephus, *Lente, & compoſito agmine Iehu incedebat*. Septuaginta ἐν παραλλαγῇ ἦγε, quaſi dicat, *in aberratione mentis*, quomodo etiam Plato eam vocem vſurpauit. *Et ait Ioram, Iunge currum, iunxeruntque currum eius, Et egreſſus eſt Ioram rex Iſrael, & Ochoſias rex Iuda ſinguli in curribus ſuis;* vtique ſatis imprudenter, dum neſcirent quo animo veniret is, qui ferebatur præceps, neque nuncios remittebat. Sed nimirum Deus eos ducebat ad victimam, & ad deſtinatum ſupplicij locum. *Egreſſique ſunt in occurſum Iehu.* Beda.

XXII. *Ipſi occurrunt reges.*

EXISTIMAVIT Ioram honorandum Iehu, principem exercitus ſui, quem optima nuncia ipſum per ſe referre voluiſſe credidit; ideóque nec permiſiſſe præmiſſos nuncios eum anteuertere. Sed longe opinione ſua falſus eſt, cum Ochoſia, itineris comite honorario. Nam *inuenerunt eum in agro Naboth Iezrahelitæ*: tum Ioram, *Pax eſt Iehu? At ille reſpondit. Quæ pax?* Septuag. Reg. *Quid tibi, & paci? Adhuc fornicationes Iezabel matris tuæ, & veneficia multa vigent*, id eſt, nondum expiata ſunt, aut ſuppliciis vindicata ſcelera, & idolomania impiæ, & veneficæ matris tuæ. Nam fornicatio hic quoque de idololatria intelligitur paſſim ab interpretibus: hoc enim nomine Iezabel, maxime infamis fuit. Ioſephus tamen de corporea fornicatione intellexit: ait enim, *hunc Ioramus in ſuburbano Nabothi nactus, rogat ſatin' ſalua res ſint in exercitu; à quo amarulento conuicio exceptus, & veneficæ meretricis filius appellatus, facile cogitans nihil ſani eum habere in animo, flexis habenis cœpit fugere. Vatablus quoque fornicationes, artes meretricias eodem ſenſu appellat.*

XXIII. *Joramus interficitur.*

CONVERTIT *autem Ioram manum ſuam*, iuſſit ſcilicet aurigam habenas equorum dextrorſum, aut ſiniſtrorſum inflectere ad fugam, *Et fugiens, ait ad Ochoſiam, inſidiæ Ochoſia. Porro Iehu tetendit arcum manu, & percuſſit Ioram inter ſcapulas* auerſum ſcilicet ad fugam. *Et egreſſa eſt ſagitta per cor eius, ſtatimque corruit in curru ſuo. Dixitque Iehu ad Badacer ducem: Tolle, proijce eum in agro Naboth Iezrahelitæ. Memini enim quando ego, & tu ſedentes in curru, ſequebamur Achab patrem huius, quod Dominus onus hoc leuauerit ſuper eum:* prædixerit ei hoc malum ingens, & graue damnum, quod ei impendebat, dicens: *Si non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum eius, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro iſto, dicit Dominus.* Hæc iam ſupra expoſita ſunt, eo ipſo tempore quo facta eſt prophetia [a], ſed tunc nulla facta eſt mentio filiorum Nabothi: hoc autem facta eſt, cum filij Achabi, filiis Nabothi ſuo ſanguine parentarunt. Ochoſias enim filius filij Achabi, in eiuſdem filiis cenſeri potuit. *Nunc ergo*, inquit Iehu, *tolle, & proijce eum in agrum, iuxta verbum Domini.* a 3. reg. 21. 22.

XXIV. *An caruerit ſepultura Ioram.*

PROIECTVS legitur, ſepultus non legitur, cum tamen de Ochoſia mox occidendo legatur, delatum corpus eius, à ſeruis ſuis in Ieruſalem, ibique ſepultum. Accedit quod tam Elias, quam propheta qui inunxit in regem Iehu, prædixerunt domum Achab futuram ſicut domum Ieroboam, & domum Baaſa; contra vtramque autem denunciatum eſt ab Ahia Silonite, & Iehu filio Anani fore vt abiicerentur inſepulti in prædam volucribus cæli, & beſtiis terræ. Denique de Achabo legimus. [b] *Si mortuus fuerit Achab*, ſiue de Achab *in ciuitate, come-* b 3. reg. 21. 24.

*dent eum canes, si autem mortuus fuerit in agro comedent eum volucres cæli.* Oportet ergo hoc vel in Achabo, vel in alio saltem filiorum eius impletum esse: non apparet autem in tota Scriptura cui id magis conueniat quam Ioramo.

NIHILOMINVS dicendum videtur cum Tostato, proiectum quidem in terram Ioramum, vt suo sanguine agrum Nabothi cruentaret, & impleret Eliæ vaticinium; mox autem obscuræ, atque ignobili traditum sepulturæ. Illum autem locum, Abul. interpretatur de Achabo; qui tamen eam pœnam pœnitentia sua effugerit; quod eo loco improbauimus.[a] Alij ad Iezabelem coarctant, quæ maxime ad Achabum pertinebat, durè vtique, ac coactè. Alij deniq; rectius, vt opinor, illud *comedent* impletum putant, cum tota posteritas Achabi, cum ipso Achabo, violenta morte perierunt, & sanguinem eorum, aut stillantem canes linxerunt, aut concretum esitarunt, aut esitare potuerunt, priusquam sepulturæ mandarentur. XXV. *Quomodo domum Achabi canes, aut volucres comederint.*

a Ann. Achab. et. n. 11.

ACCEDIT quod de Iezabele Achabi vxore, in vtraque illa prophetia, dictum fuerat fore vt à canibus voraretur, vt quæ esset omnium nocentissima, idque accuratè perfectum est. Ergo id de Ioramo, aut aliis, præter Scripturam asserendum non est. Et cum Iehu legatur iussisse, vt Iezabel sepeliretur, haud dubiè de Ioramo idem præcepisse credendus est. Agnouit autem postea eam pœnam, peculiariter Iezabeli fuisse destinatam: neque Dominum voluisse vt par esset huius, & cæterorum supplicium. Fuerit ergo hic quoque à seruis suis, delatus in Samariam, & in paternum sepulchrum illatus: Ibi enim Achabum legimus sepultum.[b] Nec tamen magnificè conditus est, ne id cederet in interfectoris iniuriam, qui iam rerum potiebatur, & huiusmodi humanitatis officium indulgenter patiebatur exerceri, cum id præter Eliæ mentem, eiusque vaticinium esse videretur. XXVI. *Videri sepultum Ioramum nominatim.*

b 3. Reg. 22 37.

OCHOSIAS *autem Rex Iuda, videns hoc, fugit per viam domus horti.* Septuag. retinuerunt Hebræam vocem Bethagan, significantes id esse nomen proprium viæ illius, quæ nomen acceperit, quod ad egregium quendam hortum, & domum eius duceret. Hortum autem præstantiorem fuisse domo conuenit, cum dicatur domus horti, non hortus domus ipsius. Fuisse autem hanc viam ab hoc euentu nobilitatem, ideoque & hic memoratam credibile est. Vatab. explicat per viam domus horti, ac si dixisset per hortos, aut per viam arboribus consitam, ideoque secretiorem, quod probat etiam Chal. Prior tamen expositio magis placet, magisque textum explicat. *Persecutusque est eum Iehu, & ait. Etiam hunc percutite in curru suo, & percusserunt eum.* Gladione, an sagitta incertum, percussus tamen est à militibus Iehu, *in ascensu Gauer, qui est iuxta Ieblaam, qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi.* Hæc omnia loca sunt vicina ciuitatis Iezrahel, omnia in tribu Manasse cis Iordanem. XXVII. *Ochosias fugit, percutitur.*

ETSI autem Scriptura dicat percussum Ochosiam à satellitio Iehu, Iosephus ab ipso Iehu sagitta percussum dicit, idque exigit illud mandatum. Edit. vulgat. *percutite*; vox tamen *percusserunt* suppressa in Hebræo. & Chald. & Septuag. Reg. à Hieron. rectè suppleta est. Septuag. tamen Sixti habent, & percussit, nisi pro ἐπάταξεν legas ἐπάταξαν numero multitudinis. *Cæso autem Ioramo,* inquit, *Ochosias suæ quoque saluti metuens, in aliam viam deflexit, latere se Iehum existimans: at ille assecutus eum ad quendam cliuum sagitta ictum sauciat: qui relicto curru, equum propere conscendit, & continuato cursu, delatus est in Mageddonem oppidum, vbi paulo post ex eo vulnere mortuus est.* De relicto curru, id à Iosepho, parum probabiliter excogitatum, & textui adiectum est. Non enim imminens hostis, id ei spatij dedisset, ratus leui tantum vulnere perstrictum, mortem facile euasurum, & exiguam plagam, multorum crudeli morte vindicaturum. Itaque credibile quidem est, semimortuum in curru suo iacuisse, ipsaque agitatione vehementiore, ac crebro succussu, iniqua in via, amplificatum, atque exacerbatum vulnus, mortem accelerasse. Nihilominus certius est, ex [c] 2. Paral. eum extractum è latebris, ad Iehu adductum, & ab eo interfectum, vt mox dicetur. XXVIII. *Moxque moritur.*

c 2. Paral. c.22. 9.

LICVERIT ne autem Iehu occidere Ochosiam regem Iudæ, in quæstione est. Id enim ab eo non rectè factum, ex eo apparet, quod nihil de eo fuerat, ibi diuinitus per prophetam imperatum; nec propriè ad familiam Achabi perti- XXIX. *An rectè occisus à Iehu.*

nebat, quæ per filios propagatur; filiæ enim, puta Athalia, Ochosiæ mater, ad aliam transeunt familiam, & odia restringenda sunt potius, quam amplianda. Dicendum videtur cum Tostato, hanc fuisse Dei voluntatem, vt aperte dicitur in 2. Paral. c. 22. *Voluntatis quippe Dei fuit aduersus Ochosiam, vt veniret ad Ioram, & cum venisset egrederetur cum eo aduersum Iehu*, & videlicet a Iehu cum Ioramo occideretur. Itaque in Hebræo legitur. *Et à Deo erat conculcatio Ochosiæ, veniendo ad Ioramum*, id est volebat Deus quasi pedibus proteri Ochosiam, occasione visitandi Ioramum ægrotantem. De illa autem voluntate nouo huic regi, qui Dei voluntatem exequebatur, oportuit omnino constitisse. Quod minimè absurdum videtur, cum Iehu electus fuisset à Deo, vt vindictam Domini in prophanos istos Principes exerceret: & hic vnus maximè impedire poterat, ne in reliquam Achabi familiam Dei iussio impleretur: [a] & alioqui ob perfidiam idolatriæ, erat mortis reus, sicut domus Achabi, in cuius vestigiis pedem posuerat. a Tostat q. 14 in ca. X 4. Reg.

XXX. *Dubitatio de loco mortis.* GRAVISSIMA porro occurrit difficultas circa locum mortis Ochosiæ. Nam narratæ [b] ex quarto regum historiæ multum videtur repugnare quod in 2. Paral. scriptum est. [c] *Ipsum quoque perquirens Ochosiam comprehendit latitantem in Samaria, adductumque ad se occidit, & sepelierunt eum; eò quod esset filius Iosaphat.* Nam quomodo comprehendit latitantem, qui cum Ioramo venit obuiam Iehu in curru suo? Quomodo in Samaria occidit, quem occidisse perhibetur in ascensu Gauer? Quomodo in Samaria latuit, cum viuo Ioramo auunculo, ibi nullam timendi occasionem habuerit, mortuo Samariam non videatur ingressus: sed in Mageddo mortuus fuerit, & Ierosolymam ad sepulturam delatus? Dicendum videtur Ochosiam reuera non profugisse in Samariam, neque ibi latuisse, aut occisum esse à Iehu, qui non nisi post aliquot dies, iam occisa Iezabela, & Septuag. filiis Achabi, Samariam profectus est, Ochosia Hierosolymis iam sepulto. Sed dicendum illum in Mageddo latuisse, ibique perquisitum, atque inuentum, ad Iehu, priusquam ingrederetur Iezrahelem, adductum esse, ab eoque occisum. Cæterum in lib. 2. Paral. Samariam regni metropolim, pro ipso regno Israëlis sumptam videri; idque notari à Scriptura; quod præter opinionem sit regem Iudæ in regno Israëlis latebras petiisse. In regno autem Samariæ latuit, nimirum in Mageddo, vbi deprehensus a militibus Iehu, & ad ipsum adductus, ab eodem occisus est, moxque in curru Ierosolymam ad sepulturam delatus. b 4. Reg. 9 c 2 Paral. 22 9.

*Samaria pro regno Israelis.*

XXXI. *Sepelitur Hierosolymis.* MORTVVM ergo Ochosiam [d] *imposuerunt serui eius super currum suum, & tulerunt in Ierusalem, sepelieruntque eum in sepulchro cum patribus suis in ciuitate Dauid. Anno vndecimo Ioram filij Achab, regnauit Ochosias super Iudam*, quæ verba supra exposita sunt in fine anni vndecimi Ioram. Hic autem repetuntur, vt intelligatur eum perexiguo tempore, propter scelera sua, regnasse: qui sibi longissimum regnum polliceri poterat, vt qui vigesimumtertium tantum vitæ annum ageret, vt supra probatum est. Eum Iosephus ait [e] fuisse patre longe sceleratiorem, sed id elogium, nec ætas probabile facit, nec Scriptura tradit. Ait enim tantum fecisse malum coram Domino, sicut domus Achab, cuius erat gener. [f] d 4. Reg 9. 28. e l 9. c. 5. in fi. f 4. Reg. 8. 27.

XXXII. *Iehu venit in Iezrahel.* INTEREA Iehu venit in ciuitatem Iezrahel, vnde vterque rex, paulo ante ei obuiam venerat. *Porro Iezabel introitu eius audito, depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, & respexit per fenestram ingredientem Iehu per portam*, doloremque animi, ob mortem Iorami filij sui, dissimulans, comprimensque, *Nunquid, ait, Pax potest esse Zambri, qui interfecit Dominum suum?* Per conuicium vocat Iehu Zambri, proditorem scilicet, & tortorē domini sui, vt qui occiderat regem suum, Elam filium Baasæ; [g] vt Iehu Ioramum filium Achabi. Simul etiam significans eum, in vltionem tanti sceleris, breui sicut Zambri esse periturum: qui regno per vim, ac fraudem adepto, vix septem diebus potitus, vltro accersito incendio viuus deflagrauit: eo illum adigente Amri, qui fuerat socer Iezabelæ. g 3. Reg. 16. 10.

XXXIII. *Qui a Iezabele exceptus sit.* QVEM autem ad finem hic vetulæ fucus, & ornatus? an vt placeret Iehu? quem scilicet atroci conuicio venientem excipiebat. An venerationem, & timorem Reginæ debitum captare voluit, quem augerent etiam verba contumeliosa? quod video Abul. & Vatabl. placuisse, qui ait Iezabelem dignitatem regiam vsque ad mortem tueri voluisse. *Iezabela*, inquit Ioseph. *ornatu regio, stans in turri, ô seruum egregium inquit, qui dominum suum occidit.* Reddebat audacem, quod se vt h lib 6 c. 6.

mulierem consideret, à viro militari non interfectum iri, quòd id probro vertatur, non laudi. Morte autem vitata, sperabat aliquem de filiis suis, qui magno numero in Samaria nutriebantur, ad regnum assumi posse, eiusque opera Iehu occidi, aut debellari, séque pristinam dignitatem, vt regis matrem, conseruaturam. Infelix quæ imminentem mortem anteacta vita dignam non sentiebat!

XXXIV. *Eam agnoscit Iehu.*

Levavit enim *Iehu faciem suam ad fenestram, & ait. Quæ est ista?* Quidam libri Latini addunt responsionem, quam tanquam Hieronymi agnoscit Abul. *& dixerunt. Hæc est illa Iezabel*, quæ ab Hebræis, Chaldaicis, Græcis, & Latinis emendatis absunt, nec sunt necessaria. At in Hebræo, *Quis mecum quis?* id est, quis ibi cum illa, qui à parte mea stet? vel, quis ibi est qui me audiat, vt faciat quod iussero? Septuag. Quis? vel, Quæ es tu? descende mecum, vel ad me. Ita habet etiam Iosephus. *Ille suspiciens rogauit quænam esset, iubens ad se descendere.* Sic nimirum irridet importunam mulieris arrogantiam, erga quam se dominum exhibet, illam quasi ancillam tractat. Existimat Tostatus, iuxta textum Hebræum, primo aspectu Iehu satis cognitam fuisse Iezabelem, quam etiam importuna loquendi licentia alioqui satis prodebat; itaque non rogasse quænam esset, sed circumspexisse, qui idonei circa se forent, qui in turrim ad illam ascenderent, vt inuitis domesticis illam præcipitem ageret. Verum ea quæ mox subditur inclinatio, & Eunuchorum nomen, innuunt illos fuisse ipsius Iezabelis familiares, ac domesticos; qui nunc aliò spes suas transferebant, & isto sibi obsequio nouum regem demereri cupiebant.

XXXV. *Et iubet à suis in præceps dari.*

a Sicut cum Hebræo.

Et *inclinauerunt se ad eum, duo vel tres Eunuchi.* Septuag. [a] Et respexerunt ad eum duo Eunuchi regis, & inclinauerunt se ad eum duo Eunuchi eius, id est cubicularij, parati eius mandata facere, & ostendentes se ab eius partibus stare, vt notat Vatab. Ex quo intelligitur quam fluxa & lubrica sit, multorum aulicorum fides, & quam ficta beneuolentia. Nam isti, heri adorabant Iezabelem, hodie omnium beneficiorum eius obliti, omni necessitudine obliterata, parati sunt eam per fenestram in præceps dare. Nam cum Iehu eis dixisset, *præcipitate eam deorsum præcipitauerunt eam, aspersusque est sanguine paries, & equorum vngulæ conculcauerunt eam.* In Hebræ. *conculcauit eam.* Quod explicat Vatab. decidisse illam in equum Iehu, & aliorum qui erant in comitatu eius, primumque Iehu, tum cæteros, eam equorum pedibus protriuisse. Iosephus consentit vulgatæ, quæ habet illam inter cadendum cruentasse parietem, & vbi solum attigit, ab equitibus conculcatam, & obtritam periisse. Apparet autem memoratum hoc loco parietem, ad illud antemurale pertinere, quod est in Hebræo in tertio Reg. [b]

*Quod illa exequuntur.*

b 3.Reg.21.23.

XXXVI. *Mandat sepeliri Iezabelem, an recte.*

c 3.Reg.16.31. Filia Ethbaalis, nurus Amri, vxor Achabi, mater Iorami. Ochosiæ, & Athaliæ, socrus Iorami Iud. auia Ochosiæ Iud.

d 4.Reg.9.10.

Cvmqve *ingressus esset vt comederet, biberetque, ait, ite, & videte maledictam illam: & sepelite eam; quia filia regis est,* Nempe Ethbaalis regis Sidoniorum. [c] Detur hic honor regiæ familiæ, ex qua orta est. nec filia tantum regis fuit, sed vxor, & nurus, & mater, & socrus, & auia: neque eam tot nomina à tam infami, totque sceleribus debita morte liberarunt. In qua iussione non est arguendus Iehu, quasi neglector diuini decreti, ad quod exequendum rex factus fuerat: quo nominatim de Iezabele dictum fuerat, *nec erit qui sepeliat eam.* [d] Ergo, inquies, prohibere debuit ne sepeliretur, ne per eum staret, quo minus impleretur id, ad quod exequendum diuinitus electus fuerat; nedum iubere vt sepeliretur. Id ergo obliuioni tribuendum est, non enim tum recordabatur vaticinij, sed mox reuersis seruis suis, memoria repetiit Eliæ prophetiam, quam eius inunctor renouauerat. Deus autem in recenti re, abstulit Iehu memoriam Iezabelis, vt dum ille pranderet; canes quoque, in lacerandis Iezabelis carnibus, rabidam exsaturarent famem.

XXXVII. *Eam iam discerptam vorarant canes.*

Cvmqve *issent vt sepelirent eam, non inuenerunt nisi caluariam, & pedes, & summas manus.* Nimirum statim atque pertransiit equitatus, famuli pedites certatim eam monilibus, omnique ornatu, ac vestibus spoliarunt; Tum diuino instinctu, validi, toto ex oppido canes, vngulis equorum deformatam, ac contrucidatam dentibus appetere, distrahere, ac dilacerare; hic caput, ille brachium, hic membrum vnum, ille alterum obstinatiore morsu, & cruento rictu apprehensum auferre, & in tuto ad saginam collocare omnibus, ad spectaculi magnitudinem, ac nouitatem admiratione defixis. Eoque factum est vt regij ministri, non nisi caluariam, cui molossus aliquis, facie iam, cerebroque deuorato, inhiabat, pedes

item, & summas manus, quibus alij canina, atque inexplebili fame adhærescebant, reperire potuerint.

XXXVIII. *Prætereuntium admiratio.* ERVPIT etiam in voces prætereuntium admiratio, vt dicerent, *haeccine est illa Iezabel?* Quomodo tanta gloria, in tantam repente calamitatem versa est? vbi regiæ illæ deliciæ, illi conuiuiorum apparatus, illæ mensæ pseudoprophetarum stipatæ turmis, illæ filiorum, ac nepotum cohortes, illæ famulorum, ac famularum cateruæ? vbi oculi stibio depicti, vbi auro ac gemmis ornatum caput, vbi sacrilegum illud os, quod Baalam exosculabatur, ac prædicabat, Deum Israëlis blasphemis vocibus impetebat? vbi sæuum, ac crudele illud os, quod innocentium dictabat cædes, struebat calumnias, falsosque testes subornabat? quod prophetarum carnificinam imperabat, quod maritum, quod filios, quod generum ad impurissimos ritus acuebat? vbi venter libidinibus exsaturatus, manus veneficiis, cædibusque stillantes, pedes conculcatis sanctorum aceruis cruentati? Nemo est in septuag. filiis qui parentet matri, qui corpus condiat, qui Mausolæum excitet, qui funus lamentis, aut fœmineo vlulatu prosequatur. Id totum officium auidi vultures, corui crocitantes, ringentesque molossi occuparunt; cætera in inferis reddet tartareus Baal.

*Elogium, siue Epitaphium Iezabelis.*

XXXIX. *Reliquiæ Iezabelis.* ADMIRATIONEM non videntur agnoscere Hebræi, & Græci codices, sed tantum dicere, Iezabelem non cognitum iri ab hominibus. Voluit tamen Dominus reseruari partem aliquam eorum membrorum, quæ magis agnosci possunt, vt minime dubia esset diuina vindicta in scelestum illud caput. Alioqui potuissent illæ quoque corporis partes à canibus auferri; sed ita prouisum est, ne quis suspicari posset totum cadauer, à quopiam subditorum sublatum, ac terræ mandatum fuisse. Cæterum caluariam, pedes, ac manus, æquè habent Hebræi, Septuag. Chaldæus. Iosephus autem, *Nihil reliquum*, inquit, *inuenerunt de cadauere, præter manus, & faciem, consumptis cæteris à canibus.* Verum non satis fideliter Gelenius, nisi forte alia exemplaria nactus est, qui semper Basileensem editionem sequitur; In ea enim, vel in cæteris, neque faciei, neque manuum fit mentio, sed tantum μόνων ἀκρωτηρίων extremorum, scilicet manuum, & pedum. Eo autem nomine, an caluaria quoque comprehendi possit viderit Iosephus.

XL. *Agnoscitur diuinū iudicium.* REVERSIQVE nunciauerunt ei, quo loco tota res esset. *Et ait Iehu, sermo Domini est, quem locutus est per seruum suum Eliam Thesbitem dicens. In agro Iezrahel comedent canes, carnes Iezabel, & erunt carnes Iezabel, sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrahel, ita vt prætereuntes dicant, haeccine est illa Iezabel!* In Hebræo, Græc. & Chald. est negatio, in hanc sententiam. Nihil superfuit de cadauere quod sepeliretur, vt nemo dicere posset, conspecto eius sepulchro, *hic iacet illa Iezabel*, sed interrogatio, quæ in vulgata est, supplet negationis defectum.

Et hæc quidem est epitasis fabulæ, progressusque funerum: hic quasi secundus cruentissimæ tragœdiæ actus, qui tamen nihil admodum luctuosum habet, quòd hi hactenus interfecti sunt, in quorum cæde facile dixeris *factum bene*: mali enim, vt æquum erat, male periere. Quæ autem deinceps sequuntur, vere tragica sunt, & atrocia. Mors scilicet septuaginta filiorum Achabi, quos partim Achab, partim Ioramus ipse, ex variis vxoribus susceperant, quibus tota culpa fuit, in familia impij regis esse natos.

XLI. *Literæ Iehu ad Samaritanos.* IEHV ergo non immemor quem ad finem rex factus esset, & satis intelligens ad susceptam Achabitarum stragem, celeritate, & concepto iam ex Regum, & Reginæ morte, terrore vtendum esse, *scripsit* quamprimum *literas*, *& misit in Samariam, ad optimates ciuitatis, & ad maiores natu, & ad nutritios Achab* dicens. Statim vt acceperitis literas has *qui habetis* sub cura ac prouidentia vestra *filios domini vestri* Iorami, & Achabi, nam filij Iorami regiæ successioni propiores erant, quam ipsorum patrui, fratres Iorami, & filij Achabi: vos inquam *qui habetis in potestate* regios *currus & equos*, virosque bellatores ex eis pugnantes, & robur exercitus, *& ciuitates firmas, & arma, eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit, de filiis domini vestri, & eum ponite super solium patris sui, & pugnate pro domo domini vestri*, contra me, qui vos illico infesto exercitu petam.

XLII. *Quibus nō satis prudenter territi.* SATIS intellexerunt non esse hoc Iehu consilium, vel præceptum, sed meram ironiam; aut potius minacem belli denunciationem, nisi eum pro rege suſ-

ciperent, parati imperata facere. Nam illa omnia, præter ciuitates, in potestate habebat Iehu, cum exercitu, quem reduxerat à ciuitate Ramoth: easque iam rege mortuo facile iuris sui facturus erat. Itaque cum is non sine causa tam ferociter agere, atque imperiose loqui videretur, *timuerunt illi vehementer, atque dixerunt. Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, & quomodo non valebimus resistere?* Non satis prudenter videntur ratiocinati. Non enim Iehu cum exercitu suo, vtrumque regem, regio vallatum exercitu, superauit, sed incautos, & ab armis, virisque imparatos, non maiore conatu, quam ad perdendum vnum, atque alterum priuatum virum. Ipsi autem præsidio Samariam tenebant, quæ tanto tempore Syrorum potentiam obsessa cluserat, aliasque plurimas ciuitates, circa quas Iehu diuturna obsidione detineretur, dum regnum Iuda in eundem, tanquam tyrannum, & insuper regis sui carnificem, cum valido exercitu irrueret, ac male perderet. Sed Deus eorum prudentiam in timorem conuertit: & impletum est illud Dauidis, [a] posuisti firmamentum eius formidinem, vt facilem executioni decreti sui inueniret viam.

[a] Psal. 88. 41.

XLIII. Obsequiũ vniuersa pollicentur.

Misit ergo præpositus domus regiæ, & præfectus vrbi, & optimates ciuitatis, & nutritii regii ad Iehu dicentes. *Serui tui sumus, quæcunque iusseris faciemus: nec constituemus nobis regem, quæcunque tibi placent fac*, id est, præscribe, vtere arbitratu tuo, potestate nostra; si in vrbem venire placet, si potiri thesauris, si arma, virosque imperare, si obsides de prima nobilitate, ipsisque filiis regum, ad te mitti placet, impera vt lubet, inuenies nos obsequentes mandatis tuis. Quibus verbis supremam ei potestatem, regiumque dominium deferebant, regiam omnem familiam imperio abdicabant, seque subditos eius, vrgente timore pollicebantur.

XLIV. Iubet Iehu occidi filios Regis.

His cognitis Iehu *rescripsit eis literas secundò, dicens: Si mei estis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, & venite ad me, hac eadem hora cras in Iezrahel. Porro filij regis* tam Iorami quam Achabi *septuaginta viri apud optimates ciuitatis nutriebantur.* Quo præcepto, etsi multorum innocentium, vt par est credere, mandabatur cædes, eaque in tanta multitudine, & talium personarum, admodum ab humanitate aliena videbatur: Iehu tamen minime existimandus est offendisse Deum, cuius mandato obtemperabat, quod ad regulas humanarum legum minime exigendũ est, eiusq. voluntas, regula est iustitiæ, & æquitatis. Denique ad eius executionẽ Deus eum in regnum extulerat, & rem omnem ita moderabatur, vt eam præter omnem opinionem expeditissimam redderet. Itaque illi ipsi Domino hanc cædem adscripsit Iehu, cum ait. [b] *Et Dominus fecit quod locutus est in manu serui sui Eliæ.* Se autem non victum appetitu vindictæ, sed zelo Domini incitatum profitetur, cum Ionadado Rechabitæ dicit *veni mecum, & vide zelum meum pro Domino.*

[b] v. 10.

XLV. Samaritæ occidunt familiam Achabi, & an iuste.

Cumque *venissent literæ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Iezrahel.* Eo enim ille mitti iusserat ad explorandam eorum fidem, ac promissorum veritatem; cum ipse nondum auderet Samariam se conferre, ad eos occidendos, donec hoc facinore agnosceret, nihil Samaritas per fraudem ac dissimulationem agere. Quæres an sine scelere potuerint Samaritæ tantam exercere carnificinam. Non est autem difficilis aut obscura responsio. Cum enim positum iam fuerit ac constitutum, Iehu illos omnes occidere potuisse, cum certam super ea re diuinitus iussionem accepisset, potuit vtique tam per se, quam per alios eam exequi cædem. Itaque qui ei obtemperarunt, si recte illum imperare sciebant, nec priuato affectu moti sunt, sed nuda obsequendi voluntate, non magis peccarunt, quam qui iussu legitimi Iudicis sontibus ceruices frangunt. Sin autem adacti metu, vt eorum verba præ se ferunt, & ignari legitimæ potestatis, & vocationis Iehu, mandatum quod iniustum putabant executi sunt, graui se omnes crimine obstrinxerunt, vt pluribus docet Abul. [c]

[c] q. 10 in c. 10. 4. Reg.

XLVI. Feruntur capita ad Iehu.

Facta videtur hæc strages noctu: interiecta enim fuit nox, ne populi miseratio erga regiam iuuentutem, seditionem excitaret; aut certe ne aliqui furtim supplicio abducerentur, quorum salus in capita optimatum, & magistratuum redundaret, sed eadem quoque nocte Samaria in Iezrahel delata sunt, Iehu, vt Iosephus ait, cœnante. Cum autem portæ vrbis clausæ essent, moniti sunt excu-

bitores de allatis capitum cophinis. Non aperuit Ianitor, sed venit ad Iehu, *& indicauit ei dicens. Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit. Ponite ea ad duos aceruos iuxta introitum portæ, vsque mane.* Noluit admittere noctu in vrbem hos Samaritas, veritus nocturnas insidias. *Cumque diluxisset, egressus est, & stans dixit ad omnem populum,* qui scilicet magno numero, tantæ rei nouitate excitus, confluxerat. *Iusti estis: si ego coniuraui contra dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos?* Quasi dicat, si ego iniustus sum, qui regem Ioramum dominum meum interfeci, quomodo non iniusti quoque vos, qui omnem eius sobolem iugulastis? Volebat autem eis persuasum, quicquid Achabi generi accidisset, non volente solum, sed prænunciante etiam Deo factum, qui hoc fore, iam ante per Eliam vatem ostenderat.

XLVII. *Alia, cædes in Iezrahel.* CAETERVM dum in Samaria filii Achab occiduntur, eadem diuina vltio ciuitatem Iezrahel peruagata est, perquisiti omnes qui Achabum consanguinitate, vel affinitate contingerent, qui hoc titulo quoque modo aspirare possent ad regnum, atque adeo qui ad regiam familiam vehementer affecti, vltionem expetituri viderentur. Huiusmodi arbitror intelligi verbis istis. *Percussit igitur Iehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Iezrahel, & vniuersos optimates eius, & notos, & sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ.* Pro notis, quos in Hebræo, & Græco legimus, Chaldæus habet propinquos. Vatab. familiares & necessarios. In iis autem erant etiam vitulorum, aut Baalis sacerdotes, qui tamen hoc nomine interfecti non sunt; id enim obstitisset illis in vnum cogendis ad cædem, specie sacrificij; sed nomine intimorum amicorum, & fautorum regis impii. Iosephus pro omnibus his, habet, occisos eos omnes, qui eam familiam cognatione attingerent. Theodor. [a] γνώστους, id est notos, legit γνώστας, eosque interpretatur vates, qui præscij futurorum putabantur, à cognitione ita dictos, sicut prophetæ passim videntes dicuntur. In horum autem cæde, qui vel Idolatriæ nomine mortis erant rei: & ipse rex, iudexque legitimus, non peccasse Iehu, vel ex eo liquet, quod postmodum Deus ipse profitetur, eum studiose egisse in omnibus his, eique, tanquam pro recte factis, ingens præmium pollicetur. Idemque valet in morte fratrum Ochosiæ. *Non iniusta.* [a] q. 33 in 4. Reg.

XLVIII. *Iehu adit Samariam.* NECDVM cædium finis. Nam his Iezrahele gestis, *surrexit, & venit in Samariam, cumque venisset ad cameram pastorum in via, inuenit fratres Ochosiæ regis Iuda.* Septuag. pro camera pastorum, siue casa pastorali habent *Bethsahad*, retenta voce Hebræa. Erat autem locus, in quo congregabantur pastores ad tondēdas oues, quæ quia tunc ligari solent, ad verbum Hebraice habetur, *domus ligationis*, quæ vno verbo est tonstrina. Dubium est, an fratres Ochosiæ, id est filij fratrum eius, qui ministrabant ei, vt scriptum est in 2. Paral.[b] Nam fratres eius omnes, viuo patre, ab Arabibus occisi fuerant, vt constat ex eodem loco. [c] Dubium inquam est, an hi Ochosiæ nepotes, ibi se metu abdiderint, intellecta morte regum, vt verisimile est. (Huiusmodi enim rerum fama quam citissime per vniuersum regnum peruolat, & iam ab eorum morte secundus, aut tertius agebatur dies) an vero ibi substiterint in itinere, rei totius ignari; vt putant Iosephus, & Abulensis. Quod probabile facit eorum satis libera, & expedita responsio: nisi forte deprehensi, finxerunt se ignaros: idque probabilius reor. Quomodo enim in via positi Samariæ, & Iezrahelis ignorarunt Septuaginta filios regis occisos in Samaria, & delatos in Iezrahel, & publicè in porta ciuitatis expositos? [b] lib. 2. Par. 22. [c] 2. Paral. 21. 1.

XLIX. *In via deprehendit nepotes Ochosiæ.* DIXITQVE ad eos Iehu. *Quinam estis vos? Qui responderunt: fratres Ochosiæ sumus.* Fassi sunt quod dissimulare non potuerunt, tales enim viri à multis passim agnoscuntur: & vereri potuerunt, ne in mendacio deprehensi difficilius elabi possent; prosequuntur, *& descendimus ad salutandos filios regis, & filios reginæ*, id est Iorami, & vxoris eius, aut etiam Iezabelis. Errat ergo Iosephus, non quod pastoritiam contempsit casam, & probabiles istorum latebras, quanquam ne id quidem in laude ponendum videtur, sed potius quod dicat rogatos quo tenderent, dixisse se venisse salutatum Ioramum, & cum eo regem suum Ochosiam. Non enim rogati sunt quo tenderent, sed quinam essent; nec dixere se venisse salutatum reges illos, sed filios regis & reginæ. Leuis est res, inquies, non leuis tamen est culpa in re, quæ nihil intererat, scripturam sponte deserere, proprium

iudicium

iudicium sequi. Filios ergo regis & reginæ quærebant, qui scilicet paulo ante occisi fuerant, veniebant autem Ierosolymis in Iezrahel, vbi eos esse cum vtroque rege arbitrabantur, licet habitarent in Samaria, vbi & occisi sunt.

L. *Quos & interfici iubet.*

QVI *ait comprehendite eos viuos.* Id facile fuit, cum Iehu magnam partem exercitus regij secum haberet, & isti pauci essent, &, vt inter amicos & cognatos, pene inermes, *Quos cum comprehendissent viuos, iugulauerunt eos in cisterna iuxta cameram,* casam scilicet illam pastoritiam, vel constrinam, *quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam.* At quid opus erat viuos comprehendere, statim iugulandos? an ne illi se, cum occidentium damno defenderent? spe autem vitæ fortasse data, se ligari paterētur, sicque impune occidi possent. Pertinebant autem isti ad domum Achab, vt mactari possent propter Athaliam filiam Achabi, matrem Ochosiæ, licet alioqui essent de regno Iuda. Et Deus tam Iudæorum quam Israëlitarum summus iudex, nouum hunc Israëlitarum regem intime permouit, vt hanc quoque victimam detruderet oreo. Alioqui enim re perfecta illum non absolute commendaret, sed cum exceptione eorum, qui ab eo perperam, tanto præsertim numero fuissent occisi. Et hic est 3 tragœdiæ actus.

LI. *Occursus Ionadab.*

CVMQVE *abijsset inde, inuenit Ionadab, filium Rechab in occursum sibi.* Habitabat hic peculiari vitæ instituto extra vrbem, ideoque facile fuit occurrere Iehu: videtur tamen de industria factus occursus, vt ab amicis fieri solet. Itaque cum mutuo inter se salutassent, certamque ac mutuam in amicitia fidem, verbo, manusque prehensione constabilissent, *leuauit eum ad se in currum, dixitque ad eum, veni mecum, & vide zelum meum pro Domino, Et impositum in curru suo, duxit in Samariam.* Valuit hic socius ad conciliandum fauorem Iehu, quoniam is magna erat in opinione virtutis apud omnes, propter studium veræ pietatis, & probatos ac religiosos mores, & vitæ institutum seuerius, & à vulgi consuetudine remotum. Hic est enim ille Ionadab filius Rechab, cuius honorifica est mentio, apud Ieremiam, [a] propter eximiam familiæ eius erga ipsum obedientiam, atque reuerentiam.

[a] Ierem 35. toto.

LII. *Eius vita institutum.*

QVAM autem ille vitam hoc tempore egerit, ex ea quam filii eius duxerunt intelligitur. Non enim tam verbo quam exemplo, eos ad magnam vitæ seueritatem adduxit. Sic autem illi apud Ierem. [b] *Non bibemus*, inquiunt, *vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens. Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis; sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini.* Ioannes Hierosolymitanus [c] ait hunc Ionadabum fuisse Elisæi discipulum, ex quo is suscitauit à mortuis filium Sunamitis, eiusque omne institutum, excepta continentia, amplexum fuisse. Erant autem Rechabitæ oriundi ex Cineis Mosis cognatis, de quibus suis locis dictum est. [d]

[b] ca. 35. 6.

[c] De Instit. monach. c. 25.

[d] Mos. 120. n. 115. & an. Och. 4 n. 9. & 10.

LIII. *Zelus eius.*

HIC autem de Zelo Ionadab erga diuinum cultum, obiter agitur, & desiderio ruinæ idolorum, & eorum qui eam tutarentur. Propterea enim Iehu, cum hoc maxime ageret, eum asciuit sibi, aut spectatorem, aut socium. Auget hanc historiam Iosephus. *Paulo post*, inquit, *occurrit ei vir bonus, & iustus, nomine Ionadabus vetus amicus ipsius.* Erat ergo Iehu ante regnum bonus & iustus: non enim diuturna & solida esse potest amicitia, inter moribus & religione dispares; sed proh dolor regnum eum deprauauit, & postremo perdidit, sed pergit. *Qui post mutuam salutationem multis verbis prædicauit eius facinora, quod ex sententia Dei fecerit omnia, dum impiam Achabi familiam extirpat radicibus.* Hæc si dicta sunt, post eum in suum currum admissum dicta sunt. Nihilominus sequitur. *Ieus vero suasit ei vt conscenso curru, quo ipse vehebatur, simul intraret Samariam.*

LIV. *Quid egerit Iehu in Samaria.*

IN Samaria porro eius ingressus inchoatum terrorem sui vehementer auxit. Nam sicut in Iezrahel, ita & in Samaria, *percussit omnes, qui reliqui fuerat de Achab vsque ad vnum, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per Eliam.* Filij iam occisi erant: nunc si qui cognati, si qui affines, si qui aliqua in dignitate constituti ab Achabo, aut Ioramo, aut eorum familiæ addicti, ideoque rebus nouandis idonei, aut nouandarum suspecti, omnibus vita ferro erepta est. *At*

SACRIFICVLI BAALIS EVOCANTVR.

Ieus, ait Iosephus, *quantum cognatorum Achabi, diligenti inquisitione facta, inibi reperit, omnes ad mortem adegit.* Quod autem consequenter de cæde prophetarum & sacrificulorum Baal narratur, dubitari potest ad huncne, an ad sequentem annum pertineat.

LV. *Quando facta cædes cultorum Baal.* ET videri potest ad sequentem, quia tam multis iam occisis, non solum cognatis, & filiis Achabi, sed etiam sacerdotibus eius, [a] & quidem ante paucos dies, iure isti etiam num timere, & fraudem subolere potuissent, ideoque huc illucque, prout cuique esset opportunum, dilabi. Deinde iam satis odij Iehu, & terroris, hoc primo anno collegerat, nec à Deo mandatum acceperat, hos pseudoprophetas interficiendi; aut si acceperat, nihil erat quod admodum vrgeret: & propterea credibile sit Iehu hoc negotium in alterum annum distulisse; præsertim cum sacrificium hoc indictum sit, & denunciatum per vniuersum Israëlem, vt Scriptura tradit.

[a] 4. Reg 10. 11.

LVI. *Videri hoc ipso anno.* NIHILOMINVS probabilius arbitror hoc ipso anno hos nefarios cultores Baalis de medio fuisse sublatos. Nam hanc historiam Scriptura consequenter narrat, sine vlla interiecti temporis significatione, & in ea connexio rerum satis innuitur, cum Ionadab ad hoc spectaculum in Samariam à Iehu inducitur, cui & interfuit. Denique Iosephus ista non separat, & Torniellus ad hunc ipsum annum refert. Quod autem isti merito timuisse dicuntur, verum quidem est; tantus tamen erat omnibus iniectus ex tot funeribus terror, vt publicus timor priuatum superarit; præsertim cum nemo adhuc Idolatriæ nomine fuisset interfectus, nec ipse Iehu se Baalis inimicum præ se tulisset; & alioqui videbant, nisi iussi venissent, sibi nihilominus esse moriendum, & pro incerto malo certum se subituros. Fiduciam etiam dare potuisset, quod nihil ipse mandati de exscindendo cultu Baalis diuinitus accepisset. Illa autem denunciatio & conuentus, vix vnum, alterumue mensem exigit.

LVII. *Qui euocati ad sacrificium Baal.* IEHV igitur per terrorem & cædes in Iezrahel, & Samaria regni possessione capta, congregauit ad se omnem populum, & dixit ad eos. *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius,* quod ille non mentiendo, sed per ironiam, ac dissimulationem loquendo dixit: licet Theodoretus & Procopius mendacium fateri videantur. *Nunc igitur omnes Prophetas Baal, & vniuersos seruos eius, & cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me.* Seruos eosdem intelligit quos sacerdotes, siue sacrificulos, non autem alios de populo cultores Baal. Nec Iosephus alios vocatos ait, quam istos pseudoprophetas, & ministros Idolatriæ: idque confirmant sequentia Etsi Tostatus [b] probabilius, ac verius putet, omnes omnino Baalis cultores euocatos, atque interfectos fuisse; nec eorum multitudine terretur. Quamuis enim Achabo, & Iezabela regnantibus, totus pene populus Baali nomina dedisset, adeo vt vix septem millia superessent, qui non curuassent genua ante Baal, eum tamen numerum censet sub Ioramo vehementer imminutum; idque opera Iosaphati factum supra diximus. [c]

[b] q. 27. in c. 10.

LVIII. *Sub pœna capitis.* NVLLVS *sit*, ait Iehu, *qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal, quicunque defuerit non viuet.* Celebrandum ait Iosephus solemnibus victimis diem festum Baali, ab ea festiuitate, si quis sacerdotum abfuerit capitalem fore. *Porro Iehu faciebat hoc insidiose, vt disperderet cultores Baal. Et dixit* sacerdotibus, scilicet Baalis, qui tunc aderant. *Sanctificate diem solemnem Baal*, id est indicite magnam sacrificij celebritatem, ad quam omnes conueniant. *Vocauitque* ipsemet Rex Iehu, *& misit in vniuersos terminos Israel*, vltra & citra Iordanem, ne exceptis iis quidem fortasse, qui parebant regi Iuda, late sumpto Israëlitarum nomine, vt alibi sæpe, etiam post regni diuisionem. Nam in Iuda quoque plerique erant serui Baalis. Ioramus enim & Ochosias, imitati erant fornicationes domus Achabi, vt Scriptura testatur, & hoc tempore videbatur Iehu, occiso vtroque rege, imperium exercere velle in vtrumque regnum, donec mox surrexit Athalia.

[c] 4. Reg. 3. 2. ann. Iosaph. 19. n. 67. & 64.

LIX. *Conueniũt magno numero.* ET *venerunt cuncti serui Baal: non fuit residuus ne vnus quidem, qui non veniret*; de Prophetis, videlicet ac sacrificulis. Vrgebat quippe regis imperiũ, & mortis metus, & cupido restaurandi intermissum cultum Baalis. Deus quoq; illos trahebat ad victimam. *Et ingressi sunt templum Baal, & repleta est domus Baal, à summo vsque ad summum.* Hebr. & Septuag. ab ore ad os, vel ab ora ad oram. Chald. ex angulo

in angulum. Videtur significare sursum deorsumque, in superioribus & inferioribus ambulacris, & Xistis, in templo imo, in tecto & solario, ad aras & vestibula, omnia plena sacrificulis. Hæc enim locutio magnum omnino numerum conuenisse significat, sicut & magnum fuit studium eos congregandi, quod adhibuit Iehu, etiam mortis pœna proposita. Nam si ad sacrificium Eliæ, [a] congregati sunt in Carmelo prophetæ Baal 450. & prophetæ lucorum quadringenti, longe plures nunc tam spes quam metus acciuit. Et si in vnum templum Dagon tria millia virorum cogi potuerunt, [b] non videntur pauciores modo congregati, præsertim cum videatur fuisse hoc templum maximum, atque capacissimum, quodque forte ad Salomonici formam aliquo modo accederet, quod in Hebr. Chald. & Græc. Sixti, & vulg. vocetur ciuitas, [c] quomodo & Templum Salomonis, quod ab Ezechiele describitur, [d] quasi ædificium ciuitatis appellatur. Verum ille locus iterum considerabitur.

a 3. Reg. 18. b Iud. 16. 17. c verſ. 15. d c. 40. 2.

LX. *Sacra vestibus induuntur.*

DIXITQVE *his qui erant super vestes, proferte vestimenta vniuersis seruis Baal.* Vestes intelligit destinatas cultui Baal, lineas, laneas, sericas, vt his impediti vestibus, minus habiles essent ad resistendum militibus. Idque probabilius est, quam vestes vulgares omnibus datas, qui se Baalis cultores profiterentur, ad eos inuitandos vt ingrederentur. [e] Hæc enim multis non fuisset leuis tentatio, vt se Baalis seruos sacrilegè mentirentur. *Et protulerunt eis vestes.* Animalia quoque ad sacrificandum suppeditasse, & inuitasse ad sacrificandum, & quidem sine culpa, affirmat Tostatus. [f] Non enim mens fuit eius Baalem honorare, sed ea esca cultores deceptos perdere. Verum hæc inuitatio non habetur in textu, nec admittenda est, cum sit res natura sua mala, nec ex fine recto induat rectitudinem, sed permissio potius facta est, iis qui sponte sua ad id facinus ferebantur. *Ingressusque Iehu, & Ionadab filius Rechab templum Baal, ait cultoribus Baal. Perquirite & videte, ne quis forte vobiscum sit de seruis Domini, sed vt sint serui Baal soli. Nolle se dicens*, Iosephus ait, *vt sacris eorum alienus, ac prophanus vllus sese ingerat*, re autem vera vt euentus docuit, vt ipsi soli mactarentur.

e Tostatus q. 28. in c. 10. f q. 31 in c. 10.

LXI. *Iehu cingit templum militibus.*

INGRESSI *sunt igitur vt facerent*, id est sacrificarent, *victimas, & holocausta. Iehu autem præparauerat sibi* (fidos scilicet, & expeditos ad omne imperium suum) *foris octoginta viros*, qui fugientes exciperent, *& dixerat eis, quicunque fugerit*, id est effugerit, *de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras.* Alij vertunt, quos ego adduxi, alij adduco, estque idem sensus, Iehu congregasse istos omnes, quasi oues ad victimam. Non autem significat se educturum de templo occidendos, vt sequentia docent, *anima eius erit pro anima illius. Interminatus*, ait Iosephus, *quicunque aliquem eorum elabi permiserit, vicarium pro illo moriturum. Factum est autem cum completum esset holocaustum.* In Hebr. & Cald. & Septuag. Rom. legitur in singulari. *Et factum est cum consummasset*, summus scilicet sacerdos Baal, vt supplet Vatabl. Septuag. Regia & Complut. habent. *Et factum est vt compleuerunt facientes holocaustum*, eadem sententia. Plura enim in pluribus aris potuerunt esse sacrificia, quæ vnico holocausti nomine comprehenderentur, vt in hecatombis.

*Sacrificatur.*

LXII. *Immittuntur percussores.*

PRÆCEPIT *Iehu militibus & ducibus suis. Ingredimini, & percutite eos, nullus euadat*, videntur isti fuisse alij à prædictis octoginta, qui foris attendebant succenturiati, ne quis elaberetur. Poterant enim impetu facto erumpere plerique, & elabi, si nemo foris exciperet fugientes, & irritam redderet fugam. Neque vero, vt olim Saulis aulici sacerdotes Domini, sic isti Baalis sacrificulos attingere noluerunt, sed stricto ferro in confertam ingressi turbam, à dextris ac sinistris, punctim, cæsimque cædentes, nequidquam Baalim, & Iehu horrendo clamore vociferantes, *Percusserunt in ore gladii, & proiecerunt*, cadauera eorum, *milites & duces.* Pro militibus, Hebræi, & Septuag. habent *cursores*, id est milites leuis armaturæ, Vatabl. qui etiam vertit satellites. Duces autem aliqui tristatas, alij triarios vertunt, de quibus supra nonnihil attigimus.

LXIII. *Sæuitur in Fana, & Idola Baalis.*

NON contentus Iehu diuinam vltionem exercere in impios istos Idolatriæ architectos, & ministros, in Idola quoque sæuiit. *Ierunt* enim ipse cum suis *in ci-*

*uitatem templi Baal, & protulerunt statuam de fano Baal, & combusserunt, & comminuerunt eam.* Sacer historicus videtur significare, Iehu adiisse per singulas ciuitates templum Baalis, & ibi simulacrum eius, aut ligneum combussisse, aut comminuisse lapideum. Quæ sane commodissima videtur esse interpretatio, vt dicantur isse *in ciuitatem templi Baal*, id est in quamcumque vrbem, quæ haberet templum Baalis: neque enim vna tantum regni ciuitas ædem Baalis habuit, neque id incenso Iezabelis in Baalem studio consentaneum est. Itaque mox legimus Baal non de Samaria, sed de Israële fuisse deletum. Versio Vatabli habet, & abierunt in ciuitates alias, vbi erant templa Baal. Vatabl. autem ipse explicat vrbem fani Baal (quomodo habent Hebræa, & Chaldæa. Septuag. Rom. & vulg.) vrbem quandam vicinam Samariæ, in qua habebat templum Baal. Verum cum Septuag. Reg. & Complut. pro *ciuitate* legant templum, dici potest templum hoc, propter sui amplitudinem, & diuersas eius partes, & habitationes, ciuitatem appellari, vt paulo ante dicebamus, sensumque esse, post interfectos pseudosacerdotes, & eiecta eorum cadauera, Iehu cum suis, ipsum templum, quod erat instar ciuitatis, in quod ante duces suos ac satellites immiserat, esse ingressum. Nec Iosephus alterius hic omnino ciuitatis, quam Samariæ meminit, in qua templum Baali erexit Achab, cum reliquo apparatu sacrorum, ararum, statuarum, sacerdotum, sacrificiorum, &c. Fateor tamen priorem expositionem mihi magis arridere.

LXIV. *Iosephus in hac historia arguitur.* Cæterum in hac quoque historia à Iosepho referenda, [a] nonnulla sunt, quæ ab eo historico desiderentur, qui sacras literas cum fide & veneratione se tradere profiteatur, quas tamen violare minus timuit, quam principes idolis addictos; quorum captabat in scribendo gratiam, & quorum captui, Iudæorum religionem, quantum poterat, accommodabat. Hinc est primo quod prolatam de fano statuam Baalis, semiustulatam, contritamque silentio inuoluit. Secundo. Destructam quoque ædem Baal, & factas pro eo latrinas, non solum tacuit, sed silentium ipsum mendacio cumulauit. Ait enim domum regis incensam fuisse, quod neque Scriptura tradit, neque rationi consentaneum est. Recte enim audiret Iehu, [a] lib. 9. c. 6. 1. 2.

*Quid messes vris acerbe tuas?*

Imo statua Baalis, non domus regia incensa fuit. Hinc tertio, est quod fingit dicentem Iehu, Achabi deos se duplicare velle, vt in eius textu Græco perspicuè legimus, eiusque diis magna sacrificia instituere. Id enim gratum fore credidit plurium deorum cultoribus: cum tamen Scriptura de vnico idolo Baal hic egerit, nec de multiplicandis diis, sed de magnificentiore sacrificio tradat locutum Iehu. 3.

LXV. *Alia eiusdem errata.* Hinc est quarto, quod nihil veretur dicere vrbem externis sacris profanatam, tum purificatam fuisse. Id enim Romæ non male audiebat, vbi diuersis temporibus peregrina sacra, tum repudiata, tum admissa sunt: eiectos autem deos, contritas statuas, non dicit, vt qui in eorum gratiam legem illam, *Diis non detrahes*, parum religiose interpretatus sit. Vt alibi docuimus. [b] Sed nec dici potuit extincto cultu Baal, ciuitatem externis sacris purificatam fuisse. Nam vitulorum aureorum cultus externus, & peregrinus fuit, ab Ægyptiis emendicatus: qui tamen & in Samaria, & in toto deinceps regno perdurauit, vnde subdidit Scriptura. *Deleuit itaque Iehu Baal de Israel, veruntamen à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit: nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan* [c] Minora etiam illa merito improbari possunt, quòd ait, istos pseudosacerdotes parantes aggredi sacra sua fuisse interfectos, & quod ab octoginta viris, quos foris in eum finem armauerat: cum potius illi foris perstiterint ad excipiendos fugitiuos, aut fortasse etiam ne quis ex vrbe eis auxilio veniret, eorum misertus; & Scriptura perspicue asserat immissos in templum duces & milites, cum consummatum esset holocaustum. 4. [b] Præf. 2. Tom. n. 18. & 19. [c] 4 Reg. 10 29.

LXVI. *Iehu vitulorum deo[s] coluit.* Redeo ad Iehu, in quo mirari te quoque arbitror, religiose lector, humanæ mentis infirmitatem. Is enim qui tam studiose aduersus vniuersam familiam Achabi arma sumpserat, vt obsequeretur Deo, qui Baalis aras euerterat statuas confregerat, succenderat lucos, templa oppidatim, in probrosissimos vsus con-

uerterat, sacerdotes immani cæde prostrauerat; quique propter rem bene gestam a Deo laudem, præmiumque gloriosissimum acceperat: auitam tamen vitulorum idololatriam non sustulerit, sed eius sectator fuerit, sicut cæteri hactenus Israëlitarum reges, superstitione cum vero Dei cultu, ac religione copulata. Nam Deum cum Idolis ab eo cultum illa verba significant. *Porro Iehu non custodiuit vt ambularet in lege Domini Dei Israel, in toto corde suo, non enim recessit à peccatis Ieroboam.* Eam enim phrasim vsurpat Scriptura de iis, qui tam Deo quam Idolis seruierunt, vt Salomone, Roboamo, Abia. Nam de Dauide, Asa, Iosaphato legimus eos toto corde, vel corde perfecto Domino seruiuisse. [a]

[a Vide lib. 3.Reg.7.3]

LXVII. *Et qua de causa.*

AN hic dicendum illud vulgatum, *vsque adeo à teneris assuescere magnum est?* A pueritia, idola Ieroboami coluerat, & verum est illud. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet abea.* [b] Aut potius timuit ne subditi sui, specie eundi diebus festis Hierosolymam, regi Iudæ se dederent, & eum regno spoliatum male perderent. Id quidem iam timuerat à principio Ieroboamus, & cæteri deinceps successores eius. Probabilior tamen erat hic timor in Iehu, qui vtrumque regnum aduersum se concitauerat, vtriusque regem, nulla affectus iniuria, sustulerat, vtriusque familiam incredibili strage afflixerat; omnes Baalis cultores, occidendis tot sacerdotibus, ac prophetis, summo dolore, ac probro affecerat. Ergo si se vitulorum quoque profiteretur inimicum, vniuersum regnum suum contra se ad arma vocasset, tanquam aduersus hominem impium, ac profanum: ad quorum arma iuuanda accurente Iuda, de Iehu, & paucis eius amicis, actum esse videbatur.

[b Prou. 22. 6.]

*Timore probabili.*

LXVIII. *Sed iniusto.*

INIVSTVS erat nihilominus hic metus. Cum enim vadem haberet Deum, fore vt filij eius ad quartam vsque progeniem Israëlis regno potirentur, debuit metum omnem conculcare, eamque gratiam filiis sperare, ob nauatam à se Deo fidelem operam, quam ipse, nullo præcedente merito, diuinitus accepisset. Debuit ergo inconsultissimus mortalium Iehu, religioso in Deum cultu, & integra euersione idololatriæ, operam dare, vt qui exscindenda Achabi familia, & Baalis superstitione, promeruerat vt regnum in quatuor filios suos propagaretur; delenda quoque vitulorum nequissima vanitate, regnum promereretur in omnes annos consequentes. Præsertim cum appareret non esse diuini beneplaciti, vt regna, quæ ipse distraxerat, & arma, ad ea iterum copulanda suscepta, deponi iusserat, [c] & centum pene annis separata seruauerat, iterum coalescerent.

*Et inconsulto.*

[c 3.Reg.12 24.]

LXIX. *Quæ merces illi à Deo.*

EXTERMINATO cum summa seueritate, & contumelia cultu Baalis, è Samaria, & toto regno Israëlis. (Nam in Iuda illud Athalia conseruauit, vt ex cap. seq. patet.) *Dixit Dominus ad Iehu, Quia studiose egisti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Itaque Iehu successerunt quatuor filij eius, Ioachaz, Ioas, Ieroboam, & Zacharias. Euenta vero vaticinio respondisse Scriptura suo loco notauit. [d] Hæc prænunciata diuinitus fuisse Iehu à Iona filio Amitthæi, tradit Chronol. Hebr. [e] ab eodem scilicet, qui consecrauerat Iehu in regem, in Ramoth Galaad, *qui*, inquit, *in duodecim minoribus prophetis numeratur.* Id si verum esset, cum Ionas vixerit tempore Ieroboam filij Ioas, vt colligitur ex reg.4. [f] Et affirmat Iosephus [g] eum diu admodum vixisse necesse foret. Nam cum vnxit Iehu 25. aut 30. annorum fuisse videtur. Neque enim rem tantam, tamque periculosam Elisæus improuido adolescenti credidisset. Si ergo ad 30. ætatis eius annos addiderimus octo & viginti regni Iehu, & decem & septem Ioachaz filii Iehu, & sedecim Ioas, nepotis eiusdem, & 41. Ieroboami, centum & triginta annos viuendo superauerit, quod quasi singulare in Ioiada Pontifice notatum est. [h] Itaque hanc prophetiam Elisæo tribuit Niceph. Constantin. in Chronico.

[d 4.Reg. c. 15.12.]
[e cap.19.]

*Quo vate pronunciata.*

*An Iona.*

[f 4.Reg. 14.25]
[g lib.9 c. 11.]

[h 2.Paral. 24.15.]

LXX. *Quando edita.*

EXISTIMAT Abulensis non statim ab excisa Achabi domo, & Baalis cultu euulso editam hanc prophetiam, sed postquam Iehu se cultui vitulorum dedidisset, propter quem regnum quod illi Dominus perpetuum daturus erat, quatuor generationibus circunscriptum fuerit. At is non satis probat regnum in

ATHALIA GENVS REGIVM EXTINGVIT.

familia Iehu, in pœnam ad certum tempus fuisse definitum; neque illi, hoc ipso quod factus erat rex, debitum fuisse regnum in omnem posteritatem, nisi peccasset; sed ad tempus duntaxat, quod Domino, zelum eius remuneranti, placuisset, quod centum & duorum annorum fuit. Deinde quomodo pœnam denunciaret propheta non memorata culpa? Dicendum potius Deum statim post deletam Achabi domum, & cultores Baalis, misisse prophetam qui præmium ei denunciaret, quo simul excitaretur ad persistendum in bene cœptis, vnique Deo corde perfecto seruiendum. Pœna vero Idolatriæ Iehu subiicitur, in acceptis ab Hazaële Syriæ rege cladibus, in tota Israëlitarum regione trans Iordanem, [a] vt anno sequenti dicetur. *a v. 32. & 33.*

LXXI. *Transitio ad res Iudæ.* SED iamdudum est ex quo in regnum Iuda vocamur. Neque enim credibile est Athaliam carnificinam suam distulisse, dum prædicta omnia à Iehu fierent: sed simul Iehu in Israële, & Athalia Hierosolymis regum filiis interficiendis vacabant; ea tamen narratione separare scripturæ consilium fuit, quæ prædicta omnia, & alia quædam posteriora, simul, eademque serie narrationis de Iehu recitauit, antequam Athaliæ meminisset. *Athalia stirpem regiam extinguit.* Athalia ergo mater Ochosiæ, [b] *videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regum*, siue, vt est in 2. Paral. [c] *Omnem stirpem regiam domus Ioram.* Credimus crudele facinus, & verum est; sed fidem etiam incredulis faciamus. Quomodo enim, dicat aliquis, mulier mortuo marito, & filiis eius omnibus, etiam nepotes omnes mactare festinat? cui bono? An vt regnet? num minus regnatura est ipsis viuis, quam mortuis? præsertim tenellis. Nam Ioas, qui subtractus est immani facinori, anniculus erat; nec alij grandiores multo esse poterant, cum eorum pater, tertio & vigesimo anno ætatis obierit? *b 4. Reg. 11. 1. c 2. Paral. 22. 10.*

LXXII. *Et quam ob causam.* RESPONDET Philo Annij Viterbiensis (qui putat progeniem Salomonis in Ochosia defecisse) Athaliam exquisisse ad necem Ioam, quia non erat de familia Salomonis, sed Nathani, alterius de filiis Dauidis; ne ea familia iam tum regnare inciperet, cum Salomonis posteritatem defecisse videret. Sed hanc rationem, cum erroneo nitatur fundamento, falsam esse necesse est. Iosephus [d] nullam aliam videtur assignare suscepti facinoris tanti causam, quam rabiem quandam vindictæ importunissimæ: quòd cum videret extinctum genus suum, vellet etiam yniuersum genus Dauidis extinguere. Nefaria & capitalis mulier, quæ aliquid in scelere immanissimo excusationis habitura videbatur, quamuis & mulier, & mater in nepotes regios, eosq. innocentes furiosa arma sumpsisset, si Iehu fuisset de familia Dauidis, aut istam rabiem potius in familiam Iehu conuertisset. *d lib. 9. c. 7.*

LXXIII. *Vera causa cædium* SED satius est huius facti causam ex ipsis effectis colligere. Cum enim occisis nepotibus regnauerit super terram, vt scriptura loquitur, videtur vtique eos occidisse, vt regnaret. At etiam alioqui regnatura erat. Nemo enim erat sanguine propior, qui nepotis nomine regnare posset. *Ambitio.* Nam Ioram occiderat omnes fratres suos filios Iosaphat, & Athalia filios eorum, si qui superfuerant. Arabes interfecerant omnes filios Ioram, excepto Ochosia; quo mortuo regnum ad eius filios deuoluebatur, quos ista quoque furia sustulit. Verum potuit vxor Ochosiæ regnum pro filio administrare, nisi forte & ipsa occisa fuit ab Athalia, quòd minime probabile est: æque enim Iosabam interfecisset. Dicendum est ergo eam, non alieno nepotis nomine, sed proprio regnare voluisse; Ideoque de medio tollere omnes, quorum intuitu subditi, vt ei regnum eriperent, moliri potuissent. *Et timor.* Accessit & timor, quod se nosset Achabi filiam, ideoque morti ab Iehu destinatam. Totum ergo regnum Iuda habere voluit in potestate, quod illi opponeret, & cuius ope vindictam exercere posset in eum, qui totam eius familiam perdidisset. Denique Theodoretus in hunc locum, *vt impia*, inquit, *& tyrannica voluit omne genus Dauidis, tanquam pium radicitus extinguere, vt arrepto imperio populum suum doceret impietatem.* Eademque habet Procopius.

LXXIV. *Modus, & occasio carnificinæ.* MODVS confectæ carnificinæ non traditur. Videtur Athalia virago absente filio Ochosia, apud Ioramum in Iezrahel, rerum potita Hierosolymis, idque ei aditum ad facinus præbuisse. Elegisse autem ad id perficiendum viros sibi similes, ambitione & crudelitate præstantes, quibus sibi obtemperantibus regina

summas opes, & dignitates promiserit, eosque secum pari deinceps propemodum iure, atque authoritate regnaturos. Itaque, vt olim Absalom dixisse videatur. Percutite eos, & interficite, nolite timere Ego enim sum Athalia, quæ præcipio vobis; roboramini, & estote viri fortes. Via est etiam opportunitate temporis, dum regi Ochosiæ, delato ex Iezrahele, supremum sepulturæ officium in vrbe redderetur: & optimates omnes, qui regium semen tutari potuissent, regio funeri cohonestando intenti essent [a].

a Abulens. q. 1. in c. 11. 4. Reg. b 2. Par. 22. 11. c 4. Reg 11. 2.

SVBOLFECIT hæc consilia Iosaba filia Iorami regis, soror Ochosiæ, vxor Ioiadæ pontificis, quæ etiam Iosabeth alibi [b] dicitur, sed subolfecit paulo tardius, vt videtur. Non enim paruulũ ex fratre nepotem, prius furata est, quam alij iam interficerentur. Sic enim ait Scriptura [c]. *Tollens autem Iosaba filia regis Ioram, Ioas filium Ochosiæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio, & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur.* In Hebræo habetur, non sublatum de triclinio, sed abscõditum in triclinio, siue cubiculo lectorum: quomodo habent etiam Septuag. & Chald. vt non locus vnde sublatus sit infantulus significetur, sed locus in quo sit absconditus: quod & clarè habetur alio in loco [d], *absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum.* LXXV. Iosabetha Ioam morti eripit.

d 2 Par. 22. 11. e l 9. c 7.

VVLGATÆ tamen fauet Iosephus [e]. *Erat*, inquit, *Ochosiæ germana soror, Iosabetha nomine, pontifici Ioado nupta. Hæc regiam ingressa, cum inter cæsorum cadauera latentem nutricis opera anniculum puerum Ioasum deprehendisset*, non ergo mensis vnius, vt putauit Cedrenus, *ablatum furtim domi in suo cubiculo abdidit, & solo marito conscio, sex annis in templo clam aluit, quãdiu Gotholia Hierosolymorum, & duarũ tribuum regnum tenuit.* Hoc tricliniũ siue cubiculum, in quo erãt lecti, locus erat, ait Vatab. in quo dormiebãt Sacerdotes, & Leuitæ inter appendices templi, vel in atrij porticibus, ait Sa. Iosephus id videtur refutare, cum solum maritum latebrarum conscium dicit, non ergo erat vbi dormiebant Sacerdotes, & Leuitæ. Plurimi enim ea loca frequentabant per vices suas. At post sex annos, præter omnium scientiam, & expectationem productus est, vt sequentia docebunt. Idem tamen non satis perspicuè loquitur, an in profana domo, tum in sacra absconditus, & nutritus fuerit. Villalpand. in secundo templi vestigio ad meridiem collocat cubiculum pontificis, è regione scholæ Theologiæ, positæ ad septentrionem, vbi absconditum fuisse mihi persuadeo. Nos eum ibi tantisper sine metu, metuere enim non permittit ætas, non tamen sine periculo, nisi quod erat sub Dei tutela, relinquamus. LXXVI. Ex Iosepho.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3151.

1. N. XV. HEbræi porro eodem nomine Aaronem aliosque Pontifices, quo & Ioiadam vocant, scilicet הכהן haccohen, id est, Sacerdotem. Etsi aliquando addunt הגדול haggadol, id est, magnum. Septuag. quoque Pontifices omnes passim, etiam Aaronem ἱερέα vocant, rarissimè autem epitheton μεγάλ, vel πρῶτον adiiciunt. Verum in catalogo Pontificum 1. Paral. 6. non numeratur. Esto, sed ne Heli quidem, aut posteri eius Achitob, Achias, siue Achimelech, Abiathar, &c. Nec plane constat illum esse Pontificum catalogum. Non enim desunt quæ illi obiici possint, & quidẽ non contemnenda, quæ alibi, Deo fauente, examinabuntur.

2. N. XIX. Verum Hebræus, & Septuag. cum Ioseph. aiunt non currum, sed equitem missum in occursum; quod Vatabl. explicat cursorem equestrem, vel hominem in equo currẽtem, alij aurigam armigerum. Chaldæus modo currum, modo equitem vocat. Textus Hebræ[*] vtitur voce רכב racchab, quod est equitare, vehi, superferri, siue equo, siue curru. Nã inde ductum nomẽ רכב receb, currum significat, siue solum, siue collectiuè, cum militibus in eo pugnãtibus; vel simpliciter equũ significat currilem, qui scilicet ad currum aptari soleat, quo modo hic rectè accipi potest. Qua de re consule Pagn. in thes.

Iosephus hunc tertiæ partis exercitus præfectum vocat. Montanus tristatam. Vatabl. triarium, & tertium a rege. Vide supra an. m. 3148. n. 19. Certè Hebræa vox שליש salis, quæ magnum, ducẽ, principem significat, a שלש siles, id est, tertius deducitur, quæ vox est a שלש salis, id est, tres. 3. N. XXIII.

ANNVS MVNDI 3152. DILVVII 1496. QVINTÆ ÆTATIS 213. FVND. TEMPLI 130. ATHALIÆ REGINÆ IVDÆ 2. Iehv Regis Israelis 2. Ioiadæ Pontificis 2. Elisæi Prophetæ 14. Troiae deletæ 282. Ophratanis 29. Imperii Assyriorvm 1221.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 901.

Nvm. I. *Iehu adorat vitulos.*



SECVNDVS hic annus Athaliæ, & reliqui ad eius regnum pertinentes, rebus geſtis diſtingui non poſſunt: ideo vno omnes titulo comprehendemus. Sperabatur Iehu, poſt exciſum Baalis cultum, & Achabi familiam, acceptamque diuinitus regni poſſeſſionem, vſque ad quartam generationem, in Dei cultum totum incubiturum, & regnum Iſraëlis à vitulis aureis abductum, Deo reſtituturum: præſertim cum Athalia in regno Iuda, cum ſuo Baal inſanire pergeret; ſed expectationem piorum fefellit, in maximum damnum ſuum. Id cum gemitu quodam refert Scriptura [a]. *Deleuit itaque Iehu Baal de Iſrael* (rectè de Iſrael: nam in Iuda viguit his etiam quinque annis, pergit autem) *Veruntamē à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit* Iſraël *non receßit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan.* quod infra [b] repetitur. Inualuerat, vt appareret, inter principes iſtos diabolica hæc opinio, regnum Iſrael, ſublatis vitulis aureis, quibuſcum regnum decem tribuum à Ieroboamo, inſigni ſacrilegio fundatum fuerat, ſtare non poſſe; populo Hieroſolymam, religionis cauſa, repetente, quaſi regem cum religione commutaturo, vt ſupra quoque ſignificauimus.[c]

a 4. Reg. 10. 28.
b v. 31.
c An. præced. n. 67.

II. *Proptereaq. ab Hazabele vexatur.* ILLE autem quem dixi gemitus, innuitur verbis illis [d]. *In diebus illis, cœpit Dominus tædere ſuper Iſrael,* id eſt, *ſ'ennuyer, & perdre patience,* vt nos loquimur. Videntur autem his annis contigiſſe, quæ ibidem ſubduntur. *Percußitque eos Hazabel in vniuerſis finibus Iſrael, à Iordane contra Orientalem plagam, omnem terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manaſſe, ab Aroer, quæ eſt ſuper torrentem Arnon, & Galaad, & Baſan.* Longe maxima fuit hæc clades. Abſtulit enim regno Iſraëlis quidquid omnino trans Iordanem poſſidebat: tribum ſcilicet Ruben, & Gad, & mediam partem tribus Manaſſe. Itaque Iehu, in contumeliam ſuam, non ſolum amiſit Ramoth, quam paulo ante receperat, vt dixi, ſed inſuper in pœnam impietatis, longe florentiſſimam regni ſui partem perdidit.

d v. 32.

III. *Qui eam regionem eripit trans Iordanem.* PERDIDIT, inquam, ſi hebræum textum & Græcum attendimus, in quibus habetur לקצות lecaſoth, & συγκόπτειν, id eſt, truncare, præcidere. Chald. habet indignari Hieronymo conſentiens. Manſitque hæc tota regio in Syrorum poteſtate, vſque ad Ieroboamum filium Ioaſi, nepotis Iehu, de quo ſcriptum eſt [e]. *Ipſe reſtituit terminos Iſrael ab introitu Emath, vſque ad mare ſolitudinis,* ſiue lacum Aſpſaltitem; quæ ſcilicet rex Hazaël occupauerat, tenueruntque Syri annos circiter ſexaginta. Hæc autem tam breui compendio tradita, quo modo, atque ordine contigerint, non eſt literis proditum. Nec tamen videtur hæc clades vltra hos annos dilata, quæ hic Scriptura, ſuo vtique loco, retulit. Nihil enim ad differendum, vel occupandum cogit: & Hazahel non diu tulit, vtpote potentiſſimus, iacturam Ramoth Galaad, ſed eam à Iehu derelictam quamprimum recuperauit: & inſuper totam regionem Galaad adiecit; quidquid denique trans Iordanem Iſraëlitæ poſſedere.

e 4. Reg 14. 25.

IV. *Magna eius feritate.* QVANTA autem in hiſce victoriis inſolentia, & crudelitate bacchatus ſit, ex iis quæ Eliſæus, dum mentis oculis in ea tempora coniiceret, fecit, ac dixit, non eſt

difficile colligere. *Conturbatus est enim vsque ad suffusionem vultus, fleuitque vir Dei,* & causam rogatus ab Hazahele: *Quia*, inquit, *scio mala quæ facturus es filiis Israel: ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum* a lib 9. c. 8. *elides, & pragnantes diuides*, hæc de re ita Ioseph. [a] *Azahel autem Syrorum rex, bellum cum Israelitis, & Iehu eorum rege, gerens, regionis trans Iordanem sitæ orientales tractus vastauit, qui à Rubenitis, & Gaditis, atque Manassitis colebantur; necnon Galaditicam, & Bataneam; omnia rapinis miscens, & incendiis: ac ne ab hominum quidem cæde temperans, quotquot in eius manus inciderent*, &c. Quin etiam rebus eorum ita accisis tributum in seruitutis argumentum de more imposuit.

De Athalia hoc habemus. *Porro Athalia regnauit super terram.* In aliquibus codicibus latinis additum inuenitur *septem annis*, quod ab emendatis sublatum est, & rectè. Nam, neque in Hebræo, Græco, Chaldæo, & maxima parte Latinorum inuenitur; neque verum est septem annis, sed sex duntaxat regnasse: nam septem vix attigit, & is est primus regni Ioas filij Ochosiæ. Idque clarum est ex 2. Paral. [b] vbi dicitur Ioas absconditus in domo Dei sex annis, quibus regnauit Athalia super terram: quæ phrasis innuit eam regnandi tantùm curam habuisse; superstitionem Baal in Israële collapsam, in Iuda omni ope amplificasse, diuinum autem cultum plane neglexisse; imo & quantum potuit, ad nihilum redegisse, sic enim legimus [c]. *Athalia enim impiissima, & filij eius destruxerunt domum Dei, & de vniuersis quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornauerunt fanum Baalim.* Denique regnauit super terram, quo iure, quáue iniuria, oblita Dei, terræ duntaxat memor. 1

*V. Regnum Athaliæ.*

b 2. Par. 22. 12.

c 2. Par. 24. 7.

1 ✗.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3152.

1. N. V.

Sic Genes. 6. 12. *omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Et vers. 4. *Gigantes erant in diebus illis super terram.* Et cap. 37. 10. *Num adorabimus te super terram?* Sumitur tamen aliquando in bonam partem, vt Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram.* Quamquam ibi agitur de terra viuentium, quæ cœlum est.



# ANNVS MVNDI 3153. DILVVII 1497. QVINTAE ÆTATIS 214. FVNDATI TEMPLI 131. ATHALIÆ REGINÆ IVDÆ 3. IEHV REGIS ISRAELIS 3. IOIADÆ PONTIFICIS 3. ELISÆI PROPHETÆ 15. TROIÆ EXCISÆ 283. OPHRATANIS 30. IMPERII ASSYRIORVM 1222.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 900.



IVVAT hunc annum ex Clemente Alexandrino notare, qui eũ insignem videtur facere Lycurgi legibus Lacedæmoniis datis. *Lycurgus*, inquit, *multis annis post Troiam captam*, tribus scilicet, & 80. supra ducentos, vt præfert index anni huius, *qui fuit centum & quinquaginta annis ante Olympiadas, tulit leges Lacedæmoniis*, dicendum omnino videtur 150. annis ante vrbem conditam, quod perquam accurate congruit cum chronologia Dionysij Halicarnassæi, quam secuti sumus, anno Troiæ captæ, & mortis Homeri. Si enim ad 282. annos ab excisa Troia, adieceris 150. annos, quos Clemens hoc loco ponit, incides in vrbis natalem, qui ex eodem Dionysio est 432. à Troiæ excidio. Est autem hic

*I. Lycurgus legislator, quando floruerit.*

annus ante initium Olympiadum, centesimus vigesimus quintus, hunc enim numerum efficiunt Athaliæ quatuor anni qui supersunt, 40. Ioas, 29. Amasiæ, Osiæ 52. Denique Chronologiam nostram firmat, quod idem scribit ex Dieuchida [a] Lycurgum floruisse circa annum 290. à Troia capta [b].

4.
40.
29.
52.
125.

[a] 4 Megar. [b] li 1 Stro. p.240.

II. *Eius peregrinatio.*

CÆTERVM existimo Clementem non assignare hunc annum latis à Lycurgo legibus, sed tempus assignare duntaxat, quo ille floruerit. Leges enim tulit Lacedæmoniis multis annis post administratam Charilai regis, nepotis sui tutelam. Illa enim sponte deposita, peregre profectus, Cretam inuisit Minois legibus celebrem, vbi multos annos teste Aristot. [c] commoratus, omnem illius Reip. administrandæ rationem didicit. Inde etiam alias lustrasse regiones à Plutarcho [d] perhibetur, Ioniam, Ægyptum, Aethiopiam, Indiam quoque, atque Hispaniam. Ac demum post annos 14. vt aliqui definiunt, multa rerum cognitione instructus; multaque apud suos in opinione sapientiæ, atque iustitiæ reuertit ad suos, & Rempub. legibus temperauit. Atqui tutelam fatetur Clemens [e] à Lycurgo administratam, annis centum & octo ante primam Olympiadem, vt suo loco demonstrabimus. Non ergo leges tulit centum & quinquaginta annis ante primam Olympiadem, aut fatendum est secum vehementer pugnare Clementem.

[c] l. 2. Rep. c. 10. [d] in eius vita. [e] p. 246. gr. lat.

III. *Nota temp. à Clemente posita expenditur.*

DICIMVS itaque illam temporis Lycurgi notam, ad leges ab eo latas non pertinere, licet id verba ipsa ferre videantur, sed ad tempus quo florere cœperit. Eo enim loco [f] Clemens inuestigat antiquitatem eorum qui leges hominibus tulerunt, vt doceat quanto vetustior sit Hebræorum, quam Græcorum sapientia: aitque memoriæ proditum Zaleucum Locrum primum leges tulisse; *Alij autem*, inquit, *dicunt Minoem filium Iouis, Lyncei tempore.* Is fuit post Danaum, decima generatione ab Inacho & Mose. Lycurgus autem multis annis post Troiam captam, qui fuit centum & quinquaginta annis ante Olympiadas, tulit leges Lacedæmoniis. Quod est idem, ac si dixisset traiectione sublata. Lycurgus autem, qui fuit, siue floruit 150. annis ante Olympiades, multis annis post Troiam captam tulit leges Lacedæmoniis. Cui expositioni coniecturam etiam præbet rotundus ille numerus annorum centum & quinquaginta. Pergit autem Clemens tempus reliquorum legum latorum assignare, non quo præcise leges ediderint, sed quo vixerint. Addit enim *Solonis tempus prius diximus.* [g] (Dixerat autem aliquanto ante, floruisse illum Olympiade quadragesima sexta) Draco autem, qui ipse quoque fuit legislator inuenitur fuisse circa trigesimam nonam Olympiadem. Sic ipse.

[f] l. 1. Stro. p. 226. græ. lat. [g] p. 221. gr. lat.

IV. *Quandiu ante vrbem conditam fuerit.*

TEMPVS ergo latarum à Lycurgo legum non fuit 150. annis ante Olympiades, seu potius ante vrbem conditam, vti diximus [h]; imo ne centum quidem, & octo ante easdem Olymp. Nam iste annus centesimus octauus, fuit annus tutelæ Lycurgi, vt suo loco dicemus [i], à qua multi anni intercedunt, & antecedunt lationem legum. 14. fortasse, vel plures. Itaque Eusebius in Chronic. si qua plerisque manuscriptis fides, Lycurgum iura Lacedæmoniis, non paucis annis posterius, sub finem scilicet regni Sardanapali, conscripsisse putat: Nimiũ sanè multis: nimirum ab illo tutelæ, & inchoatæ peregrinationis anno sexaginta tribus. Sed eam notam non immerito plerique libri non habent, & Pontacus fatetur insertam. Vice versa, qui annus tutelæ esse perhibetur, fuitq. 108. ante Olympiadas, non rectè apud eundem Eusebium, anno Ophratanis 48, ponitur annus legum à Lycurgo latarum; (in latino codice vbi habetur, *Lycurgus insignis habetur*, in græco legitur Λυκοῦργος Λακεδαιμονίοις ἐνομοθέτει) Nam plures anni peregrinationis, vt dixi, interiiciendi sunt.

[h] num. 1. [i] a m. 3170 n. 1. 4. & 5

ANNUS MUNDI 3157. DILUUII 1501. QUINTÆ ÆTATIS 218. FUNDATI TEMPLI 155. IOAS REGIS IUDÆ 1. IEHU REGIS ISRAELIS 7. IOIADÆ PONTIFICIS 7. ELISÆI PROPHETÆ 19. TROIAE DELETÆ 287. OPHRATANIS 34. IMPERII ASSYRIORUM 1226.

## ANNUS ANTE CHRISTUM. 896.

Num. I. *Ratio temporis.*

ANNI huius, qui Sabbaticus est, ordine 82. Chronologia, quod ad vtrumque Hebræorum regem pertinet, perspicuè à Scriptura firmatur, quæ tradit, [a] anno septimo Iehu regnasse Ioam, id est, regnare cœpisse. Cum enim Iehu eodem ferme tempore cum Athalia regnum inierit, sex illius annis absolutis, septimus exoritur, quem regni primum aget Ioas, ætatis autem octauum ineuntem. Anniculus enim erat, cum neci subtractus est, & Ochosias pater eius occisus, vt ex Iosepho diximus: quibus adde sex integros annos Athaliæ, quibus regni heres mansit absconditus in domo Dei [b]. Fiet puer septem annorum completorum, ergo primus regni eius, fuerit initium octaui ætatis eius. quod Torniello etiam placet.

a 4. Reg. 11. 1.

b 2. Par. 22. 12. & 4. Reg. 11. 4.

II. *Ioiada molitur inaugurationem noui regis.*

Celebris ergo hic annus morte impiæ Athaliæ, & inauguratione regis Ioas, cum ruina idololatriæ in regno Iuda; omnia auspiciis & industria Ioiadæ pontificis gesta. Is videns regis filium, septimum iam ætatis annũ exegisse, pertæsus impietatis, & sacrilegiorum Athaliæ, & filiorum eius, & accensus zelo pro domo Domini, & cultu eius, quem Athalia cum suis pessumdederat, & pro regia Dauidis familia, quæ à regno exclusa, periculum quotidie internecionis adibat, quandiu impia Athalia regnabat super terram, quam pridem animo versabat curam, in rem deducere magno animo statuit. Et primum, vt de sancto viro credere par est, re per multas preces, & sacrificia Domino commendata, consilij socios, & administros, *assumpsit* quinque *Centuriones* de tribu Leui, *Azariam*, scilicet *filium Ieroham, & Ismaelem filium Iohanan: Et* alterum *Azariam filium Obed, & Maasiam filium Adaia, & Elizaphatum filium Zechri, & iniit cum eis fœdus* de seruando secreto, adhibito etiam iureiurando. Tum demùm actum est de interitu Athaliæ, & inauguratione filij regis Ochosiæ, quem ipsis ostendit absconditum.

*& cum quibus.*

III. *Eorum consilium.*

Eorum consilium fuit, nullos fideliorem operam huic negotio nauare posse Sacerdotibus, & Leuitis: vtrique enim mox referuntur. Itaque *circumeuntes Iudam congregauerunt Leuitas de cunctis vrbibus Iuda, & principes familiarum Israel*, id est, regni Iuda, vt vult Vatabl. Neque enim credibile est, ad regnum Israëlis rem fuisse delatam. *Veneruntque in Ierusalem*: sumpta fortasse Paschalis celebritas, ne suspecta esset tyrannidi congregatio. Eos introduxit ad se pontifex in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus, & exegit ex eis fidem, & iuramentum non prodendi consilia. Quo dato significauit, quo statu res diuina, publicaque esset, quod ipsos quorum maxime intererat, latere non poterat; iam pridem gemere omnes pios, nec tantis malis remedium inuenisse: non defore tamen, si fidem quam Deo, & regiæ Dauidis familiæ spoponderunt, seruare velint. Quam cum illi vltro pollicerentur, *adiurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis, dixitque ad eos Ioiada. Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios Dauid* [c]. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege, primo coram Deo, & pontifice regi fidelitatem iureiurando firmarunt, tum exhibito rege, ei quoque fidem religiosè spoponderunt.

*& fœdus pro rege.*

c 2. Reg. 7. 12.

IV. *Distributio Leuitarum ad præsens negotium.*

CÆTERVM, hæc distributio Leuitarum, licet aperta videatur rem obiter legentibus, perobscura tamen videtur considerantibus; de hoc toto loco multa Villalp. [a] & Pined. [b] Videtur sanè ipsa Scriptura omnes istos Leuitas bipertitò diuidere. Primū in eos, qui recens adueniebant obituri ministeria sua in templo: Secundo, in eos qui per hebdomadam perfuncti muneribus suis, recedebant, & recentibus locum dabant; de prioribus agitur vers. 6. & hi conficiebant vnam tertiam Leuitarum partem: De posterioribus vers. 7. & hi complebant reliquas duas tertias partes. Priores illi intelliguntur istis verbis. *Tertia pars vestrum introeat Sabbatho.* Hebr. *Tertia pars ex vobis intrantes Sabbathum.* Septuag. regia, *Ingredientes Sabbatho* [c]. In 2. Paral. *Qui veniunt ad Sabbathum*, & ita explicandum, patet ex eo, quod vers. 7. istis opponuntur, qui ibi vocantur *egredientes Sabbatho.* Est autem vsitata locutio imperatiui pro futuro, introeat, pro introibit. Isti autem tripertitò diuiduntur: Nam alij destinantur in ipso templo, ad obseruandum regiam, in qua erat Athalia, vt si qua inde vis afferretur, statim repelli posset. Alij ad custodiam portæ Sur, de qua mox. Alij denique ad custodiam portæ, qua ibatur ad regiam, ne qua illuc notitia inferri posset. Hac enim porta scutariorum iter fuisse ad palatium, patet ex illis verbis [d]. *Et venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, & sedit super thronum Regum.* Erantque scutarij Leuitæ, scuta & gladios ferentes ad custodiam templi, quorum habitatio erat ad partem meridianam templi. Nam & regia, & Sion erant à meridie templo.

*eorum qui recens veniunt.*

[a] tom. 2. l[...] c.32.
[b] li. 5 de Sa[...]lom. ca. 5. [...] 123 & se[...]
[c] 2. Par. 23
[d] c. 11. 19.

V. *Et qui perfuncti sunt ministerio.*

POSTERIORES autem omnes, qui conficiunt duas tertias partes omnium Leuitarum, non distinguntur, sed iubentur, firma custodia regem vndecunque cingere, vt nemo ad eum quoquo modo penetrare posset, interim dum inungeretur, & constitueretur rex. Id enim valent ea verba: *Duæ vero partes è vobis, omnes egredientes Sabbatho*, id est, iam perfuncti ministerio hebdomadæ vestræ, *custodiant excubias domus Domini circa regem, & vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur. Eritisque cum rege introeunte, & egrediente*, id est, semper, & vbique assistetis regi, vt habetur in 2. Paral. [e] vbi additur, vt omne reliquum vulgus sit in atriis domus Domini; sed inerme, vt notauit Iosephus, & significat Scriptura. Cum enim dixisset: *Et omne reliquum vulgus obseruet custodias Domini*: subditur, *Leuitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua.*

[e] 2. Par. 23. 7.

VI. *Disponuntur omnes ad inaugurationem regis.*

ET *fecerunt Centuriones, & Leuitæ, & vniuersus Iuda, iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada* [f] *pontifex, & assumpserunt singuli viros, qui sub se erant, & veniebant per ordinē Sabbathi, cum his qui impleuerant Sabbathum, & egressuri erant.* Siquidem *Ioiada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueuerant. Veneruntque ad Ioiadam sacerdotem, qui dedit eis lanceas, & hastas, & clypeos, & peltas, arma regis Dauid*, quæ is iampridem consecrauerat in domo Domini. Non venerunt in templum armati Sacerdotes, & Leuitæ, ne aliquam suspicionē coniurationis excitarent, sed ibi instructi sunt armis à pontifice. *Et steterunt singuli habentes arma in manu sua, à parte templi dextera*, id est, meridiana, quæ respiciebat regiam, *vsque ad partem sinistram altaris, & ædis, per circuitum regis.* Significat regem constitutum fuisse in atrio Leuitarum infra altare holocaustorum, ne eo regis conspectus impediretur, excitato vtique suggestu, qui in lib. Regum tribunal, in Paral. gradus dicitur, quòd in ipsum gradibus ascenderetur, vt puerulus facile vndique totis templi atriis conspicuus esset: & quia id tribunal columnis nitebatur, Hebr. Septuag. & Chald. vocauerunt columnam [g].

[f] 2. Par. 23. 8. & 4. Reg. 11. 9.

*Regis locus.*

[g] v. 14.

VII. *Creatur à pōtifice rex Ioas.*

PRODVXITQVE *filium regis*, pontifex scilicet, *& posuit super eum diadema, & testimonium.* Pro diademate Septuaginta Sixti retinuerunt hebræam vocem nether. Regia vero verterunt, tum *insigne regium*, in Paral. tum in libro Regum *ἁγίασμα*, id est, sanctificationem, quomodo habet & Theodoretus, eaq. voce intelligit chrisma. Testimonium autem interpretatur diadema. Rectius Vatablus, & alij plures diadema vocant coronam, qua reges Iudæ coronabantur, quæ forte in templo asseruabatur, vt notat Abul. Iosephus corona regia redimitum caput dicit, sed testimonij non meminit: quo nomine Pagninus, & Vatablus intelligunt regia ornamēta, & vestes, quæ regiam maiestatem testantur.

Vide Pine[...] l de Salom[...] c. 7. n. 2.

*Diadema.*

tur. Verum nomine testimonij Deuteronomium legis intelligo, quod rex, dum initiaretur à sacerdote, accipiebat, vt est in 17. Deut. [a] idque apertè confirmatur, in 2. Paral. [b] vbi hæc historia traditur. *Et eduxerunt*, inquit, *filium regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium*, quod explicans subdit, *dederuntque in manu eius tenendam legem*, quæ verba interpretationis causa adiecit D. Hiero. ex li. Deuter. [c], cum in Hebr. & Græc. non legantur. Eò porro spectabat illa cæremonia, vt reges lege diuina monerentur Deum, & quæ ad eius cultum pertinent reuereri, & populo esse parentis loco, & non eleuari in superbiam super fratres suos, vt in lege perscriptum est.

a Deut. c. 17. 18.
b 2. Par. 23. 11.
c c. 17. v. 18. & 19.

VIII. Innuctio cũ reliquis cæremoniis.

Deniqve *constituerunt eum regem*, quibus verbis, & sceptrum, & purpura, & reliqua regum ornamenta facile comprehenduntur. Adhibita autem fuit in primis vnctio, qua rex consecratur, & quæ regẽ vel maxime constituit, vnde cõiunctim dicitur, *Feceruntque eum regem, & vnxerunt*. Quasi dicat, vngendo fecerunt regem, oleo videlicet sacro, quod in templo asseruabatur, vt olim Salomonem. Non tamen à quoquam vnctus est, quam ab ipso pontifice, assistentibus ei filiis suis. Vnde in Paralip. *Vnxit quoque illum Ioiada pontifex, & filij eius, imprecatique sunt ei, atque dixerunt. Viuat rex*. Hæc est fausta precatio, qua regi vitam, eoque nomine omnia bona precantur. In lib. Regum adduntur plausus, accesserunt cantores, & diuersi generis organa, & nominatim clangores tubarum, & vniuersi populi voces, exclamantis, & ingeminantis, *viuat rex*. Quæ alibi à nobis in diuersorum regum creatione satis videntur explicata.

IX. Lætitia populi, eiusq. causa.

Sed quæ tandem erat populo nouæ causa lætitiæ, cum mulierem in puerum nondum regno habilem conuertisset? An quia vulgus, cuius erant isti clamores, amore nouitatis hilarescit, non attendens an mutatio futura sit fructuosa? An odio funestæ mulieris, quæ redacta in ordinem, nefarios in regiam familiam, atque execrandos ausus erat luitura? An amore Dauidicæ familiæ, cui Dominus imperium in Iuda, in omnem posteritatem destinasset. Erat hic puer, sed filius Dauidis, erat illa mulier, sed Achabi filia, & Iezabelis, perditissimorum capitum: & sexu ipso à regio throno remotior. Accedebat certa spes restituendæ pietatis, & diuini cultus, quem illa pestis erecto Baale prostrauerat, idque annitente sapientissimo, ac religiosissimo Antistite, cuius summa futura erat auctoritas apud eum, quem ipse regem creasset, & quem tam propinqua affinitate contingeret. Ergo clamabat populus, omnesque in primis boni, regi à Deo fœlicitatem postulantes.

X. Dei circa Athaliam prouidẽtia.

Qvod *cum audisset Athalia, ingressa est ad populum in templum Domini*. Agnoscenda est hoc loco diuina prouidentia suauiter disponens omnia, & Athaliam ad victimam ducens. Nam audito tumultu, & vociferatione clamantium, & vitam, ac salutem nouo regi imprecãtium, suum esse duxit templum adire, vt præsentia sua seditiosos conatus compesceret, & partum sibi regnum conseruaret, sicque coniecit se in manus quærentium animam eius. Quæ si regia sese continuisset, & rem per nuncios didicisset, difficillimam pontifici, cæterisque inimicis suis victoriam dedisset; vt quæ magistratus, & militiam, & magnam populi partem haberet sibi obsequentem; sicq. ad aliquas pacis conditiones ventum esset, & discusso magna ex parte periculo, sæuiorem tyrannidem, hac coniuratione incitata, in Dei cultũ ac pietatis cultores exercuisset, aut certe multo cum sanguine pugnatũ, ac debellatum esset. Nunc vltro se coniecit in laqueum.

XI. Athalia venit in templum.

Tvmvltvs *hic, ait Iosephus, & acclamationes, præter spem ad aures Gotholiæ venientes, effecerunt, vt vehementer perturbato animo, cum satellitio prosiliret è regia: venientem dein de in templum, ipsam quidem sacerdotes admittunt, sed armatos eam sequentes arcuerunt illi, qui ad hoc ipsum templo à Pontifice circundati fuerant*, vel illi potius, qui ad eam ianuam appositi fuerant excubitores. Pergit autem Scriptura [d]. *Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu, & principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, & diuersi generis organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, & ait: Insidiæ, insidiæ*, vel, vt alio loco [e], *Coniuratio, coniuratio*. Vtrobique tamen in Hebræo, & Græco eædem voces repetuntur, pro quibus Iosephus. *Discissa veste sua magno clamore iubet inter-*

d 2. Par. 23.
e l. 4. reg.

*fici insidiatorem, & occupatorem tyrannidis*, quasi videlicet clamasset Athalia, occidite, occidite. Cui obtonabat populus, viuat rex, viuat rex Ioas, moriatur Athalia.

XII. *Comprehēditur, & è templo educitur.*

MVLIERE autem frustra vociferante, *Egressus Ioiada pontifex*, ex atrio scilicet Leuitarum, vbi regem coronauerat, & inunxerat, adiit centuriones, & principes exercitus, & dixit eis. *Adducite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio.* Addit Iosephus, iussisse pontificem duci mulierem in torrentem Cedronis, atque ibi pœnas luere. Septa templi quidam intelligunt, acies, ordinesque militares: quod ponit eam acies illas penetrasse, quod nequaquam permisissent milites; præsertim cum illa suo satellitio spoliata fuisset, vt ait Ioseph. Libentius intelligo vltimum peribolum ambientem omnia atria Israëlitarum, & gentium. Idque patet ex situ loci, in quo interfecta fuit, nimirum ante palatium regium, transgressa per pontem voraginis Mello [a]. *Præcepitque sacerdos ne occideretur in domo Domini.* Ne illa scilicet tam impio, & impuro sanguine incestaretur; addit etiam, vt si quis eam sequeretur, vtique eius defendendi causa, gladio interficeretur.

[a] 2. Paral. 23.14.

XIII. *Interficitur, & quo loco.*

ET *imposuerunt ceruicibus eius manus*, id est, iniecerunt in eam manus, vt Septuag. & Hebr. *Cumque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi.* Paulo aliter in libro Regum. *Et impegerunt eam*, siue impulerunt, vt significetur hostilis, & violenta deductio. Septuaginta Regia, *induxerunt in viam introitus equorum.* Septuaginta Romana, *intrauerunt viam introitus equorum domus regis, & interfecta est ibi.*

Dubium est, an significet Athaliam interfectam in vico, quo ad regium stabulum ibatur, vel in ipsa stabuli porta, vel potius in maiori porta regiæ, qua equi & currus introducuntur in aream domus regiæ, quod apertius habetur in li. Par. Villalp. [b] vult hanc portam equorum domus regis fuisse portam vrbis, qua equi regis ducebãtur ad potum; inter quam & palatium regis esset lata area, dicique domus regiæ, quia palatio esset proxima.

[b] lib 3.c.21.

XIV. *In porta regiæ, non ciuitatis.*

ET quidem negari non potest, quin porta quædam orientalis Hierosolymorum diceretur porta equorum, qua descenderetur ad torrentem Cedron. Eius enim meminit Ierem. [c] & Nehem. [d] Eius tamen hoc loco non existimo fieri mentionem, sed tantum portæ palatij, qua equi admittebantur, quia hæc porta perspicue à Scriptura designatur [e] cum dicitur. *Cumque intrasset portam equorum domus regis*, quomodo habent hebræa: dicendum autem fuisset, portã equorum ciuitatis. Septuaginta quoque, tam pontificia, quam regia habent: *Portam equitum domus regis*, non portam equorum, at porta ciuitatis non dicta est porta equitum. Ioseph. quoq. vocat eam portam mulorum regis, qua scilicet muli, & equi regis intrabant domum. Nec credibile est Iosephum portam ciuitatis tam alieno nomine vocare voluisse. Denique in lib. Reg. [f] non porta equorum, sed via introitus equorum dicitur, viæ nomine ipsam portam patentem intelligendo. vt apud Ezech. [g] *Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, id est, per portam Aquilonis*, vnde sequitur, *Et conuertit me ad viam foras portam*, quasi sit via ipsius portæ patentis, & via extra portam. Sed quid opus est pluribus? cum in 4. Reg. [h] dicatur occisa Athalia, *in domo regis*, nulla facta aut viæ, aut portæ mentione; vt cum de porta fit mentio, non porta ciuitatis, sed palatij intelligeretur.

[c] c.31. [d] c.3.28. [e] 2.Par.23.18. [f] c.11.16. [g] c.47.2. [h] 4. Reg. 11 10.

XV. *Neque id absurdum esse.*

NEC absurdum est, vt putat Villalpand. centuriones & milites, reginam in propriam domum occidendam duxisse, nihil veritos præsidiarios milites reginæ. Nam primò isti milites in reginam coniurati, multo plures erant, quam reginæ satellitium; Maxima enim pars à templo, ad occidendam reginam dimissa fuit, in cuius morte regis vertebatur salus, nec ea sublata, multo circa se præsidio rex opus habuit. Deinde reginæ satellites cum reginam duxissent in templum, viderunt totum templum armatis hominibus refertum in eius perniciem, imo & ab ipsis comprehensam. Itaque templo exclusi, cum se nullibi minus, quam in regia tutos fore crederent, quo mox deducendus esset nouus rex, cum vniuerso populo ei fauente, & Athaliæ, eiusque ministrorum, & satellitum cædes, tyrannidem, impietatem detestante, relicta regia saluti suæ consuluerunt. Denique illa via maximè compendiosa erat, vt ad torrentem Cedron occidenda, vt ait Iosephus, duceretur. Breuis enim erat traiectus

voraginis Mello à templo in regiam, indeque ad portam equorum. At cum illa, vt fit ad regiam deos, hominesque testaretur, & auxilium domesticorum imploraret, milites ad periculum vitandum, & in omnem euentum, eam ad maiorem palatij portam impulsam, gladio interfecerunt, rati nihil interesse, licet in torrente non occideretur, modo extra templi septa.

XVI. *Fœdus inter Deum, regem & populum.*

Hoc tempore, *Pepigit Ioiada fœdus inter Dominum, & inter regem, & inter populum, vt esset populus Domini; & inter regem, & populum.* Fuit scilicet pontifex mediator, & sequester inter Deum, & regem cum populo, exigens promissionem vnius Dei colendi, & agnoscendi, omni superstitione exterminata. Vnde sequitur. *Ingressus est omnis populus terræ templum Baal, & destruxerunt aras eius, & imagines contriuerunt valide.* Deinde autem inter regem, & populum mediator fuit, exigens à populo fidem, honorem, amorem, omniaque legitima obsequia erga regem suum: & vice versa à rege erga populum custodiam, protectionem, amorem, & fidelem, paternamque gubernationem. Quæ Iosephus [a] ita tradidit. *Vt vero conspiratio contra Athaliam successit, Ioadus conuocato populo, ac militibus in templum, omnes sacramento ad fidem regis adegit, incolumitati ipsius tuendæ, regnóque augendo, daturos operam. Eodem iureiurando mox regem adstrinxit, ad diuini numinis reuerentiam, & ad obseruationem legum, quas Moyses cælitus acceptas ad populum pertulit.*

a l.9.c.7.

XXII. *Vtile, ac necessariũ.*

Vtile quidem Hebræis semper fuit, fœdus inter Deum & ipsos iniri: hoc autem tempore in primis necessarium, quo, per profanam Achabi familiam, etiam in Iuda luxata erant omnia, & quisque arbitratu suo, modo Dei, modo Baalis templum adibat: &, vt ad deteriora proniores sunt homines, ad Baalis potius, quam Dei; præsertim cum viderent se illo cultu reginæ gratificaturos, & aulicis, ac principibus eius; hoc autem se rem illis ingratam facturos, à quibus regebantur. Etsi autem noua non contrahebatur obligatio, sed antiqua renouabatur, perquam vtiliter tamen populus illud fœdus, mediatore Mose ictum cum Deo, non solum memoria, sed iterata actione repetebat. Ad illud enim obseruandum, nouo facto vehementius accendebatur: cum noua, cæteris paribus, magis afficiant, quam vetera. Et fœderi nouæ pœnæ in violatorem eius inseruntur, quarum metus, hominem ad officium excitat. Denique noua hæc obligatio sponte suspecta, viuacior erat ad permouendum populum; quam vetus illa ab auis, proauisque, suo quondam nomine, suorumque acta [b].

b Abul. qu. 16. in ca. 11. 4. Reg.

XVIII. *Euersio idolatriæ.*

Stabilita pietate, nihil fuit, aut esse debuit antiquius regi, pontifici, totique populo, quam vt primo quoque tempore scandalum, & offensio, ex oculis religiosi populi tolleretur. Ergo, *ingressus est omnis populus terræ templum Baal.* Sed vbi esset hoc templum Baalis, non satis constat; certè vel Hierosolymis, vt putat Abulensis, vel in vicino monte offensionis, vbi pridem istiusmodi fana Salomon ædificarat, fuisse videtur. Vicinum enim fuisse Scriptura, & Iosephus non obscurè significant, cum id templum destructum narrant, antequam rex deduceretur in palatium suum. Quoniam tamen operosa res est templi euersio: euersum autem ipsum Baalis templum, ex Hebræo textu apertè constat, Chaldæaque paraphrasi, rectè dici potest, hoc primo feruore populum in templum ingressum simulachra deturbasse, ac deformasse, arasque destruxisse: postmodum autem sumpto cibo, profanas imagines, statuasue frustillatim comminuisse, altaria solo æquasse, ipsamque ædem à summo culmine diruisse: quam Iosephus ab Athalia, & Ioramo rege extructam ait, in veri Dei contumeliam, & Achabi gratiam, sed locum non expressit, factus hoc loco, in diuinando parcior.

XIX. *Ipsiusque templi Baalis.*

Qvamvis autem liber Regum destructas tantum aras Baal referat, & simulachra eius comminuta. Mathan quoque sacerdotem Baal occisum coram altari, implorantem scilicet auxilium Baalis, suum, eiusque interitum deplorantem. Liber tamen Paral. ait omnem populum ingressum esse domum Baal, & ipsum destruxisse, idque in vtroque libro habent Hebr. & Septuag. tam Sixti, quam regia, & Chald. in eodem libro Reg. Iosephus quoque ait eam ædem à populo à fundamentis dirutam: tum quidem euersio inchoata fuit iussu ponti-

ficis. In quo opere consequenter populus occupatus fuit aliquot dies; sed hæc per occupationem quandam narrantur, vt inter se connexa. Prius tamen factum videtur, vt rex è templo eductus, in regia, cum necessario militum præsidio, collocaretur; neque par erat, illum ibi moras trahere, dum templi negotia, quæ longioris erant operæ, à pontifice constituerentur. [a]

XX. *Deducitur rex in palatium.* Assvmpsit itaque Ioiada *Centuriones, & fortissimos viros, & principes populi, & Pheleti legiones, & omnem populum terræ; deduxeruntque regem de domo Domini, & venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, & sedit super thronum Regum.* Hæc porta in libro Paralip. vocatur porta superior, & à Septuag. interior, Hebr. superiorem vocat; quæ nomina diuersa ratione eidem rectè conueniunt. Certum autem est fuisse illam portam ad meridiem templi, siue initio pontis impositi Mello, siue in fine. Denique, *Lætatus est populus terræ* (cum nouo scilicet rege) *& ciuitas conquieuit:* quæ, in tam subito, & insperato tumultu, & rerum commutatione, turbata fuerat, aut etiam conquieuit à vexatione, & tyrannide Athaliæ, & satellitum eius; siue quia, vt scribit diuus Hieronymus [b], tempore Athaliæ idolorum cultibus inquieta erat, bonis scilicet hanc impietatem indignè ferentibus, & crebro rixantibus cum cultoribus idolorum. Sententia vero Iosephi, hæc est. *Cumque collocato in solio denuo alacriter acclamatum esset, populus ad epulas conuersus, festiuitatem per aliquot dies egit, omnibus scelestæ mulieris cædem libenter ferentibus.* Hæc ipse.

XXI. *Ioiada res templi ordinat.* Pontifex deinde in templum regressus [c], *constituit præpositos in domo Domini, vt offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, in gaudio, & canticis, iuxta dispositionem Dauid. Constituit quoque ianitores in portis domus Domini, vt non ingrederetur eam immundus in omni re,* id est, qualibet immundicia, hæc dispositio habetur in Paralip. per plura capita, quæ omnia regnante Ioramo, Ochosia, & Athalia neglecta, iussu pontificis renouata fuerunt. Non quidem, vt videtur, illo ipso tempore, sed postridie, & deinceps, licet Iosephus aliter sentire videatur. Neque enim id opus paucarum horarum fuit: nec differenda fuit, vt dixi, deductio solennis inaugurati regis in palatium, vt ibi sederet in throno Dauid, & eius possessionem acciperet. Ideoque in libro Regum, post memoratam Mathani pseudosacerdotis cædem, dicitur tantum; *Et posuit Sacerdos custodias in domo Domini*, indeque transit ad deductionem regis.

[a] Vide … an. m. 3021 … n. 13 & seq.
[b] in 2. Par. c. 23.
[c] 2. Par. 23. 18.

## *SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI.* 3157.

1. N. V. Cæterum porta Sur, quæ 2. Par. 23. 5. dicitur porta fundamenti, existimatur à Villalp. porta meridiana; quia in iaciendis templi fundamentis disposita est, vt per eam iretur in regiam. Plurium tamen sententia est portam Sur fuisse portam orientalem, quod ea esset prima, & præcipua, & quasi fundamentalis. Addit Chimhi dictam fundamenti, quod ibi iacerentur fundamenta doctrinæ, & ritus docerentur. Certum tamen est nomē Sur omnibus portis conuenire posse, si vocis origo spectetur. Est enim Sur declinare, diuertere, quod ad eas auerterentur, & recederent, qui admitti non poterant. Nam omnes portæ atrii Israëlitarum excludebāt omnes Gentiles, & immundos Israëlitas, vt ait Iosephus. Portæ autem atrii Leuitarum, omnes reliquos Israëlitas arcebant. Hanc portā Chaldæus vocauit portam Baronum. Forte ait Villalp. quod legerit Sur per ש, quod significat principem, pro Sur per ס. Qui idem notauit domum Messa ab aliquibus putari proprium nomen. Vatablus eam vocem reddit a desertione. Quasi dicat, cauebitis ne quis ordinem suum, aut locum deserat. A quo non multum distat Chaldæus. *Et custodietis,* inquit, *custodiam domus sollicitè.* Septuaginta quoq. vocem hebræam retinuerunt, quā Theodoretus sic explicat. *Vocem μίσαι, reliqui interpretes dixerunt ἐπὶ ἀσφαλείας, id est, cum omni cautione, vt nullum fiat detrimentum in diuina domo.*



ANNVS MVNDI 3158. DILVVII 1502. QVINTÆ ÆTATIS 219. FVNDATI TEMPLI 136. IOAS REGIS IVDAE 2. IEHV REGIS ISRAELITÆ 8. IOIADÆ PONTIFICIS. 8. ELISÆI PROPHETÆ 20. TROIÆ EXCISÆ 288. OPHRATANIS 35. IMPERII ASSYRIORVM 1227.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 895.

Nvm. I. *Probitas regis Ioas.*



PLVRIMI anni vtriuſque regis admodum ieiuni ſunt. Quæ autem in duobus Scripturæ locis [a] de Ioaſi pietate traduntur, quantum quidem ætas ferre potuit, ad hæc quoque tempora pertinent. Ait autem; *Fecit Ioas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada ſacerdos*: magno quippe eum amore, ac reuerentia proſequebatur. Quidni faceret puer, virum pietate ſanctiſſimum, ætate venerabilem, affinitate proxima coniunctum, dignitate ſummum pontificem, amore & meritis parentem: imo qui parentem modis omnibus ſuperabat. Accedebat & Iezabeth vxor pontificis, amita regis, eiuſdemque non minus mater, quam Sebia de Berſabee; non minus enim fuit ei vitam conſeruaſſe, quam dediſſe. Porro hæc Sebia dicitur de Berſabee, vrbe ſcilicet ad extremum tribus Iudæ pertinente; niſi mallemus, cum D. Hieron. nomen mulieris ea voce accipere; ſcriptione tamen differunt. Nam vrbs per ר mulier per ה ſcribitur.

*in pontificem obſeruantia.*

a 4. Reg. 12. 2. & 2 Paral. 24. 1. 2.

II. *Excelſa non abſtulit.*

Qvod autem ſubditur, excelſa non abſtuliſſe, ſi ſpectemus hæc tempora, in reprehenſionem potius pontificis, qui tunc omnia poterat, quam Ioas id redundat. Forte autem voluit Ioiada, in re non admodum criminoſa, populo indulgere, qui talium locorum amœnitate mirifice capiebatur, in iiſque ſolebat ad omnem animi remiſſionem deſcendere; vt ſupra quoque de Ioſaphato dicebamus [b]: aut certè rem in maturiorem principis ætatem differre. Verum ea cum aduenifſet, dilatio quoque optimatum conſilio, ſubſecuta eſt; donec moriente pontifice, retro omnia ſublapſa referri.

b An. eius 3. n. 3.

III. *Iehu à Syris vexatur.*

Hoc tempore Iehu inglorius regnabat in Samaria, imo & infelix. Regnum quippe eius Syrorum populationibus ſubiacebat: potuerunt enim quæ de iactura omnis terræ trans Iordanem poſitæ ſupra diximus, ad hæc quoque tempora propagari. Ioſephus [c], cum de huiuſmodi Syrorum graſſationibus ageret: *Neque enim*, inquit, *Iehu arcere Syrum à populationibus potuit, contemptor & ipſe numinis, religioniſque, & legum à maioribus per manus acceptarum toto regni ſui tempore.* Non obſeruauit autem Ioſephus illam Scripturæ phraſim, qua ſignificauit eum, cum vitulis etiam Deum, à quo rex factus eſſet, & bene geſtæ rei præmium ampliſſimum accepiſſet, ſimul coluiſſe: & neque Deo, neque Idolis cor integrum tribuiſſe [d]. Itaque non deſtitit Dominus eum Syrorum flagellis grauiter cædere, vt ſi quomodo fieri poſſet, ad mentis ſanitatem reuocaretur.

c l. 9. c. 8.

d Supr. an. m. 3151. n. 66. & vlt. 2. Aſæ, n. 4.

ANNVS MVNDI 3164. DILVVII 1508. QVINTAE ÆTATIS 225. FVNDATI TEMPLI 141. IOAS REGIS IVDÆ 8. IEHV REGIS ISRAELIS 14. IOIADÆ PONTIFICIS 14. ELISÆI PROPHETÆ 26. TROIÆ EXCISÆ 294. OPHRATANIS 41. IMPERII ASSYRIORVM 1233.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 889.

I. *Sabbaticus annus. 83.*



CADIT in hunc annum sabbaticus tertius supra octogesimum, quem minimè dubitauerim, annitente Ioiada religiosissimo Pontifice, qui omnia in Repub. poterat, sanctè ac religiosè obseruatum. Agebat nunc Ioas ætatis annum quintum decimum, regni octauum, in eoque, vt credere par est, ad omnem virtutem informando Pontifex studiosissimè incũbebat, *Institutio regis.* non ignarus quantum inesset in ea educatione momenti ad Dei gloriam, populique ei commissi salutem. Ergo Deuteronomium legis, quod puerulo inaugurando in manus dederat, explicabat in dies, & vt teneræ menti magis quam chartis inscriberetur enixè satagebat. Et fortasse iam hoc tempore de vxore illi socianda cogitauit. Satius tamen videtur primum eius coniugium ad vnũ, aut alterum annum differre.

ANNVS MVNDI 3166. DILVVII 1510. QVINTÆ ÆTATIS 227. FVNDATI TEMPLI 144. IOAS REGIS IVDÆ 10. IEHV REGIS ISRAELIS 16. IOIADÆ PONTIFICIS 16. ELISÆI PROPHETÆ 28. TROIAE DELETÆ 296. OPHRATANIS 43. IMPERII ASSYRIORVM 1235.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 887.

I. *Ioas ducit vxorem.*



HOC circiter anno crediderim datam à Pontifice adolescenti regi vxorem, ætatis scilicet anno decimo septimo. Nam cum valde sollicitus esset, de propagando semine regio, quod in vnius adolescentis capite vertebatur, non videtur vltra hoc tempus distulisse, sed nec anteuertisse, de adolescentuli salute, & incolumitate sollicitam curam gerẽs. Quam ob causam etiã non cẽteo duas ei simul vxores copulasse, sed alteram alteri seu viuæ, seu demortuæ successisse: de duabus vxoribus Ioas habetur in 2. Paral. [a] *Accepit autem ei Ioiada vxores duas, è quibus genuit filios & filias*; Earum altera vocata est Ioadam de Ierusalem, vt ibidem dicitur; [b] ex qua suscepit filium regni successorem, nomine Amasiam, qui non nisi 16. anno regni patris natus est, vt suo loco dicetur: de ætate qua rex duxit vxorem, nihil definit Iosephus [c], sed ait tantum, *duxitque vxores duas, postquam ætate maturuit, conciliante coniugium eodem Pontifice, ex quibus vtriusque sexus liberos suscepit.*

[a] 2. Paral. c. 24. 3.
[b] 2. Par. 25. 1. [illegible]
[c] lib. 9. c. 7. fin.

II. *Cõstructio Carthaginis ex Iosepho.* DECIMVS annus Ioas regis Iudæ, qui est centesimus quadragesimus quartus à iactis Hierosolymitani templi fundamentis, insignis habetur constructione illius imperij Romani æmulæ Carthaginis cum Dido Tyro profecta regnante Pygmalione, nauigauit in Africam. Id affirmat Iosephus primo li-

bro aduersus grammaticum Apionem. [a] Probatque ex Annalibus Tyriis, & Menandro Ephesio. Et si autem hac quæstione nihil incertius, neque inconstantius in antiquis, & recentibus historicis reperitur, vt alibi quoque à nobis animaduersum est, adeo vt Eusebii Chronicon, tribus aut quatuor diuersis locis, iuxta diuersas opiniones, conditam Carthaginem ponat. Huic tamen opinioni plerique subscribunt, in quibus Tornielius, Gordonus, Scaliger. [c] Et ab ea Chronologia minimum abest Solinus. Cum enim dicat [d] Carthaginem post annos 737. quam fuerat extructa, excisam esse: ea clades cum 606. vel 7. anno ab v.c. contigerit, ab hoc anno ad illud excidium 741. numerantur. Laxius Liuius, Eutropius, & Orosius aiunt euersam Carthaginem septingentis annis postquam condita fuerat.

a p 1043. Græco. Lati.
b Præf. 3. l. n. 18.
c Na. Euseb. 1167.
d c. 40.

III. Ex Solino.

Addamvs obiter ex Solino, [e] quæ is de Carthaginis origine retulit, ex veracibus vt ait, libris. *Vrbem istam, vt Cato in oratione senatoria autumat, cum rex Lapon rerum in Libya potiretur, Elissa mulier extruit.* Iarbam eum sæpe [f] Virgilius appellat, & mulierem Elissam. Et potuit ille rex vtroq; dici nomine, sed quæ ista mulier? *Domo Phœnix*, inquit, *& Carthadan dixit, quod Phœnicum ore exprimit ciuitatem nouam.* At [g] *Seruius Carthago*, inquit, *ante Byrsa, post Tyros dicta est, post Carthago à Cartha oppido, vnde fuit Dido, inter Tyron & Berithon.* Pergit Solinus. *Mox sermone verso in verbum punicum, & hæc Elissa, & illa Carthago dicta est*; videtur sane res postulare vt in vtroque verbo sit facta mutatio. Itaque videant eruditi an in posteriore loco legendum sit Dido. Nam quod ibi à Camerte notatum, Didonem, quæ prius Elisa dicebatur, hoc nomen ab effectu accepisse, quod virorum opus exercuerit, & Dido virago interpretetur: non satis eam notationem Hebraicè doctis probabit, qui eam vocem, amores, siue vbera interpretantur.

e c. 40. vel 11 in aliis edit. 30.
f Virgil. 4. Æneid.
g Seru. in 4. Æneid.

IV. Et Tyriorũ annalibus.

Cæterum vt ad Iosephum redeamus, non videtur satis aut ab ipso, aut à Tyriorum annalibus, vel Menandro Ephesio probari posse conditam fuisse Carthaginem, anno fundati Templi 144. aut mense octauo anni 143. & necesse est mendum aliquod in numeros irrepsisse. Id vt liquido constet operæpretium fuerit, locum ipsum ex primo contra Apionem referre, ex Græco nonnullis emendatum locis.

*Moriente Abibalo successit in eius regno filius eius Hiramus, qui vixit annis* 34. dicendum est regnauit. Sic enim habetur ex eodem Menandro. [h] *Defuncto Abibalo successit in regnum filius Iromus, qui vixit annos quinquaginta tres, & regnauit annos* 34. hæc ibi. Quem numerum veriorem esse, res ipsæ testantur, & Scriptura quæ tradit [i] Hiramum operam dedisse Salomoni ipsos viginti annos. Num ergo Salomon opera eius vti cœpit cum esset annorum 14? Regnauit igitur Hiram annis 34.

h lib. 8 ant. c. 2.
i 3. Reg. 9. 10.

V. Tyriorum aliquot Regum Catalogus.

Hiramo *successit filius eius Baleastartus* [k] *qui cum vixisset annis* 43. *septem regnauit annis. Post hunc Abdastartus* [l] *filius cum vixisset annis* 20. [m] *regnauit nouem annis. Hunc filij nutricis eius quatuor insidiis peremere, quorum senior regnauit annis* 12. *Post quos Astartus filius Baleastarti* [n] *regnauit, qui cum vixisset annis* 44. [o] *regnauit annos* 12. *Post hunc frater eius Astarimus,* [p] *& hic vixit annos quatuor & quinquaginta, regnauit annis nouem, & peremptus est à fratre Phellete, qui suscipiens regnum, mensibus imperauit octo, cum vixisset annis* 50. *Hunc peremit Ithobalus Astartæ sacerdos, qui cum vixisset annis sexaginta octo regnauit annis* 32. *Huic successit Badezorus filius, qui cum vixisset annis quadraginta quinque, regnauit sex.*

k In Græco Basil & aliis Baleazarus
l Græcè Abdastratus.
m In Græco cum vixisset annis 39. regnauit annis 9.
n Græce Delæastarti.
o In Græco est 54.
p Græce Asetymus
q Græce Matgenus. ἔτη ⟨?⟩ plurimi n'.

VI. Ætas & Regni tempus.

Hvic *successit Metinus filius* [q] *qui cum vixisset triginta duobus, nouem regnauit annis. Huius successor fuit Pygmalion, qui annos egit vitæ quinquaginta sex, ex quibus 40 tenuit principatum.* In Græco habetur annos 47. regnauit, sed id nihil mutat Chronologiam quam quærimus. *Huius regni anno septimo, soror Dido in Africa ædificauit Carthaginem. Itaque colligitur tempus à regno Hirami vsque ad ædificationem Carthaginis annorum* 155. *& mensium octo. Cum vero duodecimo anno huius regni Hierosolymis ædificatum sit templum, fit ab ædificatione templi vsque ad constructionem Carthaginis tempus annorum* 143 *& mensium octo. Testimonio siquidem Phœnicum quid amplius oportet apponi?* hæc ibi.

VII. Erratum supputationis.

Vervm summa horum annorum, male sine dubio collecta est à Iosepho, vel alicubi 18. annos prætermisit. Neque enim inueniuntur à duodecimo Irami vsque ad 7. Pygmalionis 143. anni, & menses octo, sed tantum 125. & octo menses, vt patet ex subductæ summæ schemate, quod seorsim subiicimus.

*SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 1166.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Hiran vixit 53. regnauit | 34 | Badezorus 45. | 6 |
| Baleastartus 43. | 7 | Meltinus 32. | 9 |
| Abdastartus 29. regnauit | 9 | Pygmalion 56. | 40. vel 47 |
| Filius nutricis senior. | 12 | superducta summa 170.& 8 menses. | |
| Astartus 44. vel 54. | 12 | De hoc numero auferendi sunt 33. anni Pygmalionis,& duodecim Hirami,idest omnino 45. supersunt 125. 8.menses. | |
| Astarimus 54. | 9 | | |
| Phelles 50. | menses 8 | | |
| Ithobalus 68. regnauit | 32 | | |
| | 115.m.8. | | |

170. 8
45
125. 8



# ANNVS MVNDI 3170. DILVVII 1514. QVINTAE ÆTATIS 231. TEMPLI FVNDATI 148. IOAS REGIS IVDÆ 14. IEHV REGIS ISRAELIS 20. IOIADÆ PONTIFICIS 20. ELISÆI PROPHETÆ 32. TROIÆ EXCISÆ 300. OPHRATANIS 47. IMPERII ASSYRIORVM 1239.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 883.

I. *Tempus tutelæ Lycurgi.*



NIHIL inuenio in sacra historia, vsque ad annum decimum sextum regni Ioas, quod ad hosce Annales referam. Profana vero vsque ad Olympiades tam incerta sunt, vt referre pigeat, examinare non libeat. Attingamus hic nihilominus Tutelam Lycurgi legislatoris, quam in hoc tempus refert Clemens Alexandrinus ex Eratosthene. *Nam* [a] *Eratosthenes*, inquit, *Tempora sic describit. A capta Troia ad Heraclidarum reditum, anni* 80. *Hinc autem ad emigrationem* Ionicam, *anni sexaginta.* Ideoque nos eam supra anno ab excisa Troia 140. collocauimus, qui fuit Dauidis annus regni 32. pergit. *Deinceps autem ad Lycurgi vsque tutelam, anni centum quinquaginta nouem.* Quæ summæ perueniunt exclusiuè ad annum 300. ab excisa Troia, quem in huius anni indice notatum vides. Addit postremo Eratosthenes. *Ad annum autem, qui prima præcedit Olympia, anni centum & octo.* Quos explent accurate 27. qui reliqui sunt regis Ioas, & 29. Amasiæ, & Osiæ quinquaginta duo. Deinceps autem Olympiades inchoantur. Tatianus apud Eusebium l.10.præpar. ait Lycurgum centum annis ante primam Olymp. leges dedisse Lacedæmoniis, omittit videlicet paucos annos, qui rotundum illum numerum excedunt.

[a] lib. 1. Strom. p. 146. Græc. Lat.

80
60
159.
299

[b] 27
29
52
108

II. *Cuiusmodi ea fuerit.* LYCVRGI tutelam, quam pupilli nepotis patruus administrauit, Herodotus antiquiorem cæteris facit. Vult enim tutorem illum fuisse Leobotæ, siue Labotæ, vt eum mauult appellare Pausanias in Laconicis, [c] filij Echestrati, qui ad priorem regum Spartanorum familiam pertinebat. Cæteri fere volunt Lycurgum Eunomi regis filium fuisse, Prytanidis nepotem, & ad posteriorem regum familiam pertinuisse. Fratrem habuit Lycurgus Polydectem, ex priore Eunomi vxore genitum, cum ipse ex posteriore, cui nomen Dianassa, genitus fuisset, vt refert ex Simonide Plutarchus, in vita Lycurgi. Ergo regnabat Lacedæmone Polydectes, quo breui post patrem defuncto, regnum Lycurgo omnium sententia delatum est: quod ille gessit tantisper, dum fratris sui vxorem relictam, in vtero habere cognitum est.

[c] lib. 3.

*Lycurgi genus.*

III. *Lycurgi virtus, atque integritas.* QVOD cum primum comperit Lycurgus, ad conceptum fœtum regnum pertinere affirmauit, siquidem masculus esset; ideoque se regnum Tutoris loco administraturum. Quæ causa videtur fuisse cur eum Aristoteles regem fuisse

[a l. 4. pol. c11.]

negauerit. [a] At grauida mulier, quæ mallet regina, quam regis mater audire, monet Lycurgum paratam se ad abolendum fœtum, vt ipsi, Spartæ regnum tenenti, nuberet. Quod ille consilium se probare finxit; monuit tamen ne fœtum medicamentis abigeret, ne sibi illa noceret. Sibi curæ fore vt editus in lucem, è medio tolleretur. Curauit autem vt parturienti adessent fidi custodes, qui natum infantem ad se illico deferrent. Ergo cænante illo cum principibus, cum allatus esset infantulus, Lycurgus eum acceptum in regio solio collocauit, dicens adstantibus regem illis natum esse, quem Charilaum vocauit, quod omnes magnopere gauderent, animique eius magnitudinem, & iustitiam admirarentur. Cumque regnum mensibus octo, vt Plutarchus ait, administrasset, cognatorum inuidiam & calumnias non ferens, peregrè profectus est, multisque regionibus peragratis, in Græciam reuersus, author Elidensibus fuit instaurandorum certaminum Olympicorum, quæ iampridem ab Hercule instituta, aliquot iam seculis fuerant intermissa.

IV. *Adfuit Iphito Olympicorũ instaurationi.*

EIVS instaurationis Iphito Elidis regi, authorem fuisse hoc ipso tempore Lycurgum, ex his intelligi potest. *Quidam*, inquit Plutarchus in Lycurgo, *eum Iphiti temporibus claruisse, eumque in Olympiacis feriis instituendis adiuuisse tradunt: estque huius sententiæ etiam Aristoteles Philosophus, indicij loco discum Olympicum adducens, in quo nomen Lycurgi incisum adhuc extat.* Iphiti quoque æqualem Lycurgum scribit Pausanias. [b] Licet aliqui id errorem esse scripserint. [c] At Eusebius in priore libro Chronicorum [d] de Olympicis certaminibus acturus, præfatur Iphitum, cum esset Eliensis, ea in communem Græciæ vtilitatem instaurare voluisse, & bellicas contentiones, quibus ardebat Græcia, in hæc certamina commutare. Quod cum Peloponnesiis ab oraculo persuasum fuisset, Iphitus inducias denunciauit, & certamen consecrauit cum Lycurgo Lacedæmonio cognato suo; ambo enim generis authorem habent Herculem. Et tunc quidem curriculi duntaxat certamen fuit, deinde vero & alia certamina per partes adiecta sunt, quod accurate persequitur. Pausanias libro quinto. [e]

[b lib. 5 p. 310 Græc. & Lat.]
[c Capel. in m. 3116.]
[d apud Scaliger. in the aur. temp. p. 316.]
[e p 154. 155. Græc.]

V. *Geminum initium Olympiadum.*

NARRAT autem Aristodemus Eliensis victores Olympicos describi cœptos fuisse à 27. Olympiade; priores autem id neglexisse. Vigesima vero octaua Olympiade cum in stadio victor euasisset Corœbus Eliensis, primum inscriptum fuisse. Eaque Olympias prima constituta est, ab eaque Græci tempora numerant. Eademque cum Aristodemo refert Polybius. Hæc ibi Eusebius; qui etiam addit Callimachum tradere tredecim tantum Olympiades ab Iphito præteriisse, antequam victores scriberentur: decimam vero quartam fuisse eam quæ prima dicitur, & Corœbum victorem celebrat. Ex Aristod. ergo, & Polyb. intelligitur præsentem annum Olympicis certaminibus initium dedisse decursasque fuisse 27. Olympiadas, quæ centum est octo annis respondent, priusquam illa quæ prima vocatur, & quæ Corœbum victorem habuit, celebraretur. Et hinc quoque firmatur nostra Chronologia, quæ hinc ad primam Olympiadem centum & octo annos numerat. Ex his autem apparet Lycurgi leges, ad hoc potius tempus pertinere, quam ad 3. regni Iehu, quo eas cum Clemente retulimus.



## ANNUS MUNDI 3172. DILUUII 1516. QUINTAE ÆTATIS 233. FUNDATI TEMPLI 150. IOAS REGIS IUDÆ 16. IEHU REGIS ISRAELIS 22. IOIADÆ PONTIFICIS 22. ELISÆI PROPHETÆ 34. TROIÆ EXCISÆ 302. OPHRATANIS 49. IMPERII ASSYRIORUM 1241.

## ANNUS ANTE CHRISTUM 881.

I. *Ortus Amasiæ.*



IOAS hoc decimo sexto regni sui anno, qui fuit alter à sabbatico ordine octogesimo quarto, ætatis autem 23. septennis enim regnare cœpit, auctus est filio, eodemque successore Amasia. Nec tamen constat an hic fuerit eius primogenitus. Illud autem certo affirmare licet. [a] Legimus enim Amasiam 25. annorum fuisse cum regnare cœpit, atqui ab hoc anno ad mortem Ioas, cui proximè successit, 25. anni numerantur.

Quæ autem hoc tempore in regno Israëlis, siue à Iehu rege, siue ab Elisæo propheta gesta fuerint, Dominus voluit ignota esse posteritati.

[a] Ex 4. Reg 14. 2. & 2. Par. 25.



## ANNUS MUNDI 3173. DILUUII 1517. QUINTÆ ÆTATIS 234. FUNDATI TEMPLI 151. IOAS REGIS IUDÆ 17. IEHU REGIS ISRAELIS 23. IOIADÆ PONTIFICIS 23. ELISÆI PROPHETÆ 35. TROIAE EXCISÆ 303. OPHRATANIS 50. IMPERII ASSYRIORUM 1242.

## ANNUS ANTE CHRISTUM. 880.

I. *Ophratanis obitus.*



OPHRATANES hoc anno diem clausit extremum, expleto integro annorum Iubilæo, vt placet Eusebio. Cui duplici nomine repugnat Africanus. Nam Ephacherem vocat. & duos insuper regni annos illi tribuit, vt est in Thesauro temporum. [b] Vt omittam, quod sæpe monuimus, hunc esse Africano ordine trigesimum nonum, qui est Eusebio 34.

[b] Pag. 560. & in Can. Isag. p. 132.



## ANNVS MVNDI 3174. DILVVII 1518. QVINTÆ ÆTATIS 235. TEMPLI FVNDATI 152. IOAS REGIS IVDAE 18. IEHV REGIS ISRAELIS 24. IOIADÆ PONTIFICIS. 24. ELISÆI PROPHETÆ 36. TROIÆ EXCISÆ 304. OCRAZAPIS AN. 1. IMPERII ASSYRIORVM 1243.

### ANNVS ANTE CHRISTVM. 879.

PRODVCIT Eusebius in solium regni Assyriorum Ocrazapem, quem ab Africano legimus appellatum Acracarnem; vterque illi regnum duobus & quadraginta annis circumscribit: neuter quidquam de gestis eius aut sciuit, aut prodidit. Si hic Sardanapali, qui ei in regno successit, pater fuit, iuxta opinionem Diodori siculi, quam alibi retulimus, τοῖς αὐτοῦ παισὶ διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν, Anacyndaraxes quoq. dictus est. Ab aliquibus Amacyndarapes. I. *Initium regni Ocrazapis.* *l. 2. p. 27.*



## ANNVS MVNDI 3177. DILVVII 1521. QVINTAE ÆTATIS 238. TEMPLI FVNDATI 155. IOAS REGIS IVDÆ 21. IEHV REGIS ISRAELIS 27. IOIADÆ PONTIFICIS 27. ELISÆI PROPHETÆ 39. TROIÆ EXCISÆ 307. OCRAZATIS 4. IMPERII ASSYRIORVM 1246.

### ANNVS ANTE CHRISTVM 876.

RESTAVRATIONEM templi Salomonis ad hunc annum, ab eo fundato centesimum quinquagesimum quintum, referimus, Hebræorum Chronicum secuti, [a] qui eum annum illi operi tribuunt. Pugnantia nihilominus loqui videntur, cum hunc ipsum annum, vocant regni Ioas vigesimum tertium, qui est duntaxat vigesimus primus. At quid faciemus Scripturæ, quæ aperte asserit Sacerdotes non instaurauisse sartatecta templi, vsque ad annum vigesimum tertium regni Ioas? [b] Dicendum est primùm, hunc annum esse reuera centesimum, & quinquagesimum quintum fundati templi, ea quippe summa conflatur ex 37. annis Salomonis, 17. Roboami, 3. Abiæ, 41. Asæ, 25. Iosaphati, 5. Iorami, nam reliqui in annos patris incurrunt. 6. Athaliæ, & 21. Ioas. Deinde duo tempora assignanda sunt huic restaurationi, alterum quo iussa est à rege, alterum quo executioni mandari cœpit: illud ab Hebræorum Chronico accepimus, qui præsens annus est; alterum à Scriptura, [c] quæ ait vsque ad 23. annum Ioas, non instaurauisse sacerdotes sacta tecta templi: cum tamen iam ante biennium res præcepta fuisset, & ostensum vnde colligenda esset pecunia. Ideoque in 2. Par. Leuitæ dicuntur egisse negligentius. I. *Tempus restaurati templi.*

*a 1 p. c. 18. 6.* *b 4. Reg. 12. 6.* *l. 9. c 8.* 37 / 17 / 3 / 41 / 25 / 5 / 6 / 21 / 155 *c 4 Reg. 12. 6.*

CVM ergo Athalia, marito, ac filio eius regnantibus, vel penuria, vel negligentia sacerdotum, ac Leuitarum factum esset, vt templum Dei ab aëris, temporisque iniuriis multum damni pateretur, necessarium visum est hoc tempore, vt in eius reparationem incumberetur Neque enim aut illa, aut isti vim vllam templo diruendo, aut labefactando adhibuisse credendi sunt. Nec Iosephus II. *Quæ in templo restauranda.*

aliud dicit, quam sub Ioramo, & Athalia, & eorum liberis, tuendi & sarciendi templi curam penitus abiectam fuisse. Aliquid tamen amplius phrasis Scripturæ videtur exigere. In secundo [a] enim Paralip. de Athalia ita scriptum est. *Athalia enim impiissima, & filij eius destruxerunt domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornauerunt fanum Baalim.* Verum illud *destruere* non ad muros, sed ad eorum vel interna vel externa ornamenta referre par est; quæ Scriptura in fanum Baalis translata significat. Quo pertinet illud, quod S. Hieronymus ex Hebræorum traditione recitat. [b] *Destruxerunt autem*, inquit, *domum Dei, siue spoliando ipsam ornamentis: siue, vt ferunt, terræ motu facto, sicut tempore Oziæ; vt sicut illo intrante cum thuribulo, ita etiam, Athalia idola in domum Domini mittere nitente, terræ motus factus sit.* Eum terræ motum innuit Chaldæus paraphrastes, cum pro illis verbis, *Sacerdotes instaurent sarta tecta domus*, [c] ipse habet. Et sacerdotes roborabunt scissuram domus, in omni loco, in quo inuenta fuerit ruptura: quo modo etiam legitur in Hebræo.

*An ipsum ædificium?*

*a ca. 24. 7.*

*b 2. Par. 24.*

*c 4. Reg. 12. 5.*

III. *Non videri, sed ornamenta.*

Verum parum probabilis est iste terræ motus, qui ab Hebræis sine vlla probatione inducitur, & prorsus à Scriptura tacetur. Parum quoque verisimilis scissio in tanta murorum ipsius templi firmitate, ac soliditate, quæ multis annorum millibus vetustati potuisset obsistere. Hiabant potius tecta locis aliquot, & & pluuias aquas admittebant, siue in atriis, & porticibus circumquaque positis, siue in ipso templo. Diuulsa fuerant pluribus in locis aurea illa, argenteaque tectoria, Cherubini, picturæque palmarum, & nudum parietem ostentabant. Quo referre possis illud Septuaginta interpretum, κατέσκαψαν τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ. Quod est diuellere, & quasi deorsum trahere. Sic & Hebræum *phartsu*, diruperunt. Ergo illa destructio cum quadam auxesi dicta videtur, & intelligenda vti diximus, quæ nihilominus ad direpta quoque templi vasa extendi potest. Quod autem in parietibus corruptum fuit, nam in libro Par. 2. c. 24. 13. fit mentio obductæ parietum cicatricis, id non ad ipsam domum Domini proprie dictam, sed ad porticus Israëlis, & gentium retulerim.

פרצו

IV. *Pontifex regem de instauratione monet.*

Cvm ergo templum aliqua instauratione indigeret, & multa essent ad eius ministeria ornamenta necessaria, quæ partim domesticorum principum impietas, partim hostium hauserat furor, Pontifex qui diu super hac re tacuerat, sciens, vt ait Iosephus, neminem libenter argentum erogaturum, tandem cum rege de templi iacturis reparandis studiose egit; placuitque regi domum Domini instaurari. [d] Congregauitque sacerdotes, & Leuitas, & dixit eis. *Egredimini ad ciuitates Iuda, & colligite de vniuerso Israel*, id est de omnibus Iudæis subditis meis, *pecuniam ad sartatecta templi Dei vestri. per singulos annos, festinatoque hoc facite.* Quo autem iure exigenda esset ista pecunia in quarto Regum declaratur. [e] *Dixitque Ioas*, inquit, *ad sacerdotes. Omnem pecuniam sanctorum*, quæ scilicet consecratur Domino, siue pecuniam sanctam, quæ offertur Domino in vsu sanctuarij, *accipiant sacerdotes*, &c. Quam explicans subdit duo triaue genera pecuniarum oblatarum, Primum eam quæ inferebatur *in templum Domini à prætereuntibus*, siue transeuntibus in censum populi, id est qui attigerant vigesimum annum: ab eo enim tempore, & deinceps numerari solebant, à Leuitis censoribus, & pendere in singula capita dimidium sicli, id est quadrantem vnciæ argenti, vt in lege Domini perscriptum fuerat. [f]

*d 2 Paral. 24. 5.*

*Rex iubet colligi pecuniam.*

*e 4. Reg. 12. 4.*

*13. f. 9. d.*

*f Exod. 30. 12. 13.*

V. *Triplici ex capite.*

Ea pecunia dicitur offerri pro precio animæ, quia dixerat Dominus soluendam, ne fieret plaga in populo, si numerarentur eo pretio non persoluto; eratque quædam professio seruitutis, à qua subinde ita redimebantur, vt tamen manerent Domini vectigales. Ergo quæ pecunia destinata diuinitus fuerat in vsus tabernaculi testimonij, quod erat tunc quasi mobile templum Dei, ea nunc meritò in veri templi instaurationem solui iubetur. Soluebatur autem quotannis; eoque pertinet illud Regis, *Egredimini ad ciuitates Iuda. & colligite de vniuerso Israel per singulos annos*, Quotannis enim plurimi erant adolescentes, qui ad vigesimum annum transibant. Nec puto aliam animæ redemptionem, vel æstimationem hic esse intelligendam. Aliqui tamen volunt hoc alterum esse caput colligendæ pecuniæ, quæ scilicet ex voto debeatur; cum quis in morbo, aut vitæ discrimine constitutus, vouebat Deo se persoluturum quod à sacerdote æsti-

matum esset, aut quod lege statutum esset, vt habetur Leuit. 27. cui sententiæ textus Hebræus & Græcus non repugnant. Tertia ergo ratio colligendæ pecuniæ, est ea quam quisque sponte, & sine vlla, aut voti, aut legis obligatione, ex arbitrio cordis sui, infert in templum Domini, quales erant ij, quos aspiciebat Dominus, mittentes munera in Gazophylacium templi.[a]

a Mar. 12. 42. & Luc. 21. 1.

VI. Qui eam colligerent.

Hanc omnem pecuniam iussi sunt sacerdotes accipere iuxta ordinem suum, siue ordinem vicis suæ, & administrationis in templo. Eo enim videtur respexisse Hieronymus: At Hebraicè & Chaldaicè habetur, *quisque de noto suo*, siue singuli à familiaribus suis: nacar enim est agnoscere. Forte hic ordo & consuetudo ferebat, vt à notis, propter habitationis vicinitatem acciperent, singulos vicos singulis sacerdotibus assignando, vel aliter. Aliter ergo oportet in Hebræo legisse Hieronymum. Longius etiam abeunt Septuag. Habent enim, *Accipiant sibi sacerdotes vir à venditione eorum.* Quem autem ad finem accipiant? *& instaurent sarta tecta domus, si quid necessarium viderint instauratione.* Propterea que hæc cura erat Leuitici muneris, siue sacerdotalis. Neque enim laici, ad ea quæ pertinebant ad sanctuarium, sese ingerebant, pœna mortis illis diuinitus à lege proposita. Itaque Leuitæ erant qui dixerunt Petro.[b] *Magister vester non soluit didrachma?* Leuita erat & Moses, qui primus Dei iussu hanc pecuniam exegit à populo, & ita deinceps alij ordinis eiusdem illi eo in munere successerunt.

נכר

b Matth. 17. 23.

VII. Eorum negligentia.

Quid est autem quod Leuitæ dicuntur egisse negligentius?[c] neque respondisse pietati, ac feruori pij regis. Nec tamen frequens est, vt homines sint in colligenda pecunia negligentes. Fuerunt fortasse in agendo negligentes, quia eam ipsi non sibi, sed templo colligebant, & præter laborem, aliud lucrabantur nihil: aut quia viderunt populum in soluendo difficilem, vt Iosephus significat.[d] Verum cum paulo post vsq; adeo se liberalem exhibuerit, cum in arcam, vel gazophylacium coniecta est pecunia; subit animum illa suspicio, populum non admodum Leuitis, ac sacerdotibus fidere voluisse. Quod si Dei cultus negligenter in Iuda, etiam viuente Ioiada tractabatur; quid in Israële factum putemus viuente Iehu, & vitulos aureos colente, & in ea impietate consenescente? Ingratus qui tantum Dei erga se, familiamque suam beneficium tam male agnosceret, vt redderet Domino mala pro bonis, & odium pro dilectione sua.

c 2. Paral. 24. 5.

d Lyr. c. 8.



ANNVS MVNDI 3178. DILVVII 1522. QVINTÆ ÆTATIS 239. TEMPLI FVNDATI 156. IOAS REGIS IVDÆ 22. IEHV REGIS ISRAELIS 28. ET VLT. IOIADÆ PONTIFICIS 28. ELISÆI PROPHETÆ 40. TROIÆ EXCISÆ 308. OCRAZAPIS 5. IMPERII ASSYRIORVM 1247.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 875.

I. Mors Iehu Sabbat. 85.



SABBATICVS annus quintus supra octogesimum, Iehu regem Israëlis morientem vidit. Est enim hic vigesimus octauus eius annus, qui concurrit cum 22. Ioas regis Iuda, vt deinde primus Ioachaz filij Iehu, incidat in vigesimum tertium Ioas, quod affirmat Scriptura.[e] De morte autem Iehu, quam superius occupauit, narratis per epitomen iis, quæ ab eo post deletam Achabi familiam, & inuectam ab eo idololatriam gesta fuerant, hæc leguntur.[f] *Reliqua autem verborum Iehu, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israel?* qui scilicet res gestas à singulis regibus decem tribuum distincte continebat, & magna Hebraicæ historiæ iactura interiit. *Et dormiuit Iehu cum patribus suis*, morte scilicet minime violenta, iuxta vsum loquendi Scripturæ. *Sepelieruntque eum in Samaria*, regni metropoli, *& regnauit Ioachaz filius eius pro eo.* Idque sequenti anno, nam anni Iehu completi

e 4. Reg. 13. 1.

f 4. Reg. 10. 34.

*Regni tempus.*

reperiuntur. *Dies autem quos regnauit Iehu super Israel, viginti & octo anni sunt in Samaria.* Pro quibus male viginti septem apud Iosephum [a] leguntur; nam 28. constanter in Scriptura in omnibus linguis habentur. [a li. 9. c. 8.]

II. *Eiusdem eloquium.*

FORTITVDO eius in ea celebratur, quæ satis se prodidit in occupando regno, & recipienda in se ruina fundatissimæ, amplissimæque familiæ Achabi. Sed nimirum in Domino faciebat virtutem, qui tunc tantum terrorem nominis eius in vniuersum regnum infudit, vna vt nocte septuaginta regis filios iussu ipsius iugulare non dubitarent ii, quorum curæ commissi fuerant, & pro quibus sanguinem profundere debuissent. Sed cum is postmodum, meticulosa ambitione in transuersum actus, vitulos aureos præcedentium regum ipse quoque venerari ausus esset, conuersus est spiritus eius in ventum, fortitudo in formidinem, & animi præsentia in desperationem. Qui Syros fugauerat, fugatus est à Syris, & qui eis vnam ciuitatem eripuerat, ab eis latissima prouincia spoliatus est, & inglorius reliquam vitam transegit. Donec moriens miserabilem Reipublicæ statum filio reliquit, qui & ipse miserabiliorem ad successorem transmisit. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* [b] [b Psal. 2.]



ANNVS MVNDI 3179. DILVVII 1523. QVINTAE ÆTATIS 240. FVNDATI TEMPLI 157. IOAS REGIS IVDÆ 23. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 1. IOIADÆ PONTIF. 29. ELISÆI PROPHETÆ 41. TROIÆ EXCISÆ 309. OCRAZAPIS 9. IMPERII ASSYRIORVM 1248.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 874.

I. *Regnum Ioachaz, & ratio temporis.*

PRIMVS exoritur in familia Iehu hoc anno princeps, cuius Chronologia aperte à Scriptura stabilitur. [c] *Anno,* inquit, *23. Ioas filij Ochosiæ regis Iuda regnauit Ioachaz filius Iehu super Israel in Samaria decem & septem annis.* Ideoque corrigendus est annorum numerus apud Iosephum. [d] *Anno,* inquit, *Ioasi vigesimo primo apud Israelitas & Samariam Ieo successit filius Ioazas, in quo principatu exegit annos septemdecim. Patri nequaquam similis, sed magis primis eius regni regibus impiis, qui palam omnem contemptum cœlestis numinis præ se tulerunt.* At ô bone, etiam de patre eius legimus, *Non recessit à peccatis Ieroboam, qui peccare fecerat Israel.* Nimirum rationem habuit Iosephus sublatæ à Iehu Baalis idololatriæ, & veri quoque Dei, à quo rex factus fuerat, ab eo culti, licet non in toto corde suo; quoniam in eodem corde vitulorum cultus locum inuenit. Falluntur quoque Hebræi in suo Chronico, dum annum qui respondet vigesimo tertio Ioas, appellant templi centesimum quinquagesimum quintum, qui reuera est septimus: eò decepti quod mandatæ à rege, & impletæ instaurationis tempora, non distinxerunt. Inter quæ tamen non modicum tempus intercessisse querela regis haud obscurè demonstrat. [c 4. Reg. 13. 1.] [d l. 9. c. 9.]

*Qualis Ioachaz.*

II. *Duplex Leuitarum culpa in negotio instaurationis.*

IPSA tamen querela obscuritate non plane vacat, nam in libro Paral. [e] argui videtur negligentia Leuitarum in colligenda pecunia, ex vrbibus Iuda; *Leuitæ,* inquit, *egere negligentius: vocauitque rex Ioiadam principem, & dixit ei; quare tibi non fuit curæ vt cogeres Leuitas inferre de Iuda, & de Ierusalem pecuniam, quæ constituta est à Moyse seruo Domini, vt inferret eam omnis multitudo Israel in tabernaculum testimonij?* In quarto autem Regum dicuntur accepisse pecuniam, nec instaurationi vocasse, propptereaque eam iubentur reddere. *Quare,* inquit Rex, *sartatecta non instauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam?* Respondendum videtur cum Abulensi, [f] vtrumque verum esse, & Leuitas fuisse negligentes in colligenda pecunia, quia iuxta regis præceptum, non egressi fuerant ex vrbe, neque lustrauerant ciuitates regni Iudæ, ad colligendam oppidatim pecuniam; & tamen receperant pecuniam, quam sponte ad [e l. 2. c. 24. 6.] [f q. 5. in c. 12.]

eos Hierosolymam deferebant Iudæi,& acceptam retinebant, neque operi admouebant manum,colligendo videlicet materiam,& opificum operam conducendo,vrgendoque negotium.

REX ergo vtrique malo remedium adhibuit. Quoniam enim Leuitæ non obierant ciuitates regni Iudæ, iussit publica præconis voce denunciari in Iuda & Ierusalem, vt deferrent singuli precium Domino, quod constituit Moyses seruus Dei super omnem Israël in deserto, [a] sicque illi labore oppidatim discurrendi leuarentur. Et quia in plurium manibus manebat otiosa pecunia, multi quoque cunctabantur eis dare pecuniam, fidem fortasse eorum suspectam habentes; præcepit rex confici arcam recipiendæ pecuniæ idoneam, quæ publico exposita loco esset, ad quam singuli per seipsos pecuniam Deo debitam adferrent. [b] In primisque sacerdotes ipsi, ac Leuitæ iussi sunt acceptam hactenus pecuniam in eam inferre, neque vltra eam à populo accipere; quod ab eis factum minime dubium est. Quin etiam hæc regis constitutio abiit in consuetudinem, & inualuit,adeo vt etiam tempore Christi Domini esset in vsu.[c] Nam in templo respiciens vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, tam diuites, quam pauperculam viduam, quæ erant munera sponte oblata; neque enim eo tantum dimidius ille siclus missus est à vicenariis: in quo lex diuites pauperibus æquabat; nam vidua hæc duo tantum æra minuta,& non dimidium sicli argentei,obtulit. III. *Remediũ vtrique à rege.*

*a Exod 30. 11.* *b 4 Reg. 12.8.9.* *c Luc.21.1.*

SVNT quibus paulo seuerius egisse videatur rex cum Ioiada pontifice, nec satis tam longæuæ ætati indulsisse; agebat enim hoc tempore annum centesimum vigesimum quintum, vt ex anno vigesimo octauo regni Ioas intelligetur. Verum hæc libertas facile tribui potest maximæ familiaritati, quæ regem inter & pontificem intercedebat; Nam Martha Magdalenæ soror [d] persimili querela apud Dominum vsa est, nec propterea minoris obseruantiæ reprehensa est. Eodem referas piam & amicam querimoniam Abrahæ [e] & Eliæ [f] apud Dominum, cum ille gemeret sibi non concessum filium; hic viduæ nutrici suæ sublatum lamentaretur. Nec minore aut familiaritate aut fiducia Moses [g] oneris sibi impositi magnitudinem,aut initio subire deprecabatur,aut in progressu [h] diutius ferre recusabat. Abulensis autem [i] regem suo iure vsum respondebit, siue sacerdotum principem obiurgando, siue sacerdotes ipsos nonnulla officij, ac ministerij sui parte priuando. Ait enim in veteri lege iurisdictionem Leuiticam à laica non fuisse distinctam,& regem vtrique æque præfuisse. In cuius rei argumentum Salomon Abiatharem pontificem redegit in ordinem, & in pagum ignobilem relegauit; remissa aduersus eum mortis sententia: & quidem eo tempore,quo innocentia florebat & sapientia. Itaque non magis eam ob rem quam ob occisum Ioabum,aut Semei,reprehensus fuit. Nimirum nihil ad perfectum adducebat lex. Et cum regum dignitas eadem fuerit in vtroque testamento, Sacerdotum dignitas in nouo infinitum accepit incrementum; adeo vt peccata remittere,& ipsum Christi Domini corpus sacrosanctum conficere possint. IV. *An pontifex à rege arguatur.* *Aut ius in illum habuerit.*

*d Luc. 10. 40.* *e Gen.15.2. 3.* *f 3.Reg 17. 20.* *g Exo 2.* *h Num. 11. 11 12.* *i q 8.in c 12.4.Reg.*

IAM quod ad capsam accipiendæ pecuniæ distinatam, *Præcepit rex* [k] *& fecerunt arcam, posueruntque eam iuxta portam domus Domini forinsecus*. Hæc arca vocatur gazophylacium in 4. Regum,[l] & ibi locus eius alius videtur assignari. *Et tulit Ioiada pontifex gazophylacium vnum*, arcam vocant Hebr. Græc. & Chald. valde tamen proprie dicitur gazophylacium, *aperuitque foramen desuper*, rimulam scilicet ad solam pecuniam admittendam necessariam; *& posuit illud* gazophylacium *iuxta altare. ad dexteram ingredientium domum Domini*. Dextera templi dicitur quæ respicit meridiem, sinistra quæ aquilonem; anterior est orientalis, occidentalis posterior. Vice versa dextera ingredientium templum est aquilonaris, sinistra autem meridiana. sicut anterior est occidentalis, posterior orientalis. Multum autem videntur distare altare holocaustorum,& porta domus Domini, tota scilicet media area Leuitarum, siue 50. cubitis. Verum bonam illius spatij partem minuebat altare; & interiectum præterea erat septum, inter altare & portam templi. Itaque illud *iuxta altare* paulo laxius accipitur,& in libro Paral. explicatur, *iuxta portam domus Domini forinsecus*. V. *Arca recipiendæ pecuniæ.*

*k 2.Paral. 24.8.* *l 4.Reg.12. 9.*

ITAQVE arca hæc ad portam domus Domini orientalem posita fuit, in la- VI. *Vbi posita esset.*

tere septentrionali, ad quam nisi per atrium Leuitarum perueniri non poterat. Quo cum populus non admitteretur, sed soli Leuitæ & sacerdotes, oportebat per manus eorum deferri pecuniam in arcam, *ideoque*, ait Scriptura, *mittebant in eo* gazophylacio *sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur in templum Domini.* Erat officij Leuitarum custodire ostia, vnde & Ianitores dicebantur, [a] sed nomen sacerdotis laxius sumitur pro Coritis, siue filiis Core, quia tam Coritæ quam Aaronitæ, vt tulisset casus, pecuniam à populo delatam vsque ad portam aliquam atrij sui in capsam deferebat; hoc enim atrium modo sacerdotum, modo Leuitarum sine discrimine dicitur. [b] Verum cum postea compertum fuisset experientia, non satis prouisum fuisse hoc modo sacræ pecuniæ, & gratius fore populo, si suam singuli pecuniam in arcam iniicerent, alia arca in atrio exteriore constituta est, in quam vidua quoque paupercula sua duo æra minuta proiiceret. Quin etiam Iosephus [c] plurium arcularum videtur meminisse, quas vocat gazophylacia. Ἐχώρει δὲ καὶ τὰ γαζοφυλάκια, quæ in Hierosolymitano excidio incensæ fuerint, in quibus magna vis erat pecuniæ. 2.

*Sacerdotes an ianitores.*

*a 1. Paral. 26.1.*

*b Villalp. t. 2. p. 1. l. 5. c. 26. Torn. an. 157. §. Ætas.*

*c l. 7. bel. c. 11.*

*2. c χ.*

VII. *Congeritur in eã multa pecunia.*

Lætatique *sunt cuncti principes* tribuum familiarum, turmarum, denique omnes optimates, virique primarij, *& omnis populus* de mutata à rege forma conferendæ pecuniæ, *& ingressi* templum vsque ad limina atrij leuitarum, *contulerunt* publicè pecuniam in manus sacerdotum, deferendam coram ipsis *in arcam Domini, atque miserunt ita vt impleretur. Cumque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba regis, & pontifex, effundebantque, & numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini.* Ita in quarto Regum. [d] In secundo autem Paral. [e] paulo plenius, atque distinctius. *Cumque tempus esset vt deferrent arcam coram rege per manus Leuitarum, videbant enim multam pecuniam, ingrediebatur scriba regis, & quem primus sacerdos constituerat, effundebantque pecuniam quæ erat in arca. Porro arcam reportabant in locum suum, sicque faciebant per singulos dies; & congregata est infinita pecunia.* Coram rege ac pontifice factum dicitur, quod fiebat coram eorum ministris, & quæstoribus; quibus ea pecunia numerata dabatur, vt dati acceptique ratio constaret.

*d c. 12. v. 10.*

*e c. 24. v. 11.*

VIII. *Quæ dabatur operarum præfectis.*

Ea rursum dabatur viris honestissimis, [f] *qui præerant operibus domus Domini, qui conducebant ex ea cæsores lapidum, & artifices operum singulorum, vt instaurarent domum Domini. Fabros quoque ferri & æris, vt quod cadere cœperat fulciretur. Egeruntque ij qui operabantur industriè, & obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac suscitauerunt domum Domini in statum pristinum, & firmiter eam stare fecerunt.* Laudatur industria operarum, sed multo magis præfectorum fides, quæ tanta fuit, vt quamuis illis data esset à quæstoribus pecunia, iuxta numerum, & mensuram, [g] à ipsis tamen expensarum ratio non exigeretur. *Et non fiebat ratio*, inquit, *iis hominibus qui accipiebant pecuniam vt distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.* Eorum videlicet bonæ fidei committebatur administratio, tanquam viris optimis, omnibus probatis, & ad id munus à rege ac pontifice delectis. Pari fide committebat Putiphar omnia sua Iosepho: & mox ipsemet Pharao eidem omnia bona Ægypti, quæ volebat ipsum pro arbitrio administrare. Communis tamen prudentiæ ac magnificentiæ regula exigit, vt ratio, si non exactissima, certe aliqua exigatur ab iis, quibus administrationem rerum nostrarum, multoque magis alienarum committimus. Vt fusius docet Abulensis. [h]

*f 2. Par. 24. 12.*

*Sine redditione rationis.*

*g 4. Reg. 12. 11. 15.*

*h q. 14. in c. 12. 4. Reg.*

IX. *Confecta vasa ex reliqua pecunia.*

Argumentum fidei horum præfectorum est, quod cum *complessent omnia opera, detulerunt coram Rege, & Ioiada reliquam partem pecuniæ: de qua facta sunt vasa templi in ministerium, & ad holocausta, phialæ quoque, & cætera vasa aurea & argentea.* Ex quibus verbis 2. Paral. [i] explicanda sunt quæ habentur in 4. Regum. [k] *Veruntamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuscinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum, & argenteum de pecunia, quæ inferebatur in templum Domini.* Scripturæ mens est, non fuisse à principio istis operarum præfectis commissam curam, vt curarent confici vasa, templi vsibus necessaria, sed tantum tecta & parietes, & eorum ornamenta restaurari; quibus perfectis reliqua pecunia, erat enim infinita, in huiusmodi vasa impensa est. Quibus consentiens Iosephus. [l] *Instaurato deinde templo*, inquit, *quidquid ex collato auro & argento superfuit, superfuit autem non parum, id totum in crateras, cantharos, pocula, & alia vasa insumptum est.*

*i c. 24. 14.*

*k c. 12. 13.*

*l l. 9. c. 8 & Abul. q. 22. in c. 12.*

ERAT & alia pecunia, quæ non in templi vsus, sed sacerdotum destinabatur, de qua obiter in 4. Regum. [a] *Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis, non inferebant in templum Domini*, in supradictum scilicet gazophylacium, siue capsam pecuniariam, *quia sacerdotum erat*. Peccatum in commissione est, & in omissione delictum, vt ait Abulens. alij peccatum à delicto magnitudine distinguunt, vt illud sit maius, hoc autem minus; Tostato fauet etymologia delicti: & vtraque certis sacrificiis expiabantur, vt in Leuitico [b] perscriptum est. Huiusmodi pecuniam interpretantur aliqui, eam quæ supererat, empta victima pro delicto, vel peccato. Quia qui peccarant, deliquerant, aut vouerant in longinqua regione, mittebant sacerdotibus, non hostiam, id enim difficilius foret, sed pecuniam ex qua hostia, & quæ ad sacrificium necessaria erant, comparabantur; reliqua vero sacrificantium vtilitati cedebant.

X. *Pecunia pro delicto & peccato.*

a c.12.v.16.

b c.5 15. & seq. & ca 7. v.7.

*SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3179.*

1. N. v. NOn desunt qui putent publice denunciatum fuisse nō solum Hierosolymis, sed in toto regno Iudæ, vt singuli deferrent ipsi pecuniam suam, quam in arcam immitterent ipsimet: ideoque collocatam arcam iuxta portam domus Domini forinsecus; id est iuxta portam atrij Leuitarum exteriorem; nec intra porticum, ne transeuntes impediret, sed forinsecus. Nam atrium Israelitarum, imo & Gentium non raro nomine domus Domini comprehenditur. Sed his repugnat, quod cum alter Scripturæ locus alterum explicet, in libro Regum capsa iuxta altare posita dicitur; quod nullo modo conuenit portæ exteriori atrij Leuitarum, quæ erat in area spectante orientem. Porta ergo intelligenda est ipsiusmet templi propriedicti, siue vestibuli, quæ erat prima templi pars, quam Aula, & Oraculum sequebantur. Mallem potius si necesse foret, fateri factam populo potestatem eousque ingrediendi, ad deferendum sacrum tributum. Eoque trahi posset communis illa lætitia cunctorum principum, & omnis populi; eodem & illa ingrediendi vox; *& ingressi contulerunt in arcam Domini*, quæ otiosa videatur, si in exteriore porta atrij arca fuit. Non enim erat huiusmodi ingressus insolitus, aut causa lætitiæ.

Verum nihil est necesse ad huiusmodi expositionem confugere, aut insolitum ingressum totius populi in atrium Leuitarum, admittere, sine perspicuo scripturæ testimonio, quod non producitur. Nam in Hebræo tantum habetur: *& attulerunt, & proiecerunt in arcam*, in Græco, *& intulerunt, & immiserunt in capsulam*, nimirum sacerdotum aut Leuitarum manibus, vt Scriptura testatur. Lætitia vero de illegitimo ingressu non fuit, sed de mutata forma conferendæ pecuniæ, quæ cupiditati aditum occluderet.

Interpres Iosephi arculas posuit, non Iosephus ipse, qui habet tantum gazophylacia: quo nomine nō videtur intellexisse arculas, aut capsas, sed quædam in templo cubicula, in quibus pretiosæ res asseruabantur. Eius verba hæc sunt. Ἔκαυσαν δὲ καὶ τὰ γαζοφυλάκια, ἐν οἷς ἄπειρον ἦν χρημάτων πλῆθος, ἄπειρος δ' ἐσθής, καὶ ἄλλα κειμήλια. *Incenderunt vero etiam gazophylacia, in quibus magna vis pecuniarum erat, ac plurimum vestium, aliaque pretiosa supellex.* 2. N. vi



ANNVS MVNDI 3180. DILVVII 1524. QVINTÆ ÆTATIS 241. TEMPLI FVNDATI 158. IOAS REGIS IVDAE 24. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 2. IOIADÆ PONTIFICIS. 30. ELISÆI PROPHETÆ 42. TROIÆ EXCISÆ 310. OCRAZAPIS 7. IMPERII ASSYRIORVM 1249.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 873.



VRGETVR hoc anno, & sequentibus aliquot in Iuda instauratio templi, & ornamentorum eius, iuxta ea quæ proximo anno dicebamus; sed & sacrificia legitime suis quæque temporibus peraguntur. *Et offerebantur*, ait Scriptura, [c] *holocausta in domo Domini iugiter cunctis diebus Ioiadæ.* Quandiu enim ille vir Dei vixit, vera religio ac pietas Hierosolymis, totoque regno Iudæ floruit, vt scriptura testatur. Regis enim ad exemplum populus conformabatur,

I. *Respub. floret sub Ioiada, & Ioas.*

c 2.Par.24 14.

Rex in Ioiadam, quasi exemplar egregium, pontifex in Mosem, ab eoque traditam legem, studiose constanterque intuebatur. *Fecitque Ioas quod bonum est coram Domino, cunctis diebus Ioiadæ sacerdotis*, [a] vel vt est in quarto regum, *cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada sacerdos.* [b] Eoque conferebat sancte transacta puerilis ætas, atque adolescentia. a c.24.2. b c.12.2.

II. *Syri nondum affligunt Iudã.* Qvo fit vt minime eos probandos putem, qui ante Ioiadæ mortem Syros contra Ierusalem ascendisse arbitrantur. Neque enim Deus peccatorum supplicia peccatis ipsis anteuertit. Nec Iosephus Syros contra Ierusalem, nisi post mortem Ioiadæ, adducit: quanquam in eo probandus non est, quod vnicum eorum bellum referat contra Ioas, cum geminum in scriptura reperiatur, vt suo loco docebimus. Abulensis quoque [c] non nisi sub finem regni Ioas, Syros contra eum arma sumpsisse censet, in pœnam peccatorum eius, vt habetur cap. 24. secundi Paral. eaque est communis Chronologorum sententia. Neque obstat quod 4.Reg.12. [d] sub expositionem instaurationis templi additur. *Tunc ascendit Hazael rex Syriæ*; illud enim *tunc* omnes interpretes laxius accipiunt, referuntq; ad tempus mortui pontificis. Referri etiam potest ad instaurationem templi, sed expletam, & consummata omnia vasa, de quibus paulo ante; qui labor facile reliquos Ioiadæ pontificis annos tenuit. c q.17.in c.12.4 Reg. d v.17.

III. *Sed Israelem.* In regno Israëlis potius bacchati sunt Syri. Cum enim, vt scriptum est in 4. Regum, [e] Ioachaz faceret malum coram Domino, sequereturque peccata Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israël, & non declinaret ab eis, *iratus est furor Domini contra Israel, & tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazael cunctis diebus.* Sed quæ Benadad contra regnum Israëlis perpetrauit, paulo tardius contigerunt. Aliquot enim annis adhuc vixit Hazaël. Quæ autem in specie egerit contra Israëlitas, Scriptura non tradidit, breui illo, quod dixi, contenta verborum compendio. e c.13.2.

ANNVS MVNDI 3183. DILVVII 1527. QVINTAE ÆTATIS 244. FVNDATI TEMPLI 161. IOAS REGIS IVDÆ 27. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 5. IOIADÆ PONTIF. 33. ELISÆI PROPHETÆ 45. TROIÆ EXCISÆ 313. OCRAZAPIS 10. IMPERII ASSYRIORVM 1252.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 870.



I. *Iubilæus Mosaicus duodecimus.* MEMORABILIS est hic annus Mosaico Iubilæo ordine duodecimo. Sexcentesimus quippe agitur annus, ex quo Iosue transmisso Iordane in Chananitidem ingressus est; nimirum quadringenti & quadraginta templi fundationem antecedunt, sic vt eorum vltimus sit templi fundati primus: inde autem 160. fluxerunt. Idem quoque annus mundi declarat. Nam cum bis millesimus quingentesimus octogesimus tertius sit vltimus Mosis, si illi summæ sexcentos annos addideris, in quorum primo Iosue iniit principatum, & populũ in terram promissam transuexit, existet ille mundi annus, quem hic index ostentat. Idemque in diluuio, & annis Assyriorum, & Christi demonstrari potest. In hunc annum alij quoque Iubilæum referunt, in quibus Torniel. & Functius. 440 / 160 / 600

II. *Tempus legum lationis Lycurgi.* Hoc circiter anno, qui est Charilai regis Lacedæmoniorum 14. & peregrinationis Lycurgi tutoris eius item decimus quartus, videtur Lycurgus in patriam, magna omnium gratulatione, reuertisse; celebresque illas leges, quibus tot annos Spartana Respublica floruit edidisse. Author est enim Plutarchus Lycurgum calumniarum pertæsum, peregrinatione suspicionem effugere statuisse, ac tandiu vagari, dum fratris filius ad adultam ætatem perueniret; regnique hæredem progeneraret; quod ante annum decimum quartum, qui præsens est, contingere non potuit: potuit autem serius aliquanto. Non Capel. an. m.3116. in Lycurgo.

distulisse tamen reditum ex eo redditur probabile, quod Plutarchus idem tradit Lacedæmonios eum absentem desiderasse, ac sæpenumero vocauisse. Existimabat enim populus nihil regibus suis adesse, quo præsterent cæteris, præter nomen, & honorem; in Lycurgo autem naturam esse principatui gerendo hominibusque sibi conciliandis idoneam. Eximiam eius rerum gerendarum prudentiam, multiplici vsu ac peregrinatione collectam audiuerant; iustitiæ exemplum singulare, erga nepotem regno destinatum, ante peregrinationem etiam viderant. Reges autem ipsi authoritatem suam in populum, ab eo firmatum iri sperabant. Itaque rediens secundissimis omnium animis, vocibusque acceptus est. *Is Lacedæmoniis charus.*

III. *Vnde leges suas acceperit.*

CVM autem certo constet Charilai tempore, qui fuit Archelai Lacedæmone in regno collega, latas à Lycurgo leges, minus probandus videtur Pausanias [a], qui id scribit Agesilao regnante contigisse. Itaque Plutarchus, & Eusebius ab eo dissentiunt: & apud Eusebium Apollodorus hanc legumlationem etiam vlterius differt. Adeo verè dixit Plutarchus, omnia quæ ad Lycurgum legislatorem pertinent esse controuersa. *Has leges*, ait Pausanias, *eum nonnulli ab oraculo accepisse, alij autem Cretensium scita vsurpasse tradidere* [b]. *Cretenses ipsi istas Minoi leges acceptas referunt, de quibus illum ferunt Iouem consuluisse.* His consentanea sunt quæ habet Clemens Alexandrinus [c], vbi Græcorum stultitiam accusat, qui nollent credere Mosem à Deo leges accepisse, *cum ipsi*, inquit, *ex ijs quæ apud se scripta sunt Mosem honorent: & Minoem referant, ad Iouis antrum venientem, nouem annorum spatio leges à Ioue accepisse; & Lycurgum scribant assidue Delphos euntem ad Apollinem, leges ab eo didicisse.*

a l. 3. p. 82. gr.

b in quibus Arist. l. 2. de Rep. ca. 10.

c l. 1. Stro. p. 258 gr. la.

IV. *Ab Apolline, vel Ioue.*

ALLVDVNT ambo ad Herodotum, [e] qui ait Spartiatas antea fere ex omnibus Græcis pessimè moratos, ad æquam, & honestis legibus institutam gubernationem transiisse, Lycurgo, viro inter Spartiatas probato, Delphos ad oraculum profecto, cui, simulatque in ædem ingressus est, Pythia hæc inquit.

e l. 1 p. 11. gr lat.

*Ad mea venisti propinquia tecta Lycurge*
*Grate Ioui, & cunctis qui tecta tuentur Olympi,*
*Ambigo vaticiner sis vtrum vir-ne, Deus-ne*
*Sed multo magis esse Deum te credo Lycurge.*

*Nonnulli præter hæc aiunt Pythiam ei exposuisse instituta, quæ nunc à Spartiatis seruantur. Ipsi tamen Lacedæmonij volunt Lycurgum, cum esset tutor, & idem patruus Leobotæ Spartiatarum regis, è Creta hæc attulisse.* Quæ scilicet ibi Minos à Ioue didicisset.

V. *Quam vitiosa Lycurgi resp. ex Aristot.*

ET sanè aut Iouem, aut Apollinem, impurissimos dæmones, sapiunt tam egregia instituta, quæ Aristoteles [d], tam rectæ rationi, quam bonis moribus vehementer aduersari docet. Ait enim in ea Republ. mulieres ita legibus informatas, vt viuant intemperanter, & luxuriose, ad omne scilicet intemperantiæ genus solutæ, atque effusæ. ζῶσι γὰρ ἀκολάστως, πρὸς ἅπασαν ἀκολασίαν, καὶ τρυφερῶς. *Quare quibuscumque in Reipub. administranda formis, id quod ad mulieres pertinet, male habet, in eis dimidium ciuitatis existimandum est non esse legibus temperatum, quod illic euenit.* sic Aristot. Rem clarius explicat Xenophon, docetque per Lycurgi leges adulteria probata fuisse, quorum maritus ipse procurator fieret, ac paranymphus. Ad quam honestatem præclarè etiam à teneris instituebantur in γυμνοπαιδίαις, in quibus pueri, puellæque nudis corporibus exercebantur; à quibus spectaculis arcebātur, qui cœlibem vitam agere voluissent. Et ne solius pudoris esset naufragium, quales ad iustitiam violandam stimuli pueris, adolescentibusque subdebantur, cum furta, modo callide perfecta, in laude forent? vt scilicet quisque res suas attentius custodiret. Quasi non præstaret communi abstinentia omnia esse in tuto. Quod si Respub. Lycurgi præ ceteris eminebat, quàm necessarius erat mundo cœlestis ille legifer noster, qui omnes istas sordes abstergeret?

d l. 2. de repub. ca. 9.

*& Xenophonte.*

ANNVS MVNDI 3184. DILVVII 1528. QVINTÆ ÆTATIS 245. FVNDATI TEMPLI 162. IOAS REGIS IVDÆ 28. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 6. IOIADÆ PONTIF. 34. & VL. ELISÆI PROPHETÆ 46. TROIAE EXCISÆ 314. OCRAZAPIS II. IMPERII ASSYRIORVM 1253.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 869.

I. *Mors pontificis, eiusque temporis ratio.*

POSTREMVM hunc annum vixit, sacramque Iudæorum rempub. administrauit Ioiadas Pontificum clarissimus. Cuius mortem Torniellus refert ad annum circiter 35. Ioas, neque alio nititur fundamento, quam quod reliqui anni Ioas, & res in eis gestæ id exigere videantur. Nos cōsentientem habemus Hebræorum Chronologiam, cum qua etiam melius rerum gestarum ordo conspirat, cum non cogamur priorem Syrorum aduentum ponere ante mortem Ioiadæ, & regis, populisque peccata, vt ante dicebamus. Chronologia porro Hebræorum cum Ioiadæ ortum in tempus deprauationis Salomonis referat, id est, Salomonis circiter trigesimum quintum, annus ab eo centesimus trigesimus in hunc annum regis Ioas vigesimum octauum cadet. Sic porro habet illa chronologia: *Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est, cum esset centum triginta annorum*, quæ sunt verba Scripturæ [a]. Pergit autem. *Nempe oriente diebus Salomonis labe, & ruina, natus est simul Ioiada, qui eam corrigeret.* Hæc ibi. Itaque bene valere iubemus, qui eius ortum ad regnum Robami differunt.

5 Sal
17 Rob.
3 Abi.
41 Asæ.
25 Ios.
5 Ior.
6 Ath.
28 Ioas.
130.

a 2. Par. 24. 15.

II. *Eius ad regem monita salutis.*

RECTE porro existimare possumus Ioiadam, qui prurientes aliquorum aulicorum animos ad idolorum nequitiam sentiebat; (& quidem virorum, qui essent aliquo numero apud regem,) cum iaceret in lecto moribundus, regem Ioas, qui ad ipsum inuisendum venerat, paterna cura, atque authoritate commonefecisse, de vera in Deum pietate retinenda, si vellet imperium, quod florens ipsos iam 28. annos viderat, in beata felicitate perseuerare. Sic enim statuere posse ac debere, Deum, vt adhuc fecerat, impietatem in vtroque regno castigaturum. Simulque ei longo ordine numerat à se visos vtrobiq. reges, quorum pietatem, vel impietatem, secundæ vel aduersæ res exceperint, nominatim Ochosiam patrem, & auum Ioramum. Itaque vehementer orat, & illam ab eo gratiam, pro suis in ipsum meritis, vltimam moriturus efflagitat, vt Deo fretus animum constantem retineat, nec cuiusquam, vel delinitus blanditiis, vel territus minis frangatur. Contineat in officio Sacerdotes, ac Leuitas, aulicos, militiam, totamque familiam suam: neque ingratus aduersus eum fiat, à quo bona omnia hactenus acceperit, & porro accepturus sit. Ne regnum idololatrarum affinitatibus, aut consuetudine polluatur; male id ipsi quoque Iosaphato proauo, quamuis religiosissimo principi, cessisse. Virorum bonorum monita, non secus, ac diuinas voces exaudiat, ea sibi saluti fore. Si secus faxit, fore se eius apud Deum, sanctosque patriarchas, ac prophetas, in quorum fide, ac spe defungatur vita, ad quos mox aditurus sit, non patronum, sed expostulatorem, atque acerrimum accusatorem. Atque ita non sine regis, ac circunstantium lacrymis, excessit è viuis.

III. *A quo gloriose sepelitur.*

NOTAT de eius sepultura sacer historicus eum in ciuitate Dauidis, cum regibus fuisse sepultum, *eo quod fecisset bonum cum Israel*, id est, Iuda: nihil enim illi cum Israëlitis idolatris commercij fuit, *& cum domo eius*, scilicet Dauidis, in cuius ciuitate sepultus fuit, non in Bethlehem, sed in Ierusalem, & arce Sionis.

Hebræa tamen, & Græca sic habent, *Eo quod bene fecisset Israeli, & cum Deo, & domo eius*, id est, religiose se erga Deum, & templum eius gessisset. *Cum Deo quidem*, inquit Hieronymus [a], *quia idola, quæ in contemptum Dei facta fuerant subuertit: cum domo eius, quia ruinas, & scissuras restaurauit*. Prodit hæc sepultura eximium regis amorem in pontificem, & quasi filij in parentem venerationem; qui eum in maiorum suorum regum Iuda sepulchrum intulerit, quod quasi sacrosanctum, & piorum regum lipsanis factum augustius, Iorami eius aui, hominis profani fœdo cadauere populus noluit contaminare. Et verò patrem, vt ante dicebamus, rex Ioiadam agnoscere potuit, qui longè laboriosius ei vitam seruauerat, quam ei vitam dederat pater. Ioiadam, cuius vxor eum, non pro amita, sed pro matre, ingenti cura atque industria surripuit, abscondit, educauit. Merito Ioas regio Ioiadam honore affecit, qui eum regno conseruauerat, regioque in solio gloriose locauerat. Qui eum sanctissimis præceptis erudierat, firmauerat affinitatibus, & prole auxerat, & templi Dei pene alterum reddiderat conditorem.

*Animo grato ac pio.*

*a in 2. Par. 24.*

IV. *Luctu publico honoratur.*

Nec dubium est vniuersum populum pij regis tenerum affectum, & studium erga Ioiadam fuisse secutum, planxisseque Ioiadam verum patriæ parentem, qui idololatriã pestem patriæ è regno sustulerat: qui Athaliam regni facem, ac turbinem, regij sanguinis parricidam è solio deturbarat, vt legitimum in eo regni hæredem collocaret. Plangebat currum Israel & aurigam eius, regni secum felicitatem auferentem; vt quæ mortem ipsius cito consecuta sunt nimium demonstrarunt. Plangebant omnes Sacerdotes & Leuitæ, & cum iis simul omnes boni, pontificem, qui domum Domini aut restaurauerat collabentem, aut ornauerat deformatã: qui cultum veræ pietatis trium impiorum principum furore violatum, ac pœne prostratum, egregia cura, ac pietate restituerat; eoque magis plangebant, quo deteriora post eius mortem non absurdè augurabantur. Denique mortuus est Ioiadas in senectute bona, & annorum, & meritorum magno numero computata: plenus antiquæ fidei, atque probitatis; vt qui antiquos illos proceres ipsa ætate referebat; quantam nullus, à pluribus seculis à Scriptura celebratus attigerat. Nam ipsum etiam Mosem, & Aaronem & Iosue, & Ioseph, & alios patriarchas viuendo superauit. Eoque vitæ suæ anno ad Dominum abiit, quo Iacob in Ægyptum descendit, quo primus parens genuit Sethum in locum innocentis Abelis.

*Longæuus.*



ANNVS MVNDI 3185. DILVVII 1529. QVINTAE ÆTATIS 246. TEMPLI FVNDATI 163. IOAS REGIS IVDÆ 29. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 7. PEDAIÆ PONTIF. 1. ELISÆI PROPHETÆ 47. TROIÆ EXCISÆ 315. OCRAZAPIS 11. IMPERII ASSYRIORVM 1254.

ANNVS ANTE CHRISTVM 868.



EXIGIT hic annus, qui est sabbaticus octogesimus sextus, nouum pontificem: quem autem Ioiadæ sufficere possimus ægre sanè reperimus. Series enim pontificum, quæ 1. Paralip. 6. traditur, nos plane destituit. Nam cum post Amariam, quem tempore Iosaphati pontificatum gessisse ex Scriptura constat [b], vsq; ad Helciam, quem eadem Scriptura sub Iosia pontificem fuisse testatur, quatuor duntaxat pontifices suggerat, Achitob, Meraioth, hunc enim inserit 1. Paral. 9. 11. Sadoc, & Sellum, non possunt vtique quatuor pontifices totum interiectum tempus explere. Nam à Iosaphato, imo & à Ioas, vsque ad Iosiam 238. anni numerantur; ideóque oportet vnumquemque istorum 4.

I. *Annus Sabbaticus 86.*

*Quis nouus pontifex.*

*b 2. Pa 34. 9*

| | |
|---|---|
| Ioas | 40. |
| Amas. | 29. |
| Osias | 52. |
| Ioathã. | 16. |
| Achaz | 15. |
| Ezech. | 29. |
| Man. | 55. |
| Amon. | 2. |
| | 238. |

pontificum 59. annis cum dimidio pontificatum gessisse, quod plane videtur absurdum. Itaque necesse est dicere aliquos in serie illa, & genealogia pontificum fuisse prætermissos, eò fortasse quod pontificatum non gessissent; sicut iam olim sub Iudicum, & Heli tempora diximus contigisse. Certè Iosephus l.8.c.1. numerat aliquos, qui in domo Eleazari, & Phinees priuatam vitam duxerunt, dum Heli, & posteri eius pontificatum gerebant, qui tamen 1. Paralip. 6. prætermissi sunt. Vt non sit mirum nunc quoque prætermissum Ioiadam, & aliquot de posteris eius: quod scilicet Ioiada, sicut nec Heli ex primogenito Aaronis ortus non fuisset.

II. *Pedaiam videri ex Hebræis.*

DEFICIENTE ergo Scriptura, quem ex antiquioribus in serie pontificum sequamur habemus neminem, præter Iosephum, admodum incertum ducem, & chronicum Hebræum. Quanquam inter hos Hebræos, & Iosephum, non parua est dissentio; quippe ab illis aliqui pontifices ponuntur, quorum nullum extat in catalogo Iosephi vestigium, vt Ioas, Ioarib, Iosaphat, Ioiada. Et rursus tradit aliquos Iosephus [a] illis chronologis ignoratos, vt Ioramum, Ium, Axioramum. Sed bene habet quod in ipsorum dissentionibus Scripturam habuimus quam sequeremur: nunc in Scripturæ silentio eos sequemur, quandoquidem deinceps in nominibus pontificum (nam nuda eorum nomina tradunt, præterea nihil) ita dissentiunt, vt affinitas tamen aliqua in vocabulis relinquatur, vt cum pro Ioële Iulus, pro Ioathan Iothan, pro Pedeia Phidæas, &c. reperitur. Chronologia porro Hebræorum Ioiadæ in pontificatu sufficit Pedaiã: ait enim, *Regnum igitur recepit Ioas 40 annis, Ioiada, & Pedaia per ordinem Sacerdotum principibus, Zacharia Ioiadæ filio Sacerdote simul ac propheta*: sic ibi. Abulensis, & Torniellus Zachariam filium Ioiadæ patri in pontificatu successisse putant [b], sed non probant. Iosephus autem pro Pedaia, legit Phidæam: Genebrardus, & si qui alij, chronico Hebræorum de pontifice acquiescit.

a l. 1. ant c. 11.

b Ille in c. 23. Mat. q. 117 hic an. m. 3195. n. 3.

III. *Summa cladium sub Ioas imminentium.*

CÆTERVM parum felix Pedaias in pontificatu fuit; quippe qui breui regem oblitum Ioiadæ, à principibus aulicis deprauatum vidit, frustraque à prophetis admonitum, sensim ad deteriora labentem. Vidit Hazaëlem regem Syriæ Hierosolymis imminentem, vltorem facinoris impiorum. Vidit templum Domini, nuper egregiis ornamentis decoratum, à rege ipso spoliatum, vt Deo consecrata vasa, & donaria, regi barbaro, & crudeli, in prædam profananda traderentur. Vidit regem ipsum se prophetæ sanguine, ingratissimo facinore polluentem: & iterum vltorem Syrum de rege & principibus supplicium sumentem, istos interficientem, in illum ignominiosa iudicia exercentẽ. Vidit denique miserum regem, in magnis languoribus iacentem, à seruis domesticis in lectulo suo perfidiosissimè iugulatum. Hæc enim, & his similia vidit Pedaiæ pontificatus, quæ à nobis deinceps erunt suis locis explicanda. Malorum autem & deprauationis miseri Ioas hoc exordium fuit, prout in libro Paralip. [c] refertur. c l. 2. 24. 17.

IV. *Culpa regis Ioas in idololatria.*

POSTQVAM *obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem, qui delinitus obsequiis eorum acquieuit eis. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntque lucis, & facta est ira contra Iudam, & Ierusalem propter hoc peccatum.* Si quis hæc verba diligentius perspexerit, nihil de regis idololatria reperiet, quamuis eam obiter fateatur Abulensis [d], & Vatablus, sed tantum principes Baalis studiosos, quique eum sub Ioramo, Ochosia, Athalia coluerant, dereliquisse templum Domini: & ad id potestatem à rege, blanditiis, & obsequiis delinito, accepisse. Et vulgatæ editioni hebræa & græca plane consentiunt, & addunt *propter hoc peccatum eorum*. Neque accusatur hoc loco rex, nisi quod permiserit istis optimatibus pro arbitrio ipsorum idola colere. Ex quo iure reprehendendus est Iosephus, qui eum damnat idololatriæ, priusque ipsum quam principes à Deo desciuisse dicit. *Illo autem*, inquit, *in regum monumenta illato, rex Ioas à pristina religionis cura facile desciuit, moxque, & primates populi ad eundem modum deprauati sunt*, atqui constat istos idola coluisse. Et mox, *Deus vero indignatus propter hanc regis & cæterorum mutationem, misit prophetas qui contestarentur eos.* In thesauro temporum, in diadoche regum Iuda Ἰωὰς ὁ εὐσεβὴς κατ' ἀρχὰς γνήσιος βασιλεύς, εἰδωλολατρεῖ δ' ἐπὶ τῷ τέλει. Ioas ab initio rex pius sub extrema idola coluit.

d q 19. in c. 12. 4 Reg.

p. 384.

V. *Non videri, contra Hebræos.*

VERVM hac calumnia regem Scriptura liberat, vt vidimus. Sed longe maiorem etiam Hebræi chronologi in eundem regem struxerunt, quam aliqui probasse videntur [a]: eam Hieronymus quoque in Hebræorum traditionib. refert [b]; Hi ea Scripturæ verba interpretantes, *qui delinitus eorum obsequiis acquieuit eis*, subdunt, *Seipsum enim rex Ioas Deum consecrauit, & nominauit. Nam hoc declarat quod ponitur, & adorauerunt regem. Item illud, acquieuit eis rex.* Hæc ipsi. Addunt etiam causam opinionis huius, dignam pseudosalomone Rabino; quod scilicet in templo, & quidem in ipso templi oraculo, sex annis absc̄oditus manserit sine vllo damno, vbi nemo laicus, vel modico tempore sine morte subsistere potuisset: nec videt homo insipiens Sanctum sanctorum aliud esse à triclinio, vel cubiculo lectorum; in quo à Scriptura [c], absconditus memoratur. Verborum autem sanctorum expositio Hebræorum cæcitatem potius, quam tantam regis impietatem prodit. Nam Scriptura nusquam hunc regem idololatriæ condemnat, sed factæ tantum potestatis idola colendi. Nec videtur fieri potuisse, vt qui iam ad trigesimum sextum vsque annum in vera pietate enutritus, excultus, exercitatus ab optimo, amantissimoque magistro fuerat, de repente ad summum fastigium impietatis ascenderet, cum tamen verè illud vulgo iactetur, *nemo repente fit pessimus.*

VI. *Principum Indepostulatio.*

QVOD si verbum adorandi hebræum, græcum aut latinum eò trahunt, vt velint eum permisisse diuinum sibi cultum deferri, eiusdem certè impietatis Dauidem in occursu Abigailis accusent necesse est [d]: eadem enim verba vtrobique vsurpantur: & rursum cum permisit, vt Nathan propheta, & Areuna, & Bethsabee adorarent ipsum, *prono vultu in terram.* Nec illud *acquiescere*, aliud significat, quam audisse, siue exaudisse eorum petitionem, vt in hebræo habetur, & græco. Non petierunt autem vt rex adoraret idola, aut vt se adorari permitteret, quæ fuisset non solum sacrilega, sed impudens etiam, nimisque inuerecunda petitio; petierūt potius sibi fieri potestatem colendi Deum, quem pater eius, quem auus, & auia, & alij de maioribus eius religiosè coluerant; quem Tyrij, & Sidonij, qui rerum omnium copia perpetuo florerent, colere nunquam desinant. Frustra quemquam foris adigi ad colendum numen, quod animo, in quo maximè consistit veneratio, auersetur. Libertatem, quam superi hominibus dederint, in re omnium maxima conseruandum esse. Regibus subditorum fortunas, ipsaque etiam corpora, in ipsius, ac commune bonum obnoxia esse, non mentes. Denique daturos se operam, vt huius in subditos suos indulgentiæ eum minime pœniteat.

VII. *Repudiatur, ac refellitur.*

ILLE autem, vt credere par est, reluctatus est primo impiæ petitioni, negauitque se posse permittere in regno suo cultum idolorum, quo cultu, omnes calamitates in illud essent importatæ. Pater, auus, atque auia præpropero, ac miserabili fato extincti essent: Et nunc quoque viderent, quo statu res essent in regno Israëlis, quod à Syris iam tot annos incredibilibus malis vexaretur, dimidia pene regni parte illis adempta. Nec parem esse rationem sui, qui veri Dei cognitione fruerentur, & reliquarum nationum, quibus Dominus iudicia sua non manifestasset, nec sibi eos in populū, & hereditatem elegisset. Illos nihil præter hanc vitam spectare, se æternam felicitatem, sanctis patriarchis promissam, sperare debere. Memoria repeterent initum fœdus cum Deo patrum suorum, interprete sancto pontifice Ioiada, quem, illo violato, non ipsorum amantem patronum, sed acerrimum apud Deum accusatorem habituri essent. Deterius esse tam animo quam corpore cultū ei negare, cui vtrumque debeas, cum publica populi offensione, & scandalo, quam altera tantum parte peccare. Libertatem donum omnium maximum à Deo acceptum, in eius obsequium, non in summam iniuriam, inclinandam esse. Malas subditorum mentes à regibus, qui Dei vicaria potestate funguntur, corporum pœnis, & fortunarum iactura castigandas esse; ni faciant iisdem pœnis diuinitus obnoxios fore. Optare se è contraria, quibuscumque rebus salua conscientia possit, ostendere quantum eis cupiat gratificari.

VIII. *Vrgent illi vehementius*

ILLI nihilominus pergunt, vrgentque vehementius; admodum dubium videri quid ipsorum causa facturus sit, qui in re, quæ nihil ei detrimenti afferat,

[a] Lyra. & Adrich.
[b] 2. Par. 24.
[c] 4. Re. 11. 2 & 2. Par. 22 11. vide Abul. q. 9. in c. 11. 4. Reg. & q. 18. in c. 12.
[d] 1. Reg. 25 23.

illis se difficilem præbeat, qui tot annos ipsi, nullo suo emolumento, famulentur, quique vitam pro ipso profundere parati sint. Regem sibi ipsi iniuriam facere, suaque vltro iura minuere, qui non intelligat, quanta sit regum potestas in terris, quibus quidquid libeat licitum sit; quorum voluntas inter homines sit regula iustitiæ, & æquitatis. Quæ sub Ioiada facta essent, à puerulo facta, virum minimè alligare, eaque pro arbitrio irritare posse; quippe facta alieno iudicio, & voluntate, non propria & sua. Iam tandem pædagogo tuto carere posse, ac debere, qui trigesimum sextum iam ætatis annum, regni vigesimum nonum agat, qui vxoribus, qui liberis auctus, ornatusque sit: qui non authoritate modo, sed sapientia quoque morosum illum, ac delirum senem longe vincat; à quo tot annos, in dura, atque indigna seruitute pertristis cuiusdam patrui detentus sit; à quo cum aliquando liberatus sit, non debere deinceps vltro sibi magistrum, ac censorem fingere, aut immitem potius tyrannum, conscientiam meticulosam. Eam tamen si adamare libeat, nec se regem, maximéque omnium liberum meminisse, ne ea in miserā subditorum seruitutem abutatur.


IX. *Atque extorquent licentiā impie agendi.* Non petere se claudi templum Domini, non spoliari ornamentis, non famulis, ministrisque destitui, non cultum antiquari: id vnum optare se, vt vbi Domino cumulatè satisfactum fuerit, cum Baale quoque interdum liceat oblectari. Ea indulgentia, quæ æquissima sit, omnium sibi subditorum animos mirifice captum iri, magnam partem principum populi, à quorum nutu, tot hominum millia pendeant, eam à rege gratiam postulare; qui repulsam ægerrimè sint laturi, & quoquo modo animo suo satisfacturi. Eius esse prudentiæ, vt quod alioqui futurum est, beneficium suum esse malit, quam offensam.

Cum ergo harum, atque id genus, vel querelarum, vel precum regem pigeret, quæ nullum finem habituræ videbātur, nec fortē, ac virilem vocem, Deo fretus, auderet emittere, obsequiis, blanditiisque delinitus, denique cessit, & propria conscientia male contentus, principum istorum impietati frena laxauit. Quos idcirco maximè omnium retinere in officio oportuisset, quod eorum exemplum plurimum in vtramque partem soleat, apud vniuersum populum valere.

X. *Et instaurant idololatriam.* Illi ergo dereliquerunt templum Domini nuper magnifice restauratum, & ad lucos, & sculptilia, & fana idolorum restauranda, sacrilega, atque impia æmulatione conuersi sunt. *Seruierunt enim Astartæ*, vt habent Septuag. *& idolis*, quæ haud dubiè Ioiada tot annorum spatio sustulerat. Nihil enim istorum reliquum fecerat præter excelsa [a], in quibus non idolis, sed vero Deo cultus exhibebatur alieno loco, atque hoc ipso ingratus. Cæterum hæc defectio, & restauratio impietatis, non statim se tota effudit, vt quæ pene inuito regi fuisset extorta, sed paulatim, & quasi sine sensu: ac ne paucorum quidem sumptuum fuit: ne illa diuini numinis simia, parum magnifice, pro sua superbia, diuinam maiestatem æmulari videretur. Nec tam cito fana extrui, statuæ fingi, luci plantari potuerunt. Interim autem collecta est ira Dei, & indignatio, quæ breui super Iudæ regnum, eiusque metropolim Ierusalem effusa est.

[a] 4. Reg. 12. 3.

ANNVS



ANNVS MVNDI 3186. DILVVII 1530. QVINTAE ÆTATIS 247. TEMPLI FVNDATI 164. IOAS REGIS IVDÆ 30. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 8. PEDAIÆ PONTIF. 2. ELISÆI PROPHETÆ 48. TROIÆ EXCISÆ 316. OCRAZAPIS 13. IMPERII ASSYRIORVM 1255.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 867.



RECTE dictum est illud, tarde ad vindictam, diuinam iram procedere; nimirum dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Hoc enim tempore dum principes populi, populo impietatis principes, ac duces fiunt, & idololatriam studiose promouent: *Mittebat eis* Dominus *prophetas, vt reuerterentur ad Dominum* [a], *quos protestantes illi audire nolebant* Obtestabantur scilicet eos, & frustra cœlum, & terram testes inuocabant contra ipsos, vt olim Moses [b], & forte eadem ipsa eius verba vsurpando, eos arguebant, obsecrabant, increpabant, cum multo zelo, patientia, & doctrina. Vox porro illa *mittebat*, quam habet vulgata versio; non vnam aliquam missionem, sed plures apertè significat; idemque est, ac si diceret, sæpius misisse prophetas. *Deus vero indignatus*, ait Iosephus, *propter hanc regis, & caeterorum mutationem, mittit prophetas, qui contestarentur eos, & à præsenti malitia compescerent. Illi vero tam insano affectu eam complectebantur, vt neque exemplis maiorum, qui propter contemptum legum cum totis familiis perierant*, Ieroboamum innuit, & Baasam, & Achabum, *neque prophetarum comminationibus moti resipiscerent, & ad relicta honesta studia reuerterentur.* I. *Prophetæ populum arguunt.*

*a 2. Par. 24. 19.*
*b Deut. 4. 26. c. 30. 19. c. 31. 28.*

PROPHETARVM porro nomine quos mittebat Dominus hoc tempore, non solum rerum futurarum præcones, sed diuinæ quoque legis doctores, & qui de superiore loco populum docerent, intelligere par est. In iis Pedaiam principem sacerdotum, suo erga regem, & optimates munere functum esse non videtur dubitandum, Deo illum, & per eum cæteros animarum curatores vehementius, pro rei necessitate, incitante. Sicut & fratrem eius Zachariam filium Ioiadæ. Cum enim plurium filiorum Ioiadæ sit mentio in Ioas inauguratione [c], & de Zacharia Scriptura perspicuè tradat eum fuisse pontificis filium [d], haud dubiè ei in pontificatu successisset, nisi Pedaia ei iure primogenituræ præferendus fuisset. Neque vero-simile est, aut Pedaiam, aut Zachariam, aut alios semel tantum erga regem, ac principes, sed sæpius admonitorum officio functos fuisse. Rex autem vltra fortasse sibi integrum esse non putabat, impiam illam indulgentiam antiquare, sed probrosum; forte etiam periculosum, itaque qui male agere cœperat, peius prestitit in incœptis. II. *Aliique sacerdotes.* *Pedaia filius Ioiada videtur.*

*c 2. Par. 23. 11.*



## ANNVS MVNDI 3187. DILVVII 1531. QVINTÆ ÆTATIS 248. TEMPLI FVNDATI 165. IOAS REGIS IVDÆ 31. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 9. PEDAIÆ PONTIFICIS 3. ELISÆI PROPHETÆ 49. TROIÆ EXCISÆ 317. OCRAZAPIS 14. IMPERII ASSYRIORVM 1256.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 866.

I. *HaZael Gethan expugnat,*



CVM iamdudum effusa esset contentio super principes, & illi errarent in inuio, & non in via: effusa quoque est ira Dei super eos, & super ciuitatem Ierusalem, & super vniuersum regnum Iudæ. Nam [a] *tunc ascendit Hazahel rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepitque eam; & direxit faciem suam, vt ascenderet in Ierusalem.* [a 4 Re. 12. 17.] Elatus scilicet victoria expugnatæ vrbis Geth, quæ olim Philisthęis, nunc Iudæis, parebat. Eam enim olim Dauid ceperat, & pagos ad eam pertinentes, vt ex 1. Paral. [b] constat, & diximus anno Dauidis duodecimo. [b 1. Par. 18. 1.] Nec obstat quod tempore Salomonis proprium habuerit regem, & suum, nomine Achis [c], ad quem serui Semei confugerant, quasi in tuto sub alieno principe futuri; fuit enim is cum reliquis Salomonis tributarius, & quasi precariò rex. [c 3. Reg. 2. 39.] *ad Iudam pertinentē.* Itaque eam vrbem legimus [d] postea à Roboamo extructam, siue instauratam, nunc autem ab Hazaële captam, postea vero ab Ozia muro spoliatam. [d 2. Par. 11. 8.] Hac ergo victoria insolens, adiecit animum ad inuadendam regiam vrbem, & cœpit instruere copias suas, & adornare profectionem contra eam.

II. *Et Hierosolymam aggreditur.* HAZAEL, inquit Iosephus, *Syrorum rex impressione in eius regnum facta, & Gitta primum direpta, atque euersa, mox ipsum Ioas Hierosolymis desidentem adortus est.* Censet ergo Iosephus [e] vrbem Geth, quam Gittam vocat, tunc ad regnum Iudæ pertinuisse. [e l. 9. c. 8.]

*Quæ belli causa.* Huius porro belli causam ex parte Syri nullum reperio, etsi nunquam regibus, aut causa belli, aut prætextus desit, si quando id animo insederit. Forte Ioas, cum in multa pace, ac rerum copia degeret, viuo Ioiada, regi Israëlis auxilio fuerat, præuidens, eo regno euerso, facilius se Syrorum incursibus expositum forē. Longe sapientior futurus, & ab hostibus tutior, si Dei beneuolentiam cum vera pietate toto regno suo retinuisset. Hic enim vnus timendus erat, & colendus, qui Syros, & Palęstinos, & Ammonitas, & Moabitas, & Idumæos, & Arabes, & Phœnices poterat in populum suum facile immittere, facileque repellere.

III. *Quod tempus.* HVIVS belli tempus post mortem Ioiadæ cōtigisse iam supra diximus [f], quod non conueniat pœnam esse culpa priorem, aut aliquem à Deo de peccato futuro castigari, & innocentem puniri. [f an. Ioas 24 n. 2.] Sed neque illi recte facere videntur, qui Syrorum aduentum post mortem Zachariæ transferunt, vnum scilicet eorum aduentum contra Iudam constituentes. In qua opinione est Iosephus [g], & Abul. [h] Genebrardus, Adrichomius, & plerique de sectariis: & quicunq; obiter per ista decurrerunt. [g l. 9. ant. c. 8.] [h q. 19. in c. 12 l. 4 Reg.] *Geminum fuisse.* Non sic Caiet. in 4. Reg [i] aut Torniel. [k] etsi nimium cito primū aduentum posuerit, nimirum ante mortem Ioiadæ, quando pietas adhuc toto regno Iudæ florebat. [i cap. 12] [k an. 5. ær. 167.] Verum hæ duæ Syrorum expeditiones valde à Scriptura distinguuntur. Nam in priore ascendit Hazaël ipse rex Syriæ, vtique cum toto robore exercitus sui, alioqui enim nunquam de Hierosolyma capiēnda cogitasset. In posteriore tacetur Hazaël, & permodicus Syrorum numerus dicitur venisse contra Iudam, & Ierusalem; & inde præda corrosa ad regem mittitur in Damascum. In priore non venitur ad manus, nemo interficiatur, nemini vis vl-

la infertur, sed ingenti pecunia redimitur vrbis obsidio, ac direptio. In posteriore pugnatur, multi à paucis superantur, cuncti principes populi interficiuntur, rex ipse male mulctatur; vt ex 2. Paral. [a] aperte constat; quæ qui non videt, & rebus, & temporibus differre, nihil videt.

a 2. Pa. 24.

IV. Ioas Syrum ab vrbe auertit.

Cvm ergo videret Ioas victrices Syrorum copias, gloria, & spoliis captæ vrbis Geth, & filiarum eius animosiores; copias multis iam annis in cædendis, ac profligandis Israëlitis exercitas vehementer extimuit; vt qui se intelligeret inimicum Deo, & ingentis in illum peccati participem: ideoque spes auxilij ab eo accipiendi iacebat. Quamobrem non expectandam obsidionem ratus, quæ post innumera mala, inclusos cædibus, vrbem incendiis, ac rapinis hauriret, pascisci maluit cum Syris, & minore damno maiora vitare. Itaque cum eo per internuncios de immensa quadam auri vi conuentum est. Et quem male mulctatum abire oportuisset, aut in ipso potius conatu misere interire, propter ciuitatẽ Geth, sine causa profligatam; ei insuper ingentes diuitiæ, quasi pro re bene gesta, largiendæ fuerunt, quibus iterum impium, ac rebellem Deo suo populum, qui eadem largitus fuerat, castigarent.

V. Templi donariis, & thesauris ſuis.

b 4. Reg. 12. 18.


Itaqve *tulit Ioas rex Iuda omnia sanctificata, quæ consecrauerant Iosaphat, & Ioram, & Ochosias patres eius reges Iuda* [b]. Omnia igitur donaria pretiosa, tam aurea, quam argentea, quæ tres illi reges, & ipse quoque Ioas obtulerat, *& vniuersum argentum quod inueniri potuit in thesauris templi Domini, & in palatio regis* collegit, abstulit, *misitque Hazaëli regi Syriæ*; quibus acceptis, *recessit ab Hierusalem*, dum auri sacra fames hominem ad iterandam extimularet expeditionem, ac prædam. Itaque templum, & palatium regis, opibus, atque ornamentis luctuosè spoliatum est, quia regis consensu templum cultoribus fuerat destitutum. At, inquies, nonne scriptum est [c], Athaliam de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornauisse fanum Baalim; vnde ergo accepit Ioas ista donaria? Dicendum videtur, non omnia illa donaria, ab Athalia profanata, in ornando Baalis fano, & illa ipsa non confracta fuisse, & deformata, sed ad similes vsus conseruata. Itaque à pontifice Ioiada, illa occisa, iterum sanctificata fuerunt; nuncque profano regi, ad redimendam vrbis obsidionem, in prædam data.

c 2 Par. 24. 7.

VI. Qui Ioramus, & Ochosias donaria Deo obtulerint.

Sed illud quoque occurrit dubium, quî factum sit, vt Ioramus, & Ochosias templo donaria largiti fuerint, qui fuerunt impij, & ambo male perierunt. Responderi potest ea oblata fuisse, cum nondum essent impij, diu enim vterque sub Iosaphato rege optimo vixit: vel ab iis data fuisse, quod Deum quoque vna cum idolis colerent, & claudicarent in vtramque partem. Vel certe non ad Dei honorem, à quo auersi essent, sed ad cuiuspiam consuetudinis vsurpationem cum regno inaugurarentur, aut vxorem ducerent, aut primogenitum susciperent illa templo obtulisse. Nam ne à profanis quidem, atque ethnicis regibus oblata donaria recusabantur. Sic enim in 2. Machabæorũ libro legimus [d], *Fiebat, vt & ipsi reges, & principes, locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent. Ita vt Seleucus Asiæ rex de reditibus suis præstaret omnes sumtus, ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Nihil ergo mirum si munera Iorami, & Ochosiæ, à pontificibus illorum temporum reciperentur. Quamuis Dominus impiorum munera accepta non habeat, nisi ad temporariam quandam vitæ huius retributionem.

d cap. 3. 2.



ANNVS MVNDI 3188. DILVVII 1532. QVINTAE ÆTATIS 249. TEMPLI FVNDATI 166. IOAS REGIS IVDÆ 32. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 10. PEDAIÆ PONTIF. 4. ELISÆI PROPHETÆ 50. TROIÆ EXCISÆ 318. OCRAZAPIS 15. IMPERII ASSYRIORVM 1257.

ANNVS ANTE CHRISTVM 865.

I. *Ioas ad tẽpus reſipiſcit.*



ON immerito credi poteſt Ioas, qui ab ineunte ætate Deum timere didicerat, quique idolorum cultu, vt dictum eſt [a], abſtinebat, tanta plaga Deo verberante percuſſum extimuiſſe ad tẽpus, & emendationem vitæ, cum abdicatione idololatriæ de regno ſuo, ſi quo modo poſſet, animo deſtinaſſe. Nam & pueri in plagarum ſenſu meliora pollicentur: ad tempus, inquam. Mors enim Zachariæ ſubſecuta ſatis oſtendit regem poſtea inconſultiſſime ad deteriora prolapſum, ſpem, ac propoſitum emendationis abieciſſe. Neque hæc temere coniectamus. Cum enim conſtet ex dictis [b], bis Syros contra Ioas arma ſumpſiſſe, duplicem culpã geminæ caſtigationis aſſignare conuenit. Zachariæ autem mors ad vltimos annos Ioas ab omnibus refertur. Idque Scripturæ plane conſentaneum eſt, vt poſtea ſuo loco dicetur. Nunc autem apparet non extinctã quidem, ſed admodum repreſſam, timidiuſque vſurpatam in regno Iudæ idololatriam.

[a] an. eius 29. n. 4. & 5.
[b] an. præce. n. 5.



ANNVS MVNDI 3192. DILVVII 1536. QVINTÆ ÆTATIS 253. FVNDATI TEMPLI 170. IOAS REGIS IVDÆ 36. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 14. PEDAIÆ PONTIF. 8. ELISÆI PROPHETÆ 54. TROIAE EXCISÆ 322. OCRAZAPIS 19. IMPERII ASSYRIORVM 1261.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 861.

I. *Mors Zachariæ. Et primum ratio temporis.*



ACHARIÆ filij Ioiadæ pontificis mortem, in hunc annum trigeſimum ſextum regni Ioas incidiſſe, poſſumus cum Euſebio probabiliter affirmare, vt Pontacus ex plurimis manu ſcriptis affirmat, quamuis eam quidam ad 34. alij ad 35. nonnulli ad 37. referant. Torniellus etiam ad trigeſimum nonum. Sed nos maluimus Euſebium ſequi, præſertim cum eius chronologia rebus ipſis belle conſentiat. Trigeſimo enim ſexto Zachariam iuſſit occidi; anno vertente aſcenderunt iterum Syri contra eum, ab iiſque victus, captus, maleque tractatus eſt, ſequente biennio in languoribus magnis decubuit, quo tempore regnum adminiſtrauit Amaſias: anno denique quadrageſimo à ſeruis ſuis occiſus eſt. At quid faciemus Euſebio, qui duobus in locis Zachariæ mortem collocat, primum octauo, vel nono anno regni Ioas: vt in hebræo quoque Chronico legitur apud Scaligerum, deinde trigeſimo ſexto. Et certe dubium eſſe nõ poteſt, quin prior illa temporis ratio vitioſa ſit. Nam rex tum decimum quintũ annum tantum agebat, & viuebat, vixitque multos adhuc annos Ioiadas: quo viuo conſtat Zachariam non fuiſſe occiſum [c]. Pontacus pro Zacharia priore loco Azariam legendum putat, quem Scriptura non prodit occiſum, & ad mul-

Capel. Scalig. Heluic.
[c] 2. Par. 24. 17.

[a] 2. Par. 15. 8.10.

to superiora tempora pertinet, nimirum ad decimum quintum regni Asæ [a], à quo nonagesimus octauus annus agitur. Ideoque amanuentium vitio tribuendum est, aut ea fuit quorundam opinio, quam illic descripsit Eusebius.

VERBERVM sensu paulatim sedato, redeunt ad ingenium pueri; sæpe etiam grauiora peccantes, magistros ad grauiora verbera compellunt. Idem contigit regi Ioas, & principibus eius. Rursus enim persuadetur rex ab optimatibus, liberum vt ipsis cultum Baalis, vel Astartes relinquat. Et vt metum ab eo diuinæ vltionis excluderent, Hazaëlis aduentum casui fortasse, vel fortunæ, non diuinæ prouidentiæ, vel offensioni tribuerunt. Quod si hoc anno Hazaël in Damasco mortuus est, quod admodum certe probabile est, cum eum contra Iudã sequenti anno non reuertisse satis constet, vt dicemus [b], potuit id quoq regem metu soluere, qui Dei amore, ac pietate non satis retinebatur. Iterum igitur rege vel consentiente, vel dissimulante, idolorum fana frequentantur, templum Dei à nobilibus, aulicisq. viris desertũ, à sola plebecula aditur. Excelsa ludis, & choreis personant, pinguescũt sacrificiis, donariis honorantur: domus Dei luget, in atriis virgulta nascuntur, Deus ad iracundiam iteratò prouocatur. II. *Optimates redeunt ad ingenium, & rex ipse.*

[b] inf n. 21. & an. seq. n. 1.

HIC videlicet prophetæ clamant, Deiq. iussu, tam in ipsum regem, quam in principes, & totum populum seuerissimas intentant minas. In his facile eminebat is, qui multum dignitate, atq. autoritate præstabat, Zacharias filius Ioiadæ, de quo ita Scriptura [c]. *Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & stetit in conspectu populi, & dixit eis. Hæc dicit Dominus Deus. Quare transgredimini præceptum Domini? Quod vobis non proderit,* imo perniciem maximam importabit. *Et dereliquistis Dominum*, ex quo factum est, *vt derelinqueret vos.* Hæc quidem summa est obiurgationis prophetæ; sed multo eum plura, & magno spiritus feruore dixisse, ex eo intelligitur, quod Spiritus Dei dicitur illum induisse; animum videlicet subintrasse, aut tanquam armatura valida vndique illum obtexisse. Quodque populus seditiosus, impatienter molestum reprehensorẽ ferens, in eius perniciem dicitur congregatus. III. *Cõtra quos clamant prophetæ, & in primis Zacharias.*

[c] 2. Par. 24. 20.

SAPE oportuit querelas principũ de eo ad regis aures peruenisse, quod nemo mittere manus auderet in talem virum, qui, præter sacerdotij, & prophetiæ dignitatem, regem magna affinitate contingeret. Illius enim amita Iosabetha erat mater Zachariæ [d]. Prouectæ quoque ætatis, minimúmq. 60. annorum illum fuisse necesse est, cuius parẽs ante annos aliquot 130. annos natus obiisset. Quib. nominibus, cum egregia virtus accederet, eum rex quoque reuerebatur, & tardius in eius consensit cædem, sed illum prius per se, perq. alios monendum curauit, & eum apud principes excusauit. At illi cõtra, nihil esse aiunt, quod vlterius hominem linguæ impotentem, regi, principibus, & toti populo contumeliosum ferat. Hominem, qui cum precibus suis, & sacrificiis Rempub. sustẽtare debeat, eam minis, ac prædictionibus ominosis affligat, eiusque ruinam conetur accersere. Nihil ei iuris in ipsos esse, vt eos publicè, priuatimque coarguat, & confundat. Satis sibi esse quod regi suo placeant, ac probantur. IV. *De eo ad regem querela.*

[d] 2. Par. 22. 11.

CVMQVE rex aliquid in eo dissimulandum, & tolerandum diceret, propter eius parentem bene de rege, totoque regno meritum, & in viro qui non maleuolo animo, sed zelo pietatis incitatus, vltra reprehendendo ferretur, quam ratio, & prudentia postularet: Eliam, & Michæam, aliosq. prophetas non fuisse aduersum regem Achabum mitiores. At illi nihil admodum Ioiadæ à rege deberi aiunt; factum ab eo, quod factum à subdito oportuit, aduersus principem suum. Et nihilominus meritis eius cumulate satisfactum esse, qui & in vita regnauerit, & in morte illatus fuerit regum sepulchris. Nunc autem succrescere filium eius, qui pro patre regnare velit, aut potius, viuo, ac spirãte rege, in ipsum, & optimates eius tyrannidem exercere. Abusi sunt aliquando prophetę dicendi libertate: at iidem sæpe à regibus optimis coërciti vinclis, atque adeo morte affecti sunt. Agendum vtique reum imminutæ maiestatis, aut potius tanquam conuictum, & confessum, & sæpius in flagranti, quod aiunt, crimine deprehensum, prima quaque occasione de medio esse tollendum. Hominem non prophetam, sed insanum; non diuinæ legis interpretem, aut præconem, sed maledicæ, ac petulantis linguæ rabulam: non sacerdotem, sed sacrilegum, qui sacrosan- V. *Probabilesque calumniæ.*

ctam regis personam, quam ipsemet inunxerit, & maiestatem violare non dubitet, & populo illudendam, moxque abdicandam præbere.

VI. Rex in necem Zachariæ consentit.

ISTIVSMODI calumniis & metu rex persuasus, & molesto insuper monitore carere desiderans, frustra monitū, vt taceret, nisi rebus suis male vellet esse consultum aduersariis suis permittit, eisque potestatem facit hominem iterum in obiurgatione deprehnsum lapidibus impetendi, & ex atrio fugatum, in cubiculum suum compingendi, & nisi id satis si ad continendum hominem, etiam obruendi. Cum ergo instaret operi suo Zacharias, obiurgaret, obsecraret, increparet, cœlum & terram contestaretur: sanctos patriarchas Moysem, Aaronem, Iosue, Dauidem, aliosque viros sanctos excitaret ab inferis, accusatores impietatis, ac iudices. Alterum insuper longe acerbiorem Syrorum aduentum intentaret, qui non solum publicas, priuatasque opes euerreret, sed qui cædibus omnia misceret, eosque maximè perderet, qui perdendæ pietatis authores fuerant atque promotores Cum in his, inquam, totus esset Zacharias, congregatus est aduersus eum populus, [a] *& miserunt lapides, iuxta regis imperium, in atrio domus Domini.* In atrio scilicet Leuitarum, quod templo proximum erat. Vt conueniat illud Christi Domini [b], iuxta communiorem expositionem, *vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare.* Nam altare hoc holocaustorum in medio atrio erat; inde autem occidentem versus, erat id, quod proprie templum dicebatur. Credibile est Zachariam, cum lapidum grandine, ex atrio, & porticibus Israëlis vndique quateretur, intra ipsam ædem confugere voluisse, sed saxo quopiam deiectum concidisse, ibique obrutum esse.

Qui & lapidibus obruitur.

a 2. Pa. 24. 21.

b Math. 23. 35.

VII. Regis ingratitudo.

ET *non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius* [c]. Ita Scriptura diuina, quasi ingemiscens in morte Zachariæ, cum exprobratione aduersus ingratum, ac sacrilegum principem, qui tanti oblitus beneficij, quantum in hac vita accipere potuerat, eximiam misericordiam dira crudelitate rependit: qui mortem intulit filio, à cuius parente vitam, & regnum acceperat. Non eripuit prophetam de manu aulicorum suorum, cuius mater eum de manibus satellitum, ac sicariorum Athaliæ eripuerat. Hostiliter ab eo tractatus est, qui illi erat instar fratris, ac parentis, cuius infantiam blandissime fouerat, pueritiam recreauerat, ornarat adolescentiam, virilem ætatem honorauerat: omnemque vitam insigni amore fuerat prosecutus. Animam illi sustulit, qui pro salute animæ ipsius omnium odia, & querelas, atq. adeo ipsiusmet regis iras, offensionesque deuorabat: simulque sibi, suoque imperio sustulit validum protectorem, perpetuumque apud Deum deprecatorem, quem vertit in iustæ vltionis candidatum. Nam sequitur.

c 2 Par. 24. 22.

VIII. Requirit à Deo vltionem.

QVI *cū moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat*; Septua *Videat Dominus, & iudicet.* Ille enim est qui sedens in concilio deorum, in medio eorum deos diiudicat: quique pollicetur se, cum acceperit tempus, etiam iustitias iudicaturum. Cum ergo Zacharias ab ipso rege desertus, ac proditus, non haberet in terris superiorem iudicem, ad quem prouocare posset, Deum appellat causæ suæ cognitorem, & iudicem, & quidem iustitiæ desiderio, non liuore vindictæ, vt qui à Christo Domino in iustis, & impie à Iudæis occisis numeretur. Aliqui textum hebræū interpretantur, vt sit in illis verbis prophetia, quæ cito impleta sit: Veriti fortasse, ne illa vindictæ petitio parum viro iusto conueniat, qui Christum Dominum, ac S. Protomart. sciant, vindictæ loco veniam suis interfectoribus postulasse. Verum, vt non dicam maiorem gratiam datam diuinitus in lege gratiæ, quam in Mosaïca; eam postulationem, quæ iustitiæ actus est, nihil derogare sanctitati, cum multa Dauidis, & prophetarum verba declarāt, tum magnæ illæ cœlitum voces, [d] *Vsquequo Domine sanctus & verus non indicas, & non vindicas sanguinē nostrum.*

an male.

d Apoc. 6. 10.

IX. Quis hic Zacharias.

SED dum Zachariam hunc nostrum à Christo Domino in iustis numeratum dicimus, videamur fortasse pro certo vsurpare, quod non parum controuersum est: plerique enim longe diuersa sentiunt, & quidem viri doctrina, antiquitate, dignitate principes. Nam Origenes [e] tradit hunc Zachariam Barachiæ filium, fuisse patrem Ioannis Baptistæ: qui pro asserenda Beatissimæ Virginis integritate interfectus sit. *Venit*, inquit, *ad nos quadam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, vbi virginibus quidem consistere licet, & orare* Deum: *experta*

e tra. 26. in Math.

*autem thorum viridem non permittebantur in eo consistere. Maria autem postquam genuit Saluatorem, ingrediens ad adorandum, stetit in illo virginum loco. Prohibentibus autem eis, qui nouerant eam iam filium genuisse, Zacharias stetit, atque dixit prohibentibus eam, quoniam digna est virginum loco, cum sit adhuc virgo.* Sic ipse. Etsi autem fateatur hæc ex scripturis canonicis probari non posse, ei tamen traditioni fidem astruit, quod Christus præsentibus dicat, *quem occidistis inter templum, & altare*; quod antiquo cuipiam Zachariæ quadrare non potest. *An pater Ioannis Baptistæ, traditio ex Origene.*

X. *Basilio, Cyrillo, Nysseno.* Eidem traditioni adhæreſcit S. Basilius, homil. 35. de humana Christi generatione, additque Zachariam à populo accusatum, quod rem prodigiosam, inauditamque prædicaret, virginem videlicet parientem, citra virginitatis corruptionem; ideoq; à Iudæis intra templum & altare interfectum fuisse. Eadem habet Cyrillus aduersus Anthropomorphitas; eadem & Gregorius Nyssenus, oratione de sancta Christi natiuitate, addũtque Iudæis à Zacharia prædicatum, regem naturæ sine corruptione ad natiuitatem humanam prodiisse; Iudæos autem metu ne tali regi subditi fierent, sacerdotem iuxta altare sacrificantem interfecisse. Meminit eiusdem traditionis Euthymius in c. 23. Matthæi, meminit ibidem & Theophylactus. Quam etiam adeo amplificat Metaphrastes, [a] vt dicat permisisse Zachariam, vt sancta virgo cum filio in sancta sanctorum ingrederetur. Affert & aliam traditionem de Zacharia occiso ab Herodis satellitibus, eò quod filium suum Ioannem, quem mater abstulerat, non proderet; quæ fuit quoque Petri martyris, ac patriarchæ Alexandrini, in suis ecclesiasticis canon. qui feruntur in sermon. de pœnit. & à sexta Synodo probantur. *Cum quibus*, inquit, [b] nimirũ innocentib. *& alium prius natum infantem cum interfecturus quæsiuisset, & non inuenisset, patrem eius Zachariam interfecit inter templum & altare, cum effugisset filius cum matre Elizabeth.* Consentit Epiphan. lib. de vita, & interitu prophetarum, [c] neque improbat in hæresi 26. Accedit S. Hippolytus martyr, Nicephorus l. 2. c. 3. Et Baronius primo Christi anno. [d] Ioannes Seruius in illum Matthæi locum. *Euthymio, Theophylacto, Metaphraste. Alia traditio Petri martyris Epiphan. Baron.*

a De S. Ioan. Bapt. August. 29.
b Can. 13. & ibid. Zonaras.
c ca. 13. sub fi. lib.
d nu. 53. & 54.

XI. *Vtraque ratione firmatur.* Firmatvr autem ista sententia ab Origene ex ipsis Christi verbis; illos enim ipsos alloquitur, qui Zachariam, de quo agitur, interfecerant; *quem occidistis*, inquit, *inter templum & altare*; quod in filium Ioiadæ, aut illum Zachariam, cuius extat liber propheticus, quadrare non potest; quorum vterque seculis aliquot Christi ætatem antecesserat. Voluit quoque Dominus primum & nouissimum iustum occisum significare, & omnes interiectos comprehendere. Neque enim apparet ratio, cur sanguis aliorum iustorum, qui postremis seculis occisi sunt à Iudæis, non æquè in illos redundare debuerit. Nam quod Ioannes Bapt. posterius occisus fuerit, & quidem ante hanc Christi Domini querelam, nihil ad rem facere videtur; non enim ea cædes ad Scribas & Pharisæos, in quos inuehebatur Dominus, aut omnino ad Iudæos pertinebat, sed ad Herodem gente, atque origine Idumæum.

XII. *Improbatur vtraq; ex Hieron.* Nevtra tamen traditio satis habet probabilitatis; & vtramque S. Hieronymus in comment. in Matthæum æque repudiat. [e] *Alij Zachariam, inquit, patrem Ioannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Saluatoris prædicauerit aduentum. Hoc quia de Scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Prior autem traditio ex Abulensi [f] quem sequitur Barad. [g] facile improbari potest. Neque enim credibile est, si quis fuit in templo virginibus proprie destinatus locus, eum Beatissimam virginem, à partu quamuis intemerato, adire voluisse, cum sciret id non creditum à Iudæis, quibus propterea scandalo futura erat. Cum præsertim eius singularis animi demissio requireret, nulla vt in re singularis apparere vellet, aut peculiari suo iure vti, sicut nec filius eius. Itaque & hic circũcidi, & præsentari in templo, & redimi: & illa purificari, & immunda haberi non recusauit. Accedit quod omnes virginis actiones à Spiritu sancto dirigebantur, maxime post Verbi incarnationem; ideoque non permisisset quidquam ab ea fieri, ex quo mors sacerdotis, sine vlla vtilitate sequeretur. *Et nominatim prior.*

e ca. 23.
f q. 255. in c. 22. Matt.
g tom. 3 l. 8. c. 28. nu 47.

XIII. *Alia eiusdem refutatio.* Qvod si metu noui regis, quem nunciabat Zacharias, Iudæi ita in sacerdotem, dignitate, atque ætate venerabilem, insurrexerunt, eumq; sacris operantem

CHRISTVM DE NOSTRO ZACHARIA LOCVTVM.

crudeliter peremerunt, vt Gregorius Nyssenus, ac Cyrillus prodiderunt, quomodo non in puerum potius, ac matrem insurrexerunt, & ab indebito abductam loco, non male mulctatam in vincula coniecerunt? Aut quomodo Zachariam potius, tanquam delirum senem, non irriserunt, cum propter id testimonium, blasphemiæ, quæ morte punienda esset, accusari non posset? Quid quod aut quando, aut quoties id testimonium à Zacharia datum sit, explicare non possunt: cum neque ipse, neque B. virgo Hierosolymis habitarent, nec vlla ratione probabile sit datum esse id testimonium in purificatione virginis, & à B. Luca, qui cætera omnia de Christo tunc edita testimonia, etiam aniculę diligenter explicat, hoc sacerdotis oraculum martyrio roboratum, omissum fuisse. Præterea quamprimum à purificatione, itum est in longinquam, ac diuturnam Ægypti peregrinationem: neque à reditu id si contigisset, fuisset ab Archelao dissimulatum. At plerique patres eam traditionem calculo suo comprobarunt.

*Satisfit patribus.*

Recitarunt potius, neque ex apocryphis, quod affirmat Hieronymus, negarunt esse mutuatam; neque condemnarunt fabulam, siue *errorem*, vt idem ait, *qui de odio Iudæorum, & fidei pietate descenderet.* Ibid.

XIV. *Posterior traditio improbatur.*

POSTERIOR traditio non multo verisimilior est. Siue quia hæc Zachariæ cædes ad Herodem Idumæum pertinet, non secus ac Ioannis, ideoque Iudæis exprobranda non fuit; siue quia infantes in Bethlehem, eiusque finibus perquisiti sunt, non Hebrone, vbi Ioannem, aut eius parentes fatetur habitasse Baronius; à Bethlehem autem Hebronem vsque, sex leucas interiectas affirmat Benjaminus Iudæus in suo itinerario: [a] siue quia Ioannes ad tribum Leuiticam, non Iudæam pertinebat, cui regnum debebatur, & in quam maxime imminebat Herodes. Respondet Baronius, [b] Ioannem ad cædem nominatim quæsitum videri, propter mirabilia illa, quæ in eius natiuitate contigisse, longe lateque ferebantur. Vnde & multis post annis opinio fuit illum esse Messiam. Verum in eo satis causæ non fuit vt interficeretur pater, qui neque puerum, neque matrem eius haberet in potestate; & cuius mors, populi odium in Herodem augeret, Herodis autem consilia nihil iuuaret. Iam sexta Synodus Petri Alexandrini doctrinam probauit, non item argumenta omnia, quæ ad eam illustrandam pertinebant.

a pag. 47.
b an Christi 1. n. 53.

XV. *Satisfit rationibus.*

INFIRMÆ quoque videntur illæ rationes, quibus vtraque traditio firmabatur. Nam Christus Dominus [c] in persona præsentium Iudæorum, gentem ipsam alloquitur, vnde mox subdit, *Amen dico vobis venient hæc omnia super generationem istam*; gens autem à particularibus personis præsentibus, absentibus, præteritis, futuris abstrahit, & à quo illa cœpit, vsque ad eius interitum, quęcumque ab eo populo gesta sunt, & quocunque tempore, ac loco, eis qui nunc viuunt recte tribuitur. Vnde Iudæis demonstratis, vere dicetur, isti crucifixerunt Christum Dominum, [d] & ad eos sermone conuerso, vos Christum Messiam interfecistis: qui tamen ante mille & quingentos annos non erant, ita S. Stephanus, [e] *vos semper Spiritui sancto resistitis*; illo autem pronomine intelligi gentem ipsam, subiecta statim verba declarant, *sicut patres vestri, ita & vos.* Eodem modo scribæ isti, & Pharisæi, quos alloquitur Dominus, dicendi sunt interfecisse Zachariam, quem Ioas, qui ad eandem gentem pertinebat, ante octingentos & sexaginta annos interfecerat. Ita vir aliquis recte dicitur fecisse, quidquid in infantia, pueritia, aliáue ætate, & quocumque in loco perpetrauit.

*Christus gentem ipsam in præsentibus arguit.*

c Matth. 23.36.
d Abul. ibi. q. 255.
e Act. 7.

XVI. *Nec primum, & vltimum iustum voluit numerare.*

SECVNDA ratio non est admodum efficax. Non enim habuit Dominus rationem temporis duntaxat, neque voluit significare terminos duos iustorum, intra quos sanguis, ab eis male effusus, ab ipsis repeteretur; alioqui sanguis Stephani, & Iacobi, & Christi Domini, ab eis postea impune fuisset effusus. Sed nominandis Abele & Zacharia, diuersitatem personarum, cōtra quas peccatum esset; & diuersitatem culparum expressit. Nam Abel vir erat rusticanus, pastor ouium; Zacharias autem sacerdos, ac summi pontificis filius, ac frater, ipsique regi intima affinitate coniunctus, qui sunt quasi extremi duo gradus hominum, qui reliquos omnes includunt, quæ fere expositio est venerabilis Bedæ, ac Lyrani. Deinde nemo fuit è iustis ad eam diem occisis, in quo minus peccatum esset à Iudæis, quam in Abele, qui maxime ab eorum progenie distabat; nemo

in quo magis, quam in Zacharia, cui ad sacerdotij dignitatem, etiam propheticam Dominus adiunxerat, & vtraque maxime attingebat Deum; sicut affinitate, ac consanguinitate vtrumque populi principem, regem inquam atque pontificem. Ad cuius etiam facinoris grauitatem accessit locus, qui religiosus, ac sacrosanctus, innocentissimi sacerdotis sanguine pollutus est. CHRISTVM DE NOSTRO ZACHARIA LOCVTVM.

XVII *An hic Zacharias propheta vndecimus.*

NAM quod nonnulli, in quibus etiam Ribera noster, existimant à Christo Domino Zachariam illum intellectum, qui in minoribus prophetis penultimus numeratur, non habet magnam probabilitatem, etsi patris nomen consentiat, vt fatetur Hieronymus. [a] *Sed vbi*, inquit, *occisus sit inter templum, & altare Scriptura non loquitur; maxime cum temporibus eius vix ruinæ templi fuerint.* Verum templum hoc secundum, anno sexto Darij regis perfectum fuisse, ex cap. 6. primi libri Esdræ constat. Cũ autem ex ca. 7. prophetiæ Zachariæ constet, ipsum anno quarto Darij prophetasse, potuit vtique adhuc biennium, & multo vlterius vitam produxisse. Non vixisse autem, ait idem Ribera, quis audebit dicere? aut vnde si dixerit, probabit? Imo vero longe vlterius etiam vixisse facile ex Epiphanio probari potest, qui eum tradit longa confectum senectute quieuisse, ac sepultum esse cum cognato propheta Aggæo; non autem interfectum fuisse, inter templum & altare, quod requiritur in ista sententia. Neque ea cædes vllam habet illo tempore probabilitatem, quo Iudæi recens Babylone reuersi, pietatem colebant, admodumque à tanto scelere, nulla præsertim causa incitante, alieni erant. Quæ est sententia Abulensis, [b] Baradij, [c] Serarij, [d] & aliorum communis.

*Non videri.*

a in c. 23. Matth.

XVIII. *Fuisse Ioiadæ filium.*

RESTAT ergo Zacharias Ioiadæ filius, quem passim interpretes, S. Hieronymum secuti, à Christo Domino memoratum volunt. *Cum ergo*, inquit, *& Zachariam teneamus, & occisionis consentiat locus, quærimus quare Barachiæ dicatur filius, & non Ioiadæ? Barachia lingua nostra benedictus Domini dicitur, & sacerdotis Ioiadæ iustitia Hebræo nomine demonstratur.* Sic ipse, additque, in Euangelio, quo vtuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Ioiadæ scriptum reperiri. Notauit etiam Pontacus in Eusebij Chronico, in quibusdam exemplaribus ita legi, *Zacharias Ioiadæ pontificis filius fuit, qui pro veritate regi contradicens occiditur, quem Euangelista Barachiæ filium vocat; quem propter annorum prolixitatem, & vitæ sanctitatem Barachiam vocabant.* Hæc ibi, & recte is titulus viro insigniter sancto, & longæuo tribuitur, quoniam tam vitæ diuturnitas, quam sanctitas, in fauore & benedictione diuina præcipue numerantur. [e] In alio exemplari ita legitur. *Apud Hebræos Zacharias propheta à rege Ioas interficitur. Hic Zacharias Ioiadæ filius fuit, qui pro veritate regi resistens, occiditur inter templum & altare, sicut Euangelia testantur. Barachiæ autem filius appellatur, quia ob sanctitatem vitæ patris, Barachia nominati, quod interpretatur benedictus, & hic benedicti nomen obtinuit.* Itaque Ioiada dictus est Barachias apud Iudæos, quomodo apud Græcos ac Romanos quidam Sapientes, Magni, Viri optimi, Ouiculæ, Catones dicti sunt. Hanc sententiam passim sequuntur interpretes recentiores, nominatim Iansenius, [f] Maldonatus, Baradius, Serarius, Abulensis, Lyranus, Beda &c. eamque probat Ecclesia in Romano breuiario [g] & satis ex præcedentium refutatione firmatur.

b q. 255. in c. 23. Matt. init.
c tom. 3. l. 8. c. 28. no. 50. & 51.
d in c. 23. 4. Reg.
e Exod. 20. 12. Psal. 90. 16. & Psal. 20. 4. 5.
f c. 84 concord.
g in Fest. S. Steph.

XIX. *An cum filiis occisus.*

SED de hac quæstione iam satis. Illud autem in primis ad præsentem historiam pertinet, an Zacharias hic noster solus, an etiam cum filiis suis occisus sit. Nam S. Hieron. in tradit. in 2. Paral. ait filios Zachariæ cum patre interfectos fuisse: ideoque Scripturam dicere, *Non est recordatus filiorum Ioiadæ Sacerdotis.* Sic enim habetur in Hebræo, [h] *propter sanguines filiorum Ioiadæ sacerdotis*, quomodo habent etiam Septuag. regia, & Complut. Nam reliqui codices, vnius tantum filii, sicut editio vulgata, & Iosephus, meminerunt. Et notat Vatab. & alii, numerum pluralem Hebraicè pro singulari vsurpatum, quod hic filius sacerdos, & propheta, instar esset multorum filiorum patri suo. Sic Genes. 21. [i] Sara dicitur lactare filios Abrahamo; & Iacob [k] cum filiis, & filiabus descendisse in Ægyptum. Quæ expositio probabilior est, quam subintelligi particulam *vnius*, id est propter sanguinem vnius filiorum Ioiadæ. Addo ex iisdem Hebræorum traditionibus haberi, mortuo Zacharia natum ei filium posthumum, patri cognominem, qui tempore regis Oziæ floruit, vt suo loco dicetur. Nec illud satis probabile, quod in prædicta traditione legitur, sanguinem Zachariæ vsque ad funda-

h v. 25.
i Gen. 21. 7.
k c. 46. 7. 25.

mentum templi & altaris peruenisse; quod nemo non videt homini, qui lapidibus obrutus interierit, parum conuenire; præsertim cum id spatium fuerit quinquaginta cubitorum, aut eò amplius, iuxta vestigium templi, quod ex Villalpando tertio tomo [a] descripsimus.

[a] an. Sal. 4 p. 793.

XX. *Traditiones de Zacharia morte.*

ALIAM de Zacharia Hebræorum traditionem refert Genebrardus in Chron. [b] *Huius sanguis*, inquit, *vsque ad aduentum Nabuchodonosoris, instar ollæ bullientis, quasi vltionem deposcens ferbuisse traditur.* Verum non tamdiu dilata est vltio, cum eius mors regis morte breui vindicata fuerit. Quod si morte Ioas satis expiata non fuit, etiam vltra Nabuchodonosoris aduentum dilata fuit, ad vltimam scilicet Iudæorum vastitatem, sub Tito, & Vespasiano: quo respexit Christus Dominus cum diceret. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus* &c. [c] Refert idem ex Epiphanio, ex quo Ioas Zachariam occidit, cessasse Dei in polluto templo responsa, & oracula ex Debir, secretiore parte templi, in qua erat propitiatorium, & ex Ephod ornamento pontificio. Quam traditionem apud Epiphanium non inuenio. Et ei merito obiici potest, templum proprie dictum hac cæde pollutum non fuisse, nedum secretiorem templi partem, siue oraculum, & Sanctum sanctorum. Nam extra templum occisum constat, inter templi vestibulum, & altare.

[b] in regno Ioas.

[c] Matt. 23.

XXI. *Mors Hazaelis.*

CREDITVR hoc anno mortuus Hazaël rex Syriæ, & filium Benadad reliquisse regni successorem. Et res quidem ipsa minime dubia est. Sic enim legimus. [d] *Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, & regnauit Benadad filius eius pro eo*, quod nomen in regibus Syriæ Damascenæ non infrequens fuit. Nam qui regnauit tempore Iosaphati, & tempore Asæ patris eius dictus est Benadad. Tempus autem mortis Hazaëlis non ita perspicuum est. Ex initio tamen capitis decimitertij colligitur, [e] vbi de initio regni Ioachaz, & eius idololatria agitur, ob quam *iratus est furor Domini contra Israel, & tradidit eos*, inquit, *in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazael cunctis diebus. Deprecatus est autem Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus.* Colligitur inquam ex hoc loco, Benadadum in Syria regnasse tempore regni Ioachaz, cuius pauci anni supersunt: ab vtroque enim rege vexatus est. At non nisi mortuo patre regnauit Benadad. Accedit quod cum Syri anno euoluto à morte Zachariæ contra Iudam pugnauerint, non vltra fit mentio Hazaëlis.

[d] 4 Reg. 13. 24.

[e] v. 3. & 4.

*Quo anno regni sui.*

XXII. *Eius honor apud Syros.*

APPARET itaque Hazaëlem hoc anno mortuum, regni sui quadragesimo tertio: tot enim numerantur à sexto anno famis, quo mortuus est prior ille Benadad, qui fuit à fundato templo 127. De Hazaële autem ita scribit Iosephus. [f] *Itaque Hazael præfocati à se Benadadi regiam occupat, vir alioqui strenuus, & gratiosus apud Syrorum, ac Damascenorum multitudinem; quo factum est vt vsque in præsens, tam Adadus, quam Hazael eius successor, diuinis apud Syros colantur honoribus, tum propter aliam beneficentiam, tum quia magnifice templis exstructis, Damascenorum vrbem ornatiorem reddiderint*; ex multis scilicet, magnisque spoliis, & præda vrbium, & templi Iudæorum, & Israëlitarum, quos perpetuis cladibus, & damnis affecerant. Sed pergit. *Eorum enim effigies quotidianis pompis honorant, & antiquitatem iactant: nescientes quod non admodum sint veteres & nondum centum supra mille anni ab eorum ætate intercesserint.* Ac ne mille quidem, nam ab hoc anno mortis Hazaëlis, ad id tempus, quo hæc scribebat Iosephus 50. circiter annis post Christi mortem, vix nongenti ac 44. anni transierant.

[f] l. 9. c. 2.

ANNVS MVNDI 3193. DILVVII 1537. QVINTAE ÆTATIS 254. FVNDATI TEMPLI 171. IOAS REGIS IVDÆ 37. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 15. PEDAIÆ PONTIF. 9. ELISÆI PROPHETÆ 55. TROIÆ EXCISÆ 323. OCRAZAPIS 20. IMPERII ASSYRIORVM 1262.

ANNVS ANTE CHRISTVM 860.



RARO *antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo.* Nam vertente anno, siue, vt Scriptura ipsa loquitur, [a] *cum euolutus esset annus* à morte Zachariæ, quo tempore expectabat Dominus vt Ioas respiceret se, & acta pœnitentia ad ipsum conuerteretur, *ascendit contra eum exercitus Syriæ*; neque vlla fit mentio regis Hazaëlis, qui nuper venerat contra Geth, [b] & contra Ierusalem, & cum ingenti præda Damascum reuerterat, & crebris excursionibus, ac præliis omne Hebræorum genus fatigabat. Ex quo confirmatur opinio, quam proximo anno secuti sumus, eum hoc tempore finem vitæ accepisse. Quam autem habuerint Syri causam repetendi cum hostili exercitu Iudæam, in obscuro est. Nisi forte tributum aliquod Ioas spoponderat Syris, cum illi oppugnaturi erant Hierosolymam, quod nunc, Hazaële defuncto, pendere recusarunt. Primaria porro causa fuit Deus, vltionem expetens de sacerdote, ac propheta suo, per summam ingratitudinem, in optima causa interfecto.

(Margin: a 2.Par.24.23. — b 4.Reg.12.17. — I. *Altera Syrorum expeditio contra Ioas.* — *Eius causa*)

VENIT ergo exercitus Syriæ in Iudam & Ierusalem, & facilis erat transitus Syris per regnum Israëlitarum interiectum, quod illi plurimis iam præliis attriuerant. [c] Etsi autem dicuntur venisse Hierosolymam, non videntur tamen, saltem à principio, vrbem ingressi, aut eam obsedisse. Cum enim pauci essent numero Syri, & Ioas infinitam hominum multitudinem collegisset, vt Scriptura testatur, [d] maximam, munitissimamque vrbem obsidere non potuerunt. Sed iis in regnum Iudæ ingressis, venit obuiam Ioas cum principibus suis, & infinita Israëlitarum multitudine; à quibus nihilominus infeliciter pugnatum est. Non enim contra Syros, sed contra Deum suum pugnabant, qui Syrorum dextera, tela vibrabat in Iudæos, & illis animos & alacritatem, his segnitiem & pauorem infundebat. *Et certe*, inquit Scriptor sacer, *cum permodicus venisset numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum.*

(Margin: c 4.Reg.13.4. — d 2.Paral.24.24. — Ibid. — II. *A quibus cum suis vincitur.*)

CVM ergo prælio conflixissent, victores effecti Syri *cunctos principes populi interfecerunt, atque vniuersam prædam miserunt regi in Damascum; in Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia.* Hoc fuit iudicium Dei contra optimates, vt studiose procuratam instaurationem idololatriæ, turpiter victi, temporali, & æterna morte miseri penderent. Rex quoque ipse, qui optimatibus suis iniusta petentibus imbelles dederat manus, bello victus, captusque, ignominiose à Syris tractatus est. Etsi enim in Hebræo, & Græco nulla ignominiæ mentio est, ex Hebræorum tamen traditione D. Hieronymus ait fecisse in eum ignominiosa iudicia. *Siue quia*, inquit, *turpes in eum res egerunt*, male scilicet tractantes personam eius; *siue quia interficientes filios eius, improperabant ei scelus, quod in Zachariam perpetrauerat.* Sed Hebræi isti primùm de occisis filiis regis somniant; nec vllum habent vestigium eius somnij in Scriptura. Secundo confundunt ea, quæ à Syris in acie contra Ioas gesta sunt, cum iis quæ postea domestici contra regem, in lectulo suo iacentem perpetrarunt.

(Margin: III. *Occiduntur optimates.*)

MVLTIS potius vulneribus, licet non lethiferis, afflictum Scriptura significat, cum ait abeuntes Syros eum in languoribus magnis dereliquisse, idque

(Margin: IV. *Ipse plagis afficitur.*)

Lyranus existimat. Vatablus illud *iudicia exercuerunt* interpretatur, variis eum suppliciis affecerunt. Sic inferius [a] dicitur rex Babylonis, capto & adducto ad se Sedechia, locutus esse cum eo iudicium. Eum videlicet acriter increpuisse, ingratitudinem, & perfidiam exprobrasse. Eodem modo hoc loco exercet Syrus in regem Ioas iudicia, dum variis eum modis affligit. Et vniuerse facere iudicium & iustitiam, est vnumquemque tractare pro meritis. Et sane mira est hic quoque diuina prouidentia, qui non permiserit regem à Syris occidi, qui aliam ei destinabat à domesticis cædem: aut secum in Damascum non abduci captiuum, ingenti vi auri, atque argenti mox redimendum: aut Hierosolymam occupari, cum regem haberent in potestate. Nimirum Dominus hominum mentes, ac corda dirigit pro arbitrio suo. Iosephus qui vtrumque Syrorum aduentum confudit, vt qui Zachariam occisum refert ante primum eorum aduentum; hæc Syrorum in regem iudicia, quæ idoneo loco collocare non poterat, prætermisit, sicut & mortem principum populi, & prædam missam Damascum, & numerosas Iudæorum copias à pauculis Syris superatas.

*a 4. Reg. 25. 6.*

*Omißiones Iosephi.*

V. *Ioachaz filium assumit regni collegam.*

HOC ipso *anno trigesimo septimo Ioas regis Iudæ, regnauit Ioas filius Ioachaz in Samaria sedecim annis.* Ita scriptum est lib. 4. regum ca. 13. [a] atqui paulo ante eodem capite dicitur idem Ioachaz regnasse in Samaria decem & septem annis, qui à vigesimo tertio anno Ioas filio Ochosiæ inchoarentur; à quo tempore vsque ad hunc annum non septemdecim, sed quindecim tantum anni, etiam computatis extremis, reperiuntur. Abulensis [b] errore librariorum factum putauit, vt anno trigesimo septimo pro trigesimo nono legeretur. Sed minime necessarium est hoc loco, ad vltimum illud asylum confugere. Facile enim est, cum communi plurimorum sententia, dicere Ioachaz hoc anno filium suum Ioam regi Iudæ cognominem, sibi regni socium assumpsisse. Nec tamen sedecim anni eius regni ab hoc tempore numerari incipiunt, sed à patris morte duntaxat, quæ post biennium contigit. Neque obstat quod Scriptura [c] prius dicat dormisse Ioachaz cum patribus suis, quam mentionem faciat regni filij eius. Seorsim enim de vtroque rege agere voluit, nec inserere res filij in narratione patris, præsertim cum cursim de vtroque ageret.

*a v. 10. v. 1.*
*b q. 6. in ca. 13. 4. Reg.*
*c c. 13. v. 9.*

VI. *In spem meliorum temporum.*

CAVSA porro cur Ioachaz filium suum Ioas in collegam regni nunc assumpserit, videtur fuisse, quod hoc tempore in spem meliorum temporum excitatus fuerit. Cum enim regnum Israëlis toto ipsius regno, multisque annis Iehu patris eius cursum suum teneret, id est vtroque modo infelicem, ac miserabilem (nam Idololatria domi perdebat omnia, & Syrus foris) vexatione dante intellectum auditui, euigilare cœpit Ioachaz, & aures præbere prophetis, quos hactenus surda aure præterierat, & nominatim eorum coriphæo Elisæo seni, & sperare aliquam præsentium malorum leuationem, si ad Deum patrum suorum conuerteretur. Itaque *deprecatus est Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus. Vidit enim angustiam Israel, quia attriuerat eos rex Syriæ*, vterque, Hazaël scilicet, & Benadad filius eius, paulo ante nominati. Et quidem vsque adeo attriuerat, vt de toto regno Israëlitarum mox subdatur. [d] *Et non sunt relicti Ioachaz de populo nisi 50. equites, & decem currus, & decem millia peditum. Interfecerat enim eos rex Syriæ, & redegerat quasi puluerem in tritura areæ.*

*Status præsens Israëlitarum.*

*d c. 13. v. 7.*

VII. *Quibus promittit saluatorē.*

HABES ergo hic exemplum diuinæ clementiæ singulare, qui regem impium miseratus orantem, aut populum potius attritum malis, liberare voluerit, eosque à cladibus respirare permiserit, qui nullum vnquam finem impietati suæ posuerunt. Propterea Scriptor sacer exprobrans impio populo perpetuam ingratitudinem, atque perfidiam illud inserit, *Veruntamen non recesserunt à peccatis domus Ieroboam, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulauerunt. siquidem & lucus permansit in Samaria, quem plantauerat Achab.* [e] Quæ cum præuideret Dominus, dedit eis nihilominus Saluatorem, cuius ope liberarentur à Syris. Hæc nimirum caduca bona facile & indiscriminatim bonis largitur, ac malis: & verò reprobis etiam crebrius, quam electis. Nam Deus opera inimicorum suorum cœlis indigna, copiose remetitur in terris, istorum merita rependit in cœlis; culpas autem hic rebus aduersis, iisque non admodum diuturnis, punit.

*e 3. Reg. 16. 33.*

VIII. *Et quis ille fuerit, an Ioachaz.*

DVBIVM porro est quis fuerit hic Saluator, & quando datus. Existimauit

Obitvs Ioachaz ex Iosepho.

a l.9.c.9. Iosephus [a] ipsummet Ioachaz factum esse saluatorem populi sui. Nam de eo loquens, *huius copias*, inquit, *rex Syriæ tantopere attriuit, vt ex numeroso exercitu non plus quam decem millia peditum, equites quingenti superessent.* Puduit Iosephum tam exigui exercitus, quem ex Scriptura paulò ante retulimus. Veritus quoque est ne non faceret fidem, si tantulis copiis reparatum regnum, Syrosque pluribus prœliis deuictos diceret; itaque quinquaginta equites, quos in Hebræis omnibus, Græcisque, & Chaldæis codicibus legerat, in quingentos commutauit: habet enim non [illegible], sed [illegible]. Currus quoque maluit nullos habere, quam decem. Imprudens, qui non intellexerit, aut non cogitarit tantum se de diuina laude detrahere, quanto fecerit copiolas istas auctiores. Pergit: *qua expeditione multas magnas vrbes illi ademit, & hostium non mediocres strages edidit.* Verum ne vnam quidem vrbem à Ioachaz recuperatam à Syris docere potuit Iosephus, neque vllam eius victoriam: sed huiusmodi res secundæ ad Ioas filium eius pertinent, vt mox dicetur.

IX. Et Lyrano, qui improbatur.

Rectivs Lyranus, nec tamen rectè, existimauit promissum à Deo Saluatorem, ad Ioachaz pertinere quidem, non tamen ipsum contra Syros feliciter pugnasse; sed Dominum, qui eius preces audiuerat, suscitasse angelum regno Israëlitarum præpositum, à quo virtute occulta fuerint aduersarij eius repressi, per timorem eis immissum, aut alio quopiam modo. Sicque dimissus fuerit Ioachaz, & populus eius in pace. Non rectè tamen putauit scripturam asserere Ioachaz liberatum fuisse de manu Syriæ, ideoque Saluatorem ad ipsum pertinere. Scriptura enim non regem Ioachaz, sed Israëlem liberatum dicit de manu regis Syriæ. Sic enim legimus, *& dedit Dominus Israëli saluatorem, & liberatus est* nimirum Israël *de manu regis Syriæ.* At inquies deprecatus est ipse pro se, & pro statu præsenti populi sui, *& audiuit eum Dominus.* Audiuit vtique, sed non sic vt statim victorias concederet, quas filio eius destinarat, sed vt populus leuamentum ærumnarum in præsentia acciperet, quiescentibus Syris: quomodo dixit Lyranus, b q.1 in c. 13.4.Reg. probatque Tostatus: [b] ita tamen vt nolit hunc Angelum saluatorem dici, quod toto tempore Ioachaz, Israëlitæ, & vrbes eorum manserint sub potestate Syri.

X. Aut potius Ioas.

Dicendvm potius cum Hebræis, nominatimque R. Salomone huiusmodi Saluatorem fuisse Ioam filium istius Ioachaz, qui tres clades intulit Syris, & recuperauit vrbes quas Hazaël abstulerat patri suo, vt capite decimo tertio extremo [c] scriptum est. Huiusmodi autem titulus datus est iudicum temporibus, iis, qui populum in libertatem vindicarunt, vt Othonieli, Aodo, Baracho, Gedeoni, & cæteris. Conuenit nihilominus etiam Ieroboamo filio Ioas, nepoti Ioachaz. Nam suscitauit eum Dominus in liberatorem, ac vindicem populi sui, iuxta sermonem Ionæ prophetæ. [d] Nam *ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis.* Existimatque Abulensis [e] huic potius Ieroboamo, quam Ioas patri eius hoc Saluatoris nomen conuenire, quod maiorem salutem fecerit; idque significat ipsa Scriptura, cum ait, [f] *Nec locutus est Dominus vt deleret nomen Israel de sub cœlo, sed saluauit eos in manu Ieroboam filij Ioas.* Itaque pro vno Dominus geminum saluatorem Israëlitis dedit, alterum qui inchoaret libertatem à dominatu Syrorum, alterum qui perficeret.

Et filius eius Ieroboam.

c ca.13.25.
d c.14.v.25.
e q.4.in c.13.
f v.27.

ANNUS MUNDI 3194. DILUVII 1538. QUINTÆ ÆTATIS 255. FUNDATI TEMPLI 172. IOAS REGIS IUDÆ 38. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 16. PEDAIÆ PONTIF. 10. ELISÆI PROPHETÆ 56. TROIAE EXCISÆ 324. OCRAZAPIS 21. IMPERII ASSYRIORUM 1263.

## ANNUS ANTE CHRISTI ORTUM 859.



EO in ſtatu relictus eſt à Syris proximo bello Ioas, vt languere potius quam viuere,& in lecto doloribus confici, quam in ſolio regnare dici poſſet. Cum autem Dominus nefarios illos idololatriæ reſtauratores & cultores, Syrorum gladio de medio ſuſtuliſſet, admodum credibile eſt Pedaiam pontificem, omneſque prophetas, ac viros pios hac occaſione vſos, ad curſum idololatriæ impediendum, & pietatem priſtinæ dignitati, ac ſplendori reſtituendam: nec regem, diuina iudicia agnoſcentem, ſeſe difficilem præbuiſſe. Præſertim cum, vti diximus, idola non coleret ipſe, ſed tantum precibus impiorum fatigatus, eorum ſacrilegæ voluntati, molli, atque infracto animo acquieuiſſet. Et poſt alteram plagam diuinitus acceptam, etiam tertiam, vtraque acerbiorem timeret. Prima theſaurum ſacrum & profanum exhauſerat: altera principes populi, cum infinita multitudine probroſè deuictos trucidarat, regemque ipſum ignominioſe tractatum, in magnis languoribus lecto affixerat; imminebat tertia, quæ fortaſſe regem ipſum perderet cum tota familia, & regiam ciuitatem, ac templum, ferro, flammaque deleret. I. Repudiatur à Ioas idololatria

Hos ergo, qui ſuperſunt, annos vitæ, ac regni Ioas, abſque idololatria tranſactos facile mihi perſuadeo, regemque Amaſiam, vti à patre acceperat, regnum in Dei ſolius cultu plurimos annos conſeruaſſe. Quin etiam hoc ipſo tempore, dum pater cum doloribus ſuis luctatur in lecto, & præteritarum culparum pœnitentiam agit, vt credi poteſt fructuoſam, videtur Amaſias, qui nunc vigeſimum ſecundum agebat annum, regnum non ſuo, ſed patris nomine magna ex parte adminiſtraſſe: præſertim cum Ioas filius Ioachaz in Samaria cum patre regnaret. Amaſiam tamen viuo patre ad regnum Iuda aſſumptum, ex Scriptura conijcere non poſſumus. Quamuis enim ægrotaret Ioas, ætas tamen 45. annorum, in qua viuebat, multam in ſpem recuperandæ valetudinis, & diuturnioris vitæ ſuggerebat. Sed diuinum obſtabat decretum, quo definitum erat reliquam vitam in doloribus tranſigendam, atque adeo breui, domeſtico ſcelere, terminandam: vti ſecundo ab hinc anno contigit. II. Amaſias regnum adminiſtrat.



ANNVS MVNDI 3195. DILVVII 1539. QVINTÆ ÆTATIS 256. TEMPLI FVNDATI 173. IOAS REGIS IVDÆ 39. IOACHAZ REGIS ISRAELIS 17. ET VL. IOAS FILII EIVS I. PEDAIÆ PONT. 11. ELISÆI PROPHETÆ 57. TROIÆ EXCISÆ 325. OCRAZAPIS 22. IMPERII ASSYRIORVM 1264.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 858.



HIC est decimus septimus, idémque postremus annus Ioachaz filij Iehu regis Israëlis. Cum enim ineunte vigesimo tertio Ioas regis Iudæ regnare cœperit, ad hunc trigesimum nonum eiusdem annum saltem inchoatum oportuit peruenisse. Inchoatum inquam; quoniam necesse est hunc primum filij annum etiam cum vltimo patris concurrere, vt eius sedecim anni, quibus regnauisse perhibetur, eo tempore finiri possint, quod exigit Scripturæ assertio; vt postea anno Amasiæ primo, & decimo quinto dicetur. I. *Obitus Ioachaz.*

MORTEM porro Ioachaz sacer historicus paucis perstringit. Cum enim ea, quæ ante dicebamus, de tenuitate copiarum Israëlis retulisset, [a] subdit. *Reliqua autem sermonum Ioachaz, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum* Israel? Mirum videtur laudari, aut aliquo certè numero poni fortitudinem Ioachaz, cuius nullum extat in Scriptura facinus memorabile, sed perpessiones tantum probrosæ, & clades aggestæ cladibus. An quia eis non succubuit, nec de auxilio diuino desperauit, sed illud non sine fructu implorauit; in patiendo vero magis, quam in agendo, atque aggrediendo fortitudinem spectari constat. An significat Scriptura naturalem animi præsentiam homini non defuisse, defuisse pietatem, & Deum, qui impio tot annis adesse noluerit, sed eius potius robur omne contriuerit, stando à partibus Syrorum aduersariorum eius. Dixerat enim de eo paulo ante Scriptura, [b] fecisse malum coram Domino, secutumque peccata Ieroboam, nec declinasse ab eis. II. *Eius fortitudo.*

QVÆ causa fuit vt Iosephus [c] de eo diceret, in principatu annos exegisse septemdecim, patri nequaquam similem, id est Iehu deteriorem, similem potius primis eius regni regibus impiis, qui palam omnem contemptum cœlestis numinis præ se tulerunt. Et paulo inferius eundem Ioachaz filio suo peiorem facit, quem vocat virum optimum, nihilque paterni ingenij referentem. Verum nihil ex Scriptura afferri potest; cur seueriorem in eum, quam in reliquos Israëlitarum reges, sententiam pronunciare debeamus. Præsertim cum Iosephus ipse pœnitentiam ipsius celebret, cuius vix aliquod vestigium in cæteris Israëlitarum regibus reperitur. I*n hac*, inquit, *temporum difficultate Ioachaz ad preces, & supplicationes confugit, orans Deum vt se ex manibus Hazaelis liberet neq; ab eo subigi patiatur. Deus autem qui non solum perpetuam innocentiam, verum etiam pœnitentiam fauore complectitur, & cum perdere possit, si velit, castigare mauult, exoratus eripuit eum è belli periculis.* III. *An peior aliis Israëlis regibus.*

HÆC oratio ex timore vtique Dei, qui pœnitentiam accersebat, qualem iampridem Achabus ostendebat, [d] & auxilii diuini spe profecta, & vera in Deum verum fide nitebatur. Eo siquidem loco veri Dei nomen tertiò repetitur, tametsi vitulos quoque aureos coleret, vt Iehu pater eius, & cæteri reges Israëlis, inde à Ieroboamo filio Nabat. Vim quodãmodo afferente inolita consuetudine, & nequitia voluptatum, quæ idolorũ sacrificiis connexæ erant. Neq; sane videtur Ioachaz in perpetuis cladibus reliquis regibus deterior esse potuisse. Denique *dormiuit Ioachaz cum patribus suis*, quieta scilicet & naturali morte, quoniam illi Deus hæc otia dederat, & nonnullam à Syris quietem, *& sepelierunt eum in Samaria, regnauitque Ioas filius eius pro eo*; qui scilicet iam ante biennium cœperat cum patre regnare. Atque hic secundus rex fuit de progenie Iehu. IV. *Eius oratio.* *Quid retineret in Israële idololatriam.*

Marginal notes: a 4. Reg. 13.8. — b 4. Reg. 13.2. — c l.9. ant. c.9. — μετάνοιαν. — d 3 Reg. 21. 27. & Iosaphati an 17 n. 22. & seq.

## ANNVS MVNDI 3196. DILVVII 1540. QVINTÆ ÆTATIS 257. FVNDATI TEMPLI 174. IOAS REGIS IVDÆ 40. ET VLT. IOAS REGIS ISRAELIS 2. PEDAIÆ PONT. 12. ELISÆI PROPHETÆ 58. TROIAE EXCISÆ 326. OCRAZAPIS 23. IMPERII ASSYRIORVM 1265.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 857.

I. *Cadet Ioas, & eius causa ex parte Dei.*



CELEBRIS est hic annus morte regis Ioas, filij Ochosiæ Iudæi, & diuina in eum vltione. *Surrexerunt*, inquit Scriptura,[a] *contra eum serui sui, in vltionem sanguinis filij* Ioiadæ *sacerdotis*. Hæc fuit Deo causa permittendi coniurationem proditorum in principem suum, quem, aliquot iam annorum exquisitissimi dolores, commiseratione potius, quam odio tam nefario dignum reddebant. Illa ergo ignominiosa iudicia, quæ in eum exercuerant Syri, ad pestiferam illam indulgentiam digna animaduersione puniendam pertinebant. Aliquot enim annis acerbis cruciatibus exercitus fuit, quia aliquot annis impij Iudæi eius permissione idola coluerunt; & quoniam illis inepta timiditate molestus esse noluit, molestissimos dolorum morsus sensit inuitus. Quorum cum maior esset culpa, maiore etiam illam supplicio dependerunt, breui huius vitæ morte ad æternam transmissi. Eo ergo scelere, cruciatibus æquo animo tolerandis, expiatus est Ioas; sed supererat luendum alterum scelus, & regis ipsius vita, piis Sacerdotis manibus parentandum.

II. *Quæ causa ipsis sicarijs.*

IPSIS autem domesticis, quæ fuerit contra Dominum suum coniurandi causa, non facile dictu est. Videtur Scriptura dicere, voluisse eos vlcisci necem Zachariæ. *Surrexerunt autem*, inquit,[b] *contra eum serui sui, in vltionem sanguinis filij Ioiadæ sacerdotis, & occiderunt eum in lectulo suo.* Ita Scripturam intellexit Iosephus, *Ioas*, inquit,[c] *graui morbo implicitus, amicis Zachariæ pœnas dedit, qui ne filius pontificis maneret inultus, per insidias eum sustulerunt.* Idem sentiunt Hebræi in traditionibus in 2. Paral.[d] vbi autor loquens de supplicio, de ipsis ab Amasia sumpto. *Quanquam*, inquit, *illi Dei timore, & in vltionem Zachariæ illum occiderint, tamen ab eo iudicialiter occisi sunt, quia non ore prophetæ, nec consulto Domino, sed sua præsumptione illum occiderunt.* Sic ipse. Præsumptione vero; imo detestabili parricidio. Vt enim Ioas esset apud Dominum mortis reus; quid iuris in proditoribus istis aduersus regem suum fuit, vt illius se primum iudices, deinde tortores constituerent? cuius ne fimbriam quidem vestimenti maleuolo animo attingere potuerunt.

*Num Dei timor.*

III. *An potius priuata causa.*

ITAQVE quod ait scriptor ille, fanaticos istos Dei timore impulsos regem occidisse, non de vero, sed de præsumpto Dei timore accipiendum esset, si talem coniurationis causam admitteremus; idque posteriora eiusdem loci verba demonstrant: zelus fuisset, sed profanus & impius, qualis eorum[e] qui deuotione deuouerant, se nihil gustaturos, donec Paulum occidissent. Priuata ergo causa quæpiam hoc sicarios in regem armauit, si forte ab illis aliqua re offensus, vt solent ægri facile offensionis, & irarum causas inuenire, mortem illis comminatus est: ipsi autem facinus anteuerterunt, quod Dominus, præter eorum intentionem, in finem iustitiæ, debitæque vltionis direxit. Vt de cæteris quoque malis quæ iuste permittit, sapienter elicit bonum prouidentiæ suæ. Notum est illud S. Augustini,[f] de Deo non adimente Angelis peccandi potestatem, *potentius*, inquit, *& melius esse iudicans etiam de malis bene facere, quam mala esse non finere.*

IV. *Qui fuerint hi sicarij.*

QVOD ad cædis huius autores attinet, quædam est in eorum nominibus diuersitas. Nam qui dicitur in 4. Reg.[g] Iosachar filius Semaath, in 2. Paral.[h] dicitur Zabad: & qui priore loco dicitur Iozabad filius Somer, posteriore dicitur

a 4 Reg 12.19 & 2. Par. 24. 25
b 2. Par. 24. 25.
c l. 9 c. 8.
d Apud Hier. c. 25.
e Act. 23. 14.
f Epist. 33.
g 4. Reg. 12. 21.
h 2. Par. 24. 26.

filius Semarith: quæ varietas in aliis quoque linguis, etiam in Hebræa reperitur. Quæ Iosepho causa fuerit nomina prætermittẽdi. Sed Scriptura addidit etiam genus. Ait enim priorem ex Ammanitide, posteriorem ex Moabitide ortũdum: significans ad infamiam prouinciarum pertinere, quæ talia monstra pepererint. *Idcirco*, ait author Tradit. [a] *dicit eos filios Ammonitidum, & Moabitidum, ad exaggerandum malitiam Israelitarum, qui vlcisci noluerunt sacerdotem Dei, quod illi fecerunt, qui filij alienigenarum fuerunt.* Imo hoc ipso sapientiores Israëlitæ iudices, qui viderunt non esse iuris sui, vltionem peccati, quod summum ipsum regni iudicem reum constituebat. Rectius dixeris puniuisse Deum connubia cum alienigenis; ex quibus proditores, & regum suorum parricidas exurgere patiatur. Dicuntur serui Ioas, forte domestici erãt: fuisse autem potentes, tum ex eo colligitur, quod filium eius, qui vigesimum quartum agebat annum, & proximè regno sufficiendus erat, non timuerint; tum ex eo quod Amasias non est ausus eos ad commeritum supplicium rapere, nisi postquam roboratum sibi sensit imperium. [b]

Genere.

Fortuna.

a Apud Hier. c. 24.

b 2 Paral. 25. 3.

c ca. 24. 25.
d ca. 12. 20.

V. Locus cædis.

HABET & locus facinoris huius aliquid difficultatis. Nam in 2. Paral. dicitur occisus *in lectulo suo*, [c] in quarto autem Reg. [d] *in domo Mello, in descensu Sella*: ibi scilicet ægrotabat. Chaldæus, in domo Mello, quæ descendit in Sella: quomodo habẽt etiam Hebræi apud Pagninũ, & Montanum. Vt mirum sit aliquos descensum tribuere regi, non sitam domum dicere in descensu. Quomodo enim occisus est cum descenderet, qui iacebat in lectulo suo? vt ait Scriptura. An aliquò fortasse in lectica transferebatur? at scriptum est in domo, non in via trucidatum. Vatablus ait domum Mello fuisse in cliuo loci appellati Sella. Existimo voraginem Mello, super quam erat transitus regis in templum, cum geminum haberet cliuum, alterum ad templum, alterum ad regiam, descensum Sella peculiariter vocatam esse decliuitatem illam, quæ erat ex parte regiæ, vbi erat quædam regis domus, in qua is ægrotabat, & in qua crudeliter occisus est.

e ca. 24. 25.

VI. Et sepultura.

MORTVVS est ergo Ioas, & sepultus in ciuitate Dauid: sed quod mirum est, *non in sepulchris regum*, vt dicitur in 2. Paral. [e] cum tamen adesset Amasias filius eius & successor, ad quem id dedecus redundabat. *Sepultus est*, inquit Iosephus, *Hierosolymis, nec tamen propter impietatem dignus habitus, qui regiis monumentis inferretur, cum vixisset annis* 47. At num eo honore dignior Roboam, Abia, aut pater eius Ochosias, qui omnes in Dei legitimo cultu deliquisse traduntur? nec tamen illo honore caruerunt. De solo Ioramo Ochosiæ patre, & Iosaphati filio legimus, [f] eum quidem in ciuitate Dauidis sepultum, non tamen illatum in sepulchrum regum. Existimo in danda, aut neganda regum sepultura, non fuisse habitam rationem pietatis, sed potius dispositionis cadaueris. Quia enim Ioramus mortuus fuerat in infirmitate pessima, & totus tabe diffluebat, modico apparatu, in capsa aliqua humatus est; & funebri pompa caruit, sine qua non inferebantur corpora regum sepulchris. Ideo de Ioramo legimus, *Et non fecit ei populus secundum morem combustionis, exequias, sicut fecerat maioribus eius.* Idem de Ioas, qui aliquot annos, ex vulneribus acceptis languerat, & etiam tum languebat, cum occisus est, dicendum videtur; cuius dum solennes exequiæ differuntur, contigit vt prætermitterentur. Vt aliis quoque principibus viris sæpe accidit.

f 2. Paral. 21. 20.

Cur caruit regia sepultura.

VII. Varia fortuna Ioas.

VIXIT itaque Ioas rex Iuda admodum varia fortuna conflictatus, à prima infantia, ad vltimum regni, & vitæ diem: Vir in quem, vtramq; in partem, diuina prouidentia multiplex eluxit. Fœlix, qui anniculus raptus ab amita, è mediis fratrum cædibus, quasi torris ex incendio, regni candidatus & heres seruatur ad regnum. Infelix qui aditum ad regnum inuenire non potuit, nisi via ipsi per cædem impiæ auiæ patefacta. Felix, qui in protectione Dei cœli, in sancti templi domicilio, in amantissimi, religiosissimique pontificis manibus, ac sinu commoratus est: infelix qui furtim, in dubio lumine, in perpetuo quasi carcere, perpetuóque vitæ discrimine septennium transegit. Felix, Ioiadæ pontificis alumnus, discipulus, filius, oculis ipsis, ac vita dilectior; infelix ac longe ingratissimus, qui in necem Zachariæ tanti pontificis filij, prophetæ, sacerdotis, & quod caput est, innocentis, atque adeo bene de ipso, ac toto populo merentis, potuit consentire.

VIII. *Multis rebus felix.* FELIX, qui in solio Dauidis, in regno Domini, ipsos 40. annos sedit, diuitiarum copia florens, & infinita subditorum multitudine circumseptus, & altissima pace perfruens, dum Dominum sancte coluit, eumque illi Ioiadas propitium reddidit. Infelix, qui non exiguam annorum istorum partem vidit variis calamitatibus dilaceratam. Cum ei Syrus vrbes eriperet, thesauros regios, sacrosque extorqueret, & insuper vectigal imponeret. Qui mœnibus atque portis inclusus, formidine pallidus, conscientia reus, Hazaelem vidit in ianuis victoria superbum, Iudæorum spoliis onustum impunè fulminantem, & ferrum flammamque regiæ ciuitati minitantem. Infelix, qui iterum bello lacessitus ad prælium progredi ausus, ignominiose funditur, ac fugatur à paucis, numerosum exercitum, cunctosque populi principes amittit: ipséque propria contumelia, & ignominiosis nobilitatus plagis, aliquot in magnis languoribus exegit annos, qui languidior fuerat, atque fractior in resistendo, frangendisque sacrilegis suorum optimatum desideriis.

IX. *Multis quoque infelix.* FELIX qui templum Dei, in quo seruatus est, studiosissime instaurauit, quique multa donaria obtulit, ac consecrauit Deo. Infelix qui in contumeliam domus Dei, idolorum fana, cultumque restaurari passus est: quique & sua, & maiorum suorum sacra anathemata Deo eripere coactus est, vt ea traderet Syris, dæmonum sacrilego cultu profananda. Et qui plurimam à populo suo pecuniam collegit Deo, eius bonam partem, aliamque maiorem refudit Syro. Infelix qui Dei cultum promouet, & Baalis, Idololatriam exterminat, & fouet, Dei sacerdotes interficit, & colit. Sed nimium denique felix, qui in hac vita castigantem Dei sui manum agnoscit ac perfert, vt in æternum parcat, qui Benedictum Domini Ioiadam in Abrahæ sinu, nihil iniustissima filij nece exacerbatum, patronum habere perrexit, & oratorem apud misericordem Deum, vt post huius vitæ diuturna verbera & languores, & luctuosissimam cædem, & regiæ sepulturæ priuationem, in sinu Abrahæ diuinam reciperet benedictionem. Nam orco destinati, & grauibus onusti criminibus, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

X. *Res Israëlis.* QVOD attinet ad regnum Israël, mutato rege Syriæ, regnabat enim hoc tempore Benadad filius Hazaëlis, nihil admodum mutatum est in regno Israëlis, hoc initio Ioas, perseuerante nonnulla malacia. Huius autem Ioasi Israëlitæ secundus annus, qui in vltimum Ioasi Iudæi cadit, etiam maxima ex parte in primum Amasiæ incurrit. Ideoq; in quarti Regum decimo quarto scriptum *Vers. 1.*
est, Amasiam regnare cœpisse anno secundo Ioas regis Israëlis.

*Pontificis obitus.* Hoc quoque tempore mortuus creditur Pedaia pontifex, Ioiadæ filius, Zachariæ frater primogenitus. Chronicum enim Hebræorum, quod hoc loco sequimur, iuxta ea quæ fusius primo pontificatus eius anno diximus, non vltra regnum Ioasi regis Iudæ summum eius sacerdotium extendit: quamuis neque huius, neque cuiusquam alterius pontificis annorum initium aut finem notet, quod in primis optandum fuit. Existimare autem non iniuria possumus Pedaiam pontificem, virum fuisse egregium, & innocentia vitæ commendabilem; Id suadet pater Ioiadas, & Zacharias frater quorum sanctitas immortali præconia sacrarum literarum, atque adeo Christi Domini meruit commendari. Certiora de eo dici non posse arbitror.

ANNVS MVNDI 3197. DILVVII 1541. QVINTÆ ÆTATIS 258. FVNDATI TEMPLI 175. AMASIÆ REGIS IVDÆ 1. IOAS REGIS ISRAELIS 3. SEDECHIÆ PONTIF. 1. ELISÆI PROPHETÆ 59. TROIAE EXCISÆ 327. OCRAZAPIS 24. IMPERII ASSYRIORVM 1266.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 856.



RIMVS annus Amasiæ, magna ex parte secundo, & tertio Ioasi regis Israëlis respondet. Secundo quidem, quia cum Amasias regnare cœpit, nondum euolutus erat annus secundus, ex quo Ioas sine patre regnare cœperat. Ideoque, vt dixi, sed dicendum est sæpius, ne prodigia loqui videamur, minus in sacra historia exercitatis: ideo, inquam, sacer historicus [a] affirmat anno secundo Ioas filij Ioachaz Amasiam regnare cœpisse. Respondet autem etiam magnæ parti tertij: quoniam nisi primus Amasiæ concurrat cum tertio Ioasi Israëlitæ, verum esse non poterit, quod 4. Regum, decimo quarto dicitur [b]; vixisse Amasiam, postquam mortuus est Ioas rex Israël, quindecim annis; quod requirit, vt sedecim anni istius Ioasi, tot enim regnauit, decimo quarto Amasiæ terminentur: & huic chronologiæ acquiescit Abulensis [c]. Ergo in secundo anno Ioas filij Ioachaz regis Israël regnauit Amasias filius Ioas regis Iuda. *Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset*, siue in cursu ij erant, siue absoluti, *viginti autem, & nouem annis regnauit in Ierusalem; nomen matris eius Ioadam de Ierusalem.*

[a] 4. Reg. 14. 1.
[b] vers. 17.
[c] qu. 3. in c. 14. 4. Reg.

I. *Ratio temporis Amasiæ.*

Novvm quoque pontificem defuncto Pedaiæ sufficimus, qui cum esset Ioiadæ primogenitus, potest etiam valde decrepitus decessisse: Nouum inquam pontificem, iuxta ea quæ paulo ante dicebamus [d], & fusius vigesimo nono regni Ioas regis Iudæ disputauimus, quæ huc transferre non conuenit. Addo autem hunc, quem Hebræorum, & Genebrardi Chronologia, & aliorum deinceps Sedechiam vocat, Sudeam admodum corrupto vocabulo à Iosepho [e] appellari. Chronicum autem illud, sic habet. *Amasias eius filius post patris obitum regnauit 29. annis. Pontificatum obtinebat Sedechias. Prophetiæ munus Amos Amasiæ frater, paterque Esaiæ propheta.* Vides nobilitari prophetiam his temporibus viris illustribus. Nam Zacharias filius Ioiadæ pontificis, cum rege Ioas affinitate propinqua coniunctus fuit. Vt enim alibi dixi [f], regis amita Zachariæ mater fuit. Nunc Amos Amasiæ regis dicitur frater. Vnde & Esaiam, & Oziam duorum fratrum filios, siue patrueles fratres esse oportet.

[d] an. præc. n. 10.
[e] l. 10. ant. c. 11.
[f] an. Ioas 36 n. 4.

II. *Sedechias pontifex.*

*Iosepho Sudeas.*

Hvivs Amasiæ regis initia admodum laudabilia fuerunt; sic enim ea Scriptura celebrat. [g] *Et fecit rectum coram Domino, veruntamen non vt Dauid pater eius.* Neque mirùm: ea enim laus vnius, & alterius, aut certè perpaucorum fuit. Vix 4. reperias, quos Dauidi similes Scriptura fateatur, Ezechiam [h], Iosiam [i], Asam [k], & Iosaphatum [l] filium eius. Nec tamen vult Scriptura, eos omni virtute, & laude Dauidi pares, sed longo proximos interuallo. Illi tamen omnes in vera fide, ac religione ad mortem vsque constantes fuere, quod de Amasia nostro dici non potest, vt sequentia demonstrabunt. Addit porro, quod considerandum videatur. *Iuxta omnia, quæ fecit Ioas pater suus, fecit, nisi hoc tantum, quod excelsa non abstulit.* Cum enim laudando Amasiam eum patri suo Ioas similem faciat, nec priora, aut posteriora eius tempora distinguat, vtique Ioam minime cultu idolorum deprauatum fuisse significat. Nisi forte placet eo comparationem referri, vt principia regis vtriusque laudabilia dicantur: extrema non item, vtroque, licet diuerso in genere, peccante.

[g] 4. Reg. 14 3.
[h] 4. Reg. 18 3.
[i] 4. Reg. 22 2.
[k] 3. Reg. 15. 11.
[l] 2. Par. 17. 3

III. *Initia Amasiæ laudabilia.*

IV. *Interficit patris percussores.*

Ad hæc initia regis Amasiæ pertinet supplicium sumptum de parricidis regis Ioas. Nam eodem loco mox subditur. [a] *Cũq. obtinuisset regnum, percussit seruos suos, qui interfecerant regem patrem suum.* Et alibi, [b] *Cumque roboratum sibi videret imperium*, optimatibus videlicet, ac populo sibi addicto, ne qua in illorum supplicio perturbatio in regno, vel motus turbulentus existeret, *iugulauit seruos, qui occiderant regem patrem suum: sed filios eorum non interfecit; sicut scriptum est in libro legis Moysi, vbi præcepit Dominus dicens: Non occidentur patres pro filiis, neque filij pro patribus suis, sed vnusquisque in suo peccato morietur.* Hinc quoque colligimus, vt supra dicebamus, hos regis percussores non fuisse fugitiuos quospiam sicarios, sed viros potentes, quorum familiæ Hierosolymis notæ essent, in quibus & liberi essent, qui pœnas possent pro nocentibus parentibus luere. Præceptum autem legis, quod Scriptura laudat, habetur in Deuteronomio [c], & apud Ezechielem prophetam [d]: quod de humano iudicio, non de diuino accipiendum esse tota Scriptura testatur: in qua nihil frequentius occurrit, quam Deum visitare peccata parentum in filios, vsque ad tertiam, & quartam generationem.

[a] 4. Re. 14. 5. [b] 2. Paral. 25. 3. [c] cap. 24. 16 [d] cap. 18. 20

ANNVS MVNDI 3198. DILVVII 1542. QVINTÆ ÆTATIS 259. TEMPLI FVNDATI 176. AMASIÆ REGIS IVDÆ 2. IOAS REGIS ISRAELIS 4. SEDECHIÆ PONTIFICIS 2. ELISÆI PROPHETÆ 60. TROIÆ EXCISÆ 328. OCRAZAPIS 25. IMPERII ASSYRIORVM 1267.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 855.

I. *Ratio temporis circa mortem Elisæi.*

SECVNDVM annum Amasiæ, & quartum regni Ioas, Elisæi prophetæ morte insignem putat Torniellus; quæ illum ratio moueat non sane intelligo, nisi forte Ieroboami in regnum assumptio, de qua sequenti anno dicetur. Eam mortem nos, Chronicum Hebræorum secuti, in sextum ab hinc annum differemus. Nam Eusebius multum abest à probabilitate, cum eum mortuum refert, vel 25. anno Ioas, vt habet Pontaci editio, vel 32. vt est in græca, & latina Scaligeri. Nam ex Scriptura constat eum ad regnum Ioas regis Israëlis, cui tres de Syris victorias prædixit, [e] peruenisse. Prior eius assertio à vero, vt putamus anno 23. annis distat, posterior sedecim. Nec recte dici potest eum 40. annis prophetasse: Nam hic annus ab Eliæ raptu, à quo Elisæi prophetia inchoatur, est iam sexagesimus. Sed de his hoc loco satis.

[e] 4. Reg. 13 v. 19.

II. *Status vtriusque regni.*

Hoc interim anno, & aliquot sequentibus, & præcedentibus, vt iam monuimus, vtrumque regnum Hebræorum à crudeli Syrorum vexatione aliquantulum respirabat, viresque colligebat, quas primùm, in hostes quisque suos, exererent: deinde etiam, Deo peccata ipsorum vindicante, in semetipsos. Vsque adeo verum est regna florere pietate, & impietate pessumdari.



ANNVS MVNDI 3199. DILVVII 1543. QVINTAE ÆTATIS 260. FVNDATI TEMPLI 177. AMASIÆ REGIS IVDÆ 3. IOAS REGIS ISRAELIS 5. SEDECHIÆ PONT. 3. ELISÆI PROPHETÆ 61. TROIÆ EXCISÆ 319. OCRAZAPIS 26. IMPERII ASSYRIORVM 1268.

ANNVS ANTE CHRISTVM 854.



SABBATICVS est hic annus, ordine octauus supra octôgesimum; quem, in his Amasiæ regni principiis, bene ac religiose obseruatum par est credere. Cæterum cum Amasias annos viginti nouem regnauerit, vt habetur 4. Reg. 14. [a] Primus autem annus Oziæ, siue Azariæ filij eius incidat in vigesimum septimum Ieroboami, filij Ioas, qui nunc in Samaria regnabat, vt dicitur cap. 15. 4. Reg. necesse est Ieroboamum hoc anno cum patre regnare cœpisse, cumque eo duodecim annis, solum autem, viuente, ac regnante adhuc Amasia, quindecim. Poterit tamen hoc initium viginti septem annorum differri in annum sequentem, qui est Amasiæ quartus, sicque vigesimus septimus erit primus Oziæ, & Ieroboam regnarit cum patre annis vndecim. Quæ ratio conciliandi diuersa Scripturæ loca, longe commodior est, atque expeditior, quam ea quæ in regno Iudæ inserit duodecim, vel tredecim annorum interregnum, inter Amasiæ mortem, & regnum Oziæ filii eius, vt vult Ribera: aut quæ duo initia dat Oziæ, & tutelam interiicit, vt visum est Gordono [b]. Illam autem expositionem Caietanus Torniello probauit, & mihi. Sed hac de re alio iterum [c] loco dicendum erit.

Margin notes: I. *Annus Sabbaticus* 88. — a 4. Reg. 14. 1. — *Ioas assumit filium regni socium, annis 11. vel 12.* — b ca. 11. qq. chron. — c in 4. Reg 15.



ANNVS MVNDI 3204. DILVVII 1548. QVINTAE ÆTATIS 265. TEMPLI FVND. 182. AMASIÆ REGIS IVDÆ 8. IOAS REGIS ISRAELIS 10. SEDECHIÆ PONTIFIC. 8. ELISÆI PROPHETÆ 66. & VLT. TROIÆ EXCISÆ 334. OCRAZAPIS 31. IMPERII ASSYRIORVM 1273.

ANNVS ANTE CHRISTVM 849.



ADEST annus migrationis Elisæi, primarij Eliæ discipuli, & successoris, quæ nô minore, nec minus tûc raro, miraculo nobilitata est, quam transitus magni Eliæ; à quo hic sexagesimus sextus numeratur annus: quandoquidem illum ipsum annum Elisæi primum numerare cœpimus, & ducta per singulos annos expansos chronologia, ad prædictum numerum delapsi sumus. Porro chronologia Hebræorum in hunc annum coniicit huius prophetæ mortem, & aduentum regis Ioas ad eum visitandum in ægritudine sua, & reliqua, quæ cum eius morte coniuncta sunt. Sic enim ibi scribunt Hebræi. [d] *Elisæus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Descenditque ad eum Ioas rex Israel, & flebat coram eo, anno nimirum regni sui decimo; ex quo colligis quot annis Elisæus pa-*

Margin notes: I. *Obitus Elisæi.* — *Ratio temporis.* — d c. 19 Seder.

*uerit Israelem, nempe ab anno 19. Iosaphat, ad hoc vsque tempus, per annos plus sexaginta.* Hæc ibi. Nimirum 66. qui ex 7. Iosaphati, 5. Iorami, 6. Athaliæ, 40. Ioas, 8. Amasiæ conficiuntur. Ex quo sequitur Eusebij sententiam, de periodo prophetiæ Elisæi, 26 annis fuisse diminutam. His annis, si adieceris annos 12. quibus cum Elia versatus est, ab anno videlicet Iosaphati 7. ad 19. & 30. circiter annos, quos natus erat, cum ab Elia vocatus est, vt qui in 12. iugis boum arantibus, ipse vnus erat, centum & octo annos vixerit, Abul. minime repugnāte [a]. Verum huic numero facile patiar octo annos auferri; nam 22. anni illi muneri facile pares esse possunt, vt docet experientia. [1]

7. 5. 6. 40. 8. — 66. 12. 10 — 108

*Morientis ætas.*

[a] post q. 6. in c. 13.

[1] ex.

II. *Elisæi infirmitas in Samaria.*

Svb annum ergo decimum regni Ioas regis Israëlis, *Elisæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est.* Textus hebræus, græcus, & chaldæus, significant Elisæum obnoxium fuisse cuipiam infirmitati, qua crebro afflictaretur. Habent enim, *ægrotauit Elisæus morbo*, siue *ægrotatione sua, qua & mortuus est: descenditque ad eum Ioas rex Israel.* Non traditur vbi ægrotauerit propheta, neque vnde descenderit rex. Arbitror vtrumque fuisse in Samaria, & regem ex arce, & palatio suo, in domum prophetæ, quam habuit in Samaria [b], officij causa descendisse. Ex quo intelligitur, prophetam magno in pretio apud regem fuisse: etsi is ritu patrio idola vitulina coleret. Credibile autem est sicut Herodem audito Ioanne, ita & reges Israëlitarum, (sex autem regum tempore prophetauit, Achabi, Ochosiæ, Iorami, Iehu, Ioachaz, Ioas,) eo audito multa fecisse, multaque eum mala consilio, & authoritate sua, auertisse. Quæ videtur fuisse causa, cur Israëlitarum regnum non desereret, neque Hierosolymam se conferret. Erant quoque in Israële plerique viri pij Deum colentes, sicut & temporibus Eliæ, quos omnes, maximéque religiosæ vitæ professores, piis adhortationibus in Dei timore, ac veneratione, & idolorum fuga, atque execratione sustentabat.

[b] 4. Reg. 6. 32.

*Regi honoratus propheta.*

III. *Rex ægrum inuisit, & luget moribundum.*

Descendit *ergo ad Elisæum Ioas rex Israel, & flebat coram eo* [c]; Ecce quomodo diligebat eum; sed regni quoque sui iacturam flebat. Eum enim virum quem plurimum apud Deum gratia valere non dubitabat, credebat sibi esse in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum contra inimicos suos. Ideoque dicebat cum lacrymis: *Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius*, subintellige, quare deseris nos? Chaldæus, *Magister mi, magister mi, melior ipsi Israel in oratione sua curribus & equitibus.* Iosephus, *Flere cœpit, & lamentari, patrem, & clypeum appellitans, quod eo viuo armis contra hostes opus non fuerit, sed ipsius prædictionum beneficio, semper inuicti euaserint.* Hæc sine dubio non dixit Ioas, neque dicere potuit, nisi mentiendo. Quomodo enim inuicti Israëlitæ viuo Elisæo, cum eodem tempore omnem regionem trans Iordanem eis eripuerit Hazaël [d]? & hoc ipso capite scriptum sit [e], Ioachazo relictos fuisse duntaxat quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: in eo scilicet populo, in quo Ieroboam octingenta millia electorum virorum armauerat aduersus Abiam [f]: qui nunc factus erat armis Syrorum, *instar pulueris in triturа areæ.*

[c] 4. Reg. 13. 14.

[d] 4. Reg. 10. 32. 33.

[e] c. 13. 7.

[f] 2 Par. 13. 3.

IV. *Quem propheta consolatur.*

Allvdit autem Iosephus ad historiam, quæ quarti Regum sexto scripta est, vbi habetur Elisæum sæpius patefecisse regi Israëlis Syrorum insidias, eosque etiam in Samariam deduxisse. Addit Iosephus regem apud prophetam deplorasse, illum è vita discedere; se vero exarmatos Syris, & aliis hostibus obiici. Quamobrem adempto tali præsidio, sibi quoque optabilius, vna cum illo, hanc vitam relinquere. Elisæus contra iubet eum bene sperare, rerum enim conuersionem magnam breui affore: imminere siquidem tempus illud, iam iamque adesse, quo Israëlitarum manu Syri vicissim affligantur, ac deterantur. Non frustra orasse Dominum patrem eius, non frustra eius oculis afflictissimum regni statum exposuisse, ideoque suscitasse illis Saluatorem. At ille, quem Saluatorem dicis pater, quem istorum mirabilium patratorem? Teipsum, inquit, ac Ieroboamum filium tuum, si modo inducatis animum illum Dominum exercituum venerari, illum vnum colere victoriarum largitorem Deum, repudiatis inanium deorum simulachris, quæ timida inuexit ambitio, blanda voluptas fouit, perniciosa consuetudo retinuit.

V. *Et factis contra Syros, verbisque vaticinatur.*

ET ne tibi in ventum loqui videmur, & verba ægri, & delyrantis senis profundere, *Affer arcum, & sagittas.* Cumque attulisset ad eum arcum, & sagittas, dixit ad regem Israël, *pone manum tuam super arcum*, sinistram scilicet, vt solent, qui iaculari volunt, dextera ad chordam, & telum reducta. Qua ceremonia reddebat attentos omnes qui aderant, vt qui non intelligerent quid moliretur senex; qui simul cupiebat prophetiam magis imprimi eorum mentibus, cum ad verba prophetica, etiam signa accessissent [a]. Et rei enunciandæ magnitudo requirebat, vt vtraque iungerentur: quod sæpe factitatum legimus à prophetis. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis, vt is intelligeret Deum, qui ore prophetæ liberationem Israëlis de Syrorum tyrannide prædicebat, etiam applicatione manuum prophetæ, qui eius vices gerebat, ostendere, se eiusdem libertatis effectorem, ac molitorem fore, eorumque sagittas, propriis quodammodo manibus directurum, & robur, ne fatigarentur præbiturum; vt impleretur illud Mosis [b]: *Et postquam afflixit, ac probauit te, ad extremum misertus est tui, ne diceres in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præstiterunt. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum, super quo iurauit patribus tuis.* Denique voluit ea ceremonia propheta regem, populumque eius intelligere, eorum arma à se propriarum manuum applicatione benedici, ad maiorem à Deo, qui sanctis suis gratificari cupit, efficacitatem impetrandam.

a vide Abu. q.10. in c.13 4 Regum Theod. qu. 11 Procop. in c.13.

b Deut. 8. 16.17.

VI. *Sagitta in Syros mittitur.*

ET *ait* propheta cuipiam circunstantium: nam regis manus impeditæ erant; *Aperi fenestram orientalem*; ea non tam respiciebat Syriam, quæ Hebræis est ad aquilonem, quam Israëlitarum regionem orientalem trans Iordanem, quæ tum à Syris occupabatur, & recuperanda erat. *Cumque aperuisset, dixit Elisæus* regi, *iace sagittã, & iecit, & ait Elisæus; Sagitta salutis Domini, & sagitta salutis cõtra Syriam.* Index videlicet est hæc sagitta salutis à Domino de manu Syrorũ obtinendæ [c]. Quanquam Syria late sumpta etiam Ammonitas, & Moabitas, & vniuersam Chananitidem comprehendit. *Percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam*; nimirum nisi per te steterit, vt stetit reuera per eum, quod sæpius iaculo terram non percusserit, vt mox dicetur. Locus quoque Aphec boni ominis erat: ibi enim Achab vna die centum millia Syrorum deleuerat [d]: præter 27. millia, quæ in eadem vrbe murorum ruina oppressi fuerant.

c vide sup. Iosaphat. a. 19. n. 10.

d 4. Reg. 20 26. 29. 30.

VII. *Et terra percutitur.*

QVONIAM vero inquirere potuit rex, vnóne prælio, an pluribus, Syros superaturus esset, ait ei propheta: *Tolle sagittas; Qui cum tulisset, rursum dixit ei, percute iaculo terram*, siue vno, siue toto sagittarum fasciculo: id enim in hebræo, græco, chaldæo distinctius expressum non est; & videlicet innuebat, vt sæpius percuteret, alioqui potuisset semel duntaxat percutere. *Et cum percussisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum.* Hanc iram tristitiam interpretati sunt Septuaginta. Doluit enim propheta præter mentem suam, ac desideriũ videndæ perfectæ vltionis de Syris contigisse, non sexies, aut septies, sed ter tantum, iuxta numerum percussionum, Syriam clade afficiendam esse. Potuit quoque vera esse ira contra regem, qui ex modo agendi, loquendique prophetæ intelligere potuit, pluribus ictibus terram fuisse feriendam. Verum neque Dominus definiri voluit ab Elisæo quot ictibus rex terram percussurus erat, neque regem mouere, vt sæpius terram feriret, qui tres tantum victorias de Syris reportari voluerat ab hoc principe, cæteris eius filio reseruatis. Quod tamen ter tantum Ioas terram percusserit, Tostatus tribuit eius peccatis [e].

e q. 17. in c. 13. 4. Reg.

VIII. *Qui Dominus casui victorias committat.*

LVDVM hunc dixerit aliquis, sed nimium serium, in quo res tanta casui, aut fortunæ committitur. Verum Dominus qui immerentibus hasce victorias gratis dabat, potuit eas ad quem libuit casum, circunstantiam, conditionem alligare. Sic victoriam Iosue modo ad extensionem manuum Mosis applicuit [f], modo ad eleuationem clypei [g]. Sic Dei inspiratione Elias conditionem dedit Elisæo, sub qua acciperet spiritum duplicem magistri sui [h]. Sic, & hoc loco Elisæus ad Ioas, *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem*, vt plane viribus fracta resistere non posset, sed subacta penitus Israëlitis, pro vestro arbitratu seruiret, *nunc autem tribus vicibus percuties eã.*

f Exod. 17. 11.

g Iosue 8. 18 19. 26.

h 4. Reg. 2. 9.

Illud percute iaculo terram, quidam interpretantur iaculare contra terram Syriæ, emitte sagittas aduersus eam. In iis Theodoretus [a], & Procopius eum secutus. *Non tantum*, inquit, *credebant nudis sermonibus, quantum prædictionibus, quæ per opera edebantur. Existimans autem sua sponte complures sagittas emissurum, prima emissa dixit, sagitta salutis, &c. Postquam autem tres solum emisit, dolore affectus est, eo quod tertio prospero quidem successu destituendus esset Syrus, non tamen omnino exscindendus.*

[a] q. 41. in 4.

*an plures sagittæ à Ioas emissæ.*

IX. *Ex Ioseph.*

Vterque Iosephū secutus est, textu eis minime fauente; qui eiaculationem primam cum terræ percussione commiscuit, ait enim. *His querimoniis motus Elisæus, regem consolatus, afferri arcum postulat, eumque regem iubet intendere. Deinde iniecta in eum manu iubet iaculari. Et cum emissis tribus telis destitisset: Si inquit, plura misisses, poteras totum Syrorum regnum exscindere. Nunc quia tribus solis contentus fuisti, totidem præliis vinces Syros, & regionem, quam tuo patri ademerunt, recipies.* Hoc postremum addidit prædictioni ex euentu secuto. Nam paulo post, ita legimus. *Porro Ioas filius Ioachaz tulit vrbes de manu Benadad filij Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris sui iure prælij.* Hæc prælia, quæ hic significantur, prætermissa sunt, nec suo loco narrata. Res enim quæ ad profanum Israëlitarum regnum spectant, non nisi obiter à Scriptura attinguntur, nisi coniuncta fuerint cum rebus, quæ ad regnū Iudæ pertinent. Itaque prælio dimicatum est inter Ioachas, & Hazaëlem, siue Benadadum filium eius, victusque Ioachaz ciuitates aliquot amisit, quas post ea recepit filius eius.

X. *Morienti adfuisse viri religiosi.*

Rationi quoque cōsentaneum est Elisæo morienti affuisse plerosque viros religiosos, tam Carmeli, quam aliorum locorum cultores, quos ipse tot annis excoluerat, quibusque Dominus non leue incrementum dederat. Nam Achabi filius Ioramus eum appellabat patrem [b], & mox [c]. Extincta Achabi familia, Iehu, etsi in extinguendo vitulorum cultu parum animosus fuit, verum tamen Deum, à quo regnum acceperat, & agnouit, & coluit; ideoque in eius cultores minime seuerus fuit; placidus potius, ac mitis, vt qui Ionadab filium Rechab valde religiosum dilexerit, in currum suum leuarit, testem zeli sui pro Domino esse voluerit. Minimeque dubium est ab eo dilectum, atque honoratum Elisæum, omnesque illius discipulos, à quorum vno, illius iussu in regnum fuerat inauguratus [d]. Ioachaz quoque etsi funestos illos vitulos retinuit, Deū tamen non contempsit, sed coluit quoque, & eius opem implorauit, atque obtinuit; quis dubitet quin Elisæo, qui in magna erat opinione sanctitatis, anni tente? Illum secutus est Ioas, qui Elisæum patris instar veneratus est, & à quo certissimum oraculum, de victoriis contra Syros obtinendis, accepit. His ergo in Samaria regnantibus, facile toto regno Eliæ discipuli multiplicati sunt, & hoc tempore illud inter sese vsurpabant: Nescis, quia hodie Dominus tollet patrem nostrum à nobis.

[b] 4. Reg. 6. 21.
[c] 4. Re. 10. 15.
*In eos reges Israelis non seueri.*
[d] c. 9. 1.

XI. *Qui adfuisse videantur.*

Morienti affuit Ionadab ille Rechabita, si tamen adhuc in viuis fuit, quem factum Elisæi discipulum, totiusque instituti sectatorem, vna cum filiis suis, posterisque omnibus, autor est Ioannes Patriarcha, in libro suo, De institutione Monachorum [e]: vno tamen excepto coniugio. Affuerit & Amos propheta, regis Amasiæ frater, & pater Esaiæ; vt tradunt Hebræi in chronico suo, viditque sæpius prophetarum coryphæum toto regno celeberrimum, & prodigiis atque oraculis vehementer nobilitatum; & abeuntem ad Dominum debito honore prosecutus est. Idemque de Iona, quem certum est hoc tempore floruisse, dicendum videtur, & de Sedechia pontifice, quamuis in regno Iudæ commorante. Ecquis enim piorum, qui aliquo numero esset, non magni beneficij loco acceperit, sancti senis è viuis abeuntis consequi benedictionem, & eius ex ore veridico monita salutis postremum audire; vtique qualia olim Elias abiturus ab hominibus, tradiderat suis; quibus adumbrandis nihil est necesse nos hoc loco iterum operam ponere. An autem communem aliquem patrem suo loco præposuerit, qui omnibus religiosæ vitæ professoribus præesset, affirmare non possum. Non defuisse saltem singulis locis aliquem virum sapientem, qui familiam regeret, merito credi potest.

[e] c. 25.

XII. *Quādo mortuus, & vbi sepultus.*

Mortuus *est ergo Elisæus*, ait Scriptura [f], *& sepelierunt eum*, vtique in Samaria, aut agro eius suburbano, vt ex sequentibus colligi potest. Apparet enim ibi

[f] 4. Reg. 13. 20.

mortuum

mortuum, & sepultum, vbi postrema ægritudine affectus est. De loco, ac tempore mortis huius, extat testimonium Romani martyrologij, decimo quarto Iunij in hæc verba. *Samariæ in Palæstina sancti Elisæi prophetæ, cuius sepulchrum dæmones perhorrescere, S. Hieronymus scribit.* Hæc ibi. Quæ ille scripsit epist. 27. quæ est epitaphium S. Paulæ. Et initio comment. in Abdiam ait sepulchrum eius vsque hodie cum Mausolæo Elisæi prophetæ, vt Baptistæ Ioannis in Sebastea venerationi haberi. Epiphanius quoque in eius vita, Sebastæ, quæ est Samaria, carnis soluto debito, supremo honore sepulturæ affectum dicit. Idem habet Beda in suo Martyrologio [a]. Eius sepulchrum, ait Isidorus, l. de vita & morte Sanctorum, vsq. hodie in Sebastea ciuitate ostenditur, honore satis dignũ, & digna habitũ veneratione. Sepultum quoq. in Samaria scribit Dorotheus in eiusdem argumẽti libro. Adrichomius vult in Carmelo sepultum, & translatũ in Samariam. At Abulensis [b] in patrio sepulchro cõditum putat, vt Samuelẽ, reliquosq prophetas; adeo vt vni eorum in pœnã datum fuerit, vt patria sepultura careret. [c]

*In Samaria.*

a 18. Cal. Iulij. b q 17. in c 13. 4. Reg. c 3. Reg. 13. 22.

XIII. *Non in patria.*

IDONEA vtique esset Tostati coniectura, nisi, tot testibus egregiè consentientibus, locus sepulturæ eius stabilitus esset: quem tamen Iosephus [d], aut ignorasse videtur, aut sine causa dissimulasse. *His auditis*, inquit, *rex abiit, & propheta paulo post defunctus est, vir inclyta iustitia, & citra controuersiam Deo longe charissimus. Multa enim, & miranda diuinæ mentis argumenta exhibuit, quorum memoria apud Hebræos durat clarissima. Sepulchro etiam honoratus est magnifico, quale decuit hominem numini diuino acceptissimum.* Sic Iosephus, ideoque Hieron. sepulchrum eius vocauit Mausolæũ. Nec minore affectũ honore sepulturæ existimat Abulensis Elisæum quam Samuelem, ad cuius funus honorandum legimus vniuersum Israëlem fuisse congregatum, [e] eumque planxisse. Neque minus de toto populo bene meritum rex ipse significauit, qui eum lachrymis prosecutus, etiam patrem suum, totiusque populi patronum, ac protectorem appellauit; cuius precibus deberetur quidquid boni adesset Israëlitis, & quidquid abesset mali: à quo vno in spem meliorum tẽporum, certamq. fiduciam diuino oraculo essent excitati.

d l 9. c. 9.

*Publico luctu.*

e 1. Reg. 25. 1.

XIV. *Miraculorum.*

VIR vtique fuit Deo acceptissimus, quem tot prodigiis redditum illustrem plurimum apud se gratia valere testatus est. Quæ ille inusitata quadam apud Deum fiducia, non tam orando, quam imperando exercebat, & quidem tanta copia, tamque multiplicia, vt à temporibus Mosis nemo in Scriptura veteri par ei referatur; vt illud de eo quoq; rectè vsurpari possit, *Non est inuentus similis illi*, & *potentia nemo vicit illum.* [f] & iure illius figura dici possit, qui dicebat. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Elisæus quamuis magnus, sese ad mensuram paruuli accommodat, vt mortuum excitet ad vitam. Deus immensus per incarnationem sese infantilibus membris attemperat, vt mundo peccatis mortuo restituat vitam. Neque excitat per seruos suos Prophetas mortuum humanum genus, sed per seipsum, mulieris sanctissimæ precibus exoratus, quæ diuino miraculo concipit, & quamuis sterilis, vtpote virgo, facta tamen est mater. Elisæus de paucis panibus hordeaceis [g] in fame magnum hominum numerum pauit, qui comederunt, & superfuit. Christus de quinque panibus hordeaceis in deserto quinque millia virorum pauit, & satiauit affatim, adeo vt residui fuerint duodecim cophini fragmentorum. [h]

f Eccli. 48. 13.

*Typus Christi in suscitato mortuo.*

g 4. Reg. 4. 42.

*Multiplicandis panibus.*

h Ioan. 6.

XV. *Prodigiis circa aquas.*

ELISÆVS aperto Iordane sicco vestigio per medium eius transiuit. Christus sicco vestigio ambulauit supra mare, tanquam super solidam terram. Ille sustulit aquæ fluiditatem, Christus proprio corpori grauitatem. Elisæus in vnda Iordanis baptizatum principem Syriæ, à lepra mandatum, ad veri Dei cultum conuertit. Christus in Iordane baptizatus potestatem aquæ tribuit lepram peccati originalis emundandi, & discipulis suis gratiam nationes omnes ad Deum conuertendi. *Dedit* quippe *potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius.* Elisæus patefaciebat occulta consilia insidiatorum Syriæ, & Giezi famuli sui. Christus manifesta reddebat ipsa consilia cordium, cum diceret [i]. *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Multiplicauit oleum Elisæus, Christus multiplicauit etiam pisces; ille sanauit aquas, hic reddidit salutares. Propheta ordinem naturæ inuertit, lignum eius voluntate demergitur, ferrum natat: farina tollit colocyntidarum amaritudinem,

*Patefaciendis occultis.*

i Matth. 9. 4.

sal, sterilitatem aquarum. Christus luto visum cæco restituit, quo potuit videns excœcari, aquam vertit in vinum, panem & vinum in corpus & sanguinem suum.

XVI. *Aliisque miraculis.* ELISÆVS Syros percutit cæcitate, famulo autem suo aperit oculos, vt videret, quæ videre non poterat. Christus plurimis cæcis restituit visum: Et insuper, *Ego*, inquit, *in iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & videntes cæci fiant* [a]. Excæcati sunt Pharisæi, illuminati sunt publicani, & peccatores, vt cognoscerent, & amplecterentur diuina mysteria. Elisæus videndum se præbuit, & non agnoscendum Syris de se loquentibus in via Samariæ. Christus videndum se præbuit discipulis euntibus in Emaus, de ipso loquentibus; dubitantibus autem cognitionem negauit. Et vtrique ad cognitionem eius quem quærebant deueniunt, illi ante, isti post hospitale conuiuium. Elisæus & viuus, & mortuus mortuos reuocauit ad vitam; & moriens plus damni hostibus suis intulit, quam viuus; quippe quos tribus victoriis afflixit. Christus viuens tres mortuos suscitauit; & eo moriente multa corpora surrexerunt; & moriens de morte, mundo, & mundi principe triumphauit.

[a] Ioan. 9. f.

XVII. *In puniendo per reges populo.* ELISÆVS Hazaëlem, & Iehu vngit reges, in populi sui Israëlitici punitionem, & quidem tantam, vt hic, regibus duobus ferro sublatis, vniuersam familiam regiam excinderet, & ingenti zelo Baalis cultum, cultoresque sacrificulos, ac prophetas radicitus extirparet. Ille regionem late popularetur, ac populo eriperet, in eumque horrenda feritate baccharetur; quam præuidens propheta lachrymatus est. Christus supremam cladem, ac ruinam Hierosolymorum, atq. horribilem totius gentis interitum incenso, euersoque funditus Dei templo, antiquata lege, sublato sacerdotio, præuidit, prædixit, ac lamentabili oratione deplorauit. Et mox reges duos Titum, & Vespasianum suscitauit, in ciuitatis regiæ, totiusque regionis vastitatem, & reliquiarum gentis per totum terrarũ orbem dispersionem, seruitutem, & interitum corporum simul atque animorum. Et de Elisæo quidem hactenus: nam suscitatus ad eius sepulchrum mortuus, recte ad annum sequentem differri potest. Epitaphium tamen, quo tanti prophetæ funus, atque sepulchrum cohonestemus, vlterius differendum non est, quod sit quædam, vt in cæteris, eiusdem vitæ epitome.

## EPITAPHIVM ELISÆI.

XVIII. HIC SITVS EST MAGNI PRÆCEPTORIS, MAIOR, SI FAS EST DICERE, DISCIPVLVS ELISÆVS, QVI HVMILI LOCO IN ABELMEVLA NATVS, AB ARATRI TRACTATIONE AD NOBILEM ANIMORVM CVRAM, AD PROPHETÆ SCIENTIAM, AC DIGNITATEM, AD PRODIGIORVM EFFECTIONEM EVOCATVS, IMPIOS BELLIS, OBSIDIONIBVS, SEPTENNI FAME, CÆDIBVSQVE CASTIGAT: QVI FERAS AD LACERATIONEM PVERORVM IN VINDICTAM PARENTVM VOCAT, TVRPISQVE LVCRI CVPIDITATE SORDIDOS FOEDISSIMA, PERENNIQVE LEPRA CONTAMINAT. HIC EST QVI AD VNAM PROPHETÆ VOCVLAM, AVT PALLII INIECTIONEM AD DEI FAMVLATVM INCALVIT, ET PATRI MATRIQVE VALEDICENS, OMNIA, IN PROLVSIONEM EVANGELICÆ PAVPERTATIS, ABDICAVIT A SE, ATQVE CONTEMPSIT. HIC EST QVI RELIGIOSÆ PAVPERTATIS THESAVRO DIVES, EGENTES, OBÆRATASQVE VIDVAS, INOPES PROPHETARVM COHORTES, ADEOQVE COPIOSOS MILITVM EXERCITVS, DESERTIS IN LOCIS SITI ENECTOS DIVINA BENIGNI-

TATE LOCVPLETAT. QVI INNVMERABILIVM RELIGIOSORVM PARENS, ATQVE PROPAGATOR, EA SEMINA ANNIS PENE 80. IECIT, QVÆ SVPERVENIENS EVANGELII GRATIA EDVXIT, EXCOLVIT, ET AD DEBITAM MATVRITATEM PERDVXIT. QVI VT POPVLI SVI CLADES PRÆVIDIT, ATQVE PRÆLVXIT, ITA EIVSDEM SALVTEM, AC LIBERTATEM MORIENS FELICITER PARTVRIVIT. VIXITQVE AD ANNOS C. ATQVE EO AMPLIVS: IN RELIGIOSA DISCIPLINA XXC. SEX REGVM TEMPORIBVS, ACHABI, OCHOSIÆ, IORAMI, IEHV, IOACHAZ, IOAS. ANNIS SEX ET LX. PROPHETIAE MVNERE FVNCTVS; EOQVE VNA CVM VITA PERFVNCTVS EST, ANNO IOASI X. AMASIAE VIII. ANTE CHRISTI ORTVM DCCCXLIX. 2 — 2 ex.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3204. AMASIÆ 8.

1. N. I. CLEMENS Alexandrinus lib. 1. Strom. pa. 239. græc. lat. ait prophetare cœpisse, cum natus esset annos 40. quos videtur inchoare à raptu Eliæ. Cum enim dixisset: *Tempore autem Ioram* (initio scilicet regni eius) *assumptus est Elias*, statim subdit. Cœpit autem prophetare Elisæus filius Saphat sex annis, cum esset natus annos 40. quid *est hoc*, sex annis, in græco ἔτη ἕξ. Fidenter emendauerim, & recte opinor ξε, id est, sexaginta quinque, idque à nostra chronologia, & scripturæ ipsius proxime abest: quibus, si addes 40. prioris vitæ, fient centum & quinque. Rectissime autem quadrat cum nostra chronologia Cyrillus Alexand., qui libro primo contra Iulianum ait 268. anno ab euersione Ilij prophetasse Eliam, & Elisæum. Notat enim præcise annum, quo ille prophetare desiit, iste incepit. Nam ab illo anno quem citat, vsque ad præsentem, qui est excisæ Troiæ 334. omnino sex & sexaginta numerantur anni

2. N. XVIII. Varias opiniones de anno mortis Elisæi à regno Salomonis colligit Clemens Alexandrinus, pa. 239. græc. lat l. 1. Strom. *Colliguntur*, inquit, *anni à Salomone*, regnumne inchoante, vel finiente? *Vsque ad mortem Elisæi prophetæ*, vt nonnulli quidem dicunt, centum & quinque, vt alii autem centum & duo, vt proposita autem ostendit chronographia, à regno Salomonis anni 181. Verum à condito templo agitur annus centesimus octogesimus secundus, quibus addendi sunt tres anni, qui templi fundationem antecesserant 3 Reg. 6. 1. vnde cōsequens est, vt hic annus sit à Salomonis initio 185. conflatus ex 40 Salom. 17. Roboami, 3. Abiæ, 41. Asæ, 25. Iosaphati, 5. Iorami, seorsim à patre, 6. Athaliæ, 40. Ioas, & octo Amasiæ. Non rectissime ergo Capellus annum illum 181. probauit, ann. m. 3160. Quod si 185. annis auferas 40. Salomonis, habebis durationem regni Israëlitici ad hunc diem centum quadraginta quinque annorum.



ANNVS MVNDI 3205. DILVVII 1549. QVINTAE ÆTATIS 166. FVNDATI TEMPLI 183. AMASIÆ REGIS IVDÆ 9. IOAS REGIS ISRAELIS 11. SEDECHIÆ PONTIFICIS 9. TROIÆ EXCISÆ 335. OCRAZAPIS 32. IMPERII ASSYRIORVM 1274.

ANNVS ANTE CHRISTVM 848.

I. *Quando excitatus à mortuo mortuus.*



REFERIMVS in hunc annum miraculum suscitati mortui, ad sepulchrum Elisæi, & primum Israëlitarum contra Syros bellum, atque victoriam; & quidem, vt arbitror, non imprudenter. Fateor dubitari posse, ad præsentemne annum, an ad præcedentem id prodigium pertineat. Nam Scriptura [a]. *Latrunculi*, inquit, *de Moab venerunt in terram in ipso anno*: Quid est autem *in ipso anno*, quam eodem anno, quo mortuus est Elisæus? Ideoque Torniellus illud ad præcedentem annum retulit. Verùm in Hebræo habetur, *sequenti anno*, interprete Pagnino, vel *veniente anno*, vt vertunt Septuaginta, & Montan. Chaldæus, *in introitu anni*, alij, *ineunte*, aut *vertente anno*, Abulens. *in reditu anni*: qui addit Hebræos reditum anni intelligere principium veris, seu mensem Martium. Cum ergo omnia martyrologia mortem Elisæi in 14. Iunij referant, merito ad hunc annum ineuntem, istius mortui excitationem pertinere dicimus. Nec minus propterea res in ipso anno contigerit, id est, intra illius anni ambitum, quo mortuus est Elisæus, qui non nisi in medio Iunio terminatur.

a 4. Reg. 13. 10.

ἰὼν ἐνιαυτὸς.

II. *Occasio miraculi.*

OCCASIO huius miraculi ponitur excursio prædonum ex Moabitide, qui in terram Israëlitarum, militari manu facta, irruperant, vt prædas hominum vel pecudum agerent: Ideoque in Hebræo vocantur castra, vel agmina, aut copiæ militares; à Chaldæo, exercitus. A Septuaginta accincti, & expediti ad vim, & pugnam. Iosephus latrones vocat, sicut & vulgata, sed alio sensu, vt mox dicemus. Ex quo etiam intelligitur non solam Syriam, sed Moabitidem quoque infestam fuisse Israëlitis: memores quippe erant vastitatis sibi à Ioramo illatæ [b]: & dudum ruentes in interitum Israëlitas vehementius etiam vrgebant, & messe à Syris collecta, ipsi spicilegium faciebant. Contigit autem, vt quidam cadauer mortui hominis deferrent in sepulchrum: id enim significare voluit Scriptura sepeliendi verbo. Si enim in paratam iam fossam deponerent, aut illud congesta terra operirent, non erat cur aliud sepulchrum requirerent, vt quamprimum sese in fugam darent.

b 4. Reg. 3.

III. *Eiusque modus.*

CVM ergo iuxta sepulchrum Elisæi cum onere suo transirent, visa à longe militari turma, sarcinam illico deposuerunt, imo proiecerunt, vt Scriptura loquitur. Oportuit ergo viros istos celeriter reuoluisse lapidem, ab ostio monumenti, & in sepulchrum, in lapide fortassis excisum, in quo reliquiæ prophetæ iacebant, raptim proiecisse. Forte etiam apertum fuerat, à quibusdam sepulchrorum effossoribus, defossum simul aurum inquirentibus: magnificè enim sepultus dicitur, idque viri dignitas postulabat. Nec fuit obrutus humo Elisæus, sicut nec Christus Dominus, sed vnguento delibutus, & inuolutus pannis; deinde saxum ad ostium monumenti adhibitum, quo reuoluto cadauer recens attingere potuit antiquum. Hoc ergo cadauer, *Cum tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo, & stetit super pedes suos*. Eoque facto mirabili, atque ad eam diem inaudito Dominus prophetæ sui sanctitatem declarare voluit, si-

*Lipsanorũ veneratio.*

musque docere huiusmodi sanctorum lipsana merito ab hominibus esse veneranda; cum ea miraculorum effector Deus, gloriosis operibus, & naturæ vires longe superantibus, honoret, vt templa spiritus sancti, ad beatam immortalitatem destinata. Lipsanorū veneratio.

IV. NEQVE factis honorare contentus, etiam verbis ab alio Scriptore sancto celebrari voluit, [a] *Mortuum*, inquit Sapiens, *prophetauit corpus eius*, prodigium videlicet edidit magno propheta dignum, & qui *in vita sua fecit monstra*, etiam *in morte mirabilia operatus est*. Celebrat idem facinus Iosephus, [b] sed historicam narrationem, nonnihil de more deprauat. Ait enim: *Contigit autem aliquãdo, vt latrones occisi à se viatoris cadauer in monumentum eius abderent, quod mox reuixit à contactu prophetæ corporis*. Primùm enim peccat quod viros bonos, qui pietatis officio erga defunctum fungebantur, latrones vocat. Deinde quod ait latrones abdidisse corpus mortuum, cum funerantibus incusserint duntaxat metum. Tertiò, quod ait hos vespillones occidisse hominem, cum mortuũ tantum detulerint, nec aliud ex Scriptura probari possit, nec debuerit eos cædis reos, sine vllo fundamento, facere. Denique quod ait abdere voluisse, cum voluerint tantum se exonerare, ad expeditiorem fugam. Sed hoc vltimum peccatum interpretis est, græcè enim habetur, proiectum fuisse corpus, non abditum. Hinc autem Eusebium Emesenum, Iosephum secutum, corrigas; cuius est hæc oratio, homilia 2. de Pascha. *Hoc quoque Dominicæ Passionis præfigurabat insignia, quod legimus beatum Elisæum sepulchro conditum, ingesto à latrunculis cadauere, intra tumulum suum, corpus extincti tactu sacri corporis suscitasse. Quis hîc alius præfigurabatur, nisi Dominus noster Iesus Christus, qui resurrectionem de morte largitur, & vitam sepultus operatur.* Hæc ibi. Quæ nonnulli Eucherij Lugdunensis esse suspicantur: qui tamen alia omnia habet in comment. in 4. Reg. Scripturam enim sequitur, non Iosephum. Alij rectius eam orationem Maximi Taurinensis esse volunt.

Margin: a Eccli. 48. 14. b l. 9. c. 9. fi. ἀπέῤῥιψαν. — Non bene latus à Iosepho. 1. 2. 3. & Maximo Taur.

V. ISTI porro recens excitato mortuo, quid factum fuerit, inepti Hebræorum coniectores diuinare voluerunt. Nam, vt refert Abulensis [c], eum statim mortuum concidisse tradunt. Idem refert Eusebius Emesenus apud Torniellum [d], his verbis. *Sed, vt dicunt Hebræi, statim mortuus est, quia impius erat, & indignus qui iaceret cum viro Dei*. Alij dicunt illum post resurrectionem diutius vixisse, & Sellum fuisse vocatum. Quæ posterior opinio longe probabilior est: subita enim illa mors valde dubium miraculum reddidisset, causasque irritasset, ob quas Deus illud perpetrarat; atque ita sibi Deus ipse repugnaret, qui mortẽ inferret, quæ impediret fructum editi miraculi. Non enim hæc subita mors, nisi diuinitus illata fuisset. Quod si impius erat, quomodo tanto beneficio affectus est? Si pius, quomodo indignus prophetæ consortio? Si pius, quomodo tam cito vita priuatus est, quasi in flagranti scelere deprehensus? Si impius, quomodo non diutius vixit, vt alibi mori posset, & non subito concidens ibidem iacere, & veneranda Elisæi lipsana polluere cogeretur? Itaque Hebræi solemne illud suum retinent, vt in excogitando inepti sint, & in affirmando imprudentes.

Margin: c qu. 20. in c. 13. d a m. 3198. n. 4. — Hebræi statim mortuum putant. non rectè.

VI. QVONIAM vero Dominus cupiebat, vt Israëlitæ de postremo Elisæi vaticinio, quo Syrorum clades fuerant prænunciatæ, indubitatam retinerent fidem; etsi nusquam vlla spes affulgeret humanitus, qua id oraculum niti, ac probabile reddi posset. Ideo hoc nouo miraculo, tam regem, quam populum ipsum firmare voluit, ne is, vel decepisse, vel deceptus fuisse putaretur. Et vtrique malo prodigium hoc medebatur. Neque enim qui moriens regẽ, totumque populum induxisset in fraudem, & Deo falsa oracula affinxisset, etiam mortuus, tam illustre miraculum ederet: neque eius, qui mortuus fuisset in affirmando, temeritatem, Deus prodigij germanus effector, approbaret. Significat autem Scriptura voluisse Deum hoc miraculo confirmare Elisæi vaticinium, hoc ipso quod ait hoc miraculum, intra ipsum annum, quo mortuus est Elisæus, contigisse. Itaque vt res innotesceret, & miraculum, vt necesse erat, vulgaretur; voluit Dominus non deesse testes resurrectionis, qui regi, populoque tota de re fidem facerent. Alia causa excitati mortui.

VII. Rex animatur cõtra Syros. Ergo cum tam inſolens opus omnium ſermone percrebreſceret, facile ad aures regis ipſius delatum eſt: & forte ipſemet qui reuixerat regem adiit, vt miraculo faceret fidem. Quo rex Ioas, non ad ſtuporem tantum, ſed ad audaciam aduerſus Syros excitatus eſt: minimè dubitans prophetam in promiſſis ſuis veridicum fore; eamque excitationem à mortuis, pignus, & omen eſſe, regnum quam primùm è miſero ſtatu ad florentem, & beatum, quaſi à morte ad vitam eſſe reuocandum. Itaque haud dubiè populum conuocat, exponit quantas hactenus calamitates à Syris, ipſos iam quinquaginta annos, perpetiantur, ex quo Hazaël rex Syriæ factus eſt, totos ſcilicet ferme 28. annos Iehu, ſeptemdecim Ioachaz, & decem ſuos. Tum quid ſpei dederit, imo quid certo promiſerit Deo acceptiſſimns Eliſæus: qui nouo etiam miraculo animos torpeſcentes metu, & malorum conſuetudine, ad audendum impellat; cupere ſe eius præſidio nixum, eiuſque auſpiciis, Syros bello aggredi, & acerbiſſimum iugum dominationis excutere. Id Deum velle, id Eliſæum promiſiſſe, id optatis euentis confirmatum iri.

Mortvvs mortvvm svscitat.

VIII. Exsvscitatvs eſt, Deo id agente, & inueteratum timorem excutiente, omnium ordinum animus; congregatique ad bellum, contra Benadadum Hazaëlis filium, quicumque militare potuerunt, vt ne Iſraëlitæ tentantes Deum, quod in ipſis erat non feciſſe viderentur. Neque enim dixerat ſe, ipſis quieſcentibus victoriam de Syris daturum eſſe. Cum populo ſuo Ioas in pugnam contra Syros profectus eſt, relicto domi Ieroboamo, qui patris loco regnum adminiſtraret: & venerunt cum eo illi 50. equites [a], & decem currus, & decem millia peditum. Hoſtis mirari primo Iſraëlitarum temeritatem, qui Syros omnibus rebus ſuperiores non dubitent bello petere; & misereri potius imminentem eis perniciem, quam conatum formidare. Quid multa? Venitur in Aphec, caſtriſque poſitis tubæ perſtrepunt, concurritur, pugnatur. Funduntur ſuperbi Syri, fugantur, ſternuntur, mactanturque cateruatim. Iſraëlitæ victores campo, caſtriſque potiti, partem aliquam regionis ſuæ, ex qua hoſtem pepulerant, recuperarunt: beneque bonis initiis animati, frementium Syrorum arma in proximum annum præſtolantur.

[a] 4. Reg. 13. 7.



## ANNVS MVNDI 3206. DILVVII 1550. QVINTAE ÆTATIS 267. TEMPLI FVND. 184. AMASIÆ REGIS IVDÆ 10. IOAS, REGIS ISRAELIS 12. SEDECHIÆ PONTIFIC. 10. TROIÆ EXCISÆ 356. OCRAZAPIS 33. IMPERII ASSYRIORVM 1275.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 847.

I. Ratio temporis. Annus ſabbaticus. 89.



SABBATICVS annus nonus ſupra octogeſimum in præſentem annum cadit; eſt enim 613. ab ingreſſu in Chananitidem. Expanſos quoque annos reliquos recte pregredi, ex eo demõſtratur, quod anni mundi, & Chriſti aſcendunt perpetuo ad annos 4053. Diluuij quoque anni confirmant annos Aſſyriorum, ab iiſque viciſſim confirmantur. Nam ſi ad imperij Aſſyriorum periodum, addas 275. annos, qui à diluuio prætererant, cum illud imperium exortum eſt, inuenies 1550. annos, qui ſunt anni diluuij; à quibus aufer eoſdem 275. annos, incides in præſentem imperij Aſſyriorum annum. Vide quoque annos Troianæ cladis, quibus ſi addideris annos 19. Amaſiæ qui ſuperſunt, & Oſiæ 52. peruenias ad primum annum primæ Olympiadis, qui eſt 408. ab exciſa Troia, vt primo eius cladis anno diximus. Indeque ad annum vrbis conditæ, additis ſex Olympiadibus, peruenitur, qui eſt ab exciſa Troia 432. vt ibidem cum Dionyſio Halycarnaſſæo dictum eſt.

QVOD ad res contra Syros in Israële gestas attinet, magno sine dubio apparatu, magnisque animis hoc anno ab vtrisque pugnatum est, etsi rem Scriptura vix attigerit: [a] quod illa quæ cum regno Iudæ non cohærent, summa breuitate percurrat, aut transiliat potius. Magnos tamen animos, apparatumque regis vtriusque merito suspicamur. Nam Syros armatorum multitudo, auita gloria, & conscia virtus acuebant. Incendebat etiam pudor, & desiderium nuper acceptæ ignominiæ obliterandi. Israëlitas autem vice versa, certa victoriæ fiducia, diuina Elisæi promissione firmata, mirificè erigebat. Accedebat collectum à priore prælio robur corporum, atque animorum, cum dulcedine prædæ. Itaque secundo pugnatur, secundóque vincuntur Syri, grauiore vtique damno, maioréque ignominia. Senserunt Israëlitæ non habere se nunc aduersarium Deum, qui prius Syrorum manu Israëlitas conculcabat; qui nunc, ex singulari bonitate, & misericordia sua, propter preces Elisæi, & gemitum pauperum, eis Ioam suscitauerat Saluatorem. Habebant & desideria Elisæi, quamuis fato functi, fidem suam liberare cupientis, in bonum populi sui.

a 4. Reg. 13. 25.

II. Secundo pugnant Syri.

HVIVS porro effectus victoriæ fuit aliarum ciuitatum prius amissarum à Ioachaz receptio. Cum enim statuisset Deus non vno prælio, sed tribus restituere Israëlitas in eum statum, in quo viuo Iehu fuerant, iuxta illud. *Porro Ioas filius Ioachaz tulit vrbes de manu Benadad filij Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris sui*, &c. Filius ea tantum recepit, quæ amiserat pater; quæ autem amiserat Iehu, pronepos ipsius Ieroboam recuperauit, vt dicemus. Voluit quoque Dominus infestissimos Israëlitarum hostes humano potius more, quam prodigioso vincere, & paulatim Israëlitas iterum stabilire, vt non vnicum, sed triplex beneficium agnoscerent, & potentius ad repudianda idola, Deumque solum colendum, impellerentur. Et aduersarij hoc affligerentur magis, quo sæpius omnes conatus suos irritos animaduertissent. Interim ab Hierosolymis, & Iuda nihil noui. Amasias perstabat adhuc in officio: itaque neque annum sabbaticum neglexisse putandus est.

III. Et secundo vincuntur à Ioas.



ANNVS MVNDI 3207. DILVVII 1551. QVINTÆ ÆTATIS 268. TEMPLI FVNDATI 185. AMASIÆ REGIS IVDÆ II. IOAS REGIS ISRAELIS 13. SEDECHIÆ PONT. II. TROIÆ EXCISÆ 337. OCRAZAPIS 34. IMPERII ASSYRIORVM 1276.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 846.



NIHIL absurdi est in singulos annos, singula hæc Syrorum bella digerere, singulasque victorias Israëlitarum. Hunc enim fuisse Syrorum pugnandi morem ex 3. Regum vigesimo satis colligitur, vbi Benadad cum suis primo anno contra deos montium, altero contra deos vallium pugnauerunt. Perinde in priore pugna, quam in posteriore fortunati: adeo vt plane res eis ad restim redierit. Et vniuersè solitos illis temporibus reges ad bella ineunte vere procedere, Scriptura haud obscurè significat. [b] Nimirum nolebant duriore anni tempore militare, ne pro vno aduersario geminum haberent, simul contra cœli iniurias, hominumque pugnando.

I. Tertium bellum Syriacum.

b 2. Reg. 11. 1. & 1. Par. 20. 1.

TERTIO igitur anno redintegratum est bellum: nec dubitari potest quin Benadad pudore ictus, & ad paternam felicitatem aspirans, omnes omnino neruos intenderit, ad geminam ignominiam resarciendam, & Israëlitas gemina victoria feroces, & Syris insultantes comprimendos. Ergo mutuo se ad fortiter pugnandum cohortantes, antiquum illud Philisthæorum fortasse inculcabant. Confortamini & estote viri Syri, ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt nobis; confortamini, & bellate; ne vitulos eorum timueritis, deteriores iis qui

II. Tertia victoria Ioas.

comedunt fœnum. Sed Deum patrum nostrorum Remmon [a] votis, precibusque inuocate. Pugnauerunt ergo Syri tertio contra Ioas, & exercitum eius; & tertio victi, fractique sunt, & impletum est illud. *Tribus vicibus percussit eum Ioas, & reddidit ciuitates Israel.* In eandémque sententiam Iosephus de filio Hazaëlis, quem Adadum vocat, loquens; *huic*, inquit, *Ioas Israelitarum rex tribus prælijs victo, omnem eam regionem abstulit. quæ vrbes, ac vicos de patre ipsius captos, complexa est, quod & ipsum Elisæus iam ante prædixerat.* Sic ipse. Remansit nihilominus in Syrorum potestate Israëlitarum regio trans Iordanem, quæ Ieroboamo postmodum regnaturo seruabatur.

a 4. Reg. 5. 18.



ANNVS MVNDI 3208. DILVVII 1552. QVINTÆ ÆTATIS 269. 1 FVNDATI TEMPLI 186. AMASIÆ REGIS IVDÆ 12. IOAS REGIS ISRAELIS 14. SEDECHIÆ PONTIF. 12 TROIAE EXCISÆ 338. OCRAZAPIS 35. IMPERII ASSYRIORVM 1277.

1. ex.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 845.

I. *Amasias bellum in Idumæos parat.*



TERTIO repetitæ victoriæ, ac triumphi Ioas, vt Syrum quiescere coëgerunt, & sua tutari potius, quam inuadere aliena; ita vicinum, atq; æmulum regem Iudæorum Amasiam excitarunt, & ad aliquid pro regno suo gloriose agendum impulerunt: nec defuit causa ad bellum aggrediendum idonea. Recesserant quippe Idumæi à dominatu regni Iudæ, tempore Iorami regis, ante annos sexaginta, 2 à sexto scilicet Iorami, vsque ad duodecimum Amasiæ. Eos ergo rursum subiicere seruituti, iustum simul, ac gloriosum visum est. Præsertim cum illi; ad debilitandos dominos suos Iudæos, noua eis bella, nouosque hostes suscitassent, eisque adhæsissent, vt suis locis declaratum est.

1. Par. 21 8. 2. ex.

*Hoc tempore.*

Contigisse porro hoc anno bellum hoc, ex Chronico Hebræorum intelligitur. Cum enim dixisset Amasiam regnum Iuda annos nouem & viginti administrasse in Ierusalem. subdit, *anno regni sui duodecimo percussit Idumæos, in valle Salinarum.* Quæ ratio temporis confirmatur, quia proximo anno susceptum est, ab eo bellum contra Ioam regem Israëlis, quod anno deinde decimoquarto Amasiæ, vt affirmat Iosephus [b] infeliciter perfectum est. Cui chronologiæ Torniellus, aliique adstipulantur. Res ipsa sic à Scriptura enarratur. [c]

ca. 19.

b l 9. c. 10. fi.
c 2. Paral. 25 5.

II. *Belli apparatus, & copia.*

CONGREGAVIT *Amasias Iudam, & constituit eos*, distribuit scilicet, *per familias, tribunosque & centuriones, in vniuerso Iuda & Beniamin, & recensuit eos à viginti annis & supra; inuenitque trecenta millia iuuenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent hastam & clypeum*, id est bello idoneorum. Neque mirum tantam repente militum multitudinem succreuisse. Nam à trigesimo septimo regis Ioas, cui successit Amasias, quo Iudæi à Syris tanta clade, post mortem Zachariæ prophetæ, attriti sunt, nunc decimusquintus agebatur annus. Et tribus Iuda populosissima semper fuit; adeo vt anno Iosaphati septimo, [d] id est anno ab hinc 80. numerata fuerint in regno eius (& erat maxima pars de tribu Iuda) vndecies centena, & sexaginta hominum millia. Interpres Iosephi militum numerum, qui tamen habetur in Græco, prætermisit. *Posthæc*, inquit, *delectu habito in tribu Iuda, & Beniamitica, conscripto flore iuuentutis, vtpote ætatis annorum plus minus* 20. adde & collectis ad 30. myriadas, *centuriones his copijs idoneos attribuit.* Nec tamen arbitror ista trecenta millia ad bellum fuisse profecta, sed numerauit Scriptura qui vel milites futuri erant hoc in bello, vel esse poterant, si res tulisset. Idque satis confirmari potest ex eo, quod hoc ipso tempore magnum exercitum ex Israële conduxit. Sequitur enim.

d an. mun. 3127. n. 1. & 2.

III. *Conductus*

MERCEDE *quoque conduxit de Israel* [e] *centum millia robustorum, centum talentis argenti,*

e c. 25. 6.

quem numerum deprauauit interpres Iosephi. *Deinde misit*, inquit, *ad Israelitarum regem, qui 20. scutatorum millia conducerent, stipendio talentorum argenti centum annumerato.* μισθὸν δέκα μυριάδας ὁπλιτῶν, pro δέκα legerit Gelenius δύο. Vide quantum paucis annis quietis, & tribus secundis prælijs Israëlitæ profecerunt, vt qui vix decem millia peditum toto in populo numerarent, nunc centum millia ad externa bella dimitterent: & videlicet proprium regnum præsidiis omnibus non spoliarent. Sed mirum est 100. talentis argenti, centum hominum millia fuisse conducta. Singula enim talenta mille hominibus obueniebant, & singulis hominibus quatuor Franci Gallici, cum octaua eius parte, positis 125. libris in talento, & duodecim vnciis in quaque libra. Quæ pecunia modica sane videtur; vt propterea suspicari liceat talenta auri esse intelligenda, vocari tamen talenta argenti, quia non auro, sed argenteis numismatibus solueretur. Quod si accipimus, obuenient singulis militibus duodecim aurei nummi cum dimidio.

a l. 9 c. 8. DECREVERAT ait Iosephus [a] *contra Amalecitarum, & Idumæorum, & Gabilitarum gentes exercitum ducere*; Solos tamen memorat Idumæos, siue filios Seir Scriptura, quæ Amalecitarum à diebus Dauidis nusquam meminit: apud quem psalmo 82. fit mentio Gebal, quæ regio ad Idumæam pertinuit. Hieron. in locis Hebr. ait terram Idumæam suo tempore Gebalenam dictam fuisse. Cum autem iam congregatus esset exercitus, adessent auxiliares copiæ, pecunia persoluta, venit homo Dei ad Amasiam, militem regni Israëlis ab eo abstracturus. Quis fuerit hic homo Dei Scriptura tacuit; non expressit Iosephus, neque Hierony- IV. *An contra Idumæos tantum arma sumpta.*
b cap. 20. mus. At Chronicon Hebræorum. *Hunc*, inquit, [b] *prophetam ferunt esse Amos, fratrem eius, Esaiæ patrem.* Constat certe hoc tempore vixisse Amos patrem Isaiæ, qui cœpit florere sub Ozia filio Amasiæ. Vtrum autem hic Amos propheta fuerit, & hac diuina legatione functus sit, id certe non constat; Nam qui locus pro *Propheta regem adit, & quis.*
c ca. 37. 2. ea opinione facere videbatur apud Esaiam, [c] nihil probat. Cum enim olim legeretur *misit Eliacim ad Isaiam filium Amos prophetæ*, itaque legerit S. Hieron. in comment. nunc tamen ex Hebræis, Græcisque codicibus emendatus est locus, legiturque *filium Amos prophetam*, vt non Amos, sed Esaias propheta dicatur.

DIXIT autem hic vir Dei ad regem. *O rex ne egrediatur tecum exercitus Israel; non est enim Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim.* Nomine filiorum Ephraim totum Israëlem intelligit, vt passim apud prophetas 3 quoniam ea tribus præcipua erat in eo regno, in eaque erat Samaria regum sedes, & regni metropolis. Sic nomine Iudæ totum regnum passim intelligitur, cuius regni metropolis, & regum sedes Hierusalem. Id ex eo confirmatur, quod in Hebræo, ac Græco Israël & filij Ephraim, per appositionem, sine præpositione iunguntur. 4 Denique Iosephus nihil hic Israëlitas ab Ephraimitis distinguit. *Iamque propediem*, inquit, *moturus erat in eos*, nempe Amasias in Idumæos, *cum interueniens propheta dimittere Israelitas consuluit. Esse enim hoc hominum genus impium, & cladem certam imminere hoc oraculo se monitum, si talibus rex vtatur auxiliis. Alioqui Deo fauente, vel modica manu deuinci posse hostiles exercitus.* Paulo aliter Scriptura. *Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus.* In Hebræo & Græco habetur. *Quin imo ingredere tu & fortis esto in bello*, id est quantumuis te fortiter & strenue in bello gesseris, faciet Deus te corruere coram inimicis tuis. Dei quippe est adiuuare, & in fugam conuertere. V. *Monet dimitti Israëlem.* *Siue Ephraimitas.*

AT quomodo, inquies, non erat Deus cum Israëlis, quibus proxime tres victorias dederat contra Syros? Nonne satis erat Amasiæ si esset Deus in brachiis Israëlis, licet ab eorum cordibus abesset, & mentibus? Nolebat Dominus impios, & infideles coniungi cum fidelibus. Itaque licet vtrisque seorsim, pro mirabili sua prouidentia, faueret, daretque victoriam; coniunctos tamen non raro VI. *Quî Deus cum iis non esset.*
d 3. reg. 22. perculit, victósque reddidit. Erat Iosaphat cum Achabo [d] cum hic occisus est, & ille ingens adiit vitæ discrimen. Erat item cum Ioramo, cum exercitus siti
e 4. Reg 3. pene enecti, tantum non Moabitarum præda facti sunt. [e] Ochosias aderat Ioramo in Ramoth Galaad, cum Ioramus multis vulneribus à Syris affectus est,
f 4. Reg. 8 28. moxque rex vterque à Iehu interfectus est. [f] Ergo ne nunc quidem coniunctis se affuturum ait, imo cladem & interitum vtrisque minatur, separatis autem victoriam dedit. Nam mox Amasias victor extitit contra Idumæos, & Ioas contra

Amasiam, & Ieroboam contra Syros. Denique gratuita hæc, & indebita auxilia in arbitrio sunt concedentis, vt quando, quoque modo voluerit ea largiatur.

VII. *Quod conductorum stipēdium.* DIXITQVE *Amasias ad hominem Dei. Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel?* non exprimit hoc loco aurea ne essent, vel argentea. Si fuerunt aurea, ascendit summa ad Milionem vnum, & insuper ducenta & quinquaginta millia aureorum nostratium. Sin autem argentea, ad centum & 37. millia aureorum, & aureos insuper quingentos. Vt non sine causa de tantæ pecuniæ iactura sollicitus sit Amasias, cuius ærarium tempore patris sui à Syris fuerat non semel expilatum. *Et respondit ei Homo Dei. Habet Dominus vnde tibi dare his possit multo plura.* Acquieuit Amasias Deo, & prophetæ eius, & separauit exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, vt reuerteretur in locum suum. Malè Hebræi in tradit. *Separauit*, inquiunt, *Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, quia idola secum habebant*: fabulæ, imo quia nolebat Deus Israëlitas militare cum Iudæis. Vnde bene hic Iosephus. *Rege autem ægre ferente, quia iam publice stipendium Israelitis numerauerat, hortatus est propheta vt Dei voluntatem sequeretur, quo propitio non defore pecuniam. Illos itaque dimisit, præfatus se donare illis, quidquid mercedis nomine accepissent.* Sic ipse. Nec tamen illis, vtpote Idumæorum prædæ inhiantibus, satis factum est. Imo, vt ait Scriptura, *contra Iudam vehementer irati, reuersi sunt in regionem suam.* Cuius iræ mox non leuia signa ediderunt.

VIII. *Vbi inita pugna.* PORRO *Amasias confidenter eduxit populum suum*, fiduciam quippe dederat homo Dei, *& abijt in vallem Salinarum*, ita dictam à puteis salis, qui ibi visuntur. Vallis syluestris in Genesi appellatur, [a] estque ad mare mortuum, in finibus tribus Iudæ, & regni Idumæorum. Nobilitatus est hic locus altera Idumæorum clade, cum ibi Dauid decem & octo millia interfecit. [b] Ibidem tempore Abrahami 4. reges contra 5. conflixerunt. [c] Ibi ergo Amasias pugnauit contra Idumæos, eorumque decem millia percussit, *& alia decem millia virorum ceperunt filij Iuda, & adduxerunt ad præruptum cuiusdam petræ, præcipitaueruntque eos de summo in præceps, qui vniuersi crepuerunt.* Hæc rupes Idumæorum præsidio tenebatur, locum tamen occupauerunt Iudæi duce Iecthel, vt putat Vatablus, [d] vnde & loco nomen datum est, quo loco occupato, inde Idumæorum decem millia in præceps egerunt, qui omnes contrucidati interierunt.

IX. *An in Petra Arabia.* HANC petram quidam Arabiæ Petrææ metropolim esse putant; confundunt videlicet saxum hoc Idumææ, quæ tota saxosa fuit, cum oppido propter similitudinem nominis. Quibus Scriptura vtique repugnat: hæc enim petra Idumæorum fuit, eisque in prælio erepta; non pugnauit autem Amasias contra *Non videtur.* Arabes. Deinde illa verba *adduxerunt ad præruptum cuiusdam petræ*, siue vt est in Hebræo, ad verticem siue caput petræ, nemo non videt vrbi male conuenire. Præterea quomodo tantum fuit otij, aut patientiæ Iudæis, vt istorum præcipitandorum causa longissimum iter conficerent, quantum est à valle Salinarum, ad illud oppidum, vt ex Ptolemæi [e] tabulis perspicuum est. Iosephus aperte repugnat. *Totidem millia captiuorum*, inquit, *abducta in magnam petram, quæ imminet Arabiæ, eo loco per rupes præcipitata necauit.* At metropolis Arabiæ, non imminet Arabiæ, sed intra ipsam est.

X. *Quomodo idola seruata.* INEPTAM hoc loco fabulam Hebræi commenti sunt. [f] *Cum præcipitarentur*, inquiunt, *illa decem millia, illa idola quæ secum habebant, responsum dederunt, ideo illos interfectos, quia in cultu eorum negligentes fuissent. Videns ergo Amasias idola responsa dare, & à ruina eripi, hoc errore deceptus adorauit ea.* Quæ illi audacter quidem, sine vlla tamen probatione, suo more, nec maiore probabilitate dixerunt. Quomodo enim qui eos agebant in præceps, non prius idolis spoliabant, præsertim pretiosis? Quomodo etiam erepta sunt à ruina illa deorum simulachra? Non enim ea interna quadam vi se conseruarunt, siue aurea erant, siue lapidea, sed vi à Iudæis hosti sublata sunt, & deinceps, etiam à rege conseruata. Aut quis credat Deum permisisse ista idola responsa vltra dare, vt populus suus, quo nihil erat ad peccandum pronius, in tantam fraudem induceretur? mittamus ergo fabulas, quas etiam damnat Lyranus.

DVM contra Idumæos pugnatur, *ille exercitus*, *quem* exautoratum *remiserat Amasias, ne secū iret ad prælium, diffusus est in ciuitatibus Iuda, à Samaria, vsq; ad Bethoron,*

a Gen. 14. 8. 10 Adrich. in tribu Iuda. n. 211.
b 2. Reg. 8. 13.
c Gen 14. 8. 9.
d 4. Reg. 14. 7.
e Asiæ tab. 4. [illegible]
f in trad. apud Hier.

*& interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam.* Non apparet vtram Bethoron dicat: sed sine dubio inferior accipienda est, quæ erat in tribu Beniamin. Nam superior, quæ erat in tribu Ephraim, eorum patria erat, cuius regionem minime popularentur. Iosephus ait illum exercitum (Gelenius hic iterum viginti Israëlitarum mercenariorum millia, præter Græci codicis autoritatem inculcat) ratum ignominiosam missionem suam, ac si pro inutili damnata esset eius opera, impetum in eius regnum fecisse, & progressos vsque Bethsemera, regionem populatos, abacto magno iumentorum numero, cæsisque tribus colonorum millibus. Sed quæ est obsecro hæc Bethsemera? μέχρι Βηθσαμήρων. Vide lector an ea vox conflata sit ex duabus vocibus Bethoron, & Someron, quomodo Samariam Hebræi vocant. Vt legendum sit in Iosepho, ἀπὸ Βηθώρων μέχρι σαμήρων, vt cum Hebræo textu, Græco, ac Latino consentiat. XI. *Dimissi milites cædes, & prædas agunt.*

SED ecce nefandum Amasiæ facinus. *Post cædem* enim *Idumæorum, & allatos* in præda captiuos *deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum.* Hæc simulachra, pretij, & pulchritudinis causa fortasse seruata, & in larario honesto in loco collocata sunt. Deinde instigante dæmone, honorem aliquem quasi ludibundi hominis obtinuerunt; postremo autem serium, si responsa dæmonum accesserunt, quæ idola illa tam regi, quam curiosis eius aulicis redderent. Nam res eò denique deducta est, vt miseros Idumæorum deos, statueret Amasias in deos sibi. Ingratus, qui eam gratiam redderet victoriarum autori Deo, de recuperato regno Idumæorum: demens qui victos captiuosque deos, iugum sibi turpissimæ seruitutis imponere, quamuis eorum victori, debellatorique pateretur. Verum ille paulo post magno emit dementissimam temeritatem, ingratissimamque dementiam. XII. *Amasias colit idola Idumæorū.*

## *SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3208. AMASIAE 12.*

1. N. 1. IVuat obiter in cursu lectorem Chronolo-
giæ studiosum aliquando commonefacere
de epocharum nostrarum progressu. Annum
ergo quintæ ætatis 269. quem vides in indi-
ce, qui est annus regum, siue Samuelis, cuius
anni cum Saule coniuncti sunt, sic confirma-
40 mus. Elapsi sunt hactenus 40. anni Samuelis
40 & Saulis. 40. item Dauidis, & totidem Salo-
40 monis. Roboami deinde post regni diuisio-
17 nem 17. Abiæ filij eius tres, Asæ vnus & 40.
3 Iosaphati 25. Iorami seorsim à patre 5. Atha-
41 liæ 6. Ioas 40. & Amasiæ 12. qui omnes anni
25 vndecim regum, conficiunt annum quintæ
5 ætatis, quem diximus, singularum partium
6 probatio partim ex scriptura plana est, par-
40 tim suis locis confirmata.
12
269

1. N. 2. Tribus Iorami annis suas sibi res agere cœperunt Idumæi, contempto Iudæ regele, gitimo domino, durauitque defectio sex annis Athaliæ, 40. Ioas, & duodecim Amasiæ. Itaque præsens annus est 61.

Esaiæ ca. 7. ver. 2. 5. 8. 9. 17. *à diebus separationis Ephraim à Iuda* &c. Ierem. cap. 31. v. 9. 19. 20. Osee ca 4. 16. & ca 5. 3. 5. & toto cap. & cap. 6. *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda?* duo scilicet regna. 3. N. v.

Parum probabilis videtur illa expositio Hebræorum, apud S. Hieron. in tradit. *Non est*, inquit, *Deus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim, quia cum aliis tribubus erat, cum tribu Ephraim, vnde reges erant, non erat: propter præuaricationem Ieroboam, & cæterorum regum.* Hæc ibi. At quomodo erat cum cæteris tribubus Dominus, quæ eiusdem præuaricationis, & idololatriæ a principio ad finem vsque cum regibus Israëlis participes fuerunt? Quin, & aperte Scripturæ contradicit hæc expositio. Nam cæteræ tribus, seposita etiam tribu Ephraim, sub Israële continentur, quorum Scriptura negat Deum esse, ad obtinendam videlicet illius opera victoriam. 4. Ibid.

ANNVS MVNDI 3209. DILVVII 1553. QVINTÆ ÆTATIS 270. FVNDATI TEMPLI 187. AMASIÆ REGIS IVDÆ 13. IOAS REGIS ISRAELIS 15. SEDECHIÆ PONTIF. 13. TROIAE EXCISÆ 339. OCRAZAPIS 36. IMPERII ASSYRIORVM 1278.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 844.

I. *Non exiguo tempore Amasias idola colit.*



NON paucorum dierum fuit illa Amasiæ deorum Edom adoratio, sed satis diuturni temporis, puta mensium aliquot. Id enim satis declarant illa verba, *& adorabat eos, & illis adolebat incensum*, [a] quomodo habent etiam Græca omnia. Clarius etiam Iosephus *διετέλει προσκυνῶν* perseuerabat adorans: consentit etiam textus Hebræus. Præteritum enim *incuruauit se, & suffiuit ei*, etiam imperfecto respondet; quomodo etiam quidam Hebræum textum reddiderunt. Non solet Deus statim imminere, atque instare peccatori, per externa remedia, vel castigationes. Nam Nathan propheta [b] non nisi post multos menses, & natum ex adulterio filium, à Deo ad arguendum Dauidem missus est. Primum enim stimulo conscientiæ obmurmurantis vsus, hominem male peregrinantem, atq; à recto tramite aberrantem; conatur in viam virtutis reducere. Cui monitori cum ille obsurdescit, ad publica vt plurimum, & aperta remedia venitur.

[a] 2. Par. 25. 15. & 4. Reg. 14. 8.
[b] 2. Reg. 11. 27. c. 12. 1.

II. *Reprehenditur diuinitus.*

CVM ergo Amasias in dementissimo sacrilegio perseueraret, eoque piam Dauidis familiam flagitiose inquinaret, iratus contra eum Dominus, misit ad illum prophetam, quem Hebræi in Tradit. vocant *Eliezer filium Dodahu* (id est auunculi eius) *de quo superius dictum est*, sic illi. Superius autem dictum est [c] prophetasse ad Iosaphat, & eum reprehendisse de fœdere inito cũ Ochosia; quod contigit anno 19. Iosaphati, à quo anno ad hunc vsque, 70. numerantur. Quibus si addas prophetæ annos non pauciores triginta, fuisset nunc centenarius. Libentius nihilominus assentior Chronico Hebræorum, [d] quod eundem Amos patrem Esaiæ fuisse dicit, quo monitore vsus Israëlitas dimiserat. Cuius eum facti fortasse pœnituit, audita cæde, & populatione ab illis commissa, præter centum talentorum non leuem iacturam. Itaque facilius nunc in iram concitatus est, cum ei propheta diceret, *Cur adorasti deos, qui non liberauerunt populum suum de manu tua?* Quid ab eis speras, qui bene de se meritos iuuare non potuerunt, cum tu de illis pessime meritus sis?

[c] 2. Par. 20. 37.
[d] ca. 20.

III. *Propheta à rege repellitur.*

CVMQVE hæc propheta loqueretur respondit ei rex. *Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te*, plerique Græci habent, *attende ne flagelleris*. Theodoretus, *ne percutiam te*, vt Hebræus. Plenius Iosephus. *Quamobrem à propheta conuentus est, mirari se dicente si hos deos crederet, qui cultoribus suis nihil opis afferre valuerint; neque eos ab Hebræorum vi tutos præstiterint, sed tanquam ad se non pertinentes, cædi, & captiuos trahi passi sint. Quin & ipsos belli iure abductos inter reliquam captiuorum turbam Hierosolyma peruenisse. Rex his verbis ad iram percitus, iussit illum hac de re esse quietum, minatus supplicium, si negotiis alienis miscere se pergeret. Tum ille, se quidem quieturum dixit, Deum tamen vltorem huiusmodi nouitatibus non defore.* Paulo aliter sacer historicus. Discedensque propheta, *Scio* inquit, *quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo*. Vides prophetæ constantiam, repulsam non moratur, proposita morte non terretur, nec ab incœptis desistit, sed vice versa regi mortis metum à Deo intentat, vt pœnæ tanto crimini debitæ; sed moriturus non erat, quia nondum natus erat, qui ei successurus erat in regnum.

*μαστιγωθῇς.*

IV. *Ideoque malo consilio.*

S. HIERONYMVS in tradit. Hebraicis hunc locum sic illustrat. *Cessauit propheta, & dixit, Cessauit, ad minas regis, & dixit, ad imperium Domini. Quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo. Consilio autem eius acquiesceret, si eos igne*

*combureret, vestimenta disrumperet, cinerem super caput spargeret, & totum se pœnitentiæ daret. Hoc etenim illi consilium prophetes dederat.* Ita Hier. Cum igitur Amasias consilio prophetæ non acquieuisset, permisit Deus vt sibi ipse confidens, proprioque iudicio vtens, pessimè rebus suis consuleret, & in maximam calamitatem, cum regno suo incideret. *Igitur Amasias*, ait Scriptura, [a] *rex Iuda inito pessimo consilio*, vtpote quod suggerebat superbia, fouebat peruicacia, *misit ad Ioas filium Ioachaz filij Iehu regem Israel, dicens, veni videamus nos mutuo.* Consilium hoc ex re ipsa & infelicibus euentis pessimum vocatur, quod epitheton abest ab Hebræis, Græcisque libris. Apparet suscipiendi belli consilium in deliberationem vocatum, sed vel consiliarij id senserunt, quod regem velle videbant, vel rex eorum consiliis, non magis quam prophetæ monitioni, acquieuit.

a 2. Paral. 25.17.

V. Ioam ad bellum prouocat.

Qvid est autem illud, *videamus nos mutuo*; quæ phrasis ex Hebræo, in Græcis, Latinisque libris retenta est. Admodum sane infrequens est ista videndi significatio: idem enim valet, ac conueniamus ad pugnam. Eam orationem cum recte à rege Israëlitarum constet intellectam fuisse, oportet vulgo in eam sententiam fuisse vsurpatam, qualis illa est, *treuuons nous sur le pré à tel heure.* Est autem satis rationis consentaneum, missam ab Amasia legationem, quæ querelas, causasve suscipiendi contra Israëlitas belli contineret, & cuius esset illa conclusio, nisi Ioas postulatis Amasiæ acquiesceret, fore, vt mutuo se valido cum exercitu viderent. Sed quæ illæ causæ? an voluit bello vindictam sumere de Israëlitis, qui ab ipso nuper dimissi, magnas in regno Iudæ prædas egerant, & tria insuper virorum millia interfecerant? Ioas autem de satisfactione interpellatus rem negligebat? Verum hæc iusta, & satis ordinaria belli causa fuisset, nec haberet probabilitatem responsio Ioas, qua clare ostendit Amasiam ex superbia bellum istud suscepisse.

Qua eius causa.

VI. Quaque fiducia.

b l. 9. ant. c. 10.

Probabilivs Iosephus. [b] *Amasias*, inquit, *felicitatem suam, cuius tamen authorem Deum non agnoscebat, non capiens, sed fastu inflatus scripsit Ioa regi Israelitarum vt ipsius imperata faceret cum populo suo, sicut antehac idem populus maioribus eius Dauidi & Salomoni paruit: quod si nolit vltro facere officium, bello esse decernendum de imperij iuribus.* Et eam causam merito probant Historia scholastica, & Abulensis. Sperauit forte Amasias se facile victorem fore, quia dixerat propheta, Deum non esse cum Israële. Stulta vtique spe, qui non intelligeret à se quoque Deum, vel maxime alienum esse, vt ab homine sacrilego, ingrato, atque impio. Pessimo consilio vsus est, qui diuisionem regni, quæ Deo authore facta fuerat, in pœnam peccatorum Salomonis, irritam reddere voluerit, [c] nec animaduerterit eam sæpe hactenus frustra, & repugnante Deo fuisse tentatam. Inconsultus Amasias, qui eo tempore regem Israëlitarum prouocauit, cum ille tribus victoriis debellato Syro, potentior factus erat, & bellicosior. Quanto sapientius exquisisset à Ioa, vt coniunctis animis Syros, qui iam inclinabant ad ruinam, & à quibus vterque rex tot malis affectus fuerat, armis inuaderent, & thesauros illos sacros, regiosque postliminio repeterent?

c 3. Reg. 12. 21. 22.

VII. Apologus in responsionem.

d 2. Par. 25. 18.

e l. 9. ant. c. 10.

Remisitqve Ioas rex Israël ad Amasiam nuncios, cum obiurgatione superbiæ, cui hoc apologo dedit initium, [d] *Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani dicens, da filiam tuam filio meo vxorem. Et ecce bestiæ, quæ erant in saltu Libani, transierunt, & conculcauerunt carduum.* Epimythium addit Iosephus. [e] *Hoc exemplum*, inquit, *te moneat ne maiora quam par est appetas, néve propter recentem de Amalecitis*, imo Idumæis, *victoriam elatus, & te, & regnum tuum incertæ committas aleæ.* Ioas ad deprimendam superbiam Amasiæ, illum carduo, aut paliuro comparat: se autem cedro, aut, vt habet Iosephus, cupresso. Cedrus & carduus eodem in Libano sunt, vterque rex in eadem Chananitide. Filia quam petit carduus filio suo, est regnum Israël, quod Amasias vult coniungi regno suo. Bestias Libani intelligit exercitum suum, quem minatur protriturum & proculcaturum regnum Iudæ. Sed audiamus ipsum Ioas suam parabolam explicantem.

VIII. Eius explicatio.

Dixisti, *Percussi Edom, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam. Contentus esto gloria tua, & sede in domo tua.* Vel, vt est in Hebræo, & Septuag. *gloriare sedens in domo tua.* Tibi ipsi apud tuos gratulare, & gaude in sinu tuo. *Cur malum aduersum te prouocas*; accersis tibi vltro ruinam tuam, *vt cadas tu, & Iudas tecum.* Sic vulgo

dicitur turdus sibi ipsi procreare malum. *Noluit audire Amasias*, neque acquieuit monitis Ioas, qui alienum fastum proprio comprimebat & suo; imo accendebat magis. Itaq. Iosephus ait, lectis eius literis, magis magisque ad bellum concitatum fuisse, vel ad hunc ipsum contemptum, quem principes ægerrimè ferunt, vlciscendum. *Eo quod Domini esset voluntas*, ait Scriptura, *vt traderetur in manus hostium, propter deos Edom.* Septuag. quoniam quæsiuit deos Idumæorum. Hebr. quoniam quæsierunt, siue consuluerunt, atque adeo adorauerunt deos filiorum Edom. Vt intelligamus non solius regis fuisse hoc peccatum, sed populum quoque, vt fit, Amasiæ exempla secutum, vt pœnas quoque lueret cum eo. Id autem proximo anno contigit, vt deinceps dicemus.

## ANNVS MVNDI 3210. DILVVII 1554. QVINTAE ÆTATIS 221. TEMPLI FVND. 188. AMASIÆ REGIS IVDÆ 14. IOAS REGIS ISRAELIS 16. ET VLT. SEDECHIÆ PONT. 14. TROIÆ EXCISÆ 340. OCRAZAPIS 37. IMPERII ASSYRIORVM 1279.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 843.

I. *Ratio temporis.* FVISSE hunc annum decimum quartum Amasiæ [a] quo infeliciter pugnauit cum Ioa rege Israëlis, scribit Iosephus lib. 9. c. 10. vbi huius belli historiam his verbis concludit. Hæc Hierosolymis contigerunt, anno regni Amasiæ decimo quarto. Tardius certe contingere non potuerunt, quoniam hic est annus Ioæ regis Israëlis 16. & vltimus, [b] & necesse est Amasiam illi quindecim annis superuixisse, vt Scriptura testatur, [c] vt autem citius contigerit, series rerum gestarum non patitur. Hanc temporis rationem sequitur Torniellus Abulensis [d] & alij.

*Ortus Oziæ.* Natus est hoc anno Amasiæ filius, & regni successor nomine Azarias, qui & Ozias dictus est, & quidem sub eius initium: sic enim necesse est, vt illud Scripturæ [e] verum reperiatur. *Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset.* Itaque vigesimus nonus Amasiæ, erit decimus sextus Oziæ filij eius. Scio esse qui tardius multo natum velint, eiusque regni geminum principium statuant, vt initium regni eius cum vigesimo septimo Ieroboami componant; vt Scriptura exigit, [f] Sed nos aliam commodiorem sequimur eius loci conciliandi viam, vt iam superius [g] indicauimus.

II. *Ioas inuadit Amasiam.* FVIT porro hic annus regno Iudæ valde luctuosus, vt omnem superioris anni lætitiam facile obruerit, atque obliterarit. Successit enim vanitati, ambitioni, & superbiæ, humiliatio, deiectio, ac ruina magna; & pæan victoriæ, in threnos, & nænias commutatus est. Belli initium à Ioas factum est, *Ascendit*, inquit Scriptura, [h] *Ioas rex Israel, & mutuos sibi præbuere conspectus*, non personarum quidem adhuc, sed copiarum, vnius exercitu in conspectum alterius, pugnandi gratia veniente. Hinc autem apparet industria regis Ioas, qui bellum è finibus suis abductum, in terram hostilem transtulit: forte etiam minus adhuc ad pugnam præparatum occupare voluit. *Amasias autem rex Iuda erat in Bethsames Iudæ*; erat enim altera Bethsames in tribu Nephtalim. Porro illa Bethsames Iudæ, non tam in Iuda quam in tribu Dan fuit, si ratio habeatur prioris illius distributionis terræ, [i] qua tribus Iudæ, terram tribuum Dan, & Simeonis comprehendebat, vnde factum est vt sæpe loca harum tribuum, Iudæ tribuantur.

III. *Et prælio superat.* HOC prælium scriptura summa breuitate perstrinxit, illud enim tantum habet, *Percussusque est Iuda coram Israel, & fugerunt vnusquisque in tabernacula sua.* Paulo plura Iosephus, [k] *Vbi vero in conspectum hostium venit Amasias, instructa vtrimque acie, tantus repente pauor, ac consternatio diuinitus milites eius inuasit, vt priusquam manus consererentur, iam terga verterent, & alius alio diffugientibus, desertus à suis*

[a] 4. Reg. 14.11. & 2. Par. 25.21. &c.
[b] 4. Reg. 13.10.
[c] 4. Reg. 14.17.
[d] q 15. in c. 14.
[e] 4 Reg. 15.2.
[f] 4. Reg. 15.1.
[g] an. Amas. 3.
[h] 2. Par. 25. 21.
[i] Iosue 15. 1.
[k] l. 9. c. 10.

*Amasias in hostis potestatem veniret.* Et tum nimirum viderunt se mutuo, cum alterius subsannatione molestissima, alterius incredibili luctu, & confusione. Eo que facto diuina prouidentia tam ipsi regi, quam eius populo consuluit. Sic enim multo vehementius attrita est superbia, & fastus Amasiæ, quam si euasisset cum paucis, nec hostem sibi insultantem vidisset. Elapsus quoque redintegrasset exercitum, pugnam, atque cædes; cum Dominus multitudini parceret. Neque voluit eadem prouidentia infelicem principem in prælio cadere, & in grauissimis animi morbis perire, cui hæc calamitas medicinam factura erat. *In bonum eius.*

QVOD autem sequitur in Scriptura, *Et adduxit eum in Ierusalem*, vinctum videlicet, vt ait Tostatus, aut acri potius septum custodia, sic explicat Iosephus. *Ioas mortem illi minatus est, nisi efficeret vt Hierosolymitæ apertis portis se cum victore exercitu admitterent. Ea necessitate, & vitæ amore adactus, persuasit ciuibus vt hostem reciperent.* Quo facto, si victori regi collibitum fuisset, Amasias vitam vna cum regno amittebat, quæ vtraque mox precario, & ex hostis sui misericordia seruaturus erat. Qua deiectione nihil potest elatis mentibus intolerabilius contingere. Ioas autem ingressurus Ierusalem, *destruxit murum eius à porta Ephraim, vsque ad portam anguli quadringentis cubitis*, Iosephus habet tantum trecentos: sed prædictus numerus constanter habetur in vtroque libro sacro, omnibusque versionibus. Porro portam Ephraim Villalpandus constituit à Septentrionali vrbis parte, sicut & portam Anguli, ad turrim Psephinam, ad eam partem qua murus septentrionalis occidentali coniungitur, & angulum facit. Illa vero Ephraim dicta est, quod ea recta in tribum Ephraim, & Samariam duceret. *IV. Et adduxit in Ierusalem.* *Quam triumphãs ingreditur.*

DIRVIT autem murorum partem, vt cum toto exercitu ingredi, atq; egredi pro arbitrio posset. Alioqui enim potuissent Hierosolymitæ admittere partem aliquam hostilis exercitus, eamque mox clausis ianuis sagittis configere. Dirutis ergo mœnibus, *curru*, inquit Iosephus, *per id interstitium triumphabundus inuectus est, captiuum præ se agens Amasiam, & hoc modo factus vrbis dominus, Dei thesauros abstulit, & quidquid auri vel argenti in regia repertum est, totum asportauit, ac tum demum dimisso rege, reuersus est Samariam.* Omittit Iosephus obsides, & alia quædam. Sic enim habet Scriptura. [a] *Omne quoque aurum & argentum, & vniuersa vasa, quæ repererat in domo Dei, & apud Obededom*, id est vnum de nepotibus illius Obededonis, qui vixerat tempore Dauidis, qui eodem, vt videtur, nomine vocabatur, & thesauris sacris præerat, eratque Leuitici generis, *in thesauris etiam domus regiæ*, vbi scilicet erat preciosa supellex, annis 23. congregata, ex quo rex Ioas ea sponte tradita, [b] recessum Hazaëlis à Ierusalem impetrauerat, sub annum regni sui trigesimum primum, vt suo loco diximus. [c] Preciosa quoque spolia, recens ex Idumæa aduecta, hosti cesserunt, & in Samariam asportata sunt. *V. Diruta muri pars.* *a 2 Par. 25. 24.* *Thesauros sacros ac profanos aufert.* *b 4 Reg. 12. 18.* *c an 31. n. 4. & 5.*

OBSIDVM quoque scriptura meminit. Ioas enim post Amasiam spoliatum, voluit illum habere, non quidem in vinculis apud se, sed tamen sibi vectigalem, ne is colligere posset diuitias, quibus fretus, iugum Israëlitarum excutere conaretur; sed eas subinde ad Dominum suum amandaret. Vt ergo id tributum statis temporibus ex fide persolueret, præcipuarum familiarum filios apud se habere voluit; qui, si opus esset, pro fœdifragis parentibus pœnas darent. Filij vero obsidum qui dicuntur vno in loco, in alio dicuntur obsides, & vtrobique Hebræa phrasi filij obsidum vocantur, siue arrhabonum, à 70. filij commixtionum, quos Ioas *reduxit*, id est rediens duxit *in Samariam*, vel, vt est in Hebræo, rediit in Samariam. *VI. Et obsides accipit.*

CÆTERVM non diu victoria sua potitus est Ioas, sed Samariam reuersus hoc ipso anno regni sui decimo sexto mortuus est, neq; vlterius progressum est eius imperiũ. Sic enim de periodo regni eius, vitaq; scriptum legimus [d] *Anno 37. Ioas regis Iuda regnauit Ioas filius Ioachaz super Israel in Samaria sedecim annis*, eamq. rationem tẽporis confirmat Abul. [e] *Et fecit quod malum est in conspectu Domini. Non declinauit ab omnibus peccatis Ieroboã filij Nabat, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulauit. Reliqua autem sermonum Ioas, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius, quomodo pugnauerit contra Amasiam regem Iuda, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel?* *Moritur Ioas.* *d 4 Reg. 13. 10.* *e q. 15 in c. 14. 4. Reg.* *v. 15. & 16.*

v.15.16. Hæc ibi; quæ totidem pene verbis repetuntur c. 14. 4. Regum. Fuit itaque Ioas virga Domini ad cædendum primum regem Syriæ, deinde regem Iuda, quibus castigatis, misit Dominus in ignem virgam suam.

## ANNVS MVNDI 3211. DILVVII 1555. QVINTÆ ÆTATIS 272. FVNDATI TEMPLI 189. AMASIÆ REGIS IVDÆ 15. IEROBOAMI II. REGIS ISRAELIS I. SEDECHIÆ PONTIF. 15. TROIAE EXCISÆ 341. OCRAZAPIS 38. IMPERII ASSYRIORVM 1280.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 842.

I. *Initium geminum Ieroboami.* DECIMVMQVINTVM annum Amasiæ, cum secundi Ieroboami anno primo componimus. Sic enim exigit Scriptura. [a] Quia tamen vigesimus septimus Ieroboami dicitur primus Azariæ filij Amasiæ, [b] necesse est hunc eundem annum, qui est primus à morte Ioas, esse duodecimum ex quo regnare cœperat cum eodem Ioa patre suo. Cum autem regnasse dicitur [c] in Samaria, quadraginta & vno anno, non possunt illi anni inchoari à quo tempore is cœpit regnare cum patre, quia sic illi finirentur non 38. Azariæ, quando [d] regnare cœpit Zacharias filius eius, sed decimo sexto. Nam vsque ad 38. non 41. sed 63. vel 64. numerarentur. Ergo à præsenti anno inchoandi sunt, quorum tamen finis difficultate non caret, vt suo loco dicetur. *Res Amasiæ.* Cæterum Amasias misere victus, spoliatus, & deiectus à rege Ioas, reliquam vitam inglorius vixit, atque contemptus. Et fere id contingit superbis, vt semel prostrati, præ animi infirmitate nunquam humo se tollere audeant, ne secunda quapiam plaga plane conterantur. Erat quidem mortuus Ioas, ei tamen in regnum successerat vir fortis & bellicosus Ieroboam, qui annos iam vndecim cum patre regni negotia administrarat, vt in eum ne mutire quidem auderet Amasias.

II. *Quamdiu vixit post Ioas.* QVOD autem in quibusdam libris legitur Amasias vixisse 25. annis post mortem Ioas, certissimum est mendum, iam pridem à Tostato [e] repudiatum, & dudum in correctis libris sublatum, quibus Hebræa & Græca consentiunt, & fauet ratio manifesta. Sic enim regnasset Amasias 39. annis: cum 29. duntaxat ei Scriptura, sine vlla controuersia tribuat: quamuis ille prior numerus apud Clementem [f] in primo Stromatum legatur. Sed in numeris multa in illius autoris chronologiam menda irrepserunt, quæ sæpe vel ex ipsa Scriptura deprehenduntur:

[a] 4. Reg. 14. 23. & Iosephus l. 9. ca. 11.
[b] 4. Reg. 15. 1.
[c] 4. Reg. 14. 23.
[d] Vt dicitur. 4. Reg. 15. 8.
[e] q. 15. in c. 14. 4. Reg.
[f] p. 140. Græc Lat.

ANNVS MVNDI 3212. DILVVII 1556. QVINTAE ÆTATIS 273. TEMPLI FVND. 190. AMASIÆ REGIS IVDÆ 16. IEROBOAMI II. REGIS ISRAELIS 2. SEDECHIÆ PONT. 16. TROIÆ EXCISÆ 342. OCRAZAPIS 39. IMPERII ASSYRIORVM 1281.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 841.



NON dubium est Ieroboamum virum strenuum, quique multis cladibus Syros attriuit, vt Scriptura testatur, his annis, atque proximè sequentibus minime otiosum fuisse; quin potius operi manum quamprimum adhibuisse, & bene à patre inchoata feliciter promouisse. Sed Scriptura, quæ in regnum Iudæ, & progeniem Dauidis maximè intuetur, cùm non haberet, quod de Amasia diceret; quæ ad Ieroboamum pertinent breuissimo compendio, sine vlla annorum distinctione complexa est; quam distinctionem neque Iosephus, neque Chronicum Hebræorum adiecit: itaque ea coniecturis duntaxat distinguere, & quidem non admodum exactè, neque annuatim cogemur. I. *Res à Ieroboamo gesta compendio tradita.*

RERVM porro gestarum Ieroboami à prophetæ Ionæ exhortatione initium sumendum videtur, à quo ad meliora in dies speranda animatus est, sicut Ioas pater eius ab Elisæo moribundo. Cùm enim vterque ad restaurationem regni Israëlis diuinitus destinatus esset, & vterque Saluatoris nomine comprehenderetur, vt euenta ipsa docuerunt, illis Scripturæ verbis. [a] *Dedit Dominus Saluatorem Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ, habitaueruntque filij Israel in tabernaculis suis*, à quibus scilicet eiecti fuerant à Syris, *sicut heri, & nudiustertius.* Diuinitus etiam vterque à prophetis Domini de rebus gerendis præmonitus fuit. Id ita significat sacer historicus.[b] *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath*, qui locus prope Damascum, & montem Libanum, Israëli ad Septentrionem fuit, *vsque ad mare solitudinis*, quod vsque ad Idumæos ad meridiem Iuda protendebatur; *iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam, filium Amathi prophetam.* II. *Animatur à Iona propheta, vt Ioas ab Elisæo.*

[a] 4. Reg. 13. 15.

[b] 4. Reg. 14. 25.

DE rerum ergo euentu à propheta Iona admonitus fuit Ieroboam, & ad certas de Syris victorias animatus. Id apertius habet Iosephus. [c] *Ieroboamo*, inquit, *propheta Ionas prædixit, quòd deuictis Syris ditionem suam esset amplìaturus, prolatis eius terminis ad Septentriones*, &c. Et mox. *Quo oraculo excitatus Ieroboamus, totos eos tractus ademptos Syris, ad suum regnum addidit, nihil fallente Ionæ vaticinio.* Rectiùs vertisset interpres illud κατεστήσατο in potestatem redegit, aut regno suo restituit. Nihil enim Syro ademit, suoque regno addidit, quod ad illud non priùs pertinuisset, excepta Damasco, de qua postea. Testis ipse Iosephus, qui hoc ipso in loco; *his enim olim terminis*, inquit, *Chananæa terra finiebatur, iuxta Iosue imperatoris definitionem.* III. *Ex Scriptura, & Iosepho.*

[c] 9. ant. c. 11.

SVBDIT autem Scriptura causam victoriarum illarum. *Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, & quod consumpti essent vsque ad clausos carcere, & extremos.* Hebr. *& non erat clausus, & non derelictus.* Chald. *& erant dispersi, & deserti.* Septuag. *Attenuatos, vel rarefactos, clausos, & derelictos.* Significat Israëlitas eo redactos, vt nusquam prodire auderent, totis campis hostibus latè dominantibus: nec ausum apparere quemquam; nisi miseros, & inopes, quos hostis, vt armis, & ira sua indignos contemneret. Pergit autem. *Et non esset, qui auxiliaretur Israeli: nec locutus est Dominus, vt deleret nomen Israel de sub cœlo*, vt nomen Amalecitarum. *Sed saluauit eos in manu Ieroboam filij Ioas*: & priùs in manu Ioas patris eius. Ad cuius rei confirmationem facit, quod vtroque in loco [d] de misero Israëlitarum IV. *Causa victoriarum Ieroboami. Calamitas Israelitarum.*

[d] 4. Reg. 14. 15. & 4. Reg. 14. 26. 27.

statu aliquid præmittitur. Et amara afflictio, quæ hoc loco memoratur, non tam pertinet ad hoc tempus, quo Syri tribus iam victoriis ab Israële compressi fuerant, plurimáque illis oppida sustulerant, quam ad illud, quod Elisæi vaticinium, earumdem victoriarum prænuncium antecessit.

V. *Et diuina commiseratio.*

EXIGEBANT quidem perpetua Israëlitarum scelera, & continens idololatria, vt Dominus id regnum iam nunc, multóque etiam ante, funditus deleret: voluit tamē illos ad aliquot adhuc annos conseruare, in exemplum patientiæ, & bonitatis, & longanimitatis suæ, & propter pactum quondam initum cum patriarchis. Vnde paulò superiùs, [a] cum dixisset Hazaëlem vehementer afflixisse Israëlem, subdit. *Et misertus est Dominus eorum, & reuersus est ad eos, propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, & Isaac, & Iacob; & noluit disperdere eos, neque proijcere penitus, vsque ad præsens tempus.* Cùm ergo Dominus misereretur Israëlitarum, quos Syri annis plus quinquaginta vexauerant, temporibus Iehu, Ioachaz, & initij Ioas: ad preces Elisæi suscitauit eis primum Ioas, qui tribus præliis Syros afflixit, & Israëlem recreauit. Eo autem mortuo etiam filium eius, alterum eis Saluatorem suscitauit, qui feliciter inchoata promoueret. Sed de huius felicitatis prænuncio aliquid dicendum est.

a 4. Reg. 13. 23.

VI. *Ionas propheta, an filius viduæ Sarephtanæ.*

ET primo apud omnes in confesso est hunc eundem esse Ionam, cum eo cuius extat prophetia. Id affirmat Iosephus, [b] Hieronymus prologo in Ionam, & Theodoretus in commentariis in eundem prophetam: idque tam eius nomen, quàm patris ipsius persuadent; vtrobique enim Ionas filius Amathi appellatur. Dubium autem est, vt alio quoque loco significauimus, [c] fuerit ne filius viduæ Sarephtanæ, quem Elias excitauit à mortuis; id enim Hebræi opinati sunt. Ex quibus id tradit Epiphan. in libello de vita, & morte prophet. & Hieronymus præfat. comment. in Ionam, & Abulensis. [e] Hieronymus porro proœmio in Ionam. *Tradunt autem*, inquit, *hunc esse filium viduæ Sarephtanæ, quem Helias propheta mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum. Nunc cognoui quia vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo est veritas: & ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum: Amathi enim in nostra lingua veritatem sonat: & ideo quod verum Elias locutus est, ille qui suscitatus est, filius dicitur esse veritatis.* Hæc ibi.

b l. 9. ant. c. 10.
c Anno Iosaphati 4. n. 25.
d 3. Reg. 17. 22.
e in c. 9. 4. Reg. q. 3. & q. 22. in c. 14.

VII. *Non videri, & quare.*

QVÆ parum probabilia sunt, primo quia sic Amathi non esset proprium nomen, sed appellatiuum: quod longè alienum est à phrasi Scripturæ, quæ semper vera nomina progenitorum prodit, tam prophetarum, quam aliorum: & si ad vocabulorum propriorum interpretationem recurrendum esset, veritas sæpe narrationum eludi posset, atque peruerti. Secundo, quia sic Ionas non fuisset Hebræus, sed Tyrius, aut Sidonius: at ipsemet Ionas capite 1. prophetiæ suæ versu nono, *Hebræus ego sum*, inquit, *& Dominum Deum cœli ego timeo.* Tertio quia tempus repugnat: nam ab anno 4. Iosaphati, & 8. Achabi, quando celebris illa fames vexauit Israëlitas, ad hunc vsque annum, octoginta & octo intercedunt; nec tamen tunc infans fuit, qui nuncius fuit Eliæ ad regem Achabum, vt ait Ioannes patriarcha, [f] sed facilè viginti annorum, aut amplius; ideoque parum habilis, vt ad Niniuitas, homo iam decrepitus, & centenario maior mitteretur. Quarto quia Ionas non esset Gethæus de Geth, quæ est in Opher, [g] scilicet in tribu Zabulon, ad differentiam alterius Geth Philisthæorum, sed Sarephtanus, sicut & parentes eius.

f lib. de insſit mon. c. 12.
g Vt dicitur 4. Reg. 14. 25.

VIII. *Quæ eius patria. Diocæsarea.*

QVOD ad patriam Ionæ attinet, oppidum Geth dicebatur tempore Hieronymi Diocæsarea, *haud grandis viculus, vbi*, inquit, [h] *& sepulchrum eius ostenditur: quamquam alij iuxta Diospolim, id est Liddam, cum & natum, & conditum velint: non intelligentes hoc, quod additur, Opher, ad distinctionem aliarum Geth vrbium pertinere.* Hæc ibi. Eam Adrichomius in tribu Zabulon collocat, & vocat Gethefer, siue Gethofer, [i] fuit autem Opher tempore Iosue ciuitas regia in terra Chanaan. [k] Ab Epiphan. nihilominus, in eius vita, dicitur oriundus ex terra Cariathamaum, non longè ab Azoto vrbe, Græcorum mari vicina. Sed id videtur nominatim à Hieronymo refutari.

h Præfat in Ionam.
i n. 56. sicut Iosue c. 19. 13.
k Iosue 12. 17.

*Et pater.*

Quod porro dicitur Ionas filius Amathi, hoc ipso intelligitur Amathi fuisse prophetam. Tradunt enim Hebræi apud Hieronymum, quotiescumque pater prophetæ à propheta exprimitur, etiam ipsum fuisse prophetam: quod tamen in

patre Esaiæ valde incertum est, vt supra diximus. [a]

Ieroboam igitur bene animatus à propheta expeditionem contra Syros parauit, & patris vestigia secutus, eos multis præliis fatigatos, omnibus iis spoliauit, quæ cis montem Libanum, à Septentrione, à primis temporibus Israëlitæ possederant: ab Emath videlicet ciuitate, quæ ad radices montis Libani sita erat, vsque ad mare solitudinis, siue mare mortuum, meridiem versus; vbi quondam Sodoma, & Gomorrha, cum sociis vrbibus, diuino incendio deflagrauerant. Quem lacum Asphaltitem Iosephus appellat. Sed hæc his annis inchoata, etiam in annos consequentes propagata sunt. IX. *Ieroboam recipit regionem trans Iordanem.*

Amasias verò, ne nihil ageret, videtur hoc tempore Hierosolymis illam quadringentorum cubitorum ruinam in muris restaurasse. Quem locum postea filius eius Ozias diligentius communiuit. [b] Nam tantam in muris labem quindecim annis, quibus superuixit Amasias, neglectam fuisse nulla ratio persuadet, licet id significet Iosephus. [c] Sequens porro annus Sabbaticus fuit, ordine nonagesimus. *Quid interim Amasias.* *Annus Sabbat. 90.*

a in Amasia. n. 4.
b 2. Paral. 26. 9.
c l. 9. c. 11.



ANNVS MVNDI 3215. DILVVII 1559. QVINTAE ÆTATIS 276. FVNDATI TEMPLI 193. AMASIÆ REGIS IVDÆ 19. IERBOAMI 11. REGIS ISRAELIS 5. SEDECHIÆ PONTIFICIS 19. TROIÆ EXCISÆ 345. OCRAZAPIS 42. & vlt. IMPERII ASSYRIORVM 1284.

ANNVS ANTE CHRISTVM 838.



POSTREMVS fuit hic annus Ocrazapis: est enim quadragesimus secũdus regni eius, nec plures ei, pauciorésve tribuunt Eusebius in chronicis Græcis, & Latinis, & Africanus in thesauro temporum, [d] & cum illis cæteri scriptores, medij, vltimiq. æui. Itaque oportet Torniellum, in corruptos Eusebij codices incidisse, cùm ei vnum & quadraginta tantum attribuit. [e] Et consequenter Sardanapali initia, ad annum Amasiæ decimum nonum refert, quæ ad vigesimum differenda sunt. Ad Ocrazapis tempora (qui ab Africano Acracarnes dicitur, & Anacyndaraxes, si pater Sardanapali fuit) Capellus sectarius referendam putat Niniuitarum pœnitentiam; quod eius regnum diuturnius, quàm Sardanapali, felicior exitus, fama minus infamis, res ab eo gestæ obscuriores. [f] Verùm hæc argumenta nihili esse, ipsemet ostendit; qui Ionam Niniuitis excidium denunciasse scribit primo anno Ieroboami; quando iam, tam Eusebio, quo ipsomet Capello attestante, Sardanapalus regnabat. Nvm. I.

d apud Scalig. p. 360. & in can. Isag. p. 132
e ann. mun. 3214. & 3254. n. 1.
f an. mun. 3161.

ANNVS MVNDI 3216. DILVVII 1560. QVINTÆ ÆTATIS 277. FVNDATI TEMPLI 194. AMASIÆ REGIS IVDÆ 20. IEROBOAMI II. REGIS ISRAEL 6. SEDECHIÆ PONT. 20. TROIÆ EXCISÆ 346. SARDANAPALI 1. IMPERII ASSYRIORVM 1285.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 837.

N. I. *Sardanapali regnum. Eius ordo.*



SVFFICITVR hoc anno Aſſyriorum imperio Sardanapalus Anacyndaraxis filius, vt eſt in eius ſepulchro apud Strabonem l 14. qui paſſim apud omnes qui Regum iſtorum catalogos texuerunt, vltimus numeratur. Ei tamen pleroſque ſufficiunt, qui hiſtoriæ ſacræ potius, vt ratio poſtulat, quàm prophanæ aſſentiendum putant; vtramque tamen Deo fauente in fine regni Sardanapali conciliare conabimur. Eſt is apud Diodorum Siculum trigeſimus à Nino, in Euſebij autem Catalogo, ab eodem Nino trigeſimus ſextus; apud Africanum autem, qui à Belo exorditur, & quatuor reges ab Euſebio prætermiſſos inſerit, quadrageſimus primus. Vterque illi viginti annos regni tribuit. Genebrardus hunc eundem eſſe putat Aſſaraddonem, Sennacheribi filium à Scriptura memoratum. Sed non placet Euſebium, quem hactenus, quantum licuit ſecuti ſumus, deſerere; præſertim Africano conſentientem.

II. *Nomen geminum. Scaliger.*

VTERQVE duo illi nomina tribuit, alterum aſſyrium Thonos Concoleros, Græcum alterum vulgo notiſſimum, nempe Sardanapalum. Quod tamen Scaliger ait eſſe purum putum Aſſyriacum; illud autem alterum, nihil ſpirare Aſſyriacum: Sardanapali vero nomen à Græcis in obſcœnam notam detortum: Quod vt perſuadeat, geminat l. in eo nomine, ex fide, vt ait, omnium manuſcriptorum, quod ex Pontaco facilè refellitur, qui in 20. manuſcriptis vnicum l. reperit. Ficto quoque Ciceronis teſtimonio, ex 3. de Rep. abutitur; nuſquam enim illud in totis de rep. fragmentis reperitur. Apparet autem deprauatum ab eo Hieronymi locum in cap. 1. Amos. *In diebus Oziæ*, inquit Hieron. *quando apud Aſſyrios, vrbéſque Ciliciæ regnabat Sardanapalus, de quo inſignis orator, turpior,* inquit, *vitiis, quàm nomine.* Quem ille oratorem fidenter Tullium interpretatus eſt, fidentiùs autem notauit etiam librum. *Hieron.*

III. *Coniuratio contra Amaſiam malè huc refertur.*

QVOD ad Hebræorum res attinet, non deſunt qui anno vigeſimo Amaſiæ, qui eſt decimus ante mortem eius, factam contra eum coniurationem arbitrentur, & in fugam compulſum, decem annis Hieroſolymis exulaſſe; ſed ij nituntur ruinoſo fundamento; ſcilicet Amaſiam vixiſſe poſt mortem Ioas viginti quinque annis, cùm quindecim tantùm anni ei à Scriptura tradantur. Aiunt autem iſtos decem annos à Scriptura omitti; quod ſine fundamento aſſeritur: & narratio ipſa coniurationis, rem totam intra breue tempus docet eſſe perfectam. Nec ratio patitur vt ipſo decennio Rex Amaſias, habens Oziam filium regni hæredem, non potuerit iſtis coniuratis præualere. Subito potius tumultu concitato Regem perterritum effugiſſe, & eodem feruore durante interfectum eſſe, antequam ſe ipſe colligere poſſet, exiſtimandum eſt. Rectiùs itaque ea de re anno Amaſiæ vigeſimo nono & vltimo dicetur.

IV. *An perſeuerauerit in cultu idolorum. Non videri.*

QVID autem per hoſce annos, & præcedentes ab Amaſia factum putemus? Torniellus, anno 203. quintæ ætatis, eum in idololatria perſeueraſſe putat, indeque factum populo exoſum, quod propterea multæ calamitates reipublicæ diuinitus infligerentur. Idque videtur ſignificari à Scriptura. [a] *Qui poſtquam,* inquit, *receſſit à Domino, tetenderunt ei inſidias.* Idemque putat Abulenſis. [b] Sed iis verbis ſcriptura ſignificat duntaxat Deum permiſiſſe coniurationem in eum fieri, eáque etiam interfici, in vltionem præuaricationis eius, & adorationis deorum Seir: Non autem vult eum in ea dementia perſeueraſſe. Itaque illud

[a] 2. Paral. 25. 27. [b] q. 18. in c. 14.

*postquam* vim habet causæ meritoriæ, quia ab eo tempore promeritus est, vt ei tenderentur insidiæ, & violenta morte interficeretur. Alioqui dicendum esset, coniurationem per sedecim annos occultatam, tandem postremo anno erupisse. Quod absurdum non esset; non tamen inde efficeretur Amasiam, in idololatria perseuerasse.

NEC aliud hac de re Iosephus, quàm eum miserum habuisse exitum, propter nouatas religiones, & pietatis contemptum, vti diximus, non autem eum in illa vesania ad mortem perdurasse: nec miserum exitum aliò refert Iosephus, quàm ad eius vitæ calamitates. Et sanè cùm vexatio det intellectum, nec eum Deus in flagranti, vt aiunt, delicto perdiderit, sed multis annis afflixerit: non videtur absurdum existimare eum, his annis ad se reuersum, sese pœnitentiæ dedisse, & omnem idololatriam pessum dedisse. Alioqui enim extaret aliqua memoria in Osiæ regno, eum patris sui idola deleuisse. Quin potius legimus Oziam fecisse, quod erat rectum in oculis domini, *iuxta omnia quæ fecerat Amasias pater eius.* Quomodo Amasias poneretur in exemplum recti cultus Domini, si ipsos sedecim, aut septemdecim annos, in cultu idolorum perseuerasset, & in ea insania, è viuis excessisset? V. *Sed potius pœnitentiam egisse.* *Et idola pessum dedisse.*

Dicamus igitur Amasiam multis annis, multisque modis vexatum, atque humiliatum, annitentibus prophetis, summo Pontifice cum Sacerdotibus, & Leuitis quamprimum resipuisse, & clade accepta à Rege Israëlis, quindecim annis calamitates suas, in pœnam peccatorum suorum, æquo animo subiisse, & Salomonis exemplo, peccata sua deplorasse, vt de eius salute bene sperari posse videatur.

IN regno autem Israëlis perseuerat Ieroboam perpetuis præliis Syros atterere, adeo vt etiam Damascum, & Emath regno Israëlis acquisierit, vel vt Scriptura [a] loquitur, *restituerit*; habita scilicet ratione Dauidis, [b] qui Damascum, Syriámque totam habuit tributariam. Emath autem pridem à Salomone occupatam legimus. [c] Quæ videtur melior expositio, quam Tostati, qui [d] cùm videret Damascũ, & Emath esse extra terminos Chananitidis, negauit eas vrbes à Ieroboamo receptas, sed illas potius, quas regno Hebræorum abstulerant rex Emath, & rex Damasci. Quæ interpretatio textui parum aptari potest; & quod de rege Emath asserit probare non potest; rectè ergo *restituit Ieroboam Damascum, & Emath Iudæ*, id est, reddidit iteratò tributarias vrbes illas. Sed quomodo Iudæ restituit, cùm ipse esset rex Israëlis, & sibi vicinæ essent, à Iuda verò longissimè distarent? Dicendum videtur restituisse *Iudæ in Israël.* Iudæ quidem, quia Dauid, & Salomon, qui eas priùs obtinuerant, fuerant reges de tribu Iuda, & tribui suæ acquisiuisse videbantur, quamuis omnibus tribubus imperarent. In Israël autem, quia non factæ sunt tributariæ regi Amasiæ, qui regnabat in Iuda, sed regi Ieroboamo, qui in Israële imperabat. VI. *Prospera Ieroboami res.*

a 4. reg. 14. 28. b 2. reg. 8. 6. c 2. Paral. c. 8. 3. d q. 26. in c. 14. 4. reg.

ITAQVE incredibile videtur, quod Iosephus [e] ait. *Hic rex*, inquit, *cùm esset vehementer impius, totúsque idolis deditus, nihil sibi non permittens, Israëlitis etiam innumeras calamitates attulit.* Sic ipse. Nullam tamen cladem vel excogitauit ipse, vel ex Scriptura protulit, aut etiam proferre potuit; nimirum existimauit hoc ipso quod impius esset, etiam in regno infelicem esse debere, quasi pietatem Deus perpetuo, etiam in hac vita muneretur, aut impietatem castiget. Illud potiùs admirari debuisset, quod licet impia maiorum suorum, & prædecessorum vestigia sequeretur, omnium tamen felicissimus fuerit. Nam cùm reliqui omnes Israëlitarum reges intra trigesimum annum regnarint, ipse etiam quadragesimum superauit: imo regis dignitatem, & nomen ad quinquagesimum secundum annum vsque tenuit; quo tempore patrem quater regiorum exercituum victorem vidit, & ipse perpetuis in præliis nunquam victus legitur, semper victor, atque triumphator. Nimirum placuerat Deo dare Israëli Saluatorem, vt fusius anno 16. Amasiæ dictum est. VII. *Improbatur de eo Iosephus.*

e l. 9. c. 11.

AD hæc porro tempora, quibus floruisse Ionam, & Ieroboamo prophetam extitisse diximus, alteram quoque propheticam eius historiam contra Niniue referre merito possumus, Hieronymo duce in prologo in Ionam, aliisque permultis. Sub hos igitur Ieroboami annos, quibus Sardanapalus, qui illi æqualis VIII. *Ionas Niniuem mittitur hoc tempore.*

fuit, iuxta Eusebij chronologiam, in Assyria regnabat, Dominus qui nō Hebræorum tantùm, sed & gentium Deus semper fuit, licet longè maioribus studiis populum Israëliticum excoluerit, nunquam tamen gentes planè deseruit, quin opportunis temporibus, aliqua salutis ipsorum præsidia largitus sit; quod ex missione Ionæ in Niniuem facilè conijci potest, quæ ciuitas, etiam tunc princeps, & metropolis Assyriorum fuit: ex quo Assur, vnde illi dicti sunt, eam condidit. Ninus autem amplificatæ à se [a] ciuitati nomen suum dedit: nam notiore vocabulo Ninus dicta est. Hæc ergo cùm peccatis innumeris diuinam vindictam ante suum tempus excitaret: Deus eam ad pœnitentiàm prouocatum iri prouidens, & seculis omnibus, singulare pœnitentiæ exemplum fore, Ionam prophetam eò destinat.

a an. mun. 1931. n. 60. b Genes. 10. 11.

IX. Quanta esset illa urbs.

FACTVM *est itaque verbum Domini ad Ionam filium Amathi dicens: surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem.* Non pigebit hoc loco describere in gratiam beneuoli lectoris, vt eū quærendi labore leuem, quæ de huius magnitudine ciuitatis prodidit Diodorus Siculus, [c] vt alibi quoque retulimus. [d] *Cùm Ninus*, inquit, *rerum gestarum claritudine omnes superasset, qui eum antecesserant; tanta quoque magnitudinis vrbem condere festinabat, vt non modo omnium tunc in orbe terrarum maxima existeret, sed etiam vt nemo posterorum tale quid aggressurus, eum facilè superaret*; & mox. *Ipse contractis vndique copijs, & omni facultatum suarum apparatu, ad Euphratem fluuium*, aut Tygrim potius ex Herodoto, Ptolemæo, & Plinio, *vrbem præclarè munitam condidit, figura quadrilatera, altera parte longiore. Nam latus vtrimque longius ad centum & quinquaginta stadia excurrit: reliqua duo minora, nonaginta obtinent. Ambitus igitur totus stadijs quadringentis octoginta constat; nec conditorem spes fefellit. A nullo enim postmodùm vrbs tanto ambitus spatio, tantaque magnificentia mœnium extructa fuit. Nam murus ad centum pedum altitudinem exurgebat, & trium latitudinem curruum iunctim agitandorum porrectus erat. Turres in eo mille quingentæ, ducentos pedes altæ. Quibus habitandam vrbem dedit, plerique Assyrij erant, ijque potentissimi, ex alijs tamen nationibus, qui vellent, aggregatis.* Hæc ibi. Fuit ergo murorum ambitus sexaginta milliariorum, octonis stadiis in singula milliaria distributis; quorum si tria milliaria leucæ vni tribuas, viginti leucarum fiet totius ciuitatis ambitus; ex quo intelligi potest, quantum temporis, tota vrbe vicatim obambulanda, impendi posset: & sine amplificatione à propheta dictum esse; *Et Niniue erat ciuitas magna, itinere trium dierum.*

c l. 2. cit. d an. mun. 1997. n. 5.

X. Ionas fugit in Tharsis.

AD hanc ergo ciuitatē mittitur Ionas, *in condemnationem Israelis*, vt ait Hieron. *quòd Niniue agente pœnitentiam, illi in malitia perseuerent*, & neque prosperis rebus, neque aduersis persuasi ad Deum patrum suorum redeant. Et iubetur prædicare, quia *ascendit*, inquit, *malitia eius coram me*, eius videlicet scelera vsque adeo excreuerunt, vt ea vltra ferre non possim. *Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis, à facie Domini.* Causam fugæ expressit ipsemet Ionas. [e] *Obsecro Domine. Numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis: scio enim quia tu Deus clemens, & misericors, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Timuit scilicet ne Deus exoratus Niniuitarum precibus, sententiam mutaret; & ipse, qui imminentem ciuitatis ruinam prænunciaret, mendax deprehensus, populi irrisionibus, fortè etiam verberibus pateret. Doluit quoque, vt ait Hieronymus, quòd cùm cæteri prophetæ mitterentur ad oues perditas domus Israël, vt ad pœnitentiam populum prouocarent, ipse ad Assyrios Israëlis inimicos mitteretur: timens ne per occasionem prædicationis suæ, illis conuersis ad pœnitentiam, Israël penitus relinqueretur.

e c. 4. 2.

Et cur.

XI. Quæ esset Tharsis.

FVGIT autem in Tharsis, vel Tarsum vrbem Ciliciæ, vt vult Iosephus, [f] & qui eum secuti sunt; vel Carthaginem Africæ, cum Septuaginta, qui Tharsis non semel Carthaginem interpretati sunt, cum Theophylacto, & Theodoreto; vel Thartessum Boeticè in Hispania, vt fusè docet Pineda; [g] vel in mare ipsum mediterraneum, vt existimat D. Hieronymus in 1. cap. Ionæ, & post eum Ribera. ibid. vt qui nihil haberet propositum, quàm ex patria discedere. Sed nisi locus certus intelligatur, etiam dicendum totam nauim, nihil habuisse propositum, quàm nauigare. Et Ionæ quidem perinde erat quocumque iretur, sed tamen locum elegit, ad quem, propter frequentiam nauigantium, faciliùs traijcere posset, Carthaginem scilicet, vel Tharsum occidentem versus, cùm à Deo in orien_

f l. 9. c. 11.

g l. 4. de reb. Salomon. c. 14.

tem mitteretur. *Et descendit in Ioppen*, portum maris mediterranei, qui nunc Iapha dicitur, quo nomine vrbs quoque appellatur. Ex quo perspicuum est Tharsis in India quærendum non esse, vt putat Hieronymus. *Et inuenit nauem euntem in Tharsis*, & pretio vecturæ persoluto, sese in viam dedit.

a Ion. 1. 4.

XII. *Excitatur tempestas.*

Dominus *autem misit ventum magnum in mare*, [a] *& facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri, & timuerunt nautæ, & clamauerunt viri*, id est vnusquisque *ad Deum suum*; variæ enim nationes, imo & ciuitates suos singulæ Deos colebant: erat autem in naui plurima turba, ex variis collecta locis, *& miserunt vasa*, proiecerunt in mare varias sarcinas, & onera minus necessaria, *quæ erant in naui, vt alleuiaretur ab eis: & Ionas descendit ad interiora nauis*, siue vt minus iactationem sentiret, siue vt à nautico tumultu se subduceret, siue præ tristitia, *& dormiebat sopore graui*, ne quasi Dei vindices fluctus aduersum se videret intumescere, vt ait D. Hieronymus, non præ securitate, sed præ mœrore, vt ait idem, *& accessit ad eum gubernator, & dixit ei. Quid tu sopore deprimeris? Surge, & inuoca Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus. Excitat*, inquit idem, [b] *dormientem, & arguit improuidæ securitatis: commonétque vt ipse quoque pro virili portione deprecetur Deum suum, vt cuius erat commune periculum, communis esset oratio.*

*Ionas latet, & dormit.*

b Hier in Ionæ.

*Excitatur à nauarcho.*

XIII. *Nautæ sortiuntur, vt inueniant reum.*

Et *dixit vir ad collegam suum; venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis.* Nouerant naturam maris, ait Hieronymus, & tanto tempore nauigantes sciebant tempestatem, ventorumque rationes; & vtique si solitos, & quos aliquando experti fuerant, fluctus vidissent consurgere, nunquam sorte authorem naufragij quærerent, & per rem incertam, certum cuperent euitare discrimen. Ergo crediderunt causam esse moralem, & alicuius eorum, qui veherentur culpæ, quam Deus punire vellet, adscribendam esse; præsertim si, quod ait Theodoretus, & Dionysius, videbant alias naues prospera nauigatione ferri: quod merito improbat Ribera noster, [c] & Scriptura satis significat totum illum maris tractum ventis fuisse concitatum, & cæteras naues eadem iactatione vexatas. *Et miserunt sortes, & sors cecidit super Ionam.* Et nihilominus, ne fortè sors malè ceciderit; *dixerunt ad eum. Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu?* Ex his enim se in cognitionem causæ insolitæ tempestatis venturos esse crediderunt.

c in c. 1. n. 9.

*Sors cadit in Ionam.*

XIV. *Fatetur is culpam suam.*

Et *dixit ad eos, Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare, & aridam. Cur ergo aridam relinquens*, ait Hieronymus, *arbitraris te conditorem maris in mari posse vitare?* Addidit etiam se à facie Domini fugere, ne Niniuitis prædicare cogeretur. *Et timuerunt viri timore magno*, ventorum scilicet, tempestatumque potentem, non Neptunum aliquem, sed Deum vtrorumque conditorem. Et mirantes, quòd tantum Deum se fugere posse speraret, nec eius præceptis obtemperaret, dixerunt. *Quid hoc fecisti? Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? Quia mare ibat, & intumescebat. Et dixit ad eos: tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Non ignoro in meam pœnam elementa turbari, mundi esse confusionem, mihi irasci, in vos sæuire naufragium, fluctus ipsi imperant vobis, vt me mittatis in mare. Si ego sensero tempestatem, vos recuperabitis tranquillitatem. Et animaduertenda pariter fugitiui nostri magnanimitas, non tergiuersatur, non dissimulat, non negat: sed qui confessus fuerat de fuga, pœnam libenter assumit, se cupiens perire, ne propter se, & cæteri pereant; & ad peccatum fugæ, alienæ quoque peccatum addatur necis. Sic Hieronymus; Præterea, vt ait Lyranus, morte sua vult Deum iratum placare, eique satisfacere.

*Et consentit in pœnam.*

XV. *Nautæ orant Dominum.*

Nihilominus nautæ timentes ne Deum magis contra se irritarent, si seruum eius in fluctus spargerent, conati sunt eum in terram deponere; ideoque *remigabant, vt reuerterentur ad aridam, & non valebant*, quia mare crescebat, & per singula momenta fluctus maiores suscitabantur. *Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt. Quæsumus Domine ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem, quia tu Domine, sicut voluisti fecisti;* Innocentem vocant, non ex culpa in Deum, sed erga se, quos nulla in re læserat. Etsi enim causa erat iacturæ ipsorum, id tamen præter eius voluntatem contigerat. Videbatur autem etiam Dominus ipse velle vt in mare proijceretur, cùm non pateretur eos ad terram appellere, nec

alioqui tempestatem sedaret, sed potius augeret, *quia mare ibat, & intumescebat super eos*, quasi eos petens, & eis minas naufragij intentans, quia nauis periclitabatur conteri.

XVI. *Et Ionam mittunt in mare.* ET *tulerunt Ionam, & miserunt in mare & stetit mare, à feruore suo*, quasi factum voti compos, quieuit. Hic quoque ingeniosi videri voluerunt Hebræi. Refert enim Montanus ex quodam Eleazaro nautas pertentasse an Iona demerso tempestas quietura esset, & eum ad collum vsque demisisse, & remittente illico tempestate retractum in nauim, statimque mare tumultuari cœpisse, idque sæpius tentasse; postremóque virum planè dimisisse. Ne quæramus, ait Ribera in simili re, cur hoc dicant, aut vnde; non enim aut solent, aut possunt dicere. *Et sacrificant.* *Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.* Et immolauerunt hostias, ait Hieronymus, quas certè in mediis fluctibus non habebant; sed quia sacrificium Deo spiritus contribulatus est. Non est tamen absurdum etiam aliqua animantia in iactura fuisse ad victum reseruata, quæ Deo immolarunt. Verùm quia Scriptura non dicit in naui immolasse, potuit id ab eis in terra factum esse, vt vult Theophi lact. & Ribera.

XVII. *Nautarum conuersio.* Hos nautas ad verum Deum esse conuersos, hoc loco docet Hieronymus. *Idcirco*, inquit, *in mari immolant hostias, & alias sponte promittunt, vota facientes, se nunquam ab eo, quem colere cœperant, recessuros. Timuerunt enim timore magno, quia ex tranquillitate maris, & tempestatis fuga vera prophetæ verba cernebant.* Et paulò superius. *Simulque instituitur per salutem, conuersionemque nautarum, etiam tantam multitudinem Niniue, similis posse conuersione saluari.*

XVIII. *Piscis prophetam vocat. Qualis, & vnde ex Pineda.* ET *præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam.* [a] id est. *Iuxta nauem fecit venire*, ait Hieronymus, *vt præcipitem Ionam in suos reciperet sinus, & pro morte præberet habitaculum; vt qui in naui iratum senserat Deum, propitium in mari sentiret.* Scribit Pineda, [b] hunc piscem ex genere eorum fuisse quos caniculas, aut lamias vocant, ex genere cetorum, qui voracissimi sunt, & antropophagi, vt mare nō sit tutum, vt ait Theophrastus. Cúmque horum magna copia in mari rubro sit, inde vult piscem à Deo accitum prophetæ incolumitati, atque prouidentiæ suæ seruiturum. Cùm autem prophetam diglutiuit, trium dierum, & noctium spatio, quo in ventre ceti propheta fuit, incredibili celeritate reuersum totam mediterranei maris longitudinem, & omnia vniuersæ vndique Africæ littora peruolasse, & ad sinum maris Arabici peruenisse, ibique Ionam euomuisse.

[a] Ca. 2. 1.
[b] l. 4. de reb. Salom. c. 12.

XIX. *Confirmatur ab eodem.* NATIVÆ istiusmodi piscium velocitati, Deo quoque velificante, tum etiam alliciente, & monstrante viam eodem mari, ex quo nuper digressus fuerat, præcipiente Deo. Fundatur autem hæc eius expositio illis verbis. [c] *Abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.* Vbi in Hebræo ad verbum habetur. *Vorago circumdedit me, carectum alligatū est capiti meo.* *Ex Hebræo.* Hebræi porro vocant carectum Suph, & mare Suph mare rubrum, quasi diceretur, carectis abundans. Pagninus tamen vertit, *alga alligata est capiti meo*, tam profundè videlicet demersus sum, ac si alga, quæ succrescit in fundo maris illigasset caput meum. Quomodo habet etiam Vatablus, & alij; hæc fuit etiam quorundam Rabinorum sententia, quos sequitur Pineda: refellit ibid. Ribera.

[c] 2. v. 6.

XX. *Improbatur.* NEC sanè satis videtur fundata hæc expositio, nam carices nō vnius rubri maris sunt, neque alga, neque in mari mediterraneo desunt huiusmodi pisces, vt tam longè, tantoque opere acciri inde debeant. Nec Scriptura vocat pelagus Suph, sed tantùm Suph, id est carectum, quod D. Hieronymus vertit pelagus, non autem pelagus Suph, quasi certum mare denotans, vocabulo generali contentus. Vt propterea simplicior, & probabilior videatur Vatabli expositio, carectum implicitum est capiti ceti, in quo ego inclusus sum, aut certè, vt ante dixi, quasi ad ipsam vsque algam demersus sum, & illi capillis implicatus: aut denique implicatum est caput meum algæ, quam habet in stomacho deuoratam, vocator meus.

XXI. *Euomitur, & vbi.* ET statim post orationem, vt ait Pineda, in signum exauditæ precationis, præcepit *Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam*; vtique diuina prouidentia conseruatum, ne in stomacho maximi, voracissimique animalis calore suffocaretur, imò & dissipatus digereretur, vt notat Theodoretus. Aridam verò non intel-

lexerim

lexerim desertum Arabiæ, quod sinum ambit Eritrhæi maris; vnde laboriosissimus esset traiectus magnæ partis Arabiæ Petreæ, & Desertæ, & regionis Moabitarum, & Ammonitarum, & Syriæ orientalis. Sed potiùs prope illum locum vnde soluerat, vt existimat noster à Castro, vt inde traiecta latitudine regionis Hebræorum, citiùs, faciliúsque ad Tygrim, & Niniuem peruenire posset: nisi malis Iosephum audire, dicentem eum post triduum in Euxinum pontum reuomitum viuum, & toto corpore illæsum: vt scilicet minore labore Niniuem perueniret. Tempus porro trium dierum, totidemque noctium Ribera cum Synodoche partis pro toto accipiendum putat, vt figura similior fieret rei figuratæ.

XXII. *Ionas adit Niniuem.*

ET *factum est verbum Domini ad Ionam secundo dicens; surge, & vade in Niniuem ciuitatem magnam, & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.* Scilicet ascendisse malitiam eius coram Deo, & breui propterea, atque adeo intra 40. dies exterminatum iri. *Et surrexit Ionas, & abijt in Niniuem, iuxta verbum Domini*, qui nuper abierat in Tharsis, iuxta voluntatem suam. Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum, id est, *tanti ambitus*, ait Hieronymus, *vt vix trium dierum itinere posset circumiri. At ille præcepti, & superioris naufragij memor, viam trium dierum vnius diei festinatione compleuit; quamquam sint, qui ita simpliciter intelligant; quòd in tertia tantùm vrbis parte prædicauerit, & ad reliquos confestim prædicationis sermo peruenerit.*

XXIII. *Et in tertia vrbis parte prophetat.*

QVÆ posterior explicatio multo est probabilior, & Theodoreto gratior, & textui accommodatior. Sequitur enim: *Et cœpit Ionas introire in ciuitatē itinere vnius diei*, si cœpit introire vno die, non totam vno die obambulauit, præsertim cùm nō multùm festinaret, sed crebrò in vicis, & plateis cōcionabundus subsisteret.

*Eius vaticinium.*

*Et clamauit, & dixit: adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* At Septuaginta non post quadraginta dies, sed post tres legunt. Verùm Theodoretus ait Aquilam, Symmachum, Theodotionem habere quadraginta: consonat autem his, inquit, & Syrus, & Hebræus. Additque verisimile esse, & Septuaginta eundem cum aliis numerū posuisse, eos verò qui à principio transcripserunt, errasse in eo numero: vnde post ea idem erratum in alia exemplaria propagatum sit. Qui primus errauit credidit temporis breuitatem ad perterrendum populum valuisse. (μ in γ.) Quidquid sit admirabilis fuit tunc apud istos Assyrios diuini verbi efficacia, primo vt crederent, deinde vt ad talia, tantáque pœnitentiæ signa descenderent.

XXIV. *Credunt Niniuitæ.*

NAM *crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt sacco à maiore vsque ad minorem.* Hæc est summa pœnitentiæ, sed mox ordinatè tota res exponitur. *Et peruenit verbum ad regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.* Fuisse hunc regem Sardanapalum ratio temporis exigit, vt ante diximus, idque affirmat Torniellus, & [a] à Castro in sua chronologia sacra, & in hunc locum; quod sentit etiam Hieronymus in cap. 1. Oseæ, & Amos. Nam priore loco ait Oseam, Esaiam, Iohel, Amos, Abdiam, Ionam, & Michæam συγχρόνους, id est contemporaneos fuisse; quod repetit etiam in præfatione in Ionam; in posteriore autem ait Amos prophetasse, cùm apud Assyrios regnabat Sardanapalus; & apud Latinos Procus Syluius, quæ est chronologia Eusebij. Neque absurdum est hominem luxu perditum, qualem illum omnes antiqui prædicant, pœnitentiam egisse; nam illa pertinet ad principium regni eius, quando nondum erat ita deprauatus. Nemo enim repente fit pessimus.

[a] a.m. 3215.

XXV. *Diploma regis indicens pœnitentiam.*

HIC ergo rex præconis voce iussit promulgari in Niniue, tam suo, quàm principum suorum nomine, vt populus vniuersus sese pœnitentiæ dederet ad placandum Deum, & imminentem perniciem auertendam. Quid dico populum vniuersum? Audi ipsum diploma. *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant*; Vtique certo quodam, & definito tempore, puta vno die à prima luce, vsque ad vesperam, vt Hebræi solebant: alioqui enim satius erat hostili ferro perire, quam rabida, & male suada fame. Pergit. *Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & cōuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorū. Quis scit si cōuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Phrasis tota Hebræa est, non Assyriaca, nimirū ab ipso Iona hebraicè scriptum est edictum.

XXVI. *Quam insignis eorũ pœnitentia.*

OMNIA sunt in hac pœnitentia admirabilia;[a] primo, quod suscepta est ad prædicationem hominis ignoti, rusticani, alienigenæ, ex barbara, & contempta natione oriundi, hominis qui nullam talis, tantæq. denunciationis probationem, vel coniecturam, nullum autorem, nullum miraculum proferebat: vt dicere posset rex, vt nuper Amasias.[b] *Num consiliarius regis es? Quiesce, ne interficiam te.* Et principes. *Quid sibi vult hic seminiverbius*[c]? Nec inuaserunt in eum tanquam temerarium, vel publicæ tranquillitatis perturbatorem, neq. tanquam insanum à finibus suis male mulctatũ eiecerunt. Secundò, quod statim suscepta est pœnitẽtia ad primam Ionæ prædicationem. Tertiò, quod publica omnium fuit, à rege, & principibus, vsque ad mancipia: ab infantibus vsque ad senes; ab hominibus vsque ad iumenta, quę pasci, aut quidquam gustare prohibebantur.

[a] Theodor. hoc loco.
[b] 2 Par. 25. 16.
[c] Act. 17. 18.

XXVII. *Alia eiusdem circũstantia.*

QVARTO, quòd suscepta est seuerissima, in vili cinere, in aspero cilicio, in precibus feruentissimis, & clamore vehementi, in ieiunio ad eam diem inaudito. Quæ fuit illa tantæ reipublicæ, ciuitatisque facies, cùm rex ipse totius Asiæ, atque orientis Imperator, tot Satrapæ, qui plerosque reges, & principes, Assyriorũ imperio subiugarant; tot prouinciarum principes, & proreges non solùm magnificum ornatum deposuerunt, sed etiam abiecerunt: nec mutarunt lugubri, & pullo vestitu, decoro tamen, sed turpi sacco, hispidoque cilicio; non in sublimi throno, aureisue sedilibus sederunt, sed humi, atque in cinere. Nec altilibus abstinuerunt, preciosisque cibis & vinis, sed pane ipso secundario, & aqua frigida: *non gustent quidquam,* inquit, *& aquam non bibant.*

XXVIII. *Rursum aliæ peristasies.*

QVI fuit ille dies, si tamen vnicus dies fuit, quo frustra infantuli vagitibus, lachrymisque matres, nutricesque fatigabant; quo pueris, puellisque panem deprecantibus, parentes lapidem porrigebant; quo viri, ac fœminæ omnis ætatis cœlum precibus, clamore, ac comploratione complebant, ferrum, incendium, vastitatem deprecantes; quo animalia omnia, ipsa quoque in sacco, & cilicio, pro modulo suo, dominis suis veniam implorabant: & quæ propter dominos, & cum dominis peritura erant, cum eis saluari, quo modo poterant, inconditis vocibus postulabant. *Et clament ad Dominum in fortitudine.*

Quinto, quod suscepta est, cum detestatione præteritorum peccatorum, & proposito vitæ melioris. *Et conuertatur vir à sua via mala, & ab iniquitate &c.*

Sexto, quod cum spe veniæ in sola Dei misericordia fundatæ. Itaq; nulla auditur culparum excusatio, nulla in Deum, aut prophetam querela; vt non sine causa propositi sint Niniuitæ exemplum pœnitentiæ, & à Domino commendati, digniquehabiti, qui improbos, atque obstinatos Iudæos, eisque similes, plerosque Christianos, in diuino iudicio condemnent.

XXIX *Deus admittit pœnitentiam.*

ET *vidit*[d] *Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Non facta diuinæ voluntatis, sed vitæ peccatorum mutatione, qua præuisa terrere statuerat, non perdere. Vnde sic D. Hieronymus: *Libenter mutauit sententiam, quia vidit opera commutata. Quin potius Deus perseuerauit in proposito suo, misereri volens ab initio, nemo enim punire desiderans, quod facturus est comminatur.* Idcirco, ait Theod. hoc loco: *Minatus fuit, si punire vellet, non minas proponeret, sed vltionem acciperet. Verum quoniam conseruare Deus gaudet, minatur tristia, ne in nos tristia inuehat.* Ergo effugit, nunc quidem Niniue imminentem calamitatem: sed cùm postea ad ingenium, ex insolita consuetudine, & perturbationum suarum tyrannide rediissent, visi sunt cladem non effugisse, sed distulisse. Sed redeamus ad prophetam.

[d] cap. 3. 10.

XXX *Ionas expectat cladẽ, & irascitur.*

OBITA legatione, *egressus est Ionas de ciuitate*[e], *& sedit contra orientem ciuitatis, & fecit sibimet vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra, donec videret, quid accideret ciuitati.* Existimauit enim si non subuersionem, saltem castigationem superuenturam ciuitati, ne penitus falsus propheta videretur. Cumq. tempus destinatum cladi præteriisset, & omnia in oppido suo loco consisterent, *Afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est.* Septuag. *& confusus est,* quod videret Deum placatum, & irritas esse comminationes suas. Ideoque *orauit ad Dominum, & dixit. Obsecro, Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc praeoccupaui, vt fugerem in Tharsis. Scio enim, quia tu Deus clemens, & misericors, & patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Et nunc, Domine, tolle quæso animam*

[e] cap. 4. 5.

*meam à me, quia melior est mihi mors, quàm vita.*

Non doluit Ionas, ait Theophylactus, quòd seruatis inuideret, aut ex eorum interitu voluptatem caperet. Abhorret enim hoc à bono, & mansueto spiritu, cuius ille domicilium erat, sed quia periculum erat, nec ipse etiam mendax reputaretur, quique, ceu præstigiator aliquis, frustra turbasset ciuitatem. Voluisset propheta decretoriam nunciare sententiam, & non ex euentorum mutatione pendentem. Sua vtique magis causa, quàm Dei; ideóque mox à Domino reprehensus est. Cùm par sit famulum non eligere Domini sui mandata, sed exequi; diuinoque iudicio, voluntatique penitus acquiescere. An hîc quoque vsurpandum est illud Apostoli. *Nihil ad perfectum adduxit lex?* [a] Nondum tempore illo didicerant homines abire à conspectu concilij gaudêtes, quod pro nomine Domini contumeliam passi essent. XXXI. *Qualis eius ira.*

a Hebr. 7. 9.

Et *dixit Dominus; putásne bene irasceris tu?* Ita intentus est Dominus Niniuitis curandis, vt prophetam suum non negligat, etsi non sine aliqua culpa gementem, quippe qui ignominiam suam, præ totius populi salute, negligere debuit: præsertim cùm mendacij arguentibus, in promptu adesset responsio, Deum fuisse eorum conuersione placatum. Sic in suauissima prodigi parabola, pater familias ita iuniorem cum lætitia excepit pœnitentem, vt seniorem indignantem non neglexerit; sed egressus ad eum cœperit rogare illum. [b] Nec verbo solùm, sed facto voluit Dominus erudire discipulum suum. Nam cùm dudum, ex quo Ionas ab vrbe fuerat digressus, præparasset Dominus hederam, vel cucurbitam, vt habent Septuaginta, quæ folia sua latè diffuderat super Ionam, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum; *laborauerat enim*, æstu scilicet, vt sequentia docent, *& lætatus esset Ionas super hedera lætitia magna*: diuinæ scilicet prouidentiæ dulcedinem erga se agnoscens. XXXII. *Reprehenditur à Domino.*

b Luc. 15. 28.

Et ecce *præparauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam*: corrosit scilicet radicem eius, *& exaruit. Et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti*, vt scilicet afflaret terram, & superuenientis solis augeret calorem, sicque propheta magis æstuaret, vt tanto magis doleret, se vmbra hederæ, siue cucurbitæ fuisse priuatum. Vt inde colligeret quanto plus esset occasionis Deo dolendi super interitu maximæ ciuitatis. XXXIII. *Tentatur arefacta hedera.*

*Percussit ergo sol super caput Ionæ, & æstuabat, & petiuit animæ suæ vt moreretur, & dixit, meliùs est mihi mori, quàm viuere. Et dixit Dominus ad Ionam: putásne bene irasceris tu super hedera? Et dixit: bene irascor ego vsque ad mortem. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, nec fecisti vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit.* Non dixit vna nocte creuisse. Nam incrementum eius, ac status fuit circiter quadraginta dierum, quibus eius vmbra fruebatur Ionas, multo minus ea ipsa nocte periit, qua orta est.

Applicat autem similitudinem Dominus. *Et ego*, quem tu clementem, & misericordem prædicas, *non parcam Niniue ciuitati magnæ*, & populosissimæ, *in qua sunt plus quàm 120. millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dextram, & sinistram suam: & iumenta multa.* Infantium damnis, & cædibus tangi paterna viscera, nihil mirũ. Sed illa meritissimò notatur hoc loco dulcedo suauissimæ bonitatis, summæ illius maiestatis, quæ etiam iumentorum morte tangatur; eorum maximè quæ pœnitentiam cum Dominis suis quoquo modo participauerant. Quomodo non dolebit super morte peccatorum, quos frustra tantis affecerit bonis, & ad tantam felicitatem destinarit? XXXIV. *Eximia Dei clementia.* *Etiam erga bruta.*

De Iona nihil præterea in Scripturis inuenimus. Quæ ipsa Iosephus magna ex parte decurtauit. Totum enim caput quartum prætermisit, illam fortasse Dei cum Iona confabulationem vel non capiens, vel non ferens. Animalis enim homo, maximéque Iudæi, quos sua excæcauit malitia, neque percipiunt, neque sapiunt, quæ Dei sunt; rati non satis Dei maiestati conuenire, quæ infinitam eius bonitatem, & paternam erga humanum genus indulgentiam demonstrant. Totam item Niniuitarum pœnitentiam missam fecit: prædicationem quoque Ionæ parùm religiosè tractauit. *Prædicauit*, inquit, *quòd paulò post amissuri erant imperium Asiæ*: quæ sunt admodum disparata: quin ne verum quidem est Niniuitas, aut Assyrios imperium Asiæ paulò post amissuros XXXV. *Quid de Iona Iosephus.*

fuiſſe; cùm vſque ad extrema Ezechiæ tempora illud duraſſe ex Scriptura docturi ſimus.

XXVI. *Reliqua Ionæ vita.*

QVOD autem eum Ioſephus prædicatione facta abiiſſe dicit, pleniùs ab Epiphanio, in libello de vita, & interitu prophetarum explicatur. *Mærore, inquit, affectus Ionas natale ſolum repetit, neque domi permanendum ducebat: verùm aſſumpta parente ſua in Sur peregrinatus eſt regione alienigenarum*, id eſt, in Phœnicia, cuius Metropolis eſt Tyrus, quæ Hebræis Sor, ſiue Sur dicitur, nunc etiam Suri; quod conſentaneum eſt opinioni Epiphanij, de Iona filio viduæ Sarephtanæ. Pergit autem. *Dicebat enim: ne fortè exprobretur vanam extitiſſe meam prophetiam contra Niniue. Cùm frequentaret itaque terram Saar, vita ibidem functus, in ſpecu Cenezei iudicis humatus eſt.* Cenizum vocat Ioſephus, [a] quem Scriptura Othonielem filium Cenez, [b] ſed locus ſepulturæ non traditur. *Prophetauit autem vates ille, quod vbi conſpicerent olim in Ieruſalem innumeras gentes ab occaſu, tunc radicitus popularetur ea ciuitas, & euerteretur funditus.* Eadem habet & Dorotheus in Synopſi, in vita Ionæ. S. tamen Hieronymus, quem ſupra retulimus in Geth patria ſua, quæ poſtea Diocæſarea dicta eſt, conditum ait, ibidemque ſepulchrum eius oſtendi. Dies obitus eius, quotannis ab eccleſia catholica 21. Septembris celebratur.

a l. 5 ant c. 4.
b Iudic. 3. 9.

XXVII. *An, & quatenus fuerit Chriſti figura.*

FVIT hic propheta valde expreſſa figura mortis, & reſurrectionis Chriſti Domini, ipſomet atteſtante; in pleriſque [c] tamen non fuit. Vnde S. Hieronymus in præfat. in Ionam. *Cæterum non ignoramus, Chromati Papa venerabilis, ſudoris eſſe vel maximi totum prophetam referre ad intelligentiam Saluatoris. Quod dormierit, quod præcipitatus in mare ſit, quod ſuſceptus à ceto, quod eiectus in littus pœnitentiam prædicarit, quod contriſtatus ob ſalutem vrbis innumeræ, cucurbita ſit delectatus vmbraculo: quod reprehenſus à Deo, cur maiorem curam habuerit herbæ virentis, & ex templo aridæ, quam tantæ hominum multitudinis &c.* quæ idem Hieronymus in commentariis fusè perſequitur, & Theophil. in prœmio eiuſdem prophetæ. In pleriſque ergo aperta fuit figura Saluatoris. In pleriſque etiam diſſimilis fuit.

c Matth 12. 39. 40. &c.

XXVIII. *Prima ſimilitudo in miſſione. Diſſimilis.*

SIMILIS fuit, quia Ionas miſſus eſt à Deo è terra ſua ad Niniuitas conuertendos, & adducendos ad pœnitentiam. Chriſtus à Deo patre è cœlo regione ſuæ habitationis, iuxta illud, *Qui habitat in cœlis irridebit eos*, [d] miſſus eſt ad homines ſaluandos, & eis per pœnitentiam aperiendum cœlum. At Ionas inobediens fugiebat à facie Domini in Tharſis. Chriſtus ab ipſo inſtanti incarnationis ſuæ obtulit ſe pleniſſimè ad faciendum in omnibus voluntatem patris, & mundum redimendum. Quo illud pertinet. *In capite libri* [e] *ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem, &c.* Quod Paulus ipſe de voluntaria Chriſti oblatione explicat, *in qua* [f] *voluntate ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Ieſu Chriſti.* Cùm Ionas in pœnam inobedientiæ cauſa fuerit tempeſtatis, & iacturæ bonorum ſuorum nautis.

d Pſal. 2.
e Pſal. 39. 8.
f Hebr. 10. 7.

XXIX. *Altera in accipienda morte.*

SIMILIS fuit, quia Ionas ſponte ſe obtulit in mortem pro ſedanda tempeſtate, & ſalute nauigantium. *Tollite me, inquit, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis.* Chriſtus autem oblatus eſt, quia ipſe voluit. [g] Imo ſponte proceſſit obuiam quærentibus ipſum ad mortem; & vterque in mortem traditus ab iis, pro quibus tradebatur in mortem. Sed nautæ quidem inuiti, & vt videtur, ſine culpa Ionam miſerunt in mare. Iudæi autem Chriſtum ſcientes, prudenteſque morti dederunt.

g Iſaiæ 53.

*3. in ſedanda tempeſtate.*

Similis fuit, quia Iona proiecto in mare, *ſtetit mare à feruore ſuo*, quod paulò ante nauim ingentibus fluctibus continenter verberans, eam in extremum diſcrimen adduxerat. Chriſto in cruce poſito feruor iracundiæ patris æterni ceſſauit, qui in homines, per mundi huius mare nauigantes deſæuiebat, hominum peccata ſeuere puniendo; modò aperta terra homines viuos deglutiendo; modò integras vrbes immiſſo cœlitus ſulphureo incendio populando; modò vniuerſum terrarum orbem, cum tot opibus, regnis, atque imperiis deuaſtando, & altiſſima obliuione delendo. Feruor, inquam, iræ diuinæ ſtetit, poſtquam verus iſte Ionas in mare tribulationum, & dolorum immerſus cum illo dicere potuit [h] *Omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt*: quia ſcilicet Dominus in eo poſuit iniquitates omnium noſtrum. [i]

h Ion. 2. 4.
i Iſa. 53.

XL. *4. In ſepultura in ventre ceti.*

SIMILIS fuit, quia Ionas, piſcis aluo incluſus, deſcendit in mare profundiſſimum, in cor maris vbi triduo manſit, vnde Dominum orauit. Chriſtus deſcen-

dit in limbum patrum, qui est in corde terræ, vbi tribus diebus noctibúsque permansit, vnde orat Deum, gratias agens patri de opere suo consummato, & quod cito sit ad vitam reuersurus: quò illud quoque pertinet: [a] *quoniam non derelinquet animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Caput ceti, in quo erat Ionas, marinis iuncis implicatum fuit, iuxta Hebræorum expositionem, aut etiam ipsius prophetæ caput, vt diximus. Christi caput spinea corona, quæ ex marinis iuncis contexta fuisse dicitur, implicatum fuit.

a Psal. 15. 10.

XLI. In resurrectione.

Similis fuit, quia *dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam. Præcipitur huic magno ceto,* ait Hieronymus, *& abyssis, & inferno vt terris restituant Saluatorē, & qui mortuus fuerat, vt liberaret eos, qui mortis vinculis tenebantur, secum plurimos educat ad vitam.* Et quemadmodum, vt rectè ait Ribera, qui cibum accipiunt, quem retinere nō possunt, etiam quem ante comederant propter illum euomunt; ita infernus accepit animam Christi, quam tenere non poterat, & angebatur donec illam euomuit, & cum ea pariter omnes animas sanctorum. Quo illud pertinet, Actorum 2. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.* Dolores enim inferni per prosopopœiam vocat, quales sunt in homine nausea laborante, & vomere cupiente. Nec piscis Ionam in mare euomuit, quasi iterum passurum, & cum fluctibus & tempestatibus pugnaturum: sed in aridam, quia [b] *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.*

b Rom. 6. 9.

Similis fuit in prædicatione, vterque enim prædicationem à pœnitentia inchoauit. Nam prædicatio Ionæ comminatoria prophetia fuit, inuitans ad pœnitentiam. Christus autem [c] cœpit prædicare dicens: *pænitentiam agite appropinquabit regnum cœlorum.* Et vterque signum fuit: quoniam ex Ionæ naufragio, & mirabili liberatione persuasi sunt verba Dei esse, quæ prædicabat. Et Christus, per resurrectionem ex ventre inferi egressus, fuit signum Iudæis, vt crederent ex Deo esse omnia, quæ docuerat, & subuertendam citò ciuitatem ipsorum, & gentem, nisi maturè conuerterentur, vt ait Ribera. At dissimilis fuit, quòd Christi prædicatio antecessit resurrectionem; Ionas autem, non nisi post suam è pisce liberationem, prædicauit. Et Niniue subuersio post 40. dies imminebat: Iudæorum autem post quadraginta annos: vt huc aptare possis illud Ezechielis, *Assumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Et Ionæ prædicatio gentibus facta est; Christi Iudæis: illi conuersi sunt: isti obduruerunt: ille signum nullum fecit, iste innumera, vt ea mundus vniuersus capere non possit: ille ignotus, & alienigena; iste notus, & indigena, & cognatus secundum carnem. Iuxta illud Deuter. [d] *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus.*

c Matth. 4. 17. Marc. 1. 5.

Vterque signum.

Adiuncta dissimilia.

cap. 4. 6.

d c. 18. 15.

e ep. 49.

XLII. Fuit figura populi Iudaici.

In eo autem quod tabernaculum sibi cōstituit, ait Augustinus, [e] & conscendit ex aduersò ciuitatis Niniue, quid ei futurum esset, expectans, alterius significationis personam propheta gestabat. Præfigurabat enim carnalem populum Israël. Nam huic erat tristitia de salute Niniuitarum, hoc est de redemptione, & liberatione gentium, & cætera quæ ibi vide: nam nos figuram Christi duntaxat quærebamus more nostro: Sed de Iona hactenus. Ad Amasiam, & Ieroboam reuertamur.



ANNVS MVNDI 3220. DILVVII 1564. QVINTÆ ÆTATIS 281. FVNDATI TEMPLI 198. AMASIÆ 24. IEROBOAMI II. 10. SEDECHIÆ PONT. 24. TROIÆ EXCISÆ 350. SARDANAPALI 5. IMPERII ASSYRIORVM 1289.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 833.



I. *Annus Sabbaticus 91.* ALTVM est hoc tempore in vtroque Hebræorum regno silentium; nisi quòd initio septimi mensis, hoc anno tubæ hilariore sono Sabbatismi causa perstrepuerunt. Fuit enim Sabbaticus ordine nonagesimus primus. [a] *a vide an. m. 1544. n. 683. & 702.*

*Sardanapalus duas condit vrbes.* Sub hoc tempus ponit Eusebius duas vrbes à Sardanapalo vna die conditas, Tarsum, & Anchyalem, sic enim habetur in Græco Σαρδανάπαλος Ταρσὸν ὤκισε καὶ Ἀγχάλην πόλεις ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ. Strabo ἐδείμεν ἐν ἡμέρῃ μιῇ. Fortè eodem die perfectæ fuerunt, etsi Rex iste id opus, tanquam admiratione dignum, in sepulchro suo inscribi iusserit, vt est apud Strabonem libro 14. De quo in eius morte dicetur. Ea causa fortasse fuit, cur plerisq. in libris Eusebij, earum vrbium constructio, ad finem vitæ, & regni eius differatur: eas in Cilicia Strabo collocat.

II. *Aut restaurat potius. Tarsis antiquitas.* Cvm autem Tarsus multis ante seculis condita reperiatur, Triptolemi enim comites Argiuos, conditores habuisse idem Strabo scribit.[b] Propterea à Sardanapalo videntur restauratæ duntaxat. Audi de Tarso Polystorem, Cilicia, inquit, matrem vrbium habet Tarson, quam Danaës proles nobilissima Perseus locauit. Poëtæ circa Tarsi nomen philosophati, Bellorophontem eius conditorem putauerunt, cui nomen ab equi sui Pegasi vngula dederit: ταρσὸς enim vngulam quoq. significat. Vnde Dionysius interprete Auieno (apud Camer. in Solin.) *b l. 14. & 16.*

*Cydnus item media discernit mœnia Tarsi,*
*Pegasus hoc olim suspendit cespite sese,*
*Impressæque solo liquit vestigia calcis.*
*Esset vt insigni reuoluta in secula semper*
*Nomen humo, clari post vltima Bellorophontis.*



ANNVS MVNDI 3225. DILVVII 1569 QVINTAE ÆTATIS 286. FVNDATI TEMPLI 203. AMASIÆ 29. & vlt. IERBOAMI II. 15. SEDECHIÆ PONTIFICIS 29. TROIÆ EXCISÆ 355. SARDANAPALI 10. IMPERII ASSYRIORVM 1294.

ANNVS ANTE CHRISTVM 828.



N. I. *Ratio temporis.* VLTIMVS annus Regis Amasiæ incidit in medium tempus regni Sardanapali: quo ille, vt credibile est, ad deteriora, prolabebatur, donec fieret omnium deterrimus, atque nequissimus; & in pœnam pœnitentia vitatam grauiore casu prorueret, vt suo loco dicetur. Fuit porrò hic annus decimus quintus Ieroboami, ex quo mortuus est Ioas pater eius. Sextus autem & vigesimus, ex quo, quasi regni collega, à Patre assumptus fuerat: vt tertio regni Amasiæ diximus.

*Mors Amasiæ.* Insignis itaque est hic annus tristi morte regis Amasiæ, qui suorum scelere, &

coniuratione ad fugam compulsus, mox etiam interfectus est. *Facta est*, inquit Sacer historicus,[a] *contra eum coniuratio in Ierusalem: at ille fugit in Lachis:* [b] *miseruntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi.* Iosephus quoque.[c] *Appetitus tandem*, inquit, *amicorum* fictorum scilicet, reipsa verò proditorum, *insidiis, fugit in vrbem Lachis. Nec tamen euasit: illuc quoque insecutis insidiatoribus, à quibus interfectus est.*

a 4. Reg. 14. 19. 20. b 2 Paral. 25. c l. 9 c. 10.

QVOD ad tempus attinet, iam diximus anno vigesimo Amasiæ, eos qui eius exilium decem annorum fuisse dixerunt, minime videri probabilia locutos. Et profectò satis innuit Scriptura, & ratio exigit, vt quamprimum post finitam fugam, à coniuratis Regem interfectum dicamus, & consequenter eiusdem fuisse temporis cædem, fugam, & coniurationem. Ait enim factam coniurationem, Regem fugisse, missosque post eum, qui ipsum interficerent; itaque miserunt, qui fugitiuum occuparent, & in fuga perimerent; aut quamprimum obruerent, antequam ille colligendi sui, & muniendi tempus inueniret. Quod ille intra decennium facilè inuenire potuisset: cùm præsertim filium haberet regni hæredem Hierosolymis. II. *Quando facta fuerit coniuratio.*

QVINAM fuerint hi coniurati non satis apparet, Scriptura neminem nominante. Ex ea tamen satis intelligi potest, non fuisse illos priuatos quospiam, quales fuerunt, qui Ioam patrem eius occiderant in lectulo suo; [d] sed publicam fuisse coniurationem magnæ partis populi, & principum eius. Nam cùm coniuratio regi innotuerit, nisi potentiores fuissent aduersarij, non fugisset Rex, sed eos comprehendi, & in crucem agi iussisset: cùm autem fugerit, nec à coniuratis se tueri potuerit, satis intelligitur non tam fuisse illum insidiis appetitum, quàm publica vi oppressum. [e] Idque ex eo etiam confirmatur, quod Ozias, mox in regnum paternam suffectus, non occidit interfectores patris sui, vt fecerat Amasias; quia in totum populum suum consurgere non potuit, sed multitudini necessario ignoscendum fuit: præsertim si causa non improbabili motus videretur. III. *A quibus.* *Videri à populo, & principibus.*

d 2. Paral. 24. 25. 26. e Abul. q. 16. & 17. in c. 14.


HVIVS coniurationis causam iam diximus, quod ad Deum quidem attinet, ad idololatriam esse referendam, vbi eo referebamus illa verba. *Qui postquam recessit à Domino, tetenderunt ei insidias.* Et alibi clarius. [f] *Scio*, inquit propheta, *quod cogitauerit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquieuisti consilio meo.* Sed quoniam eum iampridem repudiata idololatria vitam religiosè, & in luctu traduxisse existimauimus, aut aliam coniurationis causam fuisse dicendum est: aut illam potius non satis præcedentibus Dei verberibus fuisse castigatam. Vsque adeo magnum est scelus idololatriæ! IV. *Quæ de causa diuina.*

f 2. Par. 25. 16.

Populus autem non est motus aduersus regem, propter temere accersitum contra se bellum Israëliticum, cladémque tot virorum, & prostratam magnam murorum partem, & alia his similia; vindictam enim in recenti culpa, non post quindecim denique annos sumpsisset. Illud potiùs mouit, quòd ab eo tempore Iudas seruus factus esset Israëlis, & seruitutem tributo quotannis persoluendo testaretur. Eo autem mortuo promissionem vectigalis iureiurando firmatam antiquatum iri sperabant. Itaque iniustissimo huius immunitatis amore regem suum, Deo permittente trucidarunt. *Et humana.*

D. HIERONYMVS in traditionibus Hebraicis in 2. Paral. ait ex eo tempore, quo discessit Amasias à Domino, præparatam fuisse coniurationem, & eatenus dilatam, donec ad consummationem perueniret. Itaque dicendum esset eos, qui semel cōiurarant, veritos, ne si coniuratio patefieret, veteris criminis nouas luerent pœnas, statuisse facinus ad exitum perducere, ne in perpetuo mortis metu versarentur. Dicendum potius iuxta eam opinionem, quam vt probabiliorem amplectimur, plerosque de proceribus validam coëgisse manum, adeo vt exercitus à Septuaginta Regg. & Complut. appelletur. Certè σύστρεμμα significat globum, siue agmen militum, composito ordine progredientium. Ergo hi regiam obsident, ille sibi in repentino malo diffidens, clam per posticum elabitur, & fugit in Lachis. Ea fuit vrbs in tribu Iuda, siue Dan, aut, vt aliis placet, in tribu Benjamin, & arte, & ingenio loci munitissima: adeo vt Sennacherib rex Assyriorum, antequam Hierosolymam cum infesto adiret exercitu, eam vrbem sibi prius expugnandam duxerit. Nihilominus Rex temporis angustiis, & coniuratorum vi, ac diligentia oppressus est. V. *Cadis patrata modus.*

VI. *Amasiæ sepultura.* Relatum est cadauer Hierosolymam ab ipsismet, vt videtur, qui regem interfecerant. Nam textus Hebræus, Græcus, & Chaldaicus, id videntur exigere. Habetur enim in omnibus, eodem orationis filo. *Et miserunt in Lachis, & interfecerunt eum ibi, & reportauerunt in Ierusalem.* Ex quo intelligitur tum publica horum coniuratorum potentia, tum exiguus populi in regem amor. De sepultura sic Iosephus. *Corpus Hierosolyma relatum, & regia magnificentia funeratum est. Non sine causa*, ait Hieronymus in tradit. *Scriptura dicit eum super equos portatum; sed colligitur ideo illum portatum super equos, quia deos Edom, qui in equis portabantur, adorauerit, & idcirco non portatum super humeros, quia neglexerat seruire Deo Israel: cuius mysteria super humeros Caathitarum portari iusserat.* Hæc ille ex Rabinis.



## ANNVS MVNDI 3226. DILVVII 1570. QVINTAE ÆTATIS 287. TEMPLI FVND. 204. OZIÆ, SIVE AZARIÆ Regis Iudæ I. Ieroboami II. 16. Ioelis Pontificis I. Troiæ excisæ 356. Sardanapali II. Imperii Assyriorvm 1295.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 827.

I. *Initium regni Oziæ.* De hoc Oziæ initio non leuis est controuersia inter graues authores, qui hic inter regnum [a] Amasiæ, & Oziæ, 11. 12 aut etiam 13. annorum interregnum ponunt: in quibus Ribera, Serrarius, Christophorus à Castro: quam difficultatem iam supra sustulimus, ea facillima, & vsitatissima in Scriptura ratione, vt diceremus Ieroboamum cum patre regnasse illis annis, quos ipsi hic, Scriptura minime fauente, in interregno fluxisse comminiscuntur. Eorum annorum hic est vigesimus septimus, de quo scriptor sacer initio capitis 15. 4. Regum. *Anno vigesimo septimo Ieroboam regis Israel regnauit Azarias filius Amasiæ regis Iuda.* Est autem vigesimus septimus incipiendo à quarto Amasiæ, qui idem à morte patris est decimus sextus, vt in titulo anni huius descriptum vides. Scriptura porro nullum indicium præbens interregni, statim ac mortem, & sepulturam Amasiæ exposuit, solito more subdit regnasse filium eius pro eo.

[a] In ca. 1. Amos n. 4.

II. *Sine interregno.* Nec obstat illa minùs vsitata phrasis, quæ Riberam, & Serrarium ad interregnum incitauit: quod legatur. [b] *Tulit autem vniuersus populus Iuda Azariam annos natum sedecim, & constituerunt eum regem pro patre eius Amasia.* Et iterum. [c] *Omnis autem populus Iuda filium eius Oziam annorum sedecim constituit regem pro Amasia patre suo*, quasi dicat. Tunc eum regem constituit cùm ageret decimum sextum annum, & non ante. At ea phrasis significat potius Oziam factum fuisse regem ab vniuerso populo, quamuis contra nitentibus iis, qui patrem eius interfecerant, sibique ab eo metuentibus, sicut experti fuerant, qui patrem Amasiæ interfecerant. Sic in creatione regis Iosiæ, cuius etiam pater in coniuratione interfectus fuerat, dicitur. [d] *Porro reliqua populi multitudo, cæsis iis, qui Amon percusserant, constituit regem Iosiam filium eius pro eo.* Additurque octo annorum fuisse, cùm regnare cœpit quasi dicat, quia admodum puer erat Iosias, populus ei sponte auxilium præbuit, vt non obstante ætatis infirmitate, regnaret. Idemque in Ioas puerulo contigit, annitente Ioiada Pontifice, populoque Iudæ. Ozias ergo eodem modo à populo in thronum paternum euectus est, Deo posteritatem Dauidis protegente, quamuis pater eius occisus fuisset, ipséque esset adolescentulus, & contemptus.

[b] 4 Reg. 14. 21.
[c] 2. Paral. 26. 1.
[d] 2 Paral. 33 25.

Denique interregnum nullum inter hosce duos reges agnoscunt Iosephus, neque Eusebius in chronico, neque Hieronymus in traditionibus, neque chronicum Hebræum, Comestor, Lyranus. Et passim à recentioribus reiicitur, Caietano, Genebrardo, Torniello, Gordono, [e] Samerio, Dionysio, & aliis.

[e] c. 11. qq. chron.

III. Nonus Pōtifex Ioël.

Quod ad pontificem attinet, Ioëlem huc, cum chronico Hebræorum, & Genebr. initio Oziæ introducimus. Nec repugnat Iosephus, qui eum [a] vocat Iulum, inflexa fortassis adulatoriè Ioëlis Hebræi, in Iulum Romanum voce. Verùm cùm constet [b] Pontificem, qui Regi Oziæ restitit in templo, dictum fuisse Azariam, eum binominem fuisse dicendum erit. Nisi placet nomen Azariæ appellatiuè sumi, quod significat auxilium Domini, vt in duce itineris Tobiæ. Certè Azariæ nomen aliis nominibus non semel substitutum legimus. Nam septuaginta Sixti filium Ioiadæ non Zachariam, sed Azariam vocant. [c] Et rex ipse Ozias in libris Regum dicitur Azarias, & quidem cognomento, vt ait S. Hier. in c. 1. Amos. Et Pontifex, qui tempore Ezechiæ floruit, à Iosepho, & chronologis Hebræis vocatur Nerias, [d] at in 2. Paralip. Azarias nominatur. Hoc porro Ioële, siue Azaria Pontifice, si vnquam alias, viguisse sacerdotalem authoritatem, eius cum rege contentio, quæ sub posteriores Oziæ annos contigit, apertè declarauit.

a l. 10. c. 11.
b ex 2. Par. 26. 20.
c 2. Par. 24.
d 2. Paral. 31. 10. 13.

## ANNVS MVNDI 3227. DILVVII 1571. QVINTÆ ÆTATIS 228. FVNDATI TEMPLI 205. OZIÆ 2. IEROBOAMI II. 17. IOELIS PONTIFICIS 2. TROIAE EXCISÆ 357. SARDANAPALI 12. IMPERII ASSYRIORVM 1296.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 826.



I. Sabb. 92. Quis vtriusque regni status.

Hoc anno, qui est Sabbaticus ordine secundus supra nonagesimum, & aliquot sequentibus, res in vtroque regno prosperum tenuere cursum: Deo Israëlitis fauente, & Iudæis, sub rege adolescente Ozia, & Ioële Pontifice Deo religiosè seruientibus. Pergit enim florere Ieroboam, Syris latè domitis formidabilis. Licet in cultu vitulorum aureorum, tritam omnium impiorũ regum vestigiis viam, decurreret: Domino experimentum capiente, an fortè quos calamitates, quibus attriti fuerant, & pene in puluerem redacti, ad mentis sanitatem non reduxerant, prosperitas, & diuina beneficia reconciliationem cum Deo patrum suorum persuaderent. Sed cum vtrumque remedium irritum fuisset, non vltra de curandis Israëlitis, sed de exterminandis cogitare cœpit. Deinceps enim à Ieroboamo ad captiuitatem, omnia misera, & turbulenta, & ad interitum vergentia. Sicque Dominus iustitiam causæ suæ aduersus populum suum, omnibus gentibus, atque ætatibus reddidit manifestam.

II. Pia Oziæ initia.

Ozias *verò fecit quod erat rectum in oculis Domini*, vt Scriptura [e] loquitur, his præsertim initiis, quibus recens erat memoria parentis, qui suo malo edoctus, filium in Dei timore verbis, exemplisque instituebat; quod innuit Scriptura, quæ subdit: *iuxta omnia, quæ fecerat Amasias pater eius.* Ex quo, vt supra notauimus, [f] ij facile refelluntur, qui Amasiam ad mortem vsque impiè vixisse putauerunt. Ego in re dubia, in ferenda de viuis, mortuisve sententia, pro mitiore parte pronunciandum arbitror: bene enim de omnibus sentiendum est, quando contrarium certa argumenta non probant. Profuit etiam bene instituendæ regis adolescentiæ Pontifex Ioël, à quo haud dubiè monita salutis non semel accepit.

Et religiosa institutio.

e 2. Paral. 26. 4.
f an. Amas. 19. n. 5.

III. A Zacharia propheta.

Sed Scriptura Zachariã, eius quasi pædagogum, suggerit. [g] *Et exquisiuit Dominum*, inquit, *in diebus Zachariæ intelligentis, & videntis Deum.* In quæ verba ita Hier. in Tradit. *Zacharias filius Zachariæ, filij Ioiadæ, qui post mortem patris natus posthumus, patris nomen sortitus est, intelligens, & videns dicebatur; intelligens propter Sacerdotium, videns propter Prophetiam.* Sic ipse. Hebræi tamen, & Græci legunt, *intelligentis*

g ibid. v. 5.

*in visionibus Dei.* Si igitur post mortem patris natus est Zacharias, potuit hoc tempore annum agere quintum supra trigesimum, natus scilicet 36. regni Ioas. Habuisse videtur hic Zacharias filiam nomine Abiam, quæ nupsit regi Achaz, qui ex ea genuit Ezechiam regem: [a] quod etiam in eum locum affirmat Hieronymus, nec repugnat ætas. Nullum porro propheticum eius scriptum extat; nam qui legitur penultimus in minoribus prophetis, facile trecentis ab hinc annis distat. Extant aliorum, quos sub Ozia & Ieroboamo floruisse certò constat, in quibus Oseas, & Amos, & Esaias, vt ipsimet initio prophetiæ suæ affirmant; quibus Ionam Scriptura [b] Ioëlem, Abdiam, Michæam Hieronymus, [c] aliique annumerant, vt postea dicemus. De quibus quæ historica sunt prætermitti nullo modo possunt.

*Eius filia mater Ezechia.*

[a] 1. Paral. 19. 1.

[b] 4. Reg. 14. 25.

[c] in ca. 1. Oseæ.

IV. *Ætas prophetarum Osee, & Esaiæ.*

HORVM omnium antiquissimus semper habitus est Oseas. Ideoque inter omnes minores prophetas primus ab Hebræis, Græcis, & Latinis positus est: antiquitatis enim ordinem in iis fuisse seruatum ex maioribus quoque probatur, in quibus Esaias chorum ducit, qui hoc ipso posterior Osea agnoscitur, quòd se sub Ozia, nõ etiam sub Ieroboamo, qui quindecim annis prius regnum administrauit, prophetasse dixit. Quamquam videtur Esaias consultò prætermisisse reges Israëlis, sicut & Micheas; nam Ozias, & Ieroboam 26. annis simul regnarunt; ideoque Esaias, qui sub Ozia vixit, potuit & sub Ieroboamo vixisse. Videtur nihilominus Esaias non nisi mortuo Ieroboamo prophetasse, post cuius mortem Ozias ad 26. annos regnauit. Mors autem Oziæ sub initium Esaiæ vaticiniorum cadit. Ideoque merito vltra Ieroboami mortem Esaiam differre licebit.

V. *Antiquitas Osee.*

EANDEM Osee antiquitatem idem Hieronymus in 1. eius cap. ex illis verbis probat. *Principium loquendi Domini in Osee.* Quæ verba in eum sensum explicat, vt dicat propheta, quod inter eos prophetas, qui sub iisdem regibus vaticinati sunt, primum Dominus in Osee sit locutus, postea ad cæteros. Quæ expositio ab ipso etiam ponitur initio comm. in Esaiam, & à D. Basilio 1. Esaiæ, & à Rufino apud Riberam. [d] Altera tamen quæ ab eodem Hieronymo in 1. Oseæ affertur, vt scilicet his primum verbis, quæ sequuntur, Dominus ad Oseam locutus sit, simplicior videtur, & verior; & ei textus Hebraicus magis fauet, qui ad verbum habet: *principio locutus est Dominus in Osee.* Fauent etiam Septuaginta, & Chald. paraphrast. & Theodoretus, Vatablus, Sà, alij. Ribera vtramque expositionem literalem esse ait: priorem tamen dubiam facit, quod Ionas initio regni Ieroboam prophetasse creditur, antequam ille contra Syros feliciter pugnaret: Amos quoque pater Esaiæ, quem prophetam Hebræi affirmant, & Zacharias nepos Ioiadæ; qui omnes sub iisdem regibus vixerunt, & prophetarunt, quamuis istius Amos, si propheta fuit, & Zachariæ scripta non extent.

[d] in 1. Osee n. 17.

*Alij antiquiores.*

VI. *Genus, & patria Osee.*

HOC ergo tempore Ozeas prophetare cœpit, filius, vt ipsemet ait, Beeri, quem Hebræi etiam prophetam fuisse asserunt; eò quòd existiment, vt ex Hieronymo alibi notauimus, si quando pater prophetæ exprimitur, vtrumq; fuisse prophetam. Fuisse autem Oseam Hierosolymitanum, ex alia etiam Hebræorum regula traditur. Aiunt enim quoties nomen vrbis prophetæ alicuius non scribitur in prophetia, fuisse prophetam illum Hierosolymitanum. [e] Fuerit ergo de tribu Benjamin, aut Iuda. D. tamen Epiphanius in eius vita eum ex oppido Belemoth, in tribu Isachar, progenitum dicit. Idem affirmat Dorotheus in Synopsi, & Isidorus cap. 42. libri de vita, & interitu sanctorum; qui tamen pro Belemoth, habet Bethlehem. Quidam Hebræi, quos Lyranus, & Montanus sequuntur, putant eum de tribu Ruben fuisse, propter illum Beeri, vel Beera, qui memoratur ductus in captiuitatem à Theglath Phalasar rege Assyriorum, cùm esset princeps in tribu Ruben, vt 1. Paral. [f] scriptum est. Quod vereor, vt ratio temporis ferre possit. Nam si hoc tempore cœpit prophetare Osee, anno ætatis circiter trigesimo; sic enim actiones eius, & verba plus erant habitura ponderis apud populum, quàm si fuisset adolescens, vt quidam eum vocant. Agebat itaque pater eius minimùm 50. Supersunt autem ad illam captiuitatem anni non pauciores quinquaginta duobus: erat ergo centenario maior, cùm ductus est in captiuitatem.

[e] Nota Vatab. init. Osee ex R. Kimhi. Infra an. eius 2. 3280.

[f] 5. 6.

VII. *Ducit uxorem dudū fornicariā.*

REBVS porro priùs, quam verbis prophetare cœpit. Dei enim iussu accepit vxorem Gomer, filiam Debelaim dudum meretricem, factam postea continentem. Vnde Hieronymus: *Nec culpandus propheta, interim vt sequamur historiam, si meretricem conuerterit ad pudicitiam: sed potius laudandus, quòd ex mala bonam fecerit. Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat.* Sic ipse. Quibus in verbis cùm dicat se historiam sequi, videri posset mutasse sententiam, quam in prooemio posuit. [a] Alibi quoque ait hoc non fuisse iuxta literam perpetratum. Contraria tamen sententia communis est omnium ferè antiquorum, & recentium: contra aliquos, qui audiunt Hebraizantes, qui Chaldæum paraphrast. secuti, hanc historiam non veram, sed imaginariam esse putauerunt: contra quos accuratè disputat Ribera. in eum locum. [b] D. quoque Augustinus [c] refutat Faustum hæreticum legem veterem de præcepta fornicatione columniantem: affirmatque mulierem relicta fornicatione in castum connubium transiuisse. *Quid inimicum*, inquit, *fidei Christianæ, si meretrix relicta fornicatione in castum coniugium commutetur.* Et [d] iterum hoc iustum, & factum esse valde asseueranter affirmat, neque ad visiones imaginarias confugit. Theodoretus in 1. Osee, scribit se eorum audaciam satis mirari non posse, qui non vereantur dicere, verba hæc esse rebus destituta. Et alij etiam ex patribus plerique, pro huius coniugij veritate pronunciant, de quibus consule Riberam, Leonem, & Christophorum Castrum in Oseam.

*Nec rem fuisse imaginariam.*

a in cap. 4 Ezech.

b v. 17.

c libro 22. cōtra Faustum c 80.

d cap 89.

HÆC ergo Gomer vxor prophetæ facta, de eo concepit filios duos, qui erant reuera legitimi; filij tamen fornicationum dicuntur, quòd filij essent eius, quæ fuerat meretrix, vt Hieronymo placet: quorum prior dictus est Iezraël, tum filiam dictam Lo ruchamach, id est *absque misericordia.* Denique posteriorem filium Lo-hammi, id est *non populus meus*, vt sub ænigmate intelligerent Israëlitæ, qui in fornicatione spirituali perseuerabant, se abiectum iri penitus à Deo, nec fore populum eius: nec misericordiam, post obstinatam tot annorum, aut etiam seculorum peruicaciam, aliquando consecuturos. Intelligerent quoque istorum posteri, qui hæc vaticinia lecturi erant, Deum filii sui sanguinem vlturum de manu impiorum Iudæorum, qui eum effuderant, & se sine vlla spe veniæ, aut misericordiæ, à Christo abiiciendos, nisi ad illum, deposita obstinatione, reuerterentur. Quod si id in filia non agnoscunt excæcati, agnoscant in altero filio, qui propterea vocatur *non populus meus*, quia à diuina hæreditate abdicandi sunt.

VIII. *Et filios suscepit in signum futurorū.*

OSEAM tempore proximè sequitur Ioël, si verum est quod contendit Ribera, [e] eodem scilicet ordine cœpisse prophetare duodecim prophetas, quo & apud Hebræos, & in editione vulgata dispositi sunt. Quod perspicuum est in Aggæo, & Zacharia, quorum ille huic præpositus est, quod duobus mensibus prophetando præcesserit. Accedit illa Hieronymi regula, in prologo 12. prophetarum. [f] *Hoc vos admonitos scire volo, vnum librum esse duodecim prophetarum.* Et mox. *In quibus autem tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus & ij, qui ante eos habent titulos, prophetauerunt*; quam regulam nominatim Ioëli applicat init. comment. in ipsum. *Tempora in quibus prophetauit*, inquit, *eadem debemus accipere, quæ & in Osee legimus. In diebus Oziæ, Ioatham, & Achaz, & Ezechiæ regum Iudæ, & in diebus Ieroboam, filij Ioas regis Israel.* Et rursum init. comm. in Esaiā, affirmat Ioëlem, iisdem quibus Osee, & Amos regibus prophetasse. Quod confirmat etiam Theodoretus prologo in prophetas minores. Quod ipsum traditio per manus missa commendat, vt ait Rufinus, initio in Ioëlem.

IX. *Tempus Ioëlis.*

*Idem quod Oseæ.*

e Prælud. 1. n 7.

f ad Paul. & Eustoch

DIVVS Augustinus [g] Ioëlem ad Ioatham Oziæ successorem refert. Genebr. in Chronologia, quem sequitur Christophorus à Castro, ait eum viguisse sub Manasse, & negat vidisse Oziam regem, eo quod nō meminerit decem tribuum, quasi iam abductæ essent in captiuitatem. Vatablus ait floruisse sub Ioram, *quia*, inquit, *alioqui prophetasset de fame præterita.* Ad quam illud pertinet. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* At neutra ratio est efficax. Quid enim absurdi est cladem decem tribuum à Ioële non prædici, cùm de ea alij eius æquales prophetarent; de duabus autem loqui, de quibus reliqui fere tacerent? Et notat D. Hieronymus in initio Ioëlis,


X. *Nec rectè censetur posterior.*

g D Aug. l. 18 de ciuit. c. 27.

quomodo ad decem tribus Osee vaticinium referatur, sic vaticinium Ioëlis, ad Iuda, & Ierusalem pertinere.

XI. *Non describit famem sub Ioramo.* QVOD ad famem autem attinet, non describitur illis verbis fames, sed allegorice nomine huiusmodi animalium intelliguntur hostes Hebræorum, terræ vastitatem allaturi; quod non dissimulat propheta ipse, cùm subdit. *Gens enim ascendit super terram meam fortis, & innumerabilis*, &c. Vt fuse docet ibi Hieronymus, & alii interpretes. Et qui aliter sentiunt, non possunt quatuor annos famis ex Scriptura probare; aut docere Ioëlem ad tempora Eliæ, vel Elisæi pertinere.

Ad hos quoque reges pertinet Amos ille, è pastore propheta, vt initium prophetiæ eius ostendit, in quo Ozias, & Ieroboam distinctè nominantur. Verùm quia in eodem initio distinctius tempus ipsum, annusque prædicationum notatus est, ad eum nobis locum differendus est Amos.



## ANNVS MVNDI 3229. DILVVII 1573. QVINTAE ÆTATIS 290. TEMPLI FVND. 207. OZIÆ 4. IEROBOAMI II. 19. IOELIS PONT. 4. TROIÆ EXCISÆ 359. SARDANAPALI 14. IMPERII ASSYRIORVM 1298.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 824.



I. *Res ab Ozia gestæ.* NON pauca, neque vulgaria ab Ozia domi, forisque gesta memorantur in Scriptura, [a] sed sine distinctione temporum, vt quid priùs, posteriusve factum fuerit constare non possit. Et apparet quidem eum domi quieuisse annos aliquot, Ioëlis Pontificis, & Zachariæ prophetæ consilio vtentem. Nam tenuis erat domi res, à Ieroboami victoria, rapinis, & iugi exactione tributorum. Erat & turbata à cæde Amasiæ, in quem diximus populum ipsum insurrexisse; adeo vt pene precario regnaret Ozias. Sed cùm studiosè Domino famularetur, & optimis præceptoribus vteretur, *Dominus direxit eum in omnibus*, atque in sublime extulit, & crebris victoriis, aduersus circumpositas regiones Philisthæorum, Arabum, atque Ammonitarum, potentem reddidit, atque illustrem. Quibus hoc ferè tempore, cùm vigesimum iam ætatis, & regni quartum annum ageret, & incalesceret catulus leonis Iuda, initium dedit. Hoc enim primùm anno Hebræi idonei militiæ censebantur, & in numerum bellatorum transibant. [a 2. Par. 26]

II. *Recuperat Elath.* EXORSVS autem videtur ab Idumæis, quos ante annos aliquot fregerat Amasias pater eius, [b] decem millib. eorum in valle Salinarum in prælio interfectis, & totidem præcipitio contrucidatis. Itaque cùm illi nondum satis respirare potuissent, occupauit Elath, & restituit ditioni Iudę. Pertinuit enim Elath ad Idumæos, etiam tempore Mosis, sicut & Asiongaber portus, & ciuitas Idumęorum. [c] *Cumque transissemus*, inquit Moses, *fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem, de Elath, & de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit ad desertum Moab.* Nec laudo Iosephum, qui Arabes cum Idumæis confudit, cùm illis ciuitatem hanc tribuit; at Scriptura. [d] *Abijt Salomon*, inquit, *in Asiongaber & in Ailath, ad oram maris rubri, quæ est in terra Edom.* Quod alibi quoque [e] totidem pene verbis repetitur. [b 2. Par. 25. 11. 12.] [c Deut. 2. 8] [d 2. Par. 8. 17.] [e 3. Reg. 9. 26.]

III. *Qui pertinuerit ad Iudam.* DAVID autem cùm Idumæos sibi subiugasset, etiam Elath, & portum illum rubri maris illis ademit: idque possedit, filius eius Salomon, qui in eo classem ædificauit, quæ in Ophir vela faceret, [f] sicut & Iosaphat eius abnepos. [g] Sed filio Iosaphati, Ioramo regnante, *recessit Edom, ne esset sub Iuda.* [h] Cùm ergo eos Amasias afflixisset, filius eius Ozias eum portum nunc occupauit, *& ædificauit Ailath*, restaurauit scilicet, *& restituit eam ditioni Iudæ.* Quam tamen postea Rasin rex Syriæ occupauit, indeque Iudæos eiecit, & Idumæis illam habitandam dedit. Hoc primum fuisse opus Oziæ illa verba significant: *restituit ditioni Iuda, postquam dormiuit rex* Amasias pater eius, *cum patribus suis.* Quod etiam ordo sacræ narrationis confirmat. [f 2. Reg. 8. 13. 14.] [g 3. Reg. 9. 26.] [h 3. Reg. 22. 49.] [i 4. Reg. 8. 20. 22.]

ANNVS

ANNVS MVNDI 3230. DILVVII 1574. QVINTAE ÆTATIS 291. TEMPLI FVNDATI 208. OZIÆ 5. IEROBOAMI II. 20. IOELIS PONTIFICIS 5. TROIÆ EXCISÆ 360. SARDANAPALI 15. IMPERII ASSYRIORVM 1299.

ANNVS ANTE CHRISTVM 823.

PRIMVS Oziæ conatus cùm illi non malè successisset, sequenti anno, vt coniicimus, nihil enim præter coniecturas, circa ordinem temporis afferre possumus, quas spero æquo, atque beneuolo lectori non ingratas fore; sequenti, inquam, anno à meridie, ad occidentem velificatione conuersa, negotium illi cum Philisthæis fuit. 1 *Egressus est*, ait Scriptura, [a] *& pugnauit contra Philisthiim, & destruxit murum Geth, & murum Iabniæ, murumque Azoti*. De qua expeditione Iosephus, [b] *Hic erat*, inquit, *natura bonus, & iustus, & magnanimus, prouidendisque rebus solers & industrius. Is suscepta expeditione in Palæstinos, prælio victor vrbes eorum vi cepit Gittam, & Iamniam, & earum mœnia diruit.* Omittit Iosephus, vt vides, nudatam mœnibus Azotum, vrbem nihilo cæteris ignobiliorem, neque historiæ sacræ aliquid affert lucis. I. *Ozias pugnat contra Philisthæos*

1. ex. a 2. Paral. c. 26. 6. b l. 9. c. 11.

QVAMNAM ergo huius belli cum Philisthæis causam dicemus? Neque enim sine causa, & occasione legitima bellum hoc ab Ozia, quem Iosephus, vt audisti, natura bonum, & iustum, & magnanimum, prouidendisque rebus solertem, & industrium fuisse dicit, [c] susceptum fuisse more barbarorum existimandum est. Itaque omnia circumspicienti, occurrit primò clades illa, quæ 2. Par. [d] memoratur, cum Philisthini coniunctis armis cum Arabibus, *ascenderunt in terram Iuda, & vastauerunt eam, diripueruntque omnem substantiam, quæ inuenta est in domo regis: insuper & filios eius, & vxores*; quæ supra anno Iorami 7. contigisse diximus, [e] annis ab hinc vno, & octoginta, quæ satis magna causa fuit contra vtrumque populum suscipiendi bellum. Nam reges vix vnquam iniuriarum obliuiscuntur, sed eas prosequi solent vsque ad tertiam, & quartam generationem. II. *Quæ belli causa.*

c l. 9. c. 11. d c. 21. 16. e Vid. ann. m. 3149 n. 14. & 15.

OCCVRRIT secundo Lobna ciuitas regni Iudæ, quæ à regno defecit, anno Iorami filij Iosaphati 6. Philisthæorum fœdere, & vicinitate subnixa. Alioqui enim Ioas, & Amasias eam facile recipere potuissent, nec Lobnenses, alieno præsidio destituti, credidissent se contra regem Iudæ posse consistere. III. *Alia causa Lobna.*

Videtur igitur Ozias viribus iam, & armis potens, & insuper diuina erga se beneuolentia, & præsidio nixus, *cùm enim requireret Dominum, direxit eum in omnibus*, vt Scriptura testatur, de repetenda Lobna cogitare cœpisse, dixisseque, vt olim Achabus ad seruos suos. [f] Ignoratis quod nostra sit Lobna, & negligimus tollere eam de manu Philisthinorum? Neque enim nisi suscepto cum Philisthęis bello recuperari posse videbatur.

f 3. Reg. 22. 3.

MEMINISSE quoque potes, lector, anni trigesimi primi Ioas regis Iudæ, quo anno Hazaël rex Syriæ vrbem Geth, quam pridem Dauid regno suo transcripserat, Iudęis ereptam occupauit, in pœnam peccati Ioas, & principum eius. Eam tamen Philisthæis habitandam permisit, imposito de more tributo, vt de Elath habitata ab Idumæis paulò ante diximus. Nunc ergo cùm Syrorum vires pene accisæ essent tribus Ioasi victoriis, & spoliati essent omni regione, quam regnante Iehu Israëlitis abstulerant, adeo vt etiam Damascum precario retinerent, idoneum tempus existimauit Ozias eam vrbem recipiendi. IV. *Tertia Geth.*

Verùm antequam eæ ciuitates imperata facere iuberentur, & Oziam pro Domino, ac rege agnoscere, omnique alienigenarum fœderi renunciare, alioqui vim experturæ, exercitum conscripsit. Quo etiam ad alias expeditiones contra Philisthæos vteretur.

V. *Oziæ copiæ ad hãc expeditionem.*

FVIT *autem exercitus bellatorum eius*, [a] *qui procedebant ad prælia, sub manu Iehiel scribæ, Maasiæque doctoris.* Hebr. *præfecti*, Græce *iudicis*, *& sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis* Septuag. *vicarij regis*, siue proregis. Tres isti supremum habebant sub rege in exercitu authoritatem: nisi placet Iehielem scribam, & Mabasiam censendis tantum militibus, regis nomine præfuisse, Hananiam verò solum fuisse militiæ principem: quod sanè rectius videtur, veroque similius, & ad morem antiquum Hebraicæ militiæ accommodatius. Potuerunt etiam illi duo adstitisse Hananiæ, sicut olim regnante Dauide Abisai, & Ethai Ioabo. [b] Habebant autem sub se plerosque tribunos, centuriones, aliosque duces inferiores. Vnde sequitur. *Omnisque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium sexcentorum. Et sub eis vniuersus exercitus trecentorum, & septem millium quingentorum, qui erant apti ad bella, & pro rege contra aduersarios dimicabant.* Hic numerus, qui in Hebræis, Græcisque omnibus codicibus constanter habetur, emendabit Iosephum, qui sic habet. [c] *Habuit præterea selectorum militum trecenta septuaginta millia.* In Græco. μυριάδας ἑπτὰ ᾗ τριάκοντα. Cùm dicendum foret, [illegible] vel ἑπτακισχιλίους. Ex quo patet erratum non interpretis, sed authoris esse. Errat & in posteriore numero, cùm subdit. *Quibus præerant centuriones, ac tribuni viri generosi, & inuicto robore præditi ad duo millia numero*: quibus tamen Scriptura sexcentos addiderat; quos non debuit Iosephus pro arbitratu suo exautorare.

*a Vt dicitur 2. Par. 26.11.*

*b 2. Reg. 18.2.*

*c I 9. c. 11.*

VI. *Arma bellica, & machinæ.*

PRÆPARAVIT *quoque eis Ozias, id est cuncto exercitui clypeos, & hastas, & galeas, & loricas, arcusque, & fundas ad iaciendos lapides.* Præterea addidit Iosephus: machinas fecit multas, ad expugnanda oppida, quibus vel saxa, vel tela emitteret, harpagones quoque, & alia instrumenta his similia. Machinas Hierosolymis factas fuisse Scriptura testatur, non tam ad expeditiones bellicas, quàm ad ipsammet vrbem regiam tutandam, atque protegendam. *Et fecit*, inquit, *in Ierusalem diuersi generis machinas ingeniosè excogitatas, quas in turribus collocauit, & in angulis murorum, vt mitterent sagittas, & saxa grandia.* His instructus præsidiis, & copiis Ozias, vltionem expetit de Philisthæis, quam abauus eius Ioram, & proauus Ochosias, ille ægritudine, hic temporis angustiis impeditus sumere nequiuerant: neque auus Ioas, qui tranquilla tempora templo restaurando consumpsit; donec suis impietate permissa, miserè à Syris, cum toto regno vexatus est. Denique neque Amasias pater, qui re feliciter contra Idumæos gesta, in idololatriam lapsus, turpiter ab Israëlitis superatus, reliquam vitam exegit inglorius, donec à suis facta coniuratione occisus est.

VII. *Lobnam inuadit, & occupat.*

OZIAS ergo filius eius debitas de Philisthæis pœnas sumpturus eos inuadit infestus. Et primo quidem ciuitati Lobnæ deditionem imperat, vel vim offert. Credibile est vim expectatam fuisse, annitentibus Philisthæis, eamque vrbem suo præsidio propugnātibus: quippe qui facile intelligerent hanc tempestatem vltra Lobnam effusum iri, nisi eam, tanquam regni sui propugnaculum, omni ope tutarentur. Sed Deo, qui in omnibus dirigebat Oziam, auxilium ferente, Lobna in legitimi principis potestatem redacta est, stetitque eo etiam tempore, quo rex Assyriorum, expeditione contra Ezechiam suscepta, illam oppugnauit. [d] Nunc autem in ea valido, vt assolet, imposito præsidio, militibus enim abundabat, patefacto sibi ad Philisthæos itinere, contra eos aciem instruit, manus conserit, victor euadit, exercitum fundit, fugat, cæditque.

*Vincitque Philisthæos*

*d 4. Reg. 19. 8. & Esaiæ 37. 8.*

VIII. *Eorum vrbes oppugnat.*

INDE ad vrbium oppugnationem ventum est: & plurima quidem oppida minus firma, sine multa vi, nouum dominum admisere: sed in maioribus vrbibus, Getha, Azoto, Iamnia, diutius desudatum est; & qui memor sit, quandiu vna Samaria obsidionem passa sit, non ægrè plures annos, istis vrbibus expugnandis concederet, nisi, vt paulò ante diximus, Deum Oziæ singulariter adfuisse meminisset.

*Getham in primis.*

Nam Geth, & Azotus, primariæ fuerunt vrbes Philisthinorum, & duæ de quinque Satrapiis eorum; reliquæ erant Ascalon, Gaza, & Accaron. Geth autem præ cæteris viris fortissimis semper abundauit, vt quæ olim, ad Dauidis vsque tempora, gigantum alumna fuerit, sicut & Azotus, [e] in qua tempore Iosue plurimi visebantur de stirpe Enacim, quibus comparati Israëlitæ, quasi locustæ videbantur. [f] Ex Geth oriundus fuit notissimus ille Goliath, & alij quatuor,

*e Iosue 11. 2.*

*f Numer. 13. fin.*

a c.21.22. b 1.Paral. 18.1. c 2.Paral. 11 8. d 4.Reg. 12.17. Vide supra Ioas 31 n 12. e c.1.10. 2.6X.

qui 2. Regum [a] memorantur. Hanc vrbem Dauid cum filiabus eius sustulit Philisthæis, [b] retinuit Salomon, Roboam instaurauit. [c] Hazaël Rex Syriæ expugnauit. [d] Denique Ozias noster eam vi occupatam, muroque spoliatam, in pœnam deditionis, & defectionis ad Syros, & Palæstinos, in pagi formam redegit. Videtur tamen non multo post in Philisthæorum potestatem rediisse, & restituta sicut priùs, vt in Michæa [e] significatur. 2

*Quam expugnat.*

IX. *Expugnat & Iabniā.*

EXPVGNATA Getha, muróque destructo, Ozias in Iamniam, siue Iabniam arma conuertit; ciuitatem maritimam, portúque celebrem, & munitam, (& fuit fortasse eiusdem socia, particepsque culpæ) vix trium horarum itinere à Getha distantem, iuxta Adrichomij topographiam. In eo portu Iudas Machabæus post multa secuta, succensis nauibus suscitauit incendium, quod Hierosolymis à stadiis 240. apparebat. [f] Ea quoque ciuitas vi capta, parem cum Getha iacturam murorum passa est.

f 1. Machab.12.8.

X. *Et Azotum.*

g 1 Machabæo 13.84. h Iosue 11. 22. i Isaiæ 20. 1. k 1. Macb. 10 84. l Act.8.40.

INDE ventum est in Azotum, primariam ciuitatem Philisthinorum prioribus seculis. In qua erat celebre templum Dagon, etiam tempore Machabæorum: [g] in qua, sicut in Getha, & Gaza, olim homines de genere gigantæo habitarunt. [h] Hanc vrbem rex Assyriorum per Sargon, vnum de ducibus suis, regis Ezechiæ temporibus expugnauit. [i] Ex quo liquet interiecto tempore restauratam. Sed ab Assyriorum quoque clade reparata est, iterumque à Ionatha Machabæo capta, atque incensa, cùm ea esset perfugium Apollonij, & aliorum infidelium [k] Extabat adhuc post Christum in cœlum receptum hæc ciuitas. [l] Imo & ætate Hieronymi, qui eam vocat non ignobile municipium. Fuerunt autem hæc duæ quoque vrbes in tribu Dan: sed Israëlitæ à principio Azoto potiri nequiuerunt. Potitus est Ozias, eamque pari cum præcedentibus calamitate affecit. Eas vrbes postquam spoliauit muris, non contentus euertere, & dissipare, animum etiam ad ædificandum adiecit. Nam in agro Azoti, & Philisthinorum, oppida ædificauit, quæ Iudæis contra reliquos Philisthæos præsidio essent, vel ad eos in officio continendos, valerent.

---

*SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3230. OZIAE 5.*

1. N. 1.

NEc est quod quemquam moueat illud *denique*, quo inchoatur peculiaris ista bellorum enumeratio, non autem ad rerum gestarum ordinem pertinet, quasi res gestæ contra Philisthæos vltimæ fuerint, sed ad ornatum: præsertim, cùm nec Hebræi, nec Septuaginta eam vocem habeant. Est autem Hieronymo familiaris, vt ex eius scriptis, & variis Scripturæ locis agnosci potest. Sic specialem enumerationem inchoauit Iudith 5. 20. *Denique Chananæum regem*, &c.

2. N. VIII.

Non longè distabat a Ioppe, & tempore D. Hieronymi dicebatur Diocæsaræa. Vide Adrich. in tribu Dan. N. 29.

---

# ANNVS MVNDI 3231. DILVVII 1575. QVINTÆ ÆTATIS 292. FVNDATI TEMPLI 109. OZIÆ 6. IEROBOAMI II. 21. IOELIS PONTIFICIS 6 TROIAE EXCISÆ 361. SARDANAPALI 16. IMPERII ASSYRIORVM 1300.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 822.

I. *Ratio temporis regni Assyriorū.*



SECVLARIS est hic annus imperio Assyriorum, exactis ab eius ortu tredecim seculis, & duplo pluribus Iubilæis: tametsi Eusebius illi 1240. annos tantum attribuat; nostram tamen hactenus cum ipsius Chronologia congruere, facilè est intelligere. Si enim ab illo eius annorum numero abieceris quinque annos Sardanapali, qui supersunt, & addideris 65. Beli, qui ab Eusebio præteriti sunt, summa ad mille & trecentos accuratè perueniet. Rur-

sum si istis 1300. annis addideris 1931. qui præterierant ab orbe condito, quando inchoatum est hoc imperium, existet annus mundi, quem habet huius anni titulus.


II. Expeditio Oziæ contra Arabas. RE bene gesta contra Philisthæos, *alia deinde expeditione*, ait [a] Iosephus, *duxit in Arabas Aegypto vicinos; & condita vrbe, ad mare rubrum* (Ailath videlicet, siue Elath, nam vtroque modo à Scriptura nominatur) *præsidium in ea posuit.* Verùm hæc superiùs iam posuimus, secuti Scripturæ ordinem: neque Elath ad Arabas pertinet, sed ad Idumæos, vt ibidem declaratum est. Hac de expeditione ita Scriptor sacer. *Et adiuuit eum Deus contra Philisthæum, & contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, & contra Ammonitas.* In Hebræo est: *& Mehunim:* quasi duo loca in Arabia. Septuaginta intellexerunt eo nomine populos, quos ipsi Minæos vocant: adduntque Minæos dedisse munera Oziæ, id est tributa pependisse. Quod de Ammonitis dictum est in Hebræo textu, & in Vulgata. *Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ.* Vtrique consentit Iosephus.

a 19.c.11. b Oziæ 4 n.2.3.

III. Quinam hi Arabes. QVONIAM verò multiplex est Arabia, contra eos Arabas pugnasse Oziam ait sacer historicus, *qui habitabant in Gurbaal. Ipsa est Gerara*, inquit D. Hieronymus, [c] *in qua peregrinatus est Abraham.* [d] Septuag. Regia habent. *Habitantes in Petra*, Arabiam, quæ Petræa dicta est intelligentes. Hi ipsi Arabes, [e] dicuntur vicini Æthiopibus, de quibus sæpe dictum est, qui Idumæos attingebant versus Ægyptum. Hos ergo Arabas pro meritis castigatos, etiam præsidio in Ailath imposito, vt ait Iosephus frenauit. Et poterat idem præsidium, ob vicinitatem, tam Arabas, quàm Idumæos à rebus nouandis impedire.

c in qq. in Paral. d Vid. cũ. in locis. Hebr. in Gerara & Adrich. in tribu Simeon nu. 47. e 2. Paral. 21.16.

IV. Expeditio in Ammonitas. POST hæc ait idem Iosephus: *Ammonitis subactis, tributoque genti præfinito, & omnibus locis, vsque ad Aegypti terminos in potestatem suam redactis, in posterum ad curam vrbis se contulit.* Non id ait Scriptura, nec puto verum fuisse, sed tantùm diuulgatum fuisse nomen eius vsque ad introitum Ægypti, per varias victorias. Hebræus, *Quia fortis fuit vsque ad sublimitatem.* Septuaginta. *Quoniam præualuit vsque sursum*, siue *in excelsum.* Vatablus. *Supra modum fortiter egit.* Cæterum hosce Ammonitas Septuaginta vocant Minæos, vt ante dixi. Quos Stephanus dicit fuisse Arabes mari rubro adiacentes, apud quos thus nascatur, quod Minæum propterea Plinius appellat. Vide quæ anno 23. Iosaphati n. 7. de his obiter diximus.



## ANNVS MVNDI 3233. DILVVII 1577. QVINTAE ÆTATIS 294. TEMPLI FVNDATI 211. OZIÆ 8. IEROBOAMI II. 23. IOELIS PONTIFICIS 8. TROIÆ EXCISÆ 363. SARDANAPALI 18. IMPERII ASSYRIORVM 1302.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 820.



I. Iubilæus 13. IVBILÆVS annus Mosaicus perpetuo in trigesimum tertium, aut 83. mundi annum cadit, vt anno mundi 2633. diximus. Itaque præsens, qui est ab illo sexcentesimus, & ab ingressu in Chananitidem 630. erit Iubilæus decimus tertius, quem Ozias, piè haud dubiè, ac religiosè celebrauit, Ioële Pontifice & Zacharia propheta annitentibus. Torniellus hunc annum vult esse decimum nonum Sardanapali, quia Ocrazapi vnum annum per imprudentiam detraxit, vt supra monuimus, monemusque rursum, quod eius rationem temporis magna cura, ac felicitate elaboratam, inuiti deserimus. Pertinet autem ad hunc annum obsidio Nini, quam Niniuem appellant sacræ literæ. Narrat enim Diodorus, quo nemo distinctius aut accuratius ista tradidit, eam biennio à coniuratis obsessam fuisse, ac tertio demum, qui fuit Sardanapali vigesimus, in hostium potestatem venisse.

lib. 2. Biblioth. p. 78. Græc. & seqq.

Is ergo narrat Arbacem quendam natione Medum, & copiarum quæ quotannis e media Ninum mittebantur, præfectum, à Beleso quodam Chaldæo diuinationis perito didicisse, ipsum aliquando Assyriorum imperio potiturum. Cumque is, ob peritiam artis suæ fidem fecisset Arbaci: idemq corruptissimos Sardanapali mores suis ipse oculis didicisset: coniurationem cum beleso init, promissa illi Babyloniorum præfectura, si res ex animi sententia contingeret. Itaque Arbaces, Medos, & Persas, Arabesque; Belesus, Babylonios, à Sardanapalo abductos, in suas partes trahunt. Qui omnes cum magnis copiis quadringentorum millium Ninum confluunt, verbo quidem, vt vicarias de more copias adducerent; re autem ipsa, vt imperium Assyriis adimerent. Quæ defectio cum innotuisset regi, cæterarum nationum copias in eos duxit, eosque triplici prælio fregit. Quas victorias non diffiteor mihi esse suspectas, in homine, qui, vt ait idem Diodorus, omnes maiores suos luxuria, atque ignauia supergressus esset; qui inter concubinarum greges vitam muliebrem duceret, stola muliebri indueretur, purpuram, lanasque mollissimas tractaret, faciem, & totum corpus fuco, aliisque scortorum lenociniis componeret. Denique qui sola morte, vt ait Iustinus, imitatus sit virum. II. *Arbacis cum Beleso cōtra Sardanapalū coniuratio.* *Et aduersa prælia.* lib. 1.

Cætera nihilominus de Sardanapalo, quæ huius sunt temporis, ex eodem Siculo pertexamus. Post tot, tamque continentes coniuratorum clades, spe victoriæ abiecta, duces suam quique domum abire constituebant, cum Belesus persuasit vt quinque adhuc dies expectarent, intra quod tempus astra illi victoriam pollicerentur. Interea venit Bactrianorum exercitus, regi opem laturus: quem cum Arbaces ad eiusdem libertatis spē adduxisset, suisq; copiis adiunxisset, regias copias metu liberas inuadunt, & luxui, ob præcedētes victorias deditas, epulisque oneratas facile vincunt, castris, magna cum strage exuunt, & in vrbem compellunt. Exinde rex Salæmeni vxoris fratri imperio castrensi tradito, vrbis defendendæ curam sibi assumit. Sed rebelles collata primum in campis, mox ante vrbem acie, bis regios fundunt, & interfecto Salæmene, hostium alios in fuga concidunt, alios ab vrbis ingressu exclusos, in Euphratem præcipites agunt, paucisque exceptis totum internecione exercitum delent. Ac tantus tum fuit occisorum numerus, vt amnis cruore fœdatus, longo spatio purpureo colore deflueret. III. *Resumunt animos.* *Et vincūt.*

Interea rege in vrbe obsesso, hostiles copiæ augebantur in dies. Ipse animaduertens quanto imperium in discrimine versaretur, tres filios, duasque filias, magna cum gaza in Paphlagoniam, ad Cottam præfectum, inter omnes subditos regi addictissimum, mittit; & tabellariis per omnes regni prouincias dimissis, militum delectus agit, & ad tolerandam obsidionem necessaria comparat, incredibili murorum firmitate fretus, quæ omnium coniuratorum conatus facile eluderet, dum copiæ vndique, ad principem suum in pristinam libertatem vindicandum, confluerent. Præsertim cum extaret à maioribus traditum oraculum, nunquam fore vt Ninus caperetur, donec fluuius ipse hostis vrbi fieret. Ergo cum alioqui rebus ad obsidionem tolerandam necessariis abundarent, nihilque admodum ab obsidentibus mali paterentur, ad biennium obsidio protracta est. Tertius obsidioni, ac bello finem attulit, vt post modum dicetur. IV. *Rex in vrbe obsidetur.*



## ANNVS MVNDI 3234. DILVVII 1578. QVINTÆ ÆTATIS 295. FVNDATI TEMPLI 212. OZIÆ 9. IEROBOAMI II. 24. IOELIS PONTIF. 9. TROIÆ EXCISÆ 364. SARDANAPALI 19. IMPERII ASSYRIORVM 1303.

### ANNVS ANTE CHRISTVM. 819.

I. *Obsidionẽ tolerat Assyrius. An. Sabb. 93.*



OBSIDIONEM hoc quoque anno tolerabat Sardanapalus, Arbace Medo, & Beleso Babylonio, cæterisque coniuratis, eam animose, & constanter vrgentibus; illo nequicquam auxiliares copias è Paphlagonia, cæterisque prouinciis expectante, si quo modo illarum opera obsidio solui posset. Interim autem apud Iudæos feriæ anni sabbatici tertij supra nonagesimum agitabantur; quas secundissimis in rebus Oziam rite obseruasse, quamuis proxime Iubilæus annus antecederet, minime dubitandum videtur. Ille autem concursus annorum sabbaticorum, & Iubilæorum quando accideret, potes ex anno Mosis 81. intelligere. [a] Interea vero Ozias partim expugnabat hostes, partim ædificabat, iuxta ea quæ supra diximus.

[a] An. m. 2544. scho. 42. nu. 698.



## ANNVS MVNDI 3235. DILVVII 1579. QVINTÆ ÆTATIS 296. FVNDATI TEMPLI 213. OZIÆ 10. IEROBOAMI II. 25. IOELIS PONTIFICIS 10. TROIAE EXCISÆ 365. SARDANAPALI 20. ET VLT. IMPERII ASSYRIORVM 1304.

### ANNVS ANTE CHRISTVM. 818.

I. *Sardanapalus expugnatur.*



VLTIMVM hunc annum egit in viuis, qui vltimus in regibus Assyriorum ab omnibus scriptoribus antiquis, nemine plane, præter sacros, excepto numeratur. Is cum biennium iam obsidionem in regni sui metropoli tolerasset, tertio demum anno, vt scribit idem Diodorus, accidit vt Euphrates, (aut Tygris potius, cui Ninum impositam fuisse geographi, aliique vno ore profitentur, Ptolemæus, Strabo, Plinius,) accidit inquam vt Tygris continuis imbribus excrescens, mœnia vrbis plurimo incursu quateret, & murum ad stadia 20. deiiceret. Tum vero finem habere oraculum, & fluuium apertè vrbi hostem factum esse rex animaduertens, spem salutis abiecit. Itaque ne in hostium manus perueniret, rogum in regia ingentem exstruxit, quo aurum & argentum omne, & quidquid erat regiæ supellectilis congessit. Tum concubinis & eunuchis in domunculam, 1 quam in medio pyræ exstruxerat, conclusis, se regiamque cum illis omnibus absumpsit incendio. Sic Diodorus, Iustinus, Strabo, & cæteri passim: etsi apud Athenæum [b] Cleitarchus libro quarto de Alexandro, eum scribit vita senio decessisse, Syriæ tamen imperio spoliatum.

L. a.

*Et incendio perit.*

1. σκ.

[b] l. 12. p. 530. Græc. Lat.

II. *Vbi sepultus sit variæ sententiæ.*

DE sepulchro eius, eiusque loco pleraque, non satis inter se consentanea, circumferuntur. Diodorus tradit Belesum, cui Arbaces Babylonis præfecturam concesserat, ab eo etiam impetrasse, vt cineres, qui ex pyra in loco deflagrationis reliqui erant, Babylonem transferret; se ibi ad Dei templum

aggerem exstructurum; qui nauigantibus per Euphratem, immortale de illo monimentum præberet, qui Assyriorum imperium euertisset; vna autem ingentem auri, argentique vim, quæ incendio superfuerat, secum deuexisse. Amyntas l.3. de Mansionibus, apud Athenæum lib. duodecimo [a], altum fuisse tradit in Nino aggerem, dirutum, & detractum humi à Cyro, cum illa ciuitate obsidione cincta, prope mœnia terræ tumulos erigeret. Illum autem aggerem Sardanapali, qui illic regnarit sepulchrum fuisse. Tertiam quoque legimus de huius sepulchri loco sententiam. Scripsit enim Aristobolus apud eundem [b], & Strabonem l.14. ad Anchialem, quam ædificauit Sardanapalus, Alexandrum, cum in Persas copias duceret, castrametatum esse, & illinc haud procul abfuisse Sardanapali monumentum.

a p.529. gr. lat.

b ibid.

AD quod erecta erat statua lapidea, quæ dextræ manus digitos conserebat, quasi crepitum editura. Cui Assyriis litteris subiectum erat hoc carmen. *Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialem, & Tarsum vno die condidit. Tu autem hospes ede, bibe, lude, reliqua ne hoc quidem digna sunt*, nimirum digitorum crepitu, vt interpretatur Athenæus [c]. Addit Strabo etiam hos de eo versus vulgo iactata, quæ M. Tullius [d] vertit in hunc modum. III.

III. *Eius statua, & epitaphium.*

c τοῦ ἀποκροτήματος, l.12.
d l.5. Tusc.

*Hæc habeo quæ edi, quæque exsaturata libido*
*Hausit: at illa iacent multa, & præclara relicta.*

Particula hæc fuit Epitaphij, quod integrum habetur apud Athenæum, in hanc sententiam, & sunt apud Strabonem diminuta.

2 ἐχ.

2 *Cum mortalem esse te bene scias, animosus & iracundus ne esto;*
*Festis epulis oblectator. Mortuo nullus rerum tuarum fructus erit.*
*Ego namque Nini magna quondam rex, nunc cinis sum.*
*Habeo quod comedi, quod proterue feci, quod in amoribus*
*Voluptatis percepi: multa vero felicia exoleuerunt.*
*Sapiens est hominum vita hæc adhortatio, eam nunquam obliuioni*
*Tradam. Qui volet aurum infinitum possideat.*

*condemnatum à sapientibus.*

Sic ille insipiens, ex eorum choro, qui dixerunt in corde suo, *Non est Deus.* Sed audi haud paulo sapientiorem Aristotelem, cui subscribit Tullius: *Quid aliud*, inquit ille, *in bouis, non in regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat, quam fruebatur.* Illa vero ipsa Sardanapali carmina, parodicè à Chrysippo eleganter versa, apud Athenæum reperies [e]. 3 habentur & 2. de Fin. versus finem.

e l.8.p.336. 337.
3 ἐχ.

VRBEM autem ipsam non solum ruina, & incendio deformatam tradit Diodorus, quod dictu, credituque facile foret, sed etiam solo æquatam, πόλιν εἰς ἔδαφος κατέσκαψε. Ciuibus autem ipsis in diuersos pagos distributis, suas singulis possessiones restituisse. Verum non excisam plane fuisse ciuitatem, in qua plerique adhuc Assyriorum reges Scriptura teste, regnarunt, nominatimque Sennacherib [f] res ipsa loquitur. Adde quod in eadem habitauit Tobias [g] cum familia sua, atque adeo cum omni tribu sua, eo translata post annos ferme 80. Indeque sine dubio veniebat Phul rex Assyriorum, in terram Israel, in gratiam Manahen, qui tum ibi regnabat, vt suo loco dicetur. Denique multo post hæc tempora, & Nahum propheta, & Tobias interitum Niniue prænunciarunt. Memorantur autem Assyriorum reges à Scriptura [h], primò prædictus ille Phul, qui Ozia in Iuda regnante apud Assyrios imperabat. Secundo Theglath Phalasar [i] qui tempore Ioathan filij Oziæ regnauit, & plurimos Israëlitas transtulit in Assyrios: qui ad regnum quoque Achaz [k] filij Ioathan propagauit imperium. Regnauit deinde Salmanasar tempore Ezechiæ filij Achaz [l], & reliquos Israëlitas in captiuitatem abduxit. Sequitur Salmanazarem Sennacherib [m], quem eiusdem Ezechiæ regis preces, maxima clade affectum, Niniuem compulerunt. Vbi postmodum, cum à filiis suis interfectus esset, ei Asarhaddon successit.

IV. *Niniui, an nunc excisa?*

*Non videri*

*Suggerit Scriptura adhuc quinque reges.*

f 4.Reg.19 36. Esa. 37. 37
g Tob.1.11
h 4.Reg.15 19.
i 4.Reg.15. 29.
k 4.Re.16. 7.
l 4.Reg.17. 6.
m 4.Reg.18 3.&c.19 v. 35.36. & 37.

CVM ergo nouum Assyriorum regem ex ipsa Scriptura sacra teneamus, necessario dicendum est Assyriorum imperium non plane sub Arbace Medo concidisse, sed postmodum sub Phule Assyrio reuixisse, atque adeo imperij eius diuturnitate refloruisse. Est autem admodum probabilis aliquorum sententia

V. *Qui tractatum cū victoribus regni negotium.*

non duos tantum Assyriorum præfectos, vt ait Diodorus, Arbacem, & Belesum, inter se conuenisse, vt hic Babyloniis præesset, ille ad Medos vnde oriũdus erat, reliquam imperij partem transferret. Sed Phulem quoque Assyrium in istam partitionem qua vi, qua voluntate admissum fuisse, vt qui admodum inter cæteros Sardanapali præfectos emineret: Itaque pro vno Imperatore Assyriorum, tres facti sunt principes, inter quos cum plurimum viribus, atque autoritate polleret Arbaces, dictus est imperium in Medos transtulisse. Sicut autem autor est Diodorus, Belesum ab Arbace Babylonem, citra pensitationem tributi obtinuisse, ita eadem lege Phulem Niniuem, quamuis bello quassatam, recepisse, in eaque deinceps ita regnasse, vt regum Assyriorum nomen, quamuis vehementer potentia, ac iurisdictione imminutum, quoquo modo sustentaret.

VI. Anni Phulis noui regis Assyriorum. DE horum porro principum annis, nominatimque Assyriorum, vt reliquos nunc quidem omittamus, non facile est certam proferre sententiam, cum illos Scriptura prætermiserit, & ægre ex ea aliquorum duntaxat regni periodus colligatur. Et Phul quidem, quem aliqui Belochum cognominant, secuti Metasthenem Annij, ab eodem regnasse perhibetur annis 48. cui, cum nihil certi affirmare possent, subscripserunt Genebrardus, Torniellus, Samerius, Gordonus. Mercator quoque, Functius, Codomanus, Phrygio, Bibliander, & si qui alij. Quorum nonnulli proximo statim anno à morte Sardanapali regnasse eum volunt, alij initium annorum eius ad tertium, quartumve, vt Torniellus, alij ad nonum etiam differunt, vt Gordonus. Ego cum nullam differendi regni causam idoneam videam, eos sequar, qui Phulem Sadanapalo, sine vllo interregno sufficiunt; tandiuque in Assyriorum solio retinebo, donec nos Scriptura monuerit Theglathphalasari eius successori locum dandum esse. Meminit huius anni ab excisa Troia 365. Cyrillus Alexandrinus, l. 1. in Iulianum: in eoque ait Lycurgum Lacedæmoniis leges dedisse, regnante apud Corinthios Agemone, Latinos Proca Syluio, iuxta opinionem aliquorum, quam retulit etiam Eusebius. Sed hac de re satis alio loco disputatum est.

*SCHOLIA IN ANN. MVNDI 3235. SARDANAPALI 20. & VLT.*

1. N. I. EFfugisse vnum de Eunuchis scribit Diodorus, eumque ad Belesum transfugisse, docuisseque ingentia auri, argentique pondera in pyram à Sardanapalo congesta, quæ causa fuerit Beleso petendi ab Arbace cineres Sardanapali, & cum iis ingentem auri, argentique vim secum abstulisse, & Babylonem secundo flumine deuexisse.

2. N. III. In eius sepulchro, inquit Athenæus l. 8. p. 335. & l. 12 p. 529. Græco Lat. hæc incisa fuisse Chrysippus author est. *Σαρδανάπαλος Ανακυνδαράξου, Αγχιάλην ἔδειμε, καὶ Ταρσὸν μιῇ ἡμέρῃ. Ἀλλὰ νῦν τέθνηκεν.* Mox subiecta erant hæc carmina.

*Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, τὸν θυμὸν ἄεξε,*
*Τερπόμενος θαλίῃσι, θανόντι σοι οὔτις ὄνησις.*
*Καὶ γὰρ ἐγὼ σποδός εἰμι Νίνου μεγάλης βασιλεύσας:*
*Κεῖν' ἔχω ὅσσ' ἔφαγον, καὶ ἐφύβρισα, καὶ σὺν ἔρωτι*
*Τερπν' ἔπαθον; τὰ δὲ πολλὰ, καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται.*

Strabo *λέλειπται*, relicta sunt, vt & apud Ciceron. 5. Tusc. pergit.

*Ἥδ' εὖ σοφὴ βιότοιο παραίνεσις. οὐδέ ποτ' αὐτῆς*
*Λήσομαι. ἐκτήσθω δ' ὁ θέλων τὸν ἀπείρονα χρυσόν.*

Quæ non paulo aliter apud eundem Athenæum l. 12. leguntur p. 529. vbi dicitur Chaldaicis literis exaratũ in sacceis pilis elogium quod Chœrilus metrorum lege ac numeris vertit. Non sunt tamen hæc eius carmina, quippe ne carmina quidem.

*Ἐγὼ δὲ ἐβασίλευσα, καὶ ἄχρι ἑώρων τοῦ ἡλίου φῶς, ἔπιον, ἔφαγον, ἠφροδισίασα, εἰδὼς τὸν χρόνον ὄντα βραχὺν ὃν ζῶσιν οἱ ἄνθρωποι, καὶ τοῦτον πολλὰς ἔχοντα μεταβολὰς, καὶ κακοπαθείας, καὶ ὧν ἂν καταλίπω ἀγαθῶν ἄλλοι ἕξουσι τὰς ἀπολαύσεις. Διὸ κἀγὼ ἡμέραν οὐδεμίαν παρέλιπον τοῦτο ποιῶν.* Quæ nihil est opus vertere.

3. Ipsius Chrysippi parodia sic habet eadem metri forma. 3. Ibid.

*Εὖ εἰδὼς ὅτι θνητὸς ἔφυς, τὸν θυμὸν ἄεξε,*
*Τερπόμενος μύθοισι. φαγόντι σοι οὔτις ὄνησις*
*Καὶ γὰρ ἐγὼ κακός εἰμι, ὡς πλεῖστα καὶ ἡδύς.*
*Ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔμαθον, καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ τούτων*
*Ἐσθλ' ἔπαθον. τὰ δὲ λοιπὰ καὶ ἡδέα πάντα λέλειπται.*

Te mortalem esse genitum quandoquidem compertum est, macte animi esto. Colloquiis te oblecta, edacitas inutilis est. Ego quippe improbus, qui plurima abligurierim. Hæc habeo quæ didici, quæ meditatus sum, quorum ope bona consecutus sum, cætera, voluptatesque omnes reliqui.



ANNUS MUNDI 3236. DILUVII 1580. QUINTAE ÆTATIS 297. FUNDATI TEMPLI 214. OSIÆ 11. IEROBOAMI II. 26. IOELIS PONTIFICIS 11. TROIÆ EXCISÆ 366. PHULIS REGIS ASSYRIORUM 1. IMPERII EORUNDEM 1305.

ANNUS ANTE CHRISTUM 817.



CONSENTANEE his quæ paulo ante de extincto, ac renouato Assyriorum imperio constituta sunt à nobis, primus erit hic annus Phulis Assyriorum regis. Non est enim credibile principes istos diuturnis contentionibus, quod plerique putant, inter se decertasse: siue quia Arbaces, vt tradit Diodorus, miti erat ingenio, adeo vt perhumaniter victis sua prædia, possessionesque reliquerit, quæ solent esse præmia victorum: siue quia, cum non minus prudentia quam fortitudine valeret, vtpote magni euersor, ac fundator imperij, maluit à principio aliquid de occupato à se iure concedere: quam præfractius omnia ad viuum resecando, aleam de tota re periculosè iacere. Ergo qui incolis Nini concessit possessiones suas, non negauit etiam ad habitandum locum, vel in parietinis, & domorum vstulatarum ruinis. Num. I. *Phul rex Assyriorũ.*

Quibus Phul Assyrius, factus de præfecto princeps imperaret, & quidem, tam prudenter, atque industrie, vt regnum quoque Babyloniorum recuperasse, & imperio suo restituisse existimetur. Eo quod nulla sit deinceps Babyloniorum mentio, vsque ad Baladam, qui tempore Ezechiæ regnauit, septuaginta circiter, abhinc annis. Contra quam quidam putant, qui volunt regnum Assyriorum in monarchiam Babyloniorum transiisse; repugnante Scriptura, quæ Phulem istum, eiusque successores perpetuo reges Assyriorum, nunquam reges Babyloniorum vocat. Est porro, hic annus regni siue imperij Medorum primus, cuius annos non visum est sigillatim persequi, propter infinitam regum, & annorum diuersitatem, vt alio in loco dicetur. Maxime cum illi breui ab Assyriis iterum subacti fuerint, vt in Phulis successore dicemus. II. *Quid factũ Babylonis,* *& Medis.*

ANNVS MVNDI 3237. DILVVII 1581. QVINTÆ ÆTATIS 298. FVNDATI TEMPLI 215. OZIÆ 12. IEROBOAMI II. 27. IOELIS PONTIF. 12. TROIÆ EXCISÆ 367. PHVLIS 2. IMPERII ASSYRIORVM 1306.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 816.

I. *Lepra Oziæ male ad hũc annũ relata.*



VIGESIMVS septimus Ieroboami annus, quem præfert hic titulus, alius longe est ab eiusdem Ieroboami 27. qui 4. Reg. cap. 15. memoratur. Is enim sumitur ab anno, quo cœpit regnare cum patre; hic autem est vigesimus septimus à morte Ioas patris eius. Quod licet suo loco non semel explicatum sit, hic tamen occasione similis numeri, in gratiam lectoris duximus repetendum. Monendumque, vt caueat Rabinos, quos secutus est Genebrardus in regno Amasiæ, vbi istum vigesimum septimum annum Ieroboami, non ad initium regni Oziæ, vt verba postulant, sed ad percussionem lepræ, quæ quinto demum versu memoratur, referunt; nec piget illos, aut pudet hyperbati, aut lepræ, qua regem alioqui optimum, ad 38. annos, quod ipsi fatentur, aut 40. quod ratio temporis postulat, inquinare non verentur. Miseri qui spiritali lepra infidelitatis, à primo die vitæ suæ, vsque ad postremum toti albicant. Sed nec Genebrardus perstat in eadem sententia. Nam paulo post initio regni Oziæ, ait de ipso; *Postquam regnasset 27. annis, reliquis, id est 25. ad vsque mortem leprosus fuit.* Sed neque id verum esse suo loco demonstrabitur.

ANNVS MVNDI 3241. DILVVII 1585. QVINTÆ ÆTATIS 302. FVNDATI TEMPLI 219. OZIÆ 16. IEROBOAMI II. 31. IOELIS PONTIFICIS 16. TROIÆ EXCISÆ 371. PHVLIS 6. IMPERII ASSYRIORVM 1310.

ANNVS ANTE CHRISTVM 812.

I. *Annus Sabbaticus. 94.*



LICET in hoc sterilium annorum decursu, hoc loco pedem figere, ad notandum Sabbaticum annum, ordine quartum & nonagesimum, quem, sicut & reliquos omnes, qui toto regni eius tempore occurrerunt, aut etiam filij, ac successoris eius Ioathami nemo recte dubitauerit ex lege diuina rite obseruatos. Fuerunt enim ambo viri religiosi, ac pij, & ipsis regnantibus decem anni Sabbatici celebrati sunt, 91. vsque ad centesimum secundum, qui incidit in regnum Achaz.

II. *Quæ domi gesta ab Ozia.*

CÆTERVM bellicis rebus, duodecim circiter annis, Ozias recte glorioséq. perfunctus, deinceps ad peculiarem vrbanarum, ac domesticarum rerum curam animum adiecit, vt superius ex Iosepho dicebamus. *ab ann. 4. eius.*

Cui etiam fauet ordo narrationis Scripturæ: non quod nihil ad hanc diem Hierosolymis fieri curauerit, operaque neglexerit, quæ tempora pacis desiderant; sed quod hoc tempore maxime, bellis ferè absolutis, iis sese dederit, quæ non tantum hunc annum, sed plerosque etiam consequentes tenuerunt.

*Ædificauit*, ait Sacer historicus, *turres in Ierusalem super portam anguli, & super portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmauitque eas.* Muri latus intelligit occidentale, iuxta Villalpandi descriptionem, & typum: statuit enim portam vallis ducentem ad Caluariæ montem, dictam portam vallis, à valle cadauerum: quomodo etiam vocat eã Ierem. [a], qua Christus Dominus transiuit, baiulans sibi crucem. Portam vero anguli terminantem idem latus occiduum, & inchoantem aquilonare. [b] Ex quo refellitur Iosephus, & si qui alij illum secuti, putant hic dici restaurata, quæ Ioas capto Amasia destruxerat [c]. Nam porta vallis longè alia est, à porta Ephraim Septentrionali, licet D. Hieronymus, si tamen Hierony. mysterium potiùs, quàm historiam secutus, in tradit. Hebraicis eandem esse putarit. Nec credibile est, tot annos quadringentis cubitis disruptum, & apertum murum permãsisse. Verum Hebr. & Septuag. non habent: *Et reliquas in eodem muri latere*, sed *& super angulos*, vel *iuxta angulos*. Videtur Diuus Hieronymus intellexisse intra duos angulos, ad eandem cœli plagam. — *Porta anguli.*

III. *Restauratio mœniũ.* POTEST etiam intelligi eum reliquas portas, siue turres angulares restaurasse; præsertim cùm Iosephus dicat. *Quidquid enim mœnium, vel vetustate labefactum erat, vel superiorum regum incursu, totum restaurauit, atque eam etiam partem, quam Israelitarum rex, Amasia patre huius capto, diruerat, quando vrbem victor ingressus est.* Sed id iam improbauimus. Pergit. *His addidit non paucas turres, centum quinquaginta cubitorum altitudinis, & arces aliquot in locis minus frequentatis, ad tutelam disposuit.* Ne intelligas loca in vrbe minus frequentia, sed loca in deserto, vel solitudine, vt Scriptura tradit, ad tutelam, & receptacula ouium, & pastorum: sic enim habet Sacer historicus. [d] *Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora, tam in campestribus, quàm in eremi vastitate.* Vatablus. *Tam in vallibus, quàm in planis locis.* — *Constructio arcium.* — *Effossio cisternarum.*

IV. *An extruxerit aquæductus.* AQVÆDVCTVS *quoque non paucos extruxit*, ait Iosephus [e], *habuit etiam iumentorum, aliarumque pecudum infinitam pene multitudinem, quod regio essent apta pascuis.* Sed interpres melius vertisset ὀχετοὺς cisternas, siue capacitates ad retinendam aquam, iuxta Hebræum, & Græcum, quàm aquæductus. Non enim de aquis aliò transferendis agitur, sed de conseruandis ad vsum hominum, atque pecorum: solitudines enim aquarum penuria laborare solent. D. quidem Hieronymus, epist. 142. ad Damasum, ait ab Ozia aquæductum fabricatum, sed in vsum templi; de quo ibi agit. Denique *vineas habuit Ozias*. Hebr. *agricolas, & vinitores in montibus, & in Carmelo, erat quippe homo agricultura deditus.* Carmeli nomen appellatiuè sumpsisse videtur, pro loco egregiè fertili: nam Carmelus mons propriè dictus, in regno Samariæ fuit, non in ditione Iudæ. Sicque sumitur à Ieremia. [f] *Et induxi vos in terram Carmeli*; id est fertilem, & opulentam: Sic ab Esaia [g], Fertilis terra Moab dicitur Carmelus, vt ibi notauit Hieronymus: & iterum apud Ieremiam [h]. Versio Vatabl. pro Carmelo habet agrum cultum, & fertilem, quemadmodum & hoc nostro loco [i]. — *Carmelus.*

d 2. Par. 26. 10.
e l. 9. c. 11.
f c. 2. 7.
g cap 16. 10
h 48. 33.
i 2. Paral. 26.



# ANNVS MVNDI 3245. DILVVII 1589. QVINTAE ÆTATIS 306. FVNDATI TEMPLI 223. OSIÆ REGIS IVDÆ 20. IERBOAMI II. ISRAEL. 35. IOELIS PONTIF. 20. TROIÆ EXCISÆ 375. PHVLIS 10. IMPERII ASSYRIORVM 1314.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 808.

NVM. I. Ratio temporis Hesiodi.



NON differam vltra hunc locum de Hesiodi ætate agere, de qua hæc apud Suidã lego. [a] *Fuit Hesiodus ex aliquorum sententia Homero antiquior: cui illum æqualem alij faciunt. Porphyrius autem, & alij plurimi centum annis iuniorem fuisse definiunt, vt qui triginta duos tantum annos primam Olympiadem antecesserit.* Sic ille. In istis plurimis est Eusebius in Chronico, vbi hoc ipso tempore ponit Hesiodum floruisse, & quidem, vt ait, ex sententia Porphyrij. Quod autem floruisse ait, id ego de eius obitu interpretor, cum certus assignetur annus, plurimis enim annis floruisse, & non vno aliquo, cum plurima poëmata scripserit, nemo recte dubitauerit; ab hoc autem anno, ad primam Olympiadem triginta duo anni numerantur. Quod si eodem authore, aliisque plurimis, Hesiodus Homero centum annis iunior fuit, cum statuerimus Homerum natum anno mundi ter millesimo trigesimo nono, natus fuerit Hesiodus anno ab orbe condito circiter ter millesimo quadragesimo, tribus scilicet, quatuorve annis ante Homerum mortuum. Idque recte ex M. Varrone lib. 1. de Imaginibus confirmatur [b], vbi scripsit non esse dubium, quin hi duo poëtæ aliquo tẽpore eodem vixerint. Indeque etiam consequens est Hesiodum vitam ad centesimum & quintum annum propagasse; quæ fuit quoque periodus vitæ Homeri. 1

*quanto iunior Homero.*

[a] verb. Hesiodus.

[b] apud Gell. l. 3. c. 11.

1 ex.

II. *Eius cædes.*

DE eius morte scribit idem Suidas, eum cum hospitio acceptus esset apud Antiphum & Ctimenũ, ab iis noctu per imprudentiam occisum fuisse, existimantibus ipsum esse illum, qui sorori eorum vitium obtulerat. Pausanias in Bœoticis [c] ait illos fuisse Ganyctoris filios, & ob Hesiodi necem ex Naupacto Molucriam confugisse, ibique pœnas ob violatum Neptuni numen dedisse. De mortis autem causa subdit: *Sed adolescentum sororem cum alius vitiasset* (nimirum quidam Milesius amicus Hesiodi, vt ait Plutarchus [d]) *in stupri suspicionem falso Hesiodum vocatum alij dixere; alij vero illum haud dubie culpa non vacasse.* Sic ipse. Verum ætas Hesiodi Suidæ sententiam probabiliorem facit. Et Plutarchus quidem dedita illum opera interfectum dicit, insontem tamen fuisse, nullaque sua culpa in iram hominum per calumniam, & sinistras suspiciones incidisse. Videtur quoque Plutarchus [e], à Pausania, in horum sicariorum pœna, non parum dissentire. Ait enim istos ab Hesiodi cane proditos, supplicio affectos fuisse, ob iniustam illius necem.

[c] l. 9. p. 306. græc.

[d] in conui. 7. Sap.

[e] l. de solertia animal.

III. *Vbi sepultus ex Pausania.*

NEQVE satis de sepultura consentiunt. Pausanias enim ait illum Naupacti, vbi interfectus fuerat, sepultum fuisse; eius tamen ossa ad Orchomenios fuisse deportata. *Sæuiente enim*, inquit, [f] *in homines, & pecudes pestilentia, missos ad oraculum consultores responsum tulisse, ad sedandam luem, id vnum remedium fore, si ex Naupactio agro in Orchomenium Hesiodi ossa deportassent. Cumque hi requirerent qua parte agri sepulchrum inuenturi essent, responsum est cornicem locum monstraturam. Quum itaque in terram è naui exscendissent, qui scitatum missi fuerant, non longe à via cornicem conspexerunt saxo insidentem: ibique Hesiodi ossa inuenta in eius saxi latebra, cum hoc carmine.* 2

*Hesiodi patria est frumenti fertilis Ascra.*
*Sed bello insignes ossa tenent Minyæ.*

[f] l. 9. p. 311.

2 ex.

*Huius in Argolicis excellit gloria terris.*
*Queis lydium ad lapidem iudicium est sapiens.*

In conu. Sap. p. 162. gr. lat. Minyæ sunt Bœotiæ populi, ijdem cum Orchomeniis.

PLVTARCHVS autem, & ipse πεχωλόγος, ait Hesiodi cadauer in mare deiectum, statim à delphinorum grege exceptum fuisse, & Molycriam Ætoliæ vrbem, ad quam confugerant sicarij, deportatum. Cumque cadauer ad littus deferri videretur, miratos ciues eò accurrisse, & corpus recens interfecti Hesiodi agnouisse, & hominis gloria permotos, cædis autores quæsisse, & canis indicio inuentos, viuos in mare præcepitasse, & diruisse eorum domum. Addit autem. *Ipse Hesiodus apud Nemeum sepultus est*, (quoddam scilicet eius loci nemus, cuipiam Deo de more sacrum) *& sepulchrum eius plerique peregrini ignorant. Occultatur enim propter Orchomenios, qui id quærunt, & reliquias Hesiodi, monitu oraculi cuiusdam auferre, & apud se humare cupiunt.* Hæc ibi. Operum eius catalogum texit Pausanias in Bœoticis, 3 & Suidas in Lexico suo. Vbi eius genus, & cognationem cum Homero reperies, quem ait, ἀνεψιάδουν τοῦ Ἡσιόδου. Vtrumque autem ab Atlante descendere. IV. Ex Plutarcho. 3 ex.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3245. OZIAE 20.

1. N. I Cyrillus in Iulianum Homero Hesiodum recentiorem dicit, ait Scalig. in Euseb. eumque sub Azaria Iudæorum, & Proca Siluio Albanorum rege floruisse testatur. Sic ipse. At tu audi Cyrillum ipsum, libr. primo, in illum Apostatam. ἑκατοστῷ ἑξηκοστῷ καὶ πέμπτῳ ἔτει τῆς Ἰλίου ἁλώσεως, Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον φασὶ γενέσθαι, βασιλεύοντος Λακεδαιμονίων Λαβώτου; Ἀσσυρίων δὲ Λαοσθένους, Λατίνων Ἄλβα Σιλβίου, &c. Centesimo sexagesimo & quinto anno excisæ Troiæ, Homerum, & Hesiodum fuisse aiunt, regnante apud Lacedæmonios Labota, Assyrios Laosthene: Latinos Alba Siluio, &c. At hi omnes simul regnarunt Salomone apud Hebræos regnante, iuxta Eusebij chronicum, fuitque is annus apud nos Salomonis 17. Laosthenis octauus. Subdit mox idem Cyrillus aliam temporis rationem in hæc verba. Φασὶ δέ τινες οὐχ ὁμόχρονον Ὁμήρῳ τὸν Ἡσίοδον εἶναι· ἀλλ' ἐν τοῖς γενέσθαι τοῖς χρόνοις διέποντος τὴν Ἑβραίων Ἀζαρίου τοῦ καὶ Ὀζίου. Μήδων δὲ Ἀρβάκου. Λατίνων δὲ Πρόκα Σιλβίου. Aiunt aliqui Hesiodum non fuisse Homero æqualem, sed iis vixisse temporibus, quibus apud Hebræos regnabat Azarias, qui & Ozias; apud Medos autem Arbaces, Latinos Procas Siluius. Sic sanctus Cyrillus; quæ in contrarium sensum latine versa sunt ab interprete. Vides autem eum nihil de Hesiodi ætate testari, sed referre tantum aliquorum sententiam. Nec satis intelligi potest, vtram ille rationem temporis præferat. Apparet certe eum respexisse ad Eusebium, vt aliis passim locis; Eusebius autem Porphyrium sequitur.

2. N. III. Græcum si quis requirat huiusmodi apud eundem Pausaniam legitur,

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος
Ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει
Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν Ἑλλάδι κῦδος ὀρεῖται
Ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης.

3. N. IV. Primo loco ponit Opera, & dies. Deinde carmen in mulieres quasdam, quas vocat magnas Eœas decantatum, tum Theogoniam, siue deorum gentilitatem, in Melampodem vatem carmen, Thesei cum Pyrithoo ad inferos descensum, Chironis præceptionem ad Achillis institutionem. De Diuinatione carmen, quod se Pausanias legisse profitetur. Denique ostentorum enarrationes, vt bene correxit Sylburg. id est, ἐξηγήσεις ἐπὶ τέρασιν.

ANNVS MVNDI 3248. DILVVII 1592. QVINTAE ÆTATIS 309. FVNDATI TEMPLI 226. OSIÆ REGIS IVDÆ 23. IERBOAMI II. ISRAEL. 38. IOELIS PONTIF. 23. TROIÆ EXCISÆ 378. PHVLIS 13. IMPERII ASSYRIORVM 1317.

ANNVS ANTE CHRISTVM 805.



I. *Annus Sabbaticus.* 95. *Principiũ prophetiæ Amos, & Ratio temporis.*

DEDIT Amos hoc anno Sabbatico, ordine 95. initium suæ prophetiæ. Cùm enim ea cœperit biennio ante terræ motũ, vt ipsemet initio sui vaticinij testatur, & 15 in 25. Oziæ incidat, vt suo loco, ac tempore docebimus, necesse est, vt hic annus nouũ hũc prophetam exhibeat, quo anno regnabat adhuc Ieroboã apud Israëlitas, & Ozias ad medium regiæ administrationis curriculum decurrebat. *Verba Amos*, inquit, [a] *quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel, ante duos annos terræmotus.* Et hanc temporis rationem sequitur post multam disputationem Christophorus [b] à Castro, & alij, nominatimque Torniellus. [c] Riberam ab hac chronologia, quam probabilissimam agnoscit, reuocauit, quòd putauit Oziam regnare cœpisse ann. 27. Ieroboami [d], ratus illũ annum numerandum à morte Ioas patris eius, quod eum aliosq. compulit ad interregnum statuendum inter Amasiam, & Oziam: sed plura loca Script. stant pro nostra temporum ratione, & suadent illum vnicum locum, suaui, miniméq. coacta expositione interpretandum, vt fuerit 27. à quo factus est à patre Ioas regni collega, vt suis locis dictum est.

[a] Amos c. 1
[b] in c. 1 Amos n. 5. in fi. & l. 4. de prophetis, c. 8.
[c] an. 5. ætat. 216.
[d] ex 4. Re. 15. 1.

II. *Duo Amos, pater Isaiæ.*

SED primum distinguendus est hic Amos ab altero, qui fuit Esaiæ pater, quos confundit Epiphan. in vita, cum quo habuit, vt plerique aiunt, prophetæ officiũ commune, fueruntque ętate suppares: ambo enim sub Amasia, & Ozia vixerũt: sed is de quo agimus, in primis nomine differt ab altero. Nam vt notauit D. Hieron. in 1. cap. Esa. pater Esaiæ אמוץ dicitur, noster autem עמוס. Ille nomen habet à robore, iste ab onere: ille nobilis fuit, vt scribũt Hebræi in chronologia, aiuntque fuisse fratrem Amasiæ, qui ei persuasit, vt conductum exercitum Israëlitarum dimitteret, vt anno duodecimo Amasiæ dicebamus [e]. Vatablus ex eorum quoque sententia ait eum fuisse de tribu, & sanguine regio, quod sequitur Genebr. in chron. in Amasia.

[e] a. 4. & 5.

III. *Et hic è pastore propheta.*

HIC autem Amos humili loco natus est. Nam ipsemet statim ab initio ait se fuisse *in pastoribus de Tecue*, id est, è numero pastorum, & armentariorum illius oppidi: & alibi [f] pastorem se armentarium vocat, vellicantem sycomoros, & à Domino vocatũ, cùm sequeretur greges. Illius nulla scripta extant; iste in prophetis minoribus est ordine tertius. Ille sub Amasia rege; iste sub media Oziæ tẽpora, & Ieroboami extrema prophetauit. Nec est quod quemquã moueat, quod c. 7. Amos citato, propheta cum Amasia agit: ille enim Amasias non rex, sed sacrificulus vituli Bethel fuit. Arbitrantur autem quidam, vt ait noster à Castro, obsequium se præstare Deo, & prophetæ gratificari, si eum insignem pastorẽ, & multis gregibus abundantem, ac dominum esse comprobent, non indigum pastorem, suum, aut alienum sequentem gregem. Sed prædicta prophetæ de seipso testimonia eos apertè falsi redarguunt.

[f] c. 7. 14. & 15.

IV. *Prophetat contra Syros.*

PROPHETAT autem Amos ab initio contra Damascũ metropolim Syriæ, quã propter tria, quatuorque, id est plurima scelera, grauissimo se eam supplicio affecturum Dominus dicit: maximè autem propter crudelitatem insignem, quam in Israëlitas, qui in Galaad trans Iordanem habitabant, sæuierunt; quam flens præuiderat Elisæus, ac prænunciauerat Hazaëli nondũ regi Syriæ [g]. Pœna vero hæc est, quod permissurum se ait, vt in suis sceleribus, & obstinatione permaneant; donec igne, ferroque vastati, in captiuitatem abducantur: quod contigit

[g] 4. Reg. 8. 11.

a 4. Reg. 16. 9. an. m. 3196. n. 3. & 4. b ca. 14. 28.

Achaz regnante Hierosolymis, & Razin in Syria: Cùm [a] *ascendit rex Assyriorum* Theglath phalasar *in Damascum, & vastauit eam, & transtulit habitatores eius Cyrenem, Razim autem interfecit.* Cæterum cum ex 4. Reg. [b] constet Ieroboamum regno suo Damascum restituisse, id longè ante hunc annum factum esse satis constat, iuxta ea quæ diximus anno eius 6. n. 5. Cum tributo contentus mitiùs videtur egisse cum eis; vt propterea grauius eis supplicium propheta comminetur, quòd molli verbere castigati non resipiscerent, aut quòd mitiùs, quam pro tanta sua crudelitate tractati fuerint.

V. *Et contra Philisthæos*

c n. 13. & seq. an. m. 3149. d 21. 16. e 4. Reg. 18. 8.

SECVNDO prophetat eodem tenore, eodéq. loquendi filo contra Philisthæos, in quorum quatuor primarias vrbes minas intentat, Gazam, Azotum, Ascalonē, Accaronem. Quo autem tempore contigerit hic cumulus peccatorum Gazæ, & aliorum Philisthinorum; vt omnes, quos ex Iudæis captiuos duxerant, nemine excepto in mancipia vendiderint Idumæis, non explicant interpretes. Christophorus à Castro ingenuè pronunciat non liquere. Existimo id contigisse tēpore Iorami filij Iosaphati, & quidem anno eius 7. vt ibi diximus [c], à quo tempore vndecentesimus nunc agebatur annus; quando, vt scriptum est in 2. Paralip. [d] *suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum, & Arabum, & ascenderunt in terram Iuda, & vastauerunt eam, & regis filios, vxoresque interfecerunt.* Quando autem pœnas dederint huius crudelitatis, non definio. Nam Philisthæos ex parte domuit, atque afflixit Ozias ipse, vt 5 eius an. n. 1. & seqq. diximus. Afflixit & Ezechias. *Ipse percussit*, inquit Script. [e] *Philisthæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum à turre custodum, vsque ad ciuitatem munitam.* Afflixit denique Pharao Ægyptius, vt habetur Ierem. 47.

VI. *Contra Tyrios.*

f cap. 3. 5. vide Ezech c. 29. & 36.

TERTIO prophetat cōtra Tyrios, quos scelere, & pœna Philisthæis pares facit, & similes sicut & apud Ioëlē [f] Philisthæis, Tyrij, & Sidonij aggregantur. Tyrios porro, vt alibi dicetur, valde afflixit Nabuchodonosor. Alexander autem Macedo planè perdidit.

*Et Idumæos.*

g 2. Reg. 8. 13. & 14. & 4. Re. 11. 15. 16. h vt habetur 4. Reg. 14. 7. 2. Par. 25. 11. i c. 49. 7. 13.

Quarto prophetat contra Idumæos, qui hostili semper animo, contra Israëlitas fuere; & odium, quod aliquando fuit inter illos duos filios Isaac, vtriusque posteri perpetuò retinuerunt; nec vllam vnquam occasionem sibi inuicem nocendi omiserunt. Afflixerat eos iampridem Dauid per se, perq. Ioab principem militiæ suæ [g]. Afflixerat eosdem Amasias non ita pridem, cū decem millia eorū in valle Salinarum trucidauit, & totidem de rupe misit in præceps [h]. Vltio autem, quam in eos Amos intentat hic paucis tangitur: plenius habetur in Abdia, qui contra Edom tantum prophetat; copiosius apud Ieremiam [i]. Nam inter cętera; *Per memetipsum iuraui, dicet Dominus, quod in solitudinem, & in opprobrium, & in desertum, & in maledictionem erit Bozra, & omnes ciuitates eius erunt in solitudines sempiternas.* Id autem factum est à Nabuchodonozore, post deuictos Iudæos.

VII. *Ammonitarum crudelitas, & pœna.*

k c. 11. 2. l 4. Reg. 8. 12. m c. 49. 2. n vt habetur 2. Par. 20.

QVINTO contra Ammonitas, quorum intolerabilem crudelitatem Hieron. ait contigisse, initio regni Saül, cùm Naas rex eorum vastauit Iabes, & dissecuit prægnantes eorum, & virorū oculos dextros eruere voluit, vt dicitur in 1. Reg. [k] De dissectione tamen prægnantium, nihil eo in loco scriptum est. Fuit ea singularis Syrorum, duce Azaële, crudelitas, quam lachrymis prosecutus est Elisæus [l]. Hoc ipsum tamen crimen ab Ammonitis perpetratū fuisse dubitari non debet, Deo id per prophetam suum affirmante. Cæterum huiusmodi crudelitatem punitum iri, ait Amos per Nabuchod. quod apertius prophetat Ierem. [m] licet alia ibi culpa memoretur. Fuerant & ipsi vna cum Moabitis, & Idumæis, proprijs gladiis pene ad internecionem vsque deleti [n], regnante Iosaphato.

VIII. *Mina in Moabitas.*

SEXTO prophetat in Moabitas, quorum sæuitiam in regem Idumęæ graui pronunciat animaduersione plectendam, eo quòd, vt tradunt Hebræi apud D. Hieron. ossa regis Idumæi iam sepulti, qui cum Ioramo rege Israëlis, & Iosaphato rege Iudæ ascenderat aduersum Moab, in vltionem doloris, à Moabitis postea conuulsa, atque succensa fuerint. *Ob hanc ergo*, inquiunt, *causam Deus missurum se dicit ignem in Moab, vel metropolim Moabitarum, à qua tota est appellata prouincia, vel vniuersam prouinciā*, &c. Hæc ipsi. Causa porro tanti odij colligitur ex 4. Reg. 3. vt diximus anno Iosaphati 19. n. 80. Cùm enim tres reges Iudæ, Israël, & Idumęæ, ope Elisæi insignem victoriam de Moabitis retulissent, regemq eorum in ciuitatem

*eorum crudelitas in Idumæos.*

compulsum vehementer premerent, ille assumptis secum septingentis viris, eruptione facta, in eam partem, quam Idumæi obsidebant irrupit; quod cum irrito conatu factum esset, arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum. Quo facto commoti Israëlitæ recesserunt ab eo. Deinde verò cũ rex Idumææ mortuus esset, & sepultus, in ossa eius ita sæuierunt, vt in calcem redegerint, vel, vt explicat Chald. iis pro calce vsi fuerint, & parietes suos in vindictam, & contemptum oblinierint, vt habet etiam Emanuel Sà. Ita sentit hic Ribera, & a Castro.

IX. *Cur ab iis sæuitum in regem Edom.*

SED cur, inquies, in regem potius Idumæorum, quàm alios sæuierunt? Non enim maiorem ab eo iniuriam, aut cladem acceperant Moabitæ, quàm ab Israëlitis, vel Iudæis; imo minorem, cum Idumæus tum seruiret regi Iudæ, eiq. in eo bello armis, virisque adesse cogeretur. Existimo Moabitas non minore contra alios reges odio flagrasse, nec minorem expetiisse vindictam, sed eam exercere non potuisse. Non enim poterant in arcem Samariæ, aut Hierosolymæ inuadere, at Idumæi, & vicini erant, & minus communiti.

*Aliæ in Moabitas minæ.*

Cæterum minæ contra Moabitas longe plenius habentur apud Esa c. 15 & 16. & cumulatiùs etiam apud Hierem. c. 48. quando scilicet propius aberant a pœna. Nam mox ipsi, cum fratribus suis Ammonitis, à Nabuchodonosore vastati sunt, primo post excidium Hierosolymitanum anno, vt ait Iosephus [a], regni autem illius 23. vt suo loco dicetur. a l. 10. c. 11.

X. *Prophetia contra Iudam.*

SEPTIMA prophetia eiusdem Amos est contra peccata Iudæ, & nominatim contra idololatriam; quam nuper Amasias Hierosolymam inuexerat [b], quamq. alij deinceps maiori etiam scelere, & detrimento inuecturi erant, præsertim Achaz, & Manasses. Ignem autem, quem minatur, immisit in Ierusalem Nabuchodonosor, & Nabuzardam princeps militiæ eius, vt habetur in fi. 4. Reg. & 2. Par. & extrema prophetia Ieremiæ. b 2. Par. 25. 14.

*Et Israelē.*

Postremo contra Israëlitas, siue decem tribus conuertit orationem suam; sed fusius in eos agit, quia nominatim pro ipsorum salute procuranda à Deo mittebatur: quibus etiam vicinam, post annos sexaginta quinque, captiuitatem prædicet, vt postea dicemus.

## ANNVS MVNDI 3249. DILVVII 1593. QVINTÆ ÆTATIS 310. FVNDATI TEMPLI 227. OZIÆ REGIS IVDÆ 24. IEROBOAMI II. ISRAELIS 39. IOELIS PONTIFICIS 24. TROIÆ EXCISÆ 379. PHVLIS 14. IMPERII ASSYRIORVM 1318.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 804.

NVM. I. *Secundus, & vltim⁹ annus prophetiæ Amos.*



PERGIT Amos hoc anno prophetare in regno Israël eorũ incusando ingratitudinem, & visitationem comminando, sic enim vocat animaduersionem, & pœnam super omnes iniquitates eorum, maximè autem super idolis Bethel. Inde in diuites Samaritanos, vexatores, & oppressores pauperum inuehitur, quibus diuinam vindictam, & captiuitatem denunciat. Deinde conqueritur, quod tam multis à Deo correpti afflictionibus, vt pares antiquis illis Ægyptiorum cladibus videri possent, non resipuerint, relicta impietate sua; sed in ea perseuerauerint. Cæterum hoc insuper anno, nec vlterius Amos vaticinatum fuisse, ex eo colligitur, quod in Hebræo non habetur, *ante duos annos terræmotus*, vt habet Vulgata, & Septuaginta; sed duobus annis ante terræ motum, quo modo habet etiam Chald. Paraphrast. quasi dicat, illo duntaxat biennio: quod probat Montanus, & à Castro. Verum eadem est vtrorumque sententia, sed altera initium dicit, alia distinctius totum tempus amplectitur.



ANNVS MVNDI 3250. DILVVII 1594. QVINTÆ ÆTATIS 311. FVNDATI TEMPLI 228. OZIÆ REGIS IVDÆ 25. IEROBOAMI II. ISRAELIS 40. IOELIS PONTIF. 25. TROIÆ EXCISÆ 380. PHVLIS 15. IMPERII ASSYRIORVM 1319.

ANNVS ANTE CHRISTVM 803.



I. *Res huius anni.*

CELEBRIS est hic annus terræmotu, qui initio prophetiæ Amos, & 14. Zachariæ memoratur, & denunciatione futuræ captiuitatis, quæ ab Esaia quoque celebratur; vtrumque difficultatibus implicatum est, quibus lucem aliquam dare conabimur.

a l. 9. c. 11.

Et quod ad terræmotum attinet: Iosephus [a] ait hunc terræmotum contigisse eo tempore, quo lepra percussus est Ozias, quod secutus est D. Hieronymus in 1. Amos, & 6. Esaiæ. Theodoretus in 14. Zachariæ, Lyranus in 6. Esaiæ. Rupertus, Vgo, Dionysius in Esaiam, Genebrard. in chron. Villalp. [b]

b to 3. p. 1. l. 1 c. 5.

II. *Terræmotus non cõiunctus cũ Oziæ lepra.*

EXISTIMO nihilominus terræmotum, cuius meminit Amos, & Zacharias, non contigisse eo tempore, quo Ozias percussus est lepra. Nam si Amos prophetauit regnantibus Ozia in Ierusalem, & Ieroboamo in Samaria, vt ipsemet fatetur, & prophetauit biennio ante celebrem illum terræmotum, qui quasi prouerbij loco à Zacharia vsurpatur: oportet hunc terræmotum cõtigisse viuo Ieroboamo, vel, vt quam tardissimè ponatur, biennio à morte eius, id est vigesimo octauo Oziæ. Si ergo lepra Oziæ eodem tempore contigit, quo terræmotus, Ozias factus est leprosus vigesimo octauo anno regni sui. Verum cum Scriptura [c] testetur Ioatham filium Oziæ, post eiectum patrem rexisse domum regis, & iudicasse populum terræ [d], oportet eum ætate ad hoc munus conuenientem fuisse. At anno illo 28. tantum natus est Ioatham. Non ergo potuit administrare Rempubl. Probatur illius temporis natiuitas: inde enim ad initium regni eius viginti quinque anni numerantur, quot annis erat, cùm regnare cœpit [e]. Eodem argumento refelluntur, quicunque vel 27. vel 25. regni sui anno, aut etiam maturius lepra percussum Oziam volunt, quam longè tardius credimus contigisse. Ideoque hic non de lepra, sed de terræmotu agimus, quem cum lepra plerique Iosepho duce coniunxerunt. Plerique etiam eruditi nobiscum seiungunt, vt anno 49. Oziæ dicetur.

c 2. Par. 26. 21.
d vt dicitur 4. Reg. 15. 5
*probatur ex ætate Ioathami.*
e vt dicitur 4. Reg. 15. 33

III. *Contigisse hoc anno.*

EXISTIMO quoque hunc terræmotum hoc anno, id est, 25. Oziæ contigisse. Id enim affirmat D. Hieronymus, & Procopius, ambo secuti Hebræos in cap. 7. Esaiæ. *Volunt autem*, inquit ille, *annum fuisse 25. Oziæ, quando hæc acciderunt*, de lepra scilicet, & terræmotu, *cuius reliqui anni sunt 27. Ozias enim regnauit annos 52.* Sic ipse. At cum id de lepra verum esse non possit, de terræmotu saltem accipiamus, ex quo nihil sequitur absurdum. Nõ enim mortuus erat Ieroboam 14. regni Oziæ, vt Ribera, & Sanctius in cap. 7. Esa. & alij censent, qui interregnum inter Amasiam & Oziam ponunt: nam vitam, & regnum produxit vsque ad 26. Oziæ, & sic licet hoc anno contigerit terræmotus, vtroque rege viuo contigerit. Nec est quod miretur Sanctius hanc sentẽtiam quibusdam ex nostris tantopere placuisse, rectissima enim est, quam ipse impugnat ex ruinoso fundamento, cùm putet Oziam non nisi 27. anno Ieroboami regnare cœpisse [f], cùm ille annus non petatur à morte Amasiæ, vt ipse supponit, sed à 4. Amasiæ, quando Ieroboam cum patre suo regnare cœpit, vt iam aliquoties dictum est. De anno terræmotus idem nobiscum affirmat Glossa in 2. Paral. 26. & sequitur Torniell. anno 228. quintæ ætatis. Christophorus quoque à Castro in caput primum Amos num. 5.

n. 16.
f 4. Reg. 15. 1.

in fine, & in c. 14. Zachar. num. 9. & alij, vt Functium, aliosque sectarios missos faciam.

IV. Quis fuerit ille terræmotus ex Iosepho.

CÆTERVM ab eorum opinione lógè absumus, qui hunc non verum terræmotum, siue infimi elementi succussionem fuisse arbitrantur, sed metaphoricum, quo turbulenta Reip. tempora significarentur, partim quia nihil cogit nos ad deserendam propriam, & natiuam verbi significationem, quam antiqui omnes interpretes retinent, & pene omnes recentiores; partim quia Iosephus, quo is modo contigerit, aut contigisse putauit in hæc verba describit. [a] *Tum rex commotus*, inquit, *mortem illis, nisi quiescerent, minatus est. Et ecce tibi terra vehementer concutitur, fissoque supernè templo, radius solis os regis improbum ferit, quod è vestigio lepra contactum est. Accessit huic & aliud prodigium, quod eodem terræmotu ante vrbem, in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad occidentem vergentis reuulsum, & per quatuor stadia volutum, obiectu demum orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regiis.*

Scissio montis.

a l. 9. ca. 11.

V. Improbatur.

HÆC Iosephus, quibus alludit ad ea, quæ vaticinatus est Zacharias c. 14. prophetiæ suæ. Sed quæ hic vates futura dixit, ipse quasi iam facta recensuit, multorum seculorum parachronismo vsus. Nã Zacharias trecentis pene ab hinc annis, certè plus 280. prophetauit; & quæ præuidit ad Machabæorum tẽpora pertinent, vt aliqui arbitrantur; in quibus noster à Castro. Aliqui scissionem mõtis figuratam malunt, vt Ribera: quo modo apud Esaiam [b], & Dauidem, montium defluxus, & conturbationes leguntur. Dicamus ergo memoratum ab hoc propheta terræmotum insignem quidem fuisse, & ab omnibus, qui tum erant in regno Iudæ, vel Israëlis animaduersum, & notatum, vt inde ratio temporis, tanquã à noto termino peteretur; illum tamen nihil admodum insigne præ cæteris habuisse, ex Scripturæ silentio, non male colligi posse. Missam porro facio supernam illam templi fissionem, quæ nullam à Scriptura fidem, permodicam à Iosepho accipit probabilitatem: maximè cùm iam planè probatum sit, multorumque doctorum consensu roboratum, terræmotum multorum annorum interiectu ab Oziæ lepra distare, neque ad eam vlla ratione pertinere.

Quis potius fuisse videatur hic motus.

b ca 64. 1. 2. & Ps. 17. 8. Psalm. 96. 5.

VI. Quaq. de causa excitatus.

PERTINET potius, si causam eius aliquam quærimus, ad imminentes animorũ motus significandos, qui in regno Israëlis paulo post, moriente Ieroboamo, secuturi erant, & quidem tanti, vt regnum ad annos circiter 12. variis seditionibus iactatum rege caruerit: & qui illud deniq. obtinuit Zachar. ad 6. tantum menses eo potitus fuerit: cui mox Sellum ad vnum tantũ mensem [c] successerit. Et rursum alius, qui barbarã, aut ferinam potiùs in suos crudelitatem exercuerit, & externum hostem in regnum suum acciuerit; vt eum doceret inire viam ad perdendũ Israëlem, & eũ in captiuitatem abducendum; qui fuit alius motus longè maximus. Et hæc terræmotus, de quo agimus, maximè præmonstrabat, quæ tanto ante prædicta fuerant ab Ahia Silonite, Ieroboamũ, aut vxorem eius arguente. [d]

c 4. Reg. 15 8. 13.

d 3 Re. 14. 15.

VII. Prophetia Esaiæ 65. annorum.

Hoc quoque anno dicimus editam prophetiam, cuius Esaias meminit [e], *& adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus* Id est, regnum Israël, siue decem tribuum; & hoc modo in Hebræo, & Septuaginta legitur. Et quidẽ notissimum est, & communi consensu firmatum, illud, *adhuc*, non referri ad posteriora tempora. Nam dum hæc loqueretur Esaias ad regem Achaz, vix duocim anni supererant ante captiuitatem, & euersionem regni illius, vt suo loco dicetur. Quo minùs ferendus est Pagninus, qui explicandi causa ad vocem, *adhuc*, quæ in textu Hebræo est, addit de suo, *remanent*; quod reddit prophetiam falsam; vt ibi notauit Leo Castrius, cùm vix duodecim anni, vt dixi, remanerent. Fateor quidem Hieronymum examinando hunc locum: dicere regnum Ephraim post 65. annos cessaturum; vel intra 65. annos, vt alij vertunt; sed id non est dicere adhuc remanere 65. annos.

e ca. 7. 8.

VIII. Vnde petenda.

SENSVS ergo est; iuxta eundem ipsum Hieronymum, & recentiores, adhuc currere, & in fluxu esse illos 65. annos pridem prædictos, nec planè effluxisse. Quod Septuag. apertiùs dixerunt, in 65 annis deficiet regnum Ephraim, id est, intra illos dudum prænunciatos 65. annos. Et Chaldæus in fine 65. annorum cessabit regnum domus Israel. Hos autem annos à propheta Amos inchoare, ex Hebræis tradit idem Hieronymus ibid. *Igitur Hebræi*, inquit, *hunc locum ita edis-*

*ferant, vt Amos, qui sub Ozia cœpit prophetare, quando & Esaias prophetiæ suæ habuit exordium, primus prophetauerit contra Israel, dicens. Israel autem captiuus ducetur de terra sua.* Sic ipse. Et id quidem habetur obscurius initio cap. 4. Amos. ª *Iurauit Dominus Deus in Sancto suo;* id est per semetipsum. *Quia ecce dies veniunt super vos, & leuabunt vos in contis,* siue hastis, *& reliquias vestras in ollis feruentibus*, vt scilicet carnes vaccarum pinguium, quarum paulo ante meminerat. *Et per aperturas*, id est ruinas murorum, *exhibitis altera contra alteram, & proyciemini in Armon, dicit Dominus,* id est in loca Armeniæ, Hieronymo. Vltra montes Armeniæ, Chaldæo. *proyciemini in Armeniam*, Symmacho.

APERTIVS autem eandem captiuitatem prædicit Amos in fine capitis 5. *Et migrare vos faciam trans Damascum dicit Dominus.* Et capite 6. 7. dicit optimates, & opulentos migraturos in capite transmigrantium, & ablatum iri factionem lasciuientium. Idque facilè intellexit Amasias Sacerdos Bethel,[b] qui misit ad Ieroboam regem Israël, dicens; *rebellauit contra te Amos, in medio domus Israel. Non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius, hac enim dicit Amos; In gladio morietur Ieroboam.* Hæc calumnia est, id enim propheta non dixerat de Ieroboam, qui gladio non est mortuus, sed de domo eius, vt docuit euentus. Pergit. *Et Israel captiuus migrabit de domo sua.* Quæ verba in fine eiusdem capitis ab ipso propheta repetuntur. Capite etiam octauo eadem transmigratio, & eiectio obscurius attingitur; sed nunquam fit mentio numeri annorum, intra quos superuentura erat illa calamitas. Vt credibile sit Isaiam ipsum, aut ab Amos, aut potiùs à Deo ipso edoctum, eum numerum ante ignotum declarasse. Non desunt, qui dicunt illam prophetiam non extare; sicut supra diximus de prophetia Ionæ ad Ieroboamum.[c]

PORRO Hebræi apud eundem Hieronymum hos 65. annos ita numerant. *Volunt autem*, inquit, *annum fuisse vigesimum quintum Oziæ, quando hæc acciderunt, cuius reliqui anni sunt 27. Ozias enim regnauit annos 52. Post eum regnauit Ioatham filius eius annis 16. & huius filius Achaz annis aliis sedecim: post quem regnauit Ezechias, cuius sexto imperij anno capta Samaria est, atque ita effici simul annos 65.* Hæc Hieronymus. Vatablus in eum locum Isaiæ aliter colligit hos 65. annos, quem laudat, & sequitur Leo Castrius. Amos, inquit, prophetauit contra Damascum, & Israëlitas. Cœpit prophetare aduersus eos anno 17. Ieroboam filij Ioas, qui à prophetia hac, regnauit 24. annos, quibus si addas decem Manahen, duos Phaceiæ, viginti Phaceæ, & Osee nouem, constitues 65. annos, præter septem menses Sellum, & Zachariæ. Cùm hæc scripsit Esaias, supererant è prophetia Amos duodecim anni, id est tres vltimi anni Phaceæ, & nouem Osee. Hæc Vatablus.

SED planè decipitur: nam ab anno decimo septimo Ieroboam, vsque ad vltimum Osee, non 65. anni, sed 88. reperiuntur; quod facilè intelligitur ex annis regum Iuda. Nam 17. Ieroboam respondet 2. Oziæ. Supersunt ergo 50. Oziæ, quibus addendi sunt 16. Ioatham, & totidem Achaz; quibus adde sex Ezechiæ (eo enim anno captam fuisse Samariam Scriptura testatur)[d], fiunt omnino anni 88. Quòd si numeremus annos Ieroboam, ex quo regnare cœpit cum patre, ita vt eius 27. respondeat primo Oziæ, addendi erant 10. anni antequam Ozias regnare cœpit; tum 52. anni regni eius; tum 32. Achaz, & Ioatham, & 6. Ezechiæ; fient omnino 100. anni: sed fefellerunt Vatablum turbulenta regni Israëlitici interregna, de quibus agemus suis locis.

IAM Sanctius, ob improbandam quam dixi Chronologiam, cogitur negare 65. annos, ab Esaia numeratos, à propheta Amos vsque ad cladem Samariæ, vt communiter omnes fatentur; sed eos numerat[e] ab eodem quidem principio, cum cæteris, sed terminat in tempore, quo Esaias illam edidit prophetiam: qui cum fuerit secundus annus regni Achaz, vt docebimus in eo loco, in eius chronologia reperientur tantùm anni 56. nimirum 38. Oziæ, 16. Ioatham, & 2. Achaz: imo in nostra, cui præit Hieronymus, 45. Retineamus, ergo 65. annos eo quo diximus loco incipientes, & terminatos.[f]

CÆTERVM non plane constat ad quam prophetiam respexerit Esaias in denunciandis istis 65. annis, cùm nec ipse meminerit prophetæ Amos, nec Amos annorum 65. Nec traditio Hebræorum, quam refert D. Hieronymus in

Left margin notes: a 4. & 3. — b c. 7. 10. — c 4. Reg. 14. 25. — 50 / 16 / 16 / 6 / 88 — d 4 Reg. 18 10. — e Num 18. — f n 9. & 10.

Right margin notes: PRÆDICTIO CAPTIVITATIS ISRAELIS. — IX. Alia eiusdem prædictio. Confirmatur ex querela Amasiæ. — Vnde notus hic annorum numerus. — X. Quomodo constet ex Hebræis & Hier. Ex Vatablo ex annis Israëlitarum. — XI. Refutatur, & vitiosa ostenditur supputatio. — XII. Sententia Sanctij improbata. — XIII. Amos nō primus

TEMPLI FVNDATI 229. *prædixerit ruinam regni Israëlitici.*

PRÆDICTIO CAPTIVITATIS ISRAELIS.

cap. 7. Esa. certam fidem faciat. Non enim, quod ipsi volunt, primus prophetauit Amos contra Israëlem, denuncians captiuitatem, & migrationem; multo enim ante Ahias Silonites [a] eam prædixerat, quando post prædictionem euersionis familiæ Ieroboam, principis, & authoris Idololatriæ Israëliticæ, etiam de ipso Israële desertore Domini ita loquitur. [b] *Et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moueri solet arundo in aqua, & euellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen* (Euphratem) *quia fecerunt sibi lucos vt irritarent Dominum.* Nihilominus ad illa, quæ diximus, loca [c] prophetæ Amos respexisse Esaiam, communis est sententia, cui subscribit Sanctius. [d]

a Ann. 19. Ierob nu. 10 & 11. id est ante 172 annos.
b 3. Reg 14. 15.
c n. 8 & 9.
d in ca. 7. Esaiæ n. 18.

ANNVS MVNDI 3251. DILVVII 1595. QVINTÆ ÆTATIS 312. FVNDATI TEMPLI 229. OZIÆ REGIS IVDÆ 26. IEROBOAMI II. AN. 41. ET VLT. IOELIS PONTIFICIS 26. TROIAE EXCISÆ 381. PHVLIS 16. IMPERII ASSYRIORVM 1320.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 802.

I. *Obitus Ieroboam, & ratio temporis.*


MORITVR hoc anno Ieroboam, primo, & quadragesimo regni sui anno, sic enim scriptum est. [e] *Anno quintodecimo Amasiæ filij Ioas regis Iuda regnauit Ieroboam filius Ioas regis Israel, in Samaria, quadraginta, & vno anno.* Quamuis Iosephus 40. tantùm posuerit; sed grauius falluntur, qui eum 52. annis regnasse putant; tot enim sunt, inquiunt, à 15. Amasiæ, [f] vsque ad 38. Osiæ, quo Zacharias successit Ieroboamo patri. [g] Sed rectius est assentiri Scripturæ aliquid apertè affirmanti, quam iis, quæ ex ea dubiè colliguntur. Non enim constat Zachariam immediatè post mortem patris in Samaria regnasse: & Mercator ait Ieroboamum 53. annis regnasse, vel interregnum 12. annorum in regno Israëlis admittendum esse; quod nunc ferè omnes admittunt, vt anno sequenti dicetur. Maneat ergo Ieroboamum vno & quadraginta annis regnum decem tribuum, vtinam tam piè, quàm feliciter, administrasse.

e 4. Reg. 14. 23.
f 4. Reg. 14. 23.
g 4. Reg. 15. 8.

II. *Regnum non piè, sed feliciter administrasse.*

HINC enim extat Scripturæ testimonium. [h] *Fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel.* Inde autem res ab eo gestas in hæc verba concludit. *Reliqua autem sermonum Ieroboam, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius, qua præliatus est, & quomodo restituit Damascum, & Emath Iudæ, & Israel: nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel?* Quomodo autem Ieroboam restituisse dicatur regno Iudæ Emath ciuitatem Libano conterminam, & in regno 10. tribuum, in tribu Nephthalim constitutam, anno eius sexto n. 5. explicatum est. Denique dormiuit Ieroboam cum patribus suis regibus Israël, & quorum facta impiè, & præ cæteris ingratè erga Deum secutus fuerat, exitum quoque animo, quàm corpori funestiorem sortitus est. Et qui saluator diuinitus datus erat Israëli, ei felicitatem nascendo attulit, & abstulit moriẽdo. Quî etiam [i] dictus sit Ieroboamus gladio moriturus, superiore anno dictum est. [k] Sed ea verba impij sacrificuli sunt, non prophetæ, qui dixerat duntaxat; *consurgam in gladio contra domum Ieroboam*, id est familiam, vt Hieronymus, Remigius, Albertus, interpretantur.

h 4. Reg. 14. 24.
i Amos 7. 11.
k num. 9.

III. *Obitus Amos prophetæ.*

POSSVMVS ad hunc quoque annum mortem prophetæ Amos merito referre, siue quia ipse ait, se vtroque rege regnante prophetasse, quorum nunc deficit alter. Siue quia Amasias sacrificulus gratia valebat apud Ieroboamum, vt impunè potuerit interficere prophetam, abiectæ alioqui conditionis, & sortis virum, sibi molestè obstrepentem; imo adulterium vxoris suæ, filiorum, & filiarum suarum cædem, omnium bonorum iacturam, ipsi denique captiuitatem, ac mortem prædicẽtem. Rebus autem post mortem Ieroboami valde perturbatis,

non videtur id fuisse in prophetam ausurus. Nunc his prophetæ verbis, quasi stimulis agitatus, non diu differre potuit, quin calcibus peteret agitatorem, & frequenter plagis afflictum, suis denique traderet occidendum. Fidem facit Rom. martyrologium, in quo 31. Martij ita legitur. *Tecue in Palestina S. Amos prophetæ, quem Amasias sacerdos frequenter plagis afflixit, & filius eius Ozias vecte per tempora transfixit. Qui postea semiuiuus in patriam deuectus, ibidem expirauit, sepultusque est cum patribus suis.* MORS AMOS PROPHETÆ. EIVS AVTHOR ET CAVSA.

IV. Ex Isidoro. HÆC ferè transcripta sunt ex S. Isidoro, qui in vita Amos ait illum Amasiam fuisse regem, vtique Iuda, cuius filius fuit Ozias. Sic enim habetur cap. 45. *Quem Amasias rex frequenter plagis affecit. Nouissimè Ozias filius eius, vecte per tempora transfixo, crudeli morte necauit: tamen semiuiuus euectus in terram suam, post aliquot dies, dolore nimio vulneris, animam cunctantem efflauit; sepultusque est cum patribus suis.* Sed id de rege Amasia, & filio eius, parum probabile est; tum quia Amos prophetabat in regno Israël, nihilq; facessebat negotij regibus Iudæ; tum quia neuter eorum regum prophetas vexasse legitur, nedum tam crudeliter interfecisse: tum quia extat alter Amasias impius sacerdos Bethel, cuius cum propheta contentio fusè habetur in c. 7. prophetiæ: tum denique quia martyrologium, quod retulimus, istum Amasiam non regem, sed sacerdotem appellat; quæ est sententia S. Epiphanij de vita, & interitu prophetarum. *Ab Amasia*, inquit, *Sacerdote Bethel iugiter vapulans insidiis, & conuitiis notatus est: postremo verò filius Amasiæ fuste eum secundum tempora feriendo occidit. Cæterum adhuc spirans in patriam terram profectus, & inibi fato functus, cum maioribus suis vna sepultus est.* Sic S Epiphanius. Dorotheus verò in Synopsi. *Hunc Amasias crebro verberauit, sed tandē filius eum clauo,* (legendum claua, id est fuste, vt habet Epiphanius) *temporibus capitis percussum necauit: spirans adhuc in terram suam percussus venit, post duos verò dies mortuus, ibique sepultus est.*

V. Aliqua emendanda in Isidoro, circa mortem Amos. EX quibus satis patet primo B. Isidorum nominis similitudine deceptum, quem Dorotheus tantum Amasiam dixerat, explicandi causa regem vocauisse. Apparet enim ab eo mutuo hanc historiam sumpsisse, nec legisse S. Epiphanium. Secundò; cùm iam in patre erratum esset, & filius sine nomine proderetur, nec alius Amasiæ filius præter Oziam agnosceretur, etiam huius sacerdotis filio, nomen filij regis tributum fuit: quod neque S. Epiphanius habet, neque
1. Dorotheus. Tertio, erratum videtur in temporibus vecte transfixis, cùm S.
2. Epiphanius dicat prophetam à filio Amasiæ, claua secundum, tempora feriēdo,
3. occisum fuisse; ἐν ῥοπάλῳ πλήξας αὐτὸν κατὰ τῶν κροτάφων. Natum autem est erratum à clauo. Cùm enim legeretur clauo percussus, sicut etiam nunc legitur, cùm clauus in clauam mutandus esset, percussio, quæ parum conueniebat clauo, in transfixionem, quæ exemplum habebat in Sisara, commutata est. Idque mors ipsa in biduum, triduumue dilata, vt omnes fatentur, manifestè conuincit; quis enim transfixo per tempora capite, biduum viuus perseueret? Nisi quis ad miracula confugere velit, quæ tamen nemo in hac morte agnoscit.

VI. Alia causa mortis ex Hebræis. Parum probati. PRÆTER eam verò mortis prophetæ causam, quam ex Scriptura colligimus, aliam suggerit S Epiphanius, aut potius obscurè innuit, cùm ait occisum ab Amasia, quod ipsum de insidiis duarum iuuencarum ex auro suggillasset; in quo videtur allusum ad quandam Hebræorum fabulam; qui dicunt regem Manassem promisisse Assyriis vitulos aureos, Dan, & Bethel, & pro eis æneos misisse. Significat ergo Epiphanius, aut Hebræi potiùs, huius fraudis architectum fuisse Amasiam, fraudem autem à propheta Amos manifestatam. Quasi ad eam fraudem aperiendam deessent aurifices, vt propheta necessarius esset. Sed probent priùs inepti isti Amos ad tempora Manassis peruenisse. Alio trahit has iuuencas Sixtus Senensis libro 1. bibliothecæ, sed, vt mihi videtur, inuitas. Qui etiam in eo non videtur probandus, quòd præter illa, quæ ab antiquis tradita sunt, Ieroboamum reum mortis huius prophetæ facit, Amasiam autem sacerdotem non facit. Apertissimè verò fallitur, dum ait Amos floruisse circa annum mundi ter millesimum centesimum decimum; Oseam autem prophetam circa annum ter millesimum trecentesimum quadragesimum. Sic enim Amos antecesserit Ozeam annis ducentis triginta, quos constat ex Scriptura, & patribus σύγχρονους fuisse, & sub iisdem regibus prophetasse. Et author, ex Senensi.



## ANNVS MVNDI 3252. DILVVII 1596. QVINTAE ÆTATIS 313. TEMPLI FVNDATI 230. OZIÆ 27. INTERREGNI IN ISRAELE 1. IOELIS PONTIF. 27. TROIÆ EXCISÆ 382. PHVLIS 17. IMPERII ASSYRIORVM 1321.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 801.

I. *Interregnũ in Israele.*



MORTVO Ieroboamo, anno superiori, qui fuit Oziæ 26. nequaquam illi Zacharias statim successit, licet Scriptura de more dicat. *Dormiuit Ieroboam cum patribus suis, & regnauit Zacharias filius eius pro eo.* [a] Nam [b] constat Zachariam anno tantum 38. Azariæ, siue Oziæ in Samaria regnare cœpisse. Itaque inter mortem Ieroboami, & regnum Zachariæ, vndecim integri anni, eoque amplius intercesserunt, quos aliqui tutelæ Zachariæ tribuunt, quasi teneriore ætate fuisset, patre moriente, vt Abulensis, qui [c] eandem tutelam, quam in Ozia excogitarat, [d] in Zacharia retinuit: sed sine fundamento vtrobique. Alij autem, qui volunt Ieroboamum 14. anno Oziæ mortuum putat, 15. Oziæ Zachariam regnare cœpisse, & tribus, & viginti annis regnasse, qui anni propter sceleratissima gesta eius non computentur, sed tantùm sex menses, quibus correctiùs vixit.

II. *Num Zachariæ anni taceantur.*

VERVM hæc gratis dicuntur. Nam primo vnde habet Comestor, quem aliqui secuti sunt, quæ vocat nefandissima Zachariæ scelera? Vnde illos annos propterea omissos? Num sceleratior fuit Achabo, *cui non fuit alter similis*, vt ait Scriptura, *venundatus vt faceret malum?* Num Ieroboamo? *qui peccare fecit Israel*, quem eadem Scriptura identidem detestatur, vt fontem, & originem idololatriæ in populo Dei? Num Achaz, & Manassem nepotem eius improbitate superauit? Quorum tamen omnium anni omnes à Sacris literis numerantur; quæ Zachariæ scelera, non minus quam prædictorum principum, retexissent. [e]

III. *An potiùs interregnũ admittendum.*

ALII deniq; hosce annos interregno tribuunt, & ciuilibus de regni successione contentionibus, in quibus Genebr. in regibus Israëlis. Licet ei tantùm octo annos tribuat. Torniellus [f] Gordonus, [g] Serrarius, [h] Samerius; & è sectariis Functius in sua Chron. Heluicus, Caluisius, Codomanus, Bibliander, & alii; quamuis quidam breuius, quidam longius interregnum ponant. Hoc ergo anno intestinis discordiis Israëlitæ tumultuari cœperunt, quas licet Scriptura non percenseat, ex cædibus tamen Zachariæ, & Sellum, qui perbreui tempore imperarunt, facilè est hos tumultus, seditiones, bellaque ciuilia coniicere, quæ Scriptura prætermisit, regno Iudæ præsertim intenta, vt alibi diximus.

[a] 4. Reg. 14. fin
[b] ex c. 15. v. 8.
[c] in 4. Reg. 15. q. 1 & 2.
[d] q. 14.
[e] Vide Azor. tom. 1. l 6. q. 15. fin.
[f] anno 203. & 229. & 241. 5. ætatis.
[g] in 5. periodo, & in capite 11.
[h] in cap. 15. 4. Reg.



ANNVS MVNDI 3253. DILVVII 1597. QVINTÆ ÆTATIS 314. FVNDATI TEMPLI 231. OZIÆ 28. INTERREGNI IN ISRAELE 2. IOELIS PONTIFICIS 28. TROIÆ EXCISÆ 383. PHVLIS 18. IMPERII ASSYRIORVM 1512.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 800.



CADIT in hunc annum, ante Christi Domini ortum octingentesimum, natiuitas Ioathami filij Oziæ, quique ei in regno successit. Ab anno enim 28. regni Oziæ, vsque ad 52. inclusis extremis, 25. anni numerantur, quæ erat ætas Ioathami, cùm regnare cœpisset: [a] proditurque in 4. Regum nomen matris eius Ierusa filia Sadoc, Ierasam vocat Iosephus, [b] & vrbani generis, id est, Hierosolymitanam vult fuisse. I. *Ortus Ioathami.*

a 4. Reg. 15.33. b l. 9. c.11.

Cùm ergo satis constet hoc anno natum Ioathamum, decepti sunt, qui hoc eodem anno Oziam lepra percussum putant. Non enim gubernare palatiũ potuit paucorum dierum puer: id tamen ab eo factum Scriptura semel, iterumque testatur. [c] Itaque lepra Oziæ ad vlteriora tempora necessario differenda est. At, inquies quomodo tam tardè natus est Oziæ filius primogenitus regni successor? nam quadragesimum quartum iam ætatis annum agebat. Respondeo non videri hunc primum Oziæ filium, sed aliis fortè morte sublatis, iste factus est primogenitus. Quamquam non semper primogenitus regni hæres factus est, vt in Salomone patet.

c 4. Reg 15. 5. & 2. Par. 26.21.



ANNVS MVNDI 3255. DILVVII 1599. QVINTÆ ÆTATIS 316. FVNDATI TEMPLI 233. OZIÆ 30. INTERREGNI IN ISRAELE 4. IOELIS PONTIFICIS 30. TROIAE EXCISÆ 385. PHVLIS 20. IMPERII ASSYRIORVM 1514.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 798.



TRIGESIMVS annus regni Oziæ incurrit in annum Sabbaticum ordine nonagesimum sextum, quo ipso anno Eusebius vult Amulium Numitoris fratrem apud Latinos regnare cœpisse, eoque regnante vrbis Romanæ conditorem Romulum esse natum. Initium tamen Amulij ad trigesimum tertium Oziæ potiùs credimus pertinere: qui hoc tempore altissima pace fruebatur, quam ei tum pietas in Deum, tum victoriæ de Palæstinis, Arabibus, & Ammonitis pepererant, & conseruabant: vicinis Israëlitis domesticis motibus vehementer perturbatis. Sed eam pacem, & rerum abundantiam, vt assolet, multa, magnáque peccata comitabantur. Itaque suscitauit Dominus hoc tempore, mortuo iam Ieroboamo, Esaiam prophetam omnibus nominibus clarissimum, qui peccata populi grauissima oratione castigaret. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* I. *Annus Sabbaticus 96.* *Quieta Oziæ tempora corrupta.*

AT enim, inquies, quomodo hæc in Oziæ regnum, pium in primis, ac florens, conueniunt? quomodo tam seuera oratio pacificis hisce temporibus, & ab II. *Æt. iis cõuenijs initia Esaia.*

idolorum cultu alienis ritè quadrat? Nam Isaias ipso primo capite prophetiæ suæ, non solum populum omnium scelerum arguit. *Væ*, inquit, [a] *genti peccatrici populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis*: sed principes etiam ipsos: *Audite*, inquit, *verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorræ*. Nec eorum tantum criminum reos facit, quæ in fideli populo inueniuntur, sed etiam apostasiæ, & idololatriæ. Quid enim aliud significant illa verba? *Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* — a ca. 1. v. 4.

III. *Præsertim clades.* Deinde quomodo conueniunt populo non solum beata pace, quadraginta ipsos annos, & amplius perfruenti, sed tot trophæis, & victoriis nobilitato, tot vrbibus, & tributis aucto, quomodo, inquam, conueniunt illa verba capitis eiusdem? [b] *Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo. Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni*, &c. Nonne hæc Manassis potius tempora, aut Achaz, quàm Oziæ repræsentant? Idque ex eo etiam confirmatur, quod ex *Hebræorũ traditio.* Hebræorum traditione refert D. Hieronymus in cap. 1. Esaiæ, & epistola 14: ad Damasum, ob duas causas Esaiam à Manasse interfectum; quod optimates Reipub. *principes Sodomorum* appellasset, & reliquum populum, *populum Gomorrhæ*. Et quod Domino dicente ad Moysem. [c] *Non poteris videre faciem meam*, Esaias ausus esset dicere. [d] *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum, & eleuatum.* — b v. 5. & 6. — c Exod 33. 20. — d ca. 6. v. 1.

IV. *Videri conuenire.* Nihilominvs quinque priora Esaiæ capita ad Oziæ tempora pertinere, sentit D. Hieronymus in cap. 14. Esaiæ, in ea verba. *Anno quo mortuus est Achaz*, &c. Et cùm certissimum sit Esaiam Oziæ temporibus prophetasse, certè initium prophetiæ ad prima eius tempora referri consentaneum est. Præsertim cum nihil cogat hoc loco perturbatam narrationis seriem agnoscere. Nec fidem non merentur, quia grauia sunt sed stupore digna sunt, quia vera, & indubitata sunt, & fidelissimi, grauissimique prophetæ ore, diuinitus pronunciata. Non tamen *Sed prioribus quoque regibus.* desunt, qui hæc ad Achaz, eiusque tempora pertinere putent, iuxta historicum sensum, figuratè verò ad tempora postremæ cladis Iudæorum. Mallem tamen, quoniam propheta fere de præteritis queritur, pleraque referre ad posteriora tam Ioas, quàm Amasiæ tempora; quorum hic Oziæ pater, ille auus fuit, & vterque idololatria inquinatus est: vterque ingentibus calamitatibus, à Syris prior, posterior ab Israëlitis afflictus est.

V. *In pace vitia grassantur.* Neqve nouum, aut insolens est populum in altissima pace, & rerum omnium læta vbertate, vitiis abundare, vt illud in hanc sententiam vsurpare liceat. *Ecce in pace, amaritudo mea amarissima.* [e] In primis autem principes, & potentes huic malo obnoxii esse solent, qui & plures habent peccandi illecebras, & minus Deum timere solent, & peccare licentius. Nec alii fuerunt, qui mortuo Ioiada, regem Ioas obsequiis delinitum perpulerunt, ad cultum idolorum sibi permittendum, quàm principes. [f] Deinde illa verba: *dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel*. Siue vt habent Septuaginta, ad iracundiam prouocauerunt: *& abalienati sunt retrorsum* (quæ verba abesse à Septuaginta D. Hieronymus fatetur) non soli idololatriæ, sed omnibus grauioribus peccatis conueniunt; nec facilè inuenias, qui hic ab Esaia populum accusari idololatriæ agnoscat. Et quamuis id daremus, nihil tamen de idololatria huius temporis, publica saltem, inde concludi posset: idque manifestius etiam est ex fine huius primi capitis, vbi eorum idololatriam, tanquam pridem præteritam memorat. [g] *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt, & erubescetis super hortis, quos elegeratis*, &c. id est, pudebit vos idolorum quibus delectati estis, Vatablus per enallagem personæ. *Vos autem*, id est populus iste, ad quem pertinetis. Ita Christus Dominus, *bene prophetauit de vobis Esaias.* [h] — e Esaiæ 38. 17. — f 2. Paral. 24. 17. — g v. 28. — h Matth. 15. 7.

VI. *Clades ad priora tempora pertinere.* Illa de omni capite languido, & omni corde mœrente &c. ad priora tempora Amasiæ merito referuntur; vt dixi; sicut & consequentia de terra deserta, & ciuitatibus succensis passim interpretes ad Babylonica tempora referunt; quoniam hæc tota prophetia regnum Iuda maximè spectat. Hebræi tamen ad tempus deleti regni Israëlis tempore Ezechiæ transferunt, & præteritum pro

futuro,

futuro, Hebraica phrasi agnoscunt; quod ea omnia, tam certo futura essent, ac si iam facta forent. Et confirmatur, quia mox futuro tempore vtitur. *Et desolabitur sicut in vastitate hostili, & derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea,* &c. Et infra [a] vbi similis inculcantur minæ, futuro tantùm vetitur. Hæc igitur non solùm ad Ioas, & Amasiam, sed etiam ad Nabuchodonósoris, & Vespasiani tempora pertinent, aut si placet, etiam ad impios Achaz, & Manassem.

a c. 55. 6.

QVOD ad Hebræorum traditiones attinet, impunè licet eis non assentiri, & probationem, cuius semper sunt egentissimi, sine culpa exigere. Quòd si eas veras esse velimus, dicemus hæc, quæ ab Esaia hoc tempore dicebantur, scriptis fuisse tradita: Iudæosque tempore Manassis, quo regnabat impietas, hanc perdendi prophetæ occasionem arripuisse: quod talia de ipsis ab eo literis prodita forent, quæ in sempiternam ipsorum infamiam redundarent; ipsumque, qui populi scelera tam cruenta oratione accusaret, per superbiam legi Moysis repugnare. Verùm de morte Isaiæ alius erit dicendi locus. VII. *Traditio Hebræorum dubia.*

CVM Esaia prophetare cœpit Abdias, vt testatur Hieronymus in capite primo Oziæ, eique, & Ioëli, & Ionæ, Isaiæ, Amos, & Micheæ facit æqualem, vbi propriam aperit sententiam, & non cum, vt alibi, refert alienam, vt mox dicemus. Sanctus quoque Cyrillus initio comment. in Abdiam, existimat eodem illum quo Ioël tempore prophetasse. Idem sentit Ribera in 2. præludio in prophetas. Sa quoque in suis notis. Torniellus in anno 316. quintæ ætatis. Idem confirmat ordo, quo in sacris Bibliis, omnibus retro seculis, in omnibus linguis eius prophetia collocata est: ex quo iterum infertur Abdiam eodem circiter quo Amos, & Ioëlem, & Ionam tempore prophetasse. VIII. *Abdiæ tempus.*

SED huic communi sententiæ repugnat traditio Hebræorum, cui adhæret Christophorus à Castro initio Abdiæ, & libro 4. de prophetis cap. 3. sicut & Clemens Alexandrinus, [b] & Eusebius in Chronico sub tempora Iosaphati. Nam, vt refert D. Hieronymus initio in Abdiam, *aiunt Hebræi hunc esse, qui sub rege Samariæ Achabo, & impiissima Iezabele, pauit centum prophetas in speculus.* Et paulò post. *Hic igitur, qui centum prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus, fit dux ecclesiæ. Tunc in Samaria paruum gregem pascebat, nunc in toto orbe, Christi pascit ecclesias.* Eadem obiter attingit in epitaphio Paulæ, ex eorumdem Hebræorum vtique sententia. Idem sentit Epiphanius in eius vita. Imo addit fuisse eundem, qui tertio loco ad Eliam ab Ochosia missus est: [c] quod ipsum scripsit Dorotheus in synopsi, & Sixtus libro primo biblioth. IX. *Hebræorū de eo opinio.*

b lib. 1. Strom. p. 239.

c 4. Reg. 1

VERVM hæc traditio apud ipsos Hebræos incerta est, vt docet Ribera loco citato. Et si Hebræos audire placet, eundem virum dicemus procuratorem regium, ducem quinquagenarium, & prophetam; imo eundem dicemus maritum viduæ, quæ Elisæum pro libertate filiorum suorum adiit, quos creditor in seruitutem volebat abducere, quod anno Iosaphati 20. refutauimus. [d] Vatablus initio Abdiæ, ait apud Hebræos ignorari quo tempore vixerit Abdias: certe eorum traditionem ætas valde debilitat, ac planè eius neruos incidit Chronologia. Nam si huic procuratori regio tum annos triginta tribuamus, cùm factus est obuius Heliæ, qui erat nonus Achabi annus, & 6. Iosaphati, hoc tempore, seu Oziæ trigesimo, centesimum, & sexagesimum ætatis annum egisse oportebit. Quod nemo, vt arbitror, prudenter crediderit, qui minorem sciat ætatem Ioiadæ tanquam admirabilem à Scriptura fuisse notatam. Itaque sola nominum similitudo videtur hanc opinionem peperisse: quamquam ne nomina quidem Hebraicè eadem sunt planè. Verùm hac de re alibi quoque disseruimus. X *Improbatur vt repugnans tempori.*

d n. 4. & 5.

30 Ætat. 19. Iosaph. 12. Ioram & Athal 40. Ioas. 29 Amas. 30 Oziæ 160.

PROPHETAT autem contra Idumæos, antiquos, & perpetuos Hebraici populi hostes, sæpe compressos, semper rediuiua cornua attollentes. Id significat Abdias, cùm eorum superbiam ita exagitat. *Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum. Qui dicis in corde tuo: quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te: dicit Dominus.* Nec est quòd improbabilis videatur ista Idumæorum superbia, postquam vsque adeo XI. *Accusat Idumæorū superbiam.*

ab Amasia contriti fuerant. Id enim iam ante annos quinque, & quadraginta contigerat; quo spatio potuerunt, animalibus natura superbis, renasci cornua. Tam fatui enim erant, vt cum semper vincerentur, semper tamen se inexpugnabiles deinceps fore arbitrarentur, propter inaccessa loca in quibus habitabant; idque forte innuit propheta, cùm ait. *Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau?* Vt valde mirum sit Sixtum Senens. lib. 1. Idumæos interpretari Chaldæos, & gentes: quæ potiùs excitatæ dicuntur, vt consurgant aduersus Idumæos. Cur autem idem faciat Abdiam quinquaginta annis antiquiorem Amos non sanè intelligo. Si enim vixit tempore Ochosiæ, fuitque tertius ille quinquagenarius, vt ipse putat ex Epiphanio, centum, & ampliùs annis eum antecessit; sed iam diximus eam traditionem inanem, & commentitiam videri.

XII. *Alij prophetæ contra eosdem.* QVONIAM verò iam Amos contra Idumæos prophetauerat, & Ioël, [a] eo respexisse videtur Abdias, cùm ait, *Auditum audiuimus à Domino*, quòd scilicet plures prophetæ Dei minas contra Idumæos intentarint, vt notant Christophorus Castrius, & Ribera in eum locum; qui & negat Hebræis consuetum de se numero multitudinis loqui. Adrichomius hoc tantum tempore Oseæ initia ponit, sed tardius; cùm, vt iam non semel dixi, viuo Ieroboamo prophetarit. *Alia Oseæ prophetia.* Pergebat potius per eum Dominus insistere Israëlitarum conuersioni, vt cùm capite 3. iubetur propheta diligere, & in domicilium suum recipere mulierem dilectam amico, & adulteram, sicut diligit Dominus filios Israël, licet ipsi respiciant Deos alienos, & idola inutilia, qualia sunt vinacia vuarum.

*a c. 3. v. 19.*

XIII. *Dei in Hebræos, & peccatores amor.* IN quo agnoscitur paternus Dei amor in populum istum, quamuis odio dignissimum propter scelera sua. Nam & pater improbos filios amat, quia filii sunt, licet oderit improbos. Vtrum autem hæc mulier eadem sit Gomer, ex qua iam tres susceperat liberos, vt cap. 1. dicitur, an verò diuersa, diligenter examinat Ribera; & eandem esse probabilius putat. Quod sic figura meliùs respondeat veritati. Deus enim eundem populum semel sibi desponsatum, licet adulterantem sæpius retinebat, & diligebat. In cuius beneuolentiæ signum, tot ei prophetas destinabat, à quibus argueretur, vt ad sanam aliquando mentem rediret. Verùm Hieronymus, Cyrillus, & Theodoretus, & alii recentiores, & nominatim Christophorus Castrius volunt diuersam fuisse à Gomer istam mulierem, certe Hieronymus, *quod*, inquit, *propheta diligit adulteram, & tamen non ei matrimonio copulatur* (at Gomer erat vxor prophetæ) *nec fornicatione coniungitur, sed tantum diligit diligentem, typus Dei est*, &c. Et reuera Iudæi nunc absque Deo viro suo sunt, quod non conuenit Gomeri, & absque idolis, donec reuertantur ad virum suum, eique reconcilientur. Fuisse autem rem istam non imaginariam, sed reipsa à propheta perfectam, existimat idem Christophorus, Ribera, aliique passim.

Interea porro in Israële pro regno multa contentione, atque ambitione certatur, iuxta ea, quæ superiùs diximus. [b]

*b an mun. 3252. n. 3.*

## ANNVS MVNDI 3260. DILVVII 1604. QVINTÆ ÆTATIS 321. FVNDATI TEMPLI 238. OZIÆ 35. INTERREGNI ISRAELITICI 9. IOELIS PONTIFICIS 35 TROIAE EXCISÆ 390. PHVLIS 25. IMPERII ASSYRIORVM 1329.


### ANNVS ANTE CHRISTVM. 793.

I. *Amulij regnum.*  OMANVM imperium sub Amulio Siluio Latinorum rege decimo quinto natum, inuitauit nos vt initium regis huius notaremus, quod, vt ne prius collocaremus cum Eusebio, fecit initium Olympiadum, & Romuli ortus, & conditæ vrbis primordia, iuxta probatissimam temporum, in primisque Dionysij rationem: quo etiam duce illi annos regni duos & quadraginta, non quadraginta quatuor cum Eusebio assignauimus. Quæ autem ad hunc regem pertinent, quasi rei Romanæ præludia futura sunt, vt in eam non temere irruisse, sed leniter illapsi fuisse videamur.

II. *Qui regno potitus sit.* ERGO Procas Siluius rex Albanorum [a] cùm tribus, & viginti regnasset annis, vt Dionysio Halicarnassæo, & Eusebio placet, duos filios Numitorem, & Amulium æquis partibus hæredes instituit. Tum Amulius in vna parte regnum tantummodo, in altera totum parentis patrimonium collocauit, fratrique Numitori, qui erat natu maior, optionem dedit: is priuata bona regno prætulit, Amulius regnum obtinuit. Quod vt firmius possideret, fratris filium, quem *Ægestus.* Dionysius Ægestum vocat, in venatione interimendum curauit; tum etiam Rheam Siluiam eius sororem, sacerdotē Vestæ fieri iussit; id sibi à Vesta in somnis imperatum fingens, ne quis ex ea nasceretur, qui auitas persequeretur iniurias, vt scripsit Valer. Antias lib. 1. quæ latiùs diducit Dionysius.[b] Sed hic aperte significat rem inter fratres non ex composito transactam, sed per vim. Ait enim Amulium, depulso maiori fratre Numitore, vi occupasse Albanum imperium: prætérque alia multa superbè, & iniustè facta, decreuisse totam germani stirpem tollere, partim vindictæ metu, partim continuandi principatus cupiditate. Postea verò à nepotibus regno restitutum, aliquandiu regnasse; ait enim altero regnantis Numitoris anno Albanos Romam coloniam misisse, anno post Ilium captum 432. Quam Amulij vim probabiliorem ducimus, vt communi Scriptorum sententiæ consentaneam.

a Ex libro de origine gentis Romanæ, et vetustis scriptoribus.

b l. 1. p. 62. Græc. Lat.



## ANNVS MVNDI 3263. DILVVII 1607. QVINTAE ÆTATIS 324. TEMPLI FVNDATI 241. OZIÆ 38. ZACHARIÆ 1. ET VLT. IOELIS PONTIF. 38. TROIÆ EXCISÆ 393. PHVLIS 28. IMPERII ASSYRIORVM 1332.

### ANNVS ANTE CHRISTVM 790.

I. *Finis interregni.*  MPOSITVS est hoc anno finis ambitiosis de regno Israëlis contentionibus, & is denique factus est votorum compos, cui imperium diuina ordinatione debebatur. Nam, vt Scriptura testatur, [c] anno trigesimo octauo Azariæ regis Iuda, regnauit Zacharias filius Ieroboam, super Israël in Samaria, sex mensibus. Itaque tam breuis fuit ista quies, vt illa duodecim fere

c 4. Reg. 15. 8.

annorum contentio non tam extincta, quàm sopita dici possit. Dixi 12. ferè annorum fuisse hoc interregnum: nam sex illi menses Zachariæ, 38. Oziæ annum explent, inde mensis vnus regis Sellum, & initium regni Manahem in annum Oziæ 39. cadunt, vt 10. eius annus in 49. Oziæ cadat, & quinquagesimo regnet Phaceia filius Manahem, vt exigit Scriptura. [a] Idem de duodecim annis affirmat Abulensis: [b] sed illos annos non seditionibus tribuit, sed tutelæ. a 4.Reg. 15.15. 17.23 b q.14 & 15.in c.15 4. Reg.

II. Regnum Zachariæ.

Vicit ergo Zacharias in contentione ciuili, & factus est tandem rex, in demortui patris locum, non propriis ei meritis, sed diuina promissione fauente, quæ facta fuerat ad Iehu, fore vt in mercedem exterminatæ domus Achabi, filij eius vsque ad quartam generationem regnarent super thronum Israëlis, [c] quæ promissio hoc loco repetitur. [d] Fuerunt autem quatuor generationes, etiam non numerato Iehu, scilicet Ioachaz, Ioas, Ieroboam, Zacharias. Merita verò eius quæ fuerint, suo illo quasi solemni carmine scriptura declarat. [e] *Et fecit quod malum est coram Domino sicut fecerant patres eius; non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israel.* c 4.Reg. 10.30. d 4.Reg.15. 12. e v. 9.



## ANNVS MVNDI 3264. DILVVII 1608. QVINTÆ ÆTATIS 325. FVNDATI TEMPLI 242. OZIÆ 39. SELLVM, ET INITIVM MANAHEM. IOELIS PONTIF. 39. TROIÆ EXCISÆ 394. PHVLIS 29. IMPERII ASSYRIORVM 1333.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 789.

I. Coniuratio in Zachariam.



TRES vidit Ozias, hoc anno regni sui trigesimo nono, in Israële reges, in magnum collabentis reipublicæ argumentum. Nam Zacharias inchoatum anno superiore semestre hoc anno absoluit, à Sello coniuratione facta occisus, quod sacer historicus hoc modo enarrat. *Coniurauit autem contra eum Sellum filius Iabes: percussitque eum palam, & interfecit, regnauitque pro eo.* [f] Sic abauus Zachariæ Iehu palam, & coram omnibus occiderat Ochoziam, & Ioramum, & Ochoziæ fratres 42. & Iesabelem mulierum sceleratissimam. Sed Iehu sine culpa, quippe diuinæ iussioni obsecutus; hic autem grauissimo scelere intulit Zachariæ violentas manus, qui legitimus erat regij sceptri possessor, ex peculiari Dei ordinatione, atque prouidentia. 1. eX.

II. Quæ eius causa.

Abvlensis, [f] qui teneriori ætati Zachariæ tribuit prius memoratum interregnum, existimat Sellum vnum fuisse de iis, qui regnum tunc vicario, & procuratorio nomine administrabant; qui cum supremæ potestatis dulcedinem duodecim ferme annos expertus esset, ægerrimè tulit se in ordinem esse redactum, principe ipso rerum administrationem suscipiente. Itaque de recuperanda authoritate, etiam per ipsius regis cædem, perfide, atque ambitiosè cogitauit, & maiore etiam scelere, nefariam cogitationem, facta cum aliis coniuratione, in rem deduxit. Et fortasse hic Sellum Zachariam prius de medio sustulisset, nisi obstitisset diuina prouidentia, quæ statuerat, vt quatuor filij Iehu per ordinem regno decem tribuum, in præmium deletæ Achabi familiæ, fruerentur. f q.15. in c. 15.4. Reg.

III. Quomodo palam occisus.

Apparet autem magnam fuisse potentiam huius Sellum, & coniurationem validam, vt qui aperta vi regem adortus fuerit, nihil veritus arma regiorum stipatorum, quos fortè ad suas partes attraxerat, eumq; frustra resistentem violentus oppressit. At si palam occisus est Zacharias à Sellum, quid est quod mox [g] dicitur Sellum coniurasse, & tetendisse insidias, vtique Zachariæ. Respondeo Hebraicè non fieri apertam mentionem insidiarum, haberique & *coniuratio, qua coniurauit*: sed coniuratio natura sua occulta est, & insidiosa. Clam g v. 15.

igitur, & insidiose facta est coniuratio, palam autem, & coram populo cædes; sicut in Athaliam factum est. Et ita intelligi potest Iosephus; [a] cùm ait Zachariam Ieroboami filium, vix sexto regni mense exacto, ab vno è suis purpuratis per dolum occisum fuisse, δολοφονηθὶς ὑπὸ φίλου τινὸς αὐτοῦ. Hunc finem habuit familia Iehu, cum regnum Israëlis centum, & duobus annis cum dimidio tenuisset.

a l.9.c.11.

2.

2.ꭓ.

b c.1.4.

IV. Impletur prophetia Oseæ contra Iehu.

HÆC anno impleta est ex parte prophetia illa Oseæ. [b] *Voca nomen eius Iezrael. Quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrael, super domum Iehu, & quiescere faciam regnum domus Israel.* Prior, inquam, pars impleta est, cùm Dominus vltus est idololatriam à Iehu, & posteris eius perpetratam, & eorum exemplo, & authoritate à populo Israëlitico. Nomine enim sanguinis Iezraël, quæ vox semen Dei redditur, intelligitur perditio animarum populi Dei. Indignè quippe tulit Dominus eum, qui idololatriæ vltor, & propemodum exterminator fuerat, ipsius nihilominus factum esse æmulatorem, vt significat etiam D. Hieronymus. Et quamuis Zacharias fuisset vir bonus, non videtur tamen regnum ad filium transmissurus, cùm res ita definita fuisset à Deo, vt ad quartam vsque generationem regnum in familia Iehu propagaretur, pacificè tamen regnasset, & appositus fuisset ad patres suos.

V. Altera differtur ad annos 50.

POSTERIOR autem pars, quæ est de euersione regni totius Israëlitici post modicum, id est quadraginta nouem annos, vt idem Hieronymus scribit in Oseam complenda erat. *A Zacharia enim*, inquit, *filio Ieroboam, cuius atauus* (forte legendum abauus) *fuit Iehu, vsque ad nonum annum Oseæ, sub quo decem tribus ductæ sunt in captiuitatem, supputantur anni quadraginta, & nouem.* Qui annorum numerus, si soli Israëlitarum reges numerarentur, ægrè reperiretur. Sit enim hic primus annus Zachariæ, & Sellum, addantur decem Manahem, & duo Phaceiæ filij eius, Phacee [v]iginti, Oseæ nouem, fient quadraginta duo anni; sed his addendi sunt septem, vel octo, qui non numerantur, propter iugum Assyriorum, quo Osee opprimebatur, vt suo loco demonstrabitur. fient quadringenta nouem, aut quinquaginta anni: Quòd si annos regum Iudæ numeremus, quæ certior est

14 regula, & constantior chronologia, anni 51. reperientur: nimirum 14. Oziæ,
16 nam præsens annus 39. primus numeratur. Sequuntur sedecim Ionatham, &
15 sedecim, seu potiùs quindecim Achaz, quia vltimus Achaz cum primo Eze-
6 chiæ cōcurrit. Addantur postremo 6. Ezechiæ, is, quem dixi, numerus cōsurget.

51

VI. Iniustitia, & tyrannis Sellum.

VT autem ad nouum regem, seu tyrannum potiùs reuertamur, minimè dubium est eum grauissimo scelere se obstrinxisse. Quamuis enim Zacharias, in pœnam idololatriæ, reum se mortis reddidisset apud Deum, superiorem tamen non habebat in terris, à quo puniretur; nedum subditum suum omni iurisdictione destitutum. Diuinam ergo authoritatem vsurpabat, & iura omnia diuina, humanáque violabat; cùm & superiorem, & quod ad ipsum quidem attinet, innocentem violabat, nec aliqua impulsus causa idonea, aut publicum, vt fit, prætexens bonū: sed mera ambitione cæcatus regē sustulit, regnum inuasit: qui nec regio genere, nec totius populi, omniumque ordinum consensu nitebatur: quibus omnibus dum imperabat, faciebat iniuriam. Eo nihilominus nihil minus cogitante vsus est Dominus, ad Zachariæ peccata punienda, & regnum à familia Iehu in aliam tranferendum.

VII. Sellum intra mensem perit.

SELLVM occiso Zacharia domino, ac rege suo, regnum mercedis loco, vt sibi videbatur, accepit, sed mercedem multò opinione sua breuiorem. Nam *ascendit Manahem filius Gadi de Thersa, venitque in Samariam, & percussit Sellum filium Iabes in Samaria, & interfecit eum, regnauitque pro eo*: sicque intra vnum mensem à patrato facinore pœnas dedit. Itaque mendum in Chronico Eusebij tollendum est, vbi Sellum quibusdam in libris duobus, in aliis etiam Græcis tribus diebus regnasse perhibetur. Qua in re non puto dormitasse Eusebium, vt ait Scaliger, sed λ literam numeralem inuersam in γ fuisse commutatam; legerat enim in Iosepho triginta dies distinctè numeratos. οὐ πλείονα χρόνον ἡμερῶν τριάκοντα. Quod autem Genebrardus ait regnasse mensem vnum, vel dies 28. nescio vnde eam expositionem mutuatus sit. Vatablus certè ei non assentitur, qui ait propterea Scripturam referre Sellum regnasse mensem dierum, id est, mensem constantem omnibus suis diebus, quia

mensem integrum regnarit. Neque fauet Iosephus, qui [a] *Selesmus*, inquit, sic enim Sellum vocat, *is fuit Iabesi filius, qui occupata vacua Zachariæ sede regia, trigesima post die malè partum regnum, malè perdidit*, vel iniustè partum, iustè perdidit. (a l. 9. c. 11.)

VIII. *Occisus à Manahem.* ERAT porro Thersa, vnde ascendit Manahem, vrbs in regno decem tribuum primaria, cuius regem quondam Iosue occiderat, [b] in qua, vt suo loco diximus, Ieroboam, scisso Salomonis regno, sedem regni sui constituit; [c] vbi & plerique successores regnarunt; donec Amri pater Achab emit montem Samariæ, vbi condidit ciuitatem, quæ deinceps regni caput, & metropolis fuit. Ait autem Iosephus eum fuisse ducem exercitus, qui per id tempus apud Thapsam vrbem erat. Sic vocat Thersam: sed Scriptura Thersam à Thapsa distinguit. [d] *Is audito Zachariæ casu, cum omnibus copiis properè venit Samariam, & prælio victum Selesmum interfecit. Deinde authoritate propria sumptis regni insignibus, Thapsam cum victore exercitu profectus est*; sed hæc anno sequenti facta sunt. Nam Manahem sub extremum duntaxat annum inuasit imperium, cùm toti decem anni regni eius, vsque ad finem 49. Osiæ supersint. (b Iosue 12. 24. c 3. Reg. 14. 17. d 4. Reg. 15. 16.)

IX. *Quid ab eo rectè factum, quid perperam.* IOSEPHI porro verba ostendunt quid in hoc facinore boni, maliue sit. Rectè enim, cum esset regij præfectus exercitus, cum iisdem copiis aduersus hominem facinorosissimum insurrexit, qui legitimum regem coram populo interfecera[t], & tyrannidem inuaserat; cui propterea neque Manahem, neque exercitus, reliquusue populus debebat obedientiam. Debebant potiùs omnes in illum insurgere, & grauissimum crimen grauissimo supplicio vindicare. Et hactenus culpa vacare videtur Manahem. Sed cum authoritate propria regnum inuaserit, non populi vniuersi consensu eam dignitatem acceperit, scelus, quod in altero vindicauit, admisit; eoque facto ostendit, Sellum à se non zelo iustitiæ sed ambitione occisum: & loco deiectum, in quem ipse inuadere gestieba[t]. Non accessisse autem, ad ipsum inaugurandum regno, totius populi suffragia, ex eo liquet, quod plerique illi, vt mox dicetur, restiterunt.

---

*SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3264.*

1. N. 1. IN Hebræo habetur coram populo, pro quo Septuaginta dixerunt Ceblaam, retenta aliquo modo Hebræa voce, quæ idem significat.

2. N. 121. Iehu 28. annis, 4. Reg. 10. fin. Ioachaz 17. 4. Reg. 13. 1. Ioas 16. 4. Reg. 13. 10. Ieroboam 41. 4. Reg. 14. 23. Zacharias 6. mensibus. 4. Reg. 15. 8.



## ANNVS MVNDI 3265. DILVVII 1609. QVINTAE ÆTATIS 326. TEMPLI FVNDATI 243. OZIÆ 40. MANAHEM 1. IOELIS PONTIFICIS 40. TROIÆ EXCISÆ 395. PHVLIS 30. IMPERII ASSYRIORVM 1354.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 788.

I. *Ratio temporis.*



XTREMO anno præcedente regnum decem tribuum, inuasit Manahem: ideoque hic non secundus, sed primus illius annus appellatur. Idque necessario factum est à nobis, vt & illi Scripturæ loco satisfaciamus, [e] in quo habetur Manahem anno trigesimo nono regis Azariæ regnasse, seu regnare cœpisse super Israël: & rursum alteri, in quo habetur filium eius Phacceiam anno quinquagesimo eiusdem Azariæ regnare cœpisse, [f] cùm tamen decem tantùm annis regnasse dicatur. Ergo primus ipsius annus erit præsens, qui est Oziæ 40. vltimus autem; qui est eiusdem 49. vt ante significatum est à nobis. (e 4. Reg. 15. 17. f 4. Reg. 15. 23.)

MANAHEM ADVOCAT ASSYRIOS. II. Sæuitia in Thapsam.

CVM primum stabiliuit regnum suum Manahem in Samaria, Thapsam vrbē in finibus Thersa positam, eius imperium, vt Iosepho placet, detrectantem, cum infesto exercitu adiit, & eam, vt reliquis vrbib. exemplo, & terrori esset, insigni crudelitate vexauit. Nam, vt ait Scriptura, *percussit Thapsam, & omnes, qui erant in ea, & terminos eius de Thersa*, id est, vsque ad Thersam, vel à parte, quæ respiciebat Thersam. Iosephus tamen ait eius agrum circumquaque vastatum. Belli, & sæuitiæ causam Scriptura subdit. *Noluerant enim aperire ei*, cùm is proficisceretur aduersus Sellum, vt quidam existimant; veriti enim erant, si id facerent, neque is voti compos fieret, mox à Sello pessimè acciperentur. Sed res in contrarium versa est, & quas à Sello pœnas timebant, à Manahe pertulerunt.

III. Eiusq. causa.

FORTE etiam erant experti sæuitiam eius, quando apud eos, Zachariæ tempore, erat cum exercitu; sed istam siue culpam, siue timorem miseri crudeli pœna luerunt. Nam non contentus viros omnes interfecisse, *etiam omnes prægnantes interfecit, & scidit eas*. Ita in Hebræo, Græco, Chaldæo, Latino; pro quibus Iosephus. *Thapsam cum victore exercitu profectus est. Oppidani vero obfirmatis portis noluerant regem admittere. At ille, vt in defectores sæuiens, totum circumquaque agrum vastauit, & postremo vrbem quoque vi cœpit; & quod esset Thapsensibus infensus, omnes ferro confecit, ne tenera quidem ætati parcens, & nihil sibi ad extremam crudelitatem reliquum faciens. Quæ enim ne in Hebræos quidem deuictos perpetrare fas fuerat, ea in sui generis homines sibi permisit.* Sic ipse. Dissectas prægnantes, & vna eademque cæde matrem, prolemque dilaceratam, non est ausus apertè confiteri.

IV. Ad eum adit Assyrius Phul.

a an. 2 42. 5. ætatis. INTEREA autem cœperunt Assyrij venire in terram Israël, vt Scriptura refert. Causam putat Torniellus [a] quod aduocatus esset Manahem ad firmandum regnum eius: quod timeret, vel propter crudelitatem in Thapsenses, vel propter vsurpatum propria authoritate imperium, ne populus vniuersus in eum insurgeret, eumque regno, & vita priuaret. Quæ est sine dubio Scripturæ sententia; sic enim scriptum est. *Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxilium, & firmaret regnum eius.* Nihilominus quia Deus statuerat obstinatum in suis sceleribus populum, per Assyrios profligare, dicitur Deus suscitasse aduersus eum spiritum Phul regis Assyriorum, & spiritum Thelgathphalnasar regis Assur [b]. Aliter sentit Iosephus [c]; ait enim Manahem bello petitum à rege Assyriorum Phullo, nec ausum cum eo in certamen descendere, sed pactum mille talenta argenti, mature se ab ea vexatione redemisse. Significat ergo vel aduocatum à Sellum in auxilium contra Manahem, vel à Thapsensibus ab eodem obsessis, à quo pacem, & protectionem prædicto tributo redemerit.

b 1. Paral 5. 18.
c l. 9. c. 11.

V. An factus ei fuerit Manahem tributarius.

PORRO ex prædicta loquendi ratione Scripturæ. *Veniebat Phul, & dabat Manahem mille talenta.* Satis videtur intelligi annuum fuisse hoc tributum. Quod esset etiam apertiùs, si ita legeretur. *Cunctis diebus eius veniebat Phul*, vt quidam codices habent; legitque Abulensis, & Septuaginta regia, & Sixti. At Hebræus textus, & Chaldæus, & Latinus emendatus, illa verba, *cunctis diebus*, ad præcedentem periodum referunt: nec imperfecto tempore vtuntur, vt Latini; sed perfecto, *ascendit, venit*, &c. Magnitudo etiam pecuniæ videtur persuadere; vt semel tantum ea pecunia Assyriis numerata fuerit, & imperfectum pro perfecto sit accipiendum. Mille enim talenta argenti respondent vni millioni 375. millibus aureorum nostratium; vel quatuor millionibus 125. millibus Francorum; quæ pecunia indictione in potentes, & optimates confecta est. Duodecim enim annorum tumultus, & tres vno anno mutati reges, publicum, & regium thesaurum exhauserant. Indixit autem quinquaginta siclos argenti per singulos. Cumque siclus sit dimidia pars vnciæ, 50. sicli erant 25. vnciæ, & valebant 68. francis, cum 15. solidis turon. Quæ summa, cum à singulis capitibus proueniret tota illa summa, proueniebat omnino à sexaginta millibus hominum.

4125000.

VI. Non videri absurdum.

QVAMQVAM ne hoc quidem argumentum facit improbabile annuum tributū; cùm legamus Ioatham imposuisse Ammonitis centū talenta argenti, & decem millia coros tritici, & totidem hordei; id est sexcēta, aut etiā nongenta millia modiorum partim tritici, partim hordei: cum tamen regnum Ammonitarum multis partibus esset Israëlitico minus. Accedit etiam quod nisi tributum

negatum dederit, postea regi Teglathphalazari filio Phulis occasionem noui belli, non apparet, cur ille regnum Israëlis inuaserit, bonaque eius parte regem Phacee priuauerit, vt suo loco dicetur.

Cæterum Iosephus siclos in drachmas mutauit; cum tamen siclus, siue stater, quatuor drachmas contineat, vt scribit Epiphanius, & Villalpandus [a], & alij passim. Quis porro fuerit hic Phul rex Assyriorum, primo eius anno satis explicatum est. a tom. 3. l. 2 c. 33 vide n. 3155. n. 5. & 6.

## ANNVS MVNDI 3269. DILVVII 1613. QVINTÆ ÆTATIS 330. FVNDATI TEMPLI 247. OZIÆ REGIS IVDÆ 44. MANAHEM ISRAELIS 5. IOELIS PONTIFICIS 44. TROIÆ EXCISÆ 399. PHVLIS 34. IMPERII ASSYRIORVM 1338.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 784.

NVM. I. *Annus Sabbaticus.* 98.

SEXAGESIMVM ætatis annum agebat Ozias, cùm Sabbaticus annus duodecentesimus celebrari cœpit. Putat Torniellus 43. regni sui anno lepra diuinitus percussum, nullam tamen coniecturam affert, nisi quod non repugnet ætati Ioathami, quin posset regnum administrare, quod non magis de hoc, quàm de sequentibus concludit: & quo tardiùs ponetur patris lepra, eo fuerit filius ad regendum aptior. Probabiliorem coniecturam anno eius 49. afferemus.

II. *Res vtriusque regni.*

DE regno Manahem nihil aliud Scriptura prodit. Iosephus ait eum non mitiorem fuisse toto decennio, quo Israëlitis præfuit, quàm fuerat in ingressu regni. ἐπ᾽ ἔτη δέκα σκαιὸς καὶ πάντων ὠμότατος διέμεινε. quod difficile creditu est. De Ozia nihil reperitur, quod in hos annos quadret. Si extaret liber ille Esaiæ, quo res gestas Oziæ à principio, ad finem vsque complexus est, cuius meminit Scriptura [b], pleniores essent anni isti, ad quos prophetia capitis 2. Esaiæ referri potest. b 2. Par. 26. 22.

*Tobias.*

Tobiæ natiuitatem refert Torniellus in annum 45. Oziæ, sicut excæcationem in 17. Ezechiæ, sed vtrumque tardius putatur contigisse decennio. Verum ea de re diligentius suo loco.

## ANNVS MVNDI 3274. DILVVII 1618. QVINTAE ÆTATIS 335. FVNDATI TEMPLI 252. OSIÆ 49. MANAHEM REGIS ISRAELIS 10. ET VLT. IOELIS PONTIF. 49. TROIÆ EXCISÆ 404. PHVLIS 39. IMPERII ASSYRIORVM 1343.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 779.

I. *Res anni huius.*

TRIBVS rebus insignis est hic annus, natiuitate Achaz filij Ioathami, & nepotis Oziæ, Oziæ lepra, & morte Manahem regis Israëlis. 4. Reg. 15. 5. 22. 2. Par. 26. 16

Quod ad primum attinet, natum esse hoc anno Achaz, cùm vigesimum secundum ætatis annum ageret Ioathamus pater eius, ex primo eiusdem Achaz regni anno perspicuum est, quo vigesimum annum agebat, vt ex Scriptura [c] constat: ad quod vsque tempus c 2. Par. 28. 1

quatuor anni Oziæ, & 16. Ioathami filij eius intercedunt. Deinde cùm Ioathamus annos natus 25. regnare cœperit, oportet eum vigesimum secundum nunc egisse, quandoquidem post triennium rex factus est. Porro Achaz infelici, si dictu fas est, omine, atque anno natus est, in magnam religionis, atque reipublicæ Iudæorum perniciem.

Iam verò lepram Oziæ cur in hunc referamus annum dicendum est. Et primum ex ante dictis certo affirmari potest Oziam lepra diuinitus minimè percussum fuisse ante quadragesimum regni sui annum; quoniam Ionathamus iunior erat, quàm vt regnum, & palatium regis gubernare posset, quod tamen ab eo factũ Script. tradit [a]. *Ioatham verò filius regis gubernabat palatium, & iudicabat populum terræ.* Quo argumento refelluntur omnes, qui Oziam 25. aut 27. aut 38. aut 40. annis leprosum vixisse putauerunt: quibus etiam repugnat Iosephus [b], qui ait eum aliquandiu χώραν ναὰ, extra vrbem leprosum vixisse; quam locutionem nemo non videt, tam longo tempori non conuenire. Abulensis [c] ait Oziam leprosum vixisse ad summum quatuor, aut quinque annis, illa ipsa, quam dixi, ratione persuasus; eumque planè secutus est Serrarius in eundem locum, & sectariorum non pauci. — II. *Quando lepra percussus Ozias.*

a 4. reg. 15. 5

b l. 9. c. 11.

c q. 5. in c. 15 4 Reg.

Certo item affirmari potest non fuisse Oziam lepra percussum in illo terræmotu, qui ab Amos, & Zacharia celebratur: quoniam is viuo Ieroboamo contigisse creditur; at mortuus erat Ieroboam filius Ioas, biennio antequam Ioatham nasceretur. Nam Ieroboam 26. Oziæ mortuus est: Ioatham autem eiusdem 28. natus, vt suis locis dictum est. Ideoque, ait Serrarius, vel duo terræ tremores Oziæ temporibus contigerunt, vnus anno regni eius decimo quarto, vel decimo quinto (aut potius iuxta rectiorem chronologiam vigesimo quinto) alter extremis vitæ annis, cum sese sacris functionibus intulisset: vel præ Scripturæ contextu negligenda, quæ à Iosepho, & Hebræis prodita sunt. Verum hac de re iam satis anno vigesimo quinto Oziæ disputatum est. [d] — III. *Non in terræmotu.*

d n. 2. & 3.

Nec minus certum videtur non fuisse Oziam factum leprosum eo anno, quo defunctus est: etsi non defuerint, qui ita sentirent. Nam Hieron. in præfat. in 2. Paral. [e] *Esaias propheta*, inquit, *scripsit in anno quo mortuus est rex Ozias. Vidi Dominum sedentem*, &c. c. 6. *eo anno illum mortuum fuisse describit, quo lepra percussus est.* Hæc ibi: quo pertinēt etiam quæ chronicon Hebr. habet [f], vbi ait verba illa Esa. 6. *Et commota sunt superliminaria cardinum, à voce clamantis, & domus repleta est fumo*, declarare id contigisse diebus terræmotus. Cùm autem Iosephus, & alij affirmēt lepram, & terræmotum simul contigisse, consequens erit, vt vltimo regni sui anno leprosus factus sit Ozias, cùm visio Esaiæ facta sit, quo anno mortuus est Ozias, vt propheta ipse testatur. — IV. *Nec anno mortis suæ, vt quibusdam Hebr. placet.*

e in 2. Par. c. 26.

f cap. 20.

Verum Hebræi isti, si iidem sunt, secum pugnant. Nam capite decimonono, dicunt regem hunc viginti quinque annis fuisse leprosum, & consequēter 27. regni in eam calamitatem incidisse. Hic autem ponunt id factum anno mortis eius, id est, 52. regni; neque enim diuersum, sed eundem planè terræmotum ponunt, nisi forte etiam bis lepra Oziam inficiunt; non enim lepram à terræmotu separant. Cæterum hanc opinionem satis ipsa per se Scriptura refellit, quæ hac loquendi phrasi significat non vnius anni hanc lepram fuisse, sed plurium [g]. *Percussit Dominus regem, & fuit leprosus, vsque in diem mortis suæ, & habitabat in domo libera seorsum: Ioatham verò filius regis gubernabat palatium, & iudicabat populum terræ.* Et iterum [h]. *Fuit igitur Ozias rex leprosus, vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini.* Hæc ibi. Cùm ergo dicat plenum lepra habitasse in domo separata, qui tamē initio lepram tantum in fronte habuerit, signum est eum lepra, quæ paulatim serpit, longiore tempore infectum fuisse. Vide Plinium [i] de variis huius morbi incrementis. Nititur hæc opinio terræmotu, qui in Esaiæ visione contigerit, quem cum terræmotu Iosephi commiscet. Verum illa commotio, quæ ab Esaiæ memoratur, non alia quàm imaginaria fuit, vt suo loco dicetur. — V. *Refellũtur à se ipsis.* *Et Scriptura.*

g 4. reg. 15. 4.

h 2. Paral. 26. 21.

i l. 26. c. 1.

Denique probabile admodum existimo hoc anno 49. Osiam eam culpam admisisse, ejusque pœnam reliquo triennio pependisse. Nam & id tempus sufficit ad sententiam verborum Scripturæ, sine vlla violentia retinendam. Et — V. *Quæ causa attentati sacrificij à rege.*

Et habuit hic annus nati Achaz, quod regem ad eam temeritatem inuitaret, & tam grandem natu in superbiam elatum præcipitaret: quippe qui se non solum tam diuturno quinquaginta duorum annorum fulgentem imperio cerneret; tot victoriis vndique nobilitatum, tanta pace, tot opibus, tam præsenti Dei auxilio corroboratum experiretur: interim dum regnum Israel tumultibus, & latrociniis, & regum cædibus abundaret: sed noua insuper se prole auctum, qua longissimè propagaretur, & roboraretur imperium, hoc anno lætaretur. Et in eam sententiam accipere licet illa Scripturæ verba. *Sed cum roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum.* Regna enim non tam opibus, & subditis, quam legitimorum principum minimè dubia successione roborantur. Sic enim seditiosissimæ de imperio contentiones obruuntur, & sceptrum quietè in eadem familia conseruatur.

*Superbia ex reb. prosperis.*

VII. *Quæ peccādi occasio*

OCCASIONE igitur, aut natiuitatis, aut circumcisionis Achaz, vel potius post quadragesimum diem oblationis in templo (nam Iosephus ait id in solemnis festi celebritate factum fuisse: Abulensis in solemnitate generali propitiationis. [a]) Voluit Ozias senex in solemniori sacrificio adolere incensum in altari aureo Thymiamatis, quod intra templum erat, iuxta Sanctum Sanctorum. Itaque oportuit regem non solum in atrium Leuitarum, sed in ipsam etiam domū Sanctam penetrare. *Ingressusque templum Domini*, ait Scriptura, [b] *adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias Sacerdos*, qui & Ioël dicebatur, vt initio pontificatus eius diximus, *& cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi*, non tam robore membrorum, quàm egregia animi præsentia, *restiterunt regi, atque dixerunt; Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministeriū. Egredere de Sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo:* quodcumque tandem sit hîc tuum, & aulicorum iudicium. *Iratusque Ozias tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus.*

*Et peccandi modus.*

a q. 9 in c. 15. 4 Reg.

b 2. Par. 26. 16.

VIII. *In facto vno culpa multiplex. 1. in causa peccandi.*

IN facto vno culpa multiplex; primo in ipsa peccandi causa. Non enim ex timore aliquo, aut zelo diuini honoris præpostero, & non secundum scientiam peccauit, sed ex superbia, & neglectu Dei. *Cum roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum.* Iosephus. [c] *Dumque in his studiis, & paratibus versatur, corruptus est arrogantia, & inflatus mortali potentia, immortalem illam, ac sempiternam cœpit non magni facere, nec religionis, nec pietatis admodum obseruans: itaut ad paternam impietatem videretur procliuior, ad quam & ille prolapsus fuerat, quod fortunæ fauorem, & perpetuos successus in rebus maximis, moderatè ferre nequiret.* Sed vereor vt hæc amplificatio satis moderata sit, quæ neglectum Dei vsque ad idololatriam propemodum attollat, cùm Hebraicè, & Græcè tantum habeatur: *& præuaricatus est, & iniquè fecit in Dominum Deum suum.* Itaque neglectus hic nihil aliud videtur esse, quā defectus timoris, & reuerentiæ in Deum, & eius præcepta.

c l. 9. c. 11.

IX. *2. in profanatione loci.*

SECVNDO ingreditur in locum non permissum, & quidem geminum. Nam transgressus aream sacerdotalem, & altare holocaustorum, in ipsam secundam templi partem penetrauit. Nam regia sedes erat in medio basilicæ, quæ est atrium Israëlitarum, vbi quondam rex Salomon suggestum æneum excitarat, coram altari Domini. [d] Quanquam dici posset, ad illam tantùm celebritatem, pulpitum ibi collocatum. D. Hieronymus [e] ait eum locum, quem columnam vocat, regum sedem fuisse: nec facilè intelligo, iuxta descriptiones Villalpandi, vbi collocatum esset illud suggestum, nisi in area Leuitarum positum fuisse dicatur.

d vt dicitur 2. Par. 6. 12.

e 2. Par. 23.

*3. Et officij sacri.*

Tertio inuadit laicus, & sacrilegè profanat officium Sacerdotale; addit etiam habitum sacrum Iosephus. *Sumpto*, inquit, *sacerdotali habitu, ingressus est templum.*

X *4. In pertinacia.*

QVARTO non admittit correptionem Pontificis, & sacerdotum, sed in incepto perseuerat, veritus scilicet confusionem, si ad vocem subditorum suorum male cœpta deserere cogeretur, & de irrito conatu derideri posset. D. Hieronymus in epistola 142. ad Damasum, culpam etiam in Esaiam prophetā deriuat. *Quantum ego arbitror*, inquit, *Esaias, quia Oziam in templum irruentem non corripuerat*, vt propheta videlicet: neque enim erat sacerdos, cùm pertineret ad tribum regiam; vnde subdit, *nec iuxta Eliæ exemplum libera voce impium designarat, labia habebat*

*Esaiæ culpa.*

*immunda.* Quod & in comment. in Esaiam repetit.

Quintò bene monentibus obstrepit, & salutaria consilia non solùm contemnit, & irascitur nihilo sibi plus permitti in sacrorum administratione, quàm cuiuis de plebe; sed etiam manu thuribulum tenens minatur sacerdotibus. *Tum rex commotus,* inquit Iosephus, *mortem illis, ni quiescerent, minatus est.* 5. Et correctionis contemptu.

a 2. Par. 26. 16. STATIMQVE *orta est lepra in fronte eius,* [a] *coram sacerdotibus, in domo Domini, super altare thymiamatis. Cùmque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinatò expulerunt eum. Sed & ipse perterritus accelerauit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini.* Verùm cùm in lege Domini scriptum esset, vt quicumque externus ab officio sacerdotali, se sacris immisceret, occideretur, [b] & Deus ipse plerosque in seditione Core incendio castigarit, mirum est non subita illum morte concidisse. Verùm pœna lepræ instar mortis est, quæ ab hominum consuetudine tanquam mortuos separat; & eam morti æquat Scriptura ipsa hoc loco, cùm ait; *& eleuatum est cor eius in interitum suum.* [c] Vnde aliqui illud Esaiæ, *in anno, quo mortuus est Ozias* explicant, in anno, quo lepra percussus est. [d] Sed vide, obsecro religiosè lector, quam congruè, & sapienter illata fuerit hæc pœna. XI. Statim pœna afficitur

b Num. 3. 10. & c. 18. 7

c 2. Par. 26 19.

d Abul. q. 7 in 15. 4. Re.

DIVINA prouidentia factum est, vt statim lepra oriretur, & quidem in loco apertissimo, ne dubium esset, qua ex culpa hæc pœna nasceretur, neve occultari posset, aut dissimulari: & vt magis intelligatur Dei digitum hic fuisse, ignominiosissimo morbo superbia comprimitur, & neglectum Dei, sui contemptu luit. Vnde deinceps in regno administrando nulla eius habetur ratio, non magis, quàm mortui, & qui inuaserat sacerdotale munus, regium amisit; qui sacerdotum verba neglexerat, Dei verbera sensit; & qui in locum sanctum temere inuaserat, ne in communi quidem, & profano habitare permissus est, toto templo, & atriis omnibus, atque adeo tota ciuitate exclusus. Denique qui mortem minabatur admonitoribus, in lepra languet, vsque ad mortem. Vnde subdit sacer historicus. *Fuit igitur Ozias rex leprosus, vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo domini.* Vel, vt habent Hebræi, & Septuaginta, quoniam expulsus fuit, vel excisus à domo Domini. XII. Et quam conuenienter lepra.

e c. 5. 15. VBI autem fuerit hæc separata domus, quæ in libro Regum [e] dicitur libera: *& habitabat in domo libera seorsum*: non satis constat. Vtrobique certe in Hebræo eadem vox est, quam Septuaginta in Græca versione retinuerunt. Latinè autem libera domus est, quæ aliis annexa non est, sed separatam præbet ab omnibus habitationem. Clarius explicat Chaldæus, *& sedit extra Ierusalem*: eadem enim erat ratio castrorum in deserto, & ciuitatum in terra Chanaam; [f] *Omni tēpore,* ait lex, *quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.* Rem clare habet Iosephus. [g] *Sacerdotes verò postquam in regis facie lepram animaduerterunt, diuinitus inflictam ei plagam indicauerunt, & vt tanquam pollutus, & impuratus vrbe cederet admonuerunt. At ille pudore calamitatis iam modestior, paruit, superbiæ cum impietate coniunctæ, tam miserabili pœna mulctatus. Et cùm aliquandiu priuatus extra vrbem vixisset, filio Iothamo Remp. administrante, mœrore deinde confectus obijt.* XIII. Vbi habitauerit leprosus.

f in Leuit. 13. 46.

g l. 9. c. 11. Extra vrbem.


Ex quo mirum videri potest, quod scribit D. Chrysostomus Hom. 5. super cap. 6. Esaiæ, cum ait populū priuatum fuisse prophetica visione, quia reueritus principatum, eum à ciuitate non expulisset. Procopius in eundem Esaiæ locum Chrysostomum imitatus, ait Oziam lepra percussum abdicatum esse: *& quamquam legis precepto,* inquit, *extra castra leprosus, tanquam impurus pelli iubebatur, Hierosolyma tamen secedere recusans, totam vrbem præsentia sua pollutam, impuramque reddidit. Inde est quod tacuit Dominus, prophetas suos alioqui minimè dedignatus, sed eorū doctrina indignos arbitratus, qui eandem cum homine impuro ciuitatem incolerent.* Sed id populariter magis, quàm historicè dictum accipiendum est, & ex olida Rabinorum officina mutuatum. Quæ autem hic de terræ motu à Iosepho adduntur, & à nonnullis sanctorum patrum referuntur, de iis iam supra anno 25. Oziæ satis dictum. XIV. Quibusdā aliter visū.

SVPEREST mors Manahem, quæ in extremum hunc annum cadit, in quo decennium regni eius absoluitur. De ea hoc tantum Scriptura. [h] *Reliqua autem sermonum Manahem, & vniuersa, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel? Et dormiuit Manahem cum patribus suis, regnauitque Phacea filius eius* XV. Mors Manahem.

h 4. Reg. 15. 22.

*pro eo*. Cumque alij reges Israëlitarum idololatriæ crimine infames decesserint; addidit hic etiam crudelitatem, ob quam mirum est, ac satis nouum illum sicca morte decessisse. Non enim falso dixit Poëta.

*Ad generum Cereris sine cade, & vulnere pauci.*
*Descendunt reges, & sicca morte tyranni.* Iuu. Sat. 10



ANNVS MVNDI 3275. DILVVII 1619. QVINTÆ ÆTATIS 336. FVNDATI TEMPLI 253. OZIÆ 50. PHACEIÆ 1. IOELIS PONTIFICIS SIVE AZARIÆ 50. TROIÆ DELETÆ 405. PHVLIS 40. IMPERII ASSYRIORVM 1344.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 778.



NVM. I. Regnum Phaceia.

IVBILÆVM quendam regni annum implet Ozias hoc tempore, quinquaginta enim anni ab anno mundi 3226. quo regnare cœpit, ad præsentem exacte numerantur, & in eo habetur nouus concursus regni duorum regum. [a] *Anno quinquagesimo*, inquit, *Azaria regis Iuda, regnauit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio*. Etsi enim reuera Azarias, qui & Ozias non regnabat, nec sese Reipub. negotiis admiscebat, vtpote ab omnibus habitatione separatus; anni tamen omnes, quamdiu vixit, eius regno, non autem filij eius Ioathami, licet is Rempub administraret, annumerati sunt. Etsi enim [b] paulo post viginti anni ei tribui videantur, vt scilicet ad reliquos 16. hi quatuor adiungantur. Non est tamen ea Scripturæ mens, vt suo loco dicetur. Adiungendi enim essent ad principium regni eius, non ad finem.

*Administratio Ioatham.*

a 4. Reg. 15. 23.
b Reg. 15. 30.

III. *Vtriusque legitima potestas.*

VTROQVE ergo regno principe suo spoliato, altero per morbum, per mortem altero, vtrique successit filius; priori Ioatham, vt administrator, & rector: posteriori Phaceia, vt rex, & princeps ordinarius. Quamuis enim pater eius tyrannice occupasset imperium; deinde tamen populus se ei sponte subiiciens, illum legitimum regem fecit, adeoque nullus ei restitit in regia successione: eoque [c] munere biennio tantum potitus est, paternæ impietatis, sicut & imperij, atque adeo crudelitatis hæres, vt ait Iosephus. Eusebius in Chronico ei decem annos regni tribuit, quot & patri eius, propter omissum ante Zachariam interregnum. Septuaginta in aliquibus codicibus habent duodecim annos, sed Hebræa, & emendata Græca, & Chaldæus, & Iosephus Vulgatæ consentiunt.

c Abul. in exp. text.

III. *Opinio Eusebij, de initio Olympiadum.*

Hoc Oziæ anno 50. Eusebius libro decimo de præpar. Euang. [d] primæ Olympiadis initium ponit; & item præfat. in chron. & in ipso chronico. Sed ab eo plerique non sine causa dissentiunt. Sibi tamen consentientem memorat Africanum, repugnante Georgio Syncello apud Scaligerum. Profert enim Georgius Africani verba, in quibus initium Olympiadum collocat in primo anno Achaz. Et vice versa Eusebius Africani verba refert, in quibus Æschylus princeps Athenis, sub quo inchoatæ sunt Olympiades, dicitur fuisse tempore Ioathami: vtri potius credamus? Scaliger Georgio subscripsit. *Itaque duæ*, inquit, *manifestæ sunt Eusebij hallucinationes; cum Ioatham pro Achaz apud Africanum legit: & cum dicit se primo anno Ioatham Olympiadem posuisse, quæ posita est quinquagesimo Azariæ. Quis ἀλογίαν non miretur?* Sic ipse. Sed ipsius quoque alogistia reprehendenda est. Nusquam enim dicit Eusebius primum annum primæ Olympiadis cadere in primum Ioatham, sed tantum Ioathæ initium incidere in primam Olympiadem, quod verum est, licet Ioathæ primus, non sit initio primæ Olympiadis, sed in anno eius tertio. *Porro & nos*, ait Eusebius, in ipsa editione Scaligeri, *in prima Olympiade Ioatham posuimus*, quæ chronico etiam Græco eiusdem consentanea sunt.

d c. 3. sub init.

IV. Ea temporum nota deinceps obseruāda.

Et quoniam magni refert in sacra chronologia, etiam prophanæ habere rationem, vt in libris Machabæ. & Esdræ, Danielis, quoque, & Ieremiæ factum videmus. In ea verò nihil certius reperitur Olympiadibus, apud Græcos, & annis Vrbis Conditæ apud Latinos: vtramque notam deinceps sequandam esse duximus. *A tempore enim Olympiadum*, vt dixit Eusebius in chronic. *Græca de temporibus historia vera creditur. Nam ante hoc, vt cuique visum est, diuersas sententias protulerunt*: quibus consentanea sunt, quæ ex Varrone scribit Censorinus cap. 21. vt paulo post dicemus. Magna porro controuersia est inter Scriptores, qui annos prophanos cum sacris copulare nituntur: in quem annum initium primæ Olympiadis referant. Nam aliqui in annum 9. Azariæ, seu Oziæ, alij in 37. vel 39. alij in 50. vel 51. reiiciunt; alij in 1 aut 4. Ioatham, alij etiam in 1. Achaz, vt Africanus, si Georgio credimus. Quid nobis probabilius videatur tertio ab hinc anno, initio regni Ioatham dicemus. Neque enim constitutis iam cum Halicarnassæo annis excisæ Troiæ, & Vrbis Conditæ integrum nobis est alio loco initium Olympiadum figere. *Variæ opiniones de huiusmodi principio.*



## ANNVS MVNDI 3276. DILVVII 1620. QVINTAE ÆTATIS 337. FVNDATI TEMPLI 254. OZIÆ 51. PHACIE 2. & VLT. AZARIAE PONTIF. 51. AB EXCISO ILIO 406. PHVLIS 41. IMPERII ASSYRIORVM. 1345.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 777.



HOC anno secundo Phaceiæ ferè exeunte, fuit is Sabbaticus, vndecentesimus, Phaceæ filius Romeliæ coniurauit contra eum, cùm esset dux militiæ eius. Septuaginta τριστάτην vocant, Iosephus χιλίαρχον, id est præpositum mille viris, siue tribunum, Hebræi tertium à rege. *Et percussit eum*, ait Scriptura [a], *in Samaria, in turre domus regiæ, iuxta Argob, & iuxta Arie, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, & interfecit eum, regnauitque pro eo*. Dixi autem sub finem huius anni occisum Phaceiam, quoniam Phacee dicitur tantum regnasse 52. anno Oziæ. [b] *I. Cædes Phaceia. Sabbat. 99*

a 4. Reg. 15. 25.


b 4. Reg. 15. 27.

PORRO ex Hebræo, Chaldæo, & Græco, sententia est Phacee socios habuisse coniurationis Argob, & Ariam, & cum iis quinquaginta viros Galaaditidas, quibus adiutus facinus perpetrauit. Hieron. autem ea nomina, vt propria locorum accepit, iuxta quæ cædes admissa sit: & id fortasse verius, ait Mariana in Scholiis. Eadem est interpretatio Abul. & Lyrani, qui & Rab. Salomonem laudant. Nec valde repugnat Vulgata; non enim negat Argob, & Arie fuisse cum Phacee, sed ait fuisse etiam iuxta eum, vt tres isti simul parricidium perpetrarint; nisi quinquaginta Galaaditarum manu, quam secum habuerunt, congruis locis dispositam, ne rex vel elabi posset, vel adiuuari. Iosephus parum Scripturę consentit, cum ait eum in conuiuio, cum amicis trucidatum. Rectius Glossa, in turre, ad quam confugerat. Fuit autem hic Phacee improbitate par Sello, qui Zachariam interfecit. Vterque enim Dominum suum, nulla authoritate, ambitione impellente, per insidias, ac coniurationem interfecit, & regnum per tyrannidem inuasit: vterque non dissimili alterius scelere malè periit. *II. A quibus patrata.*

Hoc anno natum existimamus Tobiam seniorem, sicut & 39. ætatis abductum in captiuitatem, vt sentit etiam Serarius, & suo loco dicetur. Genus ipsius in Græco Sixti sic habetur. *Liber sermonum Tobiæ, filij Tobiel, filij Ananiel, filij Aduel, filij Gabael, ex semine Asiel, ex tribu Nephtali*. Patria Tobiæ fuit Galilæa *III. Ortus, genus, patria Tobiæ Senioris.*

superior, oppidum vero dicitur Nephtali in Vulgata; at in Græca editione Thisbe, ex qua etiam Elias Thisbites, siue Thesbites putatur oriundus; sed ea Thesba ponitur in tribu Gad ab Adrichomio.[a] Maturè autem à Deo probatus est rebus aduersis, vt solet omnes sibi charos exercere. Nam vtroque parente orbatus est puer, & à Debora matre patris sui institutus est in timore Dei. Nam ipse se Hierosolymam quot annis profectum in festiuitatibus fatetur, & quæ ex lege præcepta erant obseruasse, *Sicut*, inquit, *mandauerat Debora mater patris mei: propterea quod orphanus relictus sum à patre meo.* Hæc in exemplari Græco. Ex eius verò disciplina id est consecutus, vt quamuis puer, nihil tamen puerile ageret.[b] Vide plura apud Serrarium in comment. 1. cap.

[a] Num.47.
[b] Tob.1.4.



ANNVS MVNDI 3277. DILVVII 1621. QVINTÆ ÆTATIS 358. FVNDATI TEMPLI 255. OZIÆ 52. & vlt. PHACEÆ 1. AZARIÆ PONTIFICIS VLTIM. 50. EVERSÆ TROIÆ 407. PHVLIS 42. IMPERII ASSYRIORVM 1346.

ANNVS ANTE CHRISTVM 776.

NVM. I. *Visio Esaiæ.*



CELEBRIS est hic annus nobili illa prophetia, aut visione potius Esaiæ cap.6. *In anno*, inquit, *quo mortuus est rex Ozias, Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea quæ sub ipso erant, replebant templum*, &c. Quæ placet breui paraphrasi, ex Sanctio nostro, optimo prophetæ huius interprete, reddere. *Eo anno*, inquit, *quo decessit Ozias, vidi Dominum sedere in excelso, atque eminenti loco, cuius defluentes in regia maiestate laciniæ totum replebant templum. Iuxta solium duo assistebant Seraphini; quinis senas habebat alas, duabus faciem velabant suam, duabus eas corporis partes, quæ à singulo ad pedes vsque pertinent; reliquæ duæ ad volandum erant expeditæ, & alternis vicibus diuinum illud trisagium iterabant. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, cuius gloria totam impleuit terram. Interim autem dum Angelicæ voces illo cantu perstrepunt, templi postes, ac limina graui motu concussa sunt, & domus tota circumfusa est fumo.*

*eiusque paraphrasis.*

II. *Quo tempore habita.*

CIRCA huius visionis tempus ita præfatur Diuus Hieronymus epistola centesima quadragesima secunda, ad Damasuum. *Leproso rege, & quantum in se est, sacerdotium dissipante, Isaias visionem videre non potuit, quandiu ille regnum tenuit in Iudæa, propheta oculos non leuauit ad cœlum, non ei sunt releuata cœlestia*, &c. Eadem sensit, & scripsit Diuus Chrysostomus, & Procopius in hunc locum: sed rursus homilia quarta. *Regnante*, inquit, *impuro, Deum non videbat, quia nobis erat iratus; venit mors impij, & soluit iram*, &c. Et Diuus Gregorius hom. 14. libro secundo in Ezechielem. *Quando Ozias rex superbus, ac præsumptor moritur, Dominus videtur: quia cùm mundi huius elatio à desiderio mentis occiditur, tunc ipsa mens Dei gloriam contemplatur.* Qui omnes imitati videntur Origenem, aut in eius vestigia incurrisse. Is enim homil. secunda in caput secundum lib. Iudicum. *In diebus*, inquit, *iniqui, & pessimi, non potuit videre Esaias visum; sed ex quo mortuus est rex nequam, tum potuit videre visionem.* Quæ communis doctorum sententia de morte Oziæ, refellit Rabinum Salomonem apud Lyranum, qui putauit hunc non fuisse annum mortis Oziæ, sed percussionis lepræ, propter quam reputatus est quasi mortuus.

III. *Videns initium prophetiæ ipse*

EXISTIMAT nihilominus Sanctius, & Hieronymum laudat authorem spiritum propheticum, qui calculo intelligitur, hac in visione datum fuisse prophetæ, eoque purgatum; habilemque redditum, deinceps prophetasse, & quæ

quinque primis capitibus continentur, ordine temporis esse posteriora. Et quia oportet Esaiam etiam Oziæ tempore prophetasse, vt in ipso prophetiæ titulo scriptum est, ait prophetam non dicere se hanc habuisse visionem Ozia mortuo, sed eo anno, quo mortuus est, nimirum aliquot mẽsibus ante mortem eius. Certè ex Hieremia constat ordinem temporum in tota eius prophetia minimè fuisse seruatum. Acris quoque illa populi, & optimatum responsio, quæ cap. 1. continetur, aliaque deinceps plena prophetici feruoris, spiritus, & libertatis, non videntur ab homine polluti oris fuisse profusa. *Ordo capitum eius.*

Fvisse autem visionem hanc imaginariam antiqui, recentioresque interpretes tradunt. *Constat*, inquit in eum locum Procopius, *prophetam Christum vidisse; nec illis tamen oculis qui corporis sunt, sed internis, id est, Spiritu sancto illuminatis oculis vsurpasse.* Lyranus, Carthusian. Vatablus, aiunt Prophetam, cùm dicit se vidisse sedentem Dominum, intelligere splendorem quendam ab ipso visum, magnificum, & gloriosum, indicem, & testem præsentiæ Dei, qui splendor insidebat tribunali, quo significaretur Deum breui pœnas sumpturum de malis. Hæc autem oculis mentis, & in exstasi visa dumtaxat, sicut à D. Petro animalia illa in magno linteo [a]. Denique D. Hieronymus ait hæc visa in spiritu per formas, quarum humana natura sit capax, quæ diuinam cernere non potest. Ex quo sequitur illam commotionem superliminarium cardinum, non verum motum in templo significare, sed imaginarium in mente prophetæ: sicut terna illa eleuatio, & depressio lintei per quatuor initia, in exstasi tantum Petro Apostolo demonstrata est. IV. *Fuisse imaginariam visionem.*

a Act. 10. 11

Erit ergo literalis huius loci sententia, tantam fuisse vim vocis Angelorum clamantium, vt totus ipse locus visus sit commoueri. Sic Poëta V. *Sicut & concussionẽ templi.*

*Totum nutu tremefecit Olympum.*

Tota ergo commotio, vel eleuatio, vt habent Septuaginta, vel concussio, vt alij, metaphorica est, sicut exigit ipsa ratio visionis imaginariæ. Nec facile inuenias vllum ex sanctis patribus, qui hanc commotionem, siue eleuationem superliminarium, de vero terræmotu interpretetur: sicut nec illum locum Amos [b]. *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit, Percute cardinem, & commoueantur superliminaria*; de concussione terræ, & templi materialis. Ex quo apparet quo fundamento nitantur, qui terræmotum Amos, quem verissimum fuisse nemo dubitauit, cum hoc imaginario, & re tota, & tempore distincto commiscent: aut cum illo etiam terræmotu, quem Iosephus ad lepram regis amplificandam videtur excogitasse.

b 9. 1.

Sed addamus coronidis loco de hac commotione elegantem D. Hieron. in commentariis eius loci interpretationem. *Clamantibus*, inquit, *Seraphim, & in tota terra Trinitatis mysterium prædicantibus, quando passionem Domini Saluatoris terra vniuersa cognouit, statim commotum est, siue sublatum superliminare templi, & omnes illius cardines conciderunt, impleta Saluatoris comminatione dicentis: relinquetur domus vestra deserta. Et quam pulcher ordo verborum. Postquam terra repleta est gloria Domini Sabaoth, Iudæorum templum impletum est ignorantiæ tenebris, & caligine, & fumo, qui noxius est oculis; vel certe profundum templi monstratur incendium.* Hæc D. Hieronymus, quibus similia habent Procopius, Cyrillus, Theodoretus. VI. *Eius mystica significatio.*

Ex quibus etiam intelligi potest visionem factam fuisse in templo, vt propheta ipse testatur; & Hieron. *Dominus Ozia mortuo videtur in templo, quod ille polluerat*, & in quo propheta ipse silentio labia sua contaminauerat. *Esaias*, inquit idem. [c] *qui tantũ in sermone peccauerat*, id est, sermonis defectu, *labia habebat immunda; & quantum ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem non corripuerat* [d], *nec iuxta Eliæ exẽplum, libera voce impium designarat, labia habebat immunda.* Potuit nihilominus, & forte rectius ipsum templum in imaginatione cerni, si visio dormienti, vt fere contingebat, oblata est. D. Basil. in hunc locum videtur dicere, ex sentẽtia Iudæorum, visum Dominum in loco finitimo ciuitati Ierusalem. VII. *Vbi contigerit visio.*

c ep. 142. ad Damasc.

d sup. an. m. 3274. n. 10.

De morte Oziæ hæc habet Scriptura [e] cum solita conclusione. *Reliqua autem sermonum Azariæ, & vniuersa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Iuda? Et dormiuit Azarias cum patribus suis, sepelieruntque eum cum maioribus suis in ciuitate Dauid.* In libro autem Paralipomenon dicitur Esaias filius VIII. *Mors Oziæ.*

e c. 2. 26. 22

Amos scripsisse gesta Oziæ priora, & nouissima; ex quo intelligitur librum illum gestorum, tam regum Iuda, quam Israël varios habuisse scriptores, pro diuersis temporibus. Hic idem liber distinctius explicat sepulturæ locum; *Dormiuitque Ozias, cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus.* Iosephus. *Sepultusque est in suis hortis in monumento solitario.*

IX. VIDETVR Dominus voluisse penitus illam superbiam, & sacrilegam temeritatem regis huius expiare; qui & viuentem hominum consortio, & mortuũ regum sepulchro priuauit; vt tanto melior de eius æterna salute, certiorque coniectura haberi possit, quo grauius in hac vita eam culpam, quæ vna à Scriptura profertur, Dominus vindicauit. Nam quod excelsa non est demolitus, hoc ei, cum plerisque aliis probatissimis regibus commune est. Denique fecisse ait; *quod erat placitum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat Amasias pater eius.* Imo etiam rectius fecit: nam peccatum Amasię multis partibus grauius fuit peccato Ozię. Et alibi [a] in laude Ioathami ponitur fecisse, *quod rectum erat coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat pater suus, excepto quod non est ingressus templum Domini,* &c. Et Iosephus, *Hic erat*, inquit, *natura bonus, & iustus, & magnanimus, prouidendisque rebus solers, & industrius.* Duriora verò illa epitheta, quæ in eum patres, tanquam spicula intorquent, illi tantum tempori conueniunt, quo in templo peccauit.

*Et sepultura in expiationem culpæ.*

a c. 27.2.

X. HIC ipse annus est primus Phaceæ filij Romeliæ, qui regnum, tanquam præmium impiæ proditionis, & coniurationis in dominum obtinuit: *dubium impiusne magis, an iniustus*; vt ait Iosephus: Vitæ autem Romuli, ac Remi primus, si D. Hieronymo credimus. Is enim epistola 142. ad Damasum sic ait. *Post cuius* (Oziæ scilicet) *mortem Esaias propheta hanc visionem, quam explanare nunc nitimur, vidit, id est, eo anno, quo Romulus imperij* Romani *conditor natus est, sicut manifestũ esse poterit iis, qui voluerint legerere temporum librum, quem nos in Latinam linguam, ex* GRÆCO *sermone transtulimus.* Hæc ipse. Significat autem Eusebij chronicum, quod hinc corrigi posset. Nam ibi natiuitas Romuli cadit in secundum Ioathami, siue in quartum Phaceæ, iuxta correctionem Pontaci, cum deberet cadere in vltimum Oziæ, iuxta Hieron. cuius illa nota est, non ipsius Eusebij, vt ex Græco intelligitur. Verum neque hæc natiuitas firma esse poterit, donec principiũ Olympiadum debito loco statuerimus, quod anno sequenti facturi sumus.

*Initium regni Phaceæ an & vitæ Romuli.*



# OLYMPIADES.

## ANNVS MVNDI 3278. QVINTÆ AETATIS 339. TEMPLI 256. IOATHAMI REGIS IVDÆ 1. PHACEÆ REGIS ISRAELIS 2. IOATHAMI PONTIF. 1. EXCISÆ TROIÆ 408. PHVLIS 43. ET VLT. IMPERII ASSYRIORVM 1346. OLYMPIADIS I. ANNVS 1.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 775.



I. PERVENIMVS aliquando, Deo bene propitio, ad Olympiadas, temporum notam accuratissimam, atque certissimam: de qua sibi tota Græcorum historia gratulatur. Africanus enim apud Eusebium, [b] *Vsque ad Olympiadas*, inquit, *nihil exploratum in historia Græcorum inuenitur, sed omnia confusis sunt conscripta temporibus. Post Olympiadas vero; quoniam quadriennio diligentissimè omnia renouabãtur, nulla penitus est temporum confusio.* Eusebius autem ipse in chronico sub primam Olympiadem hæc notat. *Ab hoc tempore Græca de temporibus historia vera creditur. Nam ante hæc, vt cuique visum est, diuersas sententias protulerunt.* In Græco sic legitur: [illegible]. Deinceps Græci tempora accuratius dispensarunt, omnibus ante-

*Initium Olympiadũ.*

b l. 10. de præp. c. 3.

*Historia deinceps certior apud Græcos.*

*ex Græcis.*

hàc confusis, & nulla re sibi consonantibus. Eadem sentit Diodorus Siculus initio Bibliothecæ, Plutarchus in Theseo, & Numa, Ptolemæus libro 3. Almagesti.

cap. 11.

II. Et Romanis scriptoribus.

GRÆCIS Romani consentiunt: Nam Censorinus in libro de die natali. *Varro*, inquit, *tria discrimina temporum esse tradit, Primum ab hominum principio, usque ad cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur* ἄδηλον. *Secundum à cataclysmo priore ad Olympiadem primam; quod, quia in eo multa fabulosa referuntur,* μυθικὸν *nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos, quod dicitur historicum; quia res in eo gesta veris historiis continentur.* Sic ipse. Accuratam autem istam notandarum Olympiadum curam fouebat gloria: Nam in quaque Olympiade victorum nomina scribebantur in tabulis, & columnis, quales erant eæ, quibus leges Athenis, aut deorum festa publicè proponebantur. Vt victoris gloria, non aliquot tantum dierum esset in Græcia, sed in omnem posteritatem vbique gentium propagaretur. Ergo hæc illi studiosissime curarunt, & res plane in mores, ac consuetudinem abiit. Itaque illæ, vel 27. Olympiades, vel tredecim, iuxta Callymachum, quas supra memorauimus, quibus nomina victorum nondum scribebatur, obliteratæ sunt.

ἐν κύρβεσι καὶ στήλαις. — Certitudinis causa. — a. m. 3170.

III. Quanto in usu fuerit hac temporis nota.

QVONIAM ergo deinceps Scriptores omnes Græci, Latini, Barbari, rebus gestis, quas memorant, Olympiadis notam assignant, magistratibus, expeditionibus, victoriis, astrorum coniunctionibus, legum lationibus, regnorum initiis, finibusque. Iidem Olympiadum numeris personarum illustrium ortus, obitusque, quoue maxime tempore floruerint definiunt; imo & præcurrentia tempora, & res in eis gestas ad initia Olympiadum exigunt, vt constat ex iis quæ de Lycurgo supra dicebamus, æquum erit à nobis deinceps in notandis Olympiadibus accuratam adhiberi diligentiam, omissis deinceps breuitatis causa diluuij annis. Nam quoniam sacra historia ex Græca, Latinaq; illustratur, & vtraque in multis ab Hebræa corrigitur: neque id sine temporum concordia, & Olympiadum recta constitutione fieri potest, ideo in ea multi anti qui recentioresque elaborarunt, sed ita, vt vix duo inueniantur, qui inter se planè consentiant.

a m. 3153 & 3170.

IV. Variæ opiniones de initio Olymp.

NON ponam operam in variis opinionibus, aut percensendis, aut expendendis longiorem. Illa enim quam amplectimur stabilita, cæteras, saltem quæ absunt longius, iacere necesse est; illam præsertim, quæ ad regnum Achaz differt Olympiades. Quæ sententia, neque cum annis à Troia excisa, neque cum anno Vrbis Conditæ, quem optimi quiq; authores comprobarunt, neque cũ initio regni & monarchiæ Cyri, quæ permiscere cogitur, congruere, ac conuenire potest. Idem proportione dicendum de iis, qui hoc initium Olympiadum retro ad medios fere annos Oziæ retrahunt.

V. Verior sententia.

STATVIMVS ergo primum annum Olympiadum cum primo Ioathami Iudæorum regis anno concurrere: quia alioqui non potest hic annus esse 408. ab euerso Ilio, vt placet Dion. Halicarn. qui hæc se perquisisse studiosissime, & accuratissime expedisse profitetur (Neq; ab eo dissentit Euse. dũ 407. aut qui 406. ponũt, aut etiam 5. vt Cyril. l. 1. in Iulianum, dum alterutrũ terminum, aut vtrũq; numerando excludunt.) Nam 1. ac 2. lib. Romanarum antiq. ait post Ilium captum anno 432. Albanos Romuli, & Remi ductu coloniam misisse Romam, ann. 1. septimę Olympiadis, à quibus Vrbs condita fuerit. Si ab eo numero annorum sustuleris 24 annos, qui sunt sex integræ Olympiades, reliqui erunt anni octo supra quadringentos: idque in annis expansis digito tangi potest. 1

l. 10 de per. c. 3. & in chron. — Dionysio. Eusebio. — 1 ex.

VI. Catone, & Eratosthene.

IDEM omnino sentit Cato, apud eundem Dionys. cum ait Romam 432. annis posteriorem bello Iliaco, *Quod tempus*, inquit, *dimensum iuxta Eratosthenis chronographias incidet in annum primum Olympiadis septimæ*. Eratosthenis autem regulas incorruptas esse affirmat idem Dionysius: eas à Clemente Alexandrino accipe. *Eratosthenes*, inquit, *tempora sic describit. A capta quidem Troia ad Heraclidarum reditum*, siue descensum, *anni 80. Hinc autem ad conditam Ioniam*, Ionicam scilicet emigrationem; *anni 60. Quæ autem deinceps consequuntur ad Lycurgi tutelam anni 159. Ad annum autem qui prima præcedit Olympia anni centum & octo.* προγεγραμμένον ἔτος τῶν πρώτων Ὀλυμπίων ἔτη ἑκατὸν ὀκτώ. conficiunt hæ regulæ 4. annos 407. ipse autem pri-

l. 1. Strom. p. 246. gr. lat.

80.
60.
159.
108.
407.

mus annus Olympiadum est 408. quem vides in nostro indice anni huius. Deinde cum idem Eratosthenes à prima Olympiade ad mortem Alexandri enumeret 452 annos, cum ille mortuus sit anno primo 114. Olympiadis, vt suo loco dicetur, 113. Olympiades eum numerum exacte conficiunt.

VII. *Aliisque plurimis.* Denique nobiscum sentiunt quicunque anno trigesimo secundo supra quadringentesimum volunt Romam fuisse conditam. Hoc ipso enim volunt quadringentis & septem annis euolutis, ab Ilij clade quadringentesimum octauum Olympico ludicro fuisse dicatum, sub octauum Cal. Quintileis, quo ipso tempore Troiam à Græcis captam fuisse author est idem Halicarnassæus, 17. diebus ante solstitium. In his autem, inquit Onuphrius, vbi de anno, & die vrbis conditæ disserit, Eratosthenes Cyrenæus, Apollodorus, & qui eos secuti sunt Q. Catulus, & Cornelius Nepos. Marcus item Cato, Diodorus Siculus, Dionysius, T. Liuius, & Theophilus Antiochenus. *Collatis*, ait Solinus, *nostris, & Græcorum temporibus, inuenimus incipiente Olympiade septima Romam conditam, anno post Ilium captum* 433. legendum 432. vt exigit recta supputatio, & docent sequentia: pergit. (l. 1. p. 51. gr. lat. Com in 1. Fastor. cap. 2. Poly.)

VIII. *Et nominatim Solino.* Quippe *certamen Olympicum, quod Hercules in honorem attaui materni Pelopis ediderat, intermissum, Iphitus filius eius instaurauit, post excidium Troiæ, anno 408. Ergo ab Iphito numeratur Olympias prima. Ita sex mediis Olympiadibus interiectis, quibus singulis anni quaterni imputantur, cum septima cœptante Roma condita sit, inter exortum vrbis, & Troiam captam iure esse quadringentos annos, & 33. constat.* Hic quoque legendum 32. Nam si octauus est primus Olympiadis primæ, vt ipse affirmat, trigesimus secundus erit primus septimæ, vt numeranti patet. Hanc sententiam optimi quique è recentioribus Scriptoribus secuti sunt; etsi non omnes de primo anno Ioathami consentiant. Consentit tamen Torniellus, qui instar multorum esse possit. Idque deinceps consequentium annorum ratio, ad initium regni Cyri, quod omnes fatentur incidisse in primum annum Olympiadis 55. apertè confirmabit: sicut & anni captiuitatis, siue desolationis 70. Et ex antiquis, Eusebio teste, Africanus, quod legitur quoque in chronico Alexandrino. Primus tamen Ioathami annus ab eo non ponitur, vt supra dicebamus. (*Et recentior.* in chron.)

IX. *Statuitur hoc initiu.* Sit ergo nobis hic primus annus primæ Olympiadis, vel annus potius in quo primum ludi Olympici, ab Iphito Elæorum rege restituti sunt, qui olim ab Hercule Idæo instituti, vt Pausaniæ placet, & variis ex causis intermissi, & redintegrati, tandem post annos a prima institutione 427. vt ait Clemens Alexandrinus, vel vt Beda 430. vel vt vult Eusebius 340. ab Iphito ita restituti sunt, vt deinceps in multa sæcula propagati fuerint, & quasi certissima temporum nota, à Græcis, aliisque eorum exemplo, vsurpati: vt anni vrbis conditæ à Romanis. In hoc initio Olympiadum in agone gymnico Chorœbus Eliensis victor extitit, vt ait Eusebius in Chron. At Pausanias. Ex eo tempore quo continua serie Olympiades memorari cœptæ sunt, cursus primum proposita sunt præmia: quæ Chorœbus Elæus obtinuit. (Pontac in notis, col. 343. *Corœbus quo agone victor.* l. 5. p. 154. gr.)

X. *Ioathamus Pontifex.* Hoc ergo primæ Olympiadis anno primo, eodemq; à Troiana clade 408. cum nouo Iudæorum rege nouum quoque pontificem de more damus; cuius rei causam iam sæpius [a] tradidimus. Hebræi in chronico minore: *Ioatham*, inquiunt, *filius Oziæ, sedecim annis post ipsum regnauit. Pontifex autem Ioatham, & ipse regis habens nomen.* Chronologiæ autem annorum vtriusque regis author est Sacer historicus [b]. *Anno*, inquit, *secundo Phacea, filij Romeliæ regis Israel, regnauit Ioatham filius Oziæ regis Iuda.* Ex quo corrigendus est Bergomas, qui scribit vtrumque regem eodem anno regnare cœpisse. Et Eusebij Chronic. quod componit primum Ioatham, cum 3. Phaceæ.

Solinus in Polyhistore, cap. 53. ait Hesiodum poëtam in auspiciis Olympiadis primæ obiisse, 138. annis post Homerum. Verum quid nobis super vtriusque ætate videretur, suis locis diximus: & nominatim de Hesiodo [c], anno qui fuit Osiæ vigesimus Inuenies etiam inferius apud Eusebium initio Olympiadis tertiæ, aut medio quartæ, in editione Scaligeri, Hesiodum claruisse, ex diuersis diuersorum opinionibus.

a vide 19. Ioas regis. Iudæ.
b 4. reg. 15. 32.
c a. m. 3245.

ADDO hic egregiam Chronologiæ nostræ confirmationem, à S. Cyrillo Alexandrino petitam. Is libro 1. in Iulianum sic habet. Συνάγονται τοίνυν ἔτη τὰ ἀπὸ Ἰλίου ἁλώσεως μέχρι τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος ἔτη πέντε καὶ τετρακόσια: ἀπὸ δὲ τῆς Μωσέως γενέσεως, ἕως τῆς αὐτῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος πεντεκαίδεκα ἔτη, καὶ ὀκτακόσια. Colliguntur itaque ab euerso Ilio, vsque ad primam Olympiadem anni quinque, & quadringenti: ab ortu vero Mosis, vsque ad eandem primam Olympiadem anni quindecim supra octingentos. Ita S. Cyrillus in manuscripto egregio; quæ accuratissimè cum nostra temporum ratione consentiunt. Initio enim secundi tomi habes natum Mosem anno mundi 2464. à quo anno numerato, vsque ad præsentem, quem præfert index anni huius 3278. annos omnino reperies octingentos, & quindecim. XI. *Anni à Mose confirmantur.*

POSTREMO addendum est hoc anno videri mortuum apud Assyrios Phulem, qui Sardanapalo successit, anno regni sui 42. Etsi non ignorem passim à plerisque illi tributos fuisse annos 48. duce Annio Viterbiensi, quem Torniellus quoque secutus est, vt anno Phulis 1. dictum est. Nobis autem cùm nihil idoneæ causæ subesset, cur differremus initium regni eius, eum statim Sardanapalo suffecimus. Nunc cùm idoneos authores habeamus, cur illi sequenti anno successorem demus, vt mox dicturi sumus, necessario eum hoc anno, cum initio Olympiadum, & regnandi, & viuendi finem fecisse dicemus. Ab hoc rege plerique existimant rem Assyriorum, pene cum Sardanapali morte collapsam, erigi, firmarique cœpisse: quod ex re ab eo gesta, cum Manahe Israëlitarum rege, admodum probabile redditur.[a] XII. *Mors Phulis.*

[a] 4. Reg. 15. 19.

*SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3278. & IOATHAMI I.*

| Annus mundi | Ioathami | Olymp. | pr. a. | |
|---|---|---|---|---|
| 3278. | 1. | | 1. | |
| 3279 | 2 | | 2 | 1. capt. Israël. |
| 3280 | 3 | | 3 | |
| 3281 | 4 | | 4 | |
| 3282 | 5 | II. | 1. | |
| 3283 | 6 | | 2 | Concept. Romuli. |
| 3284 | 7 | | 3 | Ortus Romuli. |
| 3285 | 8 | | 4 | |
| 3286 | 9 | III. | 1. | |
| 3287 | 10 | | 2 | |
| 3288 | 11 | | 3 | |
| 3289 | 12 | | 4 | |
| 3290 | 13 | IV. | 1. | |
| 3291 | 14 | | 2 | |
| 3292 | 15 | | 3 | |
| 3293 | 16 | | 4 | |
| 3294 Achaz | 1. | V. | 1. | |
| 3295 | 2 | | 2 | |
| 3296 | 3 | | 3 | |
| 3297 | 4 | | 4 | |
| 3298 | 5 | VI. | 1. | |
| 3299 | 6 | | 2 | |
| 3300 | 7 | | 3 | |
| 3301 | 8 | | 4 | |
| 3302 | 9 | VII. | 1. | vrbs cond Romuli, 1. |

## ANNVS MVNDI 3279. QVINTÆ ÆTATIS 340. FVNDATI TEMPLI 257. IOATHAMI REGIS IVDÆ 2. PHACEE REGIS ISRAELIS 3. IOATHAMI PONTIFICIS. 2 TROIAE EXCISÆ 409. TEGLATHPHALASARIS 1. IMPERII ASSYRIORVM 1347. OLYMPIADIS 1. ANN. 2.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 774.

I. *Ratio temporis, & initium Teglath-Phalasar.*



SECVNDVS annus primæ Olympiadis Hebræis, & nominatim regno Israëlitarum luctuosissimus fuit. Quam enim regionem Iehu, & filius eius Ioachaz, Azaële, & filio Benadado Syriæ regibus victoribus, amiserāt, quamque ex singulari Dei benignitate Ioas, & Ieroboamus facti saluatores Israëlis recuperauerant, eam nunc ab Assyrio rege subiugari cœpti, penitus, ac nunquam recuperandam amiserunt. Temporis mihi bonus author S. Hieronymus, libro primo commentariorum in Oseam.[a] *Legamus*, inquit, *Regum & Paralip. libros, & inueniemus sub rege Phacea, qui regnabat decem tribubus, venisse Teglath phalasar regem Assyriorum, & magnam populi Samariæ in Assyrios transtulisse. Quo tempore apud Græcos secundus annus primæ Olympiadis fuit, & apud Latinos (necdum Roma condita fuit) Albæ vigesimo anno Amulius imperabat, quem postea Romulus regno pepulit.* Hactenus eo loco Hieronymus. Quæ cum ab Eusebij chronico mutuata sint, liquet nominum sedes in eo libro nonnihil esse luxatas. Nam ibi, vt alia taceam, annus Amulij 22. respondet anno secundo Olympiadum. Nobis autem, Hieronymi correctionem secutis, hic annus est vigesimus Amulij: nam primum ad annum mundi 3260. retulimus. a Sub. fin. 1. 2.

II. *Regnum Phacea.* PHACEE quidem res gestas tenebris obrutas Scriptura reliquit, contenta communi illa querela, quam tanquam solemne carmen subinde iterat.[b] *Et fecit quod erat malum coram Domino, non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel.* Cæteráque etiam gessit, quæ consentanea sunt homini, qui per vim, ac tyrannidem, regisque sui cædem, imperium arripuisset; nam huiusmodi principes dominatum nouum, multa cæde cognatorum, & amicorum præcedentis principis, omniumque sibi suspectorum stabilire solent; sicque congregabat contra se, regnumque suum diuinam iram, quæ hoc ipso anno solito vehementius effundi cœpit. Quidquid enim hactenus mali Israëlitæ à Iudæis, & maximè à Syria perpessi sunt, minus est quàm quod ab Assyriis pertulerunt, propter mali diuturnitatem: iacturam scilicet libertatis, & patriæ, exiliumque inter gentes barbaras sempiternum. b 4. Reg. 15. 28.

III. *Ab Assyriis truncatur.* OMISSIS ergo cæteris Scriptura cladem tantum, quæ, eo regnante, regnum Israëlitarum afflixit, enarrat his verbis. *In diebus Phacee regis Israel, venit Teglath-Phalazar rex Assur, & cæpit Aion, & Abel domum Maacha, & Ianoe, & Cedes, & Asor. & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terram Nephtalim, & transtulit eos in Assyrios.* Hæc 4. Reg.[c] Quibus addenda alia pars cladis, ex 1. Paral.[d] *Et suscitauit Deus Israel spiritum Phul, regis Assyriorum, & spiritum Teglath-Phalazar regis Assur, & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Hara, & fluuium* Gozan, *vsque ad diem hanc.* Hæc ibi, vtrumque locum expressit Iosephus,[e] omissa aliquot vrbium enumeratione. *Huius temporis*, inquit, *Teglath-Phalasar Assyriorum rex Israelitas aggressus, subacta* Galaaditica *regione, & quidquid trans* Iordanem *colitur, vicinaque Galilæa, & Cydida, & Azora* (sic appellat Cedes, & Azor ciuitates tribus Nephtalim) *colonos abstractos in suum regnum traduxit.* c c. 15. 29. d c. 5. 26. e l. 9. c. 11.

IV. *Quanta fuerit ea clades.* Ex quibus intelligitur quanta fuerit hæc prima calamitas Israëlitarum, quum ea duas tribus cum dimidia trans Iordanem amiserint, tribum scilicet

Ruben,& Gad,& dimidiam tribum Manassis; cis Iordanem autem totam tribum Nephtalim,qua tota superior Galilæa,quæ Gentium dicta est,continetur. D.Hieronymus,in capite 1.Oseæ,obiter ista recensens, ad plures videtur historias, cladesue hanc primam iacturam referre, cum ait: *Occiso Zacharia, qui fuit vltimus de stirpe Iehu,statim reges Assyrij cœperunt Ruben,& Gad,& dimidiam tribum Manasse,quæ erat trans Iordanem; & deinde multas ciuitates Samariæ: & deinde totam Nephtalim; ad extremum omnes reliquas tribus.* Sed hæc ipse, vt dixi,obiter: cuius signum est,quod dicit statim post mortem Zachariæ hæc contigisse, cum tamen ab eius morte annus agatur decimus sextus, à 39. scilicet Oziæ, vsque ad 2. Ioathami. Nec illæ ciuitates regni Samariæ alio tempore, quam tribus Nephtalim captæ fuerunt; omnes quippe ad tribum Nephtalim pertinebant.

V. *Dei in castigando clementia.* HIC iam serio cœpit Dominus vlcisci tam diuturnam impietatem regum; & populi Israëlitici. In qua ipsa castigatione,quam inuitè ad verbera diuina clementia in populum suum procedat, facilè animaduerti potest. Nam priùs, vt paulo ante dicebamus,ita eis regionem suam abstulit,vt postea redderet. Deinde ex eo agnoscitur, quod post expectatam ducentos, [a] & viginti annos populi huius conuersionem, & toties ingeminatas minas,cùm tempus vltioni destinatum aduenit; per partes hunc populum regno, & terra, quam dederat patribus eius,priuare voluit; si fortè qui remanebant adhuc [b] in terra sua, suique iuris erant resipiscerent: & in animum inducerent omnem idololatriam, & quæ ei coniuncta sunt scelera detestari, vt Deus ab vltione cessaret, atque adeo in pristinum eos statum reuocaret.

[a] ab a.3060 ad a.3279.

[b] Vide 2. Paral.c.30. toto.

VI. *Quæ belli causa.* ET quoniam non venit ex propria intentione Assyrius, Phacee, & populi eius scelera puniturus (id enim agebat Deus per Assyrium rei totius ignarum, & alia omnia cogitantem) expeditionis eius,bellique causam suspicari licet negatum tributum, quod Manahe Phul patri eius pendere consueuerat. Mutatis enim vtroque in regno regibus, grauissimum hoc iugum, quo regni facultates omnes exhauriebantur, præter ignominiam seruitutis, Phacee excutere voluerit; sed magno suo malo; quippe qui magna regni sui parte mulctatus est, sic vt regionem simul cum populo,qui alio transportabatur amitteret,barbaris in eorum locum succedentibus, vt ille plane de recuperatione desperaret: fortassis etiam Phacee reliquam vt regni sui partem retineret, eodem quo antea Manahem tributo,aut moderatiore aliquanto redemit.

VII. *Medi etiānunc Assyriis subiecti.* QVI porro nominatim abducti sint in Assyrios hoc tempore, non inuenio, præter Beera principem in tribu Ruben, [c] quem interlin. ait fuisse patrem Ozee prophetæ; cui repugnat Epiphanius, qui eum asserit fuisse de tribu Issachar. Sed illud minime omittendum videtur hoc loco, quod colligi potest ex locis ad quæ abducti,& translati sunt Israëlitæ hoc tempore, nimirum Medos etiamnunc Assyriorum imperio paruisse. Nam in libro Regum dicuntur translati in Assyrios,à Theglath Phalasar rege Assyriorum. In libro autem Paral.explicatius nominantur ciuitates, & fluuius Gozan, ad quem collocati sunt. Postremo autem illæ ipsæ ciuitates,quæ sitæ sunt iuxta eundem fluuium, dicuntur ciuitates Medorum. [d] Oportet ergo vel Mediam esse Assyriam, quod absurdum est; vel Medos Assyriis fuisse subiectos: neque enim Assyrij seruos suos Israëlitas, ad regionem alterius principis, sibi non subditi, amandassent: quæ Tostati quoque sententia est. [e]

[c] 1.Paral. 5.6.

[d] 4.Reg. 17.6 & rursum c.18. 11.

[e] 4.Reg. 15 q.27 fin.

VIII. *Arctinus Epicus poëta.* AD hunc annum secundum primæ Olympiadis refert Eusebius in Chron. [f] Arctinum Milesium, quem plurimum floruisse ait, ἐπὶ πολὺ ἤκμαζεν. Fortasse Hieronymus interpres legit ἐποίει. Vertit enim versificatorem florentissimum: epitheto non solùm alludens ad verbũ ἤκμαζεν,sed subleuans etiam versificatoris humilitatem. Est enim ἐποποιὸς Epicus poëta,scriptor heroici carminis. Ita certè legit Cyrillus Alexandrinus libro 1. in Iulianum ἐννάτῃ Ὀλυμπιάδι, inquit, μάλιστα ἐποποιὸς Ἀρκτῖνος λέγεται γενέσθαι. Neque opus est distinctiùs annum notari; pluribus enim annis egregij viri florere solent. In editione Pontaci ponitur hic poëta initio primæ Olympiadis.

[f] edit. Scalig.

ἐποποιός.



## ANNVS MVNDI 3280. QVINTAE ÆTATIS 341. TEMPLI FVNDATI 258. IOATHAMI REGIS IVDÆ 3. PHACEÆ REGIS ISRAELIS 4. IOATHAMI PONTIF. 3. EXCISÆ TROIÆ 410. TEGLATH-PHALASARIS 2. IMPERII ASSYRIORVM 1348. OLYMPIADIS I. AN. 3.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 773.

I. *Rhea Siluia Vestæ cõsecratur.*

DIONYSIVS libro 1. Romanæ historiæ author est Amulium Latinorum regem, post necatum in venatione Numitoris filium, à quo sibi timebat, ne paternæ euaderet vltor iniuriæ; etiam animum ad alterum facinus adiecisse, & specie religionis, ac pietatis assumpta, Rheam Siluiam, siue Iliam neptem ex eodem Numitore suam, iam nubilem, Vestæ sacerdotem consecrasse, vt perpetuæ castitatis voto nuncupato, nulla inde proles existeret. Fortasse autem ea lex apud Albanos mitior fuit. Ait enim Dionysius [a] has puellas non minus quinquennio puras à nuptiis manere debuisse. Quarto autem anno grauidam effectam fuisse; nimirum secundo anno secundæ Olympiadis. Sicque Romulus, & Remus nati fuerint anno tertio; deinde duodeuiginti annos nati, vrbem condiderint initio septimæ Olympiadis.

[a] l. 1. p. 61. Græc. Lat.

II. *Gesta Ioathami.*

CÆTERVM cùm hoc tempore Ioathamus pacifice in regno ageret, & alioqui pius esset, videtur his primis regni sui annis ad templi ornatum animum adiecisse, & ædificasse *portam domus Domini sublimissimam.* [b] Hebr. & Chald. vocant portam superiorem; sicut & Septuaginta Sixti. Septuaginta vero Complut. sublimem. In Paral. eadem porta vocatur excelsa. Vatablus ait fuisse portam templi orientalem: Rabanus dicit eam esse, quæ in Actibus Apostolorum, dicitur speciosa, & ab Hebræis porta Ioatham. Ei repugnat Lyranus, quoniam templi porta, quam Ioatham ædificauit, cum reliquo templo incendio periit, sub Sedechia, & Nabuchodonosore: quod probabilius est, quam quod quidam aiunt, eam solam Dei nutu, in euersione templi, & vrbis per Chaldæos facta, integram permansisse.

[b] 4. Reg. 15. 35.

III. *Porta sublimis cui vsus.*

MERITO autem porta sublimissima, & excelsa, intelligitur orientalis: nulla enim erat excelsior, siue portæ nomine templi ostium accipiamus, cui vsque ad fornicem 32. cubitos altitudinis tribuit Villalp. latitudinis autem 14. siue orientalem faciem vestibuli templi, quæ ad centum, & viginti cubitos erigebatur: sed hæc alibi satis pro instituto tradita sunt. [c] Quo factum est primum vt facilius ex remotis locis templi facies conspici posset. Deinde vt ab iis, qui in atriis erãt, reductis velis atriorum, oculi facilius in interiora templi coniici possent; & tum velũ oraculi, tum altare thymiamatis, candelabra item, cum lucernis, mensæ cum panibus à populo venerabundo conspici, atque honorari. Hanc igitur portam, vel faciem ipsam ædificasse dicitur Ioatham, id est restaurasse; ex quo vel Ioas templi ædificia reparauerat, ante annos centum, vel Salomon ipse eius conditor, ante 220. nam ędificare pro restaurare positum, non semel inuenimus. Vatablus hanc portam non ipsius templi, sed atrij Israëlitarum esse ait; at de ipso templo Iosephus intellexit.

[c] a. m. 3024 n. 9.

IV. *Sicut & murus Ophel.*

IN *muro etiam Ophel* Ioatham *multa construxit,* [d] siue multum ædificauit, vt Hebræi, & Septuag. Ophel plerique arcem, siue turrim altissimam interpretantur. Villalp. in sua imagine Hierusalem, constituit Ophel locum illum totum, qui à parte orientali templi, & muro ciuitatis intercipitur, ex quo ea pars muri, diceretur murus Ophel; in quo loco Ioatham ad quatuor stadiorum spatium multum ædificauit. Quidam murum Ophel vertunt murum cliui, & ad occasum templi

[d] 2. Paral. 27. 3.

a 1. Paral. 13.14.

collocant, quibus fauere videtur Scriptura. [a] Nomine etiam Ophel habitatio Nathinæorum, siue Gabaonitarum vocabatur, qua de re alius erit dicendi locus.

b ca. 27. 4.

V. Vrbes ab eodem ædificatæ. Aliaque opera ex Iosepho.

VRBES *quoque ædificauit* [b] *in montibus Iuda, & in saltibus castella, & turres*: vt scilicet inde speculari hostium aduentum possent, ibidemque præsidio essent viatoribus, & ciuitati Hierosolymorum; quæ ædificia ad multos annos operas detinere potuerunt. Hæc autem Iosephus more suo amplificauit. [c] *Porro Iothamus*, inquit, *Oziæ filius regnauit in tribu Iuda, & Hierosolymorum regia, natus matre vrbani generis, nomine Ierasa. Huic regi nulla virtus defuit, erga Deum pio, iusto erga homines, & Reipub. studioso. Quæcumque enim instauratione, vel ornatu indigebant, diligenter sarciendum curauit; in templo porticus refecit, & propylæa*; (interpres reddit vestibulum, cum anteriorem potius templi, & vestibuli faciem significet, quam nomine portæ Iosephus intellexit, sed pergit.) *Quæcumque in muris deciderant ædificatu permagnis turribus, & expugnatu difficilibus: & in reliquis si quid quod ad regiam pertineret, neglectum fuerat, multam restaurationem adhibuit.*

c l. 9. c. 11. sub fin.

VI. Nonnihil corrigitur.

VIDETVR Iosephus oblitus, quæ hoc ipso capite 11. de Ozia patre Ioatha-
1. mi dixerat. Quidquid mœnium vel vetustate labefactatum erat, vel superiorum
2. regum incuria, totum instaurasse. Propylæum templi obiter Iosephus refecit, &
3. portam mutauit in porticum, & pro muro Ophel, muros Ierusalem reposuit; &
4. in iis maluit turres ædificare, quàm in saltibus. Et tamen in montanis Iudæ vr-
5. bes omisit, quas vel suis locis videre potuit, vel certè in Hebræis, Græcisque codicibus legere.

## ANNVS MVNDI 3281. QVINTAE AETATIS 342.

TEMPLI FVNDATI 259. IOATHAMI REGIS IVDÆ 4.
PHACEÆ REGIS ISRAELIS 5. IOATHAMI PONTIF. 4.
EXCISÆ TROIÆ 411. TEGLATH-PHALASARIS 3. IMPERII ASSYRIORVM 1349.
OLYMPIADIS 1. AN. 4.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 772.

I. Variæ opiniones de ortu Romuli.

PLERIQVE scriptores Romuli, & Remi natiuitatem in primam Olympiadem referunt, anno eius distinctius non notato, vt Cyrillus Alexandrinus libro primo in Iulianum; vbi de prima Olympiade agens. *Romus*, inquit, sic enim vocat, *& Romulus nati sunt regnante in Iudæa Ioathamo, & in Israel Phacee.* Apud Eusebij chronicum in præsenti anno, quarto primæ Olympiadis, eorum ortus indicatur, in editione Scaligeri. S. Hieronymus in epistola 142. ad Damasum, ait eorum ortum ab Eusebio relatum in eum annum, quo mortuus est Ozias; quóque Esaias insignem illam visionem contemplatus est: quæ habetur cap. 6. prophetiæ eius. Ex quo sequeretur Romulum non decimo octauo anno ætatis, vt Dionysius, Ouidius 3. Fastorum, Solinus, aliique prodiderunt; sed vigesimo quarto vrbem condidisse.

ANNVS MVNDI 3282. QVINTÆ ÆTATIS 343. FVNDATI TEMPLI 260. IOATHAMI REGIS IVDÆ 5. PHACEÆ REGIS ISRAELIS 6. IOATHAMI PONTIFICIS 5. TROIAE EXCISÆ 412. TEGLATH-PHALASARIS 4. IMPERII ASSYRIORVM 1350. OLYMPIADIS II. ANN. I.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 771.

I. *Secundæ Olympiadis initiũ.*

IN secunda Olympiade victor in stadio proditur Antimachus Eliensis, vt in actis Olympicorum certaminum perscriptum est: quæ habentur Græcè in thesauro temporum, [a] & inscribuntur Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ, quo libello sæpius deinceps vtemur. Ad hunc primum huius Olympiadis annum quidam conceptum Romuli retulerunt. Nam L. Tarutius Mathematicus, apud Plutarchum in Romulo, incitatu M. Varronis, ex vita, gestisque, ac morte Romuli diuinare aggressus est, quo is anno, atque adeo quo mense, die, atque hora natus esset. Omnibus enim illis inter se compositis audacter, intrepidéque pronunciauit Romulum conceptum fuisse anno secundæ Olympiadis primo, vigesimo tertio die mensis eius, qui Ægyptiis est Chœac, id est December, hora tertia, cùm sol totus deliquium pateretur. Natum autem esse mensis Thoth, die 21. circa solis ortum, anno videlicet secundo secundæ Olympiadis.

*Opinio Tarutij de Romuli ortu.* — [a] p. 317.

II. *Improbatur.*

HANC opinionem, vt mathematicis præsidiis nixam, quidam indubitatam putant, de eaque consuli potest Mullerius in examine temporum, titulo de Romuli conceptu. Nam quod M. Tullius libro 2. de diuin. L. Tarutium Firmanum absurdè coniectare putat, id non ad Romuli natiuitatem, sed vrbis natalem diem retulisse certum est; nihilominus quàm solidè etiam de conceptu Romuli pronunciarit non immeritò ambigi potest. Buntingus certè Mathematicus illum vno anno à vera supputatione aberrasse contendit. [b] Et Plutarchus haud obscurè rem totam temere assertam putat, & in fabulis numerandam; neque id iniuria. Non enim vlla est ars, qua istiusmodi notitia, quam Tarutius ex Varrone accepit, alicuius ortus definiri possit, nisi cum magna probabilitate mentiendi. Nulla est enim necessaria connexio inter mortem, resque in vita gestas, & principium vitæ, vt vnum ex altero certò concludatur; sed oportet eam notitiam à patre mendacij proficisci.

[b] an. mun. 3199.

ANNVS MVNDI 3283. QVINTAE ÆTATIS 344. TEMPLI FVNDATI 261. IOATHAMI REGIS IVDÆ 6. PHACEÆ REGIS ISRAELIS 7. IOATHAMI PONTIF. 6. EXCISÆ TROIÆ 413. TEGLATH-PHALASARIS 5. IMPERII ASSYRIORVM 1351. OLYMPIADIS II. AN. 2.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 770.

I. *Annus Iubilæus 14. Sabbaticus 100.*

INCIDIT in hunc annum Iubilæus 14. Nam ab ingressu Israëlitarum in terram Chanaam, hic annus est septingentesimus. Si enim ad 440. ante templum, addiderimus 260. septingentos efficiemus. Verùm quoniam quadringentesimus quadragesimus annus, est reuera primus templi, ne bis idem annus computetur, hæc tota summa ex duabus aliis conflanda est, scilicet 439. & 261. Ideoque Torniellus rectè

hunc annum Iubilæo decimo quarto assignauit. Incurrit in hunc ipsum annum Sabbaticus, ordine centesimus: necesse enim est in annis septingentis centum annorum septenaria reperiri.

II. Conceptio Romuli, & Remi.

Insignis est hic ipse annus eclipsi solis antiquis, recentioribusque celebrata scriptoribus. Nam præter Firmanum illum Tarutium, quem ante memoraui, qui tempore concepti Romuli, & Remi totum solem deliquium passum scribit, Dionysius sub inuolucro fabulæ rem eandem celebrauit. *Quarto post anno*, inquit, ex quo scilicet Rhea Siluia Vestæ sacerdos consecrata fuerat, *Illa sacrorum causa puram aquam in Martis luco petenti, stuprum in fano nescio quis intulit. Quidam dicunt vnum è procis eius fuisse, amore captum virginis. Alij verò ipsum Amulium insidiantem potiùs, quàm libidini seruientem, corpore armis ad summum terrorem septo, cunctisque faciei notis, quantum fieri poterat, obscuratis. At plurimi* [a] *fabulantur numen ipsum, cuius id fanum erat, se puellæ hac specie obtulisse, quippe quod præter alia diuinitatis effecta solem quoque obscurarit, & tenebris cœlum obduxerit.* Hæc ibi. Huiusmodi autem eclipsim poëtæ more suo in fabulæ argumentum vertere.

[a] in his Ouid. 3. Fast. init.

III. Eclipsi nobilitata.

Facta est hæc eclipsis, inquit Buntingus in septimo gradu Tauri, die Solis, circa meridiem, in ipso ferme capite Draconis. Incidit autem in vltimum diem mensis Nisan apud Hebræos; apud Ægyptios autem in tertium diem mensis Athyr: & primum Thargelionis apud Græcos. Sed si annos Iulianos retro cogitemus, factus est hic defectus Solis 5. die Maij, nono deinde mense nati sunt Romulus, & Remus, Sole extremam partem Capricorni perambulante: Hæc ille. Quæ nobis Chronologia eò magis arridet, quo magis respondet ætati, qua feruntur vrbem condidisse. Nonnullum etiam, hoc quidem tempore, fauorem conciliat huic mathematico, quod in annis ante Christum, nobis cum eo planè conuenit.

IV. An vera, vel ambitiosè ficta.

Si quis tamen huic eclipsi fidem abrogare vellet, diceret non absurdè nubilum cœlum, obscurumque aërem, in eclipsim ab iis commutatum, qui Romana initia augustiora reddere voluerunt. Nam M. Octauius, & Licinias Macer, vt est in libello, de origine Romanæ gentis, [b] quem Aurelii Victoris esse Andreas Scottus demonstrat, tradunt Amulium, patruum Rheæ sacerdotis, amore eius captum, nubilo cœlo, obscuroque aëre, cum primum illucescere cœpisset, in vsum sacrorum aquam petenti insidiatum, in luco Martis eam compressisse. Ex eadem hæc ab istis ficta videntur ambitione, qua impurum stupratorem diuinitate affecerunt. *Quia Deus honestior culpæ author erat, Martem incertæ stirpis patrem nuncupat, vt compressa Vestalis*, vt ait Liuius. In quo tamen crimine licet diuinum in Amulium animaduertere iudicium, qui gemino incesto perpetrato, factus est eorum parens, à quibus regno ac vita priuatus est.

[b] Apud Dion. Halic Græc. Lat. p. 776.

ANNVS MVNDI 3284. QVINTÆ ÆTATIS 345.
FVNDATI TEMPLI 262. IOATHAMI REGIS IVDÆ 7.
PHACEE REGIS ISRAELIS 8. IOATHAMI PONTIFICIS
7 TROIAE EXCISÆ 414. TEGLATH-PHALASARIS 6.
IMPERII ASSYRIORVM 1352. OLYMPIADIS II. ANN. 3.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 769.

I. Natiuitas Romuli & Remi.




IVXTA ea quæ proximis tribus annis de ortu fundatoris Imperij Romani disputata sunt à nobis, præsens annus, & quidem iniens, primus erit Romuli, & Remi fratris eius. Si enim quintus dies Maij eorum conceptu insignitur, nonus mensis in Februarium ineuntem cadet: quod tempus decem diebus à Buntingo [c] decurtatur. De partu Rheæ Siluiæ scribit Dionysius, [d] eam post vim acceptam, quo ipsa esset tutior, infirmitatem matris monitu

[c] in Chron. an m 3198.
[d] l. 1. ant. Rom.

prætexuiſſe, &, vt nulla ſacris fieret iniuria; à re diuina abſtinuiſſe, cùm Amulius ſiue facti conſcientia, ſiue ſuſpicione veriſimili motus, re anxiè perquiſita, didicit neptem vterum ferre; diuinámque generationem cauſari, & oraculum de gemina prole datum. Rex cuſtodes parturienti dedit, à quibus mox nunciatum eſt editos geminos infantes paruulos.

II. *Supplicium Rheæ Siluiæ.* Amulius rem ad iudices detulit, qui agnita Regis implacabili mente, eandem & ipſi dixerunt ſententiam, vt iuxta legem mater, ob violatam pudicitiam, virgis cæſa necaretur. proles verò abiiceretur in fluuium. Sunt qui confeſtim necatam puellam dicant, alij coniectam in occultum carcerem, eumque perpetuum, vnde clam necatam eſſe vulgò creditum fuiſſe. Dediſſe autem hoc Amulium filiæ precibus, poſtulantis vt ſibi patruelis donaretur. Erant enim æquales, vnà fuerant educatæ, ſeque vt ſorores inuicem diligebant. Itaque Amulium in eius gratiam, quippe quam vnicam habebat filiam, Iliam mortis periculo liberaſſe, ſic tamen vt clam teneretur in carcere, ex quo extincto Amulio liberata ſit. Priorem ſententiam de necata Siluia prodiderunt M. Octauius, & Licinius Macer: poſteriorem ſecutus eſt T. Liuius. Vtramque vt probabilem retulit Dionyſius.

III. *Expoſiti infantes.* De natis autem ex Ilia pueris, ait Dionyſius, Q. Fabius Pictor, eumque ſecuti L. Cincius, Porcius Cato, & Calphurnius Piſo, aliique ſcriptores complures tradunt infantes Amulij iuſſu in alueo deportatos, proiiciendos in flumen Tiberim; qui cum latè præ imbrium copia reſtagnaſſet, miniſtri alueum ad Palantij montis radices, quas aqua alluebat, depoſuerunt, quod vltra per aquam progredi non liceret; qui aliquandiu fluitans, tandem paulatim recipiente ſe vnda, impactus ſaxo, & ſubuerſus effudit infantes, qui dum vagientes in cœno volutantur, lupa forte ſuperueniens, diſtentis à recenti partu vberibus, mammas eis præbuit, lingua ſimul ablambens lutum, quo ſe inquinauerant. *Et liberati à lupa.* Addit Liuius Fauſtulum feram lingua lambentem pueros inueniſſe, acceptoſque ad vxorem Laurentiam ad ſtabula detuliſſe, & tradidiſſe educandos; quoniam illa recens, vt ait Dionyſius, infantem mortuum ediderat. Sunt qui Laurentiam vulgato corpore lupam inter paſtores vocatam putent, inde locum fabulæ, ac miraculo datum. Ita Liuius, ex quo cæteri paſſim.



## ANNVS MVNDI 3285. QVINTAE AETATIS 346.

TEMPLI FVNDATI 263. IOATHAMI REGIS IVDÆ 8.
Phaceæ Regis Israelis 9. Ioathami Pontif. 8.
Excisæ Troiæ 415. Teglath-Phalasaris 7. Imperii Assyriorvm 1353.
Olympiadis II. an. 4.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 768.

I. *Ortus Ezechiæ.* N hunc annum Romuli ſecundum incidit natiuitas Ezechiæ Regis, qui cùm vigeſimo quinto ætatis anno regnare cœperit, oportet eum ſedecim cum patre, & octo cum auo vixiſſe, vel potius quindecim cum patre, & nouem cum auo, quoniam hic octauus Ioathami annus, eſt primus vitæ Ezechiæ: & vltimus Achaz, pro primo etiam computandus eſt Ezechiæ, vt poſtea dicetur. Sed illud eſt admirabile, quod Achaz, qui hoc patris ſui anno octauo agebat annum duodecimum, & quidem tantum inchoatum, habilis generando filio eſſe potuerit, imo & anno vndecimo, ſi enim hoc anno natus eſt Ezechias, ſuperiore vtique genitum eſſe oportuit.

II. *Quæ patris ætate.*

In hoc nodo expediendo multi se iampridem exercuerunt, in primisque D. Hieronymus epistola 132. ad Vitalem: vbi hanc difficultatem non tam tollit, quàm auget Salomonis exemplo, quem contendit anno 10. vel 11. ætatis genuisse Roboamum: sed facilè huic exemplo satisfactum à nobis videtur suo loco. Respondet autem D. Hieronymus huic obiectioni, primo multa etiam alia in Scripturis dici, quæ videntur incredibilia, & tamen vera sunt: neque valere naturam contra naturæ Dominum. Itaque miraculum esse authoris naturæ, qui eam fœcundam ante legitimum tempus réddiderit. Quod ipse simili exemplo confirmat mulierculæ, quæ de puero decem annorum conceperat, Deo mulieris impurissimam libidinem vindicante. Vnde secundo respondet id eorum libidini tribuendum esse, qui etiam eo tempore peccare cœperint, quo natura non patitur; significans quasi præcocem factam esse naturam: cuius rei nonnullum signum esse potest, quod non diu vixerit Achaz; triginta scilicet, & sex annos duntaxat. Quo enim quidque citius maturitatem, & perfectionem suam attigerit, eò citiùs etiam deflorescit, ac deficit.

*Prima responsio Hieronymi.* *Secunda.*

III. *Tertia improbabilis.*

Respondet tertio fieri posse vt pluribus annis regnauerit, cùm potuerit etiam pluribus annis cum patre regnasse, qui tamen patri tribuantur, & non filio, vt de Ioathamo ipso constat; qui aliquot annis regnum administrauit viuente patre, qui tamen non ipsi, sed patri annumerantur; & sic 24. vel 25. ætatis suæ anno solus regnare cœperit, qui vigesimo dicitur regnare cœpisse. [a] Sed hoc ex Iosepho infirmari potest, qui [b] Scripturæ consentiens, ait Achaz triginta sex annis vixisse, & ex iis sedecim regnasse. At si detur vigesimo quinto ætatis, siue solum, siue cum patre regnare cœpisse, quadragesimum annum viuendo superauerit.

[a] 4. Reg. 16.2.
[b] l. 9. c. 13.

IV. *Quarta itidem.*

Addit postremo ex quodam Rabino, non statim Ezechiam à patris morte regnasse, sed aliquid turbarum intercessisse; quod ipse merito fabulam vocat: etsi eam Baradius [c] non valde improbet. Id enim est non solum temerè diuinare, sed etiam varias Scripturæ supputationes arguere falsitatis; plures enim annos regnauerit Osee, quàm Scriptura dicat, tot scilicet, quot voles inter Achaz, & Ezechielem inserere. Samaria quoq. 6. Ezechiæ anno capta non fuerit, & ita de reliquis.

[c] tom. 1. l. 5. c. 14.

*Alia ex Abulensi.*


Tostatus [d], vt augeat annos Achaz, ait integros tantum annos eius à Scriptura memorari; itaque duos ei non integros addit, vt eum efficiat quatuordecim annorum, cùm genuit Ezechiam. Quod vim aliquam affert Scripturæ, nec tamen intentum satis assequitur. Nam licet demus Achaz natum nouem, aut decem mensibus ante 49. annum Oziæ, qui menses à Scriptura præteriti fuerint, certè etiam in fine huius anni octaui Ioatham, quo natum oportet Ezechiam, Achaz non impleuerit annum decimum tertium.

[d] q. 4. in c. 18. 4. Reg.

*Conclusio.*

Satius ergo est, cum communi doctorum sententia, hanc fœcunditatem inter cætera diuinæ potentiæ miracula numerare. Deinceps autem Achaz alios quoque filios genuit, vt ex 2. Paral. [e] constare potest. Iam Ezechiæ matrem Scriptura [f] Abiam vocat, Zachariæ filiam, de qua alio quoque loco dictum est. [g]

[e] c. 28. 3.
[f] 2. Paral. 29. 1.
[g] an. Oziæ 1. n. 3.



## ANNVS MVNDI 3286. QVINTAE ÆTATIS 347. TEMPLI FVNDATI 264. IOATHAMI REGIS IVDÆ 9. PHACEÆ REGIS ISRAELIS 10. IOATHAMI PONTIF. 9. EXCISÆ TROIÆ 416. TEGLATH-PHALASARIS 8. IMPERII ASSYRIORVM 1354. OLYMPIADIS III. AN. 1.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 767.

I. *Ratio temporis.*



NDROCLVS Messenius in Olympico stadio cæteris celerius decucurrit hac Olympiade tertia ineunte, & victor factus est. Quo tempore, vt scriptum est in catalogo Olympinicarum, Abaris ex Hyperboreis legatus venit in Græciam; de quo Herodotus in Melpomene. [a] Nam de fabula Abaris, qui fertur esse Hyperboreus, nihil dico, qui sagittam dicitur per vniuersam terram circumtulisse, nihil comedens. Quod licet ponatur in fabulis, nihil tamen absurdi est, id referre ad diuinam prouidentiam: quæ variis sudinde modis homines toto orbe terrarum à peccatis absterrere, & ad se reuocare solet, quantumuis alioqui fidei lumine destitutos. Omnium enim curam gerit, qui omnium pater est, & ad veritatis cognitionem venire desiderat, qui vult omnes homines saluos fieri. [b] Pugnauit quoque hoc circiter tempore, neque enim notatus est annus, Ioatham contra Ammonitas.

[a] l. 4. pag. 104. Græc. Lat.

[b] Vide Scalig. nu. Euseb. 1454. & 1368.

II. *Quæ belli causa contra Ammonitas.*

Hvivs belli causam si requirimus facilè coniicere est; (coniecturam enim duntaxat afferre possumus, tacente ea de re scriptura, & antiquis, posterioribusque scriptoribus) Ammonitas iam ante 55. annos ab Ozia deuictos, tributique onere grauatos, [c] illud excutere voluisse. Istiusmodi enim onera, indicia seruitutis, propriarum exinanitiones facultatum, & corroborationem hostium in propriam perniciem, nemo nisi inuitissimè ferre potest. Sed pietati Ioathami fauente numine, paterna restaurata victoria, & prælio victi, [d] & grauiore etiam, vt par est credere, tributo grauati sunt: centum scilicet argenti talentis, id est quadringentis, & duodecim Francorum nostratium millibus, & 500. iuxta talenti æstimationem 125. librarum, ab Epiphanio traditam: & decem millibus coris tritici, & totidem coris hordei. Corus autem, siue tritici siue hordei 30. modios continet, vt ait Ribera. [e] Villalpandus autem triginta sata, quæ singula valent modium cum dimidio; vt propterea corus contineat modios 45. Itaque decem millia cororum tritici, efficient trecenta millia modiorum tritici, totidémque hordei.

*Iterum vincuntur.* *Et tributo grauantur.* *Corus. Satum.*

[c] 2. Paral. 26 8.

[d] 2. Paral. 27. 5.

[e] in ca. 3. Osee n. 12.

III. *Quandiu id soluerint.*

Dvbivm videtur ex textu vulgato, an bis tantum soluerint Ammonitæ hoc tributum, an verò ter: sed Septuaginta Sixti, & Aldi difficultatem adimunt: sic enim habent, *hæc afferebat ei Rex filiorum Ammon quotannis, in primo anno, & in secundo anno, & in tertio.*

Ex his autem coniicimus post tres istos annos persoluti tributi, non diu fuisse superstitem Ioathamum: alioqui enim pugnam contra Ammonitas erat redintegraturus: quod nec ab eius filio factum est, vt qui remp. malè administrarit, & relicto Dei cultu omnibus vicinis suis prædæ fuerit; vt mox dicemus.

## ANNVS MVNDI 3290. QVINTÆ ÆTATIS 331. FVNDATI TEMPLI 268. IOATHAMI REGIS IVDÆ 13. PHACEE REGIS ISRAELIS 14. IOATHAMI PONTIFICIS 13. TROIAE EXCISÆ 410. TEGLATH-PHALASARIS 12. IMPERII ASSYRIORVM 1358. OLYMPIADIS IV. ANN. I.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 763.



VICTOR hoc anno in Olympico puluere fuit Polychares, & ipse Messenius. I Hisce porro annis Ioathami, aliqua ab Esaia, & Michæa edita vaticinia satis constat: de Esaia id testatur D. Hieronymus [a] in ea verba. *Anno quo mortuus est Achaz.* Vbi ait visionem Domini sedentis super thronum, & ea quæ præcipiuntur prophetæ; *Vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*: quæ ab omnibus euangelistis citantur; [b] ea, inquam, omnia, vsque ad eum locum, vbi scriptum est. *Sicut terebinthus, & sicut quercus*, &c. sub Ioathamo esse pronunciata; id est totum caput 6. ad Ioathamum pertinere. Septimum autem vsque ad finem decimiquarti ad Achaz filium eius, de quo deinceps dicendum erit.

I. ex. — I. Vaticinia Esaiæ sub Ioathamo.

a in 14. Esaiæ.

b Ioan. 12. 40. Matt. 13. 14. Marc. 4. 12. Luc. 8. 10. Act. 28. 26. Rom. 11. 8.

QVOD ad Michæam attinet, ipse se sub Ioathamo prophetasse testatur: & quidem, si satis firma est coniectura, ex verbis vltimis capitis primi, prophetare cœpit abducta iam à Teglath-Phalasare vna parte populi. Ait enim *decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum, dilata caluitium tuum, sicut aquila, quoniam captiui ducti sunt ex te.* Scio plerosque præteritum hoc loco, pro futuro sumere, sed cùm non est necessaria hæc temporis enallage, non est quod ad eam confugiamus. Certè non Hebręus tantum textus, qui sæpe præterito vtitur pro futuro, habet, *quia transmigrauerunt à te.* Sed etiam Chaldæus, & Græci omnes, & Latini. Adde quod signa tristitiæ, quæ hic à propheta memorantur, cladi potius acceptæ conueniunt, quàm futuræ. Christophorus à Castro eum nono, aut decimo Ioathami prophetasse opinatur. At Hieronymo teste, prior illa clades in annum secundum primæ Olympiadis cadit, qui fuit Ioathami secundus. [c]

II. Michæa sub eodem de priori clade.

c L. 1. cōm. in Osee in fin. lib.

SED siue paulo ante hanc primam captiuitatem, siue paulo post, vt nobis probabilius videtur, editum fuerit hoc vaticinium, illud certò cōstat Michæam ante vltimam prophetasse, quoniam ea sub Ezechia contigit; ipse autem sub Ioathamo prophetare cœpit. Ad illam autem vltimam captiuitatem, illa primi capitis verba respiciunt. *Ponam Samariam quasi aceruum lapidum in agro, cùm plantatur vinea, & detraham in vallem lapides eius* (erat enim in monte ædificata,) *& fundamenta eius reuelabo. Et omnia sculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius obruentur igne; & omnia idola eius ponam in perditionem*, &c. Idola igitur non in Dan, & Bethel duntaxat colebantur, sed in Samaria quoque multa erant sculptilia; vtique & in aliis eiusdem regni locis.

III. Vaticiniū de supremā Israëlitarum clade.

QVIN & in regno Iudæ occultè grassatam idololatriam significat; ideoque & regnum Iudæ eiusdem calamitatis particeps fore. *Quia*, inquit ibidem Hieronymus, *Ipsa Ierusalem simili errore peccauit, derelinquens Deum suum, & idola fabricans.* Pietati ergo Regis Ioathami, populi pietas non ex æquo responderat; sed [d] *adhuc populus delinquebat*; siue vt alij vertunt: *peruersè agebat.* Septuaginta, *Corrumpebatur*, vel corruptis erat moribus. Nec sanè impunè. Nam iusto Dei iudicio, qui peccatorum permissione peccata punit, paulò post pessimum principem Achaz in regem habere meruerunt. Vt qui in sordibus erant, magis, magisque sordescerent. [e] Itaque etiam ad Ioathami tempora, sed postrema, pertinet illud, quod Scriptura post relatum eius obitum scribit.

IV. Iudæi quoque deprauati. Qua pœna affecti.

d Vt dicitur 2. Par. 27. 2.

e Apoc. 22. 11.


*In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam Rasin regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ;* Cœperunt videlicet calamitates, quæ post eius mortem, magna regno Iudæ damna intulerunt, vt mox dicetur.

V. *Duo Michææ prophetæ.* SED vt ad Michæam redeamus, illud dubium esse non potest, hunc Michæam alium esse ab eo, de quo in fine tertij Regum [a] actum est. Ille enim sub rege Achabo vaticinatus est, eique mortem suam prædixit: hic autem sub Ioathamo. Mortuus est autem Achabus ante regnum Ioathami amplius centum quadraginta annis. Fallitur itaque Sixtus Senensis, cum hunc nostrum prophetam ait mortuum esse centum annis ante Osee; cum tamen vterque propheta testetur se tempore Ezechiæ vaticinatum esse. Sed nec nomina, nec patriæ, nec tribus vtriusque Michææ sunt eadem, vt Hieronymus, & Ribera docent. [a c. 22. & seqq.]

VI. *Nahum.* SVB hoc quoque rege prophetam Nahum vaticinatum esse Iosephus credidit. Sed vt taceam Clementem Alexandrinum, qui eum Ezechiele posteriorem facit; [b] Hieronymum, & Theodoretum Iosepho reor fide digniores, qui eum post captiuitatem decem tribuum prophetasse scriptum reliquerunt: vterq; in prologo in ipsius prophetiam, quos posteriores interpretes, & chronologi sunt secuti: nominatim Christophorus à Castro, [c] Torniellus, [d] Genebrardus, & alij. [b L. 1. Stro.] [c l. 4. de prophetis c. 4.] [d an. Mun. 3286. n. 5.] [e in Manasse.]

### SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3290.

Sch. N. 1. DE quo multa in Messenicis Pausanias, l. 4. p. 114. & seqq. vt origine & occasione maximi belli inter Spartanos, & Messenios; quod ad vigesimum vsque annum propagatum est: cuius initio Hebræi, Iudæi certe, annum sabbaticum centesimum primum celebrarunt.



## ANNVS MVNDI 3293. QVINTAE AETATIS 354.

TEMPLI FVNDATI 271. IOATHAMI REGIS IVDÆ 16. ET VL. ET INIT. ACHAZ. PHACEÆ 17. IOATH. PONT. 4.

EXCISÆ TROIÆ 423. TEGLATH-PHALASARIS 15. IMPERII ASSYRIORVM 1,61.

OLYMPIADIS IV. AN. 4.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 760.

I. *Obitus Ioathami.* SEDECIM *annis regnauit Ioatham in Ierusalem, dormiuitque cum patribus suis;* ætatis suæ anno quadragesimo primo, quod notauit etiam Iosephus, [f] *& sepelierunt eum in ciuitate Dauid*, in arce Sion, vbi erat locus regalium sepulchrorum. Notauit D. Hieronymus in traditionibus Hebræorum, initio, & fine vitæ Ioathami annos regni eius censeri, vt monstraretur eum in innocentia perseuerasse, qua cœperat. Eius pietatis, simulque felicitatis Scriptura præbet testimonium. [g] *Corroboratus*, inquit, *est Ioatham, eo quod direxisset vias suas, coram Domino Deo suo.* Obediebat nimirum illi voci Domini. *Ambula coram me, & esto perfectus.* [h] Quæ fuit laus sanctissimorum virorum Henochi, Noë, Abrahæ, Dauidis, &c. *Pius erga Deum*, ait Iosephus, *iustus erga homines, & reip. studiosus, omni denique virtute decoratus.* [f l. 9. c. 12.] *Vir iustus fuit.* [g 2. Paral. 27. 6.] [h Genes. 17. 1.]

II. *Subtractus malis imminentib.* QVI etiam videtur maturè subtractus ab hominibus, ne videret mala, quæ regno suo imminebant, & quorum etiam aliquod habere indicium potuit. Nam paulò antequam è viuis excederet, contigisse putat Abulensis [i] aduentum istum duorum regum in Iudam, qui 4. Regum 15. extremo memoratur. Cùm enim sacer historicus concluderet gesta eius, & mortem, inseruit hæc verba. *In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam Rasin regem Syriæ, & Phacee, filium Romeliæ.* Postremis scilicet diebus eius fiebant Syrorum, & Israëlitarum excursiones [i q. 35. & 36. in c. 15. 4. Reg.] *A Syris, & Israëlitis.*

contra regnum Iudæ, ad castiganda populi peccata, quæ fuerunt certa præludia futurorum malorum. Degustauit ea Ioatham, neque longæuus fuit super terram; fortè quod ei, metu seditionis alicuius, motusque popularis, defuit fortitudo ad populum corrigendum, & abducendum ab excelsorum sacrificiis, vt plerisque aliis regibus Iudæ, qui nihilominus commendantur. In quibus locis Deo quidem, nec tamen rectè sacrificabatur: cùm Deus sibi templum, & altare Hierosolymis ad sacrificia erexisset; fortassis etiam aliquando dæmonibus; iuxta ea quæ ex Michæa paulo ante referebamus.

III. *Res ab eo gesta cōtra Ammonitas. An & cōtra Israelitas.*

CONCLVSIO etiam gestorum Ioathami hæc est. [a] *Reliqua autem sermonum Ioatham; & omnes pugnæ eius.* (Sæpius ergo contra Ammonitas pugnauit, fortè etiam contra alios, præsertim cùm in Hebræo habeatur; *& omnia bella eius.*) Septuaginta tamen habent in singulari. *Et bellum, & opera eius scripta sunt in libro Regum Israel, & Iuda.* Ex quo etiam intelligitur aliquid ipsi cum rege Israel negotij, & dissensionis intercessisse. Sic gesta Amasiæ, qui pugnauerat contra Ioas regem Israël, dicuntur scripta in libro regum Iudæ, & Israëlis [b]. Adiuuant etiam suspicionem, Israëlitarum, & Syrorum excursiones in Iudam. Sed ea de re iterum aliquanto post. *Dormiuit* itaque *Ioatham cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate David.*

IV. *Initium Achaz.*

ET *regnauit Achaz filius eius pro eo*; idque sub finem huius anni, vt comprobetur illud [c], *Anno decimo septimo Phacee regnauit Achaz.* Sicque verum etiam erit illud, quod ibidem subditur. *Et sedecim annis regnauit in Ierusalem.* Nisi enim aliquid ei de anno vltimo Ioatham attribuatur, decimum sextum regni sui annum non attigerit, vt ex sequentibus apertè intelligetur.

*Syri Israelitis fœderati.*

Hoc decimo septimo anno Phacee, initum, aut potius renouatum est fœdus ab eo cum rege Syriæ in perniciem regni Iuda. Syri enim à diebus regis Ioas Israëlitæ, qui eos multis præliis attriuerat, & ciuitates Israëlis recuperauerat [d], quieuerant; præsertim cùm superuenisset Ieroboam, à quo tota regione trans Iordanem pulsi fuerant. Itaque inde pacis fœdera cum vicinis suis Israëlitis coluerunt: quæ Israëlitæ quoque eo diligentius obseruarunt, quo maiori nuper clade ab Assyriis affecti fuerant. Iosephus quoque ait [e] duos hosce populos hoc tempore amicos fuisse, ac socios.

V. *Quæ belli causa Syris contra Iudam.*

SED quæ fuit Israëlitis causa belli contra Iudæos? Nam Syris, qui alioqui spem prædæ facilè sequebantur, societas, & fœdus cum Israëlitis, satis causæ fuit, ad bello inuadendum regnum Iudæ. Quamquam & vndique circumspicienti, alia quoq; causa occurrit bello non incongrua, quam ipsa Scriptura suggerit, si attendamus. Quarto enim Reg. [f] dicitur. *In tempore illo restituit Razin rex Syriæ Ailam Syriæ, & eiecit Iudæos de Aila, & Idumæi venerunt in Ailam, & habitauerũt ibi, vsque in diem hanc.* Facilè est ex iis, quæ fecit Syrus, intelligere quid facere voluerit. Occupauerat Ozias Ailam, & restituerat eam Iudæ, vt supra dicebamus [g]. Eam Syri diu possessam ambiebant, propter magnas ipsius opportunitates, ad Indicas, & Arabicas nauigationes. Quamdiu autem Ozias in viuis fuit, qui omnibus circumquaque populis terrori fuit [h]; & aliquot deinceps annis, Ioathamo quoque filio eius florente, quieuere Syri; semper tamen de illa ciuitate solliciti; interimque collegere vires, vt cùm primum daretur occasio, eam vt olim, ad imperium suum redigerent. Denique sub mortem Ioathami, & initium regni Achaz bellum erupit; de quo proximo anno dicemus.

*Videri Elath Idumæorum.*

VI. *Quæ Israelitis.*

VERVM vt ad Israëlitas reuertamur, quæ illos causa ab bellum contra Iudam impulit? An socij Syrorum bellum hoc affectantium esse voluerunt? Plurisque eorum amicitiam, quam fratrum suorum, filiorum Iudæ salutem, & incolumitatem duxerunt? An rex Iuda amicus Assyriis fuit, à quibus Israëlitæ grauissima nuper clade affecti fuerant? Quod admodum probabile est. Quoniam cum primum à Syris, & Israëlitis bello petitus est rex Iudæ, misit nuntios ad Teglath-Phalasarem regem Assyriorum dicens. *Seruus tuus, & filius tuus ego sum. Ascende, & saluum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Israel, qui consurrexerunt aduersum me* [i]. Hæ igitur fuerunt belli causæ, quibus Deus vsus est ad populi peccata castiganda. Nunc ad bellum ipsum veniamus, si prius dixerimus videri

*Videri amicitiam Iudæ cum Assyriis.*

[a] 2. Par. 27. 7.
[b] 2. Par. 25. 26.
[c] 4. Reg. 16. 1.
[d] 4. Reg. 13 fin.
[e] l. 9 c. 12.
[f] c. 16. 6.
[g] a. m 3229. num. 2. 3. & 3231. n. 2. 4. Reg. 14. 22.
[h] 2. Paral. 26. 15.
[i] 4. Reg. 16 7.

etiam ipsa initia Achaz impietate fuisse contaminata. Nam statim à principio eum Scriptura accusat: ex quibus paulatim ad apicē impietatis conscendit, vt infra dicemus: quia nemo repente fit pessimus. Populum autem iam valde corruptum fuisse, paulo ante indicatum est, & proximè secuta castigatio demonstrauit.

*A quibus illi afflicti.*

VII. *Romuli, & Remi liberalis institutio.*


SVB hoc tempus, cum decimum circiter annum agerent Romulus & Remus, necdum ad laboriosa opera per ætatem idonei viderentur, autor est Aurelius Victor, in libello de Origine Romanæ gentis, authoremque laudat Valerium Antiatem, eos literis operam dedisse. *Cumvero pueri*, inquit, *liberalis disciplina capaces facti essent, Gabiis Græcarum Latinarumque literarum ediscendarum gratia commoratos: Numitore auo clam omnia subministrante.* Hæc ibi. Amotos à nutricis vberibus pueros Gabios aiunt vrbem non longè à Palantio dissitam, à nutritiis deportatos, vt Græcis ibi disciplinis imbuerentur, ibique apud Faustuli hospites educatos, literis, musica, tractandisque more Græco armis institutos, donec pubertatis annos attigissent. Sic Dionys. [a]

VIII. *Forma vtriusque.*

FORMAM in iis Plutarchus commendat.[b] In corpore eorum iam tum, cum adhuc pueritiam agerent, magnitudine corporis & forma nobilitas sese exeruit. Nec dissentit Dionysius. *Non illi subulcis*, inquit, *bubulcisue similes erant, sed vt par erat, forma dignitate, & animi magnitudine, viros regum, ac numinum satu editos, referebant: quemadmodum etiam nunc in patriis Romanorum carminibus celebratur. Vitam tamen gerebant pastoritiam, victum sibi parantes manibus. In montibus plerumque è lignis, & arundine compingentes humiles, absque vlla contignatione casulas, quarum vna vsque ad nostram ætatem durauit, in sinu qui è Palatio deflectit ad circum, cognominata Romuli*, &c. Sic Dionysius: cui satis cum Antiate conuenit de institutione puerili; deinde vero cum egressi sunt ex Ephebis, Dionysius vitam illorum mere pastoritiam exhibet; nec tamen male probat sententiam suam, vt audisti.

*vita pastoritia.*

[a] p.71. gr. lat.
[b] in Romulo.



## ANNVS MVNDI 3294. QVINTÆ AETATIS 355.

TEMPLI 272. ACHAZ REGIS IVDÆ 1. PHACEÆ REGIS ISRAELIS 18. VRIÆ PONTIF. 1. TROIÆ EXCISÆ 424. TEGLATH-PHALASARIS 16. IMPERII ASSYRIORVM 1362. OLYMPIADIS V. ANNVS I.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 759.

NVM. I. 5. Olymp. Initium Ephorum.



QVINTA Olympiade ineunte, Æschines Elæus, patria Messenius stadij palmam tulit. Quando Ephoros Lacedæmonij Spartæ constituerunt. Qua de re placet audire Plutarchum in Lycurgo. *Primi*, inquit, *Ephori constituti sunt, annis post Lycurgum centum circiter, & triginta*; rectè *circiter*. Nam à Lycurgi tutela ad Olympiades centum & octo anni numerantur, à quarum initio hic annus est decimus septimus. [c] Addit creatos regnante Lacedæmone Theopompo, Nicandri filio, qui fuit Lycurgi nepos cum Polidoro regni collega. Fuerūt autem numero quinque, qui regibus oppositi fuerunt, vt Romæ Cōsulibus Tribuni plebis. Eorum primus: (nā vnus è quinque eminebat, à quo nominabatur annus; vt tali Ephoro Spartæ, sicut tali Consule Romæ, res gesta diceretur.) Primus, inquam, eorum Elatus dictus est, eodem teste Plutarcho.

[c] vide a.m. 3170.

*Elatus Ephorus.*

II. *Vrias nouus pontifex.*

QVOD ad sacram historiam attinet, etsi primus annus Achaz cum 17. Phacee inchoauit, vt diximus: maxima tamen ex parte decimo octauo illius anno respondet.

Porro sub rege Achaz Vriam pontificem Ioathami pontificis successorem.

exhibet chronicum Hebræorum breue, vbi dicitur regnante Achaz, Vriam in Aaronis Cathedra præsedisse. Consentit Iosephus [a], eumque etiam Vriam vocat. D. Hieronymus [b], quem passim alij sequuntur, ait Vriam præfuisse tēplo Domini hoc tempore. Scriptura [c] quidem eum tantum sacerdotem vocat, quem tamen Vatablus principem sacerdotum interpretatur, & in caput 8. Esaiæ affirmat fuisse pontificem. Et ratio videtur postulare, vt cum rex ex ipsa Syria scriberet Hierosolymam, de nouo altari construendo, non ad priuatum aliquem sacerdotem, sed ad ipsum pontificem literas, & mandata dederit; cum probè intelligeret, id facinus neminem, inscio, vel inuito pontifice, suscepturum.

a l. 10. c. 11.
b 1. Par. 29. in trad. & in c. 8. in Esa.
c 4. Reg. 16. 10.

III. *Ordo bellorum Achaz.*

IAM vero bellum Syrorum, & Israëlitarum contra Iudam paucis de more à Scriptura perstringitur [d]. Dicuntur enim rex Razim, & rex Phacee ascendisse Hierosolymam contra Achaz. Sed hoc non fuit primum bellum contra Achaz, vt rectè notauit Diuus Hieronymus in capite septimo Esaiæ; & Procopius ibid. & Theodoretus in vigesimum octauum libri Paralip. aliisque recentiores. Propereaque liber Paral. supplens, quæ prætermissa fuerant, prius recenset, quæ singuli illi reges contra Iudam fecerunt, quam quæ animis, armisque coniuncti: quod & à chronico Hebr. cap. 22. factum est, idemque à Dionysio, Leone Castro, Torniello obseruatum. Certe constat in priore bello victum, captumque regem, Damascum abductum: in posteriore in vrbe irrito conatu obsessum fuisse. Quod minus animaduertens Iosephus [e] duos illos reges tradit simul à principio contra Achaz pugnasse: sicque varias pugnas priores, posterioresque permiscet, & confundit, sicut & qui eum secuti sunt [f]: quæ neque Genebrard. neque Abulensis, neque Leo Castrius distinxerunt.

d 4. Reg. 16 5.
Esa. 7. 4. 5.
e l. 9. c. 12.
f Lyran. Adrich. Phil. Berg.

IV. *Syri in eum insurgunt.*

IN prioribus autem bellis primi Syri Iudæos inuaserunt, primi quippe à Scriptura nominantur [g]: deinde addit. *Manibus quoque regis Israel traditus est.* Eundem rei gestæ ordinem ibid. agnoscit Theodoretus, & Diuus Hieronymus in c. 7. Esaiæ. Cæterum de bello Syriaco hæc tantum Scriptura [h]. *Tradiditque eum Dominus Deus eius, in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de eius imperio, & adduxit ad Damascum.* Apparet collectos fuisse vtrimque exercitus, & Syros cum Iudæis in acie concurrisse, victumque Achaz ac captum fuisse, Deo hominis impietatem hac plaga, atq; ignominia vindicante. Eadem porro opera Syrus, diu desideratam Ailam ad oram rubri maris sitam, clade victi regis Iudæ territam, captiuo rege permittente, & vt videtur suam captiuitatem redimente, recepit, Iudæos eiecit, & Idumæos ibi collocauit [i]. Ex eo ergo quod Scriptura dicit Idumæos in ciuitate Ailam à Syriæ rege victore collocatos, valde credibile est eos illi auxilio fuisse ad eam debellandam. Syrorum tamen præsidium ibi relictum merito existimare possumus.

g 2. Par. 28. 5.
h 2. Par. 8. 6.
i 4. Reg. 16. 6.

V. *Quid de hoc bello Iosephus. Non rectè.*

IOSEPHVS, qui, vt ante dixi, rerum gestarum ordinem perturbauit, ait vtrumque regem bello aggressum regem Iuda, & Hierosolymam compulsum, multum, diuque frustra oppugnasse, quod vrbs egregiè munita esset. Intereaque Syriæ regem ad mare rubrum Ailam vrbem occupasse, & necatis eius habitatoribus, Syrorum coloniam eo deduxisse; multis item arcibus expugnatis, & magno Iudæorum numero interfecto, cum exercitu ex manubiis ditato, domum reuertisse. Verum fallitur, primo, quoniam hæc obsidio, vt diximus 1.
posterior fuit bello Syriaco, & Israëlitico: Secundo fallitur, aut fallit potius, 2.
cum præter vrbem Ailam multas arces expugnatas dicit. Multam enim prædam in multas arces gloriosè commutauit: fallitur tertio, cum in vrbe Iudæos 3.
non eiectos, vt Scriptura, sed necatos dicit: ibique non Idumæos, sed Syros habitasse.

VI *Clades Iudæorum ab Israëlitis.*

EODEM primo anno, Achaz aliam cladem accepit. Eum chronicum Hebræum [k] decimum septimum Phacee appellat; quoniam, vt ante diximus, initium regni Achaz partem aliquam illius anni decimi septimi attingit; fuit tamen reuera 18. Nam ne bellum quidem Syriacum, de quo proxime, in 17. actum est. De hoc ergo altero bello, quid Scriptura dicat, audiamus. *Manibus quoque regis Israel traditus est* (Achaz nimirum) *& percussus plaga grandi.* Vtique &

k cap. 22.

valde grandi, nã ſequitur. *Occiditque Phacee filius Romeliæ de Iuda centum viginti millia in die vno, omnes viros bellatores.* Quomodo autem, aut quare permiſit Dominus tã immanem cladem inferri populo ſuo à deſertoribus Iſraëlitis? *Eo quod reliquiſſent*, etiam ipſi, *Dominum Deum patrum ſuorum*. Qui nimirum illorum impietatem per Iſraëlitas punire voluit; quemadmodum & mox Iſraëlitarum, & Syrorum non minora ſcelera, per Aſſyriorum reges puniturus erat. *(Et quæ eius cauſa.)*

VII. *(Qui mox puniendi.)* NAM etiam in exequenda Dei voluntate peccabant; neque enim eorum mens fuit Deo parere, ſed improbiſſimæ cupiditati ſuæ; quæ propterea non præmium obedientiæ, ſed pœnam ſæuiſſimæ crudelitatis merebatur. Vnde propheta Obed ſemel, iterumque proteſtatus eſt Iſraëlitis, magnum Domini furorem illis imminere. Sed nec ipſi Aſſyrij diu impunè ſua ſcelera laturi erãt, cito à Babyloniis perdendi. Pergit Sacer hiſtoricus. *Eodem tempore*, id eſt, eodem prælio, vt mox ex Ioſepho, & Theodoreto, *Zechri vir potens ex Ephraim occidit Maaſiam filium regis, & Ezricam ducem domus eius. Elcanam quoque ſecundum à rege; cæperuntque filij Iſrael de fratribus ſuis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam, perduleruntque eam in Samariam.* Hæc ibi, quibus Hebræa, & Græca conſentiunt, quæ ita explicat Ioſephus [a].

VIII. *(Eadem clades ex Ioſepho.)* HIEROSOLYMITANVS *autem rex, poſtquam cognouit Syros abiiſſe domum, putans ſe Iſraelitarum rege non inferiorem viribus, eduxit contra eum copias; & cùm irato Deo commiſiſſet prælium, propter tot impia facinora victus eſt. Centum enim, & viginti millia tunc ceciderunt de Hieroſolymitanorum exercitu. In eodem prælio Zacharias ſupremus dux Iſraelitarum, cum Amia filio Achaz congreſſus, ſuperatum occidit, & pari modo Ericam prætorianorum præfectum adeptus interemit.* Quæ interpres parum fideliter reddidit: in Græco enim ſic habetur. *Quorum dux Amias nomine, Zachariam filium regis Achaz in congreſſu interfecit, & regni totius curatorem, & vicarium*, vel proregem [illegible]. Pergit autem Ioſephus. *Et Elcanam tribus Iudæ copiarum ducem viuum in poteſtatem ſuam redegit.* αἰχμάλωτον ἀπάγει. captiuum abduxit. *Magnum præterea captiuorum vtriuſque ſexus numerum è Beniamitica tribu abegerunt, & opima præda ditati, reuerſi ſunt Samariam.*

[a] Lib. 9. c. 12.

IX. *(Corrigitur ex Script.)* Hæc Ioſephus, in quibus occurrunt aliqua, quæ corrigenda videantur. Et vt omittam Ioſephum ſupponere Phaceam iam ab initio vna cum rege Syriæ, bellum mouiſſe contra Achaz, quod ſecus contigiſſe docuimus: vt nominum quoque peruerſitatem diſſimilem, quod Zachariam pro Zechri, Amiam pro Maaſia ſubſtituat, quæ tamen Septuaginta fideliter retinuerunt. Certè illud diſſimulari non poteſt, quod per ſummam oſcitantiam neceſſe eſt contigiſſe, quod iſtum ſiue Zechri, ſiue Zachariam, non ducem copiarũ Iſraëlis, & Ephraimitam, ſed Iudæum, & filium regis facit. Secundo quod hunc filium regis Achaz cum Iſraëlitarum fortiſſimo congreſſum ait, cum filius Achaz hoc primo anno regni eius, vix ſextum annum agere poſſet. Quæ enim eſſe poteſt filij ætas, cuius pater vigeſimum tantum agat annum? Tertio quod cùm Scriptura tres illos viros primarios occiſos dicat à Zechri, idque confirmet chronicum Hebræum cap. 2. ipſe variandæ narrationis gratia vnum captiuum abductum dicat. *(filius Achaz.)*

X. *(Corrigitur Seder Olã.)* ETSI id quoque chronicum fallatur, cùm eorum cædem in annum Phacee vigeſimum referat, cum in decimum octauum oporteat; ſicut & totum hoc bellum, quod illi ipſi 7. anno, id eſt, primo Achaz confectum eſſe dixerunt: vno enim fere prælio confectum videtur. Sed ad illum annum vigeſimum aliud bellum pertinet, de quo poſtea dicetur. Porro quod ad numerum occiſorum attinet, editioni vulgatæ Hebræa, & regia Græca conſentiunt: conſentit & Ioſephus, licet poſteriorem numerum non expreſſerit, territus fortaſſe eius magnitudine, vel pertæſus diuerſitatis. Nam in aliquibus codicibus, vt Aldi, & Iunij, leguntur octingenta millia, in Sixti editione trecenta millia, in Complut. regia, & Baſilienſi, ſicut & in Vulgata, & Hebræa, & in chronico Hebr. ducenta millia. Sed ab hoc numero toto cœlo diſtat Theodoretus, qui, neſcio quos nactus codices, ait Phaceam occidiſſe vno conflictu duodecim millia, & duxiſſe viginti millia in captiuitatem; vtrobique profectò addenda eſt vox, *decies*, vt interpres ſcripturæ cum Scriptura conſentiat. Omnino natus videtur *(Numerus occiſorum, & captiuorum varius.)*

error ex Theodoreti interprete μειάδας vertente in χιλιάδας.

XI. Quis hic dicatur filius regis.

Svperest adhuc de illo filio regis, non leuis dubitatio, quem Scriptura nō vocat filium Achaz, vt Iosephus. Theodoretus in qq. in hunc lib. Paral. habet filios regis numero multitudinis. Hieronymus in qq. Hebr. legit Maasiam filium Moloch, id est, idoli Ammonitarū, quod vocabatur Moloch, id est, rex. Idcirco autem filium eius dici, quod illi sacra instituebat, & cultum. Sic ipse. Volens vtique istum Maasiam non fuisse filium Achaz, sed primarium aliquem virum, cultui Moloch valde addictum, vt eius filius, quasi illi charissimus vocari posset. Quod si cui placet, non minus vtique probabit, istum filium regis dici, quod regi Achaz charissimus esset, & instar filii dilectus. Aut certe dici poterit in illa ingenti puerorum multitudine, casu aliquo etiam filium regis captum, & occisum fuisse.

a 2. Paral. 28.9.

XII. Propheta arguit Israelitas.

Svbdit huic narrationi Sacer historicus egregium,[a] & memorabile facinus Israelitarū aduersus deuictos, & abductam captiuorum multitudinem. *Ea tempestate*, inquit, *erat ibi propheta Domini nomine Obed, qui egressus obuiam exercitui venienti in Samariam, dixit eis. Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter: ita vt ad cœlum pertingeret vestra crudelitas. Insuper filios Iuda, & Ierusalem vultis vobis subijcere in seruos, & ancillas; quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro. Sed audite consilium meum, & reducite captiuos, quos adduxistis de fratribus vestris; quia magnus furor Domini imminet vobis.*


XIII. Quis fuerit hic propheta.

Propheta porro hic, qui in vulgatis correctis Obed, in aliis Hebraicis, Græcisq; exemplaribus, & apud Hieronymum Oded, apud Ioseph. Obelas dicitur, valde senex hoc tempore fuit; si traditionibus Hebræorum apud Hieronymum credamus. *Ea tempestate*, inquit, *erat ibi propheta nomine Oded, ipse est pater Azariæ, qui Azæ regi prophetauit. Ad prophetandum enim in Samariam venerat, quia de Iuda erat, idcirco non dixit; hæc dicit Dominus, quia non erant digni sermone prophetæ: iratus enim erat Deus illis.* Hæc ibi. At quando prophetauit Azarias filius eius, decimus quintus regis Azæ, vt eo anno diximus agebatur: eratque Azarias vtique
30. triginta annorum, & pater ipsius quinquaginta, quibus si addas reliquos 27.
27. 25. eiusdem regis Asæ, & 25. Iosaphat: Iorami, & Athaliæ 11. Ioas 40. Amasiæ 29.
11. Oziæ 52. Ioathami 16. aget hic Obed hoc anno 250. ætatis annos. Quis non
40. 29. explodat hanc fabulam? Præsertim cum 2. Paral. 15. Referat idem Hieronymus
52. traditionem, quæ habet istum Obed, siue Odeth, vt ibi legitur, esse Addonē,
16. qui missus fuit ad Ieroboam, & à Leone occisus est in via. Alium ergo ab eo O-
250. bed esse necesse est.

XIV. Quo fructu monuerit.

Egregia liberalitas Israelitarum in captiuos.

Non irrita fuit prophetæ oratio; Deo enim corda eorum mouente, exterriti sunt, & bene monenti viro Dei obtemperarunt, Sequitur enim. *Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Iohanam, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Zellum, & Amasa filius Adali, contra eos, qui veniebant de prælio, & dixerunt eis: non introducetis huc captiuos, ne peccemus Domino. Quare vultis adijcere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta? Grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israel. Dimiseruntque viri bellatores prædam, & vniuersa quæ ceperant coram principibus, & omni multitudine. Steteruntque viri, quos supra memorauimus, & apprehendentes captiuos; omnesque, qui nudi erant, vestierunt de spoliis. Cumque vestissent eos, & calceassent, & refecissent cibo, ac potu, vinxissentque propter laborem, & adhibuissent eis curam, quicumque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, imposuerunt eos iumentis, & adduxerunt Iericho, ciuitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reuersi sunt in Samariam.*



# ANNUS MUNDI 3295. QUINTÆ AETATIS 356. TEMPLI 273. ACHAZ REGIS IUDÆ 2. PHACEÆ REGIS ISRAELIS 19. URIÆ PONTIF. 2. TROIÆ EXCISÆ 425. TEGLATH-PHALASARIS 17. IMPERII ASSYRIORUM 1363. OLYMPIADIS V. ANNUS 2.

## ANNUS ANTE CHRISTI ORTUM. 758.

Num. I. *Renouatur bellũ cõtra Achaz.*



HOC anno redintegratum est bellum à Syris, & Israëlitis contra Iudæos. Razim enim, & Phacee præterita victoria ad audaciam erecti, & inuitati prædæ magnitudine, ait Hieronymus in 7. Esaiæ, rursus veniunt in Iudæam, & Ierusalem cupiũt debellare. Aliam causam affert Isaias cap. 7. vbi propheta ex ore Domini nunciat regi Achaz, consilium initum ab Israëlita, & Syro. *Quæ ex causa.* Constituere scilicet Hierosolymis regem filium Tabeel, amoto Achaz, qui Assyriorum amicus erat, vt coniunctis animis, atque viribus, regi Assyriorum resistere possent. Quis autem fuerit hic filius Tabeel non liquet: apparet fuisse virum aliquem in Syria principem, regi charissimum, etsi quidam dicant fuisse filium regis Syriæ. Id enim videtur esse contra Scripturam, quæ vocat eum, non filium Razim, sed filium Tabeel. Nec dici potest eundem Razim dictum fuisse Tabeel. Ipsa enim locutio Scripturæ alium planè requirit. Quis enim dicat, Razim voluit constituere regem filium Razim, id est, filium suum?

II. *Duo reges Hierosolymam petũt.* Cum ergo consilium iniissent, hi duo reges in perniciem Achaz, & domus Dauid; quàm maximas vterque potuit copias contraxerunt, infestisque armis Hierosolymam petierunt. Quod cùm Hierosolymis nunciatũ esset, vehementi timore concussi sunt omnes. *Nunciauerunt*, inquit Esaias [a], *domus Dauid, dicentes, requieuit Syria super Ephraim*, id est, conspirauerunt simul, societatem iniuerunt hi duo populi, in ruinam regni Iuda. Aut requiescere idem est, quod subsistere; vt significetur Syrorum exercitum ad Samariam substitisse ex via, mox Hierosolymis, cum Samaritis adfuturum. *Et commotum est cor eius*, id est, Achaz filij, & successoris Dauidici regni. *Et cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum à facie venti.* Nec sine causa timuerunt. [a cap. 7. v. 2.]

III. *Nec sine causa.* Cum enim singuli reges paulo ante grauissimam cladem Iudæis intulissent, ciuitates abstulissent, bellatores maximo numero interfecissent, prædas ingentes abegissent, toti regno, excepta Hierosolyma, vastitatem propemodum attulissent, regem denique ipsum Syri captiuum abduxissent in Syriam [b], meritissimò de vtriusque regis aduentu, cum gemino exercitu turbabantur, & humanitus rem æstimantes, in maxima rerum desperatione versabantur. Accedebat conscientia scelerum, & deserti diuini cultus; quã causam diuinæ iracundiæ, & desertionis, & cladium, Michæas, & Esaias intonabant. Nam paulò ante dixerat Esaias [c]: *Vsquequo Domine? & dixit, donec desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta*, &c. [b 2. Par. 28. 5.] [c c. 6. v. 11.]

IV. *Obsident Hierosolymam.* Interim ascendunt Hierosolymam duo reges, eamque obsidione cingunt, vt constat ex Script. [d] & quidem diuturna, vt ait Ioseph. [e] *Et compulsum Hierosolymam*, inquit, *multum, diuque frustra oppugnarunt, quod vrbs esset egregiè munita.* Idque satis ipsa Scriptura indicat, cũ ait [f]: *& non potuerunt debellare eam.* Quod habet etiam ille locus 4. Reg. & Chald. *Obsederunt Achaz*; in vrbe scilicet, *nec potuerunt expugnare.* Ideoque illud πολεμεῖν, quod habent Septuaginta, pro composito ἐκπολεμεῖν, quod est expugnare, siue obsidione capere, accipiendum est. Ex quo [d 4. Reg. 16. 5.] [e l. 9. c. 12.] [f Esa. 7. 1.]

etiam

etiam intelligimus obsidionis solutionem merito in sequentem annum referri.

V. *Esaias legatus ad regẽ Achaz animandũ.*

Interim mittit Dominus ad Achaz, solũ apud se de aduocando ad auxiliũ suũ rege Assyriorum deliberantem, Isaiam prophetam, vna cum filio suo Iasub, qui cõmunem præteriti anni calamitatem euaserat, prohibetq; illum timere, quod nil sit periculi à duobus illis regibus, prædicens omnem eorum conatum irritũ fore. Quod nimirum priora damna, quæ singuli Iudæis intulissent, non tam eorum viribus, quam vltori Deo tribuenda essent; quo nunc placato, nihil illos effecturos, tametsi totum regnum Iudæ viribus exhaustũ foret; quin potius illos, vt titionum extrema fumum, sine flamma daturos: significans vtrumq; cito periturum, quod proximo anno contigit. Quin & renouat prophetiam de interitu regni Israel, post absolutos sexaginta quinque annos illos, de quibus supra in Ozia rege, anno eius vigesimo quinto dictum est. [a]

[a] a m. 3150. n. 7. & 8.

VI. *Eique oraculum de Virgineo cõceptu datur.*

Hac quoq; occasione diuinissima illa prophetia de conceptu Virgineo, & incarnatione Verbi Dei, à Domino data est. *Quia tibi*, inquit apud Hieronymũ Dominus, *videtur esse difficile, quod regna potentissima breui tempore finienda sint, & tu cũ populo tuo de magno periculo libereris, pete tibi signum, nequaquam ab idolis, quorum errore retineris, sed à Domino tuo, qui tibi auxilium pollicetur, & ipsum signum optionis tuæ est, vnde postules, siue de profundo, siue de excelso, vt cum de inferno, siue de excelso signum acceperis, credas futura, quæ dixi. Vis vt scindatur terra, & grandi hiatu inferni pateant, qui in corde terræ esse dicuntur; an vt aperiantur cœli: quod vtrumque ad typum pertinet mortis Domini, & ascensionis.* Hæc Hieronymus. Quæ est verissima, & historica textus huius expositio. Non satis habuit Deus, inquit noster Sanctius, libertatẽ & otium promisisse scelerato regi, sed etiam illustre pollicetur signum, quod futurum esset testimonium, & pignus obligatæ fidei.

VII. *Expositio Leonis à Castro.*

Leo autem à Castro dum egregio zelo impiis Iudæis, & eorum fautoribus animosè resistit, aliquando nonnihil prætergreditur lineam, vt hoc ipso loco. *Aiunt enim Iudæi*, inquit, *quomodo propheta iubet regem Achaz petere signum à Deo, quo intelligat se liberandum malo illo impendente?* Et cùm ipse non petat signum, datur ei signum tanto post tempore futurum. *Quasi verò*, inquiunt, *rei quæ cras, aut perendie sit futura, signum esse possit rei, quæ post annum millesimum futura sit?* Et respondet Leo

*Improbatur*

non iuberi Achaz petere signum liberationis; sed cum putaret Achaz adesse tempus illud vastitatis supremæ, quam Moyses, & Iosue prædixere, & negasset Dominus adesse illud tempus, iubet Dominus illius vastitatis supremæ tempus petere. Sed vnde nouit Leo hoc putasse Achaz, hoc negasse Dominum, cùm id Scriptura nullo modo significet? Respondet esse Scripturæ canonem, vt quæstionem ex ipsa responsione interpretemur. *Vide*, inquit, *quid respondeat Dominus, & intelliges quid insserit quæri.* Ex quo canone nos quoque vrgebimus: vide an calamitatem vllam denunciet ad aduentum Messiæ, & intelliges an ea fuerit petita, aut formidata.

VIII. *Quæ sententia prophetæ.*

Sententia ergo prophetæ hæc est. Iubebat Esaias formidolosissimo tempore Achaz quiescere, bonoque animo esse: spondebat consilia, & conatus regum istorum irritos fore; quin imo ipsis, ipsorumque regnis imminere dicebat interitum, cùm maximè florere, & triumphare videbantur. Id ergo quia minimè credibile videbatur, incredulo regi, atque impio, ei vltro propheta signum offert, quodcũque tandem elegerit. Signa enim infidelibus necessaria sunt; quod cùm ille petere nollet, veritus ne Esaias eum incredulum, & Dei tentatorem arbitraretur, nondum enim fortasse in propatulo, & coram populo impius erat, & Esaiam virum sanctissimum, sibique etiam sanguine iunctum reuerebatur; ratus etiam rem fieri non posse, & signa falsa, & fallacia fore; instat propheta, & ad conuincendam sibi notam incredulitatem, & diuinam potentiam ostendendam aliquid longè maius, maiorisque potestatis nuntiat, quod facturus sit Dominus; vt scilicet Virgo concipiat, Virgoque pariat Messiam, qui liberaturus sit populum ab hostibus longè perniciosioribus, Satana, morte, idololatria, & omnibus peccatis suis.

IX. *Præsenti miraculo fides conciliatur futuro.*

Neque verò nouum est prophetis, quod ipse quoque Castrius post Procop. notauit, quædam citò, quædam tardè futura coniungere, vt experientia comprobatæ veritatis in vnis, aliis astruat fidem; quæ sub experientiam præsentium

& viuentium non cadunt. Imminebat libertas à Syris, & Samaritis, & vtrorũq; ruina; longè autem distabat Christi incarnatio; huic ergo illa merito facient fidem. Porro non longè abesse ruinam hostiũ Achaz, illis verbis indicat. *Quia ante quam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum*, quod intra triennium puerulis, aut etiam maturius solet cõtingere, *derelinquetur terra, quam tu detestaris*, Syriæ scilicet, & Israëlis, quæ te grauissimis cladibus affecerunt, *à facie duorum regum suorum*. Rasin scilicet, & Phacee, dominis, siue regibus ipsius, vt rectè explicat Sanctius; quippe qui ambo proximè sequenti anno perituri erant.

X. *Prænunciatur clades à Nabuchodonosore.* ILLA autem quæ sequuntur. *Adducet Dominus super te, & super populũ tuũ, & super domũ patris tui, dies qui non venerunt à diebus separationis Ephraim à Iuda, cum rege Assyriorum.* Quæ nonnulli ad vltimam Iudæorum sub Tito, & Vespas. cladem referunt, vt Castrius; alij ad filiorum Iosiæ tempora, vt Hieron. alij ad Ezechiæ, atque Sennacherib, vt Vatabl. & Sa, qui propterea illud. *cum rege Assyriorum*, cõiungit cum *adduces*, vt sit sensus, per regem illum puniet te, & populum tuum, quem tu magnis ad te muneribus accersis. Malim tamen assentiri S. Hieron. Illa quippe tempora Sennacherib non fuerunt omnium calamitosissima regno Iudæ, sed Israelis; at tempora Nabuchodonosoris populo Achaz summam vastitatem attulerunt Clades autem Vespasiani, æque vtrique regno, & omnibus tribubus calamitosa fuit. Sequentia quoque de musca Ægyptia, & api Assyria eandem expositionem confirmant. Tempore enim Iosiæ, & filiorum eius alternatim ve*Et vicißim ab Ægyptiis.*niebant Ægyptij, & Assyrij, prout modo cum his, modo cum illis fœdus inierãt, & Iudæam certatim d uastabant: donec venit Nabuchodonosor Chaldæus, factus Assyriorum monarcha, qui sicut nouacula pilos nobiles, ignobilesque radit: ita ille optimates, & principes, & plebeios, eradet de terra sua, & captiuos abducet in Babylonem.

XI. *Achaz auxilia Assyriorum euocat.* CVM interea ciuitas obsidione ab vtroq; rege premeretur, nec Achaz impius multum moraretur prophetæ minas, aut promissa, vel quod à Deo non speraret auxilium, quem perfidè deseruisset: vel si sapientius de eo æstimare placet, quod Deo cooperandum esse arbitraretur, non autem expectandum, vt otiosis in sinũ victoria cœlitus deuolaret. *Misit nuntios*, vt ait Sacer historicus [a], *ad Theglath phalasar, regem Assyriorum dicens, seruus tuus, & filius tuus ego sum; ascende, & saluum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Israel, qui consurgunt aduersum me.* Qua in re mini- *non rectè.* mè dubitandum est ab rege Achaz peccatum fuisse; siue quia ab homine profano auxilium petit; quam ob causam rex Asa à propheta reprehensus fuit, quod pugnaturus contra Baasam, Syrorum auxilium euocasset [b]; siue quod nominatim Deus illi per Esaiam securitatem ab istis regibus spoponderat, & signum obtulerat, quod ille neglexerat; sicque & prophetæ, & Deo molestus fuerat.


[a] 4. Reg. 16 7.
[b] 2. Par. 16 1.9.

XII. *Et munera promittit.* SVBDIT autem Scriptura, missa munera regi Assyriorum. De quibus primũ corrigendus Leo Castrius, qui hisce muneribus pacem à rege Syriæ emptam dicit; moxque rupto fœdere Syrum coniunxisse copias cum rege Israel. Quod ex *Ac defert.* Scriptura apertè refellitur, quæ affirmat ea missa Assyriis in ruinam Syrorũ, & Israëlitarum. Verùm deceptus est Leo, dum non rectè temporibus suis bella distinguit. Deinde munera non tam missa, quam promissa per nuncios videtur, & postea à rege Achaz ad eum in Damascum allata. Nam [c] vbi de missis hisce nũtiis agitur, nulla numerum fit mentio. Sed mox [d] dicitur ipsemet Achaz dedisse munera regi Assyriorum, vt quæ coniũcta narratione fuerant in lib. Reg. in posteriore libro, vt erant tempore seiuncta, ita & loco separentur.

[c] 2. Par. 28. 16.
[d] vers. 21.

XIII. *Munera nõ delata per nuncios.* SED ratio etiam ipsa hanc exigit expositionem. Cum enim Ierusalem arctè à gemino exercitu regio obsideretur, non facilè fuit elabi nuntios, nedum ingens pretiosarum rerum numerus ab eis tuto perferri. Adde quod nec prudentis est laborem, & auxilium alienorum mercede anteuertere. Itaq; non facilè acquiesco Iosepho [e], licet ex parte sententiam nostram confirmet; cùm ait Achaz, missa ad Assyriorum regem legatione, auxilium ab eo petiisse contra Israëlitas, & Damascenos atque Syros; magnam pecuniam illi pollicendo, in præsens etiam magnifica munera mittendo.

[e] l.9.c.13.



## ANNVS MVNDI 3296. QVINTÆ AETATIS 357. TEMPLI 274. ACHAZ REGIS IVDÆ 3. PHACEE REGIS ISRAEL. 20.&VL. VRIÆ PONT. 3. EXCISÆ TROIÆ 426. THEGLATH-PHALASARIS 18. IMPERII ASSYRIORVM 1364. OLYMPIADIS V. ANNVS 3.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 757.



MAGNAM huius anni partem tenuit obsidio, dum Assyrius exercitum cogit, & venit in Syriam. Cuius obsidionis occasione, promissæque ab Esaia propheta libertatis, multa ipse deinceps; diuino spiritu afflatus, de Christo venturo, & mortales de hostium suorum durissima seruitute liberaturo vaticinabatur. Quale est illud oraculum, quo, sub alia figura, partus describitur virginalis, vt ibi ait Hieronymus: vbi propheta iubetur à Domino sumere sibi magnum volumen, & in eo scribere *velociter spolia detrahe, cito prædare*, & natum sibi filium vocare. *Accelera spolia detrahere, festina prædari. Quia*, inquit, *antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam*: id est, antequam possit dicere infantulus, qui tibi natus est, pater mi, & mater mea, id est intra paucos menses, *auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.* (NVM. I. *Aduentat Assyrius.*) (ca. 8. 3.) (*Esaias prophetat fa|ctus.*)

ADHIBVIT autem huius prophetiæ testes, *Vriam pontificem, & Zachariam filium Barachiæ; Quem prophetam fuisse dubium non est*; ait Hieronymus. Hoc autem vaticinium tam ad annum præcedentem pertinet, quàm præsentem; & ad spem libertatis, & auxilij in obsidione, refertur. Rursum prophetat contra populum Israëliticum, qui maluit regi Syriæ adhærere, & Phacee regi Israël, quàm regi Iudæ pacifico. Superuenturum eis Assyriorum regem, tanquam fluuium inundantem, totum regnum Israëlis latè deuastantem, & abripientem in captiuitatem; sed & vniuersum regnum Iuda, excepta Ierusalem, quæ caput erat regni; id enim significatur illis verbis, interprete Hieronymo. *Et ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet.* Adducet videlicet ad vltimum vsque discrimen, quale est eorum, qui ad collum vsque demersi sunt in aquis. (II. *Et verbis de clade imminente.*)

Hoc eodem tempore obsidionis, & eius occasione Esaias denunciat natiuitatem, passionem, & prædicationem Christi, quæ in Galilæa, & terra Zabulon, & Nephtalim initium erat habitura; & eius beneficio mundus à regno tenebrarum, & iugo seruitutis Satanæ eripiendus. Inde multis mysteriis in medio positis, vt ait D. Hieronymus, [a] reuertitur ad cœptam euersionem Rasin, & Ephraim, qui sperabant, expugnata Hierosolyma, damna ab Assyriis accepta magnificentius restaurare. At prædicit vtrosque quamprimum perdendos, quod Dominus roboraturus sit, & conglobaturus hostes Rasin contra eum. Et rursum Syri de amicis hostes facti, ab oriente; Philisthæi ab occidente sint Israëlem toto ore deuoraturi. Hæc autem Castrius ad tempora Titi, & Adriani refert. (III. *Alia eiusdem vaticinia.*) (a in c. 9. Esaiæ 8. 9.) (Hieron.)

INTEREA Theglath-Phalasar tum regis Iuda humilitate, & precibus, tum munerum promissione allectus, tum etiam Syriacæ, atque Israëliticæ prædæ spe excitatus, [b] *acquieuit voluntati eius. Ascendit enim in Damascum, & vastauit eam.* Agrum, vt fit, primo depopulatur. Quod Rasin intelligens, relicta obsidione Ierusalem, domum cum suis copijs redit, ne dum affectat aliena, nec ea acquirat, & insuper amittat sua. Et, quod admodum credibile est, cum Assyriorum rege congreditur, pugnaque superatus occubit; aut certè pauló post ab hoste interficitur. Assyrius autem victoria vsus Damascum occupat, & diripit, & eius habitatores, Cyrenen transfert, id est in superiorem Mediam, vt Iosephus interpretatur; licet Genebrardus Hieronymum, & alios secutus Cyrenen Æthiopiæ (IV. *Assyrius Syriam vastat, & Rasin interficit.*) (b 4. Reg. 15. 9.)

putet, quæ toto cœlo distabat ab Assyriis.

V. Et Syros abducit in Mediam, sibi subiectam.

Iosephus sic habet. [a] *Vastata Syria, expugnataque Damasco, Rasim quoque regem occidit: Damascenos verò in superiorem Mediam populariter traduxit, & pro illis quasdã Assyriorum gentes in agrum Damascenum reposuit.* Et sic ad verbum adimpletum est, quod Amos [b] prædixerat. *Et mittam ignem in domum Hazael, & deuorabit domos Benadad, & conteram vectem Damasci, & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo volùptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus*: id est, Mediæ ciuitatem, ita dictam, vt interpretantur Emanuel Sà, Ribera, Christophorus Castrius, & alij multi Iosephum secuti. Vnde rursus aliud argumentum ducitur, Medos hoc tempore Assyriis fuisse subiectos; neque enim, vt ait Christoph. Assyrius in alterius principis regionem captiuos suos abduxisset.

a l.9.c.13.
b c.1.5.

VI. Res ab Assyrio contra Israelem gesta, Vitulus aureus Dã.

Misit etiam populabundum exercitum in Israëlem, vnde & multam abstulit prædam, vt testatur Esa. [c] & Ioseph. loc. cit. *Israëlitarum deinde terram populatus, multos ex ea captiuos cõprehendit*; quæ est secunda Israëlitarum captiuitas, quam à Scriptura disertè traditam non inuenio, & Esaias spoliorum tantum meminit. Chronicum Hebræorum c. 22. ait hoc anno Assyrium abstulisse ex Dan vitulum aureum. Phacee autem rex Israel, siue quia desertus erat in obsidione à Syris, siue quia domi prouidendum erat contra Assyriorum impetum (vbi etiam non deerant, qui res nouas molirentur) tam potenti aduersario superueniente territus, ad regni sui defensionem, relicta Hierosolyma properauit.

c c.8.4.

VII. Phacee domi occiditur.

Quo tempore cõiuratio Oseæ filij Ela, qui fuit vnus de charioribus eius aulicis, vt ait Iosephus, ex insidiis in apertam erupit audaciam, & percussum Phacee interfecit, regni eius anno vigesimo. Sic Deus peccatorem, per ea quæ peccauerat, puniens, insidias insidiis, & coniurationem coniuratione rependit. Sic qui regem dominum suum seruus occiderat, à seruo suo rex, & dominus est occisus: & qui proprio scelere regnum alienum inuaserat, alieno scelere proprium regnum amisit. Sic breui, iuxta verbum Esaiæ, duæ titionum fumigantium caudæ extinctæ sunt, Assyriorum fluuio inundante. Dicitur porro hic annus Ioathami vigesimus [d], quia si is adhuc vixisset, vigesimum hoc tempore inchoaret.

d 4.Reg.15.30.

VIII. Achaz adit Assyriũ cum muneribus.

Interim perfunctus periculo Achaz, & pernicie in ipsos hostes diuina prouidẽtia deriuata, perrexit in occursum Theglath-phalasari regi Assyriorum Damascum, qui ibi cum exercitu victore resederat, vt eum scilicet mox Hierosolymam, quasi triumphantem deduceret; detulitque ad eum muneris loco, quidquid auri, argentique corradere potuit ex domo Domini, & ex thesauris suis [e], imo etiam ex domibus principum Iuda [f]. Igitur Achaz spoliata domo Domini, & domo regum, & principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit: Deo eius infidelitatem, & diffidentiam vlciscente. Cùm enim monente Esaia propheta, nihil sibi timendum à regibus Syriæ, & Israëlis didicisset; contra eos tamen Assyrios euocauit, in quorum gratiam ipse sacrilegè domum Dei spoliauit, & palatium suum, domosq; optimatum suorum exinaniuit; & insuper ab eodem vastatus est, vt postea dicetur.

e 4.Reg.16.8.
f 2 Paral.28.21.

IX. Quanta ea essent.

Maxima autem fuisse intelligi potest ex diuitiis, & gloria Oziæ, & Ioathami, plurimis annis, longaque pace illibatis; neque enim Razim, neque Phacee vrbem regiam attigerant; quin etiam munera huiusmodi esse debuerunt, quæ magno Assyriorum monarcha non indigna videri possent. Ex Hebræo habetur diuisisse Achaz thesauros, tam templi, quàm prophanos, vt superesset, quod altera vice dari posset, aut ipsemet diripere: vt postea dicetur. Post Syros ad hunc modum tractatos, ait Iosephus, [g] Rex Achaz sublato, quantum erat auri, & argenti in regiis thesauris, atque etiam in ipso templo, & donariis quotquot erant pulcherrima, hæc secum deferens venit Damascum, & sicut ante pactus fuerat, omnia regi Assyriorum tradidit.

g l.6.c.13.


X. Altaris Damasceni formã mittit Hierosolymam.

Damasci cùm esset Achaz, templum profanum Syrorum ingressus, vidit ibi altare, diis Syrorum excitatum, cuius cum formam adamasset, misit Hierosolymam ad Vriam sacerdotem, siue pontificem, ideam, atq; exemplar accuratum illius, iussitque simile Hierosolymis ab eo fieri. *Misit rex Achaz*, inquit Scriptura [h], *ad Vriam sacerdotem exemplar eius, & similitudinem, iuxta omne opus eius.*

h 4.Reg.16.10.

Significatur his verbis operosum fuisse id altare, magniq; artificij. IdqueChaldæus quoq; Paraphrastes, & Septuag. declarant; & sanè egregij cuiusdam artificij esse oportuit, vt ei Hierosolymitanum præ illo vilesceret. Nisi idem contigisse dicamus regi Achaz, quod insanis adulteris; qui nobiles, & eximiæ formæ matronas vxores, præ vilibus scortis negligunt; & furtiuas aquas generoso viuo dulciores putant.

IX. *Ratio temporis.* CÆTERVM cùm hoc opus ad reditum Achaz è Syria perfectum fuerit, vt mox dicetur; & credibile sit regem Assyriorum magno cum apparatu, & triumpho Hierosolymis receptum; dum ea apparantur, non solum præsens annus, qui erat in exitu cum Phacee occisus est, vt Torniellus quoque fatetur; sed multi quoque menses subsequentis abierunt, neque se reges itineri satis longinquo, nisi vere ineunte, àut etiam tardius dedisse videntur.



ANNVS MVNDI 3297. QVINTÆ AETATIS 358. TEMPLI 275. ACHAZ REGIS IVDÆ 4. OZEÆ REGIS ISRAELIS 1. VRIÆ PONTIF. 4. TROIÆ EXCISÆ 427. THEGLATH-PHALASARIS 19. IMPERII ASSYRIORVM 1365. OLYMPIADIS V. ANNVS 4.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 756.



ENSIBVS aliquot in Syria, & Damasco ab vtroque rege positis, & illius prouinciæ rebus compositis, pro Assyrij regis arbitrio, Hierosolymam venerunt, sub initium anni Sabbatici centesimi secundi, cuius ritus haud obscurum est ab impio rege fuisse neglectos Hierosolymis; vbi è contrario quanta maxima fieri potuit magnificentia, ludorum, epularum, sacrificiorum, quorum mox fit mentio, & beneuolentiæ significatione exceptus est Theglath-phalasar. Voluit enim Achaz tam potentem principem sibi omni officio, atque obsequio demereri, vt eo quasi propugnaculo, contra vicinos omnes populos vteretur. Demens, qui non animaduertit se illam prophetæ maledictionem incurrere.[a] *Maledictus homo, qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius.* Cùm posset habitare in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cœli commorari. Vnde & factus est quasi myricæ in deserto, & præ summa spiritualium, & temporalium bonorum siccitate exaruit.

I. *Achaz cum Assyrio Hierosolymam venit. Annus Sabbaticus 102.*

a Ierem. 17. 5.

II. *Et in nouo altari sacrificat.* EXTRVXERAT porro Vrias sacerdos altare, *iuxta omnia, quæ præceperat rex Achaz de Damasco. Cumque venisset rex de Damasco, vidit altare, & veneratus est illud, ascenditque, & immolauit holocausta, & sacrificium suum*; quod scilicet regis nomine offerebatur, quod mox vocatur holocaustũ regis, & sacrificium eius, *& libauit libamina, & fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare.* Vtrum autem ipse per se hæc fecerit, an per sacerdotes, non facilè dixerim; eò tamen magis propendeo, vt rex ipse in nouo suo altari sacerdotem agere voluerit: idque innuunt verba textus [b]. Non enim dicitur tantum vidisse, & veneratus esse altare, sed etiam ascendisse super illud; vt habent Septuag. regia, & immolauisse. Per alium quidẽ immolare potuit, sed quomodo per alium ascendere super altare? Deniq; in eandem sententiã referri possent illa verba ex 2. Par. [c] *Auxit contemptum in Dominum ipse per se rex Achaz, immolauit diis Damasci victimas*, &c. Verum in Hebr. legitur. *Et immolauit*, separato versu, ita ut illa, *ipse per se rex Achaz*, ad priora referantur.

b 4. Reg. 16. 12.

c c. 28. 23.

III. *Quomodo impune.* AT, inquies, quomodo lepra percussus non est, vt Osias? Quomodo id sacerdotes permiserunt? Nimirum reseruatus est impius in diem malum [d]: hic autẽ punitus est in hac vita, ne in æternum periret. Vigorem autem sacerdotalem emarcuisse ex eo patet, quod tam facile Vrias ad impij principis iussionem al-

d Prouerb. 16. 4.

tare legitimũ non solum auferri permisit, sed & ipse quoq; aliud sacrilegum, ex idolorum disciplina, construxerit, & in eo illegitimè legitima sacra peregerit, vt eum propterea Genebrad. Ecebolio similiorem dixerit, quam Ambrosio. Abulensis [a] putat, aut lapsum in idololatriam, vna cum rege, vel certe adulatione, vel metu deliquisse. Nec obstat, quod Esa. 8. testis fidelis, siue fide dignus dicitur. Id enim dignitati eius non moribus datur. [a q. 12 in c. 15. 4. Reg.]

IV. *Assyrij aduentus luctuosus Achaz, & populo eius.* CÆTERVM hunc Assyrij aduentum fuisse ipsi Achaz, & Hierosolymitanis luctuosum patet ex 2. Paral. [b] vbi dicitur Dominus adduxisse contra Achaz *Teglath-phalasar regem Assyriorum, qui afflixit eum, & nullo resistente vastauit*. Significans barbarum illum se gessisse Hierosolymis, non vt amicum, & socium, sed vt hostem, & prædonem; & sic impletum est illud Ioas [c]. *Transierunt bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum*. Infida nimirum est, & perniciosa inæqualium societas. Et hanc expositionem esse Hebræorum affirmat Lyranus, & merito sequitur, quemadmodum & Vatablus: etsi Torniellus in anno 12. Achaz hunc nouum aduentum Assyriorum contra Iudam, & Ierusalem ponat, sine vllo fundamento; quippe qui nullam in Assyrio aduentus causam ponat. Iuuari tamen potuit versione Pagnini, qui textum Hebræum sic vertit, *Et venit ad eum Teglath phalasar rex Assur, & obsedit eum, & non roborauit eum.* [b 28. 10.] [c 4. Reg. 14. 9.] *An nouus hic fuerit.*

V. *Non videri* SED eam obsidionis vocem sustulit Montanus, & substituit. *Et angustiæ fuit ei.* Septuaginta Sixti ἔθλιψεν αὐτόν, rectiùs quam regia ἐπάταξεν αὐτόν. Vatablus, oppressit, vel affecit angoribus, id est, fuit illi oneri, *reduxitq. eũ ad summam penuriam pecuniæ: nam exhausit eam totam*, sic ipse. D. autem Hieronymus agnoscens miosim in illis verbis, *& non roborauit eum*, eam exinanitionem, eleganter vastitatem appellauit, quæ tanta fuit, vt præsentes, futurasque opes exhauriret. Nam tributum graue regi, & regno imposuit, quod ille perseuerauit pendere vsque ad mortem, & vsque ad regnum Ezechiæ: vnde [d] dicitur Ezechias rebellasse cõtra regem Assyriorum, & non seruiuisse ei: id est, desiisse ei esse tributarium, vt exponit etiam Vatablus, & Abulensis. [d 4. Reg. 18. 7.]

VI. *Indignatio Achaz.* CVM ergo Achaz animo vehementer affligeretur, videns se prædæ esse Assyriis, & qui fortasse sperauerat sibi per eos restitutum iri, quæ nuper Iudæis Syri, & Israëlitæ abstulerant, ab iis vastari se sentiens, à quibus expectabat auxilium, non habebat quo se verteret, aut quid consilij caperet. Nec tamen confugit ad Dominum infelix, nec aperuit oculos, vt videret imminẽtem sibi nuper cladem à regibus Syriæ, & Israëlis, Dei ope, ac prouidentia, iuxta vaticinium Isaiæ fuisse discussam, sed industriæ suæ, & viribus Assyriorum tribuit salutem, & libertatem suam. Nunc deniq; videns illum ipsum Assyrium Hierosolymis grassari, furore animi in transuersum actus, & indignationem, quam in Theglath phalasarem non poterat, effundens in ipsum Deum, diripuit omnia vasa domus Dei, atque confregit; clausitque ianuas templi Dei, vt nec ipse eum coleret, nec ab vllo coleretur. Ille autem Syrorum, Israëlitarum, & Iudæorum spoliis supra modum onustus, in Assyriam reuersus est, vt alio quoque loco dicetur.

VII. *Quanta, & quam multiplex impietas Achaz.* QVONIAM igitur hoc anno maximè videtur tota regis Achaz impietas foras erupisse, quæ à principio inchoata, in reliquos deinceps annos propagata est, eam omnem in hunc locum, quasi sub vnum aspectum congeramus. Quatuor genera impietatum Achaz Script. commemorat, postquam vniuersè dixit eum non fecisse, rectum in conspectu Domini, sicut Dauid pater eius, sed ambulasse in viis regum Israel, & Idololatriam eorum imitatum fuisse, propter quod etiam rex Israel à Script. appellatus est, in Hebr. textu [e]. Vbi Hieron. ait in eo solo loco Achaz, vocari regem Israëlis; *non quod super omnem Israel regnauerit, sed quia secutus est opera regum Israel, in tantum, vt nullus ante eum de regibus nequior fuerit.* Sic Hieronymus. Septuag. tamen, & Vulgata ibidem legunt regem Iuda. [e 2. Par. 28. 19.] *Achaz dictus rex Israel.*

VIII. *Idola multiplicauit.* PRIMA igitur mali labes, & omnium calamitatũ eius origo fuit, quod propria malitia alienatus à Deo, patris, & aui, quibuscum diu versatus fuerat, pietate neglecta, idololatriam adamauit. Nec contentus idolis, si qua fortè Hierosolymis inuenire potuit, statuas idolorum opere fusorio condidit in honorem Baal. *Ambulauit*, inquit Scriptura, *in viis regum Israel, insuper & statuas fudit Baalim* [f]. [f 2. Par. 28. 2.]

Cúmque Amasias proauus eius, idolis ex Idumæa aduectis contentus fuisset, voluit hic copiam huiusmodi statuarum Baalis habere, quæ *in vniuersis angulis Ierusalem*, & in omnibus regni sui vrbibus spargerentur, vt vbique idololatria celebraretur; [a] Dei cultus, qui in Iuda duntaxat reliquus erat, penitus antiquaretur.

a 2. Par. 28. 24. 25.

IX. *Altaria vbique erexit.*

Secvndo cùm altaria nusquam habere liceret Hebræis, nisi Hierosolymis, & quidem in templo Domini; ipse aras sibi fecit, in quibus simulachra statueret, in omnibus angulis Ierusalem, siue, vt alibi queruntur prophetæ, *ad omne caput viæ.* Nam Ezechiel. [b] *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.* Et rursum. [c] *Fabricasti lupanar tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni platea.* Sic Ieremias, & alij passim Iudæ regnum accusant huius spiritalis nequitiæ, sub allegoria corporeæ. Nec contentus Achaz regiam vrbem ita polluere, & incestare, *in omnibus quoque vrbibus Iuda extruxit aras, ad cremandum thus* (diis alienis, Hebræ. & Septuag.) *atque ad iracundiam prouocandum Dominum patrum suorum.* Altare etiam illegitimum erexit in templo Dei, legitimum autem, quod à Salomone excitatum fuerat, euertit, & sustulit; vt mox dicemus. [d]

b c. 16. 24. 25.
c c. 16. 31.
d 2 Par. 28. 24.

X. *Et sacrificauit variis idolis.*

Tertio sacrificauit idolis, præsertim Syrorum, quæ colebantur in Damasco: pro quo facinore insultat ei Scriptura. [e] *Immolauit diis Damasci victimas, percussoribus suis, & dixit; dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi: cùm è contrario ipsi fuerint ruina ei, & vniuerso Israel.* Sacrificauit etiam Achaz Idolo Ammonitarum, quorum Deus Moloch in valle filiorum Ennon secus Ierusalem colebatur. [f] Duo autem eius sacrificiorum genera Scriptura commemorat, alterum vulgare, & quotidianum, quod fiebat in collibus, & excelsis locis, vbi lucos, & nemora non cædua idolis dicata frequentabant, vbi sacrificiis, epulis, choreis, luxuriæ vacabant, locorum ipsorum amœnitate pellecti; & passim in vrbibus, tam in fanis, quàm sub dio, iuxta ea, quæ paulò ante dicebamus.

e 2 Par. 28. 23.
f 2. Paral. 28. 3.

XI. *Igne comburendo filium.* *Infantum sacrificia.*

Altervm vt magis scelestum, ita & minùs frequentatum fuit; magis, inquam, scelestum, quippe quod ipsum scelus idololatriæ, innocentum puerorum cæde, per ipsas nefarias crudelissimorum parentum manus, cumularet. Quamquam dubium est semper ne infantes inter cõplexus Idoli ænei Moloch cremarentur; tympanis interim sacerdotum eius, tubisque personantibus; vnde locus ille, non solùm vallis filiorum Ennon, sed etiam Topheth, id est, tympanum, dictus est. An verò tantum idolo offerrentur, & per ignem transferrentur, quod erat infantes lustrare. Itaque quod dictum erat in 4. Regum. [g] *Insuper & filium suum consecrauit, transferens per ignem, secundum idola gentium.* In 2. Paral. [h] dicitur. *Et lustrauit filios suos in igne, iuxta ritum gentium.* Lyranus vtrumque fieri solitum ait. Et quod ad hunc regem attinet, ait eum vnum de filiis suis comburendum dedisse. Idem affirmat Abulensis, [i] & Adrichomius, secuti Iosephum. [k] *Achaz,* inquit, *erga Deum impiissimus omnium, & patriarum legum desertor, ad imitationem Israelitarum regum se contulit, aras Hierosolymis erigens, & in eis idolis sacrificans, quibus etiam proprium filium holocaustoma obtulit, ritu Chananæorum; & his similia multa perpetrauit.*

g 16 3.
h 28 3.
i q. 3. in ca. 16. 4. Reg.
k l. 9 c. 12.

*Vt vult Iosephus.*

q. 25.

XII. *Traducendo potius per ignem.* *Lustratione superstitiosa non exustione.*

Hanc Iosephi sententiam refert, & improbat Theodoretus in 4. Reg. aitque eam traductionem per ignem, siue lustrationem significare genus erroris, *quod ad nos vsque,* inquit, *peruenit. Vidi enim in aliquibus ciuitatibus semel in anno accendi rogos, & trans eos saltare aliquos, non solùm pueros, sed etiam viros, infantes autem per flammam ferri à matribus. Videbatur autem istud quædam esse expiatio, & purgatio. Existimo autem hoc quoque fuisse Achazi peccatum.* Hæc ipse; Et reuera Scriptura non habet quod Iosephus; sed transitum tantum, vel traductionem, tam in Hebræo, & Chaldæo, quam Græco, & Latino; quæ erat tantum quædam expiatio superstitiosa, vt vult Theodoretus, quæ sæpius aspersione aquæ, aliquando etiam igne fiebat: vt scilicet sicut metalli rubigo igne tollitur, sic personæ ab immunditia; isto per ignem transitu, eximerentur; vt notat etiam Lyranus. Quod si vnum de filiis combustum daremus, etiam de pluribus id concedendum esset; nam in 4. Regum de vno agitur, in 2. Paral. de pluribus. Certius igitur dicendum videtur Achaz filium suum exurẽdum minimè dedisse, sed eum illa traiectione lustrasse,

*Dicauit Moloch.*

& dedicasse idolo Moloch, vt eius cultui peculiariter esset addictus.

XIII. *Violauit templum spoliando.* QVARTO in templum Dei, Iudæis hactenus sanctissimum, & omnibus gentibus honoratissimum, contumeliosissimus fuit. Nam illud, non secus ac rex aliquis barbarus, idolorum cultui, & veri Dei odio à puero innutritus, tripliciter violauit, spoliando, profanando, claudendo. Spoliauit enim domum Domini, non secus ac profanas regum, ac principum domos, vt daret regi Assyriorum munera: diripuit omnia vasa domus Domini, atque confregit; denique collegit omne argentum, & aurum, quod inueniri potuit in templo: quæ pater eius Ioatham, & auus Ozias plurimis annis, vel fecerant ipsi, vel ab Israëlitis, aliisque hostibus recuperauerant.

XIV. *Quomodo id factum ab aliis sine culpa.* ET erat quidem in more positum apud reges Iudæ, vt quando non sufficiebant thesauri regii, ad auertendam aliquam belli cladem, vel tributa soluenda, in huiusmodi necessitatibus, sacros thesauros consumerent, & eos rursus ex hostili præda, manubiisque repararent, vt ait Theodoretus. [a] Itaque neque hoc in Ezechia culpatum est. At Achaz hoc ipso in facinore impius fuit, qui cùm haberet fideiussorem Deum, ne timeret reges Syriæ, & Israëlis, nihilominus Assyrium cum huiusmodi muneribus accersiuit[b]; rursumque ea prædonis in morem sustulit. Verùm vt in hoc crimine Achaz impius non fuerit, certè infelix fuit, quippe cui nihil profuit ista largitio. [c]

XV. *Prophanū reddidit templum, sublato altari legitimo.* SED necessitatis hoc fuerit: in extremis malis, ad extrema remedia ventum sit, neque solus hoc fecit, neque primus. Certè prophanatio templi non necessitatis, sed impietatis fuit; cùm legitimum altare æneum, in quo sacrificabatur, quod erat coram Domino, (nam ex medio atrii leuitici recta respiciebat sanctum sanctorum) transtulit de facie templi, ibique altare suum collocauit; & alterum altare legitimum posuit ad latus aquilonare altaris sui, iussitque in illo suo altari maiori iugiter sacrificari statis horis, neglecto altero, quod fuerat à Salomone constructum, & sanctificatum.

XVI. *An in templo sacrificauerit idolis.* VERVM Deone, an idolis ibi sacrificaretur dubitari potest. Et quidem sacrificatum Deo dicendum videtur; quia id fiebat ab Vria Pontifice, ritu, modoque consueto. [d] Rex autem ipse per se immolabat diis Damasci. Quòd si idolis in templo sacrificasset, minimè id Scriptura tacuisset, vt de Manasse patet. [f] Theodoretus in 4. Reg. existimat aram, quam Achaz iussit in templo ædificari, non Deo vniuersorum, sed alicui ex iis, qui falsò denominantur dii, fuisse constitutam. An autem ibi sacrificatum fuerit idolis, disertè non asserit: asserunt tamen Genebrardus, & Adrichomius, & ante vtrumque Abulensis [g] Ait enim sublatum altare Dei, vt non illi vltra sacrificaretur; sed omnes administrationes fierent in altari nouo, quod erat ad honorem deorum Damasci, illisque cultus omnis sacrificiorum tribueretur.

XVII *Altare an conuersum in horologium Achaz. Nō videri.* AIT quoque Adrichomius de veteri illo altari factum fuisse horologium, quod postea dictum est horologium Achaz; [h] sed id facilè refellitur ex 2. Par. [i] vbi dicitur sanctificatum à Leuitis altare holocausti, & vasa eius, quod de altari Damasceno non videtur posse intelligi. Neque id religiosus rex Ezechias passurus erat. Adde quod horologium Achaz lapideum fuisse, ex Chald. paraphrast. constat. [k] *Ecce ego reuerti faciam vmbram lapidis horarum, quæ descenderat per gradus Achaz Sol retrorsum decem horis, & retrogressus est Sol decem horis in figura lapidis horarum, quæ descenderat;* idem & 4. Reg. 20. figuram lapidis horarum memorat.

XVIII. *Sublatis & aliis vasis.* PROFANAVIT quoque templum, cùm cælatas bases, & superpositos luteres abstulit, *& mare deposuit de bobus æneis, qui sustentabant illud, & posuit vtraque super pauimentum stratum lapide*, vt ibi nulli vsui esse possent, sed contemptim iacerent in contemptum Dei, qui huiusmodi vasa in cultum sanctuarii fieri iusserat, iuxta illud. [l] *Insuper & tempore angustiæ auxit contemptum in Dominum.* Deinde autem impietate proficiens, ea omnia confregit, vt vsui rursum applicari non possent, & ipse maximam illam vim æris in rem suam conuerteret. *Direptis itaque*, ait Scriptura, [m] *omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei, & fecit sibi altaria in vniuersis angulis Ierusalem.* Itaque hic ordo, & progressus impietatis fuit, primo vt vasa ministerii inutilia redderet, tum ea confringeret, tertio vt templum occluderet, ne à quoquam ibi coleretur Deus: postremo altaria impia

a in 4. Reg. q. 20.
b an. 3 o. & an 4. n.
c 2. Paral. 28. 21 & 4 Reg 16. 8.
d 4. Reg. 16. 15.
e 2. Paral. 28. 23.
f 2. Paral. 33. 4. 5. 7. & 4. Reg. 21 4. 5.
g q. 16 in c. 16. 4. Reg.
h 4. Reg. 20. 1. Esaiæ 38. 8
i c. 29. 18.
k Esaiæ 38. 8.
l 2. Par. 28. 22.
m 2. Paral. 28. 24.

tota vrbe,totoque regno idolis excitauit.

XIX. *Et Musach Sabbati.*

Mvsach *quoque Sabbati*, quod extructum erat in atrio, deiecit, ac sustulit. Id quidam interpretantur pulpitum, Chaldæus exemplar, alij velum, vel operimentum; alij aiunt fuisse tentorium, sub quo sacerdotes, aut Leuitæ perfuncti munere suæ hebdomadæ, quiescerent Sabbato, postridie abituri, vt ait Sa. [a] Septuaginta vocant fundamentum cathedræ Sabbatorum, quod ædificauerat in domo Domini. Significare videntur æneam quandam basim (nam de huiusmodi vasis est toto isto loco mentio) ad eius similitudinem, quam construxerat Salomon orandi causa: super quam regis cathedra, cùm in Sabbatis adesset, aut sacrificiis, aut expositioni diuinæ legis, imponeretur, quam basim vel ille extruxerat, vel aliqui è prioribus regibus. Nam illud *ædificauerat*, Vatablus passiue interpretatur, *extructum erat*.

a Ex Vatabl. 4 Reg. 16.18.

XX. *Sustulit ingressum è regia in templum.*

Profanavit, cùm fecit templum esse quasi vestibulum domus regiæ, vt quidam explicant, [b] vt in regiam non pateret aditus, nisi per templum, vt scilicet tutior esset ab Assyriis, si templum expugnandum prius erat, quàm posset oppugnari, vel inuadi palatium. Sed id difficile intellectu est; nam multò facilius erat oppugnare regiam Achaz, quàm templum ipsum. Lyranus ait Achaz obstruxisse viam, quæ a regia patebat ad templum, quam alio loco diximus fuisse nobilem porticum, supra voraginem Mello impositam, quod Theodoretus significat, vt scilicet Rex Assyriorum inde intelligeret ipsum planè Dei cultum deseruisse, & ad Assyriorum, Syrorum, aliorumque populorum deos transiuisse. Et huic expositioni fauet Chaldæus, qui pro, *conuertit*, habet, *auertit*, Hebr. *circumire fecit*; vt scilicet si quis à regia in templum ire vellet, magno circuitu descendere cogeretur ex monte Sion, & traiicere totum Ophel vt veniretur ad radices montis Moria, indéque in templum quadringentis, aut quingentis etiam gradibus ascenderetur. Superatis scilicet illis templi substructionibus, quæ ad trecentos cubitos in altum attollebantur, vt eo labore regia familia ab adeundo templo Domini auocaretur.

b 4 Reg. 16.18.

XXI. *Occlusit templum.*

Denique [c] *tempore angustiæ suæ*, cùm oportuisset eum ad humiles ad Deum preces, ad saccum, & cilicium, ad cineres, & ieiunium, vel Achabi exemplo confugere, quasi indignabundus in Deum, direptis, latronis in morem, omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit ianuas templi Dei, vt qui iam sibi, domuiq; suæ illius aditum obstruxerat, toti etiam populo occluderet. Et vice versa iussit idololatriam per omnes vicos Ierusalem, & in omnibus vrbibus Iuda celebrari. Cuius impietatis rex ipse ducem se publicè, atque antesignanum præbuit: ne quis tale scelus, tanto exemplo tectus admittere formidaret. Hæc porro omnia non statim perpetrata sunt, sed pedetentim, & per gradus: crescente enim sensim malitia, crescebant etiam à Deo plagæ; & cum plagis contemptus, impietasque crescebat, nimirum *conuersus in arcum prauum* contra Dominum, etiam *tempore angustiæ auxit contemptum in Dominum.* [d] Sed iam omisso Achaz ad Osee regem Israël orationem conuertamus.

c 2. Paral. 28.22.

d 2. Paral. 28.19.22.

XXII. *Initium regni Osee.*

Hoc anno, qui quartus est Achaz, & vigesimus foret patris eius Ioatham, si fuisset adhuc in viuis, regnare cœpit, aut conatus est potiùs, Osee filius Ela, interfecto Phacee rege Israël. Sic enim interpretandus est ille locus. [e] *Regnauitque pro eo vigesimo anno Ioatham filij Oziæ.* Neque enim viuebat Ioatham hoc tempore, vt posset vigesimum regni sui annum agere, qui mortuus erat ante quadriennium. *Voluit Scriptura*, inquit Chron. Hebr. c. 22. *attribuere hos annos regi mortuo Ioatham, & non Achaz viuo, quòd esset impius.* Cui consentiens Genebrardus, ait indignatam fuisse Scripturam impium, & profanum regem nominare, ideoque maluisse dicere vigesimum Ioatham, quàm quartum Achaz. At quomodo deinceps tã in historicis, quàm propheticis libris plusquam tricies nominatur? & Achab, qui eo fortasse deterior fuit, plusquam octuagies? idemque de Manasse dici potest. Id potius factum videtur, quia nondum mentio facta fuerat Achaz, nec fieri debebat adhuc, vsque ad mortem Ioathami, cuius ibi gesta inchoantur; & totum eius regnum in Phacee regno, de quo ibi agitur, includitur. Vigesimus ergo annus Ioatham est, qui vigesimus futurus erat, si tandiu superstes fuisset. Ita sentit etiam Torniellus, [f] & Abulensis. [g]

*Quis sit vigesimus annus Ioathami.*

e 4. Reg. 15.30.

f in an. 275. 1 &c.

g q. 44. in cap. 15 4 Reg.

XX II. *Geminum initium Oseæ.*

CÆTERVM geminum habemus initium regni Oseæ filij Ela; alterum vigesimo Ioatham, siue quarto Achaz, de quo diximus ex 4. Reg. 15.30. vbi apertè dicitur regnasse pro Phacee, quem interfecerat: alterum duodecimo Achaz regis Iuda, vt habetur in Scriptura; [a] ex quo anno noui eius regni anni incipiunt numerari, qui si ab hoc quarto anno inchoëntur, non nouem, sed octodecim inuenientur. Verum priores istos eius annos Scriptura non numerauit; quòd res adhuc turbidæ essent in regno decem tribuum, siue ex domesticis tumultibus vtriusque familiæ, percussi regis, atque percussoris; siue ex Assyriorum oppressione, & dominatione, quorum tunc Oseas potius seruus videbatur, quam rex Israël. Redegerat enim eum in suam potestatem Assyrius, & graui tributo premebat, vt ait Vatablus; ne scilicet meliore essent conditione hostes, quàm amici, Israëlitæ scilicet, quàm Iudæi. Nam istorum gratia illos inuaserat. Itaque ab anno quarto Achaz precariò magis, quàm pleno iure regnabat. Eademque est sententia Abulensis. [b] Et rursum quia reuera Oseæ ab eo tempore quoquo modo regnauit (neq; enim alius tunc in Israële rex fuit) ideo anno duodecimo Achaz non dicitur cœpisse regnare, sed simpliciter regnauisse; licet ibi Vatablus regnauit interpretetur, regnare cœpit.

*Cur priores anni non numerati.*

[a] 4. Reg. 17.1.

[b] q. 2. in c. 17. 4. Reg.

XXV. *Quando factus tributarius, & a quo.*

AT, inquies, quando factus est tributarius? Certè factum fuisse tributarium regis Assyriorum dubitari non potest; id enim perspicuum est ex 4. Regum. [c] Vbi dicitur contra hunc ascendisse Salmanasarem regem Assyriorum, & factum ei fuisse Oseam seruum, reddidisséque ei tributa. Sed dubium est, quando primùm factus sit Assyriis tributarius: an anno hoc quarto Achaz, dum regnaret adhuc Theglath-Phalasar, an duodecimo anno eiusdem Achaz, quando Salmanasar ascendit contra Oseæ, vt ex Scriptura dicebamus. In qua difficultate existimo Osee, & Israelitas nequaquam tributarios factos esse à Salmanasare, hoc anno quarto Achaz. Nam non nisi sub finem regni Achaz regnare cœpit quando mortuus est pater eius Theglath-Phalasar, sed potius ab ipso Theglath.

[c] c. 17. 3.

XXV. *Videri à Theglath-Phalasare.*

SI quis enim rerum statum huius temporis intueatur, facilè intelliget Assyrios, cùm in armis essent in Syria, Israële, & Iudæa, uocatos ab Achaz contra Rasin, & Phacee, occiso Rasin, in potestate quoque habuisse Israëlitas. Interea verò occisum fuisse à suis Phacee, facinoris authore Osea. Ea re cognita Theglath in Samariam venit, siue dum veniret Damasco cum Achaz, & cum eo Hierosolymam peteret, siue cùm rediret Hierosolymis, eius rege, vt diximus, vehementer afflicto.

Cùm ergo Israëlitas adiisset, omnia ex regis cæde confusa, & turbata reperit. Nihilominus eos recenti Syriæ vastitate, & sua non admodum veteri captiuitate perterrefactos, facile ad quasuis seruitutis, & tributi conditiones adegit, eiusque colligendi, & persoluendi curam Oseæ ipsi, qui tum plurimum in ea rep. posse videbatur, commisit, cum nonnulla fortasse promissione regnandi. Sicque domum in Assyriam spoliorum, diuitiarum, & gloriæ plenus reuersus est. Ei autem Osee tributum multos annos cùm fide pependit, id est, vt arbitror, vsque ad mortem eius; quando tributorum pertæsus, rebellauit, & contra se Salmanasarem excitauit, vt suo loco dicemus.



ANNVS MVNDI 3298. QVINTÆ ÆTATIS 559. FVNDATI TEMPLI 276. ACHAZ REGIS IVDÆ 5. OSEE REGIS ISRAELIS 2. VRIÆ PONTIFICIS 5. TROIAE EXCISÆ 428. THEGLATH-PHALASARIS 20. IMPERII ASSYRIORVM 1366. OLYMPIADIS VI. ANN. I.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 755.



OEBOTAS Dymæus Olympiade sexta palmam de stadio consecutus est, vt est in Olympionicarum Anagraphe, & apud Pausaniam in [a] Achaicis. Statua vero ex Delphico quodam responso, octogesima demum Olympiade ei erecta est, vt idem ait. Cùm visum esset Peloponnesiis, vt est in eadem Anagraphe, oraculum consulere, an coronandi essent victores, missus est Iphitus Rex scitatum oracula Phœbi, & vt ex narratione Pausaniæ intelligi potest, id à Phœbo probatum est, primusque ex Achæis coronam meruit Oebotas: qui cum nullum apud suos ciues eo nomine præcipuum honorem esset adeptus, imprecatus dicitur Achæis, ne vllus ipsorum vnquam palmam Olympicam ferret: quod ita contigit, donec eius statuam posteri, 80. Olympiade in Oebotæ honorem in Olympia misissent. I. *Olympias sexta. Oebotas.*

[a] l. 7. p. 111 Gr.

DISCESSERANT Assyrij in terram suam, & Iudæi, Israëlitæ, ac Syri viribus fracti, spoliati opibus, tributis onerati, sicut post multam tempestatem concussa maria, quiescebant; aut sicut animalia ferocia, quæ neque animis, neque robore sibi inuicem multum cedunt, vbi ad prædam mutuò sese multo sanguine cruentarunt, mutuisque vulneribus contrucidarunt, halitu defecti, fractique viribus iacent, dum eorum iras, & auita odia calor nouus, spiritusque redintegret. Verùm ad horum quoque populorum quietem, Syrorum, & Israëlitarum transmigrationes non parum seruiebant. II. *Quis Syrorum, & Hebraeorum status.*

Neque tamen Achaz, aut populus eius quiescebat agere peruersè, aut discebat benefacere, iam tot eruditus malis, vel auferebat malum cogitationum, & operum suorum ab oculis Domini, sed in eis perseuerabat: quippe qui penitus deseruerat, & contemptui habebat Dominum, & meliorum desperatione, in sordibus idololatriæ volutabatur. *Et nominatim Achaz.*

QVANDO Idumæi, qui in cladibus regum Iuda triumphabant, & eorum calamitates certissimam suam felicitatem ducebant, erexerunt caput, & permittente, atque vlciscente numine, *venerunt in regnum Iuda, & percusserunt multos ex eo, & ceperunt prædam magnam.* [b] Neque est, quod in Idumæis causam harum excursionum, aut latrociniorum quæramus. Nam iamdudum cladibus fracti, priuati regibus, seruitute oppressi in rupibus suis, ac speluncis prædones agebant, & rapto viuebant, quo se cumque illi dedissent; in Iudæos præsertim, quibus maximè omnia sua mala ferebant accepta. Neque tamen quicquam à Iudæis aut repugnatum, aut vindictæ sumptum legimus, quandiu impius Achaz reip. clauum tenuit. Ita egregia illa vis bellatorum Iudæ, alternatim sub piis, impiisque regibus florebat, languebatque. III. *Excursiones Idumaeorum in Iudam.* *Qua ex causa.*

[b] 2. Paral. 28. 17.

DE tempore harum excursionum, (neque enim iusto prælio egisse videntur hoc tempore contra Achaz) certi aliquid statui non potest, eæque sub hæc tempora à Torniello quoque ponuntur. Erant enim latrociniis opportuna. Nam etiam mures leonis mortui barbam vellicant. Septuaginta tamen regia habent eo anno commotos contra Iudam Idumæos, quo Achaz ab Assyriis auxilium petiit; sed Græca Sixti, & Basilææ habent tantum, *In hoc*, scilicet tempore: nec Hebraicè annus, vel tempus determinatur. Itaque tuto etiam licet non magnifacere Chronicum Hebræum, dum & Phaceæ contra Iudam victoriam illam IV. *Quando contigerint.* *Opinio Hebræorũ improbatur.*

maximam, & has Idumæorum velitationes, & quæ mox referemus bella Philisthinorum, omnia ad 17. Phacee annum coniicit, in quo vix cœperat regnare Achaz, nec ea perpetrauerat, ob quæ punienda, Dominus tot in eius caput hostes armauit. Adde quòd accersitus Assyrius contra Syros, & Israëlitas, etiam contra Idumæos, & Philisthæos aduocatus foret, eosque cum reliquis bello facilè oppressisset: ideoquè merito hæc Philisthæorum bella, posteriora reditu Assyriorum putamus. Quod ita probabile arbitror, vt ea in posteriores annos Achaz differenda potius putem, quàm anteuertenda.

V. Romuli, & Remi adolescentia. AD hæc circiter tempora pertinent, quæ de Romulo, & Remo, quorum hic erat annus decimus quintus, apud Liuium, & Dionysium leguntur. [a] *Ita geniti,* inquit ille, *ita educati, cùm primum adoleuit ætas, nec in stabulis, nec ad pecora segnes, venando peragrare saltus. Hinc robore corporibus, animisque sumpto, iam non feras tantùm subsistere, sed in latrones præda onustos impetum facere, pastoribusque rapta diuidere; & cum his, crescente in dies iuuenum grege, serias, ac iocos celebrare;* quæ dicta sunt Lupercalia, Pani Arcadio sacra, qui homines in lupos vertere dicebatur, vt Ouidius, [b] de Lycaone fabulatur. (Lupercalia.) ([a] l. vtriusque 1.) ([b] l 1. Metamorph.)



## ANNVS MVNDI 3299. QVINTAE ÆTATIS 360.

### TEMPLI FVNDATI 277. ACHAZ REGIS IVDÆ 6.

OSEE REGIS ISRAELIS 3. VRIÆ PONTIFICIS 6.
EXCISÆ TROIÆ 429. THEGLATH-PHALASARIS 21. IMPERII ASSYRIORVM 1367.
OLYMPIADIS VI. AN. 2.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 754.

I. Philisthei vexant Iudam.



D hunc & aliquot annos sequentes Philisthæorum bella, & damna, temporibus Achaz Iudæis illata, retulimus, vt paulo ante dicebamus. Existimamus quippe Dominum diuturnioribus flagellis Iudam, eiusque regem cædere voluisse, vt verberum diuturnitate, malorum suorum causam aliquando intelligerent, & reuerterentur ad percutiẽtem se, vt ait Isaias. Ad hæc quippe tempora pertinent illa Isaiæ. [c] Vbi eleuat Dominus Syriam ab oriente, & Philisthiim ab occidente, vt deuorent Israël toto ore; & subdit. *In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta, & populus non est reuersus ad percutientem se, & Dominum exercituum non inquisierunt.* Quæ propriè ad Iudam pertinent, cui maximè Isaias prophetabat, licet primo contra Israël dicta fuerint. Neque enim Philisthæi hoc tempore Israëlitas petiere bello, nisi quatenus nomen Israëlis, vtique regno Hebræorum commune est. Quamquam eæ vrbes, quæ ab ipsis captæ hoc tempore memorantur, hoc ipso ad Israëlitas pertinebant, quod in tribu Dan, iuxta antiquam distributionem, censebantur. ([c] c. 9. 12.)

II. Quas ei vrbes ademerint. PHILISTHIIM *ergo*, vt ait Scriptura, [d] *diffusi sunt per vrbes campestres, & ad meridiem Iuda, ceperuntque Bethsames, & Aialon, & Gaderoth; Socho quoque, & Thamnam, & Gamzo, cum viculis suis, & habitauerunt in eis.* Ratio autem subditur. *Humiliauerat enim Dominus Iudam, propter Achaz regem Iuda.* Id est vilem, & contemptibilem reddiderat. Quare autem? *Eò quòd nudasset eum auxilio, & contemptui habuisset Dominum:* qui scilicet iam olim protestatus fuerat. [e] *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Septuaginta, *contemnentur.* Illud porro quod dicitur Achaz nudasse Iudam auxilio, Diuus Hieronymus interpretatur, quod eum nudauerit præceptis, & auxilio Dei, hoc ipso videlicet, quod eum secum reddiderit apostatam à Dei cultu. *Sicut,* inquit, *de Aaron scribitur, quod nudasset populum,* alii vertunt, *cessare fecerat*, aut *abstraxerat*, populũ scilicet à Dei præceptis, & veneratione. vel vt penitus præuaricaretur cõtra Dominum. (Quæque ex culpa.) ([d] 2. Paral. 28. 18.) ([e] 1. Reg. 2. 30.)

III. *Quæ causa belli.*

Cæterum ne in isto quidem Philisthæorum bello causa anxie quærenda est, cùm constet eos perpetuos fuisse Iudæorum hostes, neque vnquam ab eis vexandis quieuisse, quando vires non defuerunt. Fuerant autem non ita pridem vehementissimè ab Osia compressi, atque afflicti. Itaque hanc opportunitatem attritarum virium Iuda libenter arripuerunt, vt eis essent quasi vnguis in vlcere. Quod porro Scriptura diffusos ait per vrbes campestres, & ad meridiem Iuda, videtur explicare eas regiones, quæ in complexu Iudæ quondam fuerant, iuxta priorem distributionem terræ: deinde autem tribubus Dan, & Simeonis attributæ fuerant, & vtræque campestres erant, habita ratione Iudæ, Dan quidem ab occidente, Simeon autem partim ab occidente, partim à meridie.

IV. *Catalogus amissarum vrbium. Bethsames. Aialon. Socho.*

In captis vrbibus prima numeratur Bethsames, celebris vrbs, Philisthæis contermina, in quam diuina plaga quondam desæuiit, ob curiosè inspectam arcam Domini, eratque Sacerdotalis, siue Leuitica: [a] sicut & Aialon, quæ secundo loco hic recensetur facta captiua; quam olim Roboam communierat, contra regnum Israëlis; sicut & Socho, iuxta quam olim Dauid Goliath Gethæum prostrauerat. Cúmque duæ vrbes essent cognomines, montana vna, altera campestris, & vtraque ad tribum Iuda pertineret, hic de campestri agitur: Vide Adrichomium in tribu Iuda [b]; sicut & de Gaderoth in tribu eadem, [c] quamquam alij tribui Dan assignauerunt. Tamna verò, quæ & Tamnata, vicina Beth sames, & Philisthæis Gethęis, & Accaronitis, celebrata est laceratione leonis ab inermi Samson; [d] vnde & alienigenam accepit vxorem. Vltima denique capta memoratur Gamzo, cum viculis suis, de qua nusquam alibi Scriptura meminit. Ex hoc autem loco ad meridiem Iuda sitam fuisse, & in tribu Simeonis non temerè affirmari potest.

*Gaderoth. Thamna. Gamzo.*

a Iosue 21. 16.
b n. 226. 227.
c n. 133.
d Iudic. 14. 16.

V. *Cum pagis suis Philisthæi sua recipiunt.*

Vicvli postremo loco memorantur, videnturque [illegible] in superioribus quoque vrbibus intelligendi. Certè Septuaginta Sixti pagos attribuunt Socho, & Thamna, & Gamzo. Existimari autem meritò potest alias quoque vrbes, quæ ab antiquo Philisthæorum fuerant, eisque ab Ozia ante aliquot annos erant ereptæ, ab eis hoc tempore fuisse receptas; idque ratio, & Scriptura ipsa plane persuadet. Nam Michæas, qui non nisi post mortuum Oziam prophetauit [e] de Geth, quasi hostili ciuitate, quæ de Iudæorum clade lætetur, mentionem facit; & Ieremias [f] Azoti, & Gazæ, & Ascalonis, & Accaron meminit, quasi vrbium Philisthæarum ab eis uidelicet postliminio recuperatarum.

e c. 1. 10.
f 25. 20.

VI. *Achaz in terra, & Osee tributa pendunt Assyriis.*

Nonobstantibvs tamen hisce nouis Iudæorum damnis, & iacturis, Achaz qui non minus rei, quàm animi, & pietatis inops erat, domi se continebat. Nec cessabat propterea Assyriis tributa pendere, sicut & Osee, eosque potentiores semper reddere in damnum suum. Experiebanturque ambo num præstaret Deo, cum omnium rerum copia, quàm hominibus cum penuria, ignominiáque seruire. Sic nimirum dixerat Dominus de Sesaco Ægypti rege. [g] *Veruntamen seruient ei; vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum.* Et luculentiùs in Deuter. [h] *Et erunt in te signa, atque prodigia; eo quod non seruieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat.* Quæ hoc maximè tempore vtrumque regnum Hebræorum expertum est.

g 2. Paral. 12. 8.
h c. 28. 46.



ANNVS MVNDI 3300. QVINTAE ÆTATIS 361.
TEMPLI FVNDATI 278. ACHAZ REGIS IVDÆ 7.
OSEE REGIS ISRAELIS 4. VRIÆ PONTIFICIS 7.
EXCISÆ TROIÆ 430. THEGLATH-PHALASA-
RIS 22. IMPERII ASSYRIORVM 1368.
OLYMPIADIS VI. AN. 3.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 753.

I. DEST secularis hic mundi annus trigesimus tertius, simulque Iubilæus sexagesimus sextus, quem plerique vrbis Romanæ natalem esse voluerunt, vt altero ab hinc anno dicturi sumus. Quo anno Eusebius in Chronico ait Alcmæonem factum Athenis Reip. principem. Sed vltimum eorum qui ad totam vitam ei præerant; præfuisse autem biennio; indéque successisse magistratus, qui decennio Remp. regebant: à quibus ad magistratus annuos deuoluta res est. Cum à principio reges Athenis præfuissent decem, & septem, à Cecrope, ad Codrum, annis 487. Tum principes tredecim à Medonte, vsque ad Alcmæonem; qui ad mortem suam Reip. præerant, præfueruntque annis 316. Inde ventum est ad magistratus decennij, quorum tantùm septem numerat Eusebius, Charopem primum, & Eryxiam vltimum; inde nouem principes, ex nobilibus vrbis electi, annuo imperio reip. præfuerunt, sub Olympiadem vigesimam quartam. Eadem ferè notat Velleius Paterculus.



ANNVS MVNDI 3302. QVINTAE AETATIS 363.
TEMPLI INCHOATI 280. ACHAZ REGIS IVDÆ 9. OSEE
REGIS ISRAELIS 6. VRIÆ PONTIF. 9. EXCISÆ TROIÆ
432. TEGLATH-PHALASARIS 24. IMPERII AS-
SYRIORVM 1370. OLYMPIADIS VII.
ANN. I. ROMVLI ET ROMÆ
CONDITÆ, I.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 751.

I. Olympias VII. DAICLEM Messenium Olympiade septima in stadio victorem prodit Dionys. Halicar. l. 1. Antiq. Rom. & Anagraphe Olympionicarum: sed cum addat eum primum omnium fuisse coronatum, πρῶτος πάντων ἐστεφανώθη, repugnantem habet Pausaniam, vt Olympiade sexta dictum est, cui libentius, quam ignoto scriptori assentimur.

*Natalis vrbis.* Nihil autem hanc Olympiadem reddit illustriorem, quam natalis annus Romanæ vrbis, & primi Romanorum regis initium, quæ in hunc annum incurrere, in primo Ioathami anno ex variis Scriptoribus antiquis, quorum catalogum texit Onuphrius [a] satis declaratum est, qui hoc argumentum accuratissima diligentia pertractauit; nec tamen suam nobis sententiam, de tertio anno sextæ Olympiadis, vel hoc nomine satis probauit, quod tota sola diuinatione nititur L. Taruntij Firmani, qui tempore Varronis vixit 630. & amplius annis post vrbem conditam. Neque ipsa per se quidquam habeat firmitatis, vt alio iam loco dictum est.

[a] in lib. 1. Fast. c. de anno vrbis.

Illvd porro lectori studioso cupimus diligenter commendatum, vt meminerit & nos annis vti Iulianis, quorum est in primo Ianuarij exordium, & vrbem in Palilibus condi cœptam, vt postmodum demonstrabitur, & Olympiadas sub solstitium æstiuum inchoari. Ex quibus consequens est anno Iuliano tam posteriorem partem anni Olympiaci præcedentis, quam priorem anni sequentis respondere. Itaque anno præsenti Iuliano 3302. respondet dimidia pars anni quarti sextæ Olympiadis, & dimidia pars anni primi Septimæ Olympiadis. Ex quo etiam illud conficitur, vt quicumque exordium vrbis ad quartum sextæ Olympiadis referunt, nobiscum sentiant. In his Verrius Flaccus author tabularum Capitolinarum, Iulius Solinus, Clemens Alexandrinus, aliique ab Onuphrio memorantur. Cum enim Scriptores passim omnes in Palilibus, siue XI. Cal. Maij vrbem conditam agnoscant, vtrique finis sextæ Olympiadis in anno nostro Iuliano includetur, & qui primum septimæ Olympiadis produnt, eius inchoantis rationem habent, eoque Palilia duobus mensibus antecedentia retrahunt, ideoque eundem mundi annum notant. II. *Anni Iuliani duobus Olympicis respondent.* *Huc pertinet 4. VI. Olymp.*

Id significare voluit Iulius Solinus [a] cum ait, *Ita sex mediis Olympiadibus interiectis, quibus singulis anni quaterni imputantur, cum septima cœptante Roma condita est.* Sic ille, qui fastos Capitolinos studiose repræsentat. Idem voluit Clemẽs Alexand. [b] qui ait à prima Olympiade ad Romam conditam colligi annos 24. & iis videlicet finitis, & inchoante vigesimo quinto iacta vrbis fundamenta. Idem Eusebius, qui annum primum septimæ Olympiadis, primum regni Romuli numerat. Idem Dionys. *Altero*, inquit, *regnantis Numitoris anno, post Ilium captum quadringentesimo trigesimo secundo, Albani Romuli & Remi ductu coloniam miserunt Romam, anno primo inchoante septimæ Olympiadis*, siue ἔτει ἐνισταμένῳ πρώτῳ τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος, dixisset alioqui φθίνοντος ἔτους anni exeuntis, vt Palilia exigunt, quò respexit Polybius apud Dionysium, cum dixit Romam conditam circiter secundum annum septimæ Olympiadis, κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος. Pergit; Dionysius *qua Olympiade in stadio victor fuit Daïcles Messenius, Archonte Athenis Charope, decennis eius principatus anno primo.* Sic ipse, quæ repetit etiam aliquanto post, in quo mirificè illi cum Eusebio congruit. III. *Et primus septimæ, ex Solino, Clemente, Eusebio, Dionysio.*

a c. 2. Polyb.

b l. 1. Str. p. 248. Gr. La.

Adde hic Iulij Solini ex actis publicis argumentum. C. inquit, Pompeius Gallus, & Q. Verannius vrbis conditæ anno octingentesimo primo fuerunt consules. Consulatui eorum Olympias septima & ducentesima actis publicis annotata est. Quater ergo multiplicatis sex & ducentis Olympiadibus, erunt anni 824. quibus septimæ Olympiadis annectendus est primus annus, vt in solidum colligantur anni 825. ex summa detractis 24. annis sex retro Olympiadum, manifestè octingenti & vnus annus reliqui fient. Quapropter cum octingentesimo primo anno vrbis conditæ 207. Olympiás computetur, par est Romam septimæ Olympiadis anno primo credi conditam. Hactenus Solinus. Breuius, si octingentesimus primus annus vrbis conditæ respondet ducentesimæ septimæ Olympiadi ineunti, necessario primus vrbis, fuit primus septimæ Olympiadis, quia octingenti anni ducentis Olympiadibus exactè adæquantur. IV. *Probatur idem annus 1. Olym. VII.*

Addamvs aliquid de die, quem certius etiam affirmari posse arbitror quam annum: eò quod festi dies [c] populo quotannis celebrabantur, quod in eos natalis vrbis dies incidisset. Notum est illud Propert. V. *Dies Romæ condita.*

*Vrbi festus erat, dixere Palilia patres;*
*Hic primus cœpit mœnibus esse dies.*

Ouidius quoque,

*Arbitrium Romulus vrbis habet.*
*Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro,*
*Sacra Palis suberant, inde mouetur opus.*

Et paulo ante ait in Palilibus.

*Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos,*
*Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.*

Quaque ciuium fastos suos obseruantium consuetudine perpetua, ludorumque celebritate multo firmius stabilitus est dies, quo ductum est à Romulo vrbis po-

c l. 4. in Tarpeiæ fabula.

l. 4. Fast.

mœrium, quam diuinatione Firmani Taruntij, de qua li. 2. de diuin. M. Tullius. *L. Taruntius Firmanus*, inquit, *Chaldaicis sermonibus eruditus, vrbis Romæ natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam conditam accepimus.*

VII. *Palilia.* PARILIA hunc diem à partu plerique vocauerunt, quod celebraretur à pastoribus ad impetrandum à Pale dea vberes pecorum partus. Cuius significationem, ait Solinus, de partu Iliæ tractam volunt, vt scilicet Parilia, quasi partus Iliæ dicerentur. Incidebant autem in XI. Cal. Maias, vt ex eodem Ouidij loco intelligi potest. Eundem diem prodit Solinus c 2. & C. Sempronius de Orig. vrbis Romæ: adde Messalam, vetusque Calendarium apud Sigonium. Consentit Plutarchus in Romulo, nisi quod vno die anteuertit, *In confesso est*, inquit, *vrbem conditam esse ante diem XI. Cal. May, huncque diem natalem patriæ Romani vocant, & festum agunt.* ὅτι μὲν οὖν ἡ κτίσις ἡμέρᾳ γέγονε τῇ πρὸ ἕνδεκα Καλανδῶν Μαΐων, ὁμολογεῖται. καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζουσι Ῥωμαῖοι, γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες. Idémque repetit in Numa. Eadem habet Dionys.[a] nisi quod mensis non meminit, sed veris ineuntis. Vt mirum sit ea ab aliquibus in XIII. Calend. Septembris transferri. [a] l. 1. p. 75. Gr. Lat.

VIII. *Romuli tum ætas.* SVPEREST de tempore, vt annum quoque Romuli, quem supra prodidimus, stabiliamus. Idoneus eius author Ouidius in Fastis,[b] [b] l. 3. v 58.

*Martia ter senos proles adoleuerat annos,*
*Et suberat flauæ iam noua barba comæ.*

Moxque subdit,

*Mœnia conduntur; quæ quamuis parua fuerunt, &c.*

Dionysius[c] narrationem instituens nouatarum rerum apud Latinos, & vrbis à Romulo conditæ, *Annum porro*, inquit, *ingressi octauum supra decimum, controuersiam habuerunt de pascuis &c.* Solinus. *Ibi Romulus*, inquit, *mansitauit, qui auspicato fundamenta murorum iecit, duodeuiginti natus annos*, XI. Cal. Maias. Alii, nominatimque Liuius, & Plutarchus, eandem ætatem significant magis quam nominant. Agebat autem in regno Amulius annum secundum & quadragesimum, iuxta Dionysii Chronologiam, quam anno Oziæ 35. secuti sumus. [c] l. 1. p. 66

IX. *Ordo rei gesta.* ORDO porro totius rei gestæ quantum ex Dionysio, qui Fabium Pictorem, & Ælium Tuberonem laudat autores, Liuio, Plutarcho, Victore colligi potest, hic fere fuit. Pastoritiam exercebant sub Faustulo nutritio, eodémque regiorum pecorum magistro, Romulus & Remus iuuenes animosi, viribusque fortes; cum exorta inter Amulii Numitorisque pastores rixa, ad vulnera vsque ac cædes progressa res est; victa Numitoris pars ad dolos conuersa, absente Romulo, Remum insidiis intercepit, & Albam vinctum perduxit: & apud Amulium regem de illata vi, ac cædibus accusat. Tum Amulius volens agrestium cateruæ, & Numitori qui tunc aderat satisfacere, iuuenem damnat, pœnæ modum fratris arbitrio permittens. Ergo à pastoribus Remus, vinctis post tergum manibus, in Numitoris domum, multis cum insultantium probris, abductus est.

*Remus capitur.* *Deditur Numitori.*

X. *Romulus addiscit genus.* INTEREA Romulus certior factus de fratris calamitate, & edoctus à Faustulo, de suo genere & casibus, de eius consilio statuit quam maximo pastorum & agricolarum apparatu regiam domum, & maternum auum ab iniuriis Amulii vindicare. Eodem tempore Numitorem ceperat egregii iuuenis miseratio, adeo vt cum iniuriarum suarum optaret vltorem, & vinculis soluto narraret fraudatum se regno à fratre Amulio, orbatumque liberis, altero in venatu per insidias oppresso, altera in perpetuum carcerem, vigesimum iam fere annum conclusa. Nec cæteris in rebus aliter se ab illo, quam seruum à Domino tractari. Cumque Remus omnem polliceretur operam, voluit Numitor illum totius suscipiendi, expediendique negotii socium habere Romulum fratrem.

*Numitor Remum in Amulium parat.*

XI. *Cum Romulo, qui illum adit.* ERGO de Numitoris consilio Remus certum, fidumque nuncium ad fratrem dimittit, qui saluum se esse nunciet, oretque vt ad ipsum quamprimum veniat. Moxque repertus quidam ad hoc ministerium idoneus, aduentanti Romulo non procul ab vrbe occurrens, mandata renunciat. Is lætus ad Numitorem properat, & primo cum ipsum, tum fratrem amanter complexus, quæ paulo ante à Faustulo didicisset, exposuit. At is aliquanto post superueniens, cum alueo, in quo fuerant infantes expositi, quem in veritatis argumentum, si quando res ferret, diligenter seruauerat, ad Amulium trahitur, reique totius se-

riem illi exponit; spémque callidè dat iuuenes, quos in montibus pastoriciam exercere ferebat, in potestatem regis venire posse. Quos ille simul à satellitum suorum fidelissimis perquiri, & ad se perduci iussit; simulque fratrem, quem in libera custodia habere cupiebat, dum rem totam arbitratu suo composuisset, ad se aduocari. *Vtrinsque periculum.*

XII. *Inuadunt Amulium, & obtruncant.* Nvncivs autem sortem Numitoris miseratus, mentem Amulij ad eum detulit. Qui indicato iuuenibus præsenti periculo, iussisque forti esse animo, correptis armis, cum clientum, amicorum, famulorumque fidissimorum manu non exigua, regiam petit. Quin & illi qui ex agris Romuli iussu in vrbem diuersis viis, portisque confluxerant, Remum ex Numitoris manibus liberaturi, Romuli iussu, ductuque, se Numitoris agmini coniungunt, gladios sub veste occultatos exerunt. Itaque omnes vno impetu, oppressis in aditu custodibus, qui pauci tunc aderant, Amulium nullo negotio obtruncant. Hæc pluribus ex Fabio Pictore Dionysius. Nec alienus est ab eo Liuius, nisi quod Numitorem manum illam in regiam duxisse negat, remque totam à iuuenibus confectam tradit; & rectè ille quidem. Nam ætas consilio melior erat, quam manu.

XIII. *Victores excipit Numitor, regnoque restituitur.* Nvmitor, inquit, *inter primum tumultum hostes inuasisse vrbem, atque adortos regiam dictitans, cum pubem Albanam in arcem præsidio, armisque obtinendam aduocasset, postea quam iuuenes perpetrata cæde pergere ad se gratulantes vidit: extemplo aduocato concilio, scelera in se fratris, originem nepotum, vt geniti, vt educati, vt cogniti essent, cædem deinceps Tyranni, séque eius authorem ostendit. Iuuenes per mediam concionem agmine ingressi, cum auum regem salutassent, secuta ex omni multitudine consentiens vox, ratum nomen imperiumque regi effecit.* Hinc Ouidius. [a]

a l. 3 Fast. v. 67.

*Romuleoque cadit traiectus Amulius ense,*
*Regnaque longæuo restituuntur auo.*

b Dionys. p. 57. Gr. Lat.

Ita [b] denique post tot annos Albano restitutus imperio Numitor, illud plus triennio videtur administrasse, vt postea ex bello Sabino intelligetur, & in eorum altero coloniam Albanorum, ad constituendam nepotum auspiciis ciuitatem, misisse. Hac de re ita Dionysius.

XIV. *Coloniam parat in vrbem nouam.* Defvncto Amulio Numitor quamprimum instaurauit imperium, vitiatámque diutina tyrannide formam Reipub. in pristinam dignitatem restituit: moxque de paranda iuuenibus propria ditione, nouáque vrbe in hoc condenda cogitauit, simulque vrbanam multitudinem numero vehementer auctam minuendam censebat, semotis potissimum aduersæ factionis hominibus, vt liber à suspicione degeret. Itaque communicato cum iuuenibus consilio, postquam & ipsis idem placuit, dat eis agros vbi educati fuerant in pueritia. Populi quoque suspectam partem, ne quando res nouas moliretur, & si quibus sponte migrare libebat, eis attribuit. In his erat magna plebis pars, vt fieri solet in migrationibus; non pauci etiam ex optimatibus nobiles, Troiani quoque generis nobilissimi quique: ex quibus aliquot gentes ad nostram ætatem supersunt, quinquaginta ferme familiæ. *Ex quibus hominibus.*

XV. *An ex fugitiuis, & sceleratis.* Accepervnt autem iuuenes pecuniam, arma, frumentum, mancipia, iumenta deportandis oneribus, & si quid aliud ad vrbis constructionem conducebat. Educto ex Alba populo miscuere se quotquot circa Palantium & Saturniam reliqui erant indigenæ, diuisa in duas partes omni multitudine. Id visum est ad æmulationem conducere, vt certante inter se vtraque parte, opera citius absoluerentur. Hæc se Dionysius summa cura de Romanorum genere peruestigasse ait, permultis Græcorum, & Romanorum scriptis euolutis. Itaque valere iubet eos, qui Romam barbarorum, fugitiuorum, & lare carentium domicilium faciunt. Nimirum repudiare videtur, quæ de Asylo à plerisque scriptoribus tradita sunt.

c p. 75. Gr. Lat.

XVI. *Aperuit Asylum Romulus, ex Liuio.* Vervm Romulæi Asyli idoneus in primis propugnator afferri potest Liuius. [b] *Ne vana,* inquit, *vrbis magnitudo esset, adijciendæ multitudinis causa, vetere concilio condentium vrbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam è terra sibi prolem mentiebantur, locum qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos est, Asylum aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis, sine discrimine, liber an seruus esset, auida nouarum rerum perfugit, idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit.* Audi

b l. 1. Hist.

Lactantio. Lactantium. [a] *Romulus vrbem conditurus pastores, inter quos adoleuerat, conuocauit. Cumque is numerus condendæ vrbi parum idoneus videretur, constituit Asylum. Eo passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique, sine vllo conditionis discrimine.* Eadémque habet Plutarchus in Romulo. (a l. 2. c. 7.) Plutarcho.

XVII. *Quod fatetur etiam Dionysius.* QVIN & ipsemet Dionysius aliquanto post Asylum Romuli clarè fatetur. (l. 2. p. [illegible] Gr. Lat.) *Cum intellexisset,* inquit, *multas per Italiam vrbes, inquè vel tyrannide, vel paucorum potentia premi, multosque ea de causa solum vertere; hos, modo essent ingenui.* ( At ne hoc quidem Liuius excepit ) *nihil amplius in fortunas eorum inquirens, aut quo casu patria excidissent, instituit excipere, & ad se traducere. Atque hac ratione tum Romanæ Vrbis vires augere, tum finitimorum oppidorum robur imminuere. Id quo decentius fieret religionem negotio prætexuit. Locum enim Capitolium inter & arcem situm, fano in hoc extructo, Asylum esse voluit supplicibus, ac per speciem religionis impunitatem spopondit iis, qui supplices eò confugissent. Ac si manere secum vellent, donabat eos iure ciuitatis, parteque agri hostibus adempti. Tum vero istuc vndique confluebatur, domesticorum malorum tædio: nec libebat alio demigrare, retinente quotidiana Principis comitate, ac gratia.*

XVIII. *Nec repugnat cæteris.* NIMIRVM Dionysius non secum ipse pugnat, sed ipsius Vrbis semen primarium negat è fugitiuis & sacrilegis, vel huiusmodi hominum fœce coaluisse: sed ex ciuibus ex Alba traductis, & iis qui iam ea loca, in quibus vrbs statuebatur, incolebant. Amplificatam autem fuisse, aperto Asylo, ipse cum cæteris fatetur. Eiusdémque veritatis assertores sunt, vt reliquos historicos taceam, etiam antiqui poëtæ. Ouid.

*Romulus vt saxo lucum circumdedit alto,* (l. 3. Fast. v. 431.)
*Quilibet huc dixit confuge, tutus eris.*
*O quam de tenui Romanus origine creuit!*
*Turba vetus quam non inuidiosa fuit!*

Vbi vides notatam quam dixi distinctionem. Virgil. l. 8.

*Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum*
*Retulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal.*

Iuuenalis criminose Satyra 8. extrema.

*Et tamen vt longe repetas, longéque reuoluas*
*Nomen, ab infami gentem deducis asylo.*
*Maiorum quisquis primus fuit ille tuorum*
*Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.*

Sed de his iam satis, cætera paucis expediamus.

XIX. *Oritur inter fratres æmulatio.* CVM populus collectus geminum haberet ducem, quos inter neque ætas, neque genus verecundiæ discrimen faceret; aliique Remo fauerent, alij Romulo, auitum malum regni cupido animos incessit; quæ aliquandiu latens se prodidit, dum de loco vrbis condendæ disceptatur. Romulo visum est munire Palantium, quod illic ambo seruati, atque educati fuissent; Remus collem dictum Remuriam malebat: & apparebat vteruis tum cessisset, deinceps alteri in omnibus cessurum. Tandem visum est vtrique, vt valde probabiliter ait Dionysius, rem arbitrio Aui esse committendam. Is monuit vt diuino iudicio permitterent vtrius colonia dicenda esset, & penes vtrum futurum esset imperium; auspicia obseruarent, & vtri feliciora contigissent, ille coloniæ author haberetur. Cæteri fere Scriptores præter Dionysium & Aurelium Victorem, nullam Numitoris mentionem faciunt. (Liuius, & Dionys. l. c.)

XX. *Lis auspicio dirimitur.* PLACET audire breue Ouidij carmen, in hac controuersia.

*Iam luerat pœnas frater Numitoris, & omne*
*Pastorum gemino sub duce vulgus erat.*
*Contrahere agrestes, & mœnia ponere vtrique*
*Conuenit, ambigitur mœnia ponat vter.*
*Nil opus est dixit, certamine, Romulus vllo:*
*Magna fides auium est, experiamur aues.*
*Res placet. Alter init nemorosi saxa Palati,*
*Alter Auentinum mane cacumen init.*
*Sex Remus: hic volucres bis sex videt ordine: pacto*
*Statur, & arbitrium Romulus vrbis habet.*

REMI CÆDES, ET VRBIS CONSTRVCTIO.

XXI. *Imo inde venitur ad manus.*

IMO non statur. Nam audi Liuium. *Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures; iamque nunciato augurio, cum duplex numerus Romulo se ostendisset, vtrumque regem sua multitudo consalutauerat; tempore illi præcepto, at hi numero auium regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi, certamine irarum ad cædem vertuntur. Ibi in turba ictus Remus cecidit.* Idem confirmat Dionys. additque in eo prælio Faustulum nutritorem iuuenum, dum frustra conatur litem dirimere, inermem se in medios coniecisse mortis desiderio, votique sui cito compotem factum fuisse. Ei repugnat Ouid. qui ab eo Remi funus curatum canit.

*Osculaque applicuit Romulus, posito suprema feretro:*
*Atque ait, inuito frater adempte vale.*
*Arsuros artus vnxit: fecere quod ille*
*Faustulus, & mœstus Acca soluta comas.*

XXII. *Remus occiditur.*

CÆSO autem in hac pugna Remo, Romulus victoriam miserabilem de fratre, ac ciuium mutua cæde referens, defunctum in Remuria sepelit, vbi viuus vrbem condere voluerat; Ipse vero præ mœrore, ac facti pœnitentia sese abiicit, & de inferendis sibi manibus consilium capit. Sed nutritiæ Laurentiæ precibus iterum erigitur, & circa Palantium vrbem ædificare cœpit. Hæc ex Dionysio, Liuioque; vterque autem improbat vulgatam famam de causa mortis Remi, fossam vrbis per ludibrium transilientis. Non improbat tamen Plutarchus in Romulo, neque Hieronymus apud Eusebium in Chronico, neque Ouidius in Fastis. Ait enim.

*Romuli mœror.*

3. Fast. v. 70.

*Mœnia conduntur, quæ, quamuis parua fuerunt,*
*Non tamen expediit transiluisse Remo.* Et alibi.
*Nec mora transilijt: retro Celer occupat ausum,*
*Ille premit duram sanguinolentus humum.*

XXIII. *Fundamenta Vrbis iaciuntur.*

4. Fast. 841. Dionyl.

CVM ergo nullum ædificationi obstaret impedimentum, Romulus indicta die (ea Palilium fuit) qua placatis superis opus auspicaretur, præparatisque omnibus ad sacrificium, & epulum necessariis, circumscripsit collem figura quadrangula, iunctis ad aratrum bobus mare & fœmina, ductóque sulco perpetuo, in quo fundanda erant mœnia. Mactatis bobus, aliisque victimis, operi populum adhibuit: quem diem festum deinceps natali Vrbis esse voluerunt. Hæc fere hoc anno Romæ gesta. Prius enim de habitatione prouidendum fuit, quam iura ciuibus tradi commode possent. Rem ergo Ouidij carmine claudo.

*Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro,*
*Sacra Palis suberant; inde mouetur opus.*
*Fossa fit ad solidum, fruges iaciuntur in ima:*
*Et de vicino terra petita solo.*
*Fossa repletur humo, plenaque imponitur ara,*
*Et nouus accenso fungitur igne focus.*
*Inde premens stiuam designat mœnia sulco,*
*Alba iugum niueo cum boue vacca tulit.*
*Vox fuit hæc regis. Condenti Iupiter vrbem*
*Et genitor Mauors, Vestaque mater ades.*
*Quosque pium est adhibere deos, aduertite cuncti:*
*Auspicibus vobis hoc mihi surgat opus.*

XXIV. *Ortus Numæ.*

HOC ipso non solum anno, sed etiam die, natum Numam Pompilium, qui secundus Romæ postea rex fuit, scribit Plutarchus in Numa. Deinceps autem annos ab excisa Troia valere iubebimus: cui Epochæ anni Vrbis, multo certiores, notioresque succedent.

Epochæ.

ANNVS MVNDI 3303. QVINTÆ ÆTATIS 364.
TEMPLI INCHOATI 281. ACHAZ REGIS IVDÆ 10.
OSEE REGIS ISRAELIS 7. VRIÆ PONTIFICIS 10.
THEGLATH-PHALASARIS 25. IMPERII ASSYRIORVM 1371. OLYMPIADIS VII. ANN. 2.
ROMÆ, ET ROMVLI 2.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 750.

I. *Romulus rex agnoscitur.*



XORIENS Romana respub. suggerit, quæ in hunc eius annum secundum, ex Dionysio maximè, [a] breuiter conferamus. Fossa igitur & mœnibus absolutis, perfectisque ad præsentem necessitatem ædibus, quæ res ad præsentis anni initia facile protracta est, de constituenda Reipub. forma, ex materni aui sententia Romulus disserit: offertq; conuocato populo optionem formæ Reipub. malintne vni principi, an paucis optimatibus obtemperare. Illi, qui iam monarchiæ essent assueti, & Romulum non solum ducem coloniæ habuissent, sed regem etiam consalutassent, & vrbem ab eo dictam, ac consecratam habitarent, eum Regiam apud se dignitatem obtinere voluerunt: generis nobilitate, sapientia, & fortitudine inuitante; ad quæ insuper fausta de cœlo signa accessisse dicuntur.

II. *Distribuit in partes populum.* *Lictores assumit.*

ADMISSA dignitate, iura populo daturus, ea tum demum sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus imperij fecisset, cum cætero habitu, tum maxime lictoribus duodecim sumptis se augustiorem fecit: sumpto à finitimis Hetruscis exẽplo, vt ait Liuius, quod ex duodecim populis communiter creato rege, singulos singuli populi, lictores darent. Deinde vniuersa multitudine tripartitò diuisa, singulis singulos præfecit duces: & vnamquamque rursus in decem partitus, totidem eis duces præposuit. Harum partium maiores, tribus, minores curias appellauit: & tribubus præpositos Tribunos, curiis Curiones dici voluit. Curiæ rursum in decurias ab eo tributæ sunt, & suus cuique decuriæ rector præfuit, decurio vulgo dictus. Quæ vides à distributione, soceri consilio à Mose facta, non multum abludere; de qua vide quæ anno Mosis 81. diximus.[b]

[a] l. 2. Ant

[b] an. m. 2544. n. 73. & seqq.

III. *Et agrum.* *Publicus ager, & sacer.* *Patroni, & clientes.*

ITA digesto Romæ per tribus ac curias populo, agro quoque in 30. sortes æquales diuiso, singulas curias singulos agros sortiri iussit; excempto prius quantum templis sufficeret; & quadam parte, quæ esset publici iuris. Aliam quoque ciuium distributionem inuexit, vt qui genere, opibusque præstarent Patres dicerentur, à quibus Patricii propagati sunt, alii tenuioris fortunæ Plebeii. Illi magistratus gererent, iura populis redderent, sacra curarent; isti agros colerent, pecora alerent, quæstuosa opificia exercerent. Illi patroni pauperibus fierent, eosque tuerentur; isti optimatum clientes essent, eos patrum instar obseruarent; neutris ius esset accusare alteros, aut testimonium dicere, vel ferre suffragium, aut censeri inter inimicos. Hinc illa lex *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto*, id est impune occidi possit, tanquam infero cuipiam Deo sacer. Quibus ita constitutis Senatum, quibuscum administraret Rempub. in hunc modum elegit.

Apud Lips.

IV. *Senatores 100. ex Patriciis.*

PATRICIORVM ex ordine vnum ipse præcipuum elegit, cui rerum vrbanarum gubernationem committeret, quoties ipse foras exercitum duceret. Præterea vnamquamque tribum iussit tres viros eligere, qui per ætatem maxime saperent, & genere præcellerent. Post hos nouem, mandauit rursum singulis curiis, vt è patriciis ternos eligerent maxime idoneos: adiectisque ad illos nouem, quos tribus legerent, his 90. quib. curiæ suffragium suum dederant; & his omnibus præfecto duce, quem ipse primum secreuerat, centenarium senatorum

numerum expleuit: quod nomen ab ætate inditum, alterum eorum nomen significat, quo dicti sunt Patres conscripti. Mauult tamen Liuius Patres ab honore dictos, eorumque progeniem Patricios.

V. *Equites 300.* SENATV deinde è centum senioribus constituto, videns aliqua sibi opus fore iuuenum manu, cuius ministerio, & ad corporis tutelam, & ad necessaria munia peragenda vteretur, trecentos ex primariis familiis electos circa se habuit, curiarum suffragiis commendatos, denos per singulas curias, quibus Celerum nomen datum est, vel à celeritate ministerii, vel ab eorum duce cui nomen esset Celer. vt vult Valerius Antias. *Tripertito diuisi.* Hasce tres equitum turmas non prius creatas putat Liuius, quam pax Sabinos inter Romanosque coaluit, nec immerito. Nam earum vna à Romulo Ramnensium dicta est: altera à T. Tatio Sabinorum, siue Curium rege, Tatientium: tertia Lucerum appellata, à Lucumone viro illustri, qui è Solonio Etrusca vrbe, Romulo contra Samnites auxilio venerat, in eoque bello fortiter dimicando occubuerat. Non vocauit equites, quod eis etiam peditibus, cum res & locus ferret, pugnandum esset, sumpto à Spartanis exemplo, vt significat Dionys.

VI. *Cur dicti Celeres.* NIHIL tamen vetat quin Celer ille à principio apud Romulum in pretio esset, quando eum mœnibus extruendis præpositum à Romulo affirmat Ouidius. Nam 4. Fastorum.

*Augurio læti iaciunt fundamina ciues,*
*Et nouus exiguo tempore murus erat.*
*Hoc Celer vrget opus: quem Romulus ipse vocarat*
*Sintque Celer curæ, dixerat, ista tuæ.*

Quin & ab eodem Remum, vt supra dixi, muros transilientem memorat interfectum.

*Nec mora, transilijt retro, Celer occupat ausum.*
*Ille premit duram sanguinolentus humum.*

Confirmat hic idem prædictorum equitum ordines per decades, sicut & Senatores distributos.

g Fast. v. 127.

*Inde patres centum denos secreuit in orbes*
*Romulus, hastatos instituitque decem.* & mox.
*Quin etiam partes totidem Tatiensibus ille,*
*Quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit.*

VII. *Primus Romuli mensis Martius.* QVÆ ille differit, dum de Romuli anno decem mensium differit, quorum primum à Marte appellauit Martium.

*Romulus hos omnes vt vinceret ordine saltem,*
*Sanguinis autori tempora prima dedit.*
*Nec totidem veteres, quot nunc habuere calendas*
*Ille minor geminis mensibus annus erat.* Et rursum.
*Assuetos igitur numeros seruauit in anno;*
*Hoc luget spatio fœmina mœsta virum.*
*Neu dubites primæ fuerint quin ante Calendæ*
*Martis; ad hæc animum signa referre potes.* Denique
*Primus oliuiferis Romam deductus ab aruis*
*Pompilius, menses sensit abesse duos.*



ANNVS MVNDI 3304. QVINTÆ AETATIS 365.
TEMPLI INCHOATI 281. ACHAZ REGIS IVDÆ 11.
OSEÆ REGIS ISRAELIS 8. VRIÆ PONTIFICIS 11.
THEGLATH-PHALASARIS 26. IMPERII ASSYRIORVM 1372. OLYMPIADIS VII. ANN. 3.
ROMVLI, ET ROMÆ 3.


ANNVS ANTE CHRISTVM. 749.

I. *Annus Sabbaticus* 103.



SABBATICO apud Hebræos anno centesimo tertio, Romulus omni studio atque opera Romanam rem constituebat. Neque enim quæ duobus proximis annis exposita sunt ad duos illos duntaxat annos pertinent, sed ad alios etiam consequentes referunt perfectionem suam. Nam Onuphrius senatores primos ad hunc vrbis annum tertium refert.

*Romanæ res & Hebrææ.* Romanarum legionum institutionem, non solum Romulo tribuit Plutarchus, sed ab eo vult editam, quam primum ab vrbe constructa, quarum quælibet peditum tria millia, equites trecentos complectebatur. Sed res vlterius differenda est, si Dionysium audire placet, saltem vsque ad auctum, ex Sabinorum coniunctione, ciuium numerum, quod quarto ab hinc anno contigit. Dionysius enim agens de vrbis incrementis: Qui enim inquit, vna cum Romulo vrbem condere cœperunt, non plures erant ter mille peditibus, & pauciores trecentis equitibus. Quando autem ex mortalibus sublatus est, peditum reliquit 46. millia, & mille ferme equites. Apud Hebræos autem tam in regno Iudæ, quam Israëlitico, res eodem quo proximis annis, & aliquot sequentibus versabantur loco, id est pessimo; nec meliore fuerunt quandiu vixit Achaz, aut Samaria regni caput fuit.



ANNVS MVNDI 3305. QVINTÆ ÆTATIS 366.
FVNDATI TEMPLI 283. ACHAZ REGIS IVDÆ 12. OSEE REGIS ISRAELIS 9. IDEMQVE I. REGNI SECVNDO INCHOATI. VRIÆ PONTIFICIS 12. THEGLATH-PHALASARIS 27. IMP. ASSYRIOR. 1373.
OLYMPIADIS VII. AN. 4. VRBIS CONDITÆ 4. ROMVLI 4.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 748.

I. *Ratio temporis in Scriptura hic impedita.*



NON parum videtur hoc loco impedita sacra Chronologia, non tam in eo quod bis regnare cœpit Osee, vt diximus, quarto scilicet anno Achaz, & eiusdem duodecimo, vt quarto Regum 12. 1. notatum est: sed in eo maximè, quod ab anno duodecimo Achaz, nouem hi posteriores anni Osee inchoëntur, itaut primus Osee sit duodecimus Achaz, & secundus, decimus tertius, & ita deinceps. Difficultatem autem facit quod 4. Regum 18. 9. 10. ita scriptum est. *Anno 4. Regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filij Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, & oppugnauit eam, & cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est 9. anno Osee regis Israel, capta est Samaria &c.* His autem ita positis, quomodo fieri potest, vt duodecimus Achaz sit primus Osee? cùm enim regnauerit Achaz sexdecim annis, vltimus Achaz erit quintus Osee, & primus

Ezechiæ erit sextus Osee, & consequenter sextus Ezechiæ non erit nonus Osee, vt ait Scriptura, sed vndecimus, vt seorsim in annis expansis cerni potest. 1 [I. ex.]

II. Concilian-tur diuersa loca. VT igitur conciliemus hæc loca, in componendis duobus hisce regibus, duo anni necessario exhauriendi sunt, vt quartus Ezechiæ respondeat septimo Osee, & sextus nono. Primus autem exhauritur dicendo Osee primum annum concurrere cum fine duodecimi Achaz, vt comprobetur primus Scripturæ locus, & maxima ex parte eiusdem decimo tertio respondere. Secundus autem annus aufertur, si decimum sextum Achaz, & primum Ezechiæ in vnum integrum ex duobus fractis componamus; sicque omnia recte consentient.

III. Alia difficultas expeditur. NIHILOMINVS superest grauis difficultas, quomodo primus Ezechiæ possit vel attingere tertium Osee, vt dicitur in Scriptura. [a] Nam decimus tertius Achaz tardiùs absoluitur, quàm primus Osee, decimus quartus item tardius, quam secundus; & decimus quintus tardius quam tertius; ergo decimus sextus, siue primus Ezechiæ, non potest attingere tertium Osee, sed tantùm quartum. Nec video quid dici possit (cum ea lectio constanter habeatur in omnibus Græcis, Hebræis, Chaldæis, & Latinis,) quam tertium Osee intelligendum esse expletum, & absolutum; itaut regnauerit Ezechias expleto tertio Osee, & quarto inchoante. Et certè Iosephus [b] ait Ezechiam quarto anno Osee regnum Hierosolymis adeptum fuisse. Torniellus quoque in suis tabulis primum Ezechiæ cum 4. Osee coniungit.

IV. Ratio secundi initij Osee. RELIQVA est alia difficultas, de hoc secundo regni Osee initio, ex quo quartus liber Regum citatis locis incepit numerare annos Osee, qua scilicet ex causa nunc primum regnare dicatur, cùm hic eius annus, nonus potiùs, quàm primus regni eius dicendus videatur. Vatablus in 18. 4. Regum numero 1. & ibid. Sà, eos numerant à tempore quo cœpit rebellare contra Assyrios negando tributum: id ait etiam Chron. Hebræ. c. 22. versus finem; quasi ad id vsque tempus proregem potius nomine Assyriorum egisset, quàm regem Israël. Hoc vt verum sit, tamen dici non potest Osee hoc anno cœpisse negare tributa Assyriis. Cùm enim legamus [c] Assyrium Salmanasarem ascendisse contra Osee anno septimo regni eius. Quomodo credibile est Assyrium ad annum septimum dilaturum fuisse aduentum suum, ad cogendum Oseam, vt de more tributa penderet?

V. Quomodo accipiendum sit, Osee vectigalis Assyriis. EXISTIMO igitur Theglath Phalasarem, qui aliquot adhuc annos regnauit, cùm videret Osee nonum iam annum fideliter tributa pendere, eumque instar legitimi Domini, & supremi principis agnoscere, ei regis nomen concessisse; ea tamen lege, vt perseueraret constanter in pensitatione tributi. Qua ille conditione accepta, se regem dixit, regemque agere cœpit. Mortuus est autem Theglath-Phalasar eodem anno quo Achaz, cui successit Salmanasar, qui cùm exigeret tributum ab Osee, isque diu cunctaretur soluere, tandem anno septimo Osee, qui fuit quartus Ezechiæ, ascendit Salmanasar contra eum, & tributa de more soluere coëgit. Aut certe Osea defectionem ambiente sub mortem Theglath-Phalasaris regis, quam primum contra eum ascendit Salmanasar, idque magis cum Scriptura congruit. [d] Sed ea de re iterum suo loco, & tempore dicendum erit.

VI. Cuiusmodi fuerit Osee. QVOD ad mores Osee attinet, Sacer historicus [e] ait eum *fecisse malum coram Domino*, id est idololatriæ Samaritanorum deditum fuisse; verùm addit: *sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerant.* Quod exponens Chronicum Hebræorum cap. 22. ait Oseam, cum cerneret abductos esse ab Assyriis vitulos aureos, qui erant in Dan, & Bethel, sustulisse præsidia, quæ posuerat Ieroboam filius Nabath in regni sui limitibus, ne quis Hierosolymam ascenderet: ad adorandum scilicet ter quotannis Dominum, vt explicat Genebrardus in Achaz. Idque videtur multò probabilius, quàm quod de eo scribit Iosephus: [f] fuisse videlicet virum pessimum, & nihil pietatis Deo detulisse; sed interpres rem auxit. Iosephus enim tantùm vocat eum ἀσεβῆ, & rerum, quæ ad Deum pertinent, contemptorem. Et tamen vltio diuina tam multis annis collecta contra impios Israëlitarum reges, & regibus non dissimilem populum, in hunc minus impium, quàm cæteros, sed impium tamen incubuit, vt dicemus.

a 4. Reg. 18.1.
b l. 9. c. 13.
c 4 Reg. 18.9.
d 4. Reg. 17.3
e 4 Reg. 17.2
f l. 9. c. 13.

VII. *Vituli aurei sublati.*

Vitulos porro aureos aiunt iidem Hebræi sublatos; illum quidem, qui erat in Dan à Theglath-Phalasar anno 20. Phaceæ; alterum verò, qui colebatur in Bethel, à Salmanasare, anno 12. regni Achaz. Sic enim legitur in eo Chronico, [a] *Anno 12. regis Achaz, excitauit Dominus Deus Israel spiritum regis Assur, & abstulit vitulum aureum, qui erat reliquus in Bethel, discessitque implens illud quod scriptum erat. Etiam ipse in Assyriam portabitur.* Verùm hoc anno nondum regnabat Salmanasar, quippe qui simul cum Ezechia regnare cœpit, vt contendit Torniellus, & consentiunt reliqui Chronologi, qui viginti quinque annos regnasse volunt istum Theglath-Phalasar, & anno octauo, vel nono Ioathami regnare cœpisse; quod nihilominus cum nostra ratione temporis conuenit, qui eum secundo anno regni Ioathami regem constituimus, cum S. Hieronymo.

[a] c. 12. med.

*Diuina circa religionē prouidentia.*

Sed illa non negligenda consideratio diuinæ prouidentiæ, vt clauso Hierosolymis templo Domini, & rege, populóque Iuda idola sectante, Oseas rex Israëlis viam ad Dei cultum aperuisse dicatur, qui breui ab Ezechia rege religiosissimo restaurandus erat. Sic deficientibus à fide Christi veteribus Christianis, & in hæreses prolapsis, Deus aperuit Indorum viam, eosque adduxit ad cognitionem, & cultum sui.

VIII. *Romani repelluntur à cōnubiis.*

Qvod ad Romanam rem attinet, scribit Dionysius [b] Romulum vicinas gentes sibi per connubia conciliare voluisse. Et apparet repudiatos Romanos à vicinis populis, quod fex hominum improborum, vt ante diximus, quod dissimulat Dionysius, per Asyli impunitatem ad eos confluxisset. Alioqui mirum fuisset Albanos, vnde exorti essent, cognatis suis connubia negare. Sed Dionysius, in gratiam præsentium principum Romanorum, qui facti erant rerum Domini, & apud quos ipse viuebat, & gratiosus erat, mitiùs aliquandò eorum patres tractare studuit, quàm Liuius, aliique, qui idem cum ipso argumentum tractarunt. Ergo cùm vicini, ac circumfusi populi filias suas aduenis istiusmodi negarent, vel vt ait Dionysius, quod admodum noui essent, nuperriméque in populum coaluissent, nec opibus valerent, nec rebus gestis clari essent, illi rem fraude agendam censuerunt.

[b] l. 2. Ant. Rom. p. 99. Græc. Lat.

IX. *Coniuges in ludis rapiunt.*

Nvmitore itaque in consilium adhibito, (erat quippe etiamnunc in viuis) rapiendis virginibus connubia quærere statuerunt, cessuros denique parentes rati, cum necessitate, non contumeliæ, & iniuriæ causa vim factam intelligerent. Ergo votis editis arcanorum consiliorum præsidi Deo, quem Consum vocabant, Romulus indixit celebritatem, festumque Neptuno equestri diem, in quo varia hominum, & equorum certamina agitarentur. Confluxit ad dictum diem ingens hospitum multitudo præsertim ex Sabinis, cum vxoribus, & liberis. Extrema verò ludorum die, cùm iam soluenda esset celebritas, mandat iuuenibus, vt signo dato è virginibus sibi quisque rapiat, quam sors obtulisset; seruetque intactam in sequentem diem. Eo die Romulus eas consolatus est, docens rapinam non ad contumeliam, sed ad coniugium spectare: proinde darent animos maritis, quibus fortuna corpora dedisset. Iis non admodum dissentientibus, comperto 683. puellarum numero, [2] totidem eis cœlibes viros delegit, quibus eas ritu patrio in matrimonium dedit. Hæc facta quidam scribunt anno regnantis Romuli primo. Hieronymus, apud Eusebij Chronicum, anno tertio. At Cn. Gellius anno quarto rem gestam scribit, quod Dionysius putat esse verisimilius; & illi Romani fasti consentiunt.

*Quando id factum.*

[2] *c.* x.

X. *Quid, hac de re Liuius, & Ouidius.*

His persimilia habet Liuius, & iis, quæ de Asyli infamia dixi valde consentanea. *Nusquam*, inquit, *benigne legatio audita est, adeo simul omnes spernebant; simul tantam in medio crescentem molem sibi, ac posteris suis metuebant. A plerisque rogitantibus dimissi, ecquod fœminis quoque Asylum aperuissent; id enim demum compar connubium fore.* Addamus poëtam. [c]

*Externis dantur connubia gentibus, at quæ*
*Romano vellet nubere nulla fuit.*
*Indolui* (Mars loquitur) *patriamque dedi tibi Romule mentem,*
*Tolle preces dixi, quod petis arma dabunt.*
*Festa para Conso, Consus tibi cætera dicet,*
*Illo festa die dum sua sacra canes.*

[c] Ouid. l. 3. Fast.

a 10 mon. 1612.n.84. Vide quæ de simili Siluntinarum raptu anno ab hinc 683. tomo 2. diximus.

NON omnes in mitiorem partem audacem Romanorum necessitatem interpretati sunt. Nam hoc ipso anno quarto Olympiadis septimæ, Vrbis item & Romuli 4. vt est in fastis apud Sigonium, & Pighium, bellum contra intrusos generos à Cæninensibus, & Antemnatibus concitatum est, de quibus victor Romulus, primum Romæ triumphum egit. Rem ita refert Dionysius, [b] plurimum Liuio consentiens, siue alter ab altero, siue vterque à tertio mutuati. Vulgata fama de raptu, ac nuptiis virginum per finitimas ciuitates, plerique iniuriam vindicandam armis censuere. Cænina oppidum, cùm Sabinos propere ad armorum societatem non traheret, Romanorum legatis, eos circa præteritum facinus omni ope mitigantibus, primi ipsi Cæninenses arma sumunt, & in agrum Romanum irruptione facta, eum populantur. At occurrens cum exercitu Romulus, ex improuiso hostem aggreditur imparatum, & vallo vix dum permunito vi potitur; refugientiumque tergo hærens, in vrbem vnà ingreditur, regemque ipsum cum valido iuuenum globo occurrentem, manu sua in prælio conficit, ac spoliat.

*XI. Ex femina bella. Cum Cæninensibus.*

b l.2.p.100

REM longe magnificentiorem Plutarchus facit: vtrumque enim regem in singulare certamen adducit. Acron, inquit, Cæninensium rex, homo ferox ac bellicosus, cui iam ante primi Romuli conatus suspecti fuerant, eum tum ab hoc raptu omnibus aliis terrori fore, neque ferendum, nisi plecteretur existimans, bellum occupauit, ac magnis cum copiis aduersus Romulum profectus est, haud minori vi occurrentem. Cum in mutuum conspectum venissent, alter alterum, vt singulari res certamine decerneretur, quiescente vtroque exercitu, prouocauit. Ibi Romulus Ioui vouit, si victoriam deiecto Acrone obtinuisset, arma se eius ipsi dono laturum, consecraturumque. Itaque strauit Acronem victor, & eius exercitum pugna commissa fudit, vrbémque cepit, iussitque ciues domibus suis dirutis Romam secum demigrare; ibique, æquali cum cæteris iure, ciues esse. Hæc fere Plutarchus. Dionysius autem de Cænina & triumpho Romuli hæc addit.

*XII. Singulare certamen Romuli, & Acronis.*

CÆNINA hoc modo capta, armis ademptis, imperatisque obsidibus, in Antemnates mouit; quos in abigendis prædis adhuc occupatos adortus, sicut priores fudit, fugauitque; & eodem modo vsus victoria, domum reduxit exercitum, spolia hostibus in prælio detracta præferens, votiuasque manubiarum primitias. Ipse pompam extremus claudebat, indutus purpura, & laurea coronatus, atque vt regiam maiestatem tueretur, quadrigis inuectus. Reliquæ peditum, equitumque copiæ, quæ illum assectabantur, pro suo quæque gradu exornatæ, hymnis canebant deos patrios, & ducem incondito carmine prædicabant: effusa obuiam ciuitate gratulabunda cum vxoribus, & liberis vtroque viæ latere. Vt vero in vrbem ventum est, præsto erant crateres vino pleni, & mensæ variis instructæ cibis ante ædes optimatum, cuiuis ad fruendum propositæ. 3

*XIII. Expeditio in Antemnates. Triumphus primus Romuli. Eiusque ritus.*

3. ex.

HÆC species Romulæi triumphi, quæ postea tota ad diuitiarum ostentationem conuersa est. Abiit inde Romulus in Capitolium, vbi spolia opima Feretrio Ioui, cum templo quod Romæ primum omnium fuit, dicauit. Rem eleganti carmine scripsit Propertius, quem non pigebit describere.

*XIV. Ascensus in Capitolium, & spoliorum dicatio. Primum Romæ templum.*

lib.4.eleg.

*Acron Herculeus Cennina ductor ab arce*
*Roma tuis quondam finibus horror erat.*
*Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini,*
*Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.*
*Hunc videt ante cauas vibrantem spicula turres*
*Romulus, & votis occupat ante ratis.*
*Iuppiter hæc hodie tibi victima corruet Acron.*
*Vouerat, & spolium corruit ille Ioui.*

## SCHOLIA IN ANNUM MUNDI. 3305.

Sch. N. 1. Vide annos expansos in hunc modum.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Achaz | 1 | | | |
| | 2 | | | |
| | 3 | | | |
| Finiens | 4 | Osee | 1 | qui dicitur 20. Ioathan. |
| | 5 | | 2 | |
| | 6 | | 3 | |
| | 7 | | 4 | |
| | 8 | | 5 | |
| | 9 | | 6 | |
| | 10 | | 7 | Vide Scal. in Euseb. n. 1262. |
| | 11 | | 8 | |
| Achaz | 12 | Osee | 1 | 4. Reg. 17. 1. |
| | 13 | | 2 | |
| | 14 | | 3 | 4. Reg. 18. 1. |
| | 15 | | 4 | |
| | 16 | | 5 | |
| Ezech. | 1 | | 6 | |
| | 2 | | 7 | 4. Reg. 18 9. |
| | 3 | | 8 | |
| | 4 | | 9 | 4. Reg. 18. 10. |
| | 5 | | 10 | |
| | 6 | | 11 | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Achaz { 12, 13 | | Osee | 1 |
| 14 | | | 2 |

| | | |
|---|---|---|
| | 15 | 3 |
| Ezech. { | 16, 1 | 4 |
| | 2 | 5 |
| | 3 | 6 |
| | 4 | 7 |
| | 5 | 8 |
| | 6 | 9 |

Harum numerum diuersum diuersi prodidere; nam Plutarchus. Raptas tradunt alij 30. tantum, vnde nomina curiarum sint sumpta. Valerius Antias 527. Iuba 683. Rursum Dionys. lib 2. p. 112. Græ. Lat. ait quosdam opinatos 30. fuisse, quæ hanc legationem obiisse dicantur, & numerum 527. repetit ex Varrone. 2. N. IX.

Addit Dionysius Romæ deliberatum quid facto opus esset occupatis vrbibus. Nam quæ inde raptæ fuerant, in primisque Hersilia Romuli coniux, ad genua peruolutæ, lachrymis impetrarunt, ne quid seuerius in illa oppida statueretur. Itaque factæ sunt primæ Romanorum Coloniæ, ciuibus vtrimque permutatis. Romulus omnes in tribus, curiasque transcripsit; idemque mox factum Crustumeniis, & Sabinis. 3. N. XII.



## ANNUS MUNDI 3306. QUINTAE AETATIS 367. FUNDATI TEMPLI 284. ACHAZ REGIS IUDÆ 13. OSEE REGIS ISRAELIS 10. IDEMQUE 2. URIÆ PONTIFICIS 13. THEGLATH-PHALASARIS 28. IMPERII ASSYR. 1174. OLYMPIADIS VIII. ANN. 1. URBIS CONDITÆ 5. ROMULI 5.

## ANNUS ANTE CHRISTI ORTUM 747.

I. *Olympias VIII. cur dicta Anolympias.*



OLYMPIAS octaua Anolympias inscribitur in catalogo Olympionicarum; in qua tamen Anticles Messenius victoriam in stadio obtinuisse perhibetur. Illius inscriptionis causam ex Pausania discere licet. [a] *Pisæi*, inquit, *vehementer irritatis Elæis, dum sibi Olympicorum ludorum condendi authoritatem cupidius vindicare student, exitium struxerunt. Olympiade enim octaua Elæi Phidonem Argiuum impotentem tyrannum, & cunctæ Græciæ inuidia laborantem, aduocarunt: eiusque maximè præsidio subnisi, ludos commiserunt. Quarta deinde & tricesima Olympiade Pisæi comparatis vndique finitimorum copiis, regem suum secuti Pantaleontem Omphalconis filium, submotis Elæis, Olympicis ipsi ludis præfuerunt. Has Olympiadas, & præterea quartam, & centesimam, quam Arcades condidere Anolympiadas (ac si dicas irritas Olympiadas) vocantes Elæi, in fastos suos non referunt.* a l. 6. p. 180. Græ.

*Phidon tyrannus Argiuorum.*

II. *Bellum Sabinum.* AD quintum Romuli annum bellum, quod primum contra Sabinos gestum est, refert Onuphrius in fastis. & referre videtur Dionysius: qui cum quarto anno superiora bella gesta fuisse tradidisset, consequenter ortum cum Sabinis bellum recenset, quemadmodum & Liuius. Cùm ergo Sabini, ad quos bona pars raptarum pertinebat, & ad quorum regem T. Tatium, oppida de quibus *Quæ eius causæ.*

proximo anno diximus, vindictæ causa inani nuper legatione confugerant. Cùm inquam Sabini viderent hoc tempore prosperos Romanorum successus, commoueri cœperunt; vt qui imperium sibi in vicinos populos arrogarent: quod præripi à Romanis, vt se dabant initia, formidabant. Itaque mutuo sese tarditatis incusantes, Cures oppidum, gentis caput conueniunt, vbi rex T. Tatius commorabatur, communique consilio belli consilia suscepta sunt, quod & oppidatim parari cœptum est, vt vere nouo magnis copiis Roma peteretur. Quæ vice versa magna cura bello necessaria præparauit. *Apparatur.*

II. *Geritur, & quis eius ordo, & modus. Amborum copiæ.* Inevnte verè vtrisque ad certamen paratis, Sabinis placuit ante omnia legatos mittere, qui ab hoste raptas fœminas repeterent, pœnasque raptus exigerent. Cùm nihil impetrarent, & Sabinorum 25. millia peditum, equitum fere mille in armis starent, Romanorum autem 20. millia peditum, & equites octingenti. Tatius Rex Sabinorum consilio etiam addidit dolum. Sp. Tarpeius Romanæ arci præerat, cuius filiam virginem auro corrumpit Tatius, vt armatos in arcem accipiat. Aquam fortè ea tum sacris extra mœnia petitum ierat. At illi in arcem accepti armis obrutam necauere: seu vt vi capta potius arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid vsquam fidum proditori esset. Ita Liuius, qui etiam in fabulis numerat illud de aureis Sabinorũ armillis, annulisq; gemmatis, quæ illi, cum clypeis, in sinistris gestabant, quæq; Tarpeia mercedem petitioni optarit, & clypeorum coniectu obruta sit: quæ tamen Dionysius non improbat. *Proditio Romanæ arcis.*

IV. *Pugna crebra. Iupiter Stator.* Occvpata arx à Sabinis magnam ipsis vincendi fiduciam, Romanis iram, ac cupiditatem eius recuperandæ iniecit; & aliquot dies alternante victoria, cùm pugnatum esset, Romanique semel, post fortissimi Hostilij casum, in fugam effusi, nuncupato à Romulo voto Statori Ioui, substitissent, conuersáque facie infesti aciem repetiissent, cædibus vtrimque laboréque fatigati, quieuerunt. Quando mulieres, quæ hinc patres, germanosque, inde maritos lamentabantur, & quarum causa tanta contentione pugnabatur, Hersilia duce, muliere claro apud Sabinos loco nata, consilium ceperunt, pacis inter vtrosque conciliandæ.

V. *Pax per mulieres quæsita.* Ergo vt ait Liuius, [a] *crinibus passis, scissáque veste, victo malis muliebri pauore, ausæ se inter tela volantia inferre: ex transuerso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras: hinc patres, hinc viros orantes, ne se vltra sanguine nefando soceri, generique respergerent, ne parricidio macularent partus suos, nepotum illi, liberûm hi progeniem. Si affinitatis inter vos, si connubij piget, in nos vertite iras, nos causa belli, nos vulnerum, ac cædium viris, ac parentibus sumus, melius peribimus, quam sine alteris vestrum viuæ, aut orbæ viuemus.*

a l. 1. Rom. hist.

VI. *Earum oratio apud Ouidium.* Mvtvatvs videtur etiam phrasim ipsam ab Ouidio, apud quem hæc Sabinæ. [b]

b 3 Fastor. v. 207.

*O pariter raptæ, quoniam hoc commune tenemus:*
*Non vltra, lentæ possumus esse piæ.*
*Stant acies: sed vtra Dî sint pro parte rogandi*
*Eligite: Hinc coniux, hinc pater arma tenet.*
*Quærendum est, vidua fieri malitis, an orbæ.*
*Consilium vobis forte, piumque dabo.*
*Consilium dederat: parent: crinesque resoluunt;*
*Mœstáque funerea corpora veste tegunt.*
*Iam steterant acies, ferro, mortique paratæ,*
*Iam lituus pugnæ signa daturus erat.*
*Cùm raptæ veniunt inter patresque, virosque,*
*Inque sinu natos, pignora cara, tenent.*
*Vt medium campi scissis tetigere capillis;*
*In terram positó procubuere genu.*
*Et quasi sentirent blando clamore nepotes,*
*Tendebant ad auos brachia parua suos.*
*Qui poterat, clamabat auum tunc denique visum,*
*Et qui vix poterat, posse coactus erat.*
*Tela viris, animique cadunt, gladijsque remotis,*
*Dant soceri generis, accipiuntque manus.*

VII. *Quis huius legationis fructus.* *Conditiones pacis.*

Piæ huius legationis fructum sic explicat Dionysius, qui mulieres ad Romanorum primum, deinde Sabinorum consilium profectas memorat. Cùm iussissent Sabini eas secedere, consultatione inter se habita, pacem fieri, inductis primum induciis, voluerunt. Deinde, cōgressis inter se regibus, fœdus ictum est, & iureiurando firmatum, his conditionibus, vt Romæ pari honôre, parique potestate regnarent Romulus, ac Tatius: vt vrbs deductum à conditore vocabulum conseruaret; vt ciues quidem singuli Romani, sicut ante, appellarentur: Vniuersi autem à Curibus Tatij patria, denominarētur Quirites. Vt Sabinis ius ciuitatis Romanæ daretur, quicumque id cuperent, vtque hi cum suis sacris, in tribus reciperentur, & curias. His iureiurando sancitis, arisque in idipsum circa mediam viam sacram erectis, permixti se inuicem cōsalutauerunt, & ex duabus ciuitas vna facta est. Sed hæc aliquanto post contigerunt, quoniam bellum cum Sabinis triennium tenuisse satis constat. Vt iterum suo tempore significabimus.

VIII. *Initium annorum Nabonassaris.*

Primvs hic octauæ Olympiadis annus, insignitus est initio annorum Nabonassaræorum, quos Ptolemæus in suo Almagesto celebrauit.[a] Ab hoc autem anno ipsorum principium petendum esse, ducto ab eodem Ptolemæo argumento, facilè euinci potest. Numerat enim à primo anno Nabonassaris ad mortem Alexandri Magni annos quadringentos viginti quatuor. Atqui Alexandrum mortuum esse constat, ex communissima omnium sententia, anno primo Olympiadis 114. à quo anno ad superiora regrediendo, primus Nabonassaris in primum octauæ Olympiadis necessario incidit. Nam 113. Olympiades integræ transactæ exhibent 452. annos. A quibus si abstuleris 7. Olympiadas euolutas iam, id est annos 28. reliqui erant 424. Rursum si annus 29. ab initio Olympiadum, est primus Nabonassaris, idemque primus octauæ Olympiadis, vltimus Alexandri attinget 453. Olympiadum, qui est primus Olympiadis centesimæ decimæ quartæ.

a c.3.li.3.



ANNVS MVNDI 3307. QVINTÆ ÆTATIS 368.
FVNDATI TEMPLI 285. ACHAZ REGIS IVDÆ 14. OSEE
Regis Israelis 11. idemque 3. Vriæ Pontif. 14.
Theglath-phalasaris 29. Imp. Assyrior.
1375. Olympiadis VIII. ann. 2.
Romvli, et Vrb. cond. 6.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 773.

I. *Res Achaz.*



Reliqvis Achazi annis nihil videtur immutatus regni Iudaici, vel Israëlitici status, vtroque rege Assyriis cum fide tributa pendente. Quoniam verò, quæ à septimo capite Esaiæ vsque ad 14. extremum prænunciata sunt, ad tempora Achaz pertinent, vt ait Hieronymus in hunc posteriorem Isaiæ locum, facile est ex capite 10. intelligere Achaz oppressum ab Assyriis tributorum onere, leges iniquas condidisse, pauperes viduas, & pupillos vicissim exactionibus oppressisse. Quamuis enim hæc ad Israelitas quidam referant; ad Iudæos tamen vult etiam referri sanctus Hieronymus, & alii cum eo. Eadem quippe hoc tempore in vtroque rege penuria, eademque cum impietate necessitas: nisi quod Oseas maioribus suis melior fuit, Achaz autem longe deterior.

*Condit leges iniquas.*

II. *Prædicitur vltima calamitas Israelis.*

Eodem capite[b] aduocat Assyrios Dominus ad vltimam regni Israëlitici vastitatem ac desolationem, significans eam imminere, & in ianuis esse. Vult tamen Assyrios, non potentiæ suæ, quod superbè, & imperite faciebant, sed diuinæ iustitiæ, quæ eorum manu vtatur, ad ruinam illius regni, adscribere victorias suas. Ideoque prædicit Assyriis se eis redditurum promeritam pœnam, eo quod non agnoscant, se Dei tantùm instrumenta, in Iudæorum castigatione fuisse; quod factum est, cùm ab angelo Domini centum, & octoginta millia Assyriorum vna nocte deleta sunt. Inde autem transit

b c.10.v.5.6

a Rom. 9. 17.

b l. 11. c. 1.


Propheta ad nouissima tempora, de quibus Paulus Apostolus hæc ipsa Esaiæ verba interpretatur. [a] Caput autem 13. & 14. contra Babylonios regni Iudæ euersores dirigitur.

III. Et solutio captiuitatis Iudæ à Cyro.

SCRIBIT Iosephus [b] Esaiam oracula de Cyro edidisse 210. annis ante primum annum Cyri, quo captiuitas Iudæorum in Babylone soluta est; & 140. annis ante euersionem templi. Quod vtrumque rectè atque accuratè cum nostra Chronologia congruit, & ad hunc ipsum annum spectat. Si enim ad præsentem annum mundi 3307. addideris annos 210. omnino efficies 3517. annos, quorum
1 vltimus in nostra Chronologia, est primus imperij Cyri. Rursum ad præsentem
29 annum Regum Iuda, adde vnum Achaz, qui superest, & 29. Ezechiæ, & 55. Ma-
55 nassis, & duos Ammonis, & 31. Iosiæ, 11. Ioacim, & totidem Sedeciæ, 140. anni
2 omnino colligentur. Ergo ex Iosepho ad hunc annum pertinet illa Esaiæ pro-
31 phetia, quæ habetur cap. 44. extremo, & initio 45.
11
11
140

IV. Esaia vaticinium.

VBI Dominus, *ego sum qui dico Cyro, pastor meus es*, destinaui te principem, qui quasi pastor gregem suum in nota pascua deducit, sic tu populum meum in patrias sedes, *& omnem voluntatem meam complebis*. quæ scilicet in eo posita est, quod ad te quidem attinet, vt populum meum restituas libertati; Neque illud modò, sed vt ciuitatem quoque illius excites, & templi euersi fundamenta iacias; eo enim pertinet quod sequitur. *Qui dico Ierusalem, ædificaberis, & templo, fundaberis.* Itaque rursum sequenti capite v. 13. *Ipse ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in precio, neque in muneribus.* Vide ergo Dei benignitatem, qui eodem tempore, quo per vnum prophetam calamitatem prænunciat, per alterum misericordiam prædicit, & solutionem captiuitatis tanto ante, quàm illa inferatur. Sed hoc toto de vaticinio alius erit dicendi locus Hic illud addo, videri ipsum ad tempora Ezechiæ, non Achaz pertinere, si dispositionis capitum ratio habeatur: tota enim Ezechiæ historia antecessit.



## ANNVS MVNDI 3309. QVINTAE AETATIS 370. FVNDATI TEMPLI 287. ACHAZ REGIS IVDÆ 16 ET VL. EZECHIÆ FILII EIVS 1. OSEE REGIS ISRAELIS 13. QVI ET 5. NERIÆ PONT. 1. TEGLATH-PHALASARIS 31. ET VLT. IMPERII ASSYRIORVM 1377. OLYMPIADIS VIII. ANN. 4. ROMVLI ET VRBIS CONDITÆ, 8.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 744.

I. Pax, & societas cũ Sabinis.



OCTAVO Romuli, & vrbis conditæ anno pax Sabinos inter & Romanos, mulierum causa violata, earundem industria, precibusque restituta, firmiusque stabilita est. Eam exacto triennio à raptu Sabinarum, vtroque fere populo pugnando fatigato, coaluisse tradit Onuphrius, & Pighius. Idque ex Dionysio colligi potest, qui earum mulierum, quę hac legatione functę sunt, plurium aliquas liberorum matres factas iam fuisse refert Sed missis coniecturis, clara est eius oratio, vbi de T. Tatij morte locutus, hæc habet. *Hunc Tatius vitæ finem habuit, postquam triennale cum Romulo bellum, & quinquennale cum eodem gessit imperium.* τρία μὲν ἔτη Ρωμύλῳ πολεμήσας, πέντε δὲ συνάρξας. Pacis conditiones aliquas superius obiter retulimus, alias etiam apud Plutarchum, & Dionysium leges. Quorum hic de vtriusque regis initiis, hæc ferè habet.

II. Romæ initia regis vtriusque. Duplicantur patricij. Vrbs augetur spatio.

DIGRESSIS cum suis copiis ducibus cæteris, Tatius rex cum trib. illustrissimis viris, Romæ habitaturus substitit, Voleso, Tallo, & Metio Curtio, qui paludem armatus tranauerat, cum quibus alij cognati, & clientes, non pauciores indigenis manserunt. Itaque cum ciuitas valde aucta esset, visum est regibus duplicare patriciorum numerum: æquali numero, è nouis incolis, ad priores patrum familias allecto. Vrbem quoque auxerunt, additis duobus collib. Quirinali, Cœlioq;

& dimiſsis habitatoribus ſeorſim vterque agebat. Romulus tenebat Palatium, eique contiguum montem Cœlium; Tatius verò Capitolium, quod primum occupauerat, & Quirinalem collem. Iidem planiciem Capitolio ſubiectam, exciſa ſylua, & ſtagno, in quod, propter loci cauitatem, multæ è vicinis montibus aquæ confluebant, terra congeſta, repleto, in fori vſum verterunt: multáque templa ſinguli, partim ex voto, partim ex propria deuotione conſtruxerunt. Addo ex Plutarcho, qui regis vtriuſque locum habitationis diſtinctiùs explicat, cùm conſultarent de re aliqua reges, non ſtatim communicatis inter ſe ſententiis rem definiuiſſe, ſed vtrumque, cum ſuis centum patriciis, ſeorſim conſilia cepiſſe; deinde omnes in vnum locum conueniſſe.

*Et templis.*

III. *Summa capita rerum anni huius.*

Qvod ad rem ſacram attinet, de ea plura in hunc annum cadunt; habet enim abeuntem è viuis impium regem Achaz, eique ſuccedentem filium Ezechiam, pietate illius impietati ex æquo reſpondentem; habet & nouum Pontificem Vriæ ſucceſſorem, & Theglath Phalaſaris Aſſyrij regis vitæ ſimul, ac regni finem: quæ non exiguam ſecum rerum ſyluam trahunt. Et vt primum temporis rationem demus, ex iis, quæ anno duodecimo Achaz dicta ſunt, perſpicuum eſt vltimum annum regni Achaz, & primum Ezechiæ, vnum, eundémq; annum efficere; imperfectos ſcilicet duos, integrum vnum, atque perfectum: [a] cùm ille trigeſimum ſextum ætatis annum ageret, hic inciperet agere vigeſimum quintum, iuxta ea quæ anno octauo Ioathami aui eius diximus. Neriam autem pontificem tempore Ezechiæ, nobiſcum ſuggerit breue Chronicum Hebræorum, quod Genebrardus de more ſequitur. [b] Ioſephus quoque Vriæ pontifici ſubſtituit Neriam.

[a] 2.Paral. 28.1.

[b] l.10.c.11.

IV. *Dubitatio de pontifice.*

Scio Diuum Hieronymum in cap. 37. Eſaiæ, vocare Eliacim pontificem; ſed ea de re infra anno 14. Ezechiæ dicemus. Iuſtior longè eſt dubitandi cauſa ex 2. Par. [c] Vbi Azarias vocatur Sacerdos primus, à Septuaginta princeps, ſiue ſummus: & ne res dubia eſſet, additur de ſtirpe Sadoc. Denique infra v. 13. *Ex imperio*, inquit, *Ezechiæ regis, & Azariæ pontificis domus Dei*; in Hebræo, & Græco habetur ducis, ſiue principis; quo nomine ſummum ſacerdotem, ſiue pontificem intelligi ne ſectarij quidem diffitentur. Lyranus putat hunc eundem eſſe Azariam, qui reſtitit Oziæ regi, incenſum offerre volenti. Sed ſi temporis longitudo non repugnat duo certè interiecti pontifices Ioatham, & Vrias repugnant. Dici poteſt Azariæ nomen quaſi appellatiue ſumi; aut honoris cauſa à pontificibus aſſumptum cuius rei coniecturam præbet, quod nullum nomen in pontificibus frequentius inuenitur. Vide quæ ſupra initio regni Oziæ diximus. [d]

[c] c.31. 10.

[d] an 1.n.3.

V. *Impius Achazi finis.*

Hic ergo vltimus eſt annus impiæ vitæ Achaz, & regni eius ærumnoſi; idemque vitæ vt dixi, trigeſimus ſextus, regni decimus ſextus: Cuius memoria non ſolùm infamis, ſed etiam execrabilis præ omnibus regibus Iudæ, qui eum anteceſſerunt, perſeuerat. Nam inſanus furor Salomonis paucorum annorum fuit, & extrema pœnitentia correctus eſt. Hic toto regni ſui tempore impius fuit, & in eadem impietate extremum vitæ clauſit diem, vt Ioſephus, Genebrardus, omnes fatentur. Ille templum condidit, ac conſecrauit, omnibuſque modis ornauit; hic profanatum, atque expilatum impiè clauſit, ne quis Deo ſupplex fieret, vt ipſum placatus aliquando reſpiceret, eique bonam mentem largiretur. Ille victus libidine, à Deo auerſus, ſeſe ad idola conuertit; hic ſua ipſius impietate, & malitia actus in rabiem, ferrum quodammodo diſtrinxit in ipſum Deũ, eius aram euertit, vaſa confregit, templum obſtruxit, & ei quantam potuit vim, atque iniuriam afferre molitus eſt. Denique verberibus, quibus Dominus aliorum ſcelera expiauit, factus deterior, augenſque contemptum, ab eo in perpetuum abiectus eſt. Ea vna re felix, quod ſanctiſſimi filij pater fuit. Cuius vel admonitionibus, vel exemplis corrigi fortaſſe potuiſſet, niſi decreuiſſet Dominus in eo docere, quam verè dictum ſit ab eodem Salomone. *Nemo poteſt corrigere quem Deus deſpexerit.* [e]

[e] Eccleſ. 7. 14.

VI. *Eiuſdem ſepulchrũ.*

Qvod ad eius ſepulturam attinet, [f] dicitur dormiuiſſe cum patribus ſuis, & ſepultus cum eis in ciuitate Dauid, id eſt in arce Sion. Quoniam verò hinc exiſtimari poterat, eum in ſepulchro regum Iuda fuiſſe ſepultum, quo tamen honore Deus eum priuare voluit, [g] alibi ſcribitur eum ſepultum fuiſſe in ciuitate

[f] 4. Reg. 16.20.

[g] 2.Paral. 28.17.

Ierusalem, nec receptum fuisse in sepulchra *regum Israel*, id est Iuda; quo modo superius Achaz vocatus est rex Israel. Nam alioqui reges Iuda non sepeliebantur in sepulchris regum Israëlis. *Non est quippe dignum*, inquit Glossa interlin. *Hæreticos cum catholicis in futuro quiescere, qui ab eis hic discordant fide, & opere.* In isto tamen ipso loco Paral. Septuaginta Aldi, Sixti, Regia, & Basil. habent sepultum in ciuitate Dauid, seorsim tamen a regum conditoriis. Et rectè, qui viuens Deum quodammodo domo sua excluserat, eumque aditu eius prohibuerat, ipse mortuus de domo sua, id est patrum suorum sepulchro eiicitur, & inglorius sepelitur. Sed illud longè deterius est, quod sepultus est in inferno, cùm similem reliquæ vitæ diem clausisset extremum. Mortuum esse non longè ab huius anni principio, quæ mox de Ezechia dicemus, demonstrabunt. *Exclusus fuit à regum conditoriis.*

VII. *Initium regni Ezechiæ.* IMPIVM ergo, Deóque execratum regem Achaz, optimus, ac pientissimus princeps Ezechias singulari Dei munere, & in regnum Iuda, & familiam Dauidis beneuolentia, subsecutus est; qui Dei cultum religiosè restauraret, & prostratum Reipublicæ statum erigeret. Quo autem anni tempore regnare cœperit, ex capite 30. 2. Par. colligi potest. Cùm enim ibi dicatur celebratum Pascha mense secundo, quòd mense primo, iuxta præscriptum legis, id celebrare, propter varia impedimenta minimè licuisset: primo mense restauratum, & repurgatum est templum, opere inchoato ab ipso primo die primi mensis, [a] id est à nouilunio Nisan, & homines per sacrificia expiati. Cùm autem hic primus mensis, primus quoque regni Ezechiæ fuerit, [b] eum, Martio mense circiter ineunte, regnare cœpisse dicendum est. *Ipso anni initio.*

a 2. Paral. 29.17. b 2. Paral. 29.3.

VIII. *Cœpit à diuino cultu.* INITIVM Rex à cultu diuino duxit. *Ipso enim anno, & mense primo regni sui aperuit valuas domus Domini, & instaurauit eas.* Vt loco citato Paral. scriptum est. Imo ipso primo die regni sui, vt notat D. Hieronymus in tradit. in hunc locum, & Lyranus. *Statim ab initio principatus* (inquit Iosephus) [c] *nullam magis necessariam, vel vtilem, tam sibi, quàm subditis curam existimauit, quàm religionis, ac diuini cultus.* Primum ergo quæsiuit regnum Dei, & iustitiam eius, & reliqua omnia adiecta sunt ei. Conuocauit itaque Ezechias, statim à morte patris, Sacerdotes, & Leuitas, qui tunc temporis Hierosolymis reperti sunt: *de repente quippe hoc fieri placuerat*, [d] *& congregauit eos in plateam*, siue aream, *orientalem* templi. Quamuis tres essent areæ orientales subdiales, ingentibus vndique, ac peruiis cinctæ porticibus, singulæque areæ essent magnitudine pares, centenis enim singulæ cubitis per quadrum extendebantur; istarum tamen trium media simpliciter orientalis dicebatur, quia duæ reliquæ angulares Aquiloni, & Meridiei tribuebantur. Hæc item sola ante portam templi orientalem iacebat. Iosephus ait conuocatum populum cum Sacerdotibus, & Leuitis: quod nec Scriptura dicit, nec credibile est; cùm ad solos Sacerdotes, ac Leuitas opus mundandi templi pertineret. *Conuocatis sacerdotibus, ac Leuitis.* *Templi area orientalis.*

c l. 9 c. 13. d 2. Paral. 29.36.

IX. *Quos monet de templo mundando.* IBI eos rex pius monuit, [e] vt sanctificarentur ipsi primum, iuxta legis præscriptum. Inde templum Dei mundarent; priorum regum (neque enim nominatim patrem suum accusare voluit filius bene moratus, quidquid dicat Iosephus) scelere violatum, vt cultum antiquatum repararent, & furorem Domini mitigarent, quo iustissimè indignante traditus esset *Iuda, & Ierusalem in commotionem*; tot scilicet vrbibus à Syris, Idumæis, & Palæstinis expulsi, regnante Achaz: traditi *in interitum* ab Israëlitis, à quibus centum, & viginti millia virorum fortium de Iuda vno die perempta sunt: traditi *in sibilum*, & contemptum Assyriorum, quorum facti erant serui, ac tributarij. Addit etiam de filiis, filiabus, & vxoribus captiuis, quas Israëlitæ abduxerant, quas tamen restituerunt, interuentu prophetæ Obed, vt supra diximus.

e 2. Paral. 29.5.

X. *Regis ipsius oratio.* SED libet sancta ipsa regis optimi verba recitare: sunt enim dulciora super mel, & fauum. *Audite me*, inquit, *Leuitæ, & sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario. Peccauerunt patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: auerterunt facies suas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum. Clauserunt ostia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensumque non adoleuerunt, & holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel. Concitatus est itaque furor Domini super Iudam, & Ierusalem, tradiditque eos in commotionem, & in interitum, & in sibilum, sicut ipsi cernitis oculis vestris. En corruerunt*

*patres vestri gladiis, filij nostri, & filiæ nostræ, & coniuges captiuæ ductæ sunt propter hoc scelus. Nunc ergo placet mihi vt ineamus fœdus cum Domino Deo Israel, & auertet à nobis furorem iræ suæ. Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus, vt stetis coram eo, & ministretis ei, colatisque eum, & cremetis ei incensum.* Addit Sulpitius Seuerus regem ad eos inuitādos ad pietatem, docuisse decem tribus in captiuitatem nuper abductas, sacrilegij pœnas dissoluisse. In quo certum est eum lapsum esse memoria. Id enim sexto tantum Ezechiæ anno contigit; etsi iam aliquot tribus, maximè quæ trans Iordanem habitarant, in Assyrios, ac Medos perpetuo exilio damnatæ essent, ac relegatæ.

XI. *Totum templum mundatur intus, ac foris.*

Hoc sancto regis optimi, imo & ipsius Dei, accepto per os regis mandato,[a] Sacerdotes, & Leuitæ octo diebus exteriora templi, atria scilicet omnia, & porticus, moxque totidem aliis templum ipsum, eiusq; supellectilem expiauerunt; & Leuitæ immunditiem omnem, quam intrò repererant in vestibulo domus Domini, extulerunt, & in torrentem Cedron foras deportauerunt. Nomine autem immunditiæ omnia idolorum simulachra, aras, supellectilem intelligit, quæ instar mulieris menstruatæ, & polluta erant, & polluebant; vt ait Diuus Hieronymus in traditionibus in hunc locum. [a 2. Paral. 29.15.]

XII. *Multa in eo iussu regis sacrificia offeruntur.*

Quæ postquam regi nunciata sunt, consurgens diluculo adunauit omnes principes ciuitatis, & cum iis in templum profectus, legitima sacrificia, in peccatorum totius populi expiationem obtulit, reliquasque legis ceremonias studiosè instaurauit; quæ fusius cap. 29. eiusdem libri Paral. describuntur. Vbi inter alia. *Obtuleruntque simul tauros septem, & arietes septem, agnos septem, & hircos septem, pro peccato, pro regno, pro sanctuario, pro Iuda.* Obtulerunt autem Deo, non ipsi per se, sed ministerio sacerdotum. Vnde sequitur. *Dixitque sacerdotibus filiis Aaron, vt offerrent super altare Domini*, quod postliminio restitutum erat, amoto illo Damasceno. Notat tamen D. Hieronymus in tradit. & post eum Lyranus, contra morem factum fuisse, vt septem hirci pro peccato immolarentur, cùm vnus tantum esset in præcepto: sed quia multa erant peccata, imo populus vniuersus, cum principe suo, eodem scelere obligatus erat, septem hirci offerri debuerunt: septenarius enim numerus quantamlibet multitudinem repræsentat.

*Hirci septem præter morem legitimum.*

XIII. *Renouatur cum Deo fœdus.*

Quod autem dixerat rex[b] velle se inire, aut potius renouare fœdus cum Domino Deo Israël, id quomodo factum sit mox declarat dicens. *Cumque finita esset oblatio*, quæ scilicet facta erat pro piaculo vniuersi Israëlis, *incuruatus est rex, & omnes, qui erant cum eo, & adorauerunt*; in signum agnoscentium, & acceptantium Dominum in Deum, & idola repudiantium. *Præcepitque*[c] *Ezechias, & principes Leuitis, vt laudarent Dominum sermonibus Dauid, & Asaph videntis*; id est psalmis, quorum plerique in titulo habent inscriptum Asaph, & ab eo compositi à plerisque existimantur; eisq; fauet hic locus, in quo æque dicuntur sermones Dauid, atq; Asaph. Verum ea de re alio loco disputatum est.[d] *Ceciner ant autem prius Leuitæ in domo Domini cum cymbalis, & psalteriis, & cytharis, secundùm dispositionem Dauid regis, & Gad videntis, & Nathan prophetæ. Steteruntque Leuitæ tenentes organa Dauid, & sacerdotes tubas*, dum offeruntur holocausta ab vniuerso populo, quibus protestati sunt se Dominum assumere in Deum, & omnem idolorum nequitiam detestari. Et hæc omnia primo statim mense anni primi Ezechiæ facta sunt, intra 17. vel 18. dies.[e] [b 2. Paral. 29.10.] [c ca 29 30.] [d an. mun. 2969. n. 62. 63. & seq.] [e 2 Paral. 29.19. 20.]

XIV. *Altare æneum restitutum loco suo.*

Nec illud omittendum hoc loco, ingens illud altare æneum holocaustorum, quod Achaz suo loco dimouerat, vsui hoc tempore fuisse sacrificiis. Illo altero Damasceno idololatrico, vt par erat, repudiato, & inter reliquas immunditias foras eiecto. Illud, inquam, altare æneum Salomonicum; neque enim tam breui tempore tantum opus recens aut conflari, aut sculpi, aut omnino confici potuisset. Ideoque putamus eos falli, qui illud ab Achaz putarunt fuisse confractum. Præsertim cùm Scriptura tantum dicat Achaz illud seposuisse, ad latus altaris à se constituti, versus aquilonem. Ergo non sine aliqua exceptione illa verba accipienda sunt. *Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis clausit ianuas templi Dei*[f] Præsertim cùm signum illud vniuersale ab Hebræis absit, Græcisque codicibus. [f 2. Paral. 28.24.]

XV. *Zelus Eze-*

Quoniam verò pius Ezechias, diuino simul, & iuuenili feruore plenus,

restaurandæ pietatis studio flagrabat, ad eámque non parum adiumenti allatura videbatur paschalis celebritas, si ea quàm maximo apparatu, & frequentia populorum perficeretur. Legitimum autem paschatis tempus, quod est 14. luna primi mensis, abierat, vt proximo mense secundo, iuxta legis indulgentiam, [a] id celebraretur, maximè satagebat. Et zelo salutis animarum tam sibi subditarum, quàm vicino regi Oseæ incitatus, omnes ad hanc celebritatem inuitare voluit, & ad pietatis cultum, lõgo denique interuallo, reuocare. Præsertim cum Oseas, vt ex Hebræis dicebamus, amissis vitulis aureis, minus esset idololatriæ studiosus, suisque subditis iter Hierosolymitanum adorandi causa patefecisset: quod refert, sequiturque Genebrardus.

*Ezechiæ aduersus omnes Israelitas. In celebritate pascha.*

[a] Num ca. 9.10.11.

LONGEQVE probabilius est, quàm quod Caietanus, & Torniellus [b] tradiderunt: hoc pascha scilicet, ad quod vtriusque regni subditi inuitati sunt, post captiuitatem decem tribuum, anno septimo Ezechiæ contigisse: cùm Scriptura dicat, [c] eum anno primo, & mense primo regni sui diuinum cultum restituisse, & deinceps secundo mense eiusdem anni celebrasse pascha. [d] *Non enim potuerunt facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem*, & tunc missi sunt nuncij à Dan, vsque Bersabee, ad hoc ipsum pascha celebrandum. Nisi forte velimus, ad septimum vsque annum, Ezechiam celebrationem paschæ distulisse: aut aduersarij docere possunt hoc septimum fuisse pascha, & non primum.

XVI. *Huius anni primo. Non post captiuitatē.*

[b] an. 293. ætat. 5.
[c] 2. Paral. 29.3.
[d] Vt patet ex c. 30. 2.

NAM quod aiunt Oseam non promissurum fuisse subditos suos ire Hierosolymam, sicut nec ab aliis regibus ante permissum fuerat, iam satis refutatum est, ex valde probabili Hebræorum sententia. Nec loca illa omnia, quæ refert Torniellus ex hoc 30. cap. Paral. de secunda magis captiuitate, quàm de prima explicari possunt; imo de prima potius, cùm Scriptura dicat magnam partem populi de Ephraim, & Manasse, & Isachar, & Zabulon comedisse pascha. Non vtique superfuerat magna pars populi in istis tribubus, post secundam captiuitatem, sed post primam integri erant isti populi, & magna eorum pars obediuit Domino, & consilium Ezechiæ secuta est. Et hæc est quoque sententia Abulensis, [e] cum ait post sex annos ab hac celebritate, Israëlitas in Assyrios fuisse translatos; & Riberæ supra cap. 1. Oseæ n. 101. Genebrardi in Chronologia, in Ezechiæ initiis, & maximè Iosephi lib. 9. c. 13.

XVII *Refutatur contraria sententia.*

[e] q. 16 in c. 18. 4 Reg. & q. 44. in ca. 20.

INITO *ergo consilio regis*, [f] *& principum, & vniuersi cœtus Ierusalem, decreuerunt vt facerent Phase mense secundo. Non enim potuerunt facere in tempore suo*, decima quarta videlicet primi mensis, *quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Ierusalem*, neque conuocatus. Conuocare autem oportuit, quoniam legitimæ solennitates paschæ, pentecostes, tabernaculorum abierant in desuetudinem, regnante Achaz, qui eas, occluso templo Dei, antiquauerat. Ideoque moneri populum oportuit de restituta religione, & conuocari in locum, in quo illa exercebatur.

XVIII. *Populus cōuocatur.*

[f] 2. Par. 30.

CVM ergo communi consilio decretum esset, & indictum pascha in mensem secundum; *Misit rex nuncios in vniuersum regnum Israel, & Iudam, à Bersabee vsque Dan.* Qui, vt non semel dictum est, sunt termini totius terræ promissionis, secundùm longitudinem à Septentrione, in meridiem, à Libano in deserta Idumææ, à tribu Nephthalim ad tribum Simeonis. *Perrexerunt ergo cursores cum epistolis, ex regis imperio, & principum eius*; monentes vtriusque regis subditos, vt reuerterentur ad Dominum Deum patrum suorum, spondentes Dei misericordiam, in reliquias regni Israëlitici, quæ nondum Assyriis erant subiugatæ. Quin etiam conuersionem eorum valituram spondet in vtilitatem fratrum suorum, qui iam superioribus annis abducti fuerant in captiuitatem, vt in terram suam reuerti possent. *Si enim*, inquit, *vos reuersi fueritis ad Dominum, fratres vestri, & filij habebunt misericordiam coram Dominis suis, qui eos duxerunt captiuos, & reuertentur in terram hanc.* Idque non merito vestro, qui hactenus fuistis impii, sed quia *pius, & clemens est Dominus Deus vester.* Hæc erat summa literarum, quæ fusius habentur [g] in textu.

XIX. *Etiam in regno Israelis.*

[g] 2. Paral. 30.6.

INTERIM autem dum *cursores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem*, minimè dubium videtur, quin Ezechias sese ornando templo pro sua facultate addixerit, vt id in proxima solennitate ornatius esset, & populi pietatem in Deum,

XX. *Ezechias ornat templum.*

& religionem prouocaret. Tanta autem fuerunt ornamenta, vt laminis aureis templi valuas operiret: [a] quas tamen ipsemet postea refigere coactus est: nisi placet hæc ad aliquanto posteriora tempora differre, dum ad pinguiorem fortunam venit Ezechias, qui regnum suum tributis, & deprædationibus exinanitum, & exangue reperit; iustissimo Deo patris eius impietatem, etiam in hac vita, castigante. a 4. Reg. 18.16.

XXI. *Quis legationis fructus.* LEGATIONIS porro is fuit exitus, vt plerique irriderent, & subsannarent regis nuncios, præsertim in terra Ephraim, & Manasse, & Zabulon. Auget hæc suo more Iosephus. [b] *Israelitæ vero audito quid legati à suo Rege afferrent, adeo mentem non adhibuerunt, vt eos ludibrio habuerint, & prophetas quoque eosdem cohortantes, & præmonentes, quantæ calamitates instarent, nisi maturè ad pietatem redeuntes resipiscerent; quos postremo comprehensos necauerunt. Nec his facinoribus contenti, ad peiora etiam sunt prolapsi; ita vt non prius desisterent, quàm ob extremam impietatem Deus vltor in potestatem hostium eos tradiderit.* Vult ergo Iosephus hæc ante captiuitatem vltimam contigisse, vti diximus, & recte vult: illud tamen non recte, quod legatos, aut prophetas in hac legatione ab Israëlitis comprehensos, occisosque dicit; quod sacro historico ne in mentem quidem venit. b l. 9. c. 13.

XXII. *Plerosque resipuisse.* ATTAMEN *quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio venerunt Ierusalem.* [c] In Hebræo est, *humiliauerunt se*, vt intelligamus, quæ sit hominibus via, & ianua ad salutem. Sed infra versu vndecimo, additur magnam partem populi Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon comedisse Phase; igitur & hi quoque sanctis monitis acquieuerunt. His etiam annumerandi sunt aliqui de tribu Nephtalim, qui adhuc in patria remanserant, vt Tobias senior, de quo [d] dicitur eum pergere solitum in Ierusalem ad templum Domini, cùm irent omnes ad vitulos aureos quos fecerat Ieroboam: cui se Ananias, & Ionathas socios adiungebant; vt habetur in textu Græco. [e] c 2. Par. 30. 11. d c. 1. 7. e Tob. 1. 5.

XXIII. *Iudæorum pietas, & Zelus,* IN *Iuda verò facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum.* [f] Id est vberior gratiæ diuinæ influxus, & copia, vt vnanimes regis voluntati consentirent; plurimorum enim conspiratio, & consensus in bonum, magnum Dei beneficium est. *Congregatique sunt in Ierusalem populi multi, vt facerent solemnitatem Azymorum in mense secundo.* Sed præterea magna animi alacritate, & diuino zelo incitati, [g] *surgentes destruxerũt altaria, quæ erant in Ierusalem.* Fecerat enim Achaz altaria in vniuersis angulis Ierusalem. [h] *Atque vniuersa* vasa, & aras, *in quibus idolis adolebatur incensum subuertentes, proiecerunt in torrentem Cedron.* Sacerdotes, & Leuitæ mundauerant templum, & omnia eius altaria. Nunc populus ipse, suppari diligentia, ciuitatem ipsam, vias, plateas, ædes priuatas, publicasque idolorum sordibus expurgarunt. f 2. Paral. 30. 12. g c. 30. 14. h 2. Paral. 28. 24.

*Aduersus idololatriã.*

XXIV. *Purgatur Ierusalem.* INTEREA aduenit dies comedendi agni paschalis, qui cum reliquis legitimis Azymorum diebus, inusitata lætitia, sacrificiis, epulisque celebratus est. *Ezechias* [i] *enim Rex Iuda præbuerat multitudini mille tauros, & septem millia ouium; principes verò dederant populo tauros mille, & ouium decem millia.* Mutatus est hic sacrificiorum numerus à Iosepho. [k] *Instante verò Azymorum festo*, inquit, *paschale sacrum facientes, alias deinceps victimas mactabant, per continuos dies septem. Populo etiam præter eum numerum, quem ipsi mactauerunt, taurorum duo millia, pecorum septem millia rex de suo largitus est. Hanc liberalitatem imitati principes, mille tauros eis dederunt, & pecora mille quadringenta;* siue quadraginta. In Græco enim est τετρακόσια, non τεσσαράκοντα. Sic Iosephus: qui, nisi in numeros illapsum est mendum, corrigens Scripturam pro Ezechia rege male zelatus videtur. Cùm enim sacer historicus principes regi pares in tauris fecisset, in ouibus etiam suppares ipse contra, regem in tauris duplo liberaliorem facit, & in ouibus principum largitionem plus dimidia parte diminuit, qui de ouium decem millibus, mille tantum, & quadringentas, aut etiam pauciores reliquit. Sed pergit Scriptura. i 2. Paral. 30. 24. k l. 9. c. 13.

*Numerus victimarũ.*

*Apud Iosephum corrigitur.*

XXV. *Lætitia vniuersi populi.* HILARITATE *perfusa omnis turba Iuda, tam* [l] *Sacerdotum, & Leuitarum, quam vniuersæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel: proselytorum quoque de terra Israel, & habitantium in Iuda. Factaque est grandis celebritas in Ierusalem, qualis à diebus Salomonis filij Dauid regis Israel, in ea vrbe non fuerat.* Nec suffecerunt dies septem explendis animis in tam grandi, & inusitato gaudio. 1 Hic enim est ducentesimus, & l 2. Par. 30. 25.

quinquagesimus annus, ex quo diuiso Salomonis regno, vterque populus non conuenerat, nisi quando in mutuam armati perniciem infestis gladiis, telisque concurrebant. Fortè etiam plerique ex remotioribus locis regni Israël tardius venerant. Placuit itaque vniuersæ multitudini, vt celebrarent etiam alios dies septem; quod etiam fecerunt, cum ingenti gaudio, & regis, principumque in sacrificia, atque epulas liberalitate.

XXVI. *Expurgata oppida Iudæ à populo.*

CVMQVE *hæc fuissent rite celebrata, egressus est omnis Israel, qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt simulachra, succideruntque lucos, demoliti sunt excelsa, & altaria destruxerunt. Non solum de vniuerso Iuda, & Beniamin*, quod erat regnum Iuda, de quo supra dictum fuerat. [a] *In omnibus quoque vrbibus Iuda extruxit Achaz aras, ad cremandum thus diis alienis*, &c. In has ergo vrbes idem zelus qui templum primo, deinde ciuitatem regiam emundauerat, effusus est post festum Azymorum celebratum, in interitum idololatriæ, & omnium, quæ ad eam quoquo modo pertinebant. Quin etiam idem zelus in alterum quoque regnum redundauit. Nam sequitur. *Sed & de Ephraim quoque, & Manasse, donec penitus euerterent; reuersique sunt omnes filij Israel in possessiones, & ciuitates suas.*

[a] 2. Paral. 28.25.

XXVII. *Regis ipsius Zelus aduersus idola.*

QVID autem rex ipse? Num in disperdenda idololatria populo segnior fuit? Quin imo opera inter talia primus extitit. Audi enim quid Regum narret historia. [b] *Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses. Siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum.* Id tempus fuit annorum 727. ab anno scilicet 40. egressionis vsque ad hunc annum. Neque tamen putandum est toto eo tempore serpentem hunc pro idolo fuisse, sed tempore tantum regum impiorum; quem tamen pij reges Moysis reuerentia, tanquam nobile antiquitatis, & diuinæ beneficentiæ monimentum, & vt Dei iussu conflatum, & erectum, prodigioque nobilitatum videntur intactum reliquisse, donec Ezechias hunc lapidem scandali confregit, ac sustulit. Vocauitque nomen eius Nohestan. 2

[b] 4. Reg. 18.4.

2. εχ.

XXVIII. *Idololatriã extermi nat.*

DENIQVE vno verbo singularem regis religiosissimi laudem complexus sacer historicus. *Fecit*, inquit, *quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius.* [c] Quæ laus perpaucis regibus tribuitur. Asæ, [d] Iosaphato, [e] Iosiæ. [f] Quod tamen de dissipatis excelsis, confractis statuis, lucisque succisis dicitur, videatur, cum aliqua exceptione intelligendum. Nam infra [g] dicitur Iosiam succidisse lucos, & contriuisse statuas, à Salomone in monte offensionis excitatas. Ezechias ergo, qui eum plus 50. annis antecessit, illa reliquit intacta. Et reuera Scriptura non asserit eum omnia excelsa demolitum esse. Causam existimat Abulensis, [h] partim quod populus loci amœnitate allectus id non permitteret, & regi magna inde seditio timenda esset; partim quod ibi populus non peccaret, quòd ea idola non coleret, quibus ille locus iam pridem fuerat consecratus. Iosias tamen omnem peccati memoriam voluit funditus exscindere.

[c] 4. Reg. 18. 3 & 2. Par. 29.2.
[d] 3. Reg. 15.11.
[e] 2. Paral. 17.3 4.
[f] 2. Par. 34. 2. & 4. Reg. 22.2.
[g] 4. Reg. 23.13.14.
[h] q.9 & 10. in c. 18 4. Reg.

XXIX. *An etiam ex monte offensionis, & quatenus.*

VERVM si rectè coniecimus alio in loco, dum de Salomonis pœnitentia disputaremus, [i] cuius coniecturæ ne nunc quidem nos pœnitet, existimamus etiam viuo Salomone omnem illam dæmonum officinam disruptam fuisse, dilaceratam, atque disperditam. Dici autem lucos, statuas, *excelsa, quæ*, siue qualia *ædificauerat Salomon*, quia excitata fuerant in loco eodem, & supra fundamenta, quæ ibi olim posuerat Salomon, & Domino permittente relicta fuerant, vt essent apud posteros Salomonis peccati, & pœnitentiæ testes. Videntúrque referendæ illæ statuæ, & luci, & aræ, & reliqua idololatriæ monumenta ad Manassem, & eius filium Ammonem, non ad Salomonem, ante annos 250. extinctum. Nam neque arbores ætatem illam ferunt: & incredibile dictu est tantum scandalum ab Asa, aut Iosaphato, aut Ioiada, cum latè idololatriam disperderent, in oculis ipsis positum non vidisse, aut non ausos attingere.

[i] an. mun. 3058. n. 36. & 37.
[k] 4. Reg. 23 13.

XXX. *Error populi circa serpentem.*

IAM quod ad serpentem æneum attinet, certum quidem est nullam vnquam in eo vim fuisse, ad homines, qui eum aspexissent, curandos à serpentum morsibus, & excutiendum venenum, quòd illi mortalium corporibus infudissent; sed solum Deum, qui sanat omnia, ægros, sub conditione inspecti serpentis, curauisse. Rudis tamen Hebræorum populus existimans se à serpente curatum: & propterea ratus aliquid in eo latere diuinitatis, ei offerebat incensum. Et quo.

niam tam multi olim, oculis in illud ipsum serpentis simulachrum coniectis, sanati fuerant, existimarunt hoc quoque tempore, si res ferret, eodem se beneficio affectum iri: cum non esset à Deo definitum, ad quod vsque tempus supernaturalis illa vis illi metallo collata esset. Itaque sub ea spe, aut cuiuspiam alterius boni, populus serpentem honorabat. At Ezechias cum confregit, vocauitque contemptim Nohestam, id est, æs eorum, quasi diceret, nihil illud esse præter æs, & in Domino sperandum esse, non in illo; vnde Scriptura statim subdit. *In Domino Deo Israel sperauit.*[a]

XXXI. *Ezechiæ in eo confringendo fortitudo.* ANIMOSVM porro fuit hoc facinus, & plenum spe, & fiducia in Deum. Nam rem humana prudentia æstimantibus, videri poterat periculosum negotium. Ignarum enim, ac rudem populum existimaturum, Ezechiam tam Domino ipsi, quam diis gentium bellum indixisse, qui rem Dei ipsius iussu, à sanctissimo legislatore fabricatam, & tot annis à sanctissimis viris, pontificibus, regibus, populique principibus conseruatam, vt diuinæ erga populum suum misericordiæ, ac beneuolentiæ argumentum, ipse temerè, atque irreligiosè confregisset. Verùm is non tantum fortiter fecit; sed etiam rectè. Ideoque hoc ipsum Scriptura in eo laudãdo recensuit.[b] Et omnino oportuit principem populi auferre populo materiam publicæ offensionis, & prolapsionis in idololatriam:

*a Vid. Abul q. 13. & 14. in c. 18. 4. Reg.*

*b 4. Reg. 18. 4.*

XXXII. *Et iustitia. Satisfit obiectu.* DEI quidem iussu fusus fuerat hic serpens, in remedium pœnæ Deo, & Mosi obmurmurantium in deserto: sed cessauerat ille vsus, ideoque nunc nihil contra finem, quem sibi tunc Deus proposuerat, peccabant. Quandoquidem id simulachrum in vsum, aut abusum potius longè deterrimum vertebatur, cùm non fieret monimentum diuinæ beneficentiæ, sed detestabilis nequitiæ incitamentum. Itaque licet Deus ipse serpentem fabricatus esset, potuisset tamen ad tollendum huiusmodi abusum, à magistratu confringi, & fusione, in alios vsus immutari. Nam & iudex vitam, quam Deus latroni dederat, sine culpa, atque adeo cum laude tollit. Denique satius fuit huius diuini beneficij memoriam antiquari, (quamquam sacræ literæ huic malo facilè occurrebant) quam in diuinæ maiestatis iniuriam misericordiæ ipsius monimentum conuerti.

XXXIII. *Prouidet templi ministris.* CELEBRATO paschate adiecit animum Ezechias, siue Leuitarum, & Sacerdotum rogatu, siue propria incitatus pietate, ad diuinorum ministrorum sustentationem restaurandam, quam Achaz, veri Dei cultum abolere gestiens, neglexerat. Vt ergo perpetua forent religiosa templi ministeria: hinc quidem turmas sacerdotales, Leuiticasque constituit in officio quamque suo, sacrificandi, ministrandi, canendi: inde autem rex ipse de suo stata assignáuit sacrificia, *& præcepit populo* Hierosolymitano, *vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Domini.* Sed vide populi alacrem liberalitatem. *Quod cùm percrebuisset in auribus multitudinis* (ait Sacer historicus)[c] erat autem tempus primitiarum, & imminebat messis, *plurimas obtulere primitias filij Israel, frumenti, vini, & olei, mellis quoque, & omnium, quæ gignit humus decimas obtulerunt. Sed & filij Israel, & Iuda, qui habitabant in vrbibus Iuda, obtulerunt decimas boum, & ouium, decimasque sanctorum,* id est sanctas, *quas vouerant Domino Deo suo, atque vniuersa portantes fecerunt aceruos plurimos. Mense tertio cœperunt iacere fundamenta,* id est inchoare aceruos, *& mense septimo compleuerunt eos,* id est à mense Maio, vsque ad Nouembrem.

*Populi in eam rem alacritas.*

*c 2. Paral. 31. 5.*

XXXIV. *Leuitarum quæstores.* CVMQVE *ingressi fuissent*[d] *Ezechias, & principes eius viderunt aceruos, & benedixerunt Domino, ac populo Israel. Interrogauitque Ezechias Sacerdotes, & Leuitas, cur ita iacerent aceruí. Respondítque illi Azarias Sacerdos primus, de stirpe Sadoc, dicens. Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eò quod benedixerit Dominus populo suo: reliquiarum autem, copia est ista quam cernis. Præcepit igitur Ezechias vt præpararent horrea in domo Domini.* Non vt recens construerentur, erant quippe iampridem à Salomone ædificata, sed vt mundarentur, &c.

*d c. 31. v. 8.*

Prouidit quoque rex, vt per idoneos homines Leuitici generis omnia conseruarentur, & distribuerentur sub manibus Chroneniæ, & Semei fratris eius, atque vicarij. Propterea enim secundus dicitur. Omnia autem *ex imperio Ezechiæ regis, & Azariæ,* siue Neriæ *pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant.*

XXXV. *Parabolæ à viris Ezechiæ collecta.* SVB hoc tempus existimantur collectæ parabolæ illæ Salomonis, quæ in libro

eius

Clades Philisthæorum prænunciatæ.

eius à capite 25. & deinceps continentur, *quas transtulerunt viri* siue amici, vt est in Septuaginta *Ezechiæ regis Iuda*; ex variis scilicet membranis collectas, ad reliquarum parobolarum corpus aggregarunt. Transtulerunt ergo, non ex vno idiomate in alterum, sed ex vno loco in alium. Videntur autem hæc ad hoc tempus pertinere, in quo Ezechias commendauit populo, *vt darent partes sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Domini*, id est sacris libris non solum legendis, sed colligendis, & diiudicandis. Vnde quidam pro *transtulerunt* ex Hebræo vertunt, *roborarunt*, id est sua authoritate approbarunt, & Salomonis esse, sicut & præcedentes testificati sunt.

XXXVI. Onus Esaiæ in Philisthæos.

Non modica porro communis lætitiæ pars fuit Esaias, quem nemo dubitet cum cæteris coæuis prophetis, huic tantæ solemnitati interfuisse, eiusque vel maximum fuisse promotorem, pro ratione & prophetici officij sui, & regiæ consanguinitatis, & venerandæ senectutis. Hoc quippe *anno, quo mortuus est Rex Achaz*, [a] *factum est onus istud*, prophetia scilicet aggrauans, & deprimens Philisthæos, aut eis grauem calamitatem denuncians. *Ne læteris*, inquit, *Philisthæa omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem, & pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent; & interire faciã in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam. &c.*

[a] Esaiæ, 14.28.

XXXVII. Expositio Hieronymi.

Vaticinium hoc exponens S. Hieronymus. *Naturale est*, inquit, *quod dicimus, mortuo rege, aduersarum gentium semper lætantur inimici; ex rebus nouis bella ciuilia, & seditiones, & regnandi imperitiam præstolantes. Mortuo igitur Achaz intelligimus Philisthinos è vicino fuisse lætatos, & insultasse Israeli, quod maturè rege perdito, Ezechiæ inueni subiacerent.* Et mox. *Ne*, inquit, *læteris ô Philisthæa; ne insultes populo meo, quod percussoris tui Achaz virga confracta sit, quod baculus, qui te ferire solitus erat, videatur morte contritus, quod coluber interfectus. Pro hoc enim nocentior nascetur Ezechias regulus, quem Græci vocant Basiliscum, qui te suo aspectu interficiat, & spiritu oris occidat.* Hæc D. Hieronymus. Sed quomodo Achaz dicatur baculus ferire solitus Philisthæos, non sanè intelligo: cùm potius ab illis percussus, ingentem plagam acceperit, multarum iacturam ciuitatum, quæ 2. Paral. [b] memorantur.

[b] c.28.18.

XXXVIII. Expositio Lyrani. Vatabli.

Itaque Lyranus, cui suscribit Sanctius, vocem percussoris, non ad Achaz refert, sed ad regnum Iuda, cuius plerique reges percusserunt Philisthæos. At hæc lætitia non morti Achaz propriè conuenit, vt tempus eius à propheta notetur, sed cuilibet regum Iuda. Vatablus, à quo non dissentit Sà, Oziam intelligit percussorem, quem dicit vocari colubrum, Ezechiam autem regulum: serpentem verò volantem, siue præsterem, aut cerastem non explicat, de regulóne, an de colubro nasciturus sit, qui intelligi potest Sennacherib. Verùm satis sera, & importuna videtur hoc anno Philisthæorum lætitia, cùm ab Oziæ morte trigesimus secundus agatur annus. Leo Castrius colubrum vocat Neronem, regulum autem Fla. Vespasianum, quem Nero præfecerat exercitui, vnde & imperator, eo mortuo, factus est, qui vastauit Iudæos; successor cuius Adrianus eos pene ad internecionem deleuit. Huic expositioni fauet Chaldæus Paraph. qui totum hunc locum ad Christum refert. *De filiis*, inquit, *filiorum Iesse egredietur Christus, & erunt opera eius in vobis, quasi serpens volans.* Verùm dura videtur hæc interpretatio Leonis, quoniam prophetia contra Philisthæos est, non contra Iudæos.

Leonis Castr.

XXXIX. Recipitur sententia Hieronymi.

Magis ergo placet D. Hieronymi sententia, quia communis est multorum interpretum, si fuerit aliquantulum modificata. Lætabantur igitur Philisthæi, de morte Achaz: quandiu enim vixit Achaz, cui prædictas vrbes eripuerant, cuique sciebant in pectore viuere vltionis desiderium, timuere. At eo mortuo, existimauerunt mortuum esse percussorem suum, id est, eum à quo sibi percussionem imminere non dubitabant. Et reuera percussor non eum tantum significat qui percutit, sed qui percutere solet, aut qui percutere vult, aut percussurus est, & percutiendi tempus, aut commoditatem captat. Nec est insolens, res, aut personas à futuris euentis denominare, sic à Ieremia vocatur vastator Nabuchodonosor, [c] & Christus ab Esaia saluator, & propugnator: [d] quoniã tales erant futuri.

[c] c.2.30. [d] 19.20. & c.63.1.

XL. Explicatur, & cõfirmatur.

Minus autem sibi timebant Philisthæi ab Ezechia, quoniam animi plaga antiqua minus affligit, quàm recens: ideoque vindictæ appetitus minus extimu

laturus videbatur Ezechiam, quàm Achaz. Nihilominus tamen multo eis magis nocuit Ezechias, quàm nociturus erat Achaz. Iste quippe hostem habebat Deum, ille protectorem, & militiæ ducem. Itaque de Ezechia legimus. [a] *Ipse percussit Philisthæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum, à turre custodum, vsque ad ciuitatem munitam*: quæ posteriùs contigerunt. Quod autem addit Esaias de nutritione pauperum, eorumque fiducia, & quiete, non temere ad Leuitas referri potest: quibus occluso templo, omnis viuendi ratio ab Achaz sublata fuerat, quæ fuit ab Ezechia restituta. Vt ei verè dicere posset Azarias pontifex. [b] *Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima; eo quod benedixerit Dominus populo suo. Reliquiarum autem est copia ista, quam cernis.* Vice autem versa famem, & gladium Philisthæos consumpsisse, pugnante contra eos Ezechia, vel ex his prophetæ verbis [c] intelligi potest.

*Cura Ezechiæ circa pauperes.*

[a] 4. Reg. c. 18. 8.

[b] 2. Par. 31. 10.

[c] c. 14. 30.

XLI. *Mors Theglath-Phalasaris.*

Hoc ipso anno traditur mortuus rex Assyriorum Theglath-Phalasar, & quidem in fine anni, vt ait Torniellus, anno 5. ætatis 286. Ex quo sequitur Salmanasarem, qui ei proximè successit, vix attingere primum annum Ezechiæ, qui vt diximus, 10. circiter menses occupat vltimi anni Achaz. Et tamen idem Torniellus [d] ait primum annum Ezechiæ totum ferè concurrere cum primo anno Salmanasaris. At fallitur in eo, quod putat Ezechiam sub finem anni regnare cœpisse: cùm ex Scriptura clarum sit, eum initio anni, sub festum paschæ, regnum inchoasse; vt supra diximus. Itaque rectius initium Salmanasaris regni ponitur à Gordono, & aliis secundo anno regni Ezechiæ; idque Scripturæ conuenientius arbitror; & sic etiam ante eius aduentum secundum, tempus Ezechiæ dabimus belli contra Philisthæos gerendi, vt victoria factus potentior, conuenientius ab Assyriis defecisse videatur: cùm de eo Scriptura dicat, fuisse Dominum cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se gessisse.

[d] an. 287.

## *SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3309.*

Sch. N. 1.

Vide id in annis regum vtriusque regni.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Roboam. | 17. | Ieroboam. | 22. |
| Abias. | 3. | Nadab. | 2. |
| Asa. | 41. | Baasa. | 24 |
| Iosaphat. | 25. | Amri. | 11. |
| Ioram. | 5. | Achab. | 22. |
| Athalia. | 6. | Ioram. | 12. |
| Ioas. | 40. | Iehu. | 28. |
| Amasias. | 29. | Ioachaz. | 16. |
| Ozias. | 52. | Ioas. | 16. |
| Ioathan. | 16. | Ieroboam. | 41. |
| Achaz. | 15. | Interregnum. | 11. |
| Ezechias. | 1. | Zachar. &c. | 1. |
| | 250. | Manahen. | 10. |
| | | Phaceia. | 2. |
| | | Phaceas. | 20. |
| | | Oseas. | 12. |
| | | | 250. |

Fractis annis ad integrum redactis in vtroque regno.

2. N. 27.

Id est æs eorum, interprete Hieronymo; siue Nehustan, vt in Heb. & Chald. 70. νεσθάν. id est, interprete Vatablo, res ænea, vile quoddam æs, & contemnendum. Forma enim diminutiui vim habet contemptus, vt homuncio, græculus, muliercula, seruulus, popellus, & alia id genus. Ea igitur voce significare voluit, nihil in eo serpente diuinitatis esse, sed esse merum æs. Alij etiam verterunt Nehustam, serpentis datum, vel donum, vel etiam augurium. Neque vero statim huius signi memoria concidit. Nam centum, & amplius ab hinc annis mater regis Ioachin filij Ioacim, Nehusta vocata est, quod ei nomen parentes renouandæ memoriæ huius serpentis causa tribuisse videntur. 4. Regum 24. 9.

SALMANASAR ALIVS A NABONASSAR.

ANNVS MVNDI 3310. QVINTAE ÆTATIS 371.
FVNDATI TEMPLI 388. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 2. OSEE
REGIS ISRAELIS 14. QVI ET 5. NERIÆ, QVI ET AZARIAS 2.
SALMANASARIS 1. IMPERII ASSYRIORVM 1378.
OLYMPIADIS IX. AN. 1. ROMVLI, ET
VRBIS CONDITÆ 9.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 741.



XENODOCVS, qui & Xenocles Messenius in Olympico stadio hac nona Olympiade ineunte palmam tulit, vt author est lib. 4.[a] Pausanias, vbi & ait anno proximè sequenti bellum inter Lacedæmonios, & Messenios, Amphia vrbe capta, exarsisse, & ad 20. annos protractum fuisse; qua de re alio quoque loco aliquid significatum est. Hac eadem Olympiade, vt ait S. Cyrillus libro 1. cōtra Iulianum Thymelum epicum poëtam, & Sibyllam Erythræam extitisse ferunt. Quem autem Arctinum Milesium idem Cyrillus prima Olympiade floruisse dixit, alij nona maluerunt, vt ex tabella Olympionicarum apparet. Cæterum hic Thymelus in Chronico Eusebij dicitur Eumelus Corinthius versificator; quod in Græco non reperitur. Sibylla autem Erythræa ibidem, in anno quarto huius Olympiadis collocatur. I. *Olympias 9. Xenodocus.* *Thymelus, & Arctinus epici poetæ. Sibylla Eruthræa.*

SALMANASAR porro hoc anno apud Assyrios principatum tenuit, qui tertius est eorum, quos solæ sacræ literæ reges Assyriorum proferunt. Eum quidam eundem cum Nabonassare fuisse putant, in quibus Buntingus initio Olympiadis octauæ. Verùm communis sententia, quam secuti sumus, eum diuersum putat; cuius & nunc annum quintum numeramus, cum Ptolemæo, & Censorino, nisi quod hic cum velit 991. Vrbis conditæ respondere 986. Nabonassari, vult etiam sextum vrbis respondere primo Nabonassari. Diuersos porro esse cum diuersis locis, temporibusque regnarint, diuersosque habuerint successores necesse est. Nam Nabonassar regnauit Babylone, Salmanasar in Niniue. Ille regnum auspicatus est initio octauæ Olympiadis, iste nonæ regnare cœpit, illi Merodach, isti Sennacherib successit. II. *Salmanasar alius à Nabonassare. Mercator, functus.*

EXISTIMAMVS autem hunc Nabonassarem Babylonium, siue Chaldæum Salmanasari fuisse subiectum; id ex eo satis probatur, quod Assyrius inde eduxit populos, quos in debellata Samaria collocauit.[b] Nec necesse est cum Scaligero, ad differentiam Babylonis, & Babyloniæ confugere, & regnum Babylonis pro arbitrio, in duo diuidere l. 5. de emend. cap. de primo Thoth Nabonassari, vbi vult hunc ipsum Nabonassarem prius dictum fuisse Baladan, cùm priuatus esset; ad regnum autem euectum nomine regio Nabonassari fuisse appellatum. Quid si dicamus potius Baladan fuisse Belesum illum, qui à morte Sardanapali Babylonis primus præfuit; in cuius honorem, qui ei successere, filij eius dicti sunt, nominatimque Merodach apud Esaiam.[c] Quidquid sit; illud certè teneamus Assyrios, à morte Sardanapali, rursum sibi Medos, vt supra demonstratum est, indéque etiam Babylonios subiugasse: ita vt réges isti precario, & ex priuilegio, vt qui alteri principi subessent, dicerentur reges. III. *Qui illi subditus.*

EZECHIAS autem primo anno regni sui re diuina bene constituta, vt 2. Par.[d] fuse traditum est, ad publicam bene gerendam se conuertit. Et de excutiendo aliquando Assyriorum iugo sollicitus, primo Philisthæos adoriri statuit; vt iis Deo bene propitio, superatis, rebusq. suis receptis, vel tutius negare tributū posset, vel tolerabilius persoluere. Existimo porro eum Salmanasari id vectigal aliquot annis, persoluisse. Quod cum facere cunctaretur Oseas, (& inuitabat Theglath-Phalasaris aut senectus, aut subsecuta mors,) illi cito suffectus Salmanasar, re cognita, cōtra eum ascendit.[e] Videtur tamen sine bello res tota pacificè transacta, licet Iosephus subiugatū putet; alioqui enim longe cum eo seueriùs acturi erant Assyrij, sed acceperunt excusationem, quanta fieri potuit probabilitate IV. *Salmanasar ascendit contra Oseam.*

a paus. 91.
b 4. Reg. 17. 24.
c c. 39. 1.
d c. 29. 30. 31.
e 4. Reg. 17. 4.

coloratam. *Factusque est ei Osee seruus,* sicut & patri eius, *reddebatque ei tributa*, id est cœpit iterum reddere. Ex eodem autem capite, & sequenti satis apertum est Salmanasarem bis contra Israëlitas ascendisse; idq; traditur à Iosepho.[a] Quod autem contra Iudam non dicatur ascendisse, qui erat æque tributarius Assyriis, signum haud obscurum est; eum non negasse illi vectigal ad tempus. [a l. 9. c. 13. & 14.]

V. *Ezechias bellum contra Philisthæos suscipit.* *Eosque vincit.*

Videtur ergo hoc anno Ezechias bellum gessisse contra Philisthæos, antequam Assyriis tributa negaret: sicut & Iosepho visum est:[b] licet Scriptura prius recitet defectionem eius cõtra Assyrios, quàm bellum contra Philisthæos ordine temporis non seruato; de quo bello hæc illa tantum.[c] *Ipse percußit Philisthæos vsque ad Gazam, & omnes terminos eorum, à turre custodum, vsque ad ciuitatem munitam.* Hebræ. Græc. Chald. habetur *terminos eius*, id est Gazæ; sed eorum referre potest Gazæos, eadem loci sententia. Nec alia huius belli causa quærenda, quam iusta repetio eorum, quæ iniustè sublata fuerant, de quibus in 2. Paral.[d] Paucis autem verbis longe grauissimam Philisthæis importatam calamitatem declarat; omnes scilicet vrbes, vt explicat Vatablus, & Sà, tam paruas, quàm magnas fuisse expugnatas: vt tanto magis intelligerentur recuperata, quæ tempore Achaz perdita fuerant. [b l. 9. c. 13] [c 4. Reg. 18 8.] [d c. 28. 18.]

VI *Quinta ea victoria fuerit. Ex Iosepho.*

Tvrres custodum quidam interpretantur casas, in quibus vinearum, & pecudum custodes sese abdunt, vt se à cœli, & ferarum iniuriis tutos præstent. Theodoretus[e] dicit esse turres, quæ sunt in via, in quibus pauci solent ignem accendere. Chald. explicat turrim validam, siue fortem. Consentit etiam Iosephus. His ita constitutis rex Palæstinis bellum intulit, & parta victoria omnes eorum vrbes à Geth, vsque Gazam suæ ditioni adiecit. Est autem dubium an etiam Gazam occuparit. Et sanè videtur Scripturæ mos exigere, vt locutio inclusiuè accipiatur, vt cùm[f] dicitur, Salomonem obtinuisse omnem regionem à Tapsa, vsque ad Gazam, & cunctos reges illarum regionum, & habuisse pacem ex omni parte, in circuitu. Quæ verba satis docent Gazam ibi non excipi. Et ibid. subdit Iudam, & Israël habitasse *absque timore vllo, à Dan vsque Bersabee*: æque terminus vterque includitur. [e 4. Reg. q. 18.] [f 3. Reg. 4. 24.]

VII. *Et prophetia Amos.*

Sed id certius etiam est ex prophetia Amos, quæ hoc tempore videtur impleta.[g] *Et mittam,* inquit, *ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius, & disperdam habitationem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone, & conuertam manum meam super Accaron, & peribunt reliquiæ Philisthinorum dicit Dominus Deus.* Huc pertinet illud quod in Chron. Hebr. cap. 20. habetur; Palæstinos, ex quo ceciderunt regnante Ezechia, proprium deinceps regem nunquam habuisse; sicut nec Idumæos, postquam ab Amasia patre Oziæ deuicti sunt. Hoc anno putat Torniellus natum Tobiam iuniorem: qua de re anno 3. & 4. Ezechiæ dicemus. [g c. 1. 7.]

*Palæstini rege carêt. Et Idumæi.*



## ANNVS MVNDI 3311. QVINTAE AETATIS 372.

FVNDATI TEMPLI 289. EZECHIÆ 3. OSEE 6. NERIÆ PONTIF. 3. SALMANASARIS 2. IMP. ASSYR. 1579. OLYMP. IX. ANN. 2. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 10.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 742.

I. *Ratio anni Sabbatici 104.* *Scaliger arguitur.*



Sabbaticvm annum centesimum quartum excepit cum deuotione religioséque celebrauit Ezechias, tertio regni sui anno: etsi Scaliger[h] Sabbatismum in 1. Ezechiæ cecidisse dicat, indéq; sequentes in octauum, & decimum quintum. Qui primum fallitur, quod vno anno tardius ponat initiũ Ezechiæ, quasi decimus sextus Achaz integer fuerit, qui erat tantùm inchoatus. Deinde quod cum numerat 288. annos à fundato templo, eum dicit esse Sabbaticum: at id verũ est de anno 287. non de 288. vt constat ex diuisione per 7. Vtrùm autem ille decimus quintus fuerit Sabbaticus, suo loco dicetur. Præsentem porro esse Sabbaticum docent 440. anni ante templum, & 289. vel potiùs 288. [h lib. 5. de emend. tẽ. de initio Ezech.]

subsecuti, ne fundationis annus bis iteretur, vt sæpius monuimus.

II. Bella in Philisthæos absoluta.

HOC quoque anno videtur Ezechias pugnasse contra Philisthæos, & integram victoriam reportasse, domumq; spoliis onustus, & gloria reuertisse. Maior est enim rerum moles in breui Scripturæ narratione; aut indice potius inclusa, quàm vt vno anno perfici potuisse videatur. Tanta porro victoria diuino beneficio potitus, (*Erat enim Deus cum eo*, vt ait Sacer historicus, [a] *& in cunctis, ad quæ procedebat sapienter se agebat.*) Existimabat Deum sibi æque affuturum contra Assyrios, sicut & contra Philisthæos affuisset: ita discupiebat Assyriis tributum non pendere, & onus seruitutis impositum patri prorsus excutere. Verum ea cogitantem, ac cupientem retinuit vicini regis Israëlitarum exemplum, quem similia attentantem, cum regno suo, Assyrius profligauit, ac perdidit. Itaque captandam putauit bonam aliquam occasionem.

a 4. Reg. 18.7.

III. Oseas deficit ab Assyriis. Ope Ægyptiorum quæsita.

NON sic infelix rex Israël Oseas. Nam impatientiùs, & imprudentius tributi onus ferens, illud deinceps pendere detrectauit. Verùm ne fortè irritam, & calamitosam defectionem aggrederetur, vt reuera aggressus est, ad externa respexit auxilia, & Sua regem Ægypti, quem Hebræi So. Septuaginta Segor, Soam Iosephus vocat, Herodotus, vt videtur, Sabacum. Eusebius hoc tempore Bocchorum in Ægypto regnantem inducit. Regem ergo Ægypti nunciis sollicitauit, vt eius præsidio tectus, Assyrio vltra tributa non penderet: non animaduertens infelix, se pro vno domino geminum habiturum. Verùm ducebat eum ad hunc finem digna necessitas, & completæ iam Israëlitarum iniquitates. Hunc defectionis apparatum cùm Rex Assyriorum deprehendisset, bellum contra eum parauit, quod proximo anno auspicatus est.

IV. In quo Hebraũ Chronicum improbatur.

HVNC belli apparatum non satis fideliter videtur reddidisse Chron. Hebræum c.22. *Illa ætate*, inquit, *aduertens Oseas regem Assyriorum velle ascendere contra se, & abducere in captiuitatem tertiò Israëlem, societatem iniit cum regibus Ægypti.* Non enim iniit societatem, vel potius misit nuncios ad Ægyptium, videns Assyrium contra se ascendere, sed iste potius ascendit, quia ille societatem initurus erat cum Ægyptio: nec erat cur Assyrius ascenderet, nisi prius Oseas cœpisset officio suo deesse. Ex quo intelligitur iam tum Assyriis cum Ægyptiis non bene conuenisse. Qua autem ex causa mihi incompertum est. Vtrique, vt videtur, cupiebant habere Hebræos sibi addictos, vt illi vtrisque, alioqui præpotentibus, pro muro essent. Certe hæc eadem æmulatio clarè temporibus Iosiæ, & filiorum eius agnoscitur, vt suo loco dicetur. Putat Abulensis Suam Ægyptium tributarium quoque fuisse Assyriis: ideoque Oseam eum socium defectionis, & armorum habere voluisse. [b] Verum illud, *ne præstaret tributa*, non refertur ad Ægyptium, vt ipse putat, sed ad Israëlitam, vt ex Hebræo textu clarum est. Parique ratione fallitur, dum regem Ægypti obsessum dicit ab eodem Salmanasare, & missum in carcerem; quia, inquit, non tenuit Oseam, donec obsessam Samariam post triennium cœpit. At rectius dici potest vsum scriptorem sacrum occupatione, & prius dixisse de rege, captum fuisse, quia de rege loqui cœperat: mox autem ad ordinem temporum rediisse. Et hæc est Lyrani quoque interpretatio.

Simultas inter Assyrios, & Ægyptios.

b q 3. in c. 17. 4. Reg.

V. Tobias senior ducit vxorem.

AD hunc annum pertinere videtur illud Tobiæ v. 9. *Cùm verò factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium.* Agebat hoc anno ætatis annum 36. Hic est enim sextus, & trigesimus ab Oziæ anno 51. quo eum natum diximus. Torniellus nimium videtur differre eius matrimonium, ad quadragesimum scilicet annum, quoniam vult eum factum esse cæcum, anno 17. Ezechiæ: quod probare non potest, & homines quadragesimo anno iam seniores dicuntur, & necesse est, vt Tobias senior dederit mutuò pecuniam Gabelo, cùm iunior Tobias esset adhuc infantulus, [c] sed fuisset iam septennis. Verùm ea verba in Græco textu non habentur.

c c. 4. 21.

VI. Tobiæ pia adolescentia, & iuuentus.

HIS porro, multóque magis superioribus annis impleuit Tobias illud quod de eo scriptum est cap. 1. *Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium, sed pergebat in Ierusalem, ad templum Domini: & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens ita ut in tertio anno,* (vt in lege perscriptum erat) [d] *proselytis, & aduenis ministraret omnem decimationem.* Non intelligendum est neminem omnium præter vnum

d Deut. 14. 28. 29.

Tobiam fugisse consortia impiorum; aut venisse Hierosolymam: nam capite 5. in textu Græco ita loquitur ipsemet. Cognoui ego Ananian, & Ionathan filios Semei magni, quo modo ibamus vna Hierosolyma ad orandum, offerentes primogenita, & decimas geniminum, & non errauerunt in errore fratrum nostrorum. Solus autem iuisse dicitur, quia sæpe solus iuit, vt in Græco est, aut solus habita ratione magnæ multitudinis adeuntis vitulos.

ANNVS MVNDI 3312. QVINTÆ ÆTATIS 373. FVNDATI TEMPLI 290. EZECHIÆ 4. OSEE 7. NERIÆ PONTIFICIS 4. SALMANASARIS 3. IMPERII ASSYRIORVM 1380. OLYMPIADIS IX. ANN. 3. ROMVLI, ET VRBIS 11.

ANNVS ANTE CHRISTVM 741.

I. *Salmanasar populatus Israëlem, obsidet Samariam.*



*NNO quarto regis Ezechiæ, qui erat septimus Osee filÿ Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, & oppugnauit eam;* vt scriptum est.[a] Sed prius *peruagatus est omnem terram*[b] Israël. Ex quo apparet Oseam non ausum fuisse congredi cum Assyriis, atque in aciem descendere, sed maturè de viribus diffidentem, in Samariam vrbem munitissimam se proripuisse, vt olim Ioramus, cùm in eum venisset Benadad Syrus, vt ex Iosepho alibi diximus.[c] Nec tamen singulas vrbes, quasi per otium expugnare egressus est: præbens interim hosti tempus colligendi sui, atque roborandi, sed Samariam ipsam regni caput hoc anno obsidere cœpit, & quidem circa initium anni, vt trium annorum obsidio constare possit. Quod videns Ezechias alieno malo sapientior factus, dilato excutiendæ seruitutis consilio, haud dubie de more tributum pependit.

a 4. Reg. 18. 9.
b 4. Reg. 17. 5.
c an. mun. 3147. n. 5.

II. *Ortus Tobiæ iunioris.*

AD hunc annum, Tobiæ iunioris natiuitatem referimus, cum Serrario.[d] Neque enim videtur diutius ab inito matrimonio liberis caruisse; Concepit ergo Anna quamprimum, peperitque filium, cui pater nomen suum imposuit, eumque ab infantia docuit timere Deum, & abstinere ab omni peccato. Natum autem fuisse iuniorem Tobiam ante captam Samariam, & relegationem in Medos, & Assyrios Scriptura docet; quæ statim subdit deuenisse per captiuitatem *cum vxore, & filio in ciuitatem Niniuem, cum omni tribu sua.*

d q. 8. in ca. vlt. Tobiæ.



ANNVS MVNDI 3313. QVINTAE ÆTATIS 374. FVNDATI TEMPLI 291. EZECHIÆ 5. OSEE REGIS ISRAELIS 8. NERIÆ PONTIFICIS 5. SALMANASARIS 4. IMPERII ASSYRIORVM 1381. OLYMP. IX. AN. 4. ROMVLI, ET VRBIS 12.

ANNVS ANTE CHRISTVM 740.

I. *Alter obsidionis Samaritanæ annus.*


IC est secundus annus obsidionis vltimæ regiæ ciuitatis Israëlitarum, in qua rex ipse, vt dixi, videtur fuisse inclusus. Nam 4. Regum,[e] dicitur Salmanasar obsedisse eum, postea etiam cœpisse cum vrbe, & misisse in carcerem; ex quo intelligi potest tanto acriori studio obsidionem toleratam, & ciuitatem defensam, quod in eius incolumitate, & regis, & regni totius salus vertebatur. De ea tamen obsidione nihil distinctè Scriptura, neq; Iosephus.

e c. 17. 14.

c. 21. 14. MVLTVM autem circa extremum 21. capitis Esaiæ, vbi de onere Arabiæ agitur, cogitanti occurrit suspicari locum illum ad hunc annum pertinere: in quo dicitur Ismaëlitis, qui Cedareni, & Agareni sunt, vt occurrant Israëlitis cum panibus, & aquis, vt fame, sitique confectos reficiant. *A facie enim*, inquit, *gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie grauis prælij*. Plerique enim à facie gladiorum fugerunt, quando exercitus Assyriorum totam terram peruagatus est. A facie gladij imminentis, cùm obsidione cinctam Samariam in dies debilitari cernerent, & de eius expugnatione minimè dubitarent; cùm non esset qui obsidionem posset, aut conaretur soluere: & ideo qua se cumque via possent foras proriperent. Graue autem prælium accipere possumus, insignem aliquam pugnam, ab obsessis contra obsidentes infeliciter susceptam; ex qua aliqui victi, Arabiam, & Moabitidem versus aufugerent. Et quoniam non excepti sunt humaniter hi profugi ab Ismaëlitis, prædicit propheta ex ore Domini, eos intra annum vnum magna clade affectum iri; quod anno sequenti, capta Samaria eis per Assyrios contigit. II. *Prophetia Esaiæ circa obsessos.*


NEQVE enim est, quòd hanc Esaiæ prædictionem, quæ vnius tantùm anni dilationem habet, ad Babylonios, & Nabuchodonosorem referamus, qui hoc tempore ne natus quidem erat nec ortum Babyloniorum imperium. Tres quippe adhuc reges Assyriorum ante eius initia regnaturi erant. Nec est confundenda clades, quæ Cedarenis prædicitur à Ieremia, [a] cùm hac de qua agimus. Nec vana est, aut noua nostra suspicio; Audi enim Hieronymum in hunc Esaiæ locum. *Quidam volunt*, inquit, *ex eo quod dicitur adhuc in vno anno, & auferetur omnis gloria Cedar, non Babyloniam captiuitatem prædicari, de qua & Ieremias loquitur* (& merito sane volunt, quippe quæ non vno anno, sed plus centum distabat) *sed Assyriorum, qui post vnum annum vastationis Iudaicæ, siue Israeliticæ secuti sunt*. Hæc D. Hieronymus. III. *Confirmatur ex S. Hieronymo.*

a c. 49. 18.

AD hunc etiam annum prophetiam Esaiæ [b] contra Moabitas referre vaticinij similitudo inuitat: vbi suadet, propheta populo Moabitico, vt abscondat profugos ex Israël, & vagos ne prodat; cùm videlicet eos Assyrius ad exilium congregaret: sed sit potius eorum latibulum, à facie vastatoris Assyrij. Deinde extremo capite addit intra annos tres, quasi mercenarij ablatum iri gloriam Moab, & populum eius valde imminutum iri. Annos porro mercenarij explicat Vatablus plenos, atque integros. Quoniam qui conducit operam mercenarii, nihil patitur de tempore auferri; qui autem locat operam suam, non patitur augeri tempus labori suo destinatum. IV. *Altera prophetia. Anni mercenarij.*

b c. 16. 3.

SVB hoc tempus, viuo adhuc Tito Tatio Romuli collega, bellum contra Camerinos, communibus vtriusque regis auspiciis, gestum fuisse scribit Dionysius. Cui repugnant Plutarchus in Romulo, & Capitolinæ tabulæ, quæ id bellum ad annum Romuli decimum sextum referunt, quibus Onuphrius, Sigonius, Pighius consentiunt, ad id ergo tempus differatur. Id T. Liuius prætermisit. V. *Bellum Camerinũ dilatum.*



## ANNVS MVNDI 3314. QVINTÆ AETATIS 375. FVNDATI TEMPLI 292. EZECHIÆ 6. OSEE 9. ET VLT. NERIÆ PONTIFICIS 6 SALMANASARIS 5. IMPERII ASSYRIORVM 1382. OLYMPIADIS X. ANN. 1. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 13.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 739.

I. *Olympias 10. Cædes Tatij regis.*

DECIMA Olympiade ineunte, Dotades Messenius, vt cursorum præstantissimus coronatus est. Eodem anno, qui sextus fuit, ex quo Romulus, cum Sabino T. Tatio, Romæ regnauit, mortuus est idem Tatius. De tempore nonnihil differt à Dionysio Plutarchus in Romulo: nam hic quinto regni sui anno, ille sexto cæsum tradit. Causam breuiter tradit Plutarchus, quod cùm quidam Tatii familiares Legatis Laurentium Romam venientibus occurrissent, pecuniis eos spoliare aggressi, resistentes obtruncassent. Id facinus Romulus morte luendum censuit. Tatius rem extraxit: quod pristinam inter eos concordiam labefecit. At cæsorum propinqui cùm per Tatium ius suum ipsis persequi non liceret, eum Lauinii cum Romulo rem diuinam peragentem, impetu facto trucidarunt; quæ latius diffudit Dionysius.

*Eiusque causa.*

II. *An Romulo ingrata.*

EAM rem, ait Liuius, minus ægrè, quàm dignum erat tulisse Romulum ferunt, seu ob infidam societatem regni, seu quia haud iniuria cæsum credebat, vt qui Tatij dissimulatione improbata, nihil cunctatus, sceleri obnoxios corripuisset, vinctosque legatis abducendos tradidisset; quos illis mox Tatius cum suis eripuisset, vt habet Dionysius. Itaque bello quidem abstinuit Romulus; vt tamen expiarentur legatorum iniuriæ, regisque cædes, fœdus inter Romam, Lauiniumque vrbes renouatum est. Ita Liuius. Addit Plutarchus Tatij corpus à Romulo sepultum in ea parte Auentini, qua Armilustrium extat: vindictam verò eius cædis illum neglexisse, atque adeo percussores regis, ei deditos à Laurentibus, missos fecisse, cùm diceret cædem cæde persolutam: indéque patefactum aditum sermonibus dicentium, Romulum gauisum esse, quod eius collega sublatus esset.

III. *Prolusio ad interitum regni Israelis.*

QVOD ad historiam sacram attinet, hic est decretorius ille, & fatalis annus, qui Israëlitico regno finem imposuit. Hic est ille sexagesimus quintus annus, iam inde à vigesimo quinto regis Oziæ nominatim prænunciatus, & ante aliquot annos ab Esaia in memoriam populo reuocatus. Cùm enim regnum Israëlis, ex quo per Ieroboam filium Nabath à regno Iuda separatum est, per annos 255. [a] perpetuò cum omnibus suis regibus idolis seruiuisset: imitatique essent Israëlitæ profanas, & impias nationes, quas ob eam ipsam impietatem Dominus in eorum aduentu disperdiderat: quin etiam seueras, & multiplices prophetarum minas, obstinata mentis inductione neglexissent; atque adeo ad ipsas etiam plagas, quas Theglath-Phalasar ante annos 28. intulerat, tertiam regni partem occupando, induruissent: Hoc denique anno, per eius filium Salmanasarem, regno vniuerso interitum funditus attulit.

[a] 4. Osee, 250. 5. — 255.

IV. *Scriptura super ea re lamentatio.*

VERVM quid opus est nos irati, & iustissimè sæuientis numinis causam exaggerare, cùm id ex Scriptura ipsa, rem totam dolenter lamentante, discere possimus? *Factum est enim*, inquit, [b] *cùm peccassent filij Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Aegypti, de manu Pharaonis regis Aegypti, coluerunt deos alienos, & ambulauerunt iuxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, quia similiter fecerant. Et offenderunt filij Israel verbis non rectis Dominum Deum suum, & ædificauerunt sibi excelsa in cunctis vrbibus suis, à turre custodum, vsque ad ciuitatem munitam. Feceruntque sibi statuas, & lucos in omni colle sublimi, & subter omne lignum nemorosum, & adolebant ibi incensum super aras in morem gentium, quas transtulerat Deus à facie eorum:*

[b] 4. Reg. 17. 7.

*fecerúntque verba pessima irritantes Dominum: & coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus, ne facerent verbum hoc.*

V. *Culpa, & ingratitudo Israelis.*

AVGET porro hæc Israëlitarum flagitia tam Dei studium in eis conuertendis, quàm eorum obduratio in criminibus suis: vtrumque his verbis exaggerat. [a] *Et testificatus est Dominus in Iuda, & in Israel per manum omnium prophetarum, & videntium, dicens. Reuertimini à viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & ceremonias, iuxta omnem legem, quam præcepi patribus vestris, & sicut misi ad vos in manu seruorum meorum prophetarum. Qui non audierunt, sed indurauerunt ceruicem suam, iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo. Et abiecerunt legitima eius, & pactum, quod pepigit cum patribus eorum, & testificationes, quibus contestatus est eos, secutique sunt vanitates, & vanè egerunt, & secuti sunt gentes, quæ erant per circuitum eorum; super quibus præceperat Dominus eis, Vt non facerent, sicut & illæ faciebant. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui: feceruntque sibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuersam militiam cæli; seruieruntque Baal, & consecrauerunt filios suos, & filias suas per ignem, & diuinationibus inseruiebant, & auguriis, & tradiderunt se vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit, nisi tribus Iuda tantummodo.* Non excluditur tamen Benjamin, quia cùm essent valde coniunctæ, & eundem perpetuo regem habuissent, pro vna reputabantur. Sic alibi, [b] cùm dicitur solam tribum Iuda secutam esse domum Dauid, etiam Benjamin comprehenditur.

a 4. Reg. 17.13.&c.

b 3. Reg. 12.20.

VI. *Duratio regni Israëlitarum.*

CÆTERVM dictorum 255. annorum numero, quos annis expansis, vtrorumque regum ex Scriptura demonstrauimus, quosq; Torniellus anno 292.5. ætatis agnoscit, & à quo numero, vt quisque accuratissimè numerauit regum annos, ita propius abest, vt facilè intelliget, cui vocabit excutere singulos: huic inquam numero minimè consentientem Iosephum habemus. Is enim [c] sic habet. *Migrauerunt igitur decem tribus Israelitarum ex suis sedibus, post annos 947. ex quo maiores eorum Aegyptum egressi, armis ea loca suæ ditionis fecerunt, post principatum Iesu annis octingentis. Post defectionem verò à Roboamo Dauidis nepote ad Ieroboamum annis 240. mensibus septem, diebus septem. Atque hic finis fuit Israelitarum, qui neque legi subditi esse voluerunt, neque prophetas audire prænunciantes, adesse pro foribus hanc calamitatem, ni ab impietate desisterent.* Hæc Iosephus in græcis, latinisque codicibus.

*Ex Iosepho.*

c l.9. ant.c. 14.

VII. *Examinatur eius Chronologia in annis ab exitu.*

VIDETVR autem in diebus, & mensibus recensendis ambitiosius laudem captare diligentiæ, qui in tam multis annis, ac propè dicam seculis dormitet. Et certe in prima summa totis 176. annis fallitur. Nam ab exitu ab Ægypto ad fundationem templi, Scriptura [d] affirmat intercessisse annos 480. quibus si addas 292. à templo inchoato, aut 291. ne annus templi primus bis numeretur, prout eos annuatim hactenus collegimus, existunt 771 anni, non 947. Sed quid mirum tantum aberrare hominem à vera summa, qui; vt minora dissimulem, in vno rege Salomone, contra manifestam Scripturæ assertionem, 40. ipsos annos adiecerit de suo?

d 3. Reg. 6. 1.

| | |
|---|---|
| 947. | 480. |
| 771. | 291. |
| 176. | 771. |

VIII. *In annis à Iosue.*

SECVNDA etiam summa ipsius 86. annis abundat. Non enim à principatu Iosue octingenti anni reperiri possunt, sed tantum 714. Nam de prædicta summa 771. auferendi sunt tantum anni quadraginta deserti, & septemdecim, quibus rerum potitus est Iosue, vt suo loco diximus. Et licet ei 28. aut 30. daremus principatus annos, nihilominus plus 70. annis falsum esse côuinceremus. Quid mirum ergo si in tertia summa quindecim annis hallucinetur, qui inter Ieroboamum, & Zachariam nullum interregnum, nec priores Oseeannos animaduerterit?

*Et Roboamo.*

IX. *Eusebij Chronologia aliena à Scriptura.*

EVSEBIVS hoc regni Israëlitici spatium 250. annis definit, & vt ait Scaliger, vndecim annis discedit à vero, cùm distet quinque duntaxat. Nihilominus apertissimè à Scriptura discedit in Chronico, qui hâc captiuitatem Israëlis primam appellet, habita scilicet ratione captiuitatis Iudæ, quæ sub Sedechia plus 130. ab hinc annis contigit, & non, vt scribit Scaliger, 152. [e] Hæc tamen Israëlitica secunda est, aut etiam tertia, vt placet Iudæis, & à prima distat 28. annis; imo ipsemet priorem aliam agnoscit, quinto anno Phacee. Maximè autem à Scriptura dissentit, qui hanc cladem ad vndecimum annum Achaz referat, non ad 6. Ezechiæ, cum Scriptura; qui eundem faciat Salmanasarem, & Sennacherib,

e in Eusеb. n. 1170.

quos Scriptura distinguit, vt filium à patre. Audi enim librum Tobiæ. [a] *Mortuo Salmanasar rege, cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo*, &c. Quæ tamen assertio, cùm à Græco absit, Hieronymi potius creditur esse, quàm Eusebij. Eusebius tamen est, qui octo priores annos Osee omittit; & qui nullum in Israële interregnum notauit.

[a] c. 1. 18.

X
*Samaria vi capitur.*

Cvm ergo Ezechiæ regis sextus ageretur, annus, & Osee vltimi Israëlitarum regis nonus, & vltimus, & obsidionis Samaritanæ tertius, capta est Samaria, vine, an deditione, ex Scriptura incertum est, Iosephus [b] vi captam affirmat. *Iratus*, inquit, *Salmanasar duxit exercitum contra Samariam, anno Osee regni 7. & non receptus ab eo post tertium obsidionis annum, vrbem vi cœpit, anno eiusdem regis nono.*

[b] l. 9. c. 14.

*Rex in vincula coniicitur.*

Quidquid sit venisse eam in hostium potestatem, cum rege suo, nec habitum in libera custodia, sed vinctum, & in carcerem missum ex Scriptura constat. [c] Licet enim captus dicatur Oseas, & coniectus in vincula antequam obsidio Samariæ referatur, id per anticipationem relatum accipiendum est, vt cum Lyrano supra quoque notauimus. [d]

[c] 4. Reg. 17. 4.
[d] Ezech. 2. n. 4.

XI.
*Quid ei denique, populoque factum.*

Et regi quidem quid denique factum sit, non satis liquet. Genebr. ait eum quoque in Assyrios esse translatum, idque in apocrypho Esdræ scriptum [e] est, qui liber non habet minorem authoritatem, quàm liber aliquis antiquorum Patrum, & citatur ab Ambrosio; quid autem factum sit populo, satis liquet. Scriptum est enim. [f] *Anno nono Osee cepit rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios, posuitque eos in Hala, & in Habor, iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorum.* Quæ repetuntur cap. 18. 11. Sed cum nonnulla diuersitate. *Collocauitque eos*, inquit, *in Hala, & in Habor fluuiis Gozan, in ciuitatibus Medorum.* Priore enim loco Hala, & Habor videntur dici ciuitates Medorum, & ad fluuium Gozan sitæ; posteriore autem loco videntur dici fluuij cuiusdam prouinciæ dictæ Gozan, sic Cutha, & Cuthus prouincia, & fluuius apud Iosephum. [g] Sed cùm alibi quoque Gozan dicatur fluuius, [h] Hala verò, & Habor alibi dicantur vrbes, nunquam autem fluuij, putarem hoc posteriore loco pro fluuiis Gozan legendum fluuij Gozan. Vatablus certè vtrobique habet iuxta fluuium Gozan; & in Hebræo, & in Chaldæo vtrobique habetur fluuius numero singulari. Græci autem quidam, vt vulgata vno loco fluuium, altero fluuios ponunt.

[e] 4. Esd. 13. 40.
[f] 4. Reg. 17. 6.
[g] l. 9. c. vlt.
[h] 1. Paral. 5. 26.

XII.
*Quo abducti Israëlitæ.*

Iosephvs ait abductos in Mediam, & Persidem, Genebrardus vltra montes Medorum, & Persarum, & ita orienti, & septentrioni infusos Iudæorum clausorum fabulæ dedisse causam. Existimat etiam ex his proseminatos barbaros, qui oram septentrionalem orientis tenent. Quorum imperium Persico imminet, eoque à parte Assyriæ, & Mediæ terminatur: idque ex eo confirmatur, quod hordæ quædam apud Tartaros nomina Dan, & Nephthalim, & Zabulon retinuisse dicuntur, aliaque apud eos extare legis, & rerum Hebraicarum monumenta: vt non mirum sit Russiam Sarmatiam, Liuoniam, & Moscouiam; Iudæis abundare qui etiam nunc, sicut & in Europa patriæ superstitionis retinentissimi sunt. Certè ex nostrorum literis Indicis [i] constat etiam in regnis Catay, quæ Sinas ab occasu, & Septentrione tangunt, non paucos Iudæos reperiri: sicut & Christianæ religionis vestigia longe plurima. Sic nimirum bonum semen infelix lolium, & steriles comitantur auenæ.

*Effusi toto oriente.*

[i] an. 1607.

XIII.
*An & per Americam, vbi characteres Hebraici dicuntur reperti. Non videtur.*

Existimat quoque Genebrardus horum Israëlitarum plerosque in Americam penetrasse; nam ibi sepulchra subterranea, cum literarum Hebraicarum inscriptionibus esse reperta; & eam profectionem indicari 4. Esd. 13. 40. *Hæ sunt decem tribus*, inquit, *quæ captiuæ factæ sunt de terra sua in diebus Osee regis, quem captiuum duxit Salmanasar rex Assyriorum, & transtulit eos trans flumen, & translati sunt in terram aliam*, &c. Verum vt id ita sit, non tamen primi eo penetrasse putandi sunt. Nam quis credat in America non habitasse genus humanum vsque ad hanc diem, & regnum Ezechiæ? Et immensas regiones, quæ Asiam, atque Europam æquare possint, ab ipso Adamo, aut Noëtico diluuio caruisse cultoribus? Characteres autem illi Hebraici illos authores habere potuerunt, qui primi post linguarum diuisionem, eò siue per fretum Anianum ab extrema Tartaria orientali, siue tempestate, vt sæpe contingit, eò vel inuiti delati sunt.

Quid factum Israelitis captivis. XIV. Tobias senior an hoc tempore abductus in captiuitatem.

Cæterum inter captiuos nominatim Tobias senior fuit, vir sanctissimus: diuina vtique prouidentia, vt & bonis esset in captiuitate solatio; & malis ad meliorem vitam incitatio; sibi autem ipsi multorum meritorum incrementa accumularet. *Cùm captus esset*, inquit Scriptura, [a] *in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus viam veritatis non deseruit; itaut omnia, quæ habere poterat quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere impertiret.* Sed vt nunc omittamus sanctissimam eius vitæ rationem inter barbaras, atque impias nationes, dubium est quomodo in diebus Salmanasaris, ductus sit Tobias in captiuitatem, cum vxore sua, & filio, atque adeo cum omni tribu sua.[b] Cùm constet tribum Nephthalim à Theglath-Phalasare, ante 34. annos, vt diximus [c] in exilium deportatam. Dicendum videtur illa verba, *cùm per captiuitatem deuenisset cum vxore sua in ciuitatem Niniue, cum omni tribu sua*: nihil aliud significare quàm Tobiam deductum fuisse in exilium, quò ante tota ipsius tribus abducta fuerat; itaut particula, *cum*, non temporis sed loci, aut calamitatis societatem significet. Dei porro prouidentia factum fuit, vt tempore Theglath, quando erat ferè quinquennis puer, & patre carebat, facilè aut latere posset, aut negligi à regio Assyriorum satellitio.

a c. 1. Tob. 1.
b v. 11. c. 1.
c an. Theglath. 1. n. 14.

An cum tribu Nephthalim.

XV. Quosdam relictos videri.

Neque porro existimandum est ita Israëlitas ex patria factos extorres, vt nemo eorum in ipsa remanserit. Multi enim fuga lapsi in Iudæam, atque adeo ad Arabes, & Ismaëlitas, vt ex Isaia diximus, confugerunt; qui postea desolatam patriam repetierunt. Multi etiam ab ipsis hostibus contemptim relicti sunt, vt pauperes, agricolæ, vinitores, & id genus viles personæ, quæ bello, nec prodesse multum suis, nec obesse possent alienis. Sic enim in regno Iuda legimus à Nabuchodonosore abductos omnes in captiuitatem Babylonicam, exceptis pauperibus populi terræ, [d] & Ieremias. [e] *De pauperibus vero terræ*, inquit, *reliquit Nabuzardan, princeps militiæ, vinitores, & agricolas.* Huc pertinent, quæ in libro Ecclesiastici [f] dicuntur, vbi post irrita Elisæi miracula, ad Israëlitarum conuersionem, subditur. *In omnibus his non pœnituit populus, & non recesserunt à peccatis suis, vsque dum eiecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terram, & relicta est gens perpauca,* &c.

d 4. Reg. 24. 14.
e 52. 16.
f 48. 16.

XVI. Salmanasar an hoc anno mortuus.

Qvod ad ipsum regem Salmanasar attinet, non diu victoria potitum putat Genebrardus, sed hoc ipso anno sexto Ezechiæ fuisse mortuum. Sed id facilè ex Tobiæ historia refellitur, vbi Tobias satis diuturnam cum rege consuetudinem habuisse ostenditur: præsertim cùm capite 1. vers. 18. dicatur, *post multum temporis* fuisse mortuum. Et cùm iam supra dictum sit, eum anno secundo, aut ad summum primo Ezechiæ regnare cœpisse; & is decem annos regnasse dicatur, vt ait idem Genebrardus; oportet eum aliquot adhuc annos regno Assyriorum esse potitum.

XVII. Cedarenorum clades.

Hoc potius anno dicendum est contigisse Cedarenorum cladem, quam prædixerat Esaias capite 21. extremo. *Adhuc in vno anno*, inquit, *quasi in anno mercenarij*, id est integro, & perfecto, nihil vt redundet, aut desit, quo modo eos implere solent mercede conducti, vt supra dicebamus. *Et auferetur omnis gloria Cedar. Et reliquiæ numeri sagittarum fortium imminuentur*, & quantumuis fortes bellatores sint, ac sagittandi peritissimi, vt eorum quondam parens Ismaël, [g] præ paucitate tamen facile numerabiles fient. *Dominus enim Deus Israel locutus est.* Nisi ergo eum aut fefellisse, aut falsum esse dicamus; oportet Salmanasarem partem aliquam copiarum suarum, ad comprimendos istos Cedarenos misisse, iisque debellatis, cum rege in patriam remigrasse. Et Sanctius etsi putet probabilius hanc prophetiam tempore cladis Iudæorum sub Nabuchodonosore impletam; ait tamen longè magis expeditum videri, vt hæc, accipiantur de illis Israëlitis, qui ab Assyriis sub Salmanasare victi sunt, quique captiuitatis ignominiam, & ærumnam, assumpta in proximas regiones fuga, declinauerunt.

g Gen. 21. 20.


XVIII. Ortus Iuditha.

Hoc denique anno natam nobilem illam Iuditham, omni laude clarissimam existimamus, vt centesimus quintus annus vitæ eius, cadat in 24. Iosiæ, & septem anni pacis in Israële supersint, vt comprobetur illud. [h] *In omni autem spatio vitæ eius non fuit, qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis.* Scio aliquos eius ortum differre ad tempora, quæ Babylonicam captiuitatem cõsequuntur; quibus consentit Torniellus. Sed ea de re commodius erit in regno Manassis differere.

h Iudith. c. vlt. 30.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3314.

I. N. XI. Esaiæ tamen 37.12. & 4. Reg. 19.12. Gozan nomen populi est, vel prouinciæ, cui forte fluuius nomen dederit; nisi malis dici fluuium, id est illius prouinciæ, quæ Gozan dicitur. Hæc enim vocabula indeclinata facile fraudi esse possunt. Nec illud negligendum, quod in bibliis regiis legitur ὀείως, id est terminis Medorum; at in Septuaginta Sixti retenta est vox Hebræa Ore, quæ ciuitates significat, ex quo per errorem videtur factum ὀείως, vt notauit interpres Septuaginta Sixti.



ANNVS MVNDI 3315. QVINTÆ ÆTATIS 376.
FVNDATI TEMPLI 293. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 7.
NERIÆ PONTIFICIS 7. SALMANASARIS 6. IMPERII ASSYRIORVM 1383. OLYMPIADIS X. AN. 2. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 14.

ANNVS ANTE CHRISTVM 738.

I. *Ratio temporis. Colonia noua in Samaria.*



PERTINENT ad hunc primum captiuitatis annum, missæ ab Assyriis in terram Israëlitarũ coloniæ, prophetia Nahum, & initia vitæ Tobiæ in captiuitate. Nam celebre illud Pascha Ezechiæ, & idolorum ruinam, & serpentis ænei confractionem, quæ in hunc annum Torniellus distulit, ad tempus retulimus proprium, vt nobis videtur, & suum; Scripturæ quoque, & pietati Ezechiæ magis consentaneum: primum scilicet eius regni annum, quo nobis remittendus est lector. In historia verò Romana nihil habemus, quod proprie in hunc annum cadat. Nam bellum Camerinum ad decimum sextum Romuli pertinet.

II. *Tobia virtus in captiuitate. Pietas in Deum. Misericordia in pauperes.*

ET vt à Sancto viro Tobia, quem Iosephus toto opere suo missum fecit, bono omine ducamus initium. [a] *Cùm captus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus viam veritatis non deseruit;* imo, *memor fuit Domini in toto corde suo.* Hæc est prima eius laus, quæ viro bono debet esse commendatissima; in fide scilicet, & religione constantia; hæc est pietas in Deum: sed accessit misericordia, & charitas in proximum; & quidem tanta, vt *omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret:* vbi vox, *omnia*; &, *quotidie*, multum Tobiæ beneficentiam, & bene de aliis merendi voluntatem exaggerant. Nec paucorum dierum fuit ista benignitas, sed multi temporis, & perpetua, quantum in ipso fuit. Nam etiam [b] *mortuo Salmanasare cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israel exosos haberet in conspectu suo: Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatque vnicuique, prout poterat de facultatibus suis: esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat; & mortuis, atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.*

III. *Ciborum abstinentia. Quæ & in aliis sanctis eluxit.*

ACCESSIT tertio custodia sui, & abstinentia. *Nam cum omnes in ciuitate Niniue ederent ex cibis gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum.* [c] Eandem religiosam obseruationem Daniel, cum tribus sociis suis, postea Babylone seruauit. Dan. 1. Eandem Eleazarus, cum septem Machabæis, & matre ipsorum Hierosolymis vitæ, & atrocissimis suppliciis prætulerunt. [d] Denique Iudas Machabæus, cum suis, in deserto, inter feras agentes, *fœni cibo vescebantur, ne participes essent coinquinationis.* [e]

IV. *Factus est regius dispensator.*

PERGIT autem. *Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis, & dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.* In Græco hæc omnia in prima persona leguntur,

[a] ca. 1. v. 2.
[b] ca. 1. v. 18.
[c] v. 11.
[d] 2. Mach. 6. 7.
[e] 2. Mach. 5. 17.

&addi-

& additur fuisse regis dispensatorem, siue emptorem, quod officium late admodum patuisse videtur; sicut & innumera sunt quæ emantur à regibus, ad victum, ad vestitum, ad militiam, ad recreationem, &c. Sic olim Iosephus, [a] cùm inuenisset gratiam coram Domino suo, qui optimè norat Deum esse cum eo, gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa, quæ ei tradita fuerant. Habuit quoque Tobias à rege perampla honoraria, & munera, adeò vt cùm venisset in Rages, [1] ciuitatem Medorum, ex his quibus honoratus fuerat à rege, decem argēti talenta Gabelo amico dare mutuo potuerit. Sed id nō videtur hoc primo statim anno contigisse: necessarium enim fuit aliquod tēpus, quo regis gratiam demereri posset, nō modo ex aliena laudatione, sed ex propria etiam experiētia.

*Eiusdem honoraria.*

[a] Genes. 39.4.
[1] 1. ex.

QVOD ad colonias attinet, ne terra Israël deserta relinqueretur, quæ principi suo, & populo vtilis esse poterat, vtpote fertilis, & lacte, melléque manans: Misit rex Assyriorum ex variis locis varios, qui in regno Israël habitarent, *de Babylone, & de Cutha, & de Anath & de Emath, & de Sepharuaim, & collocauit eos in ciuitatem Samariæ*, id est regni cuius metropolis erat Samaria, *pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius.* Hinc satis intelligi potest, quod supra quoque notauimus, Babylonios hoc tempore in Assyriorum potestate fuisse; fallique qui iam ab Oziæ temporibus Assyriorum imperium defecisse crediderunt, eísque Babylonios, Medosque successisse. At è contrario Salmanasar pro arbitrio euocat Babylonios, & in remotam transfert regionem, & inde captiuos transfert in Mediam, & Persidem; vtique sibi subiectam.

*V. Noui Samariæ coloni. Babylonij.*

NOMINAT etiam Scriptura Cuthæos nouos Samariæ colonos, quos ab amne Cutho denominatos ait Iosephus, [b] & à Cutha Persidis regione. *Permanentque nunc quoque*, inquit, *in ea religione Cuthai vocati Hebræis, Græcis vero Samaritæ: qui pro præsenti tempore mutabiles, quoties feliciter Iudæos degere viderint, cognatos se eorum appellant, vtpote à Iosepho oriundos, & hac ratione sanguine illis coniunctos. Quando verò in rebus aduersis eos aspiciunt, nihil ad se pertinere aiunt*, &c. Neq; hic dissimulandum est Iosephum hoc loco repugnare Scripturæ, quæ dicit istos leonum infestatione, & cædibus compulsos fuisse ad regem Assyriorum confugere. Ipse autem. *Exorta*, inquit, *sæua pestilentia, à qua cùm popularentur, nullam inuenientes opem, oraculo admoniti sunt, vt Deum maximum colerent; nam hoc illis præsentem salutem allaturum esse.*

[b] 1.9.c.vlt.

*VI. Cuthæi qui essent, ex Iosepho.*

*Qui cum Scriptura pugnat.*

QVÆ viderentur à Iosepho scribi, captante apud Ethnicos narrandi probabilitatem. Quoniam enim ethnici ad oracula confugiebant: oraculum etiam ipse hoc loco pręter Scripturam induxit. & contra eam voluit incolas non leonibus, sed pestilentia infestari; veritus vtiq; ne, in extraordinariis hisce cladibus, fidem non faceret lectoribus suis, quorum sæpe maiorem rationem habuit, quam veritatis. Longè probabilius, & veriùs Scripturam amplificat Genebrardus, cùm ait Cuthæos istos, siue nouos Samaritanos suscepisse circumcisionem, per Sacerdotes Israël ex captiuitate reuocatos; libros item legis Moysis: hæc enim merito accipiuntur *ritus, & legitima Dei terræ.* Neq; tamen veri Dei cultum edoceri potuerunt à sacerdote Israëlitico, quoniam Hierosolymis, & in regno Iudæ duntaxat, verus Dei cultus exercebatur. Et tamē videtur Dominus qualemcumq; cultum maluisse, quàm merum gentilium, cùm plagam leonum, quasi aliquo modo placatus, represserit: vt notauit Chartus. in 4. Regum, & Genebrardus in Osee rege Israël. Verum hæc paulo accuratius cum Tostato expendenda sunt. [c]

*VII. Causa deducenda coloniæ ex eodem.*

[c] q. 10. vsque ad 19 & c 17. 4. Reg

CVMQVE *ibi*, ait Scriptura, [d] *habitare cœpissent*, in regno videlicet decē tribuum, *non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.* At ne in patria quidem sua timebant Dominum, ac ne cognoscebant quidem, & tamen nihil eis à leonibus accidebat mali, sicut neque cæteris idolorum cultoribus toto terrarum orbe diffusis; alioqui facile mundus vniuersus interiisset. Causa ergo cladis huius non simpliciter idololatriæ tribuenda est, sed idololatriæ, quæ in terra pertinente ad cultores Dei, & quam peculiariter Deus sibi elegisset, vt in ea coleretur, exercebatur. Ergo Dominus Israëlitas hactenus variis cladibus castigauerat, quod terram pollucrent, quam Dominus sibi sanctificauerat, ex eáq; ob eandem causam nouissime eiecerat, sicut olim Chananæos; Itaque præmonuerat Dominus, [e] *Ne polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos.* Omnes

[d] 4. Reg. 17.25.

*VIII. Noui samaritæ à leonibus vexantur.*

[e] Leuit 18. 24.25. &c.

*enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo ne & vos similiter euomat, cum paria feceritis, sicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos.* Hæc ibi.

IX. *Deo vindicante idololatriam in terra sua.*

CVM ergo noui isti coloni in locum Israëlitarum successissent, & eorum terram inhabitarent, ibi quoque puniendi erant; sicut illi, qui ibi puniebantur cum peccarent. Acceperant enim terram, cum onere suo tacito colendi Deum, qui ibi coli volebat, eamque sibi in illum finem elegerat, atque adeo acquisierat per multa prodigia, quæ per Mosem, & Iosue patrauerat. Hæc illa. [a] *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis.* Id quoquo modo noui hi coloni videntur intellexisse, cum causam cladis suæ tribuebant ignorantiæ legitimorũ, ac rituũ Dei terræ, qui scilicet velit coli ab incolis pro arbitrio suo; alioqui eos non ferat, sed immissis leonibus interficiat, & à sua regione expellat. [a Leuit. 25. 23.]

X. *Agnoscũtur diuinitus immissi.*

POTERANT quidem leones naturaliter aut fame, aut alia causa compellente in homines inuadere; poterant & diuinitus. Sic enim propheta ille inobediẽs Deo, [b] ad Samariam à leone interfectus est: & rursum alius [c] qui prophetam Michæam percutere noluit, anno Iosaphati 15. [d] & ab vrsis pueri 42. [e] eique in promptu est omnem creaturam armare contra insensatos. Potuerunt ergo noui incolæ, cum viderent nunc non minus habitatam terram quam antea, existimare id diuinitus contingere; præsertim si solito plures in loca hominibus culta irruerent, si maiore feritate sæuirent, si eorum incursus humana industria vitari non possent, vt contingit in cęteris plagis, quę immittuntur à Deo. Forte etiam, quod verisimile putat Abulensis, [f] leones isti viros, ac mulieres solum occidebant, & à cadaueribus abstinebant; vt ille qui neque prophetæ cadauer, neque asinum attigit: sic enim non à fame, sed à Deo incitari cognoscebantur. [b 3. Reg. 13. 24.] [c 3 Reg 20 35.] [d nu. 15.] [e 4. Reg. 2. 24.] [f q. 15. in c. 17. 4. Reg]

XI. *Et quæritur à Rege remedium.*

CAVSA ergo cladis probabiliter cognita, ad Regem remedij quærendi causa itum est. *Nunciatum est enim regi Assyriorum, & dictum. Gentes quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ.* Multos omnino interfectos oportuit, antequam homines noui rem insolitam esse scirent, & eam vltioni Dei terræ tribuerent. Forte, vt erant omnes nationes pronæ ad oracula sua consulenda, consultus dæmon, Domino imperante hanc edidit causam non incongruam, & quam illi facile caperent. Quamquam reuera ad Mosaicas ceremonias non obligarentur, vt quibus lex data non esset, sed solis Hebræis, filiis Iacobi patriarchæ: & quamuis obligarentur, ignorantia earum excusabantur. Peccabant tamen quod Idola colerent; & verum Deum, quem naturaliter cognoscere poterant, nullo honore afficerent.

XII. *Qui dimittit profanum sacerdotem.*

PERSVASVS Salmanasar hanc esse causam cladis subditorum suorum in Samaria, præcepit illuc duci vnum de Sacerdotibus, quos inde captiuos abduxerat, propterea q; cultorem idolorum, & non de tribu Leuitica, qui erant Hierosolymis; iussitque ibi habitare, ac docere populum legitima Dei terræ. Qui reuersus *habitauit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum*: verum scilicet Deum, qui ibid. in Hebræo dicitur Iehoua. Nam si docuisset eos cultum vitulorum aureorum, non cessasset laniena leonum: quæ tamen cessasse intelligitur, eò quòd nulla deinceps querela exaudita fuerit. Quin etiam posterioribus temporibus leguntur Samaritæ recepisse quinque libros Mosis, & circuncisionem, aliáq; nonnulla, quæ Samaritani sacerdotes non ignorabant, vt qui Mosaicis libris non carerent. Postremo aliquanto post dicitur, eos, cum Dominum colerent, diis quoque suis, iuxta consuetudinem Gentium seruiuisse.

*Cultus Dei Samaritanorum qualis.*

XIII. *An placatus Deus cultu impiorum.*

ILLVD porro mirum est quomodo Deus, cuius oculi mundi sint, vt respicere ad iniquitatem non possit, hoc cultu ex legitimo sacrilegoq; mixto placatus fuerit, nec vltra in has gentes vltores leones immiserit; cum æque merentur puniri, Deum simul & idola colentes, ac si sola idola colerent. [g] Dicendum videtur cum Tostato; geminam videri posse causam immissorum leonum, alteram meritoriam ex parte hominum, alteram motricem ex parte Dei, & homines quidem illi meruerunt puniri, quia colebant idola, non tamen illata est pœna, aut cessauit, adueniente, aut cessante peccato. Quia Deus alia ex causa mouebatur ad puniendum eos; puta ad ostendendam poten- [g Abul. q. 19. & 22. in c. 17. 4. Reg.]

tiam suam. Ne enim Assyrij putarent Deum Hebræorum ex impotentia permisisse populum suum in seruitutem abduci, voluit Deus ostendere potentiam suam, cui ferocissima animalia ad nutum obtemperarent, quique hostes suos, nulla hominum opera, perdere posset. Simul etiam docere se expulisse Israëlitas per Assyrios, quia non coleretur ab eis, sicut & nunc nouos Samaritas expulsurus erat per leones, quia non colebatur ab eis.

XIV. *An potius per manifestatam potentiam suam.*

Qvia ergo non mouebatur Deus ad immittendos leones, vt peccatores isti punirentur, ideo istis in peccato perseuerantibus non perseuerauit mittere leones; & quia volebat ostendere potentiam suam, & causam expulsorum Israëlitarum, ideo ea per immissos leones demonstrata, & compulsis hisce idololatris ad seruiendum sibi, cessauit eos leonum opera diuexare, ac perdere. Eadem causa fuit, cur cum aliæ passim gentes toto orbe idolis impiè seruirent, & propterea leonum dentibus, atque vnguibus discerpi mererentur, nihil tamen ab illis, aliisve feris Deo vltore patiebantur; quia non ostenderetur ibi gloria & potentia Dei, ad præsentem ipsius intentionem: sicut cum nouos istos incolas, leonibus in eos grassantibus, afflixit. Ostendit enim se posse cogere vel inuitos ad seruiendum sibi. Differens interea pœnam peccatorum, præsertim idololatriæ, in alteram vitam.

XV. *Noui incolæ retinuerunt idola sua.*

Ergo isti plagis, cædibusque compulsi coluerunt Dominum. Et nihilominus [a] *vnaquæque gens fabricata est Deum suum*, qualem scilicet habebant prius in regionibus suis, quos ibi reliquerant, non enim ligna, & lapides, & metalla deerant in terra Israël, ex quibus noua sculptilia fierent; *& posuerunt eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ*, Israëlitæ scilicet, priusquam ad Assyrios, Medos, Chaldæos, Persasque deportarentur. *Gens & gens in vrbibus suis, in quibus habitabat. Viri enim Babylonij fecerunt Socothbenoth Viri autem Cuthæi fecerunt Nergel. Et viri de Emath*, quam aliam putat Abulensis ab Emath Syriæ, ne alioqui viderentur isti non migrasse de terra sua. Migrauerant tamen, nam Syria alia est ab Israëlitide. Viri itaque Emathæi fecerunt Deum sibi, nomine Asima. *Porro Heuæi fecerunt Nebahaz, & Thartac. Hi autem qui erant de Sepharuaim, comburebant filios suos igni, Adramelech, & Anamelech diis Sepharuaim.* Sicut Ammonitæ deo Moloch, vel in complexu æneæ statuæ igne candentis, vel iis ritu pecudum iugulatis, ac dissectis, aræ, & strui lignorum membra comburenda imponebant; cruentissimo, ac superbissimo dæmone huiusmodi sacrificia affectãte, ex Dei, atq; hominum improbissimo odio.

[a] 4.Reg. 17.29.

XVI. *Simulque Deum coluerunt, & quare.*

Et *nihilominus colebant Dominum*. Existimabant enim, sicut apud cæteras gentes plures dij coli solebant, cum bona venia singulorum; modo nullius cultus propterea negligeretur: [b] Ita ne huius quidem terræ Deum ægre laturum, quandoquidem assumptus esset cultus eius, si patriorum deorum cultus simul retineretur. At enim Sacerdos ille, qui ad eos erudiendos venerat, & à quo libros Mosis accepisse dicuntur, simul etiam docuerat cuiusmodi esset Deus Israël, cuius in lege prima est illa [c] vox. *Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, non adorabis ea, neque coles.* An dicendum hunc sacrificulum ea tacuisse, docuisse autem duntaxat aliquos sacrificiorum ritus, quibus Deus honorari se iusserat? An potius id ex ipso, atque ex libris Mosis didicerunt, sed, vt erant infideles, non crediderunt ita fieri oportere. Verum cum plures essent dij, vt omnium gentium consensus ferebat, & singuli cultu, & honore digni viderentur, non rectum esse putauerunt, vt vnus cæteros omnes excluderet, vnus omnium sibi cultum vindicaret.

[b] Tost. q. 21. in c 17. 4.Reg.

[c] Exod. 20.3.

XVII. *Diu quidem, sed non semper.*

Conclvdit hanc expostulationem Sacer historicus, quem plerique Ieremiam prophetam arbitrantur, & nominatim Tostatus. [d] *Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis seruientes. Nam & filij eorum, & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt vsque in præsentem diem.* Tempus videlicet, quo regnum Iudæ in Babylonem translatum est, quod centum circiter ac triginta duorum annorum fuit. Deinde etiam post solutam 70. annorum captiuitatem in eadem erant naui, vt in 1. & 2. Esdræ ca. 4. significatur, &, vt videtur, etiam tempore Machabæorum. Postea tamen repudiatis penitus idolis, cætera Iudæis fere consentiebant, de templo & loco adorationis tota erat disceptatio; vt ex colloquio Christi cum Samaritana colligitur. Alioqui enim non de loco

[d] q. 24. in c. 17. 4. Reg.

adorationis, sed de eo qui adorandus esset, quæstionem mulier posuisset: eique vicissim Dominus respondisset, aut obiecisset vltro sacrilegum, ac profanum idolorum cultum.

XVIII. *Aliæ gentes vnde abducta.* QVAMVIS porro quinque gentes duntaxat Scriptura memoret, Samariæ nouas cultrices, & Iosephus quinque gentium coloniam fuisse dicat, totidémq; secum deos patrios attulisse, multo tamen plures in Samariam abductas tradit Chron. Hebræorum c. 22. fin. Sed illæ à posterioribus regibus Assyriorum eo *Et diuersis temporibus missa.* mitti potuerunt. Quidam enim eorum se ab Asarhaddone illuc missos apud Esdram profitentur. [a] Ac ne illæ quidem quinque gentes ex Assyriis, ac Medis, Persisue tantum abductæ sunt, sed etiam ex vicinis Syrorum populis, de Emath, & de Sepharuaim, quos sibi Assyrij subiugarant, vt gloriatur Rabsaces.[b] Emath *Eiusque rei causa.* autem erat regio ad Libanũ, in aditu Syriæ Damascenæ; Cutha item, & Auah, dicuntur ad Arabiam desertam pertinuisse. Ergo sicut Assyrius Israëlitas transtulit è terra sua, ne in ea, auxilio vicinarum prouinciarum, deficerent ab eo, vt conatus erat Oseas, implorando Ægyptiorum opem: ita alios immisit, qui & sibi fideles essent, & peculiari odio Hebræos auersarentur; vt in reditu Iudæorum è Babylone intellectum est, & ex libro Esdræ facilè constat. [c]

XIX. *Prophetia Nahum quando edita.* AD hunc porro annum, & aliquot sequentes pertinet prophetia Nahum, quæ contra Niniuem est, & dominos eius Assyrios. D. enim Hieronymus in prologo comment. in eundem prophetam sic ait. *Michæam sequitur Nahum, qui interpretatur consolator. Iam enim decem tribus ab Assyriis deductæ fuerant in captiuitatem, sub Ezechia rege Iuda, sub quo etiam nunc, in consolationem populi transmigrati, aduersus Niniuem visio cernitur.* Sic ipse. Distinctius Christophorus à Castro [d] ait Nahum prophetare cœpisse sub Ezechia, post decem tribus ductas captiuas ante obsidionem Ierusalem, quam struxit Sennacherib: nẽpe intra octo annos, qui intercedunt à sexto Ezechię, vsq. ad decimum quartum eiusdem, quo Sennacherib obsedit Ierusalẽ.

XX. *Pertinet quoque ad tempus Sennacherib.* ADDE tamen ita fuisse ante Sennacherib, vt eo quoque ciuitates Iuda obsidente prophetarit: sic enim scribit Hieronymus in prologo comment. *Nec erat,* inquit, *parua consolatio, tam iis qui iam Assyriis seruiebant, quàm reliquis, qui sub Ezechia de tribu Iuda, & Beniamin ab ijsdem hostibus obsidebantur, vt audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos.* Hæc ibi. Idque confirmatur ex eodem Hieronymo, & aliis passim doctoribus, qui interitum Sennacherib, & exercitus ipsius, à Nahum extremo capite primo prædici illis verbis affirmant. *Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua, quia non adijciet vltra, vt pertranseat in te Belial: vniuersus interijt.* Quasi diceret, imminet interitus eius, ilicet, actum est. Sic enim de clade proximè futura loquimur: perij, nullus sum, &c.

XXI. *Causa vaticinij ex Theodoreto.* HÆC clarè confirmat Theodoretus, præfatione in hunc ipsum prophetam. *Cùm ergo,* inquit, *Dei minæ per Ionam enunciatæ magnum Niniuitis terrorem incussissent, eosque suorum scelerum valde pœnituisset misericordiam consecuti sunt.* Verum paucis post diebus in diuinæ benignitatis obliuionem adducti, ad pristinam malitiam reciderunt, atque mille iniquitates in se admiserunt, bellum populo Israëlitico fecerunt, & decem tribus in seruitutem redactas Theglath-Phalasar, & Salmanasar captiuas abduxerũt. Tum verò Sennacherib, cum Iudææ bello illato, alias vrbes obsidione cœpisset, & aduersus Hierosolymam misisset exercitum, & in ipsum Deum linguam vibraret, repente vnius angeli opera, multa eorum millia interfecta fuerunt. Et mox: ac non ita multò post regnò Babylonem translato, hoc vniuersum regum genus deletum est, vrbs vastitati tradita est. Hanc Nini-*Ionas quã diu ante Nahum vaticinatus sit.* uitis perniciem mirabilis Nahum propheta prædicit. Hæc ferè Theodoretus. Prædixit autem annis post Ionam ferè centum: Prophetauit enim Ionas anno 20. Amasiæ, anno mundi 3216. à quo hic nonagesimus nonus annus est, non ergo septuagesimus secundus, vt ait à Castro, aut quadragesimus, vt ex Hebræis Ribera tradidit.

XXII. *Aliæ sententiæ de tẽpore improbantur.* EX quibus refutatur Chronicum Hebr. cap. 20. vbi dicitur Ioel, Nahum, & Abacuc, sub Manasse prophetasse. Certe, vt de Ioële taceam, quem multo antiquiorem supra demonstratum est, prophetia Nahum in Manassis tempora quadrare nõ potest. Quomodo enim rem iam præteritam, mortem scilicet Sennacheribi, & exercitus eius, sine mendacio futuram prophetaret? Refutatur

[a] 1. Esdr. 4. 2.
[b] 4. Reg. 18. 34.
[c] 1. 1. c. 4.
[d] l. 4 de prophetis. c. 4.

a l.9.c.11. etiam Iosephus, [a] qui scribit Nahum sub Ionatham prophetasse: cùm communis sententia sit eum post abductas in captiuitatem decem tribus, contra Assyrios prophetasse. Ita sentit Hieronymus loco citato, Theodoretus, & Theoph. in prologo commentariorum suorum, & ex recentioribus Castrius, Ribera loco citato, & Serrarius. (In c. vlt. q.1.)

Sed quamuis daremus eum tempore Ioatham contra Niniuem prophetasse, non tamen verum esset, quod ibidem addit Iosephus, prædictionem Nahum post 115. annos euenisse. Nam ab initio Ioatham, vsque ad finem Ezechiæ, vltra quam non extenditur prophetia Nahum, anni ad summum sexaginta reperiuntur. Si autem referre eam placet ad vltimam ruinam Niniues, quæ à Nabuchodonosore facta est, post captam Ierusalem, vt contendit Ribera, [b] certe à primo Ioatham vsque ad captam Ierusalem, centum & septuaginta anni numerantur. (16 Ioathã. 15. Achaz. 29. Ezech. 55. Manas. 2. Amon. 31. Iosiæ 11. Ioacim. 11. Sedeciæ 170. b in ca. 2. Nahum. n. 19.)

2. ex. XXIII. Nahum patria. D e ipso autem propheta ita in eodem prologo Hieronymus. *Porro quod additur Nahum Helkesei, quidam putant Helchesæum patrem esse Nahum, & secundum Hebræam traditionem, etiam ipsum prophetam fuisse; cum Helchesæi vsque hodie in Galilæa viculus sit, paruus quidem, & vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia: sed tamen notus Iudæis, & mihi quoque à circumducente monstratus.* Sic ibi. Cùm autem Galilæa sit in tribu Nephthalim, ex ea quoque oriundum prophetam dicere oportet. Qua in re videtur magis Hieronymo testi oculato credendum, quam Dorotheo, aut Epiphanio, quem ille transcripsit. Dicentibus eum fuisse de tribu Simeonis trans Iordanem; at tribus Simeonis cis Iordanem fuit, & iuxta tribum Iuda. Trans Iordanem enim fuit tantum tribus Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manassis, vt toties Scriptura testatur.

c L.9.c.14. XXIV. Bellum Salmanasaris contra Tyrios. A d hæc ferè tempora pertinent bella Salmanasaris contra Tyrios, & Elulæum eorum regem, quorum meminit Iosephus, [c] ex Menandri Chronicis: quæ si lubet apud eum leges.

---

*SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3309.*

1. N. iv. De Rhages ciuitate Medorum vide Diodorum Siculum libro 19. pagina 688. Olymp. 116. a 1. vbi Rhages dicit nomen obtinuisse à calamitatibus, in ea superiori tempore exortis. Cùm enim vrbes in tractibus illis complures haberet, easque apprimè locupletes, tantos experta fuit tremores soli, & concussiones, vt quidquid vrbium, & incolarum ibi esset absorberetur, aliamque regio faciem indueret: noua etiam flumina, & lacus veterum loco exorirentur. Videtur hic Diodorus ad nominis Græcam originem respexisse: quasi ῥάγα, ab ἐῤῥάγαι τὸ ῥήγνυμι deducatur; quasi ea vox Græca fuerit, non Medica. Vide Serrarium in hunc locum.

2. N. 22. Aut vsque ad 24. Nabuchodonosoris, quo anno euersam vult Torniellus, anno 6. ætatis 6. & Serrarius quæstione 4. in vltimum caput Tobiæ, & Ribera loco citato, centum septuaginta quinque anni.



## ANNVS MVNDI 3316. QVINTAE AETATIS 377.

FVNDATI TEMPLI 294. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 8.
Neriæ Pontificis 8. Salmanasaris 7. Imperii
Assyriorvm 1384. Olymp. X. ann. 3. Romvli, et Vrbis conditæ 15.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 737.

d Esaiæ 16. 3. Tob. 1. 16. I. Clades Moabitarum.



OC anno impleta est prophetia Esaiæ [d] contra Moabitas, de eorum post tres annos calamitate. Cùm enim statuerimus editam anno quinto Ezechiæ prophetiam, quo illius anni tempore editam dicemus, eodem octaui Ezechiæ completos tres annos dicendum erit.

Ab Assyriis, ex Hieronymo. Hanc porro cladem Moabitis illatam ab Assyriis, affirmat S. Hieronymus in eum locum: quem passim sequuntur interpretes. Nunc, inquit Hieronymus

cap.15.in breuiore, & priore expositione historica, *vastitas prædicitur Moabitarum, id est Arabiæ, ab Assyriis, & Babyloniis. Ab vtraque enim gente vastati sunt, & eo tempore quo Sennacherib captiuum duxit Israel, & quando Nabuchodonosor subuertit Ierusalem. Insultauerat enim ad vtrumque hostem Ephraim, & Iudæ.* Et rursum in fine capitis 16. *Prophetia ista, vt supra diximus, mortuo Achaz contra Moabitas dirigitur, regnante Ezechia, sub quo decem tribus à Sennacherib rege Assyriorum, in captiuitatem deductæ sunt.* Sic Hieronymus.

II. *Qui videtur memoria lapsus.* VERVM is videtur memoria lapsus, Sennacheribum pro Salmanasare dixisse. Non enim ille captiuos duxit Israëlitas, sed hic; nisi forte vnum, eundémque duobus nominibus dictum putauit, vt supra ex Chronico Eusebij [a] dicebamus. Certè vtrumque distinctum ab Hieronymo, in cap.37. Esaiæ initio, & fine apertissimum est. Cùm ergo illum memoriæ lapsum non animaduertissent quidam interpretes, negarunt hanc prophetiam Sennacheribo conuenire, à quo Moabitæ nihil passi reperiantur. Vt fusius disputat Sanctius in c.15 & 16. Esaiæ, [b] quod nos vltro, ac libenter damus; cætera verò Hieronymo libenter acquiescemus.

[a] an. Osee vlt.n.9.

[b] n.5.& 6. & n. 16.

III. *Confirmatur ex textu.* ET textus ipse prophetæ id videtur exigere; ait enim. *Et nunc locutus est Dominus.* Vel vt habet versio Vatabli. *Hic est sermo, quem locutus est hactenus Dominus super Moab*; nunc autem locutus est Dominus hoc modo. Quasi dicat, inquit Vatablus, prædixerat Deus longè ante hanc euersionem: nunc autem dicit venturam intra triennium. Atqui cùm hæc dicerentur, regnabat Ezechias, vt constat ex cap.14. præcedenti, [c] vt ibi affirmat D. Hieronymus. Isti ergo tres anni ad regnum Ezechiæ pertinent; ergo non possunt ad Nabuchodonosorem, & Chaldæos pertinere; cùm Nabuchodonosor ne post 50. quidem annos natus sit.

[c] v. 28.

IV. *An & à Chaldæis. Post hac tempora.* SCIO D. Hieronymum in fine capitis 16. dicere, posse hæc de Babylonica prædici captiuitate; *eo quod post captam Ierusalem, & transitis annorum trium curriculis, Moab à Chaldæis vastanda sit.* Idque certum est Sanctio, idemque valde asseuerat Leo Castrius; quin etiam vehementer insectatur eos, qui de Assyriis explicandum putant. Sed frustra insectatur. Neque enim negamus Moabitas à Nabuchodonosore post cladem Hierosolymorum prostratum iri. Et nihilominus ab Assyriis hoc tempore gloriam eorum deiectam fuisse, & numerum eorum imminutum cum Isaia profitemur. Nec est quod ad Hieremiam confugiat [d] Moabitarum interitum prædicentem. Nam vt aliqua sint in vtraque prophetia similia, pleraque tamen sunt in Esaia huius temporis propria: verbi gratia, quæ de recipiendis fugitiuis dicuntur. Nec Isaias ait ciuitates Moab desertas fore, & inhabitabiles, & Moab cessaturum esse populum, quod dixit Ieremias. [e]

[d] c.48.

[e] c. 48.9. 42.

V. *Tobias dat mutuum Gabelo.* HOC ipso anno, qui est primus post quadragesimum vitæ Tobiæ senioris, id est viginti annis, antequam is mitteret filium suum ad Medos, mutuo dedit Tobias Gabelo decem talenta argenti. Id enim est in textu Hebræo cap.5. vt notauit Serar. [f] vbi habetur. *Ex quo argentum in manu eius posui, hodie 20. anni sunt.* Ex quo etiam confirmatur Salmanasarem adhuc in viuis fuisse, qui scilicet Tobiam dilexit, quem eius filius Sennacherib, sicut & reliquos Hebræos, vehementer afflixit.

[f] fin c. vlt. Tob.q 6.

Cùm ergo Tobias inuenisset gratiam in conspectu Salmanasaris regis, habuit ab eo potestatem eundi quò vellet, tametsi esset è captiuorum Israëlitarum numero, & faciendi quæcumque voluisset. *Pergebat ergo*, ait Scriptura, *ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.*

VI. *Qua ex causa.* CVM *autem venisset in Rhages ciuitatem Medorum, & ex his quibus honoratus fuerat à rege habuisset decem talenta argenti.* Videtur alludere Hieronymus ad honorarium, quo patroni olim à clientibus, non tam mercedis, quàm honoris causa afficiebantur. *Et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat in tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.* Id pondus efficit 13. millia septingentos, & quinquaginta coronatos Gallici æris, assignando cuique talento 125. libras, iuxta sententiam Epiphanij: & vndecim coronatos cuique libræ argenti. Quod pondus in auro erat 137. librarum cum dimidio. Fueritne autem hæc pecunia deposita apud Gabelum, an mutuo data dubitari potest. Nam Græcè depositum vocatur, & Latinè dicitur data egenti; vtique in vsus suos,

*Quanta foret ea summa pecuniæ.*

a Ex 5. si pecunia ff. deposit.

alioqui nulla ei facta esset gratia. Respondet Serrarius [a] olim pecuniam ita deponi solitam, vt ea depositarius, si voluisset, vti posset.

Porro hic Gabelus, siue Gabaëlus, vt est in Græco, dicitur in eodem frater Gabriæ, capite primo; capite autem 4. filius Gabriæ. Oportet idem nomen patri, & filio commune fuisse, sicut & Tobiæ nomen.

ANNVS MVNDI 3317. QVINTAE ÆTATIS 378.
FVNDATI TEMPLI 295. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 9.
NERIÆ PONTIFICIS 9. SALMANASARIS 8. IMPERII
ASSYRIORVM 1385. OLYMPIADIS X.
AN. 4. ROMVLI, ET VRBIS
CONDITÆ 16.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 736.



I. Camerinũ bellum quando confectum

CAMERINVM bellum feliciter à Romulo expeditum, huius anni est; licet illud Dionysius viuo Tito Tatio gestum putet, vt ante diximus. Plutarcho enim annum, diemque nominanti, plus fidei hoc loco adhibendum puto. Ait autem Cameriam deductam Roma coloniam, confecto scilicet bello, ad Calendas sextiles, cùm nondum toti sexdecim anni ab vrbe condita effluxissent. In quam sententiam Dionysius adduci non inuitus potest. Ait enim bis à Camerinis contra Romanos pugnatum. Prior ergo pugna vtriusque regis auspiciis facta fuerit; posterior Tatio mortuo, Romuli solius; illo bellum affectum fuerit, isto confectum, planéque debellatum.

II. Primũ bellum cum Camerinis ex Dionysio.

DE priore ergo bello hæc habet Dionysius. Camerini cum emissa latronum manu multis malis regionem affecissent, aliquoties à Romanis in ius vocati, venire detrectarant. Quare illos Romani congredi secum ausos, acie primum fuderunt, deinde vi expugnatis mœnibus, victos armis priuauerunt, & agri tertia parte mulctarunt. Quem cùm illi iterum infestarent, Romani eos die tertia educto exercitu fuderunt; eorumque bona cuncta inter suos ciues diuiserunt ipsis, quotquot vellent, Romæ habitare permissis; erant autem ferme quatuor millia, quos in curias distribuerunt, & vrbem eorum fecerunt Romanam coloniam, quæ primum priscos Aborigenes, deinde Albanos, postremo Romanos colonos habuit.

III. Causa belli in fidenatibus.

HÆC ergo cùm viuo Tatio authore Dionysio, ita transacta fuissent, bellum cum Fidenatibus intercessit, quod occasionem alteri bello Camerino dedit. Quod cum hoc anno perfectum fuerit, vt ex Plutarcho diximus, oportet Fidenates prius bello domitos, quàm Romulus de Camerinis triumpharet. Belli causam Liuius putat, quod Fidenates nimis vicinas conualescere prope se opes ęgre ferrent, easque deterere cuperēt, priusquam tantum roboris collegissent, quantum initia spondebant. Dionysius autem Fidenates ait in nauigia, quę commeatum à Crustuminis Romam deuehebant, cateruatim impetum fecisse, commeatum diripuisse, & si qui obstitissent, eos occidisse, resque repetentibus, iure contempto, negauisse.

IV. Quomodo confectum fuerit.

INDE videlicet bellum exortum. Liuius priores Fidenates in agrum Romanum irruisse dicit, & vastasse, quod inter vrbem, & Fidenas est; Inde ad læuam populando progressos, Romulum exciuisse; ab eo insidiis positis circumuentos, victosque fuisse. At Dionysius ait Romulum prædictis iniuriis commotum, in agrum Fidenatium, cum valido exercitu irrupisse, & ingenti præda potitum, cùm suos domum pararet reducere, superuenisse Fidenates, cum quibus acri prælio commisso, multos vtrimque desideratos fuisse: tandémque in fugam actos Fidenates, regem fugientium tergo hæsisse, & quasi vno agmine in mœnia

penetrasse, quod habet etiam Liuius. Sed addit Dionysius capta primo impetu vrbe, supplicium de paucis sumpsisse, impositóque trecentorum virorum præsidio, agri parte mulctasse, & Romanorum coloniam fecisse, eo missis bis mille, & quingentis habitatoribus, vt ait Plutarchus in Romulo.

V. *Alterum bellum contra Camerinos; eiusque causa, & modus.* Post hæc, ait Dionysius, Camerinos bello repetiit, qui colonos Romanos secum habitantes per insidias oppresserant, cùm Roma pestilenti morbo laboraret. Freti enim difficili Romanorum tempore, & putantes ista lue funditus eorum genus interiturum (ait enim Plutarchus eam fuisse tam vehementem, vt citra vllum morbum homines subita morte extingueret) colonos alios occiderant, alios ex oppido eiecerant. Id scelus vlturus Romulus, sex millibus in prælio occisis, authore Plutarcho, vrbe denuo potitus, authores defectionis affecit supplicio, vrbem militi diripiendam dedit, ademptaque incolis agri parte dimidia, & præsidio sat valido imposito, ne quas amplius turbas oppidani mouerent, copias reduxit, & de Camerinis secundum triumphum egit, & ex manubiis Vulcano dicauit quadrigas æreas, [a] ad quas etiam effigiem suam apposuit, cum Græco rerum à se gestarum elogio. *a Idem Plutar. in Romulo.*

VI. *Salmanasaris bellū contra Tyrios.* Hoc quoque anno Salmanasar bellum contra Tyrios videtur gessisse, de qua re supra ex Iosepho. Interim Ezechias in fide cum Assyriis perstabat, consueta tributa pendens. Tobias autem regis in se beneuolentia bene vtens, concaptiuis suis, & corpore, & animo proderat, iuxta ea quæ supra commemorata sunt à nobis.



## ANNVS MVNDI 3318. QVINTAE ÆTATIS 379. FVNDATI TEMPLI 296. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 10. NERIÆ PONT. 10. SALMANASARIS 9. ET VLT. SENNACHERIB 1. IMP. ASSYR. 1386. OLYMP. XI. AN. 1. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 17.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 735.

I. *Sabbat. 105. Olym. XI.* CADIT in hunc annum Sabbatismus ordine centesimus quintus, consentiente, atque annitente pio Ezechia, rite obseruatus. Cadit & initium vndecimæ Olympiadis, in qua decursi Olympici stadij coronam tulit Leochares Messenius, quem Pausanias silentio præteriit, Leochare statuario, eiusque operibus egregiis, commendato. Ad hunc eundem retulit Pighius bellum Romuli cum Fidenatibus, quod nos ad præcedentem annum duximus pertinere: Veiens autem cum Onuphrio differemus.

II. *Salmanasaris anni.* VARIA porro est diuersorum de annis Salmanasaris sententia. Nam quidam ei annos 17. alij 9. alij quorum maxima pars est, decem tribuunt. Existimo autem duas posteriores sententias facilè conciliari posse, si dicamus eum aliqua ex parte decimum attigisse, eo quod regnare cœperit sub finem primi anni Ezechiæ, & finierit cum decimo eiusdem. Sed ne vltimum quidem eius annum completum putamus: quoniam cum filius eius Sennacherib, ex communi multorum sententia, septem annis regnarit, mortuusque fuerit anno 16. Ezechiæ, vt dicemus, non potest is septimum attigisse, nisi primus eius cum vltimo patris ipsius concurrat.

III. *Eiusdem mors ex Esaia.* DE Salmanasaris autem morte quidem intelligunt illud Esaiæ 16. 4. vbi postquam hortatus est Dominus Moabitas ad abscondendum fugientes Israëlitas, à facie vastatoris, subdit, *finitus est enim puluis, consummatus est miser, defecit, qui conculcabat terram.* Quasi dicat eos non diuturno labore vexatum iri, in abscondendis Israëlitis, à facie Salmanasaris, vt qui cito interiturus esset. Id tamen D.

AQVÆDVCTVS EZECHIÆ.

Hieronymus, qui in hac tota de Moabitis prophetia ambiguus est, ad Nabuchodonosorem, & vltimam vastitatem Moabitarum refert, iuxta ea quæ supra diximus. Quod sequitur etiam Sanctius, cuius est hæc illius loci paraphrasis. *Neque est cur te ô Moab, ab hoc humanitatis officio retardare debeat Assyria potentia, quam exercitus instruit, ita copiosius, vt cum terræ puluere conferri queat. Neque enim ab eo puluere aliquid tibi periculi, quod timere debeat, impendet. Nam exercitus ille sic dissipabitur, sicut puluis à perflante vento solet. Et miser ille Assyrius, qui Iudæorum prouinciam infestis conculcabat pedibus, repentino sternetur interitu.* Sic ipse: ego in priori sententia Hieronymi persisto, de Assyrio, qui decem tribus captiuas abduxit, neque Assyrium pro Chaldæo sumo.



## ANNVS MVNDI 3319. & 3120. QVINTÆ AETATIS 380. & 381. TEMPLI 297. & 298. EZECHIÆ 11. & 12. SENNACHERIB 2. & 3. NERIÆ PONTIFICIS 11. & 12. IMPERII ASSYRIORVM 1387. & 88. OLYMPIADIS XI. 2. & 3. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 18. 19.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 734. & 733.



ORTVO Salmanasare, eique Sennacherib filio eius succedente, non videtur propterea rex Ezechias ausus se eximere ab Assyriorum seruitute, sed in ea nihilominus per vnum, atque alterum annum perseuerasse. Certum est enim Assyrium, qui 14. tantum anno Ezechiæ in Iudæam cum exercitu infestus ascendit, statim eum, aut proximo certe anno bello petiturum fuisse. Quamquam dici posset eum anno duodecimo non soluisse, variis excusationibus, & differendi causis vsum. Decimo autem tertio planè solutionem negasse; vnde mox anno consequenti atrox bellum exarsit. Licet autem omnis apparatus bellicus factus videri possit post aduentum Sennacherib in terram Iuda, prout res à Scriptura [a] narratur: necessario tamen ea saltem inchoata multo ante fuisse necesse est. Nam nec sapientis fuit non præparasse se ad defectionem, quam parabat: & quæ recensentur non exiguum temporis spatium requirunt.

I. *Ratio temporu.*

[a] c. 32. 2. Par.

INTEREA ergo antequam vllam cogitatæ defectionis suspicionem daret Ezechias, non dubium est quin pro sua prudentia rebus suis prouiderit, seque ad indubitatum bellum occulte præparauerit. Eam præparationem Sapiens [b] attigit his verbis. *Ezechias muniuit ciuitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.* Cisternam quandam peramplam in rupe excisam significat, in quam aquæ ex aquæductu influerent, in vsum totius populi, quæ piscina vocatur in Scriptura. [c] *Quomodo fecerit*, inquit *piscinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in ciuitatem*, &c. Deduxit porro has aquas ex monte Gihon, ex quo iam olim à tempore Salomonis aquæ deducebantur Hierosolymam in montem Sion, & in piscinam Siloë.

II. *Ezechias bello se occulte parat.* *Aquas vrbi parat.*

[b] Ecclesi. 48.19.

[c] 4 Reg. 20.20.

VILLALPANDVS [d] arbitratur Salomonem, cum primum aquæductum à monte Gihon, occidentali ciuitati Dauid, vsque ad ipsum montem Sion deduxit aquas, ibi piscinam grandi opere construxisse, cuius meminit Nehemias. [e] Arias Montanus ait fuisse altam pedibus quadraginta, latam verò 250. indéque per vtrumque montis latus eas aquas bifariam partitum, & bonam quidem earum partem ad probaticam piscinam deduxisse, in ministerium templi, reliquam verò per latus meridianum ipsius montis Sion, vsque in inferiorem piscinam deriuasse, quæ dicitur natatoria Siloë.

III. *Aquæductus Salomonis.*

[d] to.3.l.3 c. 15.

[e] 2. Esdræ 3.16.

EZECHIAS igitur veritus ne Sennacherib aquæductum Salomonis confringeret, sicque ciuitatem aquis priuaret, quibus ipse frueretur, obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter antiquum aquæductum, fodiens ferro rupem, ad occidentem vrbis Dauid. Eodem quidem loco, quo

IV. *Quid circa eum Ezechias.*

prius effluebant; sed cum hoc discrimine, quod Salomonis aquæductus sublimior, in plura vrbis loca deducebat aquas; Ezechiæ verò inferior aquæductus, idemque occultissimus in pauciores vrbis partes, easq; inferiores tantùm, aquas inferebat, puta in eam ciuitatis partem, quæ Cænopolis, siue noua ciuitas dicta est, vbi inter duos muros, vt loquitur Esaias, [a] Bezetæ videlicet, & nouæ ciuitatis, piscinam, siue puteum extruxit Ezechias; quæ dicitur piscina inferior ab eodem propheta, & opponitur piscinæ veteri; & videtur esse quod vocatur à Iosepho [b] stagnum Amygdalon magnum, vt exigit notatio vocis, tam aquarum copia, quàm structuræ operibus. Hæc ex Villalpando loco citato; qui etiam addit credibile esse, post fugam Sennacherib, superiorem aquæductum restitutum fuisse, vt & Sion, & piscina probatica, & horti, qui ad Gihon montem erant, aquis participarent.

a c. 22. 11.

b l. 6. bell. c. 12.

V. Ex 2. Par. Hoc ergo fuit vnum ex operibus Ezechiæ ad belli præparationem, idque manifestè traditur 2. Paral. [c] *Inito, inquit, cum principibus consilio, virisque fortissimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbem, & hoc omnium decernente sententia, congregauit plurimam multitudinem* (operariorum scilicet) *& obturauerunt cunctos fontes, & riuum qui fluebat in medio terræ, dicentes ne veniant reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundantiam.* Hæc ibi. Cæterum plures fontes, aut plura fontium capita, de pluribus ab eodem fonte riuis videntur accipienda. Nam vnus fons Gihon superior memoratur, tanquam omnium aquarum istarum scaturigo. At nonne Assyrij inuenturi erant abundantiam aquarum in torrente Cedron? Certè & natura torrentis vetat in torrente constanter aquas inueniri; & cùm is magna ex parte ex fontibus, & piscinis augeretur, iis alio deriuatis, apparet hostes, non obstante eo torrente, aquarum penuria laboraturos: & hunc torrentem vocat Scriptura *riuum, qui fluebat in medio regionis*, ab oriente scilicet inter ciuitatem, & montem Oliueti. [d]

c 32. 3.

Fons Gihō.

d Villalp. t. 3. p. 1. l. 2. ca. 19.

VI. *Ezechias reparat muros Ierusalem.* ÆDIFICAVIT *quoque agens industriè omnem murum, qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper, & forinsecus alterum murum.* Hunc locum accuratè exponit Villalpandus, [e] cui studiosissimè ista perscrutanti multum fidei adhibendum puto. Ait ergo Ezechiam instaurasse primum murum, qui totam vrbem ambiebat ab oriente, occidente, & meridie, qui iam inde à Salomone extructus fuerat. Instaurauisse etiam occidentalem, & aquilonarum muri partem, quæ vrbem Salem, & Acra montem amplectebatur; nec non & totum murum secundum vrbis Bezethæ, quæ templum a septentrione protegebat, sicut Sion à meridie.

e Ibid.

VII. *Murus, & ciuitas Ezechiæ.* TERTIVS autem murus ab Ezechia extructus est, qui Bezetham includit, & Cænopolim, siue nouam ciuitatem, diciturque extructus forinsecus, quia alium murum, nimirum Bezethæ includebat, ab oriente, & septentrione, donec attingeret antiquum murum antiquæ Salem: vt perspicuè in eius vrbis imagine videre licet. Quo modo ciuitas non solùm aucta est, sed maiorem etiam rotunditatis formam accepit. Sicut autem ciuitas quæ Iebusæorum fuit à Dauide occupata, & munita, dicta est ciuitas Dauid, ita hæc pars ciuitatis ab Ezechia muro inclusa videtur dicta ciuitas Ezechiæ à Sapiente, [f] cùm ait. *Ezechias muniuit ciuitatem suam.* Peculiariter enim eius fuit; vt qui eam muro cinxerat, turribus, atque ædificiis muniuerat, & insuper aquarum copiam in medio eius prouiderat. Vnde subdit Sapiens. *Et induxit in medium ipsius aquam.*

f Eccles. 48. 19.

VIII. *Instauratio Mello.* AD restaurationem quoque murorum pertinet quod Scriptura subdit. *Instaurauitque Mello in ciuitate Dauid.* Nomine enim Mello intelligitur murus, qui montem Sion cingebat ex parte aquilonari ciuitatis, quia is murus erat in illa valle, siue voragine, quæ Mello, & à Iosepho Tyropœon appellata est, quem murum Dauid primum, deinde Salomon ædificauit, & nunc Ezechias instaurauit. Qui addidit etiam ad præparationem belli vniuersi generis armaturam, & clypeos. Hebræus significat non tam varij generis fuisse, quàm magno numero. Sed vtrumque necessariò intelligendum est.

*Armorum præparatio.*

IX. *Prophetia Esaiæ hoc tempore edita.* AD hoc tempus videtur omnino pertinere prophetia cap. 22. Esaiæ, quæ est de calamitate Hierosolymitana, siue Babylonica, siue Romana. Ex occasione enim huius bellici apparatus in ciuitate, aperuit Dominus oculos prophetæ sui ad videndum, quid tanto post futurum erat Hierosolymis circa muros istos,

qui ab Ezechia partim restaurantur, partim extruuntur; & circa collectionem aquarum, & piscinam ab eo factam.

Pertinet quoque ad hoc tempus illud Tobiæ 1.18. *Post multum vero temporis*, ab euerso videlicet regno Israëlis, quod tempus sex fere annorum fuit; idque indicare voluit D. Hieronymus, cùm in Græco tantum sit, *Quando autem mortuus est Salmanasar, cùm regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israel exosos haberet in conspectu suo, Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatque vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis; esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat; & mortuis, atque occisis sepulturam solicitus exhibebat.* Hæc ibi. Quæ tamen Græci codices nominatim ad tempus Salmanasaris referunt. Dicendum videtur vtroque tempore exercita fuisse à Tobia hæc opera misericordiæ, eoque maximè, quo maior vrgebat necessitas, tempore scilicet Sennacherib, qui exosos habuit Iudæos; aulicorum fortè inuidia, ac delationibus factos odiosos; priore tempore inchoata fuerit, & aperte ab eo exercita, cùm valebat gratia apud regem; posteriore etiam obseruata, sed clanculum propter metum Assyriorum. X. *Tobiæ vitæ ratio sub Sennacherib.*

# ANNVS MVNDI 3321. QVINTAE ÆTATIS 382.

## FVNDATI TEMPLI 299. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 13.

Neriæ Pontificis 13. Sennacherib 4. Imperii Assyriorum 1589. Olympiadis XI. ann. 4. Romuli, et vrbis conditæ 20.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 732.



a 4. Reg. 18.7. ERVPIT tandem diu desiderata, atque dilata Ezechiæ defectio ab Assyriorum dominatu. Nam, vt rectè contra Abulensem notauit Torniellus, nihil causæ probabiliter afferri potest, cur, si à principio regni sui tributa negauit Assyriis, non eadem opera contra vtrumque regem arma sumpserit Salmanasar. Sed & vterque rex iunctis armis, animisque Assyrio, æque vtrique infesto, restitissent. Nec magis probandus videtur Iosephus, qui defectionem Ezechiæ ad eius regni initia videtur referre, quando Palæstinos subegit. Nam memorata eius de illis victoria; *Interea*, inquit, *Rex Assyriorum per oratorem denunciauit omnem eius regionem se subiugaturum, nisi tributa, quæ prius pater ipsius, penderet. Ezechias verò minas eius non magni fecit, fretus Deo, suaque pietate, ac propheta Esaia, per quem futura cognoscebat.* Sic ipse. I. *Defectio Ezechiæ ab Assyriis.* *Quando contigerit.*

Qvæ certè contra eius assertionem apertè pugnant. Non enim potuit Esaias ex futurorum cognitione Ezechiam metu liberare, & in contemptum minarum regis Assyrij adducere. Nam si verè, vt necesse est, futura prædixit, oportuit etiam ei prædictam expugnationem omnium ciuitatum munitarum regni eius, & grauissimum tributum imminens, & supremum Hierosolymorum periculum, & alia id genus, quæ sine dubio formidolosa erant. Illa potius [b] Esaiæ 10. metum incutiebant, quæ ad hoc tempus omnino pertinere Sanctius, aliique interpretes, & verba ipsa prophetæ aperte confirmant. *Væ Assur virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei. Mandabo ei vt auferat spolia, & diuidat prædam, & ponat illum in conculcationem, vt lutum platearum*, &c. Quæ de Iudææ populo D. Hieronymus, Sanctius, aliique interpretantur. II. *Quid hic Esaias, ex Iosepho.*

b cap. 10.5.

Gentem ergo fallacem, & quæ vera religione prodita, ad idola gentium sese conuertat, vocat regnum Iudæ, in quod missurus sit Assyrium Sennacherib, vt illum ornamentis suis nudet, & eum in statum redigat, vt quasi lutum platea- III. *Eius prophetia in hoc tempus.*

rum ab hominibus conculcari possit. Et ne tam tristi nuncio planè frangatur' subdit aliquanto post. *Noli timere populus meus habitator Sion ab Assur. In virga enim percutiet te, & baculum suum leuauit super te in via Aegypti*; eo scilicet successu, quo Hebræos percussit Pharao rex Ægypti. Vt enim iste quando maximo furoris æstu ferebatur in Hebræos, leuata à Moyse virga, demersus est in mare; sic Assyrius, cùm minaces spiritus, maximè in Iudæos inflammat, diuina percussus virga repente concidit. Hæc & alia his similia toto illo capite Isaias.

IV. *Quis nunc spiritus Sennacheribi.*

DESCRIBIT etiam propheta quo tum spiritu ageretur Assyrius, dum non intelligeret cuius viribus fortis esset, sed sibi omnia tribueret, se regem regum diceret, victorias de diuersis gentibus enumeraret, eodémque modo Hierosolymis, quo Samaria potiturum prædicaret. Et mox. [a] *Dixit, in fortitudine manus meæ feci; & in sapientia mea intellexi; & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublime residentes. Et inuenit manus mea quasi nidum fortitudinem populorum: & sicut colliguntur oua, quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.* Vnde & intelligebat se pari ratione Hierosolymam, & regem eius, seruitutem, & vectigal detrectantem, in potestatem suam redacturum. At contra Dominus. *Et erit*, inquit, *cùm impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius*; quibus omnes præ se contemnit.

*Vaticiniũ contra ipsum.*

*a c.10.v.13. vers.12.*

V. *Belli causa negatio tributi.*

HOC ergo anno iacta sunt belli semina Iudæos inter, & Assyrios, recusante Ezechia Assyrium quasi superiorem, & Dominum, tributi pensitatione agnoscere, & onus non minus ignominiosum, quàm molestum vltra ferre. Quid enim grauius regi, aut molestius potest contingere, quàm superiorem ferre, qui natus sit, vt præsit regnis, & populis; & iugum ipsum fouere tributis, perpetuumque reddere? Eandem belli causam agnoscit Procopius in 35. Esaiæ, Iosephus quoque loco citato, & Theodoretus in 4. Regum q. 19. Nec alia est illorum verborum sententia. [b] *Rebellauit contra regem Assyriorum, & non seruiuit ei.* Septuaginta habent ἠθέτησε, quod est abrogare, irritum facere, aut eius iram, & potentiam aspernari. Quamuis autem rebellandi nomen in deteriorem partem sumi soleat; in eo tamen non peccauit Ezechias. Nullum enim habuit ius rex Assyriorum in Iudæos; & quod videbatur à Theglath-Phalasare acquisitum, tyrannicum erat. Aduocatus enim maximis muneribus, vt amicus, & fœderatus, in auxilium contra Syros, & Israëlitas, eum non solùm afflixerat, sed reddiderat etiam vectigalem.

*b 4.Reg. 18.7.*

*Iusta defectio Ezechiæ.*

VI. *Sed iniustus populus.*

QVOD autem Ezechias se peccasse in hac re fatetur, per eos nuncios quos ad Assyrium misit, [c] & satisfactionem offert, id ex illius fatetur opinione, non sua. Nisi fortè quis dicere malit, eum ex persona populi sui loqui, quem facile est credere, iamdudum imbutum impietate Achazi, multa etiam sub pio rege peccasse: quod minus mirabitur, qui leget quæ Ieremias, sub Iosia rege sanctissimo, de populi Hierosolymitani sceleribus conqueratur. [d] Et argumentum huius rei magnum est, quod permiserit Deus omnes ciuitates munitas in manus Assyriorum venire; populi sui peccata Assyriorum flagello castigando. Quam propterea gentem fallacem, & populum furoris sui per Esaiam cap. 10. appellauit, vt paulo ante dicebamus. [e]

*c 4.Reg. 18.4.*

*d c.2.3.4.5.*

*e n.2.&3.*

VII. *Ezechias sociũ quærit Ægyptium contra Assyrios.*

QVID autem causæ intercessit, cur Ægyptios quoque, quasi eadem opera, adoriretur Assyrius, non satis constat. Videtur sane Ezechias, quemadmodum non ita pridem Oseas, Ægyptios habere voluisse belli socios, contra potentiam Assyriorum; idque non obscurè docet Isaias capite 20. vbi postquam prædixit Ægyptios non solùm ab Assyriis bello superandos, sed cum summa etiam ignominia in captiuitatem abducendos, ait Iudæos eius calamitatis spectatores dicturos in illa die. *Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, vt liberarent nos à facie regis Assyriorum: & quomodo effugere poterimus nos?* Et luculentius cap. 30. id valde displicuisse Deo ostendit; imo & quasi apostasiam à se interpretatum esse. Vnde ait. [f] *Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis, vt descendatis in Aegyptum, & os meum non interrogastis, sperantes*

*f ca.30.v.1.*

*auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis, in confusionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.*

Missam etiam legationem in Ægyptum subdit idem propheta versu 4. *Erant enim in Tani principes tui, vsque ad Hanes peruenerunt* Quæ sunt celebres Ægypti vrbes. Huius tamen legationis nulla fit in libris Regum, & Paral. mentio, vt notauit ibi Vatablus: nec minus tamen certa est; & fatetur Sanctius, non pauca esse in eo capite, quæ si aliter accipiantur, admodum difficiles habent explicatus. Sed pergit. *Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit, nec fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, sed in confusionem, & in opprobrium.* Hæc ibi. Quæ licet D. Hieronymus ad tempora Hieremiæ, & Sedeciæ referat, in hæc tamen tempora valde congruunt. Idque apertius confirmatur ex cap. 31. Vbi postquam dixit. *Væ ijs qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia prævalidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israel, & Dominum non requisierunt.* In fine capitis ostendit ipsos non in hominibus Ægypti, sed in Deo suo fiduciam habere debuisse, quoniam Assyrius non casurus esset gladio viri, sed diuinitus consumendus.

(Margin: VIII. *Mittitque legationem ad eum.* — ver. 5.)

Congrvvnt etiam hæc literis Sennacherib, & orationi Rabsacis valde conueniunt. Nam & Rabsaces vnus de ducibus Sennacherib hanc ei fiduciam exprobrat. [a] *Quæ est ista fiducia, qua niteris? forsitan iniisti consilium, vt prepares te ad prælium; in quo confidis, vt audeas rebellare? An speras in baculo arundineo confracto Aegypto? Super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum eius, ac perforabit eam. Sic est Pharao rex Aegypti omnibus, qui confidunt in se.*

(Margin: IX. *Idem confirmatur.* — a 4. Reg. 18. 20.)

Qvin etiam muneribus quæsitum Ægyptiorum auxilium eodem loco Esaias aperte ostendit: [b] cùm ait eos portasse super humeros iumentorum diuitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, qui eis profuturus non esset. *Aegyptus enim*, inquit, *frustra, & vanè auxiliabitur*, &c. Quæ Rabini peruerterunt, & ad regem Æthiopiæ Tharacam transtulerunt, capite 23. Chronici sui. Cùm ergo cognouisset Assyrius Ezechiam in rebellando viribus Ægypti niti, contra vtrumque, hoc anno, copias ingentes comparauit. Ezechias autem omni ope, atque industria, cum cæteras vrbes Iuda, quæ hosti resistere, aut eum certè retardare possent, tum maximè Hierosolymam, in quam totum belli impetum versum iri non dubitabat [c] communire studuit.

(Margin: X. *Muneribus quæsitum Ægyptij auxilium.* — b ver. 6. — c 2. Paral. 23. 2.)



## ANNVS MVNDI 3322. QVINTAE ÆTATIS 383.

### FVNDATI TEMPLI 300. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 14.

Neriæ Pontificis 14. Sennacherib 5. Imperii Assyriorvm 1390. Olympiadis XII. ann. 1. Romvli, et vrbis conditæ 21.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 731.



COPIOSAM hoc anno materiam res sacra suppeditat: itaque priusquam eam attingamus, prophanam paucis expediamus. Oxithemin victorem cursus Olympici Olympiade duodecima prodit Olympionicarum catalogus, vbi & Coronæus dicitur, siue à Messenica Coronæa, siue à Bœotica, de quibus Pausanias in Messenicis, & Bœoticis. [d] Hunc annum Romuli vigesimum primũ Onuphrius in fastis dicat bello gesto contra Veientes; quod Plutarchus vltimum à Romulo gestum tradit, & à Liuio, & Dionysio vltimò

(Margin: I. *Olympias 12.* — d l. 4 p. 144. & 9 p. 308 Græc. Lat.)

etiam inter Romuli res memoratur. Consentiuntque plerique Veios omnium Etruscorum primos bellum aduersus Romanos suscepisse; Liuius tamen Fidenates Etruscos fuisse scribit.

II. *Causa belli Veientis.* BELLI prætextus, vt ait Dionysius; nam vera causa fuit timor ab excrescente Romana potentia, eáque iam vicina; ideoque Liuius ait ipsam loci propinquitatem Veientium animos stimulasse. Ergo belli prætextus Veientibus fuit clades Fidenatium. Missis enim legatis postulabant, vt Romani præsidium inde abducerent, & agrum, quem Fidenatibus ademptum occupassent, veteribus dominis restituerent, quo non impetrato ventum est ad manus. Facetè Plutarchus: Primi inter Etruscos Veij, qui magnam ditionem, vrbemque amplam habebant, bellum mouerunt, dum Fidenas tanquam ad se pertinentes reposcunt. Id verò non iniustum modo erat, sed & ridiculum, eos qui Fidenatibus in periculo versantibus, belloque pressis opem non tulissent, sed pereuntes neglexissent, vrbem iam, agrumque ab aliis occupata sibi postulare; ideoque à Romulo, cum contumelia, repulsi sunt.

III. *Vincuntur.* VEIENTES ergo validum educunt exercitum, & castra prope Fidenas edito loco muniunt. Re cognita Romulus, copias Fidenis educit, collatis signis acriter vtrinque certatum est, donec incertos victoriæ nox diremit. Mox instauratum à Romanis prælium, in qua solertia ducis superiores facti sunt, vt ait Dionysius, etsi Liuius dicat Romanum viribus nulla arte adiutis veterani exercitus robore vicisse. *Non sine strategemate.* Solertia in eo posita fuit, quod auxilia ab vrbe recens summissa, Romulus in propinquo hostium castris loco nocte collocauit; qui signo dato à Romulo, in hostem fatigatum à tergo irruerunt, facilémque regi suo victoriam tribuerunt, magna parte Tiberinis vndis hausta; quippe qui labore pugnæ delassati, armis insuper, & vulneribus impedirentur.

IV. *Iterata clade superantur.* CVMQVE nihilominus prælium redintegrassent, sperantes se, renouato maiore apparatu certamine, acceptam ignominiam abolituros; rursus tamen apud Fidenas acri prælio victi, multos amiserunt in acie, plures viui in hostium potestatem venere; castra etiam capta sunt plena pecuniis, armis, atque mancipiis, naues quoque fluuiales, cum commeatu interceptæ, quibus captiuorum turba, secundo flumine Romam deuecta est. Hic tertius à Romulo triumphus actus est, longè quàm priores magnificentior. Non multo post Veientium legatis, pacem, & veniam petentibus, ager qui vocatur Septem pagi ademptus, cum Salinis, quæ sunt ad fluminis ostia; & ad tollendam renouandi belli suspicionem, quinquaginta obsides imperati, sicque fœdus in annos centum vtrinque pactum est, conditionesque in columnas incisæ, captiui absque precio dimissi, qui Romam patriæ prætulerunt, quorum maior pars fuit, ciuitate donati.

V. *Aduentus Sennacheribi cum maximis copiis.* VT autem ad rem sacram transeamus, admodum celebris est in Scripturis [a] hic annus ascensu Sennacheribi regis Assyriorum contra Ezechiam, & regnum eius. Venit enim maximis instructus copiis, quas non solùm ex Assyria, & Media, auitis regni sui sedibus, sed ex Babylone quoque, cui tunc imperabat, vt diximus, & Arabia: vnde & rex Arabum ab Herodoto in Euterpe dicitur, *Vnde contractis.* regno etiam Israëlis, quo iam ab octo annis potiebatur, denique ex toto pene Oriente contraxerat. Vnde Iosephus [b] ait eum totam secum ducentem Asiam, castra ad vrbem Hierosolymitanam posuisse. *Eas diuidit.* Eas omnes bipertitò diuisit, partem vnam duci suo Thartam tradit, & contra Azotum Palæstinæ vrbem misit: qua de re Isaias capite 20. quæ mox in Ægyptum profecta est: alteram sibi reseruauit, vt cum ea regnum Iudæ suo imperio subiugaret.

*Et quare.* Quæ distributio copiarum ex sequenti narratione apertè confirmabitur. Separauit autem copias suas, partim quia minime necessarius videbatur tantus exercitus ad regnum Ezechiæ sibi subiiciendum, partim vt eadem opera auxilia ab Azoto, quæ tum parebat Ezechiæ; & ab Ægypto, vnde in primis timebantur, prohiberet; sicque ipse facilius impeditis auxiliaribus copiis voti compos in Iudæa fieret.

VI. *Pars copiarum Azotum missa.* ET vt de Azoto primum dicamus, qua etiam transibant copiæ in Ægyptum destinatæ: in Chron. Hebr. cap. 23. scriptum est, eadem hora qua Sennacherib

[a] 4. Reg. 18.13. 2. Paral. 32. Esai. 15. 16. 37. eccl. 48. 20. Tobiæ 1.

[b] l. 6. de bello c. 11.

rex Assyriorum ingressus est in regnum Iudæ, misisse Thartam præfectum in Azotum: vsum autem fuisse Ammonitis, & Moabitis militibus, quorum opera in obsidione Samariæ vsus fuerat; hoc autem tempore seruiebant sextum iam annum Assyriis, iuxta ea quæ octauo anno Ezechiæ diximus. Neminem porro moueat, quod Thartam ipse dux Assyriorum missus dicitur apud Esaiam, [a] non à Sennacherib, sed à Sargone. Nam D. Hieronymus in eum locum, & post eum plerique omnes, eundem regem vtroque nomine dictum fuisse testantur; idque ex Scriptura etiam firmari potest: nam qui Thartam Esaiæ 20. dicitur vnus de ducibus Sargonis, [b] alibi dicitur vnus de ducibus regis Sennacherib; cui consentit Iosephus, [c] qui eum Tharatam vocat.

*Sargon idẽ cum Sennacherib.*

a Isa. 20.1.
b 4. Reg. 18.17.
c Ant. l.10.c.1.

VII. *Azotus in Assyriorum potestatem venit.*

HIc ergo oppugnauit Azotum vrbem, vt apparet, firmam admodum, atque munitam, vt quæ exercitui Assyriorum resistere, & contra eum pugnare non dubitaret. Non diu tamen videtur obsidionem tolerasse, sed cito in hostium potestatem, seu vi, seu deditione venisse; cuius fortasse exemplo reliquæ Palæstinorum vrbes dixerunt se imperata facturas, iugum Assyriorum subeundo, vel potius, Ezechiæ iugum cum Sennacheribi iugo commutando.

*Prædicitur confusio, & captiuitas Aegypti, & Aethiopiæ.*

Hoc ipso tempore locutus est Dominus ad Esaiam prophetam, prædicens captiuitatem, & confusionem, quam Ægyptij, & Æthiopes ab Assyriis ad triennium laturi erant; vt in eius capite 20. scriptum est. *Vade*, inquit, *& solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis, & fecit sic, vadens nudus, & discalceatus. Et dixit Dominus, sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum, & portentum erit super Aegyptum, & super Aethiopiam: sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Aegypti, & transmigrationem Aethiopiæ iuuenum, & senum, nudam, & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti.*

VIII. *Expositioni S. Hieronymi.*

IN quem locum sic D. Hieronymus. *Eo igitur tempore, quo vicina ciuitas capta est, præcipitur Esaiæ vt deposita saccea tunica; hic enim erat habitus prophetalis, populi delicta plangentis, & calceamentis è pedibus, quæ Septuaginta* σανδάλια, *id est caligas, vocant, nudus, & discalceatus incederet, typum præbens captiuitatis Aegyptiæ, & Aethiopum, qui Aegyptiis auxilio fuerunt: quod quomodo Esaias nudus ambularet, & fœditatem cernentibus, nudis natibus demonstraret, ita omnis Aethiopia, populante Assyrio nuda fieret, & nihil omnino in terra remaneret.* Et mox occurrens Hieronymus eorum expositioni, qui omnia ad nouissima trahunt tempora, subdit. *Neque hoc aliquis putet superiori felicitati, quæ Aegyptiis repromittitur, esse contrarium, quia ibi post mala de futura beatitudine prædicatur, hic autem præsens narratur captiuitas, per quam deleto Israel, & Damasco, & Philisthiim, recta via perrexit Aegyptum, & ipsos pariter, Aethiopasque superauit.* Hæc Hieronymus, significans non Azotum tantum, sed vniuersè Philisthæos, in Assyriorum potestatem venisse, vt paulò ante dicebamus.

IX. *Qualis Isaiæ nuditas.*

QVAMVIS autem omnimodam prophetæ nuditatem Hieronymus, Haymo, Dionysius, & Adamus interpretentur; alij autem subligacula relinquant, quæ textus excludere videtur: rectè tamen, vt arbitror, Sanctius aliquam hic auxesim agnoscit, itaut Esaias extimam tantum vestem prophetalem, calceosque deposuerit, sicque per vrbem, vt scurra quispiam, triduo obambularit; quo modo discoopertum, & nudatum Dauidem Michol derisit: [d] quo modo etiam Saulem prophetasse alio loco diximus, [e] quod ambo, depositis regiis vestibus indecore vestiti essent, saltando, atque prophetando: cùm tamen de Dauide constet illum Ephod lineo indutum fuisse. Fuit ergo, ait idem Sanctius, Isaias nudus, ita tamen vt in eo nihil esset non tectum, quod pudor, & modestia apertum esse prohiberet. Nudus quidem à sacco, & prophetali amictu, qui seruilibus ministeriis parum idoneus, non tamen à breuiori tunica, quæ insigne est, & tegumentum seruulorum.

*Non omnimoda.*

d 2.Reg.6. 20 14.
e 1 Reg. 19.24.

X. *An visio imaginaria.*

HIc pudor aliquos extra terminos veritatis interpretando traxit, vt in phantasia tantũ facta esse putent, quæ textus propheticus de Esaiæ verbis apertis, minimeq; dubiis recitat, tanquam re ipsa ab Esaia facta, & non tantùm ei per visionẽm ostensa, vt Hieronymus ibidem testatur; quæ etiam est sententia D. Augustini, D. Irenei, Cyrilli, & aliorum apud Riberam. [f] Consentitque Leo Castrius in cap. 20. Esaiæ, & reliqui interpretes. Eorum tamen se torrenti

f In ca.1. Oseæ n 49. & 1. Mich. n.16.

Vatablus, sine vlla probatione, opponit, existimans hæc per visionem tantum contigisse. Quasi visio imaginaria prophetæ, signum, & portentum populis esse potuerit. Communis autem sententia est triduo Isaiam nudum, siue, vt vulgò dicimus, *en pourpoint*, nudisque pedibus crebro vrbem obiisse, & triennij captiuitatem, transmigrationem, confusionem eo modo præmonstrasse. Ex quo meritò D. Hieronymus insignem tanti viri, sanctitate, videlicet, regij sanguinis claritate, & hominum existimatione notissimi, obedientiam celebrat. Additque ab hac victoria recta via Assyriorum copias in Ægyptum venisse. An autem, & quomodo eos superauerit nunc dicendum est.

*Insignis prophetæ obedientia.*

XI. *Res in Ægypto gestæ. Ex Herodoto.*

Hæc ergo pars copiarum Sennacheribi, in Ægyptum, patefacta sibi per Philisthæos via, profecta est, ibique cum Ægyptiis pugnauit, & Pelusium structis aggeribus obsedit. Herodotus in Euterpe [a] ait Setone Vulcani sacerdote in Ægypto regnante, Sennacheribum Arabum, Assyriorumque regem, cum magnis copiis, Ægyptum inuasisse, neminémque ei bellatorum opitulari voluisse, quod eos contemptui habuisset, & agris, quibus à superioribus regibus donati fuerant, exuisset: Sennacheribum autem, siue militem eius ad Pelusium, qua Ægyptus inuaditur, exercitum habuisse. Est autem Pelusium ciuitas in Ægypti ora, ad illud Nili ostium, quo Ægyptus ab Asia secernitur, & Iudæam proximè respicit; quæ ab Ezechiele cap. 3. Robur Ægypti appellatur. Iosephus ait Sennacheribum multum temporis contriuisse, in apparanda oppugnatione Pelusij: nec pugnæ vllius, vel ipse, vel Herodotus meminerunt. D. tamen Hieronymus vtrumque populum pugnasse dicit, idque Scripturæ consentaneum est, & quidem ex animi sententia non semel, sed sæpius pugnasse dicendum est, vt iterum anno sequenti dicturi sumus; & in captos Ægyptios, & Æthiopas ea fuisse acta, quæ Esaias ante prædixerat.

[a] l. 2. p. 65 græc.

XII. *Sennacherib oppugnat ciuitates Iudæ.*

Hæc dum ab Assyriis in Palæstina, Ægyptóque geruntur, Sennacherib, qui cum validissima, maximáque suorum manu in Iudæa substiterat, ciuitates eius oppugnare cœpit. *Ingressus Iudam* (inquit Scriptura) [b] *obsedit ciuitates munitas, volens eas capere, quod cùm vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Ierusalem, inito cum principibus consilio, virisque fortissimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbem*, &c. quæ supra retulimus; quo scilicet tempore facta fuisse, certe valde ad hanc diem affecta esse, ratio postulat; nunc autem, rerum necessitate vrgente, perfecta.

[b] 2. Paral. 32. 2.

XIII. *Ezechias munit Ierusalem.*

Nimirvm factum iamdudum fuisse aquæductum subterraneum, cisternam paratam inter duos muros &c. Hoc autem articulo temporis caput fontis obturatum, & aquam in canalem subterraneum immissam, populum è suburbiis in nouam ciuitatem allectum, & munitionibus extremam impositam manum; denique [c] constitutos principes bellatorum in exercitu, & congregatos fuisse *vniuersos in platea portæ ciuitatis*. Intelligit fortasse plateam latam, quæ dicta est platea portæ Ephraim, cuius est mentio apud Neemiam: [d] quia inde maximè imminebat hostis. Nisi malimus intelligere plateam orientalem, in qua ipsemet Ezechias congregauerat Sacerdotes, & Leuitas, [e] quomodo intellexit Villalpandus. [f] Eandémque fuisse plateam portæ aquarum apud eundem Nehemiam. [g] Hic autem propter eius celebritatem, & amplitudinem, quasi antonomasticè dicitur, *platea portæ ciuitatis*. [h] Idque eo fit probabilius, quod ea platea erat ante regiam Salomonis, vbi, ad regis commoditatem, principes exercitus videntur de more conuenisse.

*Conuocat populum, in platea.*

[c] c. 32. 6.
[d] c. 3. 8.
[e] 2. Paral. 29. 4.
[f] tom. 3. 1. p. 1. c. 20. sub fin.
[g] c. 8. 16.
[h] 2. Paral. 32. 6.

XIV. *Eosque consolatur, & animat.*

Hvc ergo conuocatis *locutus est ad cor eorum*, oratione videlicet miti, & beneuola bene animauit eos, ac consolatus est dicens. *Viriliter agite, & confortamini; nolite timere, nec paueatis regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cum eo, multo enim plures nobiscum sunt, quàm cum eo.* Videtur pius rex alludere ad orationem Elisæi, [i] famulum suum confirmantis, in periculo ab exercitu Syriæ, qui ad prophetam capiendum conuenerat. Reddit autem rationem Ezechias fiduciæ suæ. *Cùm illo enim est brachium carneum, nobiscum Dominus Deus noster;* qui scilicet instar multorum est; imo instar est omnium, *qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusq; est populus huiuscemodi verbis Ezechiæ regis Iuda.*

[i] 4. Reg. 6. 16.

Præsertim vero etiam, quod sibi rex esset conscius, se fecisse omnia, quæ ad vrbis, regnique conseruationem requiri posse videbantur, ne alioqui similior esset iis, qui tentant Deum, quàm qui fiduciam in eo suam collocarunt.

XV. *Ezechias mittit nuntios ad Assyrium.*

Sed vt nihil intactum relinqueret, quod humana prudentia suggereret, ad auertendum à regia ciuitate periculum euersionis, & vastitatis, & miseratus tot oppida, quæ in regno suo vastabantur in pœnam fiduciæ ab Ægypti copiis, & innumerabilem populum, qui in miseram seruitutem abductus erat: conatus est Ezechias summissione animi, & humili oratione, & magno in primis auri, argentique pondere, hostem suum placare, sicque ad propriam regionem amandare. Itaque vt dicitur in Scriptura; [a] *Misit Ezechias nuncios ad regem Assyriorum in Lachis*, quam vrbem tunc cum vniuerso exercitu suo obsidebat. [b] Existimauit enim Ezechias hanc viam, re adhuc pene integra, tentandam esse, quæ ingrauescente mox bello, & hoste iam pene victore, frigida esset, atque ridicula. Et certe hanc legationem statim à principio missam significat Scriptura. [c] Quamuis dicere videatur missos esse hos nuncios, postquam rex Assyriorum cœpisset vniuersas ciuitates munitas regni Iuda; quo modo ad literam Iosephus accepit: legationem enim missam scribit, cum iam Sennacherib omnes vrbes vi cœpisset, *quotquot erant in Iudæ tribu, & Beniamitica; & cum ducturus esset Hierosolyma*. Tunc enim inepta plane, miniméque probabilis fuisset ista legatio.

a 4. Reg. 18. 14.
b 2. Paral. 32. 9.
c 4. Reg. 18. 14.

XVI. *An captis iam cunctis vrbibus.*

Intelligendvm ergo est quod de captis vrbibus dictum est, per anticipationem dictum fuisse, quia reuera non ceperat adhuc Lachis, neque Lobna, vt ex Scriptura certo constat. Significatque duntaxat Scriptura Assyrium hoc bello Iudaico omnes ciuitates cepisse; non autem statim in belli principio: neque enim omnes simul oppugnare potuit. Quamquam & hyperbolicè dictum videtur, quòd omnes ciuitates ceperit, licet ea quoque verba transcripta sint apud Esaiam, [d] vt pro omnibus multæ intelligendæ sint; & certe 2. Par. [e] dicitur tantum obsedisse ciuitates munitas, & voluisse eas capere, non autem cepisse, omissa etiam voce *omnes*, quam Septuaginta quoque regia, & Sixti in 4. Regum omiserunt.

d c. 36. 1.
e 32. 1.

XVII. *Quæ legationis summa.*

Cvm ergo Sennacherib aliquot iam vrbes munitas oppugnare cœpisset; misit rex Iuda legatos, qui ei regis sui nomine dicerent. *Peccaui, recede à me, & omne quod imposueris mihi, feram.* Quasi dicat: imprudenter egi, qui libertatis amore victus tributarium iugum à patre receptum excutere conatus sum, neque virtus tuis, neque meis satis æstimatis. Sed da veniam, quam sine damno potes culpam agnoscenti, & satisfactionem arbitrio tuo offerenti. Simulauit Assyrius non ingratam sibi esse legationem, ratus se, & quod vltro daretur mulctæ nomine primò habiturum, deinde reliqua omnia, quæ inuitis esset erepturus.

XVIII. *Quanta mulcta affectus Ezechias.*

Indixit *itaque*, vt ait Sacer historicus [f] *rex Assyriorum Ezechiæ regi Iudæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri*; quam summam fideliter expressit Iosephus. Valent autem trecenta talenta argenti, iuxta consuetam supputandi rationem 1237500. francos, qui respondent coronatis 412500. id est quadringentis, & duodecim millibus, & quingentis. Triginta vero auri talenta efficiunt 375000. coronatos, quia singula talenta valent 12500. aureis coronatis, iuxta Epiphanium. Tota verò ista pecunia simul efficit coronatos sexaginta solidorum 787500. id est aureorum septingenta octingenta septem millia, & quingentos aureos. Eam pecuniæ vim licet ingentem conficiendam putauit Ezechias; ratus se ea longè maiorem iacturam esse redempturum. Itaque corrasit *omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis*: quin etiam *confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assyriorum.*

f 4. Reg. 18. 14.

XIX. *Eadem historia ex Iosepho.*

Avdiendvs quoque Iosephus. [g] *Sennacheribus auditis legatis decreuit* (simulate videlicet) *omisso bello, postulata regis admittere, & pollicitus est si argenti talenta trecenta, auri triginta accepisset, pacatum se abiturum, iureiurando interposito, quod ab omni iniuria temperaturus esset. His persuasus Ezechias, exhaustis thesauris mittit eam pecuniam ratus eo remoto, post-hac sine periculo se regnaturum.* Sic Iosephus, dissimulans captam ex templo pecuniam, & valuas eius confractas, quantum

g L. 10. c. 1.

scilicet necesse fuit ad refigendas auri laminas; quod tamen Scriptura aperte fatetur: nec timendum fuit Iosepho, ne pium regem sacrilegij accusaret. Non enim sumebat aurum Deo consecratum in vsus malos, aut absque necessitate, aut sine restituendi voluntate: sed sicut si ab alio quopiam viro opulento mutuo sumpsisset, cuius facultatem Dominus illi breui amplissimam largitus est.

XX. *Barbarus fraudulenter pecuniam accepit.* Qui accepta pecunia, præter eam omnem prædam, quam ex aliquot iam oppidis hauserat, pacta non præstitit, vt rectè ait Iosephus; sed non recte quod sequitur. *Nam profectus*, inquit, *ipse cum copiis contra Aegyptios, & Aethiopes, Rabsacem ducem, cum duobus aliis ad continuandum Hierosolymitanum bellum reliquit.* Non rectè, inquam; Nam rex Sennacherib misit Rabsacem ad Ezechiam, cum ipse esset in Iudæa, in eaque bellum vrgeret. Rediens enim Rabsaces ad regem suum, inuenit eum expugnantem Lobnam, vt dicitur in 4. Regum; [a] & confirmatur ex 2. Paral. [b] Itaque hanc profectionem merito ad annum sequentem referemus. *Et Rabsacem cum sociis mittit Hierosolymam.* *Misit*, inquit, *Sennacherib rex Assyriorum seruos suos in Ierusalem*, *Tharthan* scilicet, alium, vt apparet, ab eo qui missus fuerat in Azotum; *& Rabsarin, & Rabsacen de Lachis* (ipse enim cum vniuerso exercitu obsidebat Lachis) *ad Ezechiam regem Iuda, & ad omnem populum, qui erat in vrbe.*

XXI. *Non admissi, regem ad colloquium vocant.* Qui cum *ascendissent venerunt Ierusalem, & steterunt iuxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via agri fullonis*, in colle scilicet Gihon, qui est ab oriente ciuitatis; vnde aquæ deriuabantur in vsum fullonum, qui ibi pannos lauabant. Cùm autem non essent admissi in vrbem, quippe qui venerant *cum manu valida*, vt Scriptura testatur: [c] siue vt est apud Isaiam, [d] *in manu graui*. Quod explicat Sanctius cum magna, regiæque proxima potestate, vt cum Hebræis transigeret arbitratu suo. At Abulensis validam manum de magnitudine copiarum interpretatur. Et periculum erat ne vel populus terreretur, vel ipsi obseruarent in vrbe, quæ in posterum eorum consiliis fauere possent. Pertinebat eadem valida manus ad conciliandam opinionem magnificentiæ, potentiæ, & diuitiarum populi Assyriorum, tota pene Asia imperantis. Ergo cum non permitteretur ingressus, *Vocauerunt regem*. Dixerunt nimirum se velle regem alloqui, habere quæ ad eum, & populum, regis sui nomine mandata deferrent.

XXII. *Qui mittit internuncios.* Qui tamen ad eos non venit, siue quod sibi timeret, ait Iosephus, [e] neque enim principis vita facilè periculo committenda: siue quod magis decorum videbatur, & conueniens regiæ maiestati per nuncios, cum nunciis agere. Itaque tres tribus obiecit: ad eos enim tres ex domesticis suis misit huius negotij internuncios Eliacim filium Helciæ, præpositum domus regiæ, & Sobnam scribam, & Ioahe filium Asaph a commentariis. Qui iidem totidem pene verbis apud Isaiam [f] referuntur in Latino, Hebræo, Chaldæo, & Græco regio, & Sixti; in quibus Eliacim vocatur ταμίας, id est quæstor, vel œconomus: a Iosepho autem ὁ ἐπίτροπος τῆς βασιλείας id est procurator regiæ, quem aliqui præfectum prætorio interpretantur. nec aliter aliquot locis sequentibus, in quarto Regum, & Isaia appellatur, & in Chron. Hebr. cap. 23. eique sententiæ adhærent Sanctius, & Abulensis. [g]

XXIII. *Quis fuerit Eliacim.* Nihilominus D. Hieronymus in caput 7. Ezechiæ, vt supra quoque notauimus, & Emanuel Sà, & Bellarminus, [h] & ibi Gretserus, & Serrarius, [i] D. quoque Thomas, Dionysius, & alij interpretantur Eliacim fuisse præpositum domus non regiæ, sed Domini, quæ antonomatisticè dicitur domus; ideoque etiam Pontificem vocant. Cui interpretationi occasionem dedit, quod initio illius cap. 37. sacerdotibus aggregatur. *Et misit Eliacim*, inquit, *qui erat super domum, & Sobna scribam, & seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Esaiam*, &c. Et quia Isaiæ 22. dicitur successurus in locum Sobnæ præpositi templi, cui & pastophorium tribuitur, quod est cubiculum, seu thalamus eius, qui templo præpositus est, vt D. Cyrillus, & D. Hieronymus eum Esaiæ locum interpretantur.

XXIV. *Non videri pontificem.* Prior tamen sententia probabilior videtur; cui etiam fauet, quod hic Eliacim dicitur filius Helciæ; at filius Helciæ pontificis non Eliacim, sed Azarias dicitur. [k] & ad tempora Iosiæ, non Ezechiæ pertinet, post annos plures quam septuaginta. Fauet etiam quod hic Eliacim cum sociis scidit vestimenta sua, auditis blasphemis vocibus Rabsacis. *Venerunt enim ad Ezechiam scissis vestibus*, [l]

[a] 4. Reg. 19. 8.
[b] 32. 9.
[c] 4. Reg. 18. 17.
[d] c. 36. 2.
[e] l. 10. 1.
[f] 36. 3.
[g] q. 33. in c. 18. 4. Reg.
[h] tom. 1. l. 1. c. 12.
[i] in c. 4. Iudith q. 1.
[k] 1. Paral. 6. 13.
[l] Isaiæ 36. 22.

a ex Leuit. 21.10. quod tamen pontifici non erat licitum. [a] Vnde hoc factum in Caipha pontifice SS. patres, nominatímque magnus Leo meritò damnat.

Quod autem Esaiæ 22. dicitur, Sobnæ templi præposito successurus, hanc opinionem non iuuat, sed dubitationes tantùm multiplicat, non enim præpositus templi Pontificem ibi significat, sed thesaurarium, vt ibi habet Pagninus, & Genebrardus in Chron. Hebræorum, alij cancellarium; 70. ταμίας. quæstorem, cui etiam mox œconomiam auferendam dicunt, & in Hebræo tantùm vocatur præpositus domus, videlicet Ezechiæ, de quo ibi agitur, vt supplet ibi Vatablus, & interpres eum præfectum prætorio interpretatur, nec malè propterea vulgata. Nam principum regiæ templa dici solent, & vice versa magna templa consecrata Deo, vel sanctis passim basilicæ appellantur. *Sicut nec Sobnam.*

XXXV. *Idem de Sobna confirmatur.* QVIN quod nullus in pontificibus Sobna reperitur, non solum hoc tempore, sed neque omnibus retro seculis: neque deinceps, ad templi, & Hierosolymorum à Nabuchodonosore illatam ruinam. Nec absurdum est vnum, eundémque tam sacræ, quàm profanæ pecuniæ fuisse præpositum; ideoque & locum in templo habuisse illi officio destinatum. Nec repugnat S. Cyrillus, licet dicat videri potius sacræ pecuniæ colligendæ præpositum fuisse, quàm regiæ. Diuus etiam Hieronymus quæstorem, & dispensatorem domus Dei appellat, licet ei postea coronam pontificis, & auri laminam tribuat: & Septuaginta στέφανον ἔνδοξον, quam sibiipse per superbiam assumpsisse potuit, sicut sibi etiam magnificum monimentum præparauerat. [b] Vnde videtur gallo gallinaceo, quem cristæ coronant, comparatus, dicitúrque tribulatione coronandus.

b Esaiæ 26. 16.

XXVI. *An gemini Sobna fuerit.* ISTE porro Sobna, cui successit Eliacim, vt ibidem vaticinatur Esaias, alius non videtur ab eo Sobna, qui hic scriba dicitur, à Septuaginta γραμματεὺς; & socius est Eliacim, à rege missus ad Rabsacem, quem Vatablus literatum, & legisperitum interpretatur, quod verius videtur, quàm eum regio stipendio dedisse operam sacris exscribendis, & interpretandis. D. Hieronymus in cap. 36. Esaiæ errare ait, qui Sobnam hunc cum alio confundunt. Eundem tamen putant alij, in quibus Sanctius Hieronymus autem falsa Hebræorum traditione nititur, de Sobna, qui ciuitatem tradiderit Assyriis; à quibus magna illius pars capta fuerit. Quod falsum est, cum dixerit Dominus per Esaiam *de rege Assyriorum.* [c] *Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam,* &c. Nec sanè vlla apparet necessitas multiplicandi personas istas. Tertius denique fuit Ioahe filius Asaph à commentariis: quod aliqui officium secretarij regij putant, alij cancellarij, alij denique historiographi; quæ videtur mens Septuaginta interpretum, qui eum ὑπομνηματογράφον, appellant; quasi dicant, qui præest monimentis, qui edicta regia, vel gesta literis mandat. [d] *Ioahe nuncius.*

c c.37.v.33.

d Vatab in 4. Reg. 18. & Esaiæ 36.

XXVII. *Num Rabsaces ex Rabbinis, an filius Isaiæ.* SED antequam ab istis personis abeamus, videndum an quid distinctius de Rabsace inuenire possimus. D. Hieronymus in cap. 36. Esaiæ. *Rabsacem*, inquit, *qui Hebræa lingua locutus sit, filium Isaiæ prophetæ Iudæi autumant, qui & ipse proditor fuerit,* sicut Sobna videlicet, de quo paulo ante dixerat, eum perterritum comminatione Rabsacis, tradidisse manus Assyriis, & inferiorem partem Ierusalem aduersariis prodidisse, exceptáque arce Sion, & templo, nihil aliud remansisse, quod non tenuerit Assyrius: quod proximè à nobis refutatum est. Pergit autem de Rabsace Hieronymus. *Relictumque filium Esaiæ alterum, appellari Iasub, qui lingua nostra relictum sonat. Porro alij arbitrantur eum fuisse Samaritem, & idcirco Hebraicum scisse sermonem, & tam audacter, & impiè Dominum blasphemasse.* In his aliis est Theodoretus, & Procopius in 36 Esaiæ, & Author mirabiliū sacræ Scripturæ [e] Quæ isti patres recitasse cōtenti, fidem apud mendaces, & infideles Iudæos reliquerunt, qui ex tenuissima suspicione, quidquid sibi in mentem venerit, sine vlla probatione asserunt, & fabulas fabulis, mendacia mendaciis accumulant. *Aut Samarita, vt aliqui patres putarunt.*

e l.2.c.16.

XXVIII. *Refutatur prior opinio.* RABSACES, inquiunt Rabini, filius Isaiæ fuit, & patrem deseruit, ac fratrem; imo & patriam religionem, ac Deum. Vnde nostis? Quia alter filius Isaiæ prophetæ dictus est Iasub, id est relictus: fortè etiam quia nuncij regis, querelas de blasphemiis Rabsacis, ad Isaiam, quasi ad eius patrem detulerunt. Sobna prodidit Assyriis ciuitatem, cuius etiam mediam partem occuparunt, quî scitis? Quia eum Esaias cap. 22. accusat superbiæ; Quid hoc ad proditionem? Vbi eam

Scriptura tradit, vel etiam innuit? Imo idem Esaias affirmat Assyrium ne sagittam quidem vnam missurum in ciuitatem Ierusalem, nedum eam occupaturum.

XXIX. *Et posterior.* RABSACES Samarita fuit, è captiuitate decem tribuum. Vnde coniicis? Hebraicè norat, norat etiam Syriacè, vt ex textu patet; quidni etiam fuerit Syrus? Eliacim quoque cum sociis, eodem iure Syri fuerint, non Hebræi? Num qui Gallicè, aut Italicè, aut Germanicè norunt, Germani sunt, Itali, Galli; aut qui Græcè, & Arabicè, Græci, vel Arabes? Aut quomodo tam breui tempore tantum fidei apud hostes, & authoritatis adeptus esset, vt princeps exercitus constitueretur? Nec timerent Assyrij, sicut olim Satrapæ Philisthinorum, [a] ne in prælio conuersis armis, non Israëlitas, sed Assyrios peteret; sicque placaret regem Ezechiam in capitibus eorum. At vehementer blasphemat, quasi eam artem non tenerent Assyrij; nec Deum Iudæorum multo magis, quàm Israëlitæ contemnerent. Denique eius oratio eum imperitum rerum Iudaicarum ostendit, & militiæ Assyriorum, sicut & idololatriæ assuetum, vt mox patebit. [b]

[a] 1. Reg. 29. 4.

XXX. *Rabsacis ad nuncios oratio.* DIXIT ergo ad regis nuncios Rabsaces, huic enim vni tribuitur oratio, tota comparata ad incutiendum terrorem Hebræis, Assyriorum viribus, ac magnificentia exaggeranda; & diruendis omnibus spei, ac fiduciæ Iudæorum propugnaculis; denique deditionem suadendam, quam deportatio in peregrinas regiones consequatur. *Dicite*, inquit, *Ezechiæ, hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum. Quæ est ista fiducia, qua confidis? Aut quo consilio, vel fortitudine rebellare disponis?* id est, resistere, & obsidionem expectare. Nam iam hoc ipso rebellarat, quod tributa negauerat. *In quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Ierusalem?* [c] Instar videlicet obsessorum ab exercitu regio, portas habetis obseratas, nec vsquam prodire audetis.

[b] quæ 4. Reg. 18. 2. Paral. 32. Esaiæ 36. cõtinetur. Vid. etiam Abul q. 32. in c. 18 4. Reg.

[c] 2. Paral. 32. 10.

XXXI. *Ierusalem an nunc obsessa fuerit.* QVIBVS maximè verbis niti potest multorum opinio, qui hoc tempore obsessam ab Assyriis Ierusalem putant: quibus etiam fauet quod Rabsaces dicitur venisse Hierosolymam, *cum manu valida*, vel vt habet Chald. *cum multis copiis*, Septuagintà *cum potestate graui*. Vnde Sulpitius libro primo sacræ historiæ. *Et Sennacherib*, inquit, *rex Assyriorum bellum intulit magno cum exercitu, fines eius ingressus, latéque agris vastatis, nullo obsistente vrbis obsidionem vrgebat. Ezechias autem multitudine inferior non ausus manum conserere, muris se tuebatur.* Idem scribit Iosephus libro decimo cap. 1. vbi agens de Rabsace, & sociis; *vt verò*, inquit, *admoto mœnibus exercitu castrametati sunt, per nuncios postulauerunt, vt Ezechias ad se prodiret ad colloquium*, &c. Idem obiter significat D. Hieronymus in cap. 37. Esaiæ sub finem, vbi ait liberandam ciuitatem obsidione præsenti; & aliqui recentiores. Vatablus [d] solutam dicit Hierosolymorum obsidionem, ad nuncium regis Æthiopiæ venientis, rursumque eo deuicto redintegratam. Sed eum ibi Scriptura refellit, quæ ait Rabsacem inuenisse Dominum suum expugnantem Lobnam: non obsidentem Ierusalem. Quod autem Lobnam per se ipsum obsederit; Ierusalem autem per Rabsacem, probabile non est; nam obsidio Hierosolymorum maximum exercitum requirebat. Imo D. Epiphanius in vita Esaiæ, & cum eo Dorotheus in Synopsi, non solum obsidionem vrbis fatentur, sed etiam vrbe potitos, dicunt Siloam obsedisse.

[d] 4. Reg. 19.

XXXII. *Non fuisse probatur.* NON fuisse tamen Hierosolymam à Rabsace, aut omnino ab Assyriis obsessam testis est Esaias, qui Dei iussu ita de rege Assyriorum locutus est. *Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem, nec circundabit eam munitio. In via, qua venit per eam reuertetur*, quæ totidem verbis habentur 4 Reg. [e] ca. 37. v. 33.

[e] 19. 32.

Non ergo fuerunt obsessi Hierosolymitæ, nedum capti. Illud autem *sedetis obsessi*, idem valet, vt dixi, quod clausi, & quasi obsessi, aut propediem obsidendi. Ad illam verò validam Assyriorum manum sufficiunt quingenti equites. Nec missus est Rabsaces ad pugnandum, sed ad deditionem persuadendam. Libellus autem is de vita & interitu prophetarum, qui multas habet Rabinorum fabulas, à nonnullis Epiphanij esse negatur; nec admodum iniuria.

XXXIII. *Satisfit Iosepho. & aliis.* IAM quod ad Iosephum attinet, is illo loco ex Scriptura corrigendus est. D. Hieronymus præsentem obsidionem vocat, iam, iamque imminentem. Sic &

a l. 6 de bello c. 11. b l. 10. ant. c. 2.

illud Iosephi [a] explicare possemus. *Rex Assyriorum Sennacherib cùm totam ducens Asiam ad hanc vrbem castra posuisset*, id est certò, & quamprimum positurus esset, post reditum scilicet ex Ægypto. Et illud. [b] *Prima nocte, qua vrbem oppugnare cœperat*, id est, cùm esset in procinctu, vt oppugnare inciperet. Nam principia hæc moralia, quæ puncto temporis non fiunt, sed moram requirunt, facilè temporis rationem mutant, & ex vicino mutuantur; vt is dicatur incipere, vel incepisse, qui mox incepturus est: & contra dicatur aliquis non cœpisse, qui vix tantillum rem attigit. Si quis tamen contendat Iosephum geminam obsidionem Hierosolymorum agnoscere, alteram per Rabsacem, alteram per Sennacheribum, post reditum ex Ægypto, per me licet; modo fateatur eum sacro historico, & Isaiæ prophetæ repugnare.

XXXIV. Rabsaces deditionem suadet.

Pergit autem Rabsaces Ezechiam regem, eiusque populum accusare temeritatis, qui cùm per se infirmus sit, & non habeat quo nitatur, tam potenti principi resistere audeat. Nam ait neq; Ægyptios posse eum iuuare, quorum auxilium infirmum sit, & fallax, neque Deum ipsum velle, qui offensus sit in excelsorum, & altarium demolitione; quique miserit Assyrios ad perdendam Hierosolymam. *Nunquid* ait [c] *sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, vt demolirer eum? Dominus dixit mihi, ascende ad terram hanc, & demolire eam.* Non posse ipsos sibi ipsis adesse probat, vt qui non habeant apud se viros militares, vel modico numero, qui norint ex equo pugnare; significans è contrario Assyrios equestri exercitu plurimum posse.

c 4 Reg. 18. 25.

XXXV. Non bene argumentatur. Non fuisse Hebræum.

Eorum argumentorum vt primum, ac postremum vera essent, certè medium falsum erat. Nam non fuerat offensus Deus in altarium demolitione, sed placatus; ex quo etiam intelligitur Rabsacem non fuisse Hebræum, qui eos condemnabat in eo, in quo erant vehementer laudabiles; & id eorum spem infringere putabat, quod eam in primis solidabat. Deus enim vnico in loco, & vno in altari sacrificia offerri iusserat. [d] At dij gentium hoc se magis honoratos putabant, quo pluribus in locis colerentur. Rectiùs ergo è contrario argumentatus fuisset, venisse se vltorem criminum, quæ Achaz in hoc genere perpetrarat; ab eo missum, qui peccata patrum in filiis, ad multas vsque generationes, vlcisceretur. Nec iusserat venire Assyrios, vt Tostato placet. Non enim illos alloquebatur, sed Iudæorum prophetas, & populum cultorem sui; non idololatriæ caligine, & sordibus excæcatos.

d Leuit. 17. 8 9. Deut. 12. 5 6.

XXXVI An Assyrios miserit Dominus contra Iudam.

Ergo ignorabant illud Esaiæ 10. 5. *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi.* Quæ contra regnum Iuda dicta esse, D. Hieronymo interprete, constat. Licet enim Iudam non nominet, sed Israël; Iudam tamen intelligit, quia nominatim Assur interpretatur Sennacherib, qui non afflixit Israëlitas, quorum possidebat regionem, à patre suo Salmanasare captam, sed Iudæos, quorum plerasque vrbes munitas expugnauit, & prædatus est; factis exequens illud Esaiæ ibid. *Vt auferat spolia, vt diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum.* Id est, *vt percutiat eum, & non interficiat, vt vulneret, & non animam auferat*; ait ibi Hieronymus. Significans Assyrios cædibus in Iudæa abstinuisse, quasi subditis suis parcentes, vt haberent, quibus imperarent: diuina prouidentia eam illis mentem ingerente, in gratiam populi sui. Sed redeamus ad Rabsacem.

XXXVII. Inuitatur Rabsaces ad loquendũ Syriacè.

Qui cùm fiduciam in Deum suum populo conaretur eripere, nuncij Ezechiæ inuitissimis auribus hæc audientes. *Precamur*, inquiunt, *vt loquaris seruis tuis Syriacè siquidem intelligimus hanc linguam & non loquaris nobis Iudaicè, audiente populo, qui est super murum.* Quod signum est Syriacam linguam vulgo ignotam fuisse, cui ignotam cupiebant orationem Rabsacis, ne offenderetur, & iram continere non valens, sagittas è muro iacularetur in Rabsacem, eiusque turmam militarem; vel certe ne nimis terreretur. Ille verò tãto maiori voce Hebraico sermone ad populum orationem conuertit, quod eius interesse diceret ista nosse, qui alioqui fame, & siti, in obsidione periturus erat. Id enim significare vult ignominiosa illa, & probrosa sententia, *vt comedant stercora sua, & bibant vrinam suam vobiscum.* Hebr. & Chald. vocant aquam pedum, eo quod deiiciatur ad pedes.

XXXVIII. *Alia deditionis suasio.*

EIVS orationis duo sunt capita, debere se ipsos dedere Assyriis, nec Ezechiæ fidem habere contraria malè suadenti; tum quia bene futurum sit Iudæis apud Assyrios, in terra fertili, & simili Iudææ: ne scilicet transmigrationem reformident; tum quia ab eius manu liberari, ne à Deo quidem suo possint: quod cæterorum deorum, & gentium comparatione probare vult: & hoc præcipuum blasphemiæ caput, quo de diuina potentia detrahitur, eaque idolis ethnicorum comparatur. Cuius argumenti, quod fusius etiam 2. Paral. 32. differitur, illa est conclusio. *Quinam illi sunt in vniuersis dijs terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, vt possit eruere Dominus Ierusalem de manu mea?* Quæ verba ostendunt Assyrios plurimis tum circumquaque regionibus imperasse: & vera esse, quæ de eo prædixerat Esaias cap. 10. eum non intellecturum à quo sibi hæ victoriæ tribuerentur: sed sibi attributurum. *Sed & alia multa locuti sunt serui Sennacherib contra Dominum Deum, & contra Ezechiam seruum eius.* [a]

*Blasphemia Rabsacis.*

XXXIX. *Populus silet, legati vestem lacerant.*

TACVIT nihilominus [b] *populus, & non respondit ei quidquam: siquidem præceptum regis acceperant, vt non responderent ei.* Prudenter enim veritus ne inter respondendum aliquid diceret inconsultè, quod rebus turbatis obesset potiùs, quàm prodesset, ne hostem exacerbaret, aut reliquum populum terreret. Nam ille præ superbia, & contemptu omnium, facilè offendi poterat; & hic facilè turbari metu: decuit potius per nuncios à rege prudenter, & consideratè responderi. Nuntij tamen Ezechiæ, cùm impij hominis voces, Dei optimi maximi potentiæ insultantis, & aliarum gentium idolis æquantis ægrè ferrent, sciderunt vestimenta sua, & taciti, *scissis vestibus*, venerunt ad regem, *& nunciauerunt ei verba Rabsacis.* Quid autem ille responsi à rege acceperit, non apparet, fortè non aliter responsum est, quàm silentio; quo ostendebatur neque regem, neque populum imperata facturos, sed in diuina potentia, quam ille contemneret; & misericordia, quæ supplices consolatur, fiduciam habituros; sicque ille ad Dominum suum impatiens moræ, re infecta discesserit. Vel dici potest, cum Abulensi; [c] hæc ipsa quæ diximus iussu regis renunciata, post responsum à Deo per Esaiam acceptum, ne is se contemptum putans, magis offenderetur.

*Et regem adeunt.*

XL. *Mittit Ezechias nuncios ad Esaiam.*

QVÆ cùm audisset Ezechias rex *scidit* & ipse *vestimenta sua, & indutus est sacco,* quem nuncij, & seniores de sacerdotibus imitati sunt; lugentes nimirum iniurias in Deum suum illatas, eumque ad misericordiam in populum suum, & vindictam in blasphemos aduersarios prouocare cupientes. *Ingressusque domum Domini rex* ad orationem, mittit eosdem nuncios ad Esaiam prophetam, adiunctis aliquot senioribus *opertos saccis;* qui cum eo de Rabsacis impietate expostulent, vt in tantis rerum angustiis Deum consulat, quid facto sit opus: & simul ad eum preces fundat pro afflicto populo, qui gemit vniuersus, sicut parturiens, quæ fœtum in lucem edere, præ virium infirmitate non potest. Sic enim explicat hunc locum sapiens. [d] *Tunc,* inquit, *mota sunt corda* præ tristitia præsentium, & metu futurorum, *& manus ipsorum* supplices Deo factæ implorantes auxilium contra Sennacherib, & Rabsacem, *qui sustulerat manum suam contra eos, & extulerat* minitans *manum suam in Sion, & doluerunt quasi parturientes.* Respexit Iesus Syracides ad verba regis ipsius, cuius hæc est oratio. [e]

XLI. *Eius ad prophetam lamẽtatio.*

DIES *tribulationis, & increpationis, & blasphemiæ dies iste; venerunt filij vsque ad partum, & vires non habet parturiens.* Quasi dicat, concepit quidem rex, & populus vniuersus iustissimum dolorem contra Assyrios, & appetitum sanctæ vindictæ; sed desideria irrita sunt, atque inania contra tam potentem aduersarium. Itaque ad Deum recurrendum est, *si fortè,* inquit, *audiat Dominus Deus tuus,* ad vindictam scilicet quamprimum sumendam; cùm enim differt vltionem, ita se gerit, quasi non audiat, aut videat mala, quæ perpetrantur. *Audiat,* inquit, *vniuersa verba Rabsacis quem misit rex Assyriorum Dominus suus, vt exprobraret,* in Esaia, *ad blasphemandum Deum viuentem, & argueret verbis, quæ audiuit Dominus Deus tuus,* quo cum tibi intima familiaritas, *& fac orationem pro reliquiis quæ repertæ sunt.*

*Ezechias*, ait D. Chrysostomus homilia de comparatione regis, ac monachi, & libro primo de oratione, *multis millibus Assyriorum preces Esaiæ opposuit; nec eum fefellit opinio; simul enim atque Esaias manus in cœlum sustulit, sagittis de calo missis Deus Sennacheribi exercitum confecit.* Statim scilicet impetrauit Assyriorum cladem, quæ

[a] 2. Par. 32. 16.
[b] 4. Reg. 18. 36.
[c] q. 10. in c. 19. 4. Reg.
[d] Eccli. 48. 21.
[e] Isa. 37. 3. & 4. Reg. 19. 3.

tamen post sequentem tantum annum videtur edita, vt dicitur.

XLII. *Et ad Deũ cum populo oratione. Ex Iosepho.*

SED adiecit ipse quoque rex supplices ad Deum preces, id enim ratio ipsa, & regis pietas postulat, & tradit Iosephus. [a] *Ille perculsus*, inquit, *habitum regalem exuit, & saccum indutus, humili specie, vt mos est patrius, in faciem procidens Deo supplicat; vt cùm alia spes nulla adsit, opem, & salutem afferat. Missis etiam ad Esaiam prophetam amicis aliquot, & sacerdotibus rogauit, vt pro communi salute precibus Deum solicitet, ac sacrificiis, vt frangens nimias spes hostium, misereatur populi sui.* Tradit ipsa quoque sacer historicus. [b] *Orauerunt igitur Ezechias Rex, & Esaias filius Amos prophetes aduersus hanc blasphemiam, ac vociferati sunt vsque ad cœlum*, id est maximi affectus, admodumque efficaces preces obtulerunt Deo.

a l.10.c.1.
b 2.Paral. 32.20.

XLIII. *Vaticiniũ de ruina Sennacherib.*

DOMINVS autem qui iam nuncios regis anteuerterat (vt ait Hieronymus, idque innuit prompta responsio) præmonens Isaiam quid eis responsurus esset. *Hæc dicetis*, inquit, *Domino vestro; hæc dicit Dominus. Noli timere à facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemauerunt pueri regis Assyriorum me. Ecce ego immittam ei spiritum, & audiet nuncium, & reuertetur in terram suam, & deijciam eum gladio in terra sua.* Hæc ex 4. Reg. [c] Quæ similiter habentur apud Isaiam. [d] Hunc spiritum quidam interpretantur voluntatem reuertendi in patriam, audito rumore belli, quod in eum gesturus erat rex Æthiopiæ. At è contrario habuit Sennacherib voluntatem contra eum bellum gerendi, & reuera ea de causa contra eum ex Iudæa profectus est. Neque enim Æthiops in patria eius, id est in Assyria versaturus erat, sed in Ægypto; vbi pro Ægyptio contra copias Assyriorum, quæ ibi iamdudum erant, erat pugnaturus. Sennacherib verò laborantibus suis venturus erat auxilio. *Dandus est ei*, inquit Hieronymus, *spiritus non Dei, sed aduersarius.*

c c.19.6.7.
d c.37.6.7.

*Quis spiritus ille immissus.*

XLIV. *Quis spiritus in eum à Deo immissus.*

ALII spiritum dici putant nuncium, idque statim explicari, cùm [e] subditur, *& audiet nuncium*. Verùm vt rectè notat Abulensis, Scriptura apertè distinguit spiritum à nuncio; nam spiritus ille vnus est, & nuncij plures: sequitur enim. *Cum audisset dicentes de Tharaca, ecce egressus est*, &c. Deinde non immittitur alicui nuncius, quod hic de spiritu dicitur, sed ad aliquem mittitur, *dabo ei spiritum* ait Esaias, quod durissimè de nuncio quis dixerit. Fuit ergo hic spiritus timoris, non Hebræorum, sed Æthiopum, ne illi iuncti Ægyptiis, suos ibi delerent; & mox vtrique auxilio venirent Ezechiæ; sicque a tribus simul populis debellaretur: id tamen omittitur à propheta: sicut imminens eius exercitui clades, inferenda per angelum, vt addatur, quod caput est victoriæ, & securitatis, eum reuersurum in patriam, ibique domestico gladio periturum.

e q.19.in c. 9.4.Reg.

XLV. *Consolatio populi.*

QVÆ prophetia licet nonnihil obscuritatis haberet, more prophetiæ, cùm tamen ab Assyriis timere prohiberet, & irritum reditum in patriam, atque adeo interitum hostis, quo nullus viueret in terris capitalior, contineret. Non dubium est, quin pro authoritate, qua pollebat Esaias, & regem, & ciuitatem vniuersam magna fiducia, spe, ac consolatione affecerit. 2 Rabsaces autem siue responsi nihil accepit à rege; siue moderatam aliquam, ac sapientem responsionem, (iuxta illud. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam*) responsionem, inquam plenam fiduciæ in Deum; qui tamen eum accusare poterat, non solùm vt blasphemum, sed tanquam perfidum, & fœdifragum, qui accepta recens tanta vi auri, atque argenti, pergeret ad Iudæum nomen si posset extinguendum, satis intellexit Rabsaces Ezechiam, cum suis recusare imperata facere, & extrema potius experiri velle. Itaque redit cum sociis ad Dominum suum in Lobnam, *audierat enim quod recessisset ad Lachis.*

2. ex.

*Reditus Rabsacis.*

XLVI. *An Sennacherib expugnarit Lachis & Lobnam.*

NON exprimit Scriptura an eam expugnarit, id tamen certum videtur, neque enim apparet vlla ratio, cur ea minimè expugnata, cum confusione sua, nouam oppugnationem aggressus fuisset, idque etiam sentit Abulensis: & ex eo satis intelligitur, quod vniuersè dictum est Sennacheribum cœpisse omnes ciuitates munitas. Idemque de Lobna dicendum videtur. Nam de ea vrbe nominatim dicitur. *Et inuenit Rabsaces regem Assyriorum expugnantem Lobnam.* Pro quo tamen Esaias habet *prœliantem aduersus Lobnam*; quomodo legitur in Hebræo, & Græco, vbi vtrobique eadem est vox, & priore illo loco quarti Regum expugnatio pro oppugnatione posita videatur, sicut exaudire, & exsurgere, & exoriri aliisque multis, particula, ex, nihil mutat significationem verbi simplicis: Appa-

4. Reg 19.8.

ret autem solutam fuisse obsidionem, rege cum copiis in Ægyptum properante; nisi forte propter immensitatem copiarum, habuit satis multas, vt & vrgeret interim obsidionem, & expeditionem nouam susciperet.

XLVII. *Quæ mens eius ad reditum Rabsacis.* CVM ergo Rabsaces retulisset ad regem suum, Ezechiam nolle sese, ciuitatémue suam dedere Assyriis, Dei sui protectione confidentem; vero simillimum est, eum omnes copias in eius expugnationem destinasse; vt non sine causa Ezechias iamdudum persuasum habuerit, totum belli impetum contra Ierusalem versum iri; sicut ante octo annos, tota belli moles contra Samariam inundauit; aliæ tamen vrbes Iuda, vti iam diximus, primos belli impetus expugnatæ senserunt.

*Mutat cõsilium expeditione in Ægyptum suscepta.* Sed super hæc, ecce alius nuncius de aduentante Tharaca Æthiope, cum ingentibus copiis, qui Hierosolymitanam profectionem certam iam, & constitutam, dubiam primo, atque ancipitem reddidit, mox etiam disiecit, ac distulit. Visum enim fuit arma priùs contra Æthiopem mouenda. Ezechiam autem iterum per literas sollicitandum, simul etiam fortasse detinendum, ne geminis Æthiopum, ac Iudæorum armis, simul à tergo, & fronte petitus obrueretur; Quem etiam ad finem partem aliquam copiarum suarum in Iudæa relinquendam putauit: sibi autem ipsi debellandi Æthiopis prouinciam delegit.

XLVIII. *Id ex Scriptura confirmatur.* HOC perpaucis verbis Scriptura complexa est. [a] *Cumque audisset de Tharaca rege Aethiopiæ; dicentes, ecce egressus est, vt pugnet aduersum te, & iret contra eum*, scilicet regem Æthiopiæ, *misit nuncios ad Ezechiam*, &c. Iosephus [b] ait ipsum Sennacherib profectum cum copiis contra Ægyptios, & Æthiopes, Rabsacem autem ducem, cum duobus aliis, ad continuandum Hierosolymitanum bellum reliquisse. *Contra Iosephum.* Iudaicum bellum dictum oportuit. Non enim Hierosolymam oppugnauit, (quod ipse putauit, & mox ibidem scripsit; repugnans certissimo Isaiæ vaticinio, quo id perspicua oratione refellitur, )[c] sed alias vrbes regni Iuda. Sed errat quoque confundens primum nuncium à Sennacheribo missum, cum secundo. Non enim profectus est Ægyptum versus, quum primum misit Rabsacem ad Ezechiam, vt hic supponit Iosephus, sed quum in reditu Rabsacis audiuit de aduentu regis Æthiopiæ.[d]

*a 4. Reg. 19. 9.*
*b l. 10. ant. c. 2.*
*c c. 37. v. 33.*
*d 4. Reg. 19. 9.*

XLIX. *Qui & Seuerum fefellit.* ERRANDI etiam fortasse occasionem dedit Seuero Sulpitio libro primo historiæ sacræ, & Genebrardo in Chron. cùm aiunt Æthiopiæ regem Assyriorum regnum inuasisse, eo quod Iosephus dixit auditum à Sennacherib Æthiopem per desertum copias ducere, vt improuisus adoriretur Assyrios, quod de regione Assyriorum, non de exercitu intellexit, & scripsit Seuerus. Vnde subdit. *Quo nuntio Sennacherib ad sua tuenda conuersus fremens, & clamitans victori sibi victoriam eripi, bellum omisit, missis ad Ezechiam literis, cum verborum contumeliis, denuncians se paulò post, rebus domi compositis, ad excidium Iudeæ maturè rediturum.* At in Græco Iosephi textu res ambigua est, εἰς τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἐμβαλεῖν. Dubium enim est an τὴν referat δύναμιν, quæ vox paulo ante præcessit, an χώραν, vt in istiusmodi phrasi solet.

L. *Literæ Sennacherib an geminæ.* QVOD ad literas Sennacheribi ad Ezechiam attinet, dubium est an per Rabsacem has literas miserit. Et primum quidem non videtur scripsisse per Rabsacem, & socios, tum quia Scriptura, quæ tribus in locis hanc primam missionem tradit, nunquam istarum literarum meminit. Tum quia tres illi principes exercitus instar literarum erant; tum denique quod si ex scripto locutus esset Rabsaces, non dixissent ei serui Ezechiæ. *Precamur vt loquaris seruis tuis Syriacè; & non loquaris nobis Iudaicè*, &c. Sed nec Iosephus earum literarum meminit. Torniellus tamen anno 300. quintæ ætatis, ait missum Rabsacem cum minacibus literis, blasphemiæ plenis, neque id probabilitate caret. Nam sub discessum eius in Ægyptum misisse literas constat ex Scriptura. [e] Et nihilominus nuncij iubentur eadem dicere, quæ in epistola continebantur. Constat item ex aliis locis, [f] in quibus literæ hæ, epistolæ, & libri, numero multitudinis vocantur: nullibi tamen nunciorum nomina traduntur.

*e 4. Reg. 19. 14.*
*f 2. Par. 32. 17. & c. 37. Esaiæ v. 14.*

LI. *Earum sententia.* HARVM literarum sententia fuit eadem quæ superiorum: imo & verba quibusdam in locis, [g] nisi quod impudentius etiam contra Deum loquitur, quem non tantùm impotentiæ accusat, sed etiam imposturæ. *Hæc dicite*, inquit, *Ezechia*

*g 4. Reg. 18. 3. 4. 19. 15. Esaiæ 36. 9. & 37. 13.*

regi

*regi Iuda. Non te seducat Deus tuus in quo habes fiduciam.* Hæc miseri de Deo vero credebant, quod de dæmonibus seductoribus quotidie experiebantur, sed pergit. *Neque dicas non tradetur Ierusalem in manus regis Assyriorum. Tu enim ipse audiuisti, quæ fecerunt reges Assyriorum vniuersis terris, quando vastarunt eas: num ergo solus poteris liberari? Nunquid liberauerunt dij gentium singulos, quos vastauerunt patres mei,* &c. Hoc autem vnum vrget Assyrius, quod ex responsione Ezechiæ intellexisset, eum non populi sui, aut Ægypti copiis niti, sed vnius Dei sui virtute, ac prouidentia.

a l. 10. c. 2. Addit Iosephus [a] barbarum regem minatum internecionem omnib. nisi sponte patefactis portis exercitũ intra Ierusalem reciperent, regem autem pro sua in Deũ fiducia eas literas contempsisse, quod Scriptura non dicit. Addit etiam contra Scripturam eum epistolam cõplicatam in templo reposuisse, cum sacer historicus, [b] & Isaias [c] propheta dicant eum expandisse literas illas coram Domino: sicut etiam habet Regum liber. *Itaque cùm accepisset Ezechias literas de manu nunciorum, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas corã Domino.* Quod erat eximiæ in Deum fiduciæ signum. Sic enim filij recitant, vel ostendunt parentibus, quæ in se, vel in ipsos dicta, factaue fuerint. Erat & obiectum efficax mouendæ indignationis in blasphemos Assyrios. Nam Deus nostro sese captui accommodat, quos præsens doloris obiectum ad vindictam vel nolentes extimulat, atque impellit. LII. *Cur rex expandit coram Domino. Contra Iosephum.*

b 4. Reg. 19. 14. c c. 37. 14.

Addit quoq; orationem. *Domine Deus Israel,* inquit, *qui sedes super Cherubim; tu es Deus solus regum omnium terræ tu fecisti cœlum & terram; inclina aurem tuam, & audi. Aperi Domine oculos tuos, & vide, audi omnia verba Sennacherib, qui misit, vt exprobraret nobis Deum viuentem. Verè Domine dissipauerunt reges Assyriorum gentes, & terras omnium. Et miserunt deos eorum in ignem; non enim erant dij, sed opera manuum hominum, ex ligno, & lapide, & perdiderunt eos. Nunc igitur Domine Deus noster saluos nos fac de manu eius, vt sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus. Misit autem Esaias filius Amos ad Ezechiam dicens: hæc dicit Dominus Deus Israel. Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum audiui. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo. Spreuit te, & subsanauit te virgo filia Sion, post tergũ tuum caput mouit filia Ierusalem Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? & eleuasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel. Per manum seruorum tuorum exprobrasti Domino; & dixisti: In multitudine curruum meorum ascẽdi excelsa montium, in summitate Libani, & succidi sublimes cedros eius & electas abietes illius; & ingressus sũ vsq. ad terminos eius, & saltũ Carmeli eius ego succidi.* LIII. *Et Deum rursum orat.* *Dei ad eum responsio.*

Nihil habet hæc oratio, quod contemptum sapiat, sed suspensum potius, & sollicitum animum, & Dei speratum auxilium accelerare cupientem, ne quid mortalis infirmitas turbet diuinam prouidentiã, si ea forte ex hominum mutatione pendeat. Aliorsum tamen eam orationẽ trahit Iosephus, vt dixi, cùm ait eum has literas contempsisse, propter fiduciam, quam in Deo collocauerat; & epistolam complicatam in templo reposuisse: sed ipse contemptum hũc male hùc ex proximo Esaiæ vaticinio transtulit, de quo paulo post. Illud autem nõ malè, quod interea iteratas supplicationes ait, quibus vrbis salus Deo commendata, non aliqua de diuina promissione diffidentia, sed vt iteratis blasphemiis, iteratæ laudes responderent: & in eũ spes, & fiducia orando toties demonstraretur, quoties ab impiis impotentię arguebatur. LIV. *Qualis hæc oratio.*

d c. 37. 21 Et ecce respondet Dominus per Esaiam regi. [d] *Hæc dicit Dominus Deus Israel; pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum; hoc est verbum quod locutus est Dominus super eum. Despexit te, & subsannauit te virgo filia Sion, post te caput mouit filia Ierusalem.* Significans nõ ita multo post, Ierusalem eum, post cladem diuinitus acceptam, & ignominiosam fugam, irrisuram, & ludibrio habituram, qui stultè, atq; impiè præpotẽtem ipsum Deum contumeliosis, & blasphemis vocibus, per seruos suos inuadere ausus sit, ad quem ne oculos quidẽ leuare mereatur. Inde Dominus contemptim ventosa ipsius verba recẽset, quæ sic obiter Theodoretus exponit. *Gloriatur,* inquit, *se deiecisse cedros, & cupressos, id est reges, & satrapas deturbasse solio regio, Libanum attondisse, id est nationes vastasse, quod Libanus nationum infideliũ mons sit celeberrimus Carmelum item, id est Israelẽ, quoniam Carmelus Galileæ mons sit, ad regnum Israelis pertinens. Quin etiam gloriatur se ingentes fluuios põte iunxisse, Nili scilicet alueos, & paulatim aquas alio deriuasse, vt peditatus peruy essẽt; flumina etiam bibẽdo exsiccasse,* quod de exercitu nuper in Ægyptũ misso accipi potest. LV. *Rursum quæ respondet Deus.* *Insultans Assyrio ex Theodoreto.*

Qvin etiam gloriabatur se Deos aliarum gentium igne combussisse, vt ex oratione Ezechiæ intelligitur, idque ex infinita quadam superbia, cùm eos deos crederet; se autem iis longè maiorem, ac potentiorem Ad quæ Dominus, interprete S. Hie- LVI. *Et S. Hieronymo. Superbia Sennacherib.*

ronymo,[a] ita respondet. *Non ignoras, inquit, quod hæc quæ fecisti, mea feceris voluntate, & ego hæc futura prædixerim, ac per te facienda mandauerim. Itaque quod olim decreui, hoc expletum est tempore, vt colles, id est principes, qui inter se ante pugnabant, & ciuitates munitissimæ, me contrahente manum meam, nec solitum præbente auxilium, eradicarentur, & contremiscerent, ac perirent. Et compararentur non oliuæ, & vineæ, fructuosisque arboribus, sed fœno, & gramini, herbisque domatum, quæ frugibus impedimento sunt, & ante marcescunt, quàm ad maturitatem perueniant.* Ita Hieronymus. a in Isa. 37

LVII. *Dei in eum minæ.*

PRÆDICIT postremo Dominus, quæ ei mox erant euentura; quib. fidem facit ex integerrima omnium gestorum eius cognitione, quæ sibi explorata fuisse profitetur. *Habitaculum tuum*, inquit, *& egressum tuum, & introitum tuum, & viam ego præsciui, & furorem tuum contra me. Insanisti in me, & superbia tua conscendit in aures meas. Ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti.* Quod belluino esset animo Sennacherib, vt aiunt Cyrill. Theod. Procop. feroci videlicet, & impotenti, vt expertus est Tobias, & Israëlitæ in Assyria à morte Salman. Dominus ait se eum quasi belluam tractaturum, circulum in nares, & frenū in labia iniiciēdo.

LVIII. *Dei in Sennacherib sapientia.*

VIDE etiam diuinam sapientiam, quæ intolerandæ superbiæ hominem, & præ se Deum, hominésq; contemnentē, infra omnes homines, & ad belluas vsq. deprimat, prænunciétq; fore, non vt reducat ipse domum exercitū, sed vt ipse, Deo quodammodo inequitante, & timoris stimulis latera fodiente, reducatur, quasi equus, aut bubalus in Niniuem, aut quasi bos ad victimam in templum Dei sui. Sicque implet illud. *In camo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Quanto magis qui blasphemant te? Significatur etiam quæ pœna blasphemis debeatur, vt duris scilicet, instar ferarum, constringantur ora lupatis, vt Hieronymus quoque notauit. Et hæc quidem ad Sennacherib pertinent; nec distinctius explicatur mors eius, quæ post sequentem annum, eum oppressura erat, sed obscure tantum in consolatione Ezechiæ, quandoquidem ea iam supra manifestis verbis prænunciata fuerat.

LIX. *Signa, siue effecta vitati periculi.*

AD consolationem autem pij regis, hæc verba subdit Dominus. *Tibi autem Ezechia, hoc erit signū, comede hoc anno quæ reperreris.* Tibi scilicet, tuóq; populo reposita ad bellū, & obsidionem Assyriorū tolerandam. Septuaginta Cōplut. & regia habent *αὐτόματα* collecta. Cùm enim multo tempore defectionem molitus esset, & bellum, vel vicini regis exemplo, ab Assyrio expectaret, demens fuisset, nisi Hierosolymis ingentem commeatum, ad obsidionem tolerandam cōgregasset; cùm tamen hoc ei elogium Scriptura tribuat *Erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat.* [b] Hunc autem annum, sine dubio decimumquartum Ezechię, de quo agimus, & in quo versamur intelligit. In secundo autem anno, id est 15. Ezechię, *comedes quæ sponte nascuntur.* Cùm enim seminare hoc anno nō potuerit populus; quæ sponte nascūtur, vt in anno Sabbatico, comedenda erunt: *porro in tertio anno*, decimo sexto videlicet, quo mox à reditu Sennacherib ex Ægypto, eius exercitū delebo, & eū fugitiuum, & confusione plenum, in patriam à suis interficiēdum, eiiciam: in tertio, inquam, anno *seminate*, & *metite*, securi videlicet, & ab hoste liberati; fugato iam Assyrio, ait Hier. & obsidione laxata. *Plantate vineas, & comedite fructum earum: & quodcumque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Quod est polliceri magnā frugum, loco præsentis penuriæ vbertatem, quæ tāta futura est, vt reliquiæ frugum è Ierusalem educantur, & ex monte Sion, vt alibi in sementem vsui esse possint. Non enim erit opus ea in bellū reseruare, quoniā nullū deinceps ab Assyriis futurū est.

1. *Tres anni à Deo definiti Ezechiæ.*
2.
3.

b 4. Reg. 18. 7.

LX. *Inde non probari annum Sabbaticum.*

NEC existimo dari hic signum Ezechiæ ad confirmanda, quæ de Sennacherib dixerat Esaias: signa enim pio, ac fideli regi nō erant necessaria; sed esse potius effecta, quæ inde cōsequantur. Quandoquidem enim abiturus est Sennacherib, nec obsessurus Ierusalem, imo rediturus in patriam infecta re, & ibi interiturus, securi prouidete, victui vestro in hunc, & sequentem annum. Fallitur autem Scaliger,[c] dum ait Iudæos iuberi fructus suos colligere anno 14. Ezechiæ, imo collecta percipere. Anno autem 15. non iubentur vesci sponte nascentib. propter annum Sabbaticum, sed propter impeditā ab hoste sementem; præsertim cùm Sabbaticus non in primū Ezechiæ, octauum, & decimum quintum cadat: sed in tertium, decimum, & decimum septimum: iuxta rectam supputationē ab ingressu Iosue, in Chananitidē. Ex dictis porro intelligitur, bellum Assyriorū ad sequentem quoq. annum, & initia tertij pertinere, cùm post Assyriorum discessum per tēpus adhuc licebit seminare, quę

c l. 5. de emend. c. de initio Ezech.

dicuntur trimestria, & metere suo p[illegible] tempore.

LXI. *Ierusalem, nec captum, nec obsessum iri ab Assyrio. Affirmatur diuinitus ab Esaia.*

SED rursum clarè de rege Assyriorum ad Ezech[illegible] fiduciam vaticinans ait.[a] *Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi sagittam, [illegible] occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. In via qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus, & protegam ciuitatem istam, vt saluem eam propter me*, qui in ea vna color sacrificijs: *propter me*, quem Sennacherib infirmitatis impudēter calumniatur, ne aduersum me præualuisse glorietur: *propter me*, qui in hac gēte & in hac regione, & manentibus adhuc cæremonijs Mosaicis, Messiam meum missurus sum; *& propter Dauid seruum meum*, cuius familiam conseruari volo, nec auferri sceptrum de domo eius, donec veniat qui venturus est, & sessurus super thronum eius in sempiternum. Omnia verò Prophetæ verba clara sunt, pro euertenda ista de Hierosolymorum obsidione sententia. Quomodo enim obsedit ciuitatem, in quam sagittam non misit? At, inquies, miserunt milites eius. Minimè gentium: nam de eo, & exercitu eius agit, vnde dicitur non mittet in circuitu eius aggerem, quod vtique non [illegible] per se, sed per milites suos erat facturus, si vrbem obsedisset.

a 4. Reg. 19. 32. & Esaiæ 37. 34.

LXII. *Qui abit in Ægyptum ex Esaia*

Hæc dum Hierosolymis aguntur, Sennacherib in Ægyptum contendit, cuius profectio ab Esaia describitur.[b] *Nolite timere populus habitator Sion ab Assur, in virga percutiet te.* Cùm scilicet aliquas Iudææ vrbes capiet, in aduentu in Iudæam suo; alias autem sociarum ciuitatum clade perterrefaciet, vnde subdit; *& baculum suum leuabit super te*: minas scilicet in reditum suum intentando, *in via Aegypti*; id est proficiscendo in Ægyptum: quomodo eum locū D. Hieron. & plerique interpretes exponunt. Mox[c] autem enumerat ciuitates, quas in via Ægypti, id est in reditu ab Ægypto, adierit, aut ceperit. *Veniet in Aiath, transibit in Magron: apud Magmas commendabit vasa sua: transierunt cursim, Gaba sedes nostra, obstupuit Rama: Gabaath Saulis fugit*, &c.

b cap. 10. 24.

c v. 28.

LXIII. *An & reditum describat ex Hieronymo.*

DESCRIBIT *sermo Propheticus*, ait Hieronymus, *Assyrij iter, pompamque redeuntis de Aegypto Ierusalem, & quanto strepitu, quantoque cursu ad oppugnandam eam veniet: Et primo*, inquit, *veniet in Aiath, vbi præ festinatione nimia, nolens manere, transibit in Magron, tantamq; capiendæ vrbis habebit fiduciam, vt apud Machmas commendet sarcinas suas, quasi cito subuersa vrbe rediturus, quibus depositis, transibit eam cursim, & in Gaba habebit diuersorium; quo paululum ibidem subsistente, vt lassum refoueat exercitum, Rama vrbs vicina terrebitur. Gabaa quondam Saulis ciuitas fugiet: tunc & filia Gallim ita eiulabit, vt equorum arbitreris hinnitum. Vnde ô Laisa, & paupercula, vel obediens, siue humilis Anathoth, (tribus enim modis interpretari potest) diligenter attendite, & declinate currentis impetum, si potestis. Migrauit enim iam de sedibus suis vrbs Medemena. Vos autem, qui habitatis in colli[illegible] quod interpretatur Gebim, tuti locorum altitudine, confirmami[illegible] est arma corripite. Adhuc tantum supererat dici, vt stans in oppidulo Nob, & procul vrbem conspiciens Ierusalē, agitaret manum suam, atque concuteret super montem Sion, vel despiciens, atque contemnens, atq; admirans, quod toto sibi Oriente subiecto, tam parua ciuitas potentiæ suæ audeat repugnare. Hæc iuxta Hebræos, vt nobis ab eis traditum est, breui sermone perstrinximus.* Hactenus Hieronymus. Eademque est expositio paraphrastæ; quam dispositio vrbium, magis magisq; Hierosolymam appropinquantium, valde suadet. 3.

3. x.

LXIV. *Sententia probabilior ex Septuag. &c.*

NON malè tamen de profectione in Ægyptum accipi potest hic locus, & sine dubio accipitur a Septuaginta; quod ostendunt illa verba; *& ira eius in via quæ per mare, in viam quæ ad Aegyptum.* Eodemque modo accipienda est via Ægypti in vulgata: nam via denominatur à termino, ad quem ea ducit. Quis enim putet viam Ierusalem dici, nisi qua itur Hierosolymam? sic viam cœli, & perditionis, quæ ducit ad cœlum vel ad inferos. Non nego tamen ea verba (*in via Aegypti*) explicari posse, quasi Dominus dicat se percussurum Assyrios, quemadmodum percussit Madianitas in petra Oreb, & Ægyptios in mari rubro: vt via pro modo accipiatur. Sic & paulò ante dictū est, Assyrios eo modo afflicturos Iudam, quo modo quondam Ægyptij Israëlitas afflixerant, quæ est Sanctij, & Vatabli interpretatio: quam tamen D. Hieron. non agnouit. Cæterum earum vrbium declarationem ex Adrichomij theatro & ex Hieronimi locis Hebraicis, petere licet, ne in his diutius immoremur. Id tantum addam de hac via, & harum vrbiū situ, nō admodum consentaneo topographijs Adrichomij, potuisse latè spargi copias

Assyriorum per vrbes, satis à se inuicem distantes, in Ægyptiaca profectione, siue commodioris gratia commeatus, vt fieri solet in magno exercitu, siuè ad occupandas aliquas vrbes, quæ improuidè hostem iam admodum remotum credentes, negligenter custodiebantur.

LXV. *Ægritudo Ezechiæ* INTEREA verò dum in Ægyptum rex Assyriorum magnis itineribus proficiscitur, Iudæa non modica ex parte onere inuiso leuata, nonnihil respirare cœpit: cum ei quamprimum, cum rege suo grauiter ægrotante, gemendum fuit. Nam hoc ipso anno ægritudinem Ezechiæ contigisse necessario dicendum est, ne quindecim annos vitæ, ei diuinitus per Esaiam concessos, malignè interpretemur: cum contra deceat dona, & priuilegia principum quàm amplissime interpretari. *Contigit hoc anno* Cùm ergo non conueniat eos existimare incompletos, & decurtatos, & quindecim tantùm anni vitæ eius reliqui sint, in finem decimi quarti eã infirmitatem, & quæ ei coniuncta sunt cum Abulensi,[a] Torniello, Gordono, Sanctio, Emanuele Sà, Vatablo, Chronico Hebr. referemus. Nec potest priùs, aut posteriùs ægritudo ista constitui, quin numerus annorum regni eius, qui à Scriptura illi tribuitur, perturbetur. [a q. 2. in c. 20. 4 Reg.]

LXVI. *Aliqui tẽpus non distinguunt.* D. certè Hieronymus non solùm ægritudinem hanc in decimum quartum Ezechiæ annum, capite 39. Esaiæ conijcit, sed etiam mortem Assyriorũ, & munera Balandan; eodémque modo plerique accuratius non distinguentes, omnia hæc per idem tempus contigisse tradunt, in quibus Seuerus Sulpitius: quæ tamen differenda esse, nec omnem hanc historiam vno anno coarctandã ex memoratis ab Esaia tribus annis, facilè cõstat. & ex iis, quæ infra suo loco dicẽtur.

*Aut malè distinguunt.* Sed quid faciamus iis, qui ægritudinem Ezechiæ post deletum Assyriorum exercitum contigisse putant? & sibi habent fauentem seriem narrationis sacri historici, & Prophetæ Isaiæ. Vterque enim mortem exercitus, atque adeo regis in terra sua, narrant antequàm morbi Ezechiæ meminerint. Sic Iosephus.[b] *Ezechias,* inquit, *præter omnem opinionem liberatus periculo, vota pro incolumitate Deo persoluit:* & mox, *dumque totus circa Dei cultum occupatur, paulo post in grauem morbum incidit, ita vt à medicis pro deplorato haberetur.* [b l. 10 c. 3.]

LXVII. *Causa ægritudinis malè assignata.* EVM aliqui tam malè secuti sunt, vt dicerent Ezechiam ab hoste liberatũ, Deo gratificas hostias non persoluisse. Diuus Antoninus ait Ezechiam propter ingratitudinem morbo punitum, secundum Iosephum: qui tamen omnino contrarium dicit. Author mirabilium sacræ Scripturæ, narrata clade Assyriorum, & morte Sennacherib. *Paruo,* inquit, *interiecto tempore, Ezechias rex Iuda, ne de tanta victoria esset eleuatus, & forsitan etiam gratiarum actione exiguus in grauissimi langoris morbum incidit.* Eandem ægritudinis causam sine vlla dubitatione Rabanus assignauit. *Eo quidem tempore,* inquit, *mori merebatur, qui datus Domino gratias, pro insperata victoria non reddidit, quia suæ iustitiæ, & meritis deputauit.* Idem tradunt Hebræi apud D. Hier. in c. 39. Esaiæ. *Tradunt,* inquit, *Hebræi ideo ægrotasse Ezechiam, quoniam post inauditam victoriam Iudæorum, & Assyrij regis interitum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso, & Debora interfecto Sisara, & Anna genito Samuele.* Accedit Procopius in Esaiam. *Qui dixit Deus, Ego occidam, & viuere faciẽ; percutiam, & sanabo, postquam hostes per angelum plaga percussit pium regem pristinæ valetudini restituit.* D. quoque Hieronymus in eadem est sententia. Initio enim ca. 38. in Isaiam; *quem diligit Dominus,* inquit, *corripit, & castigat omnem filiũ, quẽ recipit. Ne eleuaretur cor Ezechiæ post incredibiles triumphos, & de media captiuitate victoriam infirmitate corporis sui visitatur, & audit se esse moriturum,* &c. Idem sentit Leo Castrius, Dionys. Serrar. vt omittam Sectarios. [Histor. Schol. Philip. Berg. Antoninus] [l. 2. c. 28.] [C Iuif. Capell.]

*Ob tempus malè distributum*

LXVIII. *Improbatur ratio temporis contraria* NIHILOMINVS hanc Ezechiæ ægritudinem ante Sennacheribi stragẽ contigisse, perspicuum facit ipsa Scriptura, cum cap. 38. Esaiæ reuocatur mortis sententia. *Ecce ego,* inquit, *adijciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam,* &c. Idemque habetur totidem verbis 4. Reg.[c] Non ergo adhuc erutus erat rex, neq; ciuitas de manu Assyriorum, vt supponit prædictorum doctorum sententia. Accedit Chron. Hebr. cap. 33. vt Hebræis opponamus Hebræos. *Porro,* inquit, *ante stragem hanc Sennacheribi, ægrotauit Ezechias tribus diebus,* &c. Idem sentit Torniellus,[d] & alij, quos supra retulimus. Nec probabilis est Dionysij expositio, dũ [c 20. 6.] [d an 300. §. 21. n. 6.]

explicat eruere, & liberare ab Assyriis, esse prospicere in futurum, ne eum affligant Assyrij: sicut enim ibidem sanare non est prospicere in futurum, ne rex in morbum incidat, sed præsentem eius morbum tollere, sic liberare, est liberũ reddere à calamitate præsẽti; & eruere est è malo, in quo iaceas, eripere, & expedire.

HVIVS ægritudinis causam plerique eorum, qui eam securam volunt cladem Assyriorum, dixerunt culpæ Ezechiæ tribuendam: quod tamen neq; Iosephus, quem illi sequuntur, neque D. Hieronymus, neque Procopius, neque Sulpitius senserunt; neque Scriptura vllo modo suspicandum dedit. Et merito Dionysius ingrati erga Deum crimen, imo & grauissimæ superbiæ, de viro sancto ne suspicandum quidem putat. Et sanè dolẽdum est viros sanctos interdum accusari leuibus coniecturis, imo falsis, & nulla Scripturæ authoritate nixis. Nam de Ezechia ita scribit D. Hieronymus lib. 2. aduersus Pelagianos. *Certè Ezechiam iustum fuisse nemo nisi impius denegabit.* Quomodo autem non falsa est coniectura ingrati animi de accepto beneficio, cùm nondum esset acceptum? Quomodo suis meritis attribuisse factum dicitur, quod nondum factum erat? Induxerint autem illos in fraudem illa Scripturæ verba. [a] *Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum est cor eius.* Hæc enim verba non ad dictam victoriam, sed ad curationem morbi pertinent, vt ex textu ipso patet. | LXIX. *Et causa ægritudinis, quæ regem male accusat.*

a 2. Paral. 32. 25.

ALIAM causam refert Lyranus ex Rab. Salom. quod scilicet Ezechias vxorem accipere nollet ad propagandam Dauidis posteritatem: Quod ille quoque sine vlla probabilitate diuinauit. Nam, vt recte Dionysius quoque animaduertit, cùm postea vehementer fleuerit, quod sibi sine liberis moriendum esset, vt mox ex Iosepho, Hieronymo, aliisque dicemus, quomodo qui prolem vsq; adeo optauit, vxorem ducere noluit? Aut quomodo credibile est in gente salaci, & in qua sterilitas probro esset, & in qua etiam pij principes, vt Dauid ipse, plures habuerunt vxores, & in qua ei, qui mortuus erat sine liberis, frater tenebatur suscitare de vidua semen, Ezechiam ad quadragesimum vitæ annum cœlibem duxisse vitam. Neque id satis probatur ex eo, quod Manasses successor Ezechiæ nondum natus erat: aliqui enim tardius liberos suscipiunt, licet maturè coniugati. [b] | LXX. *Alia causa Hebræorum inepta.*

b Vid. Abul. q. 3 in c. 20. 4. Reg.

ILLA ergo causa multo probabilior est, contractam ægritudinem ex horum temporum statu infelici, quo regnũ vniuersum populatus erat Assyrius, & propediem ad portas ipsius regiæ ciuitatis affuturus timebatur, necdum edito Esaiæ de liberatione vaticinio. Quin & virum sanctum animo, & corpore malè affecerint blasphemiæ Assyriorum, quas vlcisci digna pœna non posset. Illa quoque huius morbi causa verissima dici potest, quæ Dei gloriam respicit, ad quam hæc ægritudo, sicut & mors Lazari, & cæci nati cæcitas, ordinata erat: quod ex euentis manifestum fuit. Ita censuit Lyranus, nec eum satis improbat Abulensis. [c] | LXXI. *Verior morbi causa.*

c q. cit.

CVIVSMODI autem fuerit hæc ægritudo non valde in Scriptura exprimitur, nisi quod vlceris cuiusdam meminit Isaias; [d] cùm iubet imponi massam ficorũ regis vlceri, quod alibi vocatur vulnus. [e] Vbi Arias montanus vertit inflammationem; vtrobique tamen in Hebræo eadem vox est (שחין) quæ interprete Pagnino significat vlcus proueniens ex caliditate, quod in Deuter. [f] vocatur vlcus Ægypti, & [g] vlcus pessimũ. A Domino, inquit Glycas, ad frugem reuocatur, pede sic afflicto, vt iam putresceret: quod ille nullo teste probat. Chald. par. in Esa. vocat scabiem: sed num scabies mortifera est? Intelligenda potius tubercula illa pestifera, quæ vulgò *carbones* vocamus. Aliter tamen sentire videtur Vatablus in 4. Reg. 20, Scribunt, ait, ficus aridas siue caricas, habere vim excalefaciendi: vnde dura tubercula excoquunt, & statim digerunt. Quod si contraria contrariis curantur, dura illa tubercula frigida erunt. | LXXII. *Quis fuerit hic morbus.*

d 4. Reg. 20. 7.
e Isa. 38. 21.
f 28. 27.
g v. 35.

VERVM cùm communis sensus sit hanc curationem fuisse mirabilem, satius est dicere calido vlceri calidum adhibitum fuisse cataplasma, vt tanto esset diuina sapientia in ea curatione illustrior, quæ tanta celeritate, tamque contrario medicamento curaret. Procopius in Esaiam. [h] *Deinde cùm miraculum edere statuisset Deus, ficum illi, quæ vulnerum alioqui dolorem augere maxime solet in remedium tradidit.* Et D. Hier. ib. *Ergo vt Dei potẽtia monstraretur, per res noxias, & aduersas sanitas restituta est.* Et Vat. *duplex*, inquit, *miraculũ, alterũ sanitas, alterũ quod sanarit re parũ apta ad sanandũ* | LXXIII. *Curatio eius mirabilis.*

h c. 38.

*nam ficus nocent vlceribus, tantum abest vt sanent.* Verùm Dominus, vt alibi quoque notauimus, sicut amaras aquas sale iniecto reddidit dulces, atque potabiles, & oculos cæci luto illitos aperuit, quibus excæcandis lutum potius profuisset: ita & ficubus sanare morbum voluit, quem potius vi naturali exaggerare debuisset.

LXXIV. *Aut potius mixta ex naturali, & supernaturali.*

Basilius tamen in reg. fusius disputatis, interrog. 55. in contraria videtur sententia. Dicit enim nō negligendam medicinam, nec eius vtilitatem fugiendam, sanitatem tamen eius interuentu acceptam, non tam medicinæ, quàm Deo tribuendam, sicut fecit Ezechias, qui massam ficorum illam neutiquam præcipuam suæ sanitatis causam fuisse arbitratus est, neq; salutem corporis sui, quam recuperarat illi acceptam tulit, sed ad Dei gloriam, etiam quod ficus creasset, gratiarum actionem adiecit. Hæc D. Basilius: à quo non multum abest D. Hieronymus, aliam expositionem Ezechiæ morbi referens. *Aly*, inquit, *שחין Sechin non vlcus, sed apostema suspicantur, quando tumens corpus cocto, & putrescente pure completur, & iuxta artem medicorum, omnis sanies siccioribus ficis, atque contusis, in cutis superficiem prouocatur: ac per hoc non spernendam medicinam, quæ vsu constet, & experimento, quia & hanc fecerit Deus.* Sic ipse.

LXXV. *Ex Francisco Vallesio.*

Addo porro vtrique bene consentientem Franciscum Vallesium capite 39. de sacra philosophia. *Si igitur*, inquit, *dicto modo Ezechias periclitabatur, nulla ratione melius illi subueniri poterat, quàm admoto cataplasmate ex carne caricarum, cum farina hordei, si resolutionem admittebat inflammatio; sin minus cum farina tritici, vt facta suppuratione mitescerent febres, & reliqua accidentia. Sed si hoc ita est, quid habuit hac curatio miraculi? Habuit certe aliquid. Nam etsi est indicatum, ficus vim medicamentosam habere ad illius morbi curationem accommodatam; tantam verò non habent, vt qui ægrotabat vsque ad mortem, die tertia posset sanus in templum ascendere, vt Ezechiæ euenit, nisi Deus peculiari auxilio, & solito maiori eius medicaminis vim auxisset.* Hactenus Vallesius.

LXXVI. *Fuisse morbum lethiferum.*

Qualecumque porro fuerit vlcus, hoc certum est, propter id regem lecto affixum iacuisse, & morbum lethiferum inuexisse, cùm Scriptura dicat Ezechiam ægrotasse vsque ad mortem; idemque audiuerit ab Isaia, vt disponeret domui suæ, id est ordinaret quæ post mortem fieri vellet, tanquam valetudine conclamata. *Morieris enim tu*, inquit, *& non viues.* Sciturus quidem erat à medicis mortiferum esse langorem, neque esse satis in medicina virium, ad eum depellendum. Voluit tamen Dominus id eum certo scire à propheta, ne cùm conualuisset Dei beneficium non agnosceret, sed medicos deceptos putaret. Quæ fuit etiam causa, vt mox ei sanitas prænunciaretur ab Esaia; sicque res tota in Dei gloriam cederet.

LXXVII. *Ezechiæ ad Deum oratio. Ad parietē.*

Qui *conuertit faciem suam ad parietem*, quia ad templum ire non poterat, ait Hieronymus; ad parietem autem templi, vt ait etiam Chald. Paraph. iuxta quod Salomon palatium extruxerat, vel absolute ad parietem, ne lachrymas suas assidentibus ostentare videretur; néve aliorum conspectus impediret, ne Deo motus cordis sui, corporisque patefaceret. *Et orauit Dominum dicens; obsecro Domine memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim. Perfectionem cordis in eo nunc dicit*, ait idem Hieronymus, *quod idola destruxerit, templi valuas aperuerit, serpentem æneum comminuerit, & cætera fecerit, quæ Scriptura commemorat.* Et paulo ante; *non precatur vitam, & annos plurimos, audiens se esse moriturum, sed in Dei iudicio, quid velit præstare, dimittit. Nouerat enim idcirco Deo placuisse Salomonem, quod annos vitæ non petierit ampliores.*

LXXVIII. *Eiusdem gemitus, ac fletus, & illius causa.*

Flevit *itaque Ezechias fletu magno, propter promissionem Domini ad Dauid*, ait Hieronymus, *quam videbat in sua morte perituram: eo enim tempore Ezechias filios non habebat. Nam post mortem eius Manasses, cùm duodecim esset annorum, regnare cœpit in Iudæa: ex quo perspicuum est post tertium annum concessæ vitæ Manassem esse generatum. Ergo iste omnis est fletus, quod desperabat Christum de suo semine nasciturum.* Idem Hieronymus libro primo contra Iouinianum fatetur: vbi in Hebræo habetur, *pater filiis notam faciet veritatem tuam*, in Septuaginta legi, *à modo faciam filios*, vel, *ab hodierno die filios faciam, qui annunciabunt iustitiam tuam.* Id videtur D. Hieronymus ex Iosepho mutuatus, [a] nisi fortè ambo nec opinantes in eadem vestigia incurrere. Ait autem. *Nec tam vitæ periculum angebat regem, quàm quod sine liberis decedente, generis successio in eo deficere videbatur, & regnum sine legitimo hærede futurum. Hoc igitur mœrore*

[a] l. 10. c. 4.

4. x. *potißimum confectus, supplex cum lachrymis Deum rogauit, vt tantisper differet ... terminus, donec pareret sobolem; néve nondum factus pater, eximeretur numero viuentium.* 4.

At, inquies, valde mirum est in eius oratione, vel cantico nullam fieri de filio mentionem; & ne minimo quidem verbo id peti, quod summis votis desideres. Verùm Leo Castrius Ezechiæ canticum in eam sententiam luculenter explicat, & ex effectis id eum petiisse colligit. [a] *Vide*, inquit, *quid Dominus concesserit; dedit tempus ad procreandam, & educandam sobolem: id igitur Ezechias petiit.* D. tamen Hieronymus, quem supra retulimus, aperte significat nil Ezechiam à Deo petiisse, sed omnia cordis sui desideria, exemplo Salomonis, ipsius arbitrio commisisse. Verùm sicut Salomon solam sapientiam petiit, & obtinuit; sic potuit Ezechias filium Dei veram sapientiam, quam de suo semine nascituram sciebat, quamque eo tempore Esaias totis concionibus prædicabat, à Deo petere, reliqua eius arbitrio permittere. LXXIX. *Cur non fiat in eius oratione mētio filij.*

a in fin. c. 38.

Vix orationem suam rex coram Domino ex imo corde profuderat, & propheta, nondum diuinæ determinationis conscius, post tam acerbum nuncium discedebat; cùm *antequam ingrederetur mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum, dicens. Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei.* D. Hieronymus in 2. contra Pelagium legit *duci meo*, & addit, *dux Dei appellatur, cui mors fuerat nunciata, quia humilitate prostratus est.* In Hebræo tamen, Græco, & Chaldæo, & Latinis omnibus nunc legitur *duci populi mei.* Nec alia est sententia licet legatur, *duci meo*, nisi illud, *meo*, placet interpretari mihi dilecto, & amico. *Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, & ecce sanaui te, die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam, propter me, & propter Dauid seruum meum. Non additur propter te*, ait D. Hieronymus 2. contra Pelagium, *quia dedit regi Assyriorum, quæ consecrata fuerant Domino, etiam necessitate cogente.* LXXX. *Prædicitur regi sanitas.*

Minime dubium videtur, quin pius Ezechias ex tam insperato nuntio extra se factus sit, præ magnitudine gaudij, quod magnitudini proximæ tristitiæ respondebat, cùm sibi diuinitus promitti intelligeret pro morbo tristissimo, repentinam sanitatem, pro lugubri funere, quindecim beatæ vitæ annos. Talis enim futura erat vita diuino beneficio illi concessa, plena roboris, atque incolumitatis. Quidni omnibus incederet lætitiis, cum sine vlla dubitatione crederet, pro interitu Dauidicæ familiæ, interitum hostilis exercitus, & principis eius sibi infensissimi; denique pro ruina Hierosolymorum, ruinam imperij Assyriorum. Erat porro certus se quindecim annis omnino victurum, non quod interea fieret immortalis, aut impassibilis; sed quod Deus omnia impedimenta amoliturus esset, quibus aut incolumitas, aut vita interea tolli posset. [b] LXXXI. *Prædicitur regi sanitas.* *An vita tum morti obnoxia.*

b Vide Abul. q. 14. in c. 20. 4. Reg.

Mvlta hoc loco disputant interpretes, circa hanc sanitatem restitutam morbo depulso, & additos quindecim annos vitæ. Quomodo scilicet vera fuerit prior prophetia, cùm reuera rex non esset moriturus, vt docuit euentus, aut si reuera erat moriturus, quomodo mutarit ille sententiam, qui verè dicit, *ego Deus, & non mutor.* Dico breuiter etiam priorem sententiam fuisse veram, & regem, iuxta exigentiam causarum secundarum, & vim morbi, debuisse vita fungi, & nisi tempori adhibitæ fuissent preces, omnino eo morbo fuisse periturum. Cuius tamen vim potuit Deus infringere, & naturam, ad quot voluit annos, valentem reddere, oratione regis excitatus, sicut & fecit. Nec mutauit Deus sententiam: statuerat enim ab initio dare Ezechiæ vitæ annos quatuor, & quinquaginta: sed eorum quindecim vltimos in præmium orationis, & lachrymarum eius; quas nisi prouidisset adhibendas, simulque statuisset exaudiendas, trigesimo nono ætatis anno eum moriturum statuisset. LXXXII. *Quomodo vera fuerit prior prophetia.*

Qvod autem dicitur die tertio ascensurus in templum, dubium est vnde numerandi sint isti dies. Nam quidam ab initio morbi numerandos putant. Chronicum enim Hebræorum diserte asserit Ezechiam ægrotasse tribus diebus; cui consentit Vatablus, licet dicat ægrotasse duos dies duntaxat, alterum naturalem, alterum artificialem; & secundo die ad eum prophetam venisse cum tristi nuntio. Existimo non posse certo colligi ex Scriptura, quandiu morbus iste durauerit. Nam potuit enasci in corpore vno die tuber ardens, & postridie reddi LXXXIII. *Qui dicatur die tertio assensurus in templum.*

sanitas deplorata. Potuit etiam à pluribus diebus decumbere. Tres tamen dies rectius videntur computandi ab eo tempore, quo ista ab Isaia dicebantur; vt placet Tostato.[a]

[a] q. 15 in c. 20. 4. Reg.

LXXXIV. *Cur non momento sanatus.*

PRIMVS ergo dies est annunciatæ mortis, & sanitatis, & adhibiti cataplasmatis, & facti miraculi in horologio, alter sanitatis integræ recuperatæ, tertius autem gratiarum actionis in templo. Neque enim videtur statim à promissione adeptus sanitatem, frustra alioqui adhiberentur sanato vlceri ficus, frustra differretur in tertium diem ascensus in templum Domini, frustra peteret rex signum recuperatæ iam sanitatis. Cùm ergo cataplasma, quod momento temporis agere non potest, sit adhibitum vlceri, reuera in instanti curasse credibile non est, quia perinde fuisset, ac si non adhibitum fuisset cataplasma, quod appositum tamen fuit, vt naturali vi sua ageret, iuxta ea, quæ supra ex D. Hieronymo diximus. Denique & signum petitum, ac datum est, quod plusquam vnum diem tenuit. Non fuit ergo momento sanatus, siue quia ea perfectio reseruabatur miraculis noui testamenti, seu potius quia ita Domino visum est, qui in vtroque testamento aliqua miracula momento fecit, aliqua autem cum successione temporis, qualis fuit illuminatio cæci apud Marcum.[b]

[b] Marc. 8. 24. 25.

LXXXV. *An peccarit petendo signum.*

NON leuis est etiam dubitatio de petitione signi à rege facta. *Quod erit signum*, inquit, *quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini?* An scilicet in ea petitione peccarit. Aientem partem sequitur D. Hieronymus libro 2. contra Pelag. *Additur*, inquit, *ei tempus vitæ, & de Assyriorum manibus liberatur; & tamen signum postulat, vt credat verum esse quod Deus repromiserat, quod tamen paruæ fidelitatis indicium est.* Sic ipse. Et certè si peccatum est, non dubium est graue fuisse peccatum, de diuina veritate, aut potentia dubitare. Lyranus, & Abulensis cum Dionysio aiunt non videri peccasse, quia non ex incredulitate signum petierit, sed potius ad gloriam Dei, vt ea gemino signo illustraretur. Cùm enim sciret Ezechias in hoc genere peccasse Achaz, specie non tentandi Deum, voluit ipse mederi huic culpæ, & gloriam Dei impetrando signum amplificare.

*Non videri.*

LXXXVI. *Verior causa petendi.*

AVTHOR mirabilium sacræ Scripturæ[c] rem belle videtur explicare. *Dum Esaias*, inquit, *duas prophetias, sibimet inuicem contrarias eadem hora protulisset, necesse erat, vt alteram, quæ facienda esset, signi ostentatione firmaret.* Et Iosephus. *Hæc cum propheta, ita vt iussus erat, ad regem proferret, ob magnitudinem morbi, & inopinatum nuncium, dubitans, prodigiosum aliquod signum ab Esaia postulat, vt certo posset credere missum illum ad se à Deo nuncium.* Hæc ipse.[d] Ex quibus intelligi potest Ezechiam noluisse tentare Deum, experimentum capiendo de ipsius veritate, vel potentia, quam satis superque exploratam habebat; sed prophetam potius tentare voluisse, qui tam breui tempore contraria prædixisset; an scilicet vtraque denunciatio à Deo fuisset. Iustam autem dubitationis causam habebat, cùm in lege datum esset signum falsi prophetę,[e] si quod prædictum fuerat, non eueniret. *Hoc habebis signũ*, inquit Moyses; *quod in nomine Domini propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* Consentit Abulensis.[f]

[c] l. 2. c. 11
[d] l. 8. c. 23.
[e] Deut. 18. 22.
[f] q. 20. in c. 20. 4. Reg.

*Dubitatio non iniusta de propheta.*

LXXXVII *Miraculũ an factum in horologio Achaz tantum.*

ALTERVM de hoc signo dubium est, quale id fuerit, priuatumne scilicet, & proprium palatij, & horologij regij; an verò publicum, & toti orbi commune; vel, quod eodem redit, an prodigium hoc in illis tantùm radiis solis contigerit, an in ipso corpore solis, ad orientem, vnde venerat, recurrentis. Et Scriptura videtur quidem significare in vmbra tantum huius horologij factum fuisse miraculum. *Hoc enim signum à Domino*, ait Isaias,[g] *quod facturus sit sermonem, quem locutus est; vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias, facile est vmbram crescere decem lineis, nec hoc volo vt fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. Inuocauit itaque Esaias propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* Nulla hic fit mentio solis, sicut nec in Hebræo, sed vmbræ tantùm, graduum, & linearum. Quæ per epitomen in 38. Esaiæ repetuntur. *Ecce ego*, inquit, *reuerti faciam vmbram linearum, per quas descenderat in horologio Achaz in sole*, id est solari horologio, decem lineis

[g] 4. Reg. 20. 9.

LXXXVIII *Et quorum sit ea sententia Burgens. Vatabl. &c.*

Hæc fuit sententia Pauli Burg. qui existimauit [illegible] hoc nō factum fuisse in corpore Solis, nec in ipsius cursu naturali, nec in omnibus [illegible] Sole in orbem latè procedentibus, sed tantùm in radijs solaribus, qui horologium Achaz tangebant. Eum sequitur Vatablus in caput 38. Esaiæ: vbi ait diē regressu vmbræ in solario Achaz, non fuisse alijs diebus prolixiorem; sed nihil impedito curriculo, rediisse vmbram paulatim, id est intra horam, aut sesquihorā à decima linea ad primam. Addit etiam hoc miraculum fuisse priuatum, nō publicum; id est in solo solario Achaz admissum, & non in alijs. Denique vmbrā, quæ sequi solet Solem, in hoc miraculo Solem reliquisse, visumque esse reuerti Solem. Solam tamen vmbram excitatam a Sole reuertisse. Quibus consentanea omninò sunt, quæ scribit 4. Reg.[a] & eos sequitur Funchius in sua Chronologia, & Osiander, & alij sectarij. Quam sententiam non improbat Sa in 38. Esaiæ; nec parum probabilem putat Sanctius in eundem locū, adeo vt eā omnino secutus esset, nisi omnium pene patrum, & interpretum autoritas ipsum ab ea cogitatione deterruisset. Sed eam pridem refutauerat cum Burgensi Thorĳgus, qui replicas ad glos. ordin. adiecit.

a c.20.11.

LXXXIX *Factum fuisse in ipso Sole*

DICENDVM videtur non solam vmbram in hoc miraculo, sed Solē ipsum quoque retrocessisse. Nam Esaias cap. 38. 8. *Et reuersus est Sol*, inquit, *decem lineis per gradus quos descenderat*. Vbi Septuaginta separatim de Sole, & vmbra loquētes, ne quis Solem vmbram Solis interpretaretur. *Ecce ego*, inquiunt, *verto vmbrā graduum, quos descendit Sol decem gradus domus patris tui*. Et iterum, *Auertam Solem decē gradibus, quos descendit vmbra*. Ita in Reg. & Sixti. Quin etiam in versione Vatabli legitur. *Reducam vmbram gradibus, quibus descendit in horologio Achaz, cum Sole retrorsum decem gradibus*. Si vmbra cum Sole retrocessit: non ergo vmbra sola. Ecclesiasticus etiam.[b] *In diebus ipsius*, scilicet Ezechiæ, *retro rediji Sol, & addidit regi vitā*. 2. etiam Paral.[c] dicuntur Babylone missi legati, vt interrogarent de portento, quod acciderat super terram. Non ergo occulte gestum in palatio.

b c.48.26.
c c.32.31

XC. *Probatur ex patribus Dionys. Areop.*

QVAE loca de Solis ipsius cursu, & retrocessione intellexit D. Dionysius Areopagita, cum ad Polycarpum scribens, ex mutatione cursus astrorum Apollophanis infidelitatem redarguit, qui cum non coleret, cuius nutu Sol, & Luna immota consistant, & quo imperante illius quidam dies continuatione ferè triplo longior effectus est, etiam viginti totis horis. Num vmbra horologij Achaz diem potuit facere longiorem. Moxq; subdit ea re Babylonios iure ac merito fuisse deterritos. Quomodò autem deterriti fuissent, si id priuatim, & non publicè contigisset? Addit denique, in eius rei confirmationem, Magos illarum regionum sacra perficere solitos memoriæ triplicis solis.

*Origene*

Accedit omnium sanctorum Patrum, qui huius rei meminerunt, in vero Solis regressu consensus mirabilis, vt ei repugnare temeritati attribuendum videatur. Nam præter D. Dionysium, id sentit Origenes Homilia 30. in Matth. *Sed & Sol super Ezechiam in gradibus demonstrauit maiorem, & clariorem ei affectam diē*. Quomodo maior, & clarior dies, si prodigium in solo palatio regis factum est? Imo si dies, vt ait Vatablus, alijs prolixior non fuit?

d Orat.19

XCI. *Gregorio Nazian. Elia Cret. Theodoret.*

GREGORIVS Nazianzenus ait[d] Deum Ezechiæ regis dierū augmentū, per diei augmentum confirmasse: quæ fusius explicans Elias, Diui Dionysij sententiam refert, & amplectitur, & addit illud miraculum vniuersum terrarū orbem peruasisse, cunctosque conspexisse Solem retroiuisse. Theodoretus in Psal. 20. quem de Ezechia interpretatur. *Non solum*, inquit, *ei vitā dedisti, verum illustrem illum reddidisti, & clarum, tum admirabili hostium interitu, tum etiā quod Sol præpostero ordine concurrerit. Adeo autem hoc terra, marique notum factum est, vt Babyloniorum rex ijs dona miserit, qui olim Assyrijs dona largiebantur. Propter Ezechiam enim hoc Solem effecisse, vel passum esse suspicabantur.* Quod etiam D. Hieronymus in traditionibus 2. Paral. 32. agnoscit. Procopius in 38. Esaiæ. *In 4. Regum*, ait, *scriptum est, quod cum olim à propheta diduxisset Solem clariore via decem gradus esse progressurū, aptius, promissæ sanitatis signum, nempe vt regrederetur, postulasse.*

*Hieron. Procop.*

e l.21. de ciuit. c. 8.

XCII. *Augustino.*

DIVVS Augustinus.[e] *Nos autem in diuinis libris legimus etiam Solem ipsū & stetisse, cum hoc à Domino Deo petiuisset vir sanctus Iesus Naue, donec cœptum prælium victoria terminaret: & retrorsum rediisse, vt regi Ezechiæ quindecim anni ad viuēdum additi,*

309 X X I. *hoc etiam prodigio [illegible] Dei significaretur adiutorio.* Author mirabilium sacræ [illegible].[a] *Vt non quod dicebatur indubitanter crederet. Solis in ortum ab occasu iter per decem cursum recidiuo Deus tramite retorquet, quatenus inde veluti mane iterum festinare inciperet, qui diei totius, exceptis duabus, spatium consummasset. Per quas duas horas, vt multi æstimant, celeri cursu de occasu in ortum reuertitur, vt dies integra rursum sine interueniente nocte, in ortu innouaretur: vt scilicet dies duas etiam in hac vite in hac luce concluderet.* Sic ibi. — *Authorē mirabiliū Scripr.* — a l. 2. c. 28.

XCIII. *Rursum ex Hieron.* DIVVS Hieronymus in cap. 7. Esaiæ. *Ego reor,* inquit, *& Ezechiam, quādo Sol decem regressus est lineis, signum accepisse de coelo, & Iesum filium Naue in Gabaon & Aialon, stantibus Sole, & Luna.* Æquiparat hæc miracula Hieronymus, vt vtrobiq; de Solis ipsius corpore agi dicendū sit, aut vtrobiq; negandū. Et in cap. 38. *Quod signum,* inquit, *typus fuit, vt quomodo Sol reuerteretur ad exordium sui, ita & Ezechiæ vita ad decextos annos rediret.* Quod ipsum habet Michaël Glycas,[b] qui refert sententiam Hippolyti, & Eusthathij Antiocheni in hæc verba. *At diem quidē illum tradit Hippolytus triginta duas horas habuisse. Sol enim gradus decem permensus, deinceps per eosdem recurrebat: quo facto suum ad cursum ordinarium reuersus, duodecim reliquis gradibus peragratis, ad occasum peruenit. Hæc est Hippolyti sententia. Verum Eusthathius ille patriarcha vult diem illum non habuisse plures, quàm viginti duas horas. Videtur enim ita sensisse, quasi Solis retrofacta regressio, non horis decem, sed momento acciderit.* Idem sentit Beda, Lyranus, Dionysius, Hugo, Genebrandus, Baradius, Sasbout, Sanctius, Serarius, Maiolus, in diebus canicul. Abulensis multis quæstionibus, in cap. 21. 4. Reg. Clauius l. de horol. cap. 21. Leo Castr. & Thoringus, qui Burgēsem fusè refutat. — *Hippolyto Eusthathio Glyca.* — *Beda & c.* — b par. 2. annal. p. 271.

XCIV. *Quantus fuerit is dies.* CÆTERVM ex D. Dionysij sententia, quam ante retulimus, & explicat Baradius, & Hippolyti, quam nunc recitauimus,[c] singulæ lineæ singulas horas designabant, vt fieri solet in Solaribus horologijs: cumq; dies Hæbreis in duodecim horas distributus esset, cum hoc miraculum cœptum est fieri iā Sol decem lineas percurrerat, totidemq; horas confecerat: sed his Deo iubente pari motu regressus versus ortum, decem horas expleuit, & rediens ad punctum, vnde regredi cœperat, alias rursum 10. horas confecit, id est omnino triginta horas, quibus si duæ, quæ residuæ erant, adiungantur, fient 32. qui sunt fere tres dies artificiosi. — c tom. 1. l. 5. c. 14.

*Dies Iosue an longior* OBIICITVR primò, Scripturam[d] dicere non fuisse ante illum diē, quo iussu Iosue Sol stetit, diem maiorem, neque postea. Barad. respondet non fuisse postea maiorem diem, neque tam longam vsque ad tempus, quo scriptus est liber Iosue, qui a Samuele scriptus putatur. Dies verò Ezechiæ fuit lōgior, sed post illud tempus. Verum cum Scriptura simpliciter affirmet non fuisse āte a, neque postea maiorem diem, fatendum videtur diem Iosue fuisse maiorem, nimirum 36. horarum, cum hic fuerit 32. duntaxat,[e] vt anno primo Iosue diximus.[f] — d Ios. 10. 14. — e Vide to. 2. an. mun. 2584 n. 174.

XCV. *An lineæ horas notarent integras, an dimidias* OBIICITVR secundò, si singulæ lineæ singulas horas notabant, ergo quēadmodum potuit regredi decem lineis Sol, vt re vera regressus est, potuit etiā progredi alijs decem lineis, sicut Esaias in optione obtulit regi: ergo Sol viginti horas conficere potuit super horizontem: cum tamen constet longissimos dies Hierosolymis non posse superare 14. horas. Propter hanc difficultatē, Abulensis tribuit singulis lineis dimidiam horam; sicq; diminuit hunc diem decem horis. *Vnde,* inquit, *dies iste esset maior solito decem horis, & tunc fieri poterat, vt Esaias loqueretur Ezechię circa meridiem, & cum Sol tunc esset in medio cœli, poterat retrocedere spatio quinque horarum Orientem versus, vel procedere subito ad Occidentem, nempe percursis quinque horis, sicque Sole non subeunte Orizontem, apparerent regi vmbræ retrocedere, vel procedere, prout rex expetijsset. Et iste modus,* ait, *tenendus est, quamquam alius modus sit communior, & sit ipsius Dionysii ad Polycarpum.* Verum huic periculo occurrit Barad. qui ait Esaiam non obtulisse optionem Ezechiæ, vt illa eadem die Solis vmbram progredi, aut regredi faceret, cum vtrumque defectu linearum confici non posset, sed tantum vt fieret regressio. Progressionē autem pollicebatur in sequentem diem; qua puncto temporis à prima linea ad decimam styli vmbra peruolasset. — f Vide tamen Tost. q. 27. in c. 20. 4. Reg. — g q. 24. in ca. 20. 4. Reg. — *Ex Tostato*

IN ista nihilominus Tostati sententia, quam deinceps pleriq; probarũt, in primisq; Sanctius in Esaiam, dicere possemus fuisse omnes, qui dicũt eum[a] diem duplicatum, aut pene duplicatum, nisi dici posset eos sentire regressionem, aut progressionem momento factam. Procopius in c. 39. Esaiæ ait διπλασίαν ἡμέραν γεγενῆσθαι, & Author mirabilium loco citato; imo & multos ita sentire scribit; in quib. Rab. Kimhi apud Vatablum, qui ait vmbram momento reductam à decima ad primã lineam, sicq; decem tãtum horis diem fuisse maiorem. Addi posset D. Hier. qui ait pene duplicem fuisse factum diem; nisi ibidem diceret Solem decem horarum spatiis reuertisse ad ortum suum. Oportet igitur Solem momento rediisse ad lineam vndecimam, aut si ita ad eam rediit, vt ad ortum recurrerat, non pene duplicatum, sed pene triplicatum cum Dionysio diem dicendum erit.

*XCVI. Quæ faueant sententiæ Tostati.*

a c. 38. n. 9 & 11.

Initæ. 39 in Isa.

QVÆRES an in reliquis astris vel stellis aliqua contigerit immutatio. Respondet Author mirabil.[b] minime dubitari Lunam quoq; retrocessisse, ne quidquam in cyclorum cursibus cõturbaretur. Id autem de reliquis quoq; cœlorum orbibus eadem ratione fatendum esse accuratè docet Abulensis,[c] quamquam & concedit, quod non minus probabile putatur, totam machinam orbium cœlestium toto illo tempore stetisse, quousque Sol eo vnde retrocesserat rediret, ne videlicet astrorum ad Solem habitudo peruerteretur. Vt notat Barad.[d] At Tostatus ipse ait ad hanc quietem cæterorum orbium existere inconueniens, quia in quiete illa Sol aliquid pertransisset in Zodiaco de motu naturali, cum cæteri planetæ nil pertransissent, ideoque erratum futurum in motu Solis, quantum Sol moueri potest in Zodiaco per decem horas. At quid absurdi est retrocessisse secundum vtrumque motum, sicut secundum vtrumque motum progreditur?

*XCVII. Omnes orbes simul retrocessisse.*

b l. 2. c. 28.

c q. 33. in c. 20. 4. Reg.

d tom. 1. l. 3. c. 14.

QVAM autem fuerit consentaneum hoc miraculum rei quæ agebatur, ostendit D. Greg. Naz. supra indicatus.[e] *Ezechiam, inquit, cùm in morbum incidisset, & preces adhibuisset, Deus vitæ incremento donauit, idque per retroactam, prout is, qui salutem acceperat, postulauerat, graduum vmbram indicauit; regem scilicet gratia simul, & signo honorans, atque per diei augmentum, dierum augmentum confirmans.* A Gregorio fortasse mutuatus Author mirabium loco citato. *Conuenienter autem*, inquit, *tale signum regi, in mortis expectatione posito, aptissimum euenit. Quoniam sicut Sol in procinctu occasus sui positus, in diei initium reducitur: sic rex in mortis expectatione cõstitutus, quasi ad incipientis vitæ gaudia reuocatur.* Eadem habent Hier. & Glycas paulo ante relati.[f] Idẽ cecinit Sedulius.

*XCVIII. Miraculi conuenientia.*

e orat. 19.

f n. 93.

*Vltima labentis miseratus tempora lucis,*
*Ter quinos quondam regi Deus addidit annos;*
*Visus iure suo, patefactaque lumina claudens,*
*Mortis ab occasu vitam conuertit in ortum.*

HONORAT vtiq. regem populi sui Dominus, cui vult regem militiæ cœlestis Solem deseruire, & per renascentẽ diem, reuiuiscentem principem vniuerso terrarum orbi nunciare: & potentiam suam, contra quam Rabsaces, & Sẽnacherib blasphemauerant, non solum hominibus, sed ipsis etiam astris præsidentem demonstrare. Sed ad huius quoque regis ingenium accommodatum hoc signum fuit; si quod affirmat Genebr. in Chronologia, studiosus mathematicarum fuit, apud Chaldæos tum vigentium; vnde annum restituisse Rabini aliqui scripserunt, & leges posuisse de intercalando tertio quoque anno mense Nisan: sicut hodie Iudæi mensem Adar, id est Februarium intercalant, vt sic menses Lunares ad Solis cursum accommodentur. Verùm de annis Hebræorum, & intercalatione mensis 13. legendus est Mariana in libro de die mortis Christi, qui hoc argumentũ accuratè, & eruditè tractauit. Vide quæ alibi diximus de embolismis.[g]

*XCIX. Confirmatur, ac declaratur.*

g tom. 2. an 3184. n. 93. schol. 7.

INTEREA verò adhibitum est cataplasma vulneri ab Esaia propheta, vt remedia humana non negligenda in humanis infirmitatibus doceret; postridiéque sanatus est, iuxta ea quæ ante disputauimus. Tertio autem die templum gratulabundus adiit, & illud quasi seculare carmen, hoc trecentesimo fundati templi anno læto animo, religiosoque cecinit. Adeptus enim sanitatem quamprimum gratiarum actioni se dedidit. Scripsitque canticum, quod Esaiæ 38. habetur. In quo refert æstum animi sui dum ægrotaret, & mortem sibi imminentem luctu, lamentisque prosequeretur. Addit autem consolationem sibi datam ex altero nuncio recuperandæ sanitatis. Vnde in textu legitur. *Cùm ægrotasset, & conualuisset:*

*C. Curatio Ezechiæ.*

*Et carmen gratulatorium.*

*Oratio.*

Ex Scriptura. cuius plenior expositio à Leone Castro, Sanctio nostro, & aliis interpretibus peti potest. Septuaginta vocant orationem; est enim quoddam orationis genus gratiarum actio, in Hebræo, & Chaldæo *Scriptura* dicitur, quod eam orationem rex scripto mandasset, forte vt solemniter in templo Domini à cantoribus, coram rege, ad perpetuam gratiarum actionem, decantaretur. Quo potest illud ex eodem cantico referri. *Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus, cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.*

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3322.

1. N. XIX. ITa vulgata correcta. In Hebræo Montanus vertit, *& firmamenta, quæ obtexerat* Pagninus, *& columnas, quas obtexerat.* Vatablus postes, vel limina quæ obduxerat, supple laminis aureis, vel argenteis, quas detraxit. Septuaginta habent ἐστηριγμένα, id est firmata, seu firmiter affixa. Theodoretus limina ianuarum sic vocata fuisse putat. D. Hieronymus libro 2. contra Pelagium, habet *clypeos quos deaurauerat*, quos reuulsit necessitate cogente sine culpa, vt ibi significat Hieronymus.

2. N. XLV. Chronicum Hebræorum capite 23. pro Rabinorum ingenio ad fabulas excogitandas expedito, ait Sobnam thesaurarium cum sociis profectum in Æthiopiam, cum pretiosissimis muneribus ad Tharacam eius regem, sicque impleuisse, quod ab Esaia fuerat oraculo pronunciatum. Isaiæ 45.14. *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt. Labor Ægypti,* inquiunt, *pertinet ad Pharaonem Ægypti regem; negotiatio Æthiopiæ ad Æthiopum regem Tharacam; Sabaim viri proceri, ad eorum copias, & exercitus. Illi omnes, ô Ierusalem ait Esaias, super te transibunt, & tui erunt, pace iam tecum facta: post te ambulabunt, ô Ezechia, vincti pergent torquibus, & monilibus, & te adorabunt, teque deprecabuntur, id est tribuent laudem Deo in medio tui: & dicent tantùm in te est Deus, & non est Deus extra te, verùm tu es Deus absconditus.* Hæc ibi; quæ D. Hieronymus ait quosdam de Cyro explicare: in quibus non immeritò est noster Sanctius, cùm initium capitis eiusdem ad eum nominatim pertineat. *Verùm*, inquit Hieronymus, *hoc quod sequitur, vere tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator, quomodo possit Cyri personæ conuenire non intelligo.* Et paulo post *Fac*, inquit, *esse in Cyro Deum, & non esse alium præter eum, qui sit in Cyro Deus. Quomodo Cyri personæ dici conueniet, verè tu es Deus absconditus, Deus Israel saluator?* At facilè intelligitur Apostrophe ad Deum, qui occultè, atque abscondite mirabilia illa, quæ propheta ante narrauit, per Cyrum ethnicum hominem facturus esset; in quo esset, ad eius conatus ad felicem exitum moderandos, neque plane ab ipso abesse. Nihilominus fatemur cum eodem sancto doctore, Deum in quo est Deus, Dominum nostrum Iesum Christum intelligendum esse, qui in euangelio loquitur. *Ego, & pater vnum sumus: & ego in patre, & pater in me est.* Qui Deus appellatur absconditus, propter assumpti corporis sacramentum, & Deus Israël saluator, quod interpretatur Iesus. Cæterum de his muneribus non in Æthiopiam, sed in Ægyptum missis; neque hoc anno, sed superiore, dictum est supra anno 13 Ezechiæ, cap. 30. 6. Esaiæ.

In Chronico Hebræorum cap. 23. dicitur Sennacherib decem stationes eadem die percurrisse, nec dicitur in itúne, an reditu Ægypti. Vatablus de reditu quoque explicat ad secundam, quam putat, oppugnationem. At è contrario Leo Castrius ait hunc totum locum à Septuaginta de profectione Assyrij in Ægyptum exponi. Et D. Hieronymus ex eorum sententia hanc profectionem fugam Sennacherib interpretatur, vtique ex Ægypto, si res ei non bene cesserant, quod postea viderimus. 3. N. LXIII.

Vtrumque sequitur Author mirabilium sacræ Scripturæ l. 2. c. 28. *Lachrymabilem pro vita sua rex precem fundit; non quod de suo, vtpote perfectus, merito in conspectu conditoris sui incertus fuit: sed quia in Christi venturi generatione sui generis prosapiam, in throno Dauid lucernam non dereliquit.* Et rursum. *Tantùm quoque temporis eius vitæ se Dominus dixit addere, quatenus nasciturus tunc filius, consumpto illo tempore, regnum defuncti patris valeret gubernare.* 4. LXXVIII

ANNVS MVNDI 3323. QVINTÆ ÆTATIS 384. FVNDATI TEMPLI 301. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 15. NERIÆ PONTIFICIS 15. SENNACHERIB 6. IMPERII ASSYRIORVM 1391. OLYMPIADIS XII. AN. 2. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 22.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 730.



SILENT deinceps Romanæ res ad annum vsque Romuli trigesimum septimum, & vltimum. Ac ne Græca quidem historia prodit aliquid, quod hisce annalibus inserendum videatur. Sacram ergo modico ex interuallo repetamus. Hunc annum, quem supra docuimus malè à Scaligero putatum Sabbaticum [a] traduxit Sennacherib in Ægypto, dum aliquæ ipsius copiæ in Iudæa partim populabundæ vagabantur, & agriculturam omnem impediebant, vt ex prophetia trium annorum regi ab Esaia denunciatorum, constat; partim aliqua oppida obsidebant. Ezechia interim Ierosolymis residente, & reliquam ibi prophetici vaticinij comprobationem, de promissa Assyriorum, regisque ipsorum clade, studiosè, patienterque præstolante. I. *Quid hoc anno Sennacherib.*

[a] an Ezech, 14.n. 6.

DIV autem mansisse Assyrios in Ægypto contra Ægyptios pugnando, testis est Iosephus. [b] Cùm enim dixisset profectum cum copiis contra Ægyptios, & Æthiopes subdit. *Procedente autem tempore Assyriorum rex frustari suos conatus videns, infectis rebus rediÿt ex causa tali. Multum temporis contriuit in apparanda oppugnatione Pelusii, iamque aggerem pene mœnibus æquauerat, & videbatur assultum propediem facturus, cùm audiuit aduentare Tharsicen regem Aethiopum, Aegyptiis laturum suppetias, & per desertum copias ducere, vt improuisus adoriatur Assyrios. Territus igitur hoc rumore Sennacheribus, propere inde cum suis abÿt.* Sic ipse. II. *Res in Ægypto gesta ex Iosepho*

[b] l. 10 ant. c. 1.

1. FALLITVR autem cùm ait ad eum delatum nuncium aduentantis Æthiopis cùm oppugnaret Pelusium; cùm ex 4. Regum, [c] & Esaiæ 37. [d] constet Sennacherib hoc nuncium accepisse in Iudæa, cum oppugnaret Lobnam, expugnata vrbe Lachis. Eius tamen copiæ, quæ prius in Ægyptum inuaserant, illic Pelusium obsidebant. III. *Ex Scriptura refellitur.*
2. Fallitur quoque dum ait Sennacherib eo rumore territum, abiisse inde cum suis. Nam è contrario, audito eo nuncio in Iudæa, profectus est ipse contra eum, cum maxima parte copiarum suarum. Nec vidit Iosephus quam alienum foret à probabilitate, vt tantus Imperator, qui tot hominum myriades haberet in castris, omnibus rebus, vt in diuturna, & periculosa obsidione instructis, atque munitis; qui vniuersas pene orientis prouincias subegisset, ad nuncium aduenientis regis vnius ita terreri, vt præteritum omnem laborem suum, & sui exercitus, & sumptus, & præsertim gloriam suam, quæ maximè in hac fuga periclitabatur, nihili duceret: nec belli aleam, saltem vna aliqua pugna tentandam censeret. *Et ratione.*

[c] c. 19. 8. 9. [d] 8. 9.

MVLTO probabiliorem inuenit Herodotus soluendæ Pelusianæ obsidionis causam, & Assyrij in Iudæam repellendi: quem parum fideliter retulit Iosephus, & quem miror à Leone Castro [e] negari vllam facere huius historiæ mentionem; quamuis id videret à D. Hieronymo, & Iosepho, aliisque affirmari. Herodotus, inquam in Euterpe [f] cum dixisset post Sabachum regnasse sacerdotem Vulcani, nomine Sethonem, eumq; bellatoribus Ægyptiis abusum fuisse, & tanquam sibi minimè opportunos contemptui habuisse, & cum aliis ignominiis affecisse, tum verò agris exuisse, quibus fuerant à superioribus regibus donati. *Ex quo factum est*, inquit, *vt cùm postea Sanacharibus Arabum, Assyriorumque rex cum magnis copiis inuasisset Aegyptum, noluerint ei opitulari. Tum sacerdos consilÿ inops in cœnaculũ se contulit; ibiq. apud simulachrum complorauit quanta pati periclitaretur: ei inter lamentationem somnus* IV. *Solutio obsidionis Pelusij ex Herodoto.*

[e] in c. 10. & 37. Esa.
[f] l. 2. p. 63. Græc. vbi dicitur Sanacharib.

*obrepsit, & inter quietem visum est astare Deum, exhortantem nihil eum mali passurum, si copiis Arabum obuiam iret; se enim auxiliarios ei missurum. His insomniis fretus sacerdos, sumptis Aegyptiorum iis, qui secum ire vellent, castra in Pelusio posuit, (hac enim Aegyptus inuaditur) nec eum quisquam bellatorum secutus est, sed institores, & operarij, & forenses homines. Quo cùm peruenisset noctu, effusa est ipsis hostibus vis murium agrestium, qui illorum tum pharetras, tum arcus, tum scutorum habenas ambederunt, itaut postero die hostes armis exuti fugam fecerint multis amissis. Ideoque nunc iste rex in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenens, atque hæc per literas dicens. In me quisque intuens, pius esto.* Hactenus Herodotus. Hanc statuam non huic Vulcani sacerdoti, sed Sennacheribo positam fuisse, memoria lapsus dixit Genebrardus in Chron. in Ezechia.

V. *Ex Eucherio parum probabilis.* ADDIT Eucherius parum commode fictam Assyrij fictionem, nimirum Sennacheribum audito nuncio aduentantium Æthiopum, abeuntem finxisse moueri se religione, ne amplius oppugnaret Ægyptum, quod rex Ægypti idem esset sacerdos Vulcani: nolle se contra sacerdotem Vulcani certare; ne videlicet id esset gigantum more bellare cum diis. O hominem egregiè pium, & religiosum repente factum! Qui diis istiusmodi insultans anno superiore tam per seruos suos, quàm in literis suis dicebat.[a] *Nunquid liberauerunt dij gentium terram suam de manu regis Assyriorum? Vbi est Deus Emath, & Arphad, vbi est Deus Sepharuaim Ana, & Aua, nunquid liberauerunt Samariam de manu mea?* &c. Imo qui eos igne combusserat, vt dixit Ezechias orans Dominum,[b] & in verum Deum easdem crebro voces euomuerat. Et in eius contemptum in Iudæam iamdudum arma conuerterat; & propediem contra ipsam Hierosolymam, & Dei templum intentatas minas parabat effundere.

[a] 4. Reg. 18. 33 & 34.
[b] 4. Reg. 19. 18.

VI. *Prophetia de statu horum temporum.* IN hoc historiæ sacræ silentio de Sennacheribi in Ægyptum expeditione, rebusque in ea gestis, lumen aliquod à prophetica obscuritate mutuandum est. Ad huius enim temporis historiam cap. 18. 19. & 20. Isaiæ pertinere, illa prophetæ verba satis docent, quæ notant annum, quo Thartan dux Sennacheribi, siue Sargonis regis Assyriorum, in Azotum, indéq; contra Ægyptios missus est. Quo anno iussus est Isaias nudus incedere, & discalceatus, in signum atque portentum triennij, quo Ægyptij, & Æthiopes, victi à rege Assyriorum, nudi, & discalceati in captiuitatem abducendi erant. Nam iuxta interpretationem Sanctij capite decimo octauo, Dominus contra Æthiopas aduocat Assyrios, qui illos tanta clade afficiant, nullus vt locus futurus sit siue confragosus, & sublimis, siue demissus, & planus, quem non cadauerum multitudo consternat; quæ in montibus volucres, & in campis belluas carniuoras pascant; & ita diu, vt æstatem, hyememque perpetuam agant in cadauerum pabulo.

VII. *Sennacherib vincit Æthiopas.* NECESSE ergo est non fugisse Assyrium, ad Tharacæ Æthiopis aduentum, sed illi obuiam processisse, legiones vtrinque ad pugnam explicatas fuisse, concurrisse acies, & Assyriis fauente victoria, aut Deo potius exercituum, qui eos ad castigandam eam gentem euocarat, ingentem Aethiopum stragem editam esse, & fugaces per ardua montium, & plana camporum occupatos, interfectos fuisse, tanta copia, quantam nunc ex Isaia diximus. Multos nihilominus ex ducibus, aut primaria nobilitate, deditione facta, ad ignominiosum primum triumphum, seminudos, semique laceros; deinde ad vilem, perpetuamque seruitutem esse seruatos; cuius rei typum Dominus paulo ante in propheta suo monstrauerat, vt Iudæi intelligerent, quàm infirmo præsidio niterentur.

VIII. *Vincit & Ægyptios.* IAM quod attinet ad Ægyptios, quos primario nomine petebat Assyrius, eò quod Iudæorum sibi vectigalium defectionem tutarentur, cap. 19. Esaiæ Dominus minaci eos vaticinio terret. Ait enim se, quasi velocibus inequitaret nubibus, properè cum Assyriis venturum, tanquam copiarum illarum ducem. Ad illius ingressum non solum Ægyptios, sed ipsa quoque eorum idola trepidatura; quin etiam intestinis inter se odiis ita gessaturos Ægyptios, vt mutuo se ferro contrucident. *Concurrere faciam*, inquit, *Aegyptios aduersus Aegyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, ciuitas aduersus ciuitatem, & regnum aduersus regnum.* Quo autem euentu? Subdit. *& tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium.* Hi videntur præpositi vrbium, & prouinciarum regi suo subiecti, de quo sequitur, *& rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus*,

*Deus exercituum.* Eum vtique regem intelligit, qui tota hac in tragœdia primas agit, ille videlicet Sargon, ille Sennacherib, qui hoc ipso tempore regnauit, & inuasit Ægyptios: nec est cur regem Chaldæum, siue Babylonium, qui modici nunc parebant Assyriis, sine vllo fundamento cogitemus.

DICAMVS itaque consentaneè huic prophetiæ, & illi maximè, quæ capite 20. subiicitur, Ægyptios variis prælijs tam inter se, quàm contra Assyrios concurrisse: Ægypti oppida, nominatimque Pelusium, vt ait Iosephus, obsidione cinxisse. Dixerim etiam expugnasse; magnamque inde captiuorum turbam abduxisse, omnium rerum egentissimam. Alioqui quomodo verum erit illud oraculum? [a] *Sic minabit rex Assyriorum captiuitatem Aegypti, & transmigrationem Aethiopiæ iuuenum, & senum, nudam, & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti.* Vtique victoris fuit illa celeritas profectionis, siue reditus ex Ægypto in Iudæam, quæ ab eodem propheta Isaia, [b] iuxta multorum interpretationem describitur. *Veniet in Aiath, transibit in Magron, apud Machmas commendabit vasa sua.* Præ nimia scilicet fiducia, etiam siue machinis bellicis occupandi Ierusalem, eas in via relinquet, iuxta Hieronymi expositionem. — IX. *Idque ex Isaia probatur.*

a Esaiæ 20. 4.

b c. 10. 28.

FELICITER ergo debellatis Æthiopibus, & subacta Ægypto, Iudæam cogitat, sed anni tempestate impeditus, in Hyberna, tam in ipsis Ægypti vrbibus, quam Azoto, & reliqua Palæstina concessit. — X. *Inde Iudæam cogitat. Quid interea Ezechias.*

Interim autem Ezechias sanitati restitutus, & in dies certior factus de Assyriorum expeditione, & rebus Ægyptiis, & mox de reditu tyranni in Iudæam, cum Esaia Deum orare pergebat, vt quamprimum, in ruinam hostium suorum, liberaret fidem suam. Et fortè diuinitus prohibitus est, absente Sennacheribo, contra Assyrios, qui in Iudæa remanserant, pugnare, quod facilè poterat. Volente nimirum Deo totam victoriam suam esse, & sine vllius de populo suo vel interitu, vel læsione; Regem Ezechiam, propter suam in Deum pietatem, ac fiduciam triumphare, sicut sub initia sequentis anni contigit.



ANNVS MVNDI 3324. QVINTAE ÆTATIS 385. FVNDATI TEMPLI 302. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 16. NERIÆ PONTIFICIS 16. SENNACHERIBI 7. ET VLTIMVS. ASSARADDONIS 1. IMPERII ASSYRIORVM 1392. OLYMP. XII. AN. 3. ROMVLI, ET VRBIS COND. 25. MERODACHI BABYLONIORVM REGIS 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 729.



IX aliud præpotentis Dei exercituum facinus magis in Scriptura celebratum, quàm cædes maximi exercitus Assyriorum, quàm deiectio superbissimi hominis, qui potentissimos Æthiopum, & Ægyptiorum exercitus nuper afflixerat, qui regionem vniversam cadaueribus constrauerat; qui congregauerat, quasi arenam, captiuitatem, qui de eorum regibus triumphabat, & tyranni ridiculi eius erant. [c] Tota quippe victoria à Deo fuit, sicut & ea, quæ de Ægyptiis in mari rubro quondam relata est, vt in vtramque rectè illa Moysis verba conueniant. [d] *Nolite timere, state, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. Aegyptios enim,* siue Assyrios, *quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis, vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Et gloriosus iste bellator, qui centenas legiones sub vexillis habet, omnibus morti datis, animam — I. *Prolusio in Sennacheribi cladé, & mortem.*

c 4. Reg. 19. 35. 2 Par. 32. 21. Isaiæ 37. 36. Tobiæ 1. 21. Eccli. 48. 12. 1. Machab. 7. 41. 2. Machab. 8. 19. c. 15. 22. & alibi præterea. d Abac. 1. 9. 10. Exod. 14. 13.

suam fuga letho eripiet, maiore mox flagitio eripiendam.

II. *Ratio temporis.*

Qvod ad tempus huius Assyriacæ cladis attinet, tertius ille Esaiæ annus ad hoc omnino tempus videtur pertinere, vt scilicet primus in 14. Ezechiæ annum cadat, secundus in 15. & vltimus in hunc decimum sextum. Et ita hunc locum interpretatus est D. Hieronymus in cap. 37. Esaiæ, cùm ait prophetam pronuntiasse, quod intra biennium, & rex Assyrius interiret, & vrbi Ierusalem securitas redderetur. Hieronymum Lyranus, Sanctius, & alij merito sequuntur, quamuis Leo Castrius tres illos annos a clade Assyriorum numerandos putet. Scio Torniellum eam cladem in sequentem annum differre; sed sine necessitate, imo neque satis consentaneè vaticinio Esaiæ. Cùm enim certum sit de anno Ezechiæ decimo quarto dixisse prophetam. *Comede hoc anno quæ reperreris.* Et subdiderit. *In secundo autem anno, quæ sponte nascuntur.* Quia nimirum propter perpetuas Assyriorum excursiones, neque serere licebit, neque metere, vt fatetur ipse Torniellus, certe cum tertio anno & serere liceat, & metere, vt ait idem propheta, oportet impedimentum ab Assyriis ex regno Iudæ esse depulsum. Quod per cædem exercitus, & fugam Sennacheribi factum est. Vnde Hieronymus ibid. *In anno autem tertio, fugato iam Assyrio, & obsidione laxata, seminate, metite,* &c. Quod enim decimo sexto cæsum exercitum putat, decimo septimo vero occisum Sennacherib, non magis probabile est, cùm ex capite primo Tobiæ constet, inter vtramque cædem, tantum quadraginta quinque dies intercessisse. Ideoque dicendum erit cæsum exercitum in fine anni decimi sexti, & Sennacherib biennium in Ægypto mansisse: quæ nec probari possunt, nec satis cum prædicto Esaiæ vaticinio cohærere. Hæc de tempore, de quo pluribus disputat Abulensis. [a] Nunc ad rem ipsam veniamus. [a] q. 21. 22. 23 in c. 19. 4. Reg.

III. *Sennacherib adit Hierosolymam.*

Egressvs de Ægypto Sennacherib, cum omnibus copiis suis, & in Iudæam ingressus, partem, quam in ea reliquerat, ad se aduocauit, vt maximæ vrbis obsidioni, maximus exercitus par esse posset. Appropinquabant ergo Hierosolymam Assyrij. *Et factum est in nocte illa: venit angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abijt.* Ita in 4. Regum. [b] in 2. autem Paral. [c] *Et misit Dominus angelum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitus regni Assyriorum; reuersusque est cum ignominia in terram suam.* Vt scilicet intelligeremus, in illo cæsorum numero, non solos gregarios milites contineri. Quò respexit Iosephus, [d] cùm ait exercitum deletum, *absumptis cum ducibus, & tribunis 185. millibus militum,* eaque clade territum, & de reliquis copiis solicitum, maximis itineribus in regnum suum contendisse. [b] ca. 19. 35. [c] ca. 32. 21. [d] l. 10. c. 2.

IV. *Quando cladem acceperit.*

Esaias eadem habet, quæ Regum liber, nisi quod certæ noctis non meminit, quam indicat liber Regum, cùm ait *in illa nocte* venisse angelum: quomodo in Hebræo, & Chaldæo legitur; sed eam tempestatem satis indicat, cùm subdit surrexisse manè, & vidisse cadauera mortuorum. In Græco verò regio, Sixti, & Basil. habetur tantum venisse nocte. Quidam minus attendentes ad historiæ, & temporum ordinem, explicant illam noctem, quæ secuta est diem, in qua Esaias prædixerat Deum protecturum ciuitatem Ierusalem, & Sennacherib non obsessurum eam, neque in eam missurum sagittam &c. Sed id dici non potest: quia in illa ipsa prophetia, Assyriorum clades tertio anno futura memoratur, siue intra biennium, vt ait D. Hieronymus, non autem proxima nocte. Iosephus loco citato ait prima nocte, posteaquam vrbem oppugnare cœperat, deletum exercitum, *καὶ τὴν πρώτην τῆς πολιορκίας νύκτα.* At ne oppugnatam quidem, siue obsessam fuisse ex dictis Esaiæ verbis constat.

V. *In celebri, ac memorabili nocte.*

Existimo illam noctem non accipiendam rigidè, vt verba sonant: alioqui oporteret illam prophetiam Esaiæ, nocte traditam fuisse, quod nemo dicit; & noctis factam fuisse mentionem aliquam, quod factum non est. Itaque existimo illud relatiuum cum emphasi positum, vt, *in illa nocte*, idem sit, quod in celebri illa nocte, & miraculi tanti conscia, in nocte seculis omnibus deinceps memorabili. Sic sæpe apud Esaiam. [e] *In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro*, &c. Statim initio capitis ponitur in illa die, cùm ante nulla [e] ca. 27.

a c. 13.1. diei mentio facta esset. Et iterum ibid. *In die illa vinea mea cantabit*, & Zacharias. [a] *In die illa erit fons patens domui Dauid*, &c. nimirum in die mirabili, & desiderabili dominici aduentus; & sic alibi passim. Sic ergo hoc loco ponitur, *illa nox*, sine antecedente, quod satis frequens est Hebræis. Denique locus hic per alia Scripturæ loca, in quibus noctis tantùm fit mentio, nec certa nox indicatur, explicandus est: præsertim cùm in illo ipso loco, Septuaginta omnium editionum, pronomen illud demonstratiuum omiserint.

IN illa ergo nocte, qua simul omnes copiæ Assyriorum congregatæ erant, & vrbi propinquabant; vt eam obsidione cingerent; venit angelus Domini, bonus fortasse, *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationem in populis*; quamquam & de malo accipi potest. Bonis enim conuenit benefacere, & malis nocere. Diuus Hieronymus in cap. 37. ex Beroso refert id iuxta Hierosolymam contigisse. Leo Castrius, dum veniret ad obsidendam Ierusalem; & ita posset accipi prima illa nox obsidionis Iosephi. Theodoretus in prologo in Nahum, ait iuxta ipsius Ierusalem muros interfectum hunc exercitum, iuxta scilicet opinionem eorum, qui obsessam putauerunt. Dicamus ergo occisos esse Assyrios iuxta Hierosolymam, vt ait Hieronymus, non tamen in pomæriis, aut suburbiis, sed in eo loco, in quo sors tulit eos cum rege, castris locatis, pernoctare. Ait enim Scriptura: cùm diluculo surrexisset, vidisse omnia corpora mortuorum. Quin etiam Esaias [b] significat eum accepisse cladem, cùm esset in conspectu Hierosolymæ, & minacem contra eam intentaret manum. In eius enim reditu describendo in hæc verba concludit. *Agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Ierusalem.* Statimque subdit eius exercitum, quasi lagunculam, confractum; vt notauit Tostatus. [c] VI. *Locus cladis prope Hierosolymam.*

b c. 10. 32.

c q. 25. & 26. in c. 19. 4. Reg.

d Abul. q. 24. in c. 19. 4. Reg.

RATIO quoque postulat vt in Iudæa, & non in Ægypto Dominus hanc victoriam de suis hostibus reportarit. [d] Cùm enim hæc victoria in maximam Dei gloriam cederet, non oportuit eam in Ægypto contingere, ne ea casui, aut Ægyptiorum diis tribueretur; quasi vltionem de cultorum suorum hostibus acciperent: cùm tamen Deus iniurias populo suo, sibique ipsi illatas, vlcisceretur. Oportebat quoque reparari clades in Iudæa ab Assyriis acceptas, & sacrilegam prædam de ore crudelis leonis excuti; nec tantas diuitias in Ægypto, aut in Assyria populo Dei perire, sed illorum potius eum spoliis ditari; vnde extiterunt ingentes illæ diuitiæ, quas postmodum imprudenter bonus Ezechias ostentauit. Denique par fuit laudari Deum à populo Iudæ, de nobilissimo miraculo in sui gratiam perpetrato, quod vnus ille populus facere poterat, & debebat. VII. *Et cur eo loco facta.*

MODUS etiam huius cædis ex Scriptura colligitur, vt scilicet sine strepitu, ac tumultu facta fuerit, non missis per densa tonitrua fulminibus, vt quidam putarunt; omnia enim incendio periissent, quæ oportebat conseruata Iudæis. Et clamoribus pereuntium, & fugientium excitatus, intempesta nocte surrexisset ipse rex, cùm iis, qui cladi superfuerant: vt olim in Ægypto, qua nocte occisi sunt primogeniti. Iosephus [e] ait peste deletum exercitum: quod refert etiam Hieronymus in cap. 37. Esaiæ ex Herodoto, & Beroso. Quod tamen ex eo improbari potest, quod sic omnia spolia occisorum peste infecta fuissent, nec sine contagionis periculo iis vti Israëlitæ potuissent. Quod fortasse animaduertens D. Hieronymus prope finem eiusdem capitis, quasi ex propria loquens sententia, non meminit pestilentiæ. *Centum* ait *octoginta quinque millia fortissimorum virorum, ab vno angelo, vna nocte caeduntur, & absque vulneribus occisorum mors sæua discurrit, excludens à corporibus animas Dei voluntate.* VIII. *Quis cadis modus.* *Non per fulmina.* *Aut pestem.*

e Lib c. 3.

f Serm. 15. apud D Augustinū.

g c. 10. 16.

HEBRÆI, ex quibus hausit Author serm. ad fratres in Eremo. [f] aiunt Assyriorum corpora ab angelo in cineres redacta, ne aërem fœtore corrumperent, armis, ac vestib. illæsis, vt populus Ierusalem spolia colligeret. Quod illi ex Esaia sumunt. [g] Nam is explicata insolenti Assyrij iactatione, subdit. *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis.* Vbi Hier. *quia ista fecisti, & locutus es quæ supra narrant, propterea mittet Dominus angelum suum, & vna nocte* 185. *millia de tuo morientur exercitu, ita ut* IX. *Aut incendium ex Hebræorū traditione.*

*potentissimi quique, quos pingues appellat, redigantur in tenuitatem. Et sicut Hebræi tradunt, illæsis vestibus, Assyriorum corpora occulto crementur ardore.*

X. *Quod improbatur.* OCCVLTVS ardor non est ardor ab igne, qui externus est, & in cinerem redigit, ideoque propheta non combustionem, sed quasi combustionem appellauit. Illi quoque traditioni videtur Scriptura repugnare; cùm ait regem diluculo surgentem vidisse omnia corpora occisorum, quod de cineribus durissimè explicari potest. *Neque per gladium.* Negat Abulensis percussionem ferro, aut aliquo instrumento materiato, sensili factam fuisse, quia tunc percussionem sequetur dolor, & clamor in castris, & fuga, vt ante dictum est. Itaque metaphoricè accipiendum est illud Esaiæ de hac ipsa clade. [a] *Et cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij*; quæ de Sennacherib Diuus Hieronymus ibi interpretatur. Quæ supra alia occasione retulimus. [a] c. 31. 8.

XI. *Qui eius modus, ex Abulensi.* EXISTIMAT autem Tostatus angelicam hanc percussionem factam intrinsecus per aliquem specialem motum, per quem homo sine vllo sensu moriatur, apposito aliquo ad cor hominis, quod illum momento interimat. Et omnino facilè est angelo subintrare interiora hominis, partesque vitales pernicioso aliquo motu elidere, aut suffocare, spiritu repente intercluso. Denique mille sunt Domino ad mortem viæ: retrahat vel tantillum beneficam, & viuificam illam manum, quæ sustentat omnia, *& implet omne animal benedictione*, ilicet abibunt omnia in nihilum, vnde prodierunt in lucem.

XII. *Cur seruatus rex.* QVOD ad ipsum regem attinet, *idcirco seruatus est*, ait D. Hieronymus, [b] *vt sciret potentiam Dei, & blasphemantia ora comprimeret, fieretque testis illius maiestatis, quam paulo ante contempserat. Pharao quoque in decem Ægypti seruatur plagis, vt nouissimus pereat: quod & iste passus est.* 1. Oportebat hominem puniri grauissima iactura 2. maximi, florentissimique exercitus, & diuitiarum maximarum, quam iacturam non sensisset, si momento cum suis periisset. 3. Oportebat incredibilem apud suos subire ignominiam, cuius aut culpa, aut imperitia, tanta strages regnum potentissimum perculisset. 4. Oportebat denique longè illum acerbiore morte, & modis omnibus exercenda consumi: multis quippe, vt apparet, gladiorum ictibus confodiendus erat, & à filiis, & in loco diuinitati consecrato. [b] in c. 38. Isa.

XIII. *Mors Rabsacis, &c.* QVONIAM verò supra diximus non solùm plebeios milites, sed ipsos quoque duces, & principes exercitus vltricem angeli manum expertos esse, suspicari licet maiore cum cruciatu Rabsacem cum sociis, maledictorum in Deum facilè principes, ibi fuisse occisos. Chron. Hebr. cap. 23. ait in hac strage plurimos fuisse reges, coronis in suis capitibus redimitos. Alludit ad illud Esaiæ. [c] Vbi princeps Assyriorum dicit. *Nunquid non principes mei simul reges sunt?* Illam autem eius ignominiam, quam Scriptura memorat, fabula quadam de more condierunt. Quam post Hieronymum in tradition. Hebr. referam. Tradunt Hebræi, inquit, illi caput, & barbam rasam ab angelo in ignominiam, & hoc fuisse, quod per prophetam Esaiam dictum est. *Nouacula Assyrij.* *In die illa radet nouacula acuta, conducta in rege Assyriorum caput, & barbam.* Id tamen eo loco longè aliter interpretatur ipse, & alij deinceps. Neque ibi dicitur id eum passurum, sed acturum potius. *In rege* enim *Assyriorum*, idem est quòd per regem Assyriorum, vtpote qui ibidem vocetur nouacula acuta, eodem interprete. Quem etiam intelligi Romanum Imperatorem docet Leo Castrius ex Iustino, Eusebio, & Procopio in eum locum. [c] c. 10. 7.

XIV. *Ignominia regis Assyriorum.* NON ergo aliam ignominiam intelligamus, quàm publicam apud omnes gentes confusionem, ob tantum exercitum sine vllo operæpretio amissum, deiectam superbiam, & minas deuolutas in proprium caput: factumque in portu naufragium, & multo pene trium annorum labore, non solum negata vectigalia non recuperasse, sed hostes suos propriis spoliis vehementer locupletasse. Non est enim dubitandum vniuersos Iudæos non solùm sibi ablata ab Assyriis recuperasse, sed infinitam etiam thesaurorum vim, & spoliorum, quæ ille Ægyptiis, & Æthiopibus proximè sustulerat, recepisse; vt non solum templi ornamenta, & donaria cum fœnore fuerint reposita, sed regij etiam thesauri insigniter amplificati, vt ea etiam iactabundus Ezechias, vt paulo ante dicebamus, mox Babyloniis ostentaret. [d] [d] hoc anno n. 7.

XV. *Fuga Sennacherib: eius comites.* ABIIT ergo, vt ait Iosephus, Sennacherib maximis itineribus in Niniuem,

vt persequentes Iudæos effugeret. Rab. Salomon apud Genebr. in Chron. è Talmudicis historiis, & cap. 3. Danielis, ait Nabuchodonosorem vnum eorum decem fuisse; nam decem tantum comites habuisse illi memorant, qui soli cum Sennacherib euaserunt manum angeli. De numero isto denario, ipse viderit: de Nabuchodonosore certum est hunc Salomonem vehementer errare; eius enim regis ortus, plus centum ab hinc annis abest. Supersunt enim Ezechiæ anni 13. Manassis 55. Amonis 2. Iosiæ 31. Ioacim 4. qui primus celebratur Nabuchodonosoris annus, vt suo loco dicetur: vt ne de ipsius quidem patre vera possit esse illa traditio. *Sævit in patria Sennacherib. An cum Nabuchodonosore.*

NEC multo maioris est fidei, quod Chron. Hebræorum in cap. 23. refert, post cladem Sennacherib Ezechiam dimisisse milites liberos, qui se vinctos dediderant, & religionem, atque regnum Dei, sponte amplexi fuerant; quod de Ægyptiis, & Æthiopibus captiuis, si modo superstites fuerunt, accipiendum est. Quin & profectos aiunt ædificasse altare, & Deo cœli super illud obtulisse holocausta, & versus Ierusalem adorasse, quæ aliquot Isaiæ locis ineptè confirmantur. De captiuis, inquam; nam alij, si qui superfuerunt, quomodo non potius regi suo socij fugæ cum libertate esse voluerunt, quàm se hosti Ezechiæ, cuius regnum populati erant, vinctos dedere? & vniuerse, quomodo in regno Iudæ proselyti hi de more collocati non sunt, & non ad euidens periculum apostasiæ amandati? Captiuos etiam probat, quod in Ægypti medio altare Deo Iudæorum excitasse tradit. XVI. *Captiui deditiuj ex Hebræis.*

PERVENIT in Niniuem Sennacherib, non minus ira, quàm confusione plenus, ibique aliquandiu mansit, quod tempus spatio quadraginta quinque dierum definitum fuit, vt refert Sanctus Tobias Senior. Textus tamen Græcus paulo plures numerat dies. *Et non transierunt*, inquit, *quinquaginta dies*, vel vt in aliis legitur quinquaginta quinque, *donec filij eius interfecerunt eum.* Quid autem interea isti Sancto viro contigerit, ex ipso audiamus. Sic enim ait. [a] *Denique cùm reuersus esset Rex Sennacherib, fugiens à Iudæa, plagam, quam circa eum fecerat Deus, propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum.* Quum enim iram in Deum authorem cladis suæ effundere non posset, in populum eius, cuius in gratiam tam diro flagello prostratus fuerat, indignationis suæ tela mortifera intorquebat. Nec defuerint cruenti delatores, qui ignem gladio fodicarent, & pij hominis charitatem ferre non possent, sed regi eam criminosè deferrent. XVII. *Quandiu superstes fuerit Assyrius. Et quid interea egerit.*

a c. 1. 21.

Ibid. POSTEAQVAM *vero nunciatum est regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius.* Volebat quippe furens ira tyrannus, inimicorum suorum corpora volucribus, & feris abiici insepulta, sicut exercitui suo contigerat in Iudæa: quamquam isti inimici non essent, sed subditi; & antequam illum haberent Dominum, ad alium regem, regnumque pertinuissent. *Tobias verò, cùm filio suo, & cum vxore, fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.* Nimirum de ipsis etiam Assyriis. Virtus quippe etiam in hostibus non solum admirationi, sed etiam amori est. Nec cæteri Israëlitæ tunc satis tuti esse potuerunt, nedum aliis latebras præbere; regiis ministris apud ipsos, prædonum more, grassantibus, in quo & prædæ vtilitatem, & insuper regis sui gratiam sibi conciliabant. XVIII. *Tobiam persequitur.*

SVPEREST vt de Sennacheribi morte dicamus. *Post dies verò* 45. vt dicitur Tob. 1. 24. *Occiderunt regem filij ipsius, & reuersus est Tobias in domum suam; omnisque facultas eius restituta est ei.* Vnde numerandi sint dies 45. an à die acceptæ cladis in Iudæa, an à reditu eius in Niniuem, an à proscriptione Tobiæ senioris non satis constat. Serrarius putat ab accepta clade, sed non est magna dierum differentia inter vtrumque, forte quinque dies mansit in itinere. sicque Græci computabunt dies ab accepta clade, Latini autem à reditu in Niniuem. Illud autem ad Tobiæ proscriptionem pertinet, quod in quodam textu Hebraico habetur, eum nouemdecim tantùm dies delituisse. Paulo plenius describitur mors eius in 4. Regum. [b] *Cumque adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adramelech, & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnauit Asarhaddon filius eius pro eo.* XIX. *Tempus mortis eius. Tobiæ proscriptio, & latebra.*

b ca. 19. 37.

TOTIDEM verbis ea historia Esaiæ 37. in fine repetitur. Hebræi hanc mor- XX. *Mors Sennacheribi ex Hebræis.*

tem quibusdam circumstantiis locupletarunt. Nam D. Hieronymus in traditionibus Hebræo cap. 32. *Cùm*, inquit, *in templo Dei sui quereretur deprecans, cur se non adiuuisset, qui etiam filios suos Hadramelech, & Sarasar ipsi offerret, si hoc ille ratum duceret; illi hoc audientes post tot clades, ruinas, & ignominias, timentes ab eo interfici, interficiunt eum.* Hæc ibi: Quæ tamen in com. in cap. 37. Esaiæ, videtur tanquam inania neglexisse. Serrar. ex textu Hebræo Tobiæ eadem refert. Sed pro Deo Nesroch, siue Nesrach, vt habet Hieronymus in com. vel Nesrath in tradit. ponit idolum Dagon. Genebrardus in Chronico Nizran. Iosephus [a] autem istum Deum Arascum vocat. *Paulo post*, inquit, *per insidias seniorum è filiis suis Adramelechi, & Selennari vitam amisit, occisus in ipso templo Arasci, quem præcipuo cultu dignabatur. Quibus ob parricidium à popularibus pulsis, & in Armeniam fugientibus, Assarachoddas minor filius in regnum successit.* Sic ipse, sed causam necis omisit.

*Ex Iosepho.* — a l. 10. c. 2

XXI. *Cur à filiis interfectus.*

Lyranus in 4. Reg. & Abulensis [b] referunt occisum fuisse illum à duobus filiis senioribus, quoniã pater eis postpositis, Assarh-Addonem minorem natu successorem regni esse vellet. Cuius electionis causam refert historia scholastica in amorem, quo Sennacherib matrem Assarhaddonis prosequebatur. Quæ fuisse putatur causa cur pridem Roboam, Abiam filium Maacha, reliquis filiis suis antetulerit. [c] Rabbi Salomon apud eundem Lyranum ait regni optimates dolore commotos ob mortem parentum, amicorum, cognatorum, eius culpa extinctorum, coniurasse in eum; quo comperto confugisse illum in templum Dei sui, & vouisse si hoc periculum euaderet, se in eius honorem prædictos filios suos sacrificaturum. Quod illi intelligentes, paternum facinus proprio parricidio anteuerterunt. *Quoniam enim*, inquit Theodoretus in 4. Regum, *aduersus Deum, qui ipsum fecerat, rabie fuerat percitus, ab iis qui ex ipso procreati fuerant, fuit interfectus.* Et de Sennacherib hactenus.

b q. 31. in c. 19. 4. Reg. — c 2. Paral. 11. 21.

XXII. *Regnum Assarhaddonis.*

Magnam eiusdem anni partem regnauit Assarhaddon, quem Septuaginta Sixti Tob. 1. Sacherdonũ, siue Sarchedonum vocãt. Complut. Achirdonum. Septuaginta Sixti, & Regia [d] Asordan, Iosephus Assarachoddam: quem Genebrardus eundem vult esse Sardanapalum vltimum Assyriorum regem; & de vltimo quidem facilè ei assentiri possumus; de Sardanapalo non item; iuxta ea quæ sub mortem Sardanapali, & initium regni Phulis disseruimus. Magnam autem huius anni partem ad Assarhaddonem pertinere ex eo colligitur, quod iuxta prophetiam Esaiæ, [e] eo anni tempore fugit ex Iudæa Sennacherib, quo adhuc serere Iudæis licebat, & metere; quæ scilicet primo vere seminari solent.

d in 4. Reg. 19. fi. — e 37. 30.

XXIII. *Exoritur regnũ Babyloniorũ.*

Cæterum duo regna, quæ Assyriis ad Sardanapalum vsque paruerant, rursumque tam Phulis, quàm Theglath Phalasaris virtute subacta fuerant, hoc tempore proseminari cœperunt: [f] Babyloniorum, inquam, atque Medorum. Nã paruisse eos Assyriis ex eo patet, quod è Babylone quoq; colonos misit Salmanasar in Samariam; Samaritas autem misit in prouinciam Medorum, vt supra quoque disserebamus. Nunc autem occasione immensæ cladis, quæ res Assyriorum prostrauerat, addita etiam morte Sennacheribi, & fuga maiorum natu filiorum, & hæredis infirma ætate, & indole molli, vt putatur, & effœminata; Merodach Baladan, filius Baladam, qui, sicut & pater eius, hactenus fuerat pro rege Assyriorum Babylone prorex, aut rex certè vectigalis, regem planè agere cœpit, liberumque sibi regnum, contracta cum aliis regibus amicitia, stabilire. Quæ causa fuit cur ad Ezechiam visitandum, qui & ipse tributarium nuper iugum excusserat, legatos cum muneribus miserit. Et sanè Ieremias [g] Merodach pro regno Babylonico, cuius ille nouus fuerit conditor, ponit.

f Vide Sanctium in fi. c. 31.

*Merodach cur Ezechiam per legatos inuiserit.* — g cap. 50. initio.

XXIV. *Medi quoque defectionem cogitant.*

Medorum autem præfectus, aut rex etiam, si ipse quoque eam nomenclaturam vsurpare permissus est; eadem ipsa occasione incitatus, addito etiam exemplo reguli Babylonici, hoc quoque tempore res suas agere cœpit, sed furtim: quod fortasse minus vel authoritate, vel gratia, & viribus posset, quàm Merodach Babylonius, donec res post decennium, in morte Assaraddonis, erupit: vt suo loco dicetur. Defecisse autem ab Assyriis Medos, aliquot annis post Babyloniorum defectionem, ex Herodoto, & Diodoro Siculo docemur, quamuis Iosephus libro 10. cap. 3. dicat hoc tempore, quo misit Merodach munera, Assyriorum imperium per Medos fuisse dissolutum, cùm tamen prius à

Babylonijs cœptum fuerit dissolui; ad quam etiam dissolutionem certum est multo amplius Babylonios contulisse, quàm Medos. Hanc Chronologiæ circa Assyriorum imperium dispositionem, vehementer Scripturæ sacræ consentientem, & plerisque recentioribus Chronologis, aliisque scriptoribus eruditione præstantibus probatam, deinceps reliquo hoc volumine sequemur, & suis locis, præsertim sub mortem Assarhaddonis, confirmabimus. Nam Eusebium, ob cuius authoritatem non pauci finem regni Assyriorum in Osiæ regis Iudæ anno sexto, vel septimo posuerunt, in plerisque Scripturæ repugnare manifestissimum est: quod supra in fine regni Israëlitici attigimus; nec probatione res eget, sed inspectione.

XXV. *Initium regni Merodach; an cum patre.*

CÆTERVM istum Merodach, siue Berodach, siue Marodach [a] nouum Babyloniæ regem, sentimus cum plerisq; esse eundem cum Mardocempado apud Ptolemæum, nomine diminuto, qui fuit filius Nabonassaris, iuxta eundem Ptolemæum: itaut Baladan, quo nomine eum appellat Esaias, esset nomen quod priuatus habuit, nomen autem regium fuerit Nabonassar, vt vult Scaliger, [b] cui Torniellus assentitur. Itaque pater dictus fuerit Nabonassar Baladan, filius autem Merodach Baladan: ille Assyriorum vectigalis, hic pleno, & nouo iure rex Babylonis. Cui sententiæ Scriptura ipsa fauet, quæ Merodach regem Babylonis vocat, non autem patrem eius Baladan. [c] Neque tamen absurdum est Baladan adhuc vixisse octo annos, quoniam Ptolemæus ei tribuit annos regni 26. potuitque hoc tempore filium regni collegam assumere: à qua sententia non abest Serarius in 4. Reg. vbi de regibus Babyloniorum. Quia tamen Scriptura solius filij meminit, à quo legatio missa fuerit, eundémque regem Babylonis vbique appellat, hoc eius regni initium cum Genebrardo ponimus.

Itaque potestas, & principatus Nabonassaris, siue Baladani Babylonij, in filio eius Merodacho, de quo agimus, in regnum coaluit, occasione afflicti Assyriorum imperij, clade illa Iudaica; & turbatis in Niniue rebus, ex morte Sennacheribi, & fuga filiorum eius, vti diximus: vt propterea Assarhaddon dissimulare Babyloniæ defectionem cogeretur, cum cætera propemodum precariò retineret. Sicque Sennacheribo contigit, vt dum aliena conatur occupare in Iudæa, Babylone amittat sua. 1

XXVI. *Confirmatur legationis tempus.*

MISISSE porro hoc tempore istum Merodach munera, & literas ad Ezechiam, post deletum videlicet maximum illum exercitum, ex eo probari satis potest, quod alioqui vix habuisset Ezechias, quæ legatis Babylonicis ostentaret, aut templo restitueret. Nam omnia exhausta fuerant, sublatis illis trecentis argenti talentis, & auri triginta, & insuper missis in Ægyptum muneribus, in camelis, & iumentis austri; vt ex Esaia [d] supra diximus. D. Hieronymus [e] in comment. in Esaiam, videtur existimare hæc omnia, quæ hactenus à decimoquarto Ezechiæ anno, ad hanc diem narrata sunt, ad eundem annum decimum quartum pertinere, & hanc quoque legatorum missionem eiusdem anni ambitu contineri. Sed præterquam quod tot res in Iudæa, & Ægypto gestæ, vnius anni circulo claudi non possunt; ea sententia Isaiæ vaticinio de tribus annis, sæpius iam memorato repugnat: imo & ipsi Hieronymo, qui in eo comment. [f] fatetur intra biennium & regem Assyriorum interiturum, & vrbi Ierusalem securitatem redditum iri. Facta est autem ea prophetia ab Esaia, post relatas ad eum blasphemias Rabsacis. Ex ipso ergo D. Hieronymo, & ex ipsa veritate dicendum est, hoc decimo sexto Ezechiæ anno venisse ad Ezechiam Babylonicam legationem.

XXVII. *Duæ legationis causæ. Gratulatio valetudinis.*

AT obstare videtur, quod gratulatio ista recuperatæ valetudinis sera videatur; post annum scilicet integrum, & aliquot menses. Sed ipse propheta, & sacer historicus responsionem suggerunt, dum Ezechiam aiunt retulisse longinquitatem regionis, vnde illi legati venerant. Quam vtiq; excusationem ab ipsis vsurpatam apud Ezechiam in munerum traditione, valde probabile est. Ex quibus hactenus duas habemus huius legationis causas. Alteram popularem, atq; plausibilem, gratulationem scilicet recuperatæ valetudinis, quæ apertè ab vtroque sacro scriptore traditur. *Audierat enim*, inquiunt, *quod ægrotasset Ezechias, & conualuisset.*

[a] Μαρωδάχ. 4. Reg.
[b] l. 5. de emend. temp.
[c] 4. Reg. 20.12. Isaiæ 39.1.
1. σχ.
[d] c. 30. 6.
[e] in cap. 39. init.
[f] c. 37. n. 30.

*Et noui regni firmamentum.* Alteram verò secretam magis, atque reconditam, vt eum haberet amicum, quem sciebat Assyriorum, à quibus sibi timere poterat, inimicum. Est enim timida omnis ambitio; sicque si res ferret, armis, animisque coniunctis Assarhaddoni resisterent. Requisita igitur Ezechiæ amicitia, per speciem gratulationis receptæ valetudinis, allataque munera, coalescenti regno deseruiunt, quod aliorum principum amicitia roboratur. Et hanc primariam, atque principem huius legationis causam æstimare licet, cùm præsertim nihil esset alioqui inter Iudæos, atque Babylonios, Chaldæosue commune, & eam vnam habet Iosephus, [a] quem sequitur historia scholastica. a l. 10. c. 3.

XXVIII. *Tertia Solis retrocessio. Ex Hieronymo.* TERTIA etiam causa traditur 2. Paral. [b] *In legatione*, inquit, *principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat super terram*, &c. Quem locum sic explanat D. Hieronymus. [c] *Et quia apud eos*, Chaldæos scilicet, & Babylonios, *astrorum obseruantia est, stellarumque cursus longo vsu, & exercitatione cognitus, quod etiam in Domini natiuitate monstratur, intellexerunt Solem reuersum, diei que spatia duplicata, seruire ei, quem solum Deum putabant. Cumque causas huius miraculi, rationemque perquirerent, fama per omnes gentes volante didicerunt, propter ægrotationem regis Iudæ, etiam cursum signi clarissimi commutatum.* Procopius quoque ait Merodach pij regis, cui etiam astra famularentur, amicitiam ambiuisse, & inter alia. *Ad hunc porro* Ezechiam *cùm ægrotasse Babyloniorum rex audiuisset, non vana motus occasione, legatos misit, sed quod diem illum, quo cursum suum Sol retroegisset, duplo maiorem extitisse deprehendisset.* (Non fuit ergo priuatum hoc miraculum, & solius volatilis vmbræ, sed Solis ipsius, & depræhensum apud Chaldæos eodem tempore, quo apud Iudæos) sed pergit Procopius. *Et Procopio.* *Neque enim id Chaldæos, qui in syderum disciplina multum versati essent, latere potuit, nec ab eisdem, qui Solem Deum facerent, à potentiore aliqua virtute factum denegari.* b 32. 31. c In ca. 39. Esaiæ.

XXIX. *Quæ literæ, & munera.* Ex quibus satis intelligitur, quæ fuerit harum sententia literarum, quæ autem munera fuerint Scriptura non refert, nec legi adhuc qui conatus sit, qualia ea fuerint, diuinare. Illud tamen cauendum est, ne munera hic tributa, vt aliquot superius locis, interpretemur: δῶρα enim sunt, & non φόροι.

*Cur lætatus Ezechias.* *Lætatus est autem in aduentu eorum Ezechias.* Quippe qui se à magno principe honorari sentiebat, & sibi vltro videbat oblatam amicitiam, quam magno pretio emptam voluisset, vt hoc præsidio tutior esset ab Assyriis, & ad resistendum potentior, qui regni eius, sicut & Israëlis, interitum non obscurè meditabantur. Dixerat enim Rabsaces regis sui nomine. *Veniam, & transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ.* [d] d 4. Reg. 18. 32.

XXX. *Ostentat opes suas.* LÆTATVS *est igitur in aduentu legatorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in omni domo sua, & in omni potestate sua.* Eadem repetuntur Esaiæ 39. In omni porro potestate, Chaldæus interpretatur, in omni imperio suo. Septuaginta Regia, in omni thesauro suo. Addit D. Hieronymus in 39. Esaiæ, & libro 2. contra Pelag. *An & templi arcana.* Ezechiam non solùm thesauros suos, atque palatij, sed & templi ostendisse; quia nimirum id fuerit potestatis eius; de cuius valuis auri laminas ante iam tulerat, vnde & ira Dei iustissima concitata sit. Quam vt iustiorem faciant aliqui, etiam ad templi adyta legatos intromissos putant. Rabi Salomon apud Lyranum, dicit Ezechiam ostendisse etiam ea, quæ in templo summa cum veneratione occultabantur, scilicet vnctionem Regum, & Pontificum, & tabulas testimonij.

XXXI *Non videri.* VERVM Baradius [e] merito negat hæc esse verisimilia. Quis enim credat ethnicos à pio Ezechia in templi penetralia admissos? Aut tabulas, quæ in arca fœderis, in sancto sanctorum occultabantur, inde acceptas fuisse, eisque ostensas, cùm eò ne Regi quidem, imo neque Leuitis, aut Sacerdotibus, denique omnino nemini, præterquam summo pontifici semel in anno, cum multis ceremoniis liceret introire? Admitteret incircumcisos in oraculum, quos neque in templum, neque in eius vestibulum, neque in atrium Leuitarum, postremo neque in atrium Israëlitarum, sine capitali crimine, introducere liceret; sed tantùm in atrium gentium, vt alibi diximus. [f] Vnde & capitis agebatur reus D. Paulus ab Hebræis, quod diceretur gentiles in templum, id est in atrium Israë- e tom. 1. l. 5. c. 14. f Vide Abul. q. 39. in c. 10. 4. Reg.

literarum induxisse. Et quis dubitet, si verum esset, quod Rabini isti fingunt, vt semper noui aliquid dicant, id nominatim Esaiam, & quidem acerbè reprehensurum fuisse? Vt satis intelligi potest ex iis, quæ deplorat Ieremias in Threnis.[a] *Quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, vt non introirent in ecclesiam tuam.*

*Confirmatur refutatio.*

a c. 1. 10.

XXXII. *Ezechias in quo re peccarit.*

SATIS autem causæ, & materiæ fuit ad diuinam iram concitandam, non in lætitia sola, sed ea lætitia, quæ esset cum animi elatione, & ingratitudine coniuncta; cùm de diuino beneficio superbiret, de eoque gloriaretur ingratus. Id significat Scriptura[b] cùm ait. *Non iuxta beneficia, quæ acceperat retribuit:* Deus enim ingrati animi vitium infinito quodam odio prosequitur, illud præsertim quod ex superbia proficiscitur de Dei donis insolescente; vnde subditur. *Quia eleuatum est cor eius, & facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Ierusalem.* Ex quo agnoscas diuinorum iudiciorum seueritatem; qui minora quæ putantur bonorum peccata, maximo supplicio afficit; qui sæpe ad grauissima impiorum scelera conuiuere censetur. Sed nimirum illa in hac vita in virga virorum puniuntur; hæc in æternum *crudeli*, vt ait Ieremias,[c] *castigatione* punienda differuntur.

b 2. Paral. 32. 25.

c c 30. 14.

XXXIII. *Quæ populi culpa.*

HVIVS quoque vanitatis particeps fuit populus, sicut & postmodum humiliationis.[d] Optimates enim Ezechiæ Babylonios istos conuiuiis, ludis, festisque gratulationibus, vt fieri solet, exceperunt, & lætitiam suam de Assyriorum ruina cum iis communicabant, qui de ea quoque lætabantur. Vt qui deinceps non Assyriorum subditi futuri erant, sed planè liberi, ac sui iuris, cum nouo rege suo Merodacho. Quamquam rem istam accuratius consideranti, non videtur Dominus tanta pœna, quantam mox Esaias renunciauit, vanitatem hanc regis, & populi castigare voluisse; quippe quæ, ex genere suo, non magna culpa est, & pœna debet respondere peccato, iuxta Dei legem. Videtur potius Dominus ipsam cum Babyloniis societatem improbasse, vt qui norat Hebræos nihil ex istiusmodi fœderibus cum alienigenis emolumenti accipere, quàm veræ pietatis detrimentum, & fiduciæ in Deum, quam Dominus præcipuè zelabatur: volens tam populo suo, quàm exteris nationibus persuasum, populum hunc in protectione Dei sui commorantem, satis ab aliarum nationum feritate, ac potentia tutum esse, atque munitum. Hinc est quod huius belli contra Assyrios tempore, Esaias[e] erat totus in reprehendendis Iudæis, quòd ad Ægyptios, cum muneribus suis, frustra confugerent; cùm eos ipse per se protegere, & de Assyriorum manibus eripere statuisset: vt suo loco superius dictum est.

d Paral. 32. 26.

*Societas cū impiis Deo inuisa.*

e c. 30. & 31.

XXXIV. *Antidora Ezechiæ.*

NON est porro dubium quin legatis priuatim, & in primis regi Babylonis deferenda munera largitus sit; & amicitiæ coniunctionem libenter admiserit, literasque ad eum fidei, beneuolentiæque plenissimas dederit, lætosque dimiserit; ex suis etiam comites dederit, amicitiæ, societatisque testes, interpretes, administros. Oportuit enim liberalitate præsenti testari magnificentiam, quam ostentarat; & animus superba lætitia ebrius facilè profundebat opes, quas dudum amissas ex prædonum manibus, quasi luporum dentibus eripuerat. Id quidem scriptum non est, sed non decet existimare principes, eorumque consiliarios ista decori, & honestatis officia obliuisci, aut missa facere potuisse; multo celerius, quæ ad Deum pertinent prætermissuri.

XXXV. *Rem gestā rex ad prophetam refert.*

HIS ita transactis, *venit Esaias propheta ad Ezechiam,*[f] *dixitque ei: quid dixerunt viri isti, aut vnde venerunt ad te? Cui ait Ezechias; de terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. At ille respondit; quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: omnia, quæ sunt in domo mea, viderunt, nihil est, quod non demonstrauerim eis in thesauris meis.* Nulla hic templi mentio, nulla diuitiarum domus Dei, aut rerum sacrarum ostentatio, sed bonorum tantùm profanorum, quæ erant in omnimoda regis potestate. Quod Abulensis quoque confirmat.[g] Quæ tamen D. Hieronymus, in Hebraica illa opinione perseuerans, dicit regem, reformidantem prophetæ offensionem, tacuisse. Verùm cum Esaias regis culpam ex ipsius ore dissimulanter elicuerit, isque rem omnem vanitatis fumo adhuc ebrius effuderit, vt oratio ipsa docet, nequaquam de templo tacuisset, præsertim cùm res in obscuro esse non potuisset, multis sacerdotibus ac Leuitis reclamantibus, ipsoque Neria pontifice, cum suis, regi in faciem resistentibus.

f 4. Reg. 20. 14.

g q. 39 in c. 20. 4. Reg.

XXXVI. *Vaticiniū de thesauris Ezechiæ.*

PERGIT Esaias. *Audi sermonem Domini. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem, non remanebit quicquam: ait Dominus.* Nihil fuit, quod non viderint Babylonij, nihil erit, quod ab eis non auferatur. Id autem primo quidem in Manasse inchoatum, deinde in Ioacim renouatum, postremo in Sedechia completum est. Hinc autem etiam intelligitur, cum [a] dicuntur exinaniti thesauri regij, in mulctam impositam Ezechiæ a Sennacheribo, & in munera missa ad Ægyptum, id nō sic accipiendum esse, quasi omnia planè sublata fuerint, sed magna duntaxat pars: cùm ex hoc loco constare videatur, etiam multa apud Ezechiam residua fuisse, quæ patres eius condiderant. Vnde etiam intelligitur, non in suprema necessitate regem Ezechiam thesauros ecclesiæ fuisse mutuatum; & quidem non sine culpa fortasse illæ valuæ templi confractæ sunt, & aureæ laminæ reuulsæ,[b] cùm non deessent domi, aut apud optimates, quæ accepta mutuo Assyrio darentur.

a 4. Reg. 18.19.

b 4. Reg. 18. 16.

XXXVII. *Cur nunciatum Regi.*

DICAT aliquis, si nuda diuitiarum ostensio in culpa non fuit, sed mentis elatio, & ingratus in Deum animus, aut amicitia, & fiducia in homines impios, quid causæ fuit cur Ezechiæ prædiceretur earum opum iactura, & translatio in Babylonem, præsertim cum res eo viuo non esset euentura? Respondeo cum Tostato, [c] rectè hæc denunciata regi in pœnam peccati sui, vt dolore inde concepto, veniam à Deo peteret, & impetraret. Quoniam autem Deus statuerat ob peccata Manasse, & filij, & nepotum eius, vt omnes illæ opes transferrentur in Babylonem, occasione ostensarum diuitiarum, diuinum illud decretum enunciat. Congruum enim fuit, vt sicut opes gloriosè monstratæ fuerant, ita ignominiosè auferrentur; & sicut nihil fuerat, quod non seruisset vanitati, ita nihil esset, quod non subiaceret rapinæ. Sic cùm Samuel prædixisset Sauli regni iacturam, & rex pallij eius summitatem retinuisset, eaque scissa fuisset, audiuit à propheta. *Scidit hodie Dominus regnum Israel à te*, propter similitudinem scissionis; etsi scissio pallij causa non fuisset regni scindendi, sed inobedientia antegressa.

*Ex conueniēti a ostentatione.*

c q. 42. & 43. in c. 20. 4 Reg.

XXXVIII. *Et captiuitate filiorum eius.*

ADDIT autem Esaias alterum calamitatis genus. *Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.* Quæ verba satis indicant, ante hæc tempora Ezechiam non habuisse filios, & ipsum postea non solum Manassem genuisse. Qui autem hi fuerint, Hebræi diuinare voluerunt, vt retulit D. Hieronymus. [d] Ex eo enim quod Eunuchorum propheta meminit: *Hebræi volunt*, inquit, *Danielem, Ananiam, Misael, & Azariam, qui fuere de regio semine, factos esse Eunuchos, quos in ministerio regis Nabuchodonosor fuisse non dubium est.* Idem fusius ex Hebræis refert in primo libro contra Iouinianum. Idem legerat apud istos Gregorius Nazianzenus. [e] *Feruntur*, inquit, *tres illi pueri in Babylone in fornacem coniecti, Ezechiæ filij fuisse.* Et ante vtrumque Origen. tract. 7. in Matth. in illa verba. *Sunt Enuchi, qui se castr.* ait filios Hebræorum Danielem, & pueros tres in Babylonia factos Enuchos, vt impleretur verbum Dei dicentis ad Ezechiam. *Quoniam de semine tuo accipient, & facient spadones*, &c. Idem legerat vel apud Hebræos, vel apud D. Hieronymum Procopius in Esaiam, vbi idem ex aliquorum opinione refert.

d in c. 39. Esaiæ.

*An isti Daniel cū socijs.*

e Orat. 47. fin.

XXXIX. *Fuisse posteros, non filios.*

HAC de re ita sentiendum videtur. Primùm istos non fuisse reuera, & immediate filios Ezechiæ, & Manassis fratres. Nam Daniel cum sociis suis dicuntur [f] pueri, & coæui puerorum, & adolescentulorum: idque tertio anno regni Ioacim. A morte autem Ezechiæ ad tertium regni Ioacim, omnino 91. anni numerantur, & plures etiam si legamus cum Septuaginta regiis, de filiis iam ab eo genitis agi; nam in præterito legunt, non in futuro. Non ergo eo tempore pueri, vel adolescentuli esse potuere: neque aliud prædicti doctores voluerunt, quàm eos fuisse ab Ezechia oriundos: quibus adde Iosephum. [g] *Scito*, inquit, *quod hæ diuitiæ paulo post transferentur in Babyloniam; & posteri tui, virilitate amissa, Enuchi seruient regi Babylonio.* οἱ ἔκγονοι εὐνουχισθησόμενοι.

f Daniel. 1.4.10.17.

g l.10.c.3.

*Nec Eunuchos videri.*

Secundò non videri Danielem, aut socios Eunuchos fuisse, præsertim Danielem, de quo Dorotheus in Synopsi, ait fuisse virum castum, ita vt videretur Iudæis spado. Eadem habet Epiphanius in eius vita. Sed nec sequitur eos Eunuchos fuisse ex eo, quod sub Eunuchorum præfecti fuerunt cura, quamuis id

affirmet

affirmet Abulensis 4. Regum 20. in expositione textus; nam Eunuchi nomen pro cubiculariis non raro ponitur. [a] Nec dubium est, quin nomine Eunuchorum ephebi honorarij accipi possint. Rem tamen in dubio ad alium locum relinquamus.

[a] vt supra 4 Reg 8.6. & 9.32. 1. Paral. 18. 8 &c. Vide Vatabl. in 4. Reg. 20.31.

XL. *Videri agi de immediatis filiis.*

Tertio videri prophetam de filiis ab ipsomet Ezechia genitis, & fratribus Manassis agere. Nam id disertissimis verbis videtur exprimere voluisse sacer historicus, cum ait. *Sed & de filiis tuis.* Sed quia nepotes quoque dicuntur filij, addit, *qui egredientur ex te*, & rursum, *quos generabis, tollentur.* Quæ etiam ab Esaia repetuntur; & in textu Hebræo, Græco, Chaldæo, Latino, eodem modo habetur. Quam verborũ congeriem non video quò melius referre possimus, quam ad distinctionem propriorum filiorum à nepotibus. Proptereaq; nihil est absurdi existimare agi hoc loco de fratribus Manassis natu minoribus, qui cum eo in Babylonem abducti sint, ibique in pueris honorariis Chaldæi regis, locum habuerint.

XLI. *Ezechias acquiescit diuino iudicio.*

Audito tam tristi nuncio, dixit Ezechias ad Esaiam. *Bonus sermo Domini, quem locutus es, sit pax, & veritas in diebus meis*; id est stabilitas. Optat vt si quid Dominus pro sua iustitia in regno suo turbare voluerit, ne id contingat tempore vitæ, sibi à Deo misericorditer concessæ. *Ezechias*, inquit Iosephus, *contristatus hac prædictione, ait se quidem malle gentem suam in eam calamitatem non incidere; sed quando aliter visum sit Deo, precari, vt saltem ipse possit in pace, quod reliquum est vitæ exigere.* Sic Iosephus [b] responsionem Ezechiæ interpretatur. Ex quo ignorantiam, & improbitatem Hebræorum illorum agnoscas, qui, apud D. Hieronymum in cap. 39. Esaiæ, sanctum regem accusant, qui non sit imitatus Moysem orando pro populo, vt parceret populo, aut deleret eum de libro vitæ; sed pro se orarit, populi calamitatem parum curans. Id autem displicuisse Domino, ideoque prophetam ad populum conuersum, eum consolari dicendo statim capite sequenti. *Consolamini, consolamini, populo meus dicit Deus vester.*

[b] l 10. c.3.

*Malè accusatur à Rabbinis.*

XLII. *Reyciuntur, ac refutantur.*

Quam vellem S. Hieronym. aliquando nonnihil succensere istis prophanorum ineptiis, & calumniis, easque solidè expendere, vt erat acerrimo vir ingenio, atque iudicio: & pro eximia sua dicendi facundia, pro meritis explodere. Sed ipse illas nugas referre passim contentus; ad alia, atq; alia celeriter excurrit. Respondebimus autem pro religiosissimo principe, magna summissione animi, diuinæ sapientiæ acquiescente, non constare eum pro populo non orasse, quod ab istis primum probatum oportuit; sed apparet eam tantùm partem precum mandatam literis, quæ à Domino fuit exaudita. Quomodo enim credibile est, tam pium regem pro templo Dei; & posteritatis amantissimum, pro filiis suis non fudisse preces? Huic autem coniecturæ fauet admodum illud, *saltem*, quod Iosephus in verborum Ezechiæ expositione ponit, loco vocis, *tantum*, quæ habetur apud Esaiam cap. 39. fin. in Hebræo autem, Græco, & Chaldæo non habetur. 2

2. [χ].

LXIII *Et vicissim accusantur.*

Præterea nonne iniustum, atque impium est in deteriorem partem verba Sanctorum interpretari, cùm etiam improborum hominum ambigua verba malè accipere, cùm bene possis, sit contra rationem? Denique audi D. Ambrosium, libro 1. cap. 8. de Iacob, & beata vita. *Iustus dixit: Bonum verbum, quod locutus est Dominus: & dixit, fiat pax, & fides in diebus meis. Non vtique iustus iste Ezechias in filiós deflexisse ærumnam captiuitatis gratulabatur; sed voluntati Domini obuiare non poterat, & ideo mandata eius æquanimiter suscipiebat, vt seruulus. Accedit illud, quod æstimare poterat, posse & in captiuitate meritum eminere virtutis.* Hæc Ambrosius. Huc etiam pertinent illa. [c] *Humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor eius, tam ipse, quàm habitatores Ierusalem*, ad quos scilicet peruenit huius prophetiæ nuncius, *& idcirco non venit super eos ira Domini, in diebus Ezechiæ.*

*Ambros. pro Ezechia.*

[c] 2. Par 32. 26.

*SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3324.*

1. N. XVI. NOn fuisse autem istum Merodach patrem Nabuchodonosoris, licet id Hebræi apud D. Hieronymum in cap. 39 Esaiæ autument, tempus ipsum facile conuincit, cùm vt supra diximus, regnum eius centum ab hinc annis, eoque etiam amplius distet: eius autem mors centum, & quinquaginta. Ideoque rectius Genebrardus auum fuisse asserit, & inter vtrumque Ben Meradach inserit, cui & 45. regni annos attribuit: sed ea de re diligentius suo loco.

Quamquam non est inusitatum Scripturæ vocem, *tantum*, pro, *saltem*, accipere Matth. 9. 21. *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti*, &c. sic Genes. 24. 8. *filium meum tantùm ne reducas illuc.* 2. N. XLII.



# ANNVS MVNDI 3325. QVINTAE AETATIS 386.

FVNDATI TEMPLI 303. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 17. NERIÆ PONTIFICIS 17. ASARHADDONIS 2. IMPERII ASSYRIORVM 1393. MERODACHI BABYLONII 2. OLYMP. XII. ANN. 4. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 24.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 728.

I. *Ezechias clarescit fama. Ann. Sabbat. 106.*



EZECHIAS fracta diuinitus Assyriorum potentia, & inita cum Babyloniis societate, & amicitia, pacem habuit cum finitimis gentibus, quo illi facilius fuit, & pronius annum Sabbaticum sextum supra centesimum, qui in hunc annum cadit, inchoare. Præsertim cum regis felicitatem sacer testetur historicus.[a] *Saluauit Dominus Ezechiam, & habitatores Ierusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, & de manu omnium*; maximéque Philisthæorum, quos iam à principio regni sui afflixerat. *Et præstitit eis quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hostias, & sacrificia Domino in Ierusalem.* Qui nimirum se tam admirabilem, & propitium Ezechiæ, tam formidabilem hostibus eius præbuisset. Eos autem fuisse gentiles ex regno decem tribuum, ait Chartus. in eum locum, & constat ex 1. Esdræ,[b] quem locum paulo post referemus; Ægyptios quoque, & Æthiopes, pro crudeli ipsorum hoste interfecto, pacificas Deo hostias obtulisse, ex illo Esaiæ loco confirmari potest.[c] *Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & in muneribus, &c.* Solet enim Esaias vicina remotis prophetando colligare.[d] *Multi* ergo, & non solum Babylonij *deferebant munera Ezechiæ regi Iuda; qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.*[e]

II. *Ex diuitiis.* Ex quo etiam factum est, vt fuerit *diues, & inclytus valde*,[f] *& thesauros sibi plurimos congregarit argenti, & auri, & lapidis pretiosi, aromatum, & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præsepia omnium iumentorum, caulasque pecorum, & vrbes ædificauit sibi.* Non est intelligendum dici hic Ezechiam simpliciter vrbes ædificasse, sed vrbes aliquas destinasse conseruandis, & recipiendis omnibus hisce bonis, quæ narrauit; eumque in finem eas firmiores reddidisse, in eisque horrea, & cellaria construxisse. Vnde in Septuaginta regiis dicitur habuisse etiam ciuitates in frugibus tritici, vini & olei; & præsepia omnis iumenti. *Habebat quippe greges ouium, & armentorum innumerabiles:* quæ erant antiquorum principum non solum Hebræorum, sed Moabitarum diuitiæ.[g] *Eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis.*

III. *Causa earum.* HÆc de Ezechiæ potentia, & diuitiis Scriptura; quæ causas eius ponit pietatẽ Regis in Deum, & Dei in regem benignitatem, tum pacem, agriculturam, principum numera: spolia etiã regis Sennacherib, qui haud dubiè, vt in trepida fuga, multam pretiosam supellectilem reliquit in castris; & spolia numerosissimi, &

a 2 Paral. 32. 22.
b c. 4. 2.
c c. 19 21.
d c. 7. 8. 9. 10.
e 2. Par. 32. 23.
f vt dicitur v. 27.
g 4. Reg. 3 4.

potentissimi exercitus non postremum locum tenent. Cæterùm quæ huc cum Scriptura congessimus, non ad vnum aliquem annum, sed ad reliquam vitam Ezechiæ pertinent, quam vt diuino munere concessam, etiam multipliciter benedicere, & fortunare voluit: quin etiam ad præcedentem vitam rebus præclare gestis fortunatam. *Felicitas eius in reliquam vitam.*

INTEREA Asarhaddonem nouos insuper incolas in Samariam, regnumque Israël misisse satis constat. Nam libro 1. Esdræ [a] Samaritæ accedunt ad Zorobabelem, & cum eo volunt ædificare Domino templum: *quia ita vt vos*, aiunt, *quærimus Deum vestrum. Ecce nos immolauimus victimas à diebus Asarhaddon regis Assur, qui adduxit nos huc*; quæ fuit renouata transmigratio à tempore captæ Samariæ à rege Salmanasare. Glossa interlin. [b] ait Asarhaddon misisse habitatores in Samariam, ne terra inculta remaneret. D. Hieronymus recitat quorundam opinionem, qui dicunt quintum de regibus Assyriis Asarhaddon, translato Israële Samaritanos in terram Iudæam custodes misisse; sed id opus non tantùm Asarhaddonis, sed Salmanasaris in primis fuit. Sicut & Sulpitius Seuerus de eo scribit. *Populum*, inquit, *vniuersum in regnum suum abduxit, Assyriis in hostili solo, ad custodiam positis, exinde ea pars Samaria appellata, quia lingua Assyriorum custodes Samaritas vocant.* Id verumne sit, qui linguam Assyriorum norunt, iudicabunt. Non dubium tamen est Samariam ab Hebræo שמר Samar recte deduci, quod est seruare, custodire, &c. Certè Scriptura eos missos ad incolendum affirmat. [c] Et Iosephus [d] ait istos à Iudæis, siue Hebræis vocari Cuthæos, à Græcis autem Samaritas: nec tamen nouo nomine, cum Amri pater Achab, ante annos 212. empto monte Somer, ab eo ciuitatem ibi ædificatam vocarit Samariam. [e] Sed redeamus ad Asarhaddonem. *IV. Asarhaddon nouos colonos mittit in Samariam. Et quæ de causa.*

[a] c. 4. 2. [b] 1. 4. Reg. c. 19. [c] 4. Reg. 17. 24. [d] l. 9. c. vlt. [e] 3. Reg. 16. 24.

RECTE Torniellus, [f] quod nobis quoque in mentem venerat, putat Assarhaddonem, sub hæc regni sui initia, misisse Assyrios in terram Israël, veritum ne occasione tantæ cladis bene vsus Rex Iuda, in regnum Israël, à suo imperio iampridem malè distractum, paucis Assyriis frequentatum inuaderet. Quod sanè mirum est non fuisse factum; cùm & opibus, virisque potens esset, & Babylonium amicum haberet, & socium; & quod caput est, fauentem, atque adiutorem Deum; præsertim cum nihil sibi tunc ab Assyriis Ezechias formidare posset. Asarhaddon enim nequaquam patriam deserturus erat, ne interea fratres eius maiores natu regnum desertum occuparent, & regnum aliquod, vt nunc Babylonium, ab imperio Assyriorum deficeret. Sed ei Deus eam mentem non dedit: fortè etiam prohibuit, vt olim vetuit Roboamum contra Ieroboamum pugnare; nec fortè iuuisset Babylonius. Mira enim esse solet inter principes æmulatio, dum singuli omni studio crescere appetunt, nec minore tamen cura contendunt impedire incrementa reliquorum; veriti ne aliena amplificatio, cedat in diminutionem, aut ruinam suam, quamuis id cessurum esset in diuini cultus, ac religionis incrementum. *V. Alia causa propria temporis huius. Cur Ezechias non inuaserit regnum Israelis.*

[f] an. 3045. ætat.

## SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI. 3325.

Sch. N. IV

QVem Genebrardus ait repleuisse terram Israël nouis habitatoribus, cùm Salmanasar paucos tantùm è diuersis regionibus adduxisset; id ex Scriptura non colligitur 4. Reg. 17. 24. quæ ait collocatos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israël, *qui possederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius.* Quod de paucis dici non potest. Adde quod paucos facilè vicisset Rex Iudæ, & regionem sibi vindicare potuisset. Quod autem id ex Iosepho tradit, sine dubio fallitur: neque enim quidquam huiusmodi apud Iosephum legitur, siue libro 9. ant. cap. vlt. siue libro 10. cap. 2. vbi eum Asarachoddam vocat, & Sennacheribo successisse ait, licet minorem natu filium, præterea nihil.

## ANNVS MVNDI 3326. QVINTÆ ÆTATIS 387.

FVNDATI TEMPLI 304. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 18. NERIÆ PONTIFICIS 18. ASARHADDONIS 3. IMPERII ASSYRIORVM 1394. MERODACHI BABYLONII 3. OLYMPIADIS XIII. AN. 1. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 25.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 727.

I. *Olympias 14. Ortus Manaßis.* DIOCLEM Corinthium hac decima tertia Olympiade in stadio victorem profert Olympionicarum catalogus, in Thesauro temporum. Hic quoque annus tertius est vitæ Ezechiæ diuinitus concessæ, quo natus est Manasses, patre eodem Ezechia, matre Haphsiba: idque ex Scriptura manifeste deducitur. Cùm enim duodecim esset annorum quando regnare cœpit, [a] hoc anno natum oportuit, & quidem sub eius initium, totidem enim anni vsque ad mortem Ezechiæ numerantur. Pono autem istos annos completos, & integros. Neque enim par est credere, vt ante diximus, liberalem principem largitum fuisse quindecim annos diminutos, aut malignè truncatos. *a 4. Reg. 21.*

II. *Quid in eo mirãdum.* QVOD si quis miratur non prius natum Ezechiæ filium, saltem primo anno istorum quindecim; cùm præsertim, vt ex aliquot patribus supra [b] notauimus, maximus ei esset mœror liberis carentem vita fungi: miretur potius hominem tantis precibus, & lachrymis exoratum à Deo, tam nefarium, & scelestum extitisse. Cum tam multis exemplis ex sacris, profanisque literis constet, filios à Deo precibus impetratos, eximios virtute, & sanctitate extitisse; Vt Samuelem, Samsonem, Isaac, & Ioseph, patriarchas: Ioannem Baptistam, Beatissimam Virginem, D. Bonauenturam, D. Nicolaum, & alterum D. Nicolaum Tolentinatem, D. Franciscum à Paula, aliosque non paucos. *b n. 78. 79. & schol. 4.* *Sancti precibus impetrati.*

III. *Consilium Dei circa Manassem.* AN dicendum est Dominum ostendere voluisse, quantum posset naturæ corruptæ libertas in malum, quæ filium duodennem in sanctissima patris disciplina educatum, & precibus etiam à Deo impetratum, in transuersum egit. An populi scelera talem merebantur vltionem? vt si qui adhuc furtim in sordibus idolorum volutabantur, sordescerent adhuc, quod Iosiæ quoque tempore, [c] vt supra dicebamus, contigisse Ieremias lamentatur. *c Ierem. 3. 6*

Sed Dominus qui Manassem ad tempus deseruit, cordis sui mali sectantem vias, per afflictionem Babylonicam eum reduxit ad se, & propter Ezechiam seruum suum, fecit ne in æternum periret. Sed de his postea.

IV. *Interpretatio nominis eius.* CIRCA Manassis nomen philosophatur author operis imperfecti in Matth. in cap. 1. *Manasses*, inquit, *interpretatur ab insurgente*, vel *ex obliuione*, quam interpretationem commendat etiam liber Genes. [d] Vbi cum natus fuisset in Ægypto filius Iosepho, *vocauit nomen eius Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. Si ab insurgente intelligatur, sic possumus dicere*, inquit, *quia fortè ab insurgente Sennacherib contra eum, liberauit eum Dominus: ideo quasi gratias agens Deo, postea in nomine filij sui vocauit eum Manassem. Si autem ex obliuione, significat eum sibi ex insperato natum, quia antea filios non procreabat.* Sic ipse, interpretatus nomen Manassis, habita ratione parentis. Si quis autem mores impios Manassis inspexerit, dicet diuina prouidentia factum vt ita vocaretur, siue quia oblitus fuit omnem sanctam patris sui conuersationem, institutionem, omniáque Dei in se collata beneficia; siue quia ab insurgente diabolo extimulatus, gesturus erat omnia, quæ Deum poterant ad iracundiam longe maximam, totique populo perniciosissimam prouocare. *d c. 41. 51.*

V. *Asarhaddon vexat Iudæos.* DE Asarhaddon illud hoc loco notandum, eum malè tractasse hoc tempore Iudæos in regno suo, patris sui vestigiis insistendo, qui ex quo fuga se in

Niniuem recepit, eos afflixit. Id satis intelligitur ex Tobiæ capite 1. & 2. Cùm enim dixisset post mortem Sennacheribi, Tobiam seniorem reuersum fuisse in domum suam, omnémque eius facultatem illi restitutam: mox capite 2. refert Iudæum vnum iugulatum in platea iacuisse; quem cùm ille rapuisset, vt occultè sepeliret, dum Sol occubuisset; *arguebant eum omnes eius propinqui dicentes, iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium. & iterum sepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.* [a Tob.2.8.] *Tobia charitas in defunctos.*

VI. *Iudæorum publica cædes.* VNDE intelligitur has cædes non ex priuatorum querelis ortas, sed publica factas authoritate: quæ etiam sub pœna capitis sepulturam illorum prohibebat, volente rege, præter mortis iniuriam, etiam occisorum corpora volucribus, & feris abiici insepulta. Ex quo agnoscitur eximia Dei bonitas in suos, qui bonum Tobiam, cum familia sua conseruabat, etiam Regis mandata, propter Dei timorem, violantem. Nec in Tobiam solùm Dominus prouidentiæ suæ, protectionisque dulcedinem extendit, sed in propinquos etiam eius. Nam hic ipse rex Asarhaddon magnis affecit honoribus Achiacharum, Anaëlis fratris Tobiæ filium, vt ex Græco Tobiæ textu constat: vbi dicitur constitutus à rege primo pincerna ipsius, deinde ab annulo regio, tertio totius domus administrator, quarto rationibus omnibus præfectus, apud quem scilicet quæstores omnes rationem redderent, postremo secundus à rege, siue vicarius eius. ✠. Et hic, vt ibid. dicitur, impetrauit vt patruus suus rediret in Niniuem. Quibus similia legimus de Iosepho patriarcha, de Mardochæo, de Esdra in captiuitate positis. [b] *Dei in Tobiam, eiusque propinquos prouidentia.* *Achiacharum nepos Tobiæ.* [✠.] [b Gen. 41. Hester.8.2. 2.Esd. 2.1.]

---

*SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3326.*

[Sch. N.6.] Id enim valent ea verba. Καὶ ἔταξεν Ἀχιάχαρον ἐπὶ πᾶσαν τὴν ἐκλογιστίαν τῆς βασιλείας αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν διοίκησιν. & mox. Ἀχιάχαρος ἦν οἰνοχόος, καὶ ἐπὶ τοῦ δακτυλίου, καὶ διοικητής, καὶ ἐκλογιστής. Καὶ κατέστησεν αὐτὸν ὁ Σαχερδονὸς ἐκ δευτέρας. ἦν δὲ ἐξάδελφός μου. Hæc capite primo Tobiæ extremo.

# ANNVS MVNDI 3327. QVINTAE AETATIS 388.

FVNDATI TEMPLI 305. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 19. NERIÆ PONTIFICIS 19. ASARHADDONIS 4. IMPERII ASSYRIORVM 1395. MERODACHI BABYLONII 4. OLYMP. XIII. ANN. 2. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 26.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 726.



I. *Summa aliquot annorum.* NIHIL distinctè ad tres, quatuórue annos ex sacra historia referre possumus. Ezechias regnum suum pacificè administrat, pluresque gignit liberos, in captiuitatem Babylonicam, cum Manasse, iuxta vaticinium Esaiæ, postea abducendos. Israëlitæ apud Assyrios affliguntur, vt proximè dicebamus. Asarhaddon languet ignauia, nec quidquam contra Babylonios molitur. Merodach autem ad idem regnum Babylonicum constabiliendum curas omnes, industriamque conuertit.

*Esaiæ oracula de Christo.* Esaias propheta à capite 40. suæ prophetiæ ad finem vsque, totus est in Christi aduentu, vita, miraculis, prædicatione, passione, Christianæ religionis mysteriis, vocatione gentium, Iudæorum reprobatione explicandis; & perpauca alia inserit, vt 47. quod est contra Babylonem, & 58. quod deprauatos populi mores corrigit; & si quas alias sparsim addit capitum particulas. Quæ omnia tum ad hunc Ezechiæ annum, tum ad consequentes eiusdem regni pertinent.

Nam Isaiam vltra Ezechiæ annos non prophetasse, ex initio eiusdem vaticinij satis constat.

II. *Prophetia Habacuch quando edita.*

IN hosce etiam annos, & aliquot sequentes coniicimus prophetiam Habacuc, qui contra Iudæam, & Hierusalem, S. Hieronymo interprete, prophetauit; sed de tempore tota quæstio est. Nam quidam post captiuitatem duarum tribuum prophetasse putant, vt D. Hieronymus in prologo commentar. in hunc prophetam, & in cap. 1. eiusdem, in ea verba. *Et factum est iudicium.* Quem sequuntur Haymo, Remig. Albertus, Hugo, Lyranus, & Dionysius; qui volunt illum regni Babylonici interitum prænunciasse: quæ videtur etiam Theophil. sententia in prologo eiusdem prophetiæ, & in fine, vbi vitam Habacuc describit. Alij autem tempore Manassis prophetam egisse volunt, in quibus Christophorus Castrius, [a] & alij, vt mox dicemus; quidam etiam tempore Ezechiæ.

[a] l. 4. de proph. c. 8 & l. 8. com c. 1. n. 3.

III. *Non post Hierosolymæ cladē.*

DICENDVM videtur primo Habacuc non prophetasse post euersionem regni Iuda, quia absurdum est prophetare aliquid futurum, quod iam factum est. At propheta hic prædicit venturos Chaldæos contra Iudam, & Ierusalem: ait enim. [b] *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram, & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua,* &c. Quæ de Nabuchodonosore contra Iudam dicta esse, ipsemet Hieronymus initio commentariorum fatetur. Ergo nondum venerant, qui suscitandi erant; ergo non possidebant, qui venturi erant ad possidendum; nec capti erant, qui in captiuitatem redigendi erant. Annon esset, inquit Ribera (in prælud. 2.) prophetia hæc similis Homeri, Virgiliique prophetiis; qui de rebus ante multos annos præteritis, quasi de futuris vaticinabantur. Aut si iam venerant, iam suscitati erant, iam possidebant, quomodo verè dici potest. *Ecce ego suscitabo Chaldæos?* &c.

[b] c. 1. v. 6.

IV. *Confirmatur eadem assertio.*

DEINDE nunquam suscitati sunt Chaldæi contra Iudam, & Ierusalem, post ciuitatem, & templum à Nabuchodonosore euersum; imo suscitauit Deus Cyrum, qui Chaldæos perdidit, & eorum imperium transtulit ad Persas. Diuus autem Hieronymus dubius in hac re fuisse videtur; & supponere vnum, eundémque esse, qui tulit prandium Danieli, & qui hanc scripsit prophetiam. (in prol. in Habacuc) *Et vt scias,* inquit, *eo tempore fuisse Habacuc, quo iam duæ tribus, quæ vocabantur Iudas, ductæ erant in captiuitatem, Daniel docere te poterat, ad quem in lacum Leonum Habacuc cum prandio mittitur: quamquam apud Hebræos hæc ipsa non legatur historia. Igitur siue quis recipit Scripturam illam, siue non recipit, vtrumque pro nobis est. Aut enim recipit, & iam post factam rem liber Habacuc texitur: aut non recipit, & quasi propheta scribit, quæ ventura cognoscit.* Verùm geminum fuisse Habacuc temporis interiecti longitudo conuincit. Nam hic posterior videtur Cyro iam regnante Babylonem delatus, vt ex fin. cap. 13. Danielis colligitur. Hic autem si tempore Manassis, vel Ezechiæ prophetauit, quod plurimi omnino sentiunt; & cùm prophetauit triginta annorum fuit, quæ ætas prophetis tribui solet, cum vaticinari incipiunt, certe Cyri annum primum plus 180. annis antecessit.

*Geminus Habacuc.*

V. *Fuisse ante eam cladē.*

DICENDVM 2. Habacuc ante captiuitatem regni Iuda, & ruinam Hierosolymorum prophetasse. Nam Dorotheus in synopsi ait eum expugnationem vrbis Ierusalem ante captiuitatem vidisse, & vehementer luxisse. Idem scripsit Epiphan. in vita ipsius, & Theophyl. in fine comment. in eundem prophetam. Ordo etiam librorum duodecim prophetarum minorum id confirmat. Cùm enim iuxta antiquitatem ordinati sint, vt superius cum D. Hieronymo, & Ribera dicebamus, & Sophonias, qui proximè sequitur Habacuc, tempore Iosiæ prophetarit, qui regnauit, & mortuus est ante captiuitatem, etiam Habacuc ante illam captiuitatem prophetasse necesse fuerit.

VI *Et tempore Manassis.*

DICENDVM 3 probabile esse Habacuc tempore Manassis prophetasse. Id enim affirmat Chronicum Hebr. cap 20. aitque prophetam ipsius nomen, propter improbitatem eius, subticuisse. idemque de Ioële affirmat, & Nahum, de quibus actum est suis locis. Idem de Habacuc affirmant Ribera in prælud. 2. in fin & Christophorus à Castro loco ante citato, cum Torniello [c] qui putant eum sub annum decimum quartum eiusdem regis prophetasse, paulo antequam is à Babyloniis caperetur. Et quæ à propheta dicuntur de impio conculcante iustiorem se, de Manasse quoque accipi possunt.

[c] Anno 5. ætatis 329.

VII Atque adeo Ezechia.


DENIQVE dicendum videtur Habacuc ante Manassem, viuente adhuc Ezechia, sub quo & Nahum, prophetasse. Nam capite primo [a] denunciat Chaldæum de regibus triumphaturum, & tyrannos ridiculos eius fore. Quibus verbis, ait Ribera loco citato, prædicit futuram Nabuchodonosoris, & Chaldæorum potentiam, qua Assyrios, omnium potentissimos debellaturi erant (quæ fuit etiam prophetia Nahum, ex quo apparet eodem fere tempore vtrumque prophetasse) & alias multas nationes, denique Iudæos, & Ierusalem. Atqui Assyrij plus quinquaginta annis ante natum Nabuchodonosorem debellati sunt à Merodacho Babylonio; & imperium Assyriorum ad Babylonios transiit viuo adhuc Ezechia; nam Assarhaddon decimo regni sui anno, vita, & imperio priuatus est: qui annus decimus in vigesimum quintum Ezechiæ cadit. Quod confirmat Iosephus, [b] qui ait regnum Assyriorum, tempore Ezechiæ, à Medis, siue Babyloniis euersum esse. Si ergo Habacuc Assyriorum interitum prædixit, oportet eum sub Ezechia prophetasse.

a v. 10.
b l. 10. c. 3.

VIII. Confirmatur eadem Chronologia.

CONFIRMATVR idem ex verbis Habacuc. [c] *Opus, inquit, factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur.* Vbi Hebræus habet in præsenti. *Opus operor.* sicut & Septuaginta, & D. Paulus Actorum 13. Vbi hoc loco vtitur ad propositum suum: quasi dicat Dominus, ait Ribera, vos non creditis, nec putatis vnquam fore; & ego hoc ipsum iam operor, & molior, id iam factum putatote: cito quippe perficietur. Iam paulatim hoc ago, vt augeantur vires Chaldæorum; vt tandem templum, & vrbem vniuersam capiant, & incendant. Non enim sibi poterant persuadere Iudæi, tantam fore vllius gentis contra se fortitudinem, aut potius ita se à Deo relictum iri, vt vrbs & templum vastarentur, & Iudæa hominum feracissima in solitudinem redigeretur; quæ tanto confidentius Ribera dicere potuit, & certius, iuxta nostram Chronologiam; iuxta quam hoc tempore à morte Sennacherib, coalescere cœpit regnum Babylonium, sub rege Merodacho; quem ab Habacuc intellectum existimamus, & non solùm Nabuchodonosorem, nam & Assyrios ipse deleuit, translato ad se imperio, quod tot seculis in ea gente steterat, & insuper regem Iudæorum Manassem in vinculis habuit.

c c. 1. 5.



## ANNVS MVNDI 3330. QVINTAE ÆTATIS 391. FVNDATI TEMPLI 308. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 22. NERIÆ PONTIFICIS 22. ASARHADDONIS 7. IMPERII ASSYRIORVM 1398. MERODACHI BABYLONII 7. OLYMP. XIV. AN. I. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 29.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 723.

I. Finis belli Messenici vicennalis.



MESSENII bellum contra Lacedæmonios susceptum, ad hunc vsque annum protraxerunt; cum ducibus omnibus, ipsoque rege Aristodemo, qui sibi manus intulerat ad sepulchrum filiæ, à se pro patria iugulatæ, & optimis quibusque ciuibus amissis, belli anno vigesimo iam pene exacto, Ithomen, primarium Messeniorum oppidum, fame domiti deseruere; anno primo decimæ quartæ Olympiadis, qua Damon Corinthius in stadio vicit. Lacedæmonij occupatam Ithomen solo æquarunt, indéque reliquis Messeniorum oppidis facilè potiti sunt. Hæc pluribus Pausanias in Messenicis, [d] cui cum Eusebio in ratione temporis non conuenit. Ait enim Pausanias finem belli contigisse, cùm Hippomenes Atheniensis quartum imperij annum exegisset, cùm is apud Eusebium ne inchoasset quidem. Hac eadem Olympiade additus est duplicati stadij cursus quem δίαυλον Græci vocant, è quo, accepta ex oleastro coro-

Ithome.
d l. 4. p. 124. Græ.
δίαυλος.

na, victor discessit Hypenus Pisæus. Sic idem Pausanias. [a] a l.5 p.155. Græc.

Hebræa res hoc tempore, sicut & Romana, silet; Assyria languet; Babylonia reuirescit.



## ANNVS MVNDI 3331. QVINTÆ AETATIS 392. FVNDATI TEMPLI 309. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 23. NERIÆ PONTIFICIS 23. ASARHADDONIS 8. IMPERII ASSYRIORVM 1399. MERODACHI BABYLONII 8. OLYMPIADIS XIV. AN. 2. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 30.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 722.

I. *Cæcitatis Tobiæ.*



SEXTVS, & quinquagesimus est hic annus vitæ Tobiæ Senioris: tot enim ab anno 51. Oziæ, quo anno eum natum diximus euoluti sunt, idémque decimus octauus captiuitatis Israëlitarum; quo anno vir iste sanctus excæcatus est, vt perspicuè habetur [b] in extrema eius historia. *Quinquaginta*, inquit, *& sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius verò recepit.* Quæ mihi historia alteram ex Pausania reuocat in memoriam, quæ hac ipsa Olympiade contigisse perhibetur. *Accidit*, inquit, *eo tempore*, quo videlicet Messeniorum res accisæ, ad interitum ruebant, *vt Ophioneus vates, qui à primo statim ortu cæcus fuerat, oculis vti cœperit, mirabili admodum casu. Nam cum ingenti capitis dolore laborasset, ab ea valetudine luminis compos fuit. Aliquanto autem post nunciatum est regi Aristodemo, eum videre desiisse, ac rursum, vti ab initio, oculis captum esse. Quo casu mens oraculi intellecta est de duobus ex insidiis erupturis, iisdemque in statum pristinum redituris, Ophionæi enim oculos Apollinem innuisse.* [c] χ. b Tob.14.3 c l.4.p.115. & 124.græ. χ.

II. *Causa cæcitatis Tobiæ.* CAVSAM cæcitatis Scriptura profert cap. 2. siue finem, ob quem Deus seruum suum affligi permisit. *Hanc autem tentationem*, inquit, *ideo permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob. Nam cum ab infantia sua semper Deum timeret, & mandata eius custodiret, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Quasi dicat; iusta vulgo existimaretur querela serui, aduersus Dominum, si cùm erga ipsum omni semper officio egregiè perfunctus esset, à Domino vice versa, immeritis afficeretur plagis. At Tobias, qui vitæ sanctitate Iobi mores expresserat, eius quoque patientiam imitatus, *non est contristatus contra Deum*, nec eius accusauit prouidentiam; non ignarus eam afflictionem ad Dei gloriam, ad proximi exemplum, & in magnum afflicti cedere emolumentum. Quin potius ratus se eximio affectum beneficio, gratias egit non semel, sed *omnibus diebus vitæ suæ*. Tertia quoque res Tobiam Iobo similem fecit, quod vterque suorum exprobrationes fortiter tulit: sed hæc exprobratio ad annum sequentem merito differri potest. Nam calamitates huiusmodi à principio commiserationem gignunt, progressu autem temporis tædium, & querelas.

*Tobias Iobo similis.*

III. *Tempus, & modus cæcitatis.* ALTERA causa tempus simul, & modum continet huius cæcitatis. *Contigit autem*, inquit, *vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam iactasset se iuxta parietem, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius fieretque cæcus.* Textus Græcus apertè tradit hæc in festo Pentecostes contigisse, quo habuit conuiuium, & post eiusdem diei vesperam, sepultum ab eo mortuum, & ab ea sepultura cæcitatem dormienti contigisse. Nam inter alia. *Et quando*, inquit, *occiderat Sol, abii, & fodiens sepeliui eum; & in ipsa nocte redii, cùm sepeliuissem, & cubui pollutus iuxta murum atrii*, &c. Textus autem Latinus significat non illo, sed alio tempore rem accidisse, cùm dicat. *Contigit autem, vt quadam die,*

&c. S. quoque Athanasius in Synopsi aliud opus ab isto tradit, post quod cæcitatem incurrit. *Tobias*, inquit, *cùm aliquot mortuos sepeliisset*, extra domum obdormiit. Quia minimum ex lege [a] ingredi domum non licebat ei, qui ex cadaueris contactu inquinatus fuisset.

a Numer. 19.11.16.

IV. *Et locus extra domum.*

ITAQVE legis obseruantissimus Tobias *venit in domum suam*, vt ait Vulg. nec tamen ingressus est, sed extra ad murum atrij procubuit. *Et faciei mea*, inquit Græcus, *discooperta erat, & non vidi, quia passeres in muro erant, & oculis meis apertis, immiserunt passeres calidum in oculos meos, & factæ sunt albugines in oculis meis.* Non meminit apertorum oculorum textus Latinus, sed nec Græcus dormitionis: fieri tamen potest, vt quis apertis oculis dormiat. Nam Plinius [b] ait non solum lepores patentibus oculis dormire, sed etiam multos hominum. Sed pergit Tobias. *Et iui ad medicos, & non profuerunt mihi.* Præparabat quippe Dominus & cœlestem medicum, & mirabilem medicinam, cum eximio patientiæ fructu, & posteritatis exemplo. Vulgata editio hirundines habet, Græca passeres, sicut & S. Ambrosius ca. 2. de Tobia. στρουθίον enim passerculum significat, sed aliis etiam auiculis tribuitur id nomen, vt notat Serarius in hunc locum. Vnde merito D. Hieronymus transtulit hirundines, quæ ad tectorum appendices, & suggrundia nidificare solent, potiùs quàm passeres: præsertim cùm in vno Hebræo legatur hirundo, siue deror.

b Lib. c. 37.

### *SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI.* 3331.

Sch. N. 1.


IPsum oraculum extat apud Pausaniam in hæc verba.

*Τὴν δύο συντυχίας κρυπτοῦ λόχου ἐξαναδύντες.*
*Οὐ πρόσθεν δέ τινες τὸ δ' ἐπίφαντον ἱερὸν ἦμαρ,*
*Ῥεῖα τὰ πράγματα οὕτω πέζαι χρόνοι ἀριζοτάς*

Quæ sic vertit interpres,

*Tum gemini è latebris erumpent forte sub auras,*
*Nec prius euentum rerum lux alma videbit,*
*Iidem quam fato gemini fungantur eodem.*

Vides in vtriusque prodigij similitudine differentiam, quod vterque alternatim visum amisit, & recepit: si tamen placet narrationi, quæ de Ophionæo est, adhibere fidem, nec serpentinam suspectam habere calliditatem, & Græcam vanitatem. Sed Tobias aliquot annis tantum visu caruit, ille aliquot duntaxat annis vidit. Vir sanctus a tenebris ad lucem rediit, profanus post modicæ lucis vsuram, ad pristinas, perpetuasque tenebras recidit.



## ANNVS MVNDI 3332. QVINTAE ÆTATIS 393.

### FVNDATI TEMPLI 310. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 24.

NERIÆ PONTIFICIS 24. ASARHADDONIS 9. IMPERII ASSYRIORVM 1400. MERODACHI BABYLONII 9. OLYMP. XIV. AN. 3. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 31.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 721.

c Tobiæ 2. 15.



HOC iam anno impleri cœperunt ea, quæ Tobiæ capite 2. scripta sunt, de exprobrationibus, & murmurationibus contra Deum, quæ ab vxore, aliisque Tobiæ propinquis fiebant. *Nam sicut Beato Iob*, inquit eadem Scriptura, *insultabant reges, ita isti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes. Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas?* Curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes, quæ terrenam duntaxat mercedem, & felicitatem, spiritu Iudaico, planéque profano appeterent, & commoda vitæ huius finem constituerent operum bonorum, quibus Deus in præmium constituit æternam felicitatem. Itaque sanctè, sapientérque Tobias eos corripit simul, & docet dicens,

I. *Tobiæ cæco insultant sui.*

*Quos arguat vir Sanctus.*

*Nolite ita loqui, quia filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* At isti præposteri nolunt habere mercedem Deum; sed Deum ipsum, & cultum eius ad opes, sanitatem, honores, & cætera huius vitæ bona, tanquam media ad finem, intolerabili peruersitate, referunt.

II. *Tobiæ æquanimitas.* Magna fuit Sancti viri patientia, in ferenda cæcitate, maior etiam in istis irrisionibus, & contumeliis deuorandis, ab iis præsertim, à quibus consolationem, & auxilium sperare debuit. Sed multo eum affligebant acerbius, quod in Deum ipsum redundabant, quem iniustitiæ, in bonorum virorum mercede fraudanda, & expectatione fallenda, non obscurè accusabant. Itaque omissa iniustissima inhumanitatis accusatione eorum, qui hominem innocentem, eundémque afflictum, insuper & cognatum vexare non dubitabant, Dei vnius causam agit, & patrocinium suscipit diuinæ prouidentiæ, quæ in rebus humanis nequaquam dormitat, sed hominum negotia altissima sapientia regit, atq; dispensat: nihil vt boni mercede careat, nullum peccatum debitas non luat pœnas, siue in hac, siue in futura vita.

III. *Spoliatur iterum bonis.* Sed videtur etiam hæc insultatio, nouæ cuiuspiam calamitatis occasione, in sanctum Tobiam emissa; qua magis, magisque Deus fidelem seruum suum, tanquam aurum in fornace, probauerit; occasione scilicet spoliationis iteratæ propriorum bonorum. Nam in textu Græco legimus Achiacharum, filium fratris Tobiæ, ipsum nutriuisse, quoad vsque proficisceretur in Elymaidem. In Latino verò, & Græco, Annam vxorem Tobiæ vitam seruili labore tolerasse; ex quo rectè colligit Serrarius, [a] videri post cæcitatem rursum ab aliquo apud regem Assyriorum accusatum, & propriis facultatibus spoliatum. Qui etiam putat non Tobiam, sed Achiacharum profectum fuisse in Elymaidem; ideoque legendum in Græco ἐπορεύθη, non ἐπορεύθην, nec malè meo iudicio. Nam negotia regni, & palatij regij, quorum magnam partem Achiacharus administrabat, eum facilè in Elymaidem Medorum prouinciam abducere potuerunt; quò si Tobias profectus esset, vtique Gabelum quoque, in hisce rerum suarum angustiis, adiisset. [a] c. 2. q. 8.

IV. *Vxor eius famulatur.* Anna quoque Tobiæ vxor, & marito, & filio nutriendo, vel in opere textrino laborabat, laneis scilicet pannis, lineisue texendis, iuxta vulgatum, Hebræumque textum; vel mulieribus diuersis in operibus, famulabatur, vt in Græco habetur; & aliquando quidem heriles adibat domos, in quibus faciebat opus; aliquando etiam apud se laborabat, & confectum opus, mercedis recipiendæ gratia, tum ipsa deferebat per se, tum per Tobiam filium suum mittebat. Sed audiamus ipsummet Tobiam. Nam dulcis est eius omnis oratio super mel, & fauum. *Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat: vnde factum est, vt hœdum, caprarum accipiens detulisset domi. Cuius cùm vocem balantis vir eius audiuisset, dixit: videte ne fortè furtiuus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.*

V. *Domesticũ litigium de hœdo.* Græcus rem planiorem facit. Vxor mea Anna seruiebat in gynæcæis, & mittebat dominis, & reddiderunt ei etiam ipsi mercedem, addentes etiam hœdum. Quando autem venit ad me cœpit clamare; & dixi ad eam. Vnde hœdus? Nunquid furtiuus est? Redde dominis, non enim licitum est manducare furtiuum. At illa dixit. Donum mihi datum est super mercedem: & non credebam ei, & dicebam, redde illum dominis; & erubescebam aduersus eam. Domesticum litigium significat, ex quo verecundia affectus sit Tobias, qui pro sua modestia, & patientia nihil solebat commoueri: nunc autem veritus offensam Dei, & iniuriam proximi, commouetur. *Cur Tobias furtũ suspicetur.* Potuit autem non sine causa suspicari furtum, qui sciret homines operarus pauperibus malignè potius mercedem persoluere, quàm auctarium gratis addere. Nec ignoraret malesuadam esse egestatem, & experiebatur vxorem non satis timentem Deum, vt subiecta verba clarè testantur.

VI. *Querela vxoris eius.* Ad *hæc vxor eius irata respondit. Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosinæ tuæ modo apparuerunt.* In Græco. *Vbi sunt*, inquit, *eleemosinæ tuæ, & iustitiæ tuæ?* Quasi dicat: quid vsque adeo iustitiæ tenax es, & anxiè times alienum contrectare? Vides

quem fructum referas iustitiæ tuæ? Eiusdem generis est ista vox, eiusdemque malitiæ, cuius & superiores illæ opprobrationes. Et sanè furtum indirectè defendit, dum maritum reprehendit, vsq; adeo solicitum in inquirendo, furtiuusne sit hœdus, necne: non tamen propterea significat, se furto hœdum sustulisse; quippe Tobias ipse veritate perspecta scribit, hœdum vxori præter mercedem datum fuisse.

Et hanc fuisse mentem puto D. Augustini sermone 18. in Matth. vbi inter alia. *Quanta putatur infelicitas hominum, qui lucem istam corpoream non vident? Excæcatus est aliquis, continuo dicitur: iratum Deum habuit; aliquid mali commisit. Hoc vxor Tobiæ dicebat viro. Clamabat ille propter hœdum, ne de furto esset, nolebat sonum furti audire in domo sua. Illa defendens factum suum, opprobrio percutiebat maritum; & cùm ille diceret: reddite si de furto est, illa respondebat insultans, vbi sunt iustitiæ tuæ? Quàm cæca erat, quæ furtum defendebat? Et quam lucem videbat, qui furtum reddi imperabat. Illa erat foris in luce Solis, ille erat intus in luce iustitiæ: quis eorum erat in luce meliore?* Hæc ibi. Pro furto mulier, contra furtum vir contendebat; sed vterque ex suppositione; quasi diceret mulier, quid tua refert, siue furtiuus sit, siue non sit? Imo verò, inquit vir, si furtiuus est, reddi volo, nec placet cum iniuria proximi offendere Deum: & insuper breui voluptate perpetuum conscientiæ tortorem adsciscere. VII. Quid de ea Augustinum.



ANNUS MUNDI 3333. QUINTÆ AETATIS 394.
FUNDATI TEMPLI 311. EZECHIÆ REGIS IUDÆ 25.
NERIÆ PONTIFICIS 25. ASARHADDONIS 10. IMPERII ASSYRIORUM 1401. ET VLT. MERODACHI REGIS BABYLONIORUM 10. IMPERII BABYLON. INITIUM. OLYMP. XIV. AN. 4. ROMULI, ET URBIS COND. 32.

## ANNUS ANTE CHRISTUM. 720.



MOSAICUS Iubilæus decimus quintus, qui in hunc annum cadit, Assyriorum imperio funestissimus fuit. Cùm enim totis iam quatuordecim seculis, sub regibus 37. vt placet Eusebio, aut 41. vt habet Africanus, stetisset, & occidente Sardanapalo nutasset, ac pene collapsum esset; sub quinque deinde regibus, quos sacra historia suggerit, resumpsit vires, adeo vt Medos iterum, Babyloniosque ditioni suæ subiiceret, & populos inde, pro arbitrio transferret in Chananitidem, & hinc nouos colonos in Mediam, Babyloniamque transcriberet, vt suis locis ex Scriptura notatum est; donec Sennacheribi exercitu diuinitus internecione deleto, ipsoq; mox nefaria filiorum coniuratione extincto, ita accisæ sunt Assyriorum vires, vt filius eius Asarhaddon ægrè Assyriorum nomen, & potentiæ præteritæ vmbram sustentaret. I. Ruina imperij Assyriorum.

Sustentaret autem? imo & precario rex fieret, & tributa suo dudum subdito pendere cogeretur. Nouum id videri possit, & inauditum, non nouo tamen, neque exiguæ fidei teste probari potest. *Et cadet Assur*, ait magnus Esaias, [a] *in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij: & iuuenes eius vectigales erũt. Significabat autem*, ait ibi D. Hieronymus, *angelum, à quo 185. millia Assyriorum vna nocte deleta sunt. Ipse quoque rex Assyrius fugiet, non hominum gladium, sed iram Dei; ita vt iuuenes illius, atque robusti vectigales fiant Medis, de quibus supra contra Babylonem dicitur.* [b] *Ecce suscitabo vobis Medos.* Sic ipse. Sed nos de Assyriis agimus. Itaque libenter ausculto Sanctio nostro, *filij Assur, aut serui illius vniuersi principes, imo & reges: nam sibi reges seruos esse superbè gloriabatur Sennacherib*, [c] *vectigal ex eo ferme tempore soluerunt, primum Chaldæis, à quibus non longè post hanc cladem superati sunt; deinde Persis, & Medis.* Tempore videlicet Cyri, & Darij Medi. Interlinearis II. Factum est vectigale sub finem.

a c. 31. 8.
b c. 13. 17.
c c. 10. v. 8.

ait factos primum obnoxios tributis Nabuchodonosori, is nimirum est Merodachus, qui toto libro Iudith dicitur Nabuchodonosor.

III. *Merodachus id transfert ad Babylonios.*

SVSPICARI ergo possumus Merodachum Babylonium, calamitate Assyriorum bene vsum, ab eis aperte defecisse, tributorum vincula rupisse, dixisseq; non seruiam; & plenissimi iuris regem factum esse. Quin imo, vice versa, tributa Asarhaddoni imperasse; quæ hic vel prælio victus, vel metu prælij pependerit annis aliquot; donec anno regni sui decimo, tædio, ac pudore tributariæ seruitutis fatigatus, acie contra Merodachum decertauit, victusque regno, ac vita caruit; statimque Niniue, & pene totum eius imperium in victoris Babylonij potestatem, ac iura cessit; sed ita tamen vt non Assyriorum, sed Babyloniorum rex dici vellet, fieretq; deinceps non Assyriorum, sed Babyloniorum imperium. Vt quomodo à principio [a] ex Babyloniis imperium Assyriorum natum fuerat, ita nunc vice versa ex Assyriorum ruinis Babylonicum imperium construeretur. Quod maximum postea sub magno Nabuchodonosore incrementum accepit, vt suo loco dicemus.

[a] Vide an. m. 1951. nu. 55 & 56 & 1951. n. 1. 7. & 8.

IV. *Inde reges Babylonij Assyrij dicti.*

ITAQVE passim tam Merodach, quàm eius posteri reges Babyloniorum in sacris literis, siue Chaldæorum appellantur. Quia tamen penes ipsos erat Assyriorum imperium, eisque belli iure successerat, etiam reges Assyriorum dicuntur. Nam hic ipse Merodach, nouus Babylonici fundator, ac denominator imperij, [b] rex Assyriorum [c] dicitur, cùm eius principes dicuntur cœpisse Manassem, & vinctum catenis, atque compedibus duxisse Babylonem; id enim de Merodacho intelligendum esse suo loco demonstrabitur. Ergo rex Assyriorum dicitur, quia id regnum habebat in potestate. Quia tamen sedem regni Babylone collocauerat, ductus est Manasses in Babylonem. Rursum extremo Iosiæ regno Pharao Nechao rex Ægypti dicitur ascendisse contra regem Assyriorum. [d] At is erat Nabolassar, magni Nabuchodonosoris pater, vt eo loco dicturi sumus. Quæ causa fuit vt posteriores Prophetæ Ieremias, Ezechiel, Zacharias, eosdem populos modo Assyrios, modo Chaldæos, & Babylonios appellent, [e] quia vni principi omnes parebant. Sic denique Cyrus rex Persarum, post deuictos Babylonios, etiam rex Babylonis dictus est. [f]

[b] Ierem. 50. 2.
[c] 2. Paral. 33. 11.
[d] 4. Reg. 23. 29.
[e] Ezech. c. 23.
[f] 1. Esdræ c. 5. 13.

V. *Ratio temporis excisi imperij Assyr.*

EXCISI hoc tempore Assyriorum imperij, regnante nimirum apud Hebræos Ezechia, testis est Iosephus. [g] Qui agens de recepta ab Ezechia diuinitus sanitate, ait eodem tempore contigisse imperium Assyriorum per Medos dissolui. Mox tamen cap. 6. libri eiusdem, Medis addit Babylonios, iuxta vulgatissimam de Sardanapali morte historiam, quæ 10. Oziæ contigit, annis, ante hunc Ezechiæ annum, 97. Itaque nunc dicendum fuit per Babylonios, vt recte notauit Torniellus, [h] confudit enim priorem Assyriorum sub Sardanapalo calamitatem, cuius Arbaces Medus præcipuus author fuit, cum præsenti, quæ Merodachum Babylonium agnoscit authorem.

[g] l. 10 ant. c. 3.
[h] an. mun. 3313. n. 2.

VI. *Merodachi duplex initium, regni, & imperij.*

CÆTERVM cùm ex Scriptura constet eundem Merodachum regem fuisse Babyloniorum, quando munera, & legatos misit ad Ezechiam, anno regni eius 16. oportet eum hoc tempore annum in regno Babylonis decimum agere. Qui nihilominus cùm primus ponatur à Ptolemæo [i] Mardocempadi, & eclypsi Lunæ confirmetur, quam Buntingus in annum quartum decimæ quartæ Olympiadis refert, Mercator in 32. ab vrbe condita, oportet hoc anno nouum eius initium ponere; quo maximis, post deuictos Assyrios, auctus est incrementis, & Babyloniorum factus est Imperator. Ita plerique omnes geminum eius initium ponunt, Genebrardus, Gordonus, Samerius, Mercator, Functius, Codomanus, Buntingus, & plerique sectarij, duce Annij Metasthene. Erit hic ergo nobis annus, sed extremus, imperij Babyloniorum initium, quia habita ratione annorum Iulianorum primus annus imperij huius, maxima ex parte ad sequentem pertinet: idque propter historiam Iudithæ necessarium est. Itaque proximus annus erit nobis imperij Babylonici primus; nec repugnat Torniellus, [k] etsi maluerit vocare reges Assyriorum, qui Babylone regnarunt.

[i] l. 4 c. 6.
[k] an. mun. 3316. n. 3.

# ANNVS MVNDI 3334. QVINTÆ AETATIS 395.

FVNDATI TEMPLI 312. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 26.
Neriæ Pontificis 26. Merodachi Regis Babyloniorvm 11. Imperii Babyloniorvm 1.
Olympiadis XV. an. 1. Romvli,
et vrbis conditæ 33.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 719.



OLYMPIADE decima quarta Orſippus Megarenſis coronam è curſu retulit. De quo hæc Pauſanias; [a] *non longè à Chorœbi monumento ſepultus eſt Orſippus, is qui cum veteri athletarum more cum ſubligaculo (περιζωμάτων) gymnicos ludos obire conſueſſet, in Olympico tamen curriculo nudus vicit. Idemque poſtea, cùm exercitus imperator eſſet, finitimis agri partem bello ademit. Non inuito crediderim Olympiæ ſubligaculum delapſum: nempe qui noſſet ſine eo multò quemuis ad curſum expeditiorem eſſe.* Ita Pauſanias. In catalogo tamen Olympionicarum dicitur Achantum Lacedæmoniorum primum in Olympiis nudum cucurriſſe, additumque δόλιχον, quod fuit certum curriculi ſpatium 12. aut, vt aliis placet, 24. ſtadiorum, quod ab Athletis vno curſu, & quaſi ſpiritu decurrebatur. In eodem catalogo habetur Archilochum, ex Dionyſij ſententia, hac Olympiade floruiſſe, quem ad vigeſimam tertiam Cyrillus differt, regnante in Iudæa Manaſſe. Sed ea ratio temporis cum Marci Tullij Chronologia conſentire non poteſt, qui Achilochum, regnante Romulo floruiſſe dicit, quem proxima Olympiade conſtat eſſe defunctum. Euſebius etiam amplius Cyrillo differt, ad 24. aut, vt in aliis editionibus, Olympiad. 28. vel etiam 29. vt poſtea dicemus. — I. *Olympias 14. gymnici ludi.*

*a l.1. p 42 Græ.*

II. *An Medi nunc ſubditi Babyloniis.*

ROBORATVM noua occaſione regnum Babyloniorum clareſcit. Nec ſatis conſtat an Medi, qui Aſſyriis nuper parebant, ſuas ſibi res ſeorſim agere cœperint: an tributariam ſeruitutem retinuerint, Dominum mutarint. Illud ego probabilius duxerim, exiſtimante Merodacho, diſſimulandum eſſe, paulatimque progrediendum arridente fortuna, donec ſtabilito plane imperio in Niniuem, & eas vrbes quæ propriè ad Aſſyriæ regionem pertinent, Medi quoque imperata facere iuberentur; quod ad imperium vſque magni Nabuchodonoſoris dilatum, ex Ieremia colligi poteſt. [b] Idq; eo fit probabilius, quod apparet etiam Ezechiam, ſub hæc tempora, non pauca ex regno Iſraëlis vel recuperaſſe, vel acquiſiuiſſe, vt ex capite 4. Iudithæ conſtare poteſt. Mittit enim pontifex *in omnem Samariam per circuitum, & ad vniuerſos, qui erant contra Eſdrelon, & Dothain,* vt impedirent tranſitum Holofernis ducis Aſſyriorum, quod minimè facturi erant, ſi tum ipſis Aſſyriis paruiſſent. Rem tamen dubiam reddit Arphaxad Medus, poſt annos fere duodecim à Nabuchodonoſore Aſſyrio, id eſt Merodacho Babylonio ſuperatus; qua de re in hiſtoria Iudithæ dicemus. Ergo ſtabilitur etiam regnum Medorum, quod tamen per annos, regeſque in Chronologia noſtra digerere non eſt animus, quòd parum ad ſacram hiſtoriã pertineant. Reges autem Chaldæorum, ſiue Babyloniorum vel maximè. Babylonios autem potius, quàm Chaldæos vocamus. Quoniam, vt ſcribit Paulus Oroſius, [c] Chaldæi, propter antiquam regiæ vrbis dignitatem, non illam ſuam, ſed ſe illius vocare maluerunt. Scriptura tamen eos indiſcriminatim tum Chaldæos, tum Babylonios vocat. [d]

*b c.25.25.*

*Ezechias quadam ex regno Iſraëlis recuperat.*

*Reges Chaldæi, & Babylonij.*

*c l.1.c.2. hiſt.*

*d vt 4 Reg. 25 ſæpius.*

III. *Tobiæ patientia.*

TOBIAS verò patientia ſua, cum cæcitate, paupertate, & propinquorum cauillis, improperiiſque tertium iam annum certabat. Nec meminerant illi Salomonis illam vocem. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius, honorat autem eum, qui miſeretur pauperis.* [e] Sed propinqua victoria cum corona, palmáque, ſecum pacem, & abundantiam comitem habens, lento quamuis gradu, aduentabat.

*e Prouerb. 14.31.*

## ANNUS MUNDI 3335. QUINTAE AETATIS 396.
FUNDATI TEMPLI 313. EZECHIÆ REGIS IUDÆ 27.
NERIÆ PONTIFICIS 17. MERODACHI 12. IMPERII
BABYLONICI 2. OLYMPIADIS XV. AN.
2. ROMULI, ET URBIS
CONDITÆ 34.

## ANNUS ANTE CHRISTI ORTUM 718.

I. *Tempus illuminati Tobiæ.* IN hunc annum secundum imperij Babyloniorum, cùm Ezechias accepta diuinitus sanitate decimum tertium iam annum frui pergeret, incidit boni Tobiæ senioris illuminatio, & quæcumque reliquo eius libro, excepto extremo capite, quod de Tobiæ morte est, continentur; fuit hic annus ab excæcatione quartus, à captiuitate 22. à natiuitate sexagesimus, qui fuit Oziæ quinquagesimus primus. Textus quidem Græcus [a] habet Tobiam quinquagesimo octauo ætatis anno visum amisisse, & post annos octo recuperasse, sed editio Vulgata authoritate præponderat, ideoque & eam sequemur. [a c. 14. Tob.]

II. *Ingemuit, & orat Deum, cupiens dissolui.* TOBIAS ergo cæcitate, paupertate, senectute, suorum improperiis, & in Deum blasphemiis, quartum iam annum vexatus, & insuper, vt habet textus Hebræus apud Serarium, quadam corporis ægritudine, mœrore confectus *ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis dicens*: addam enim verba eius, quæ vbique dulcissima sunt, hic autem vel maximè. Ait igitur. *Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ, misericordia, & veritas, & iudicium. Et nunc, Domine, memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Quoniam non obediuimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos. Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus sinceriter coram te. Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis, quàm viuere.* Vide sanctum senem agnoscentem Deum in omnibus operibus suis misericordiam, & iudicium coniungentem; tum humili confessione peccata sua, & populi vniuersi agnoscentem, ob quæ in seruitutem abductus sit; iustus enim accusator est sui. Denique petit in pace recipi spiritum suum, quod sibi mors magis, quàm vita expedire videatur: ne tamen audacior fieret hæc petitio, eam præmunire studet propriæ voluntatis in diuinam conformatione.

III. *Sara tristitia.* *In Rages, siue Ecbatanis.* *Gemina Rages.* DUM hæc apud Niniuem Tobias lamentaretur, Sara filia Raguelis dissimilia quidem, sed admodum tristia lamentabatur in Rages, ciuitate Medorum, siue in Ecbatanis, vt habet Græcus textus; quæ fuit ciuitas potentissima, quam ædificauit Arphaxad rex Medorum, ex lapidibus quadris, & sectis, &c. vt describitur initio libri Iudith. Ex quo loco suspicio est Ecbatanam prius dictam fuisse Rages, eius autem nomen ab Arphaxad mutatum; postquam eam splendidius, magnificentiusque construxit, vt infra suo loco attingemus. Est autem hæc Rages alia ab ea, in qua habitabat Gabelus. Cùm enim ad domum Raguelis peruenisset iunior Tobias, cum Raphaële, misit nihilominus angelum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum. [b] Sara igitur in Ecbatanis tanto animi mœrore afficiebatur, vt de violenta sibi morte inferenda à malo dæmone tentaretur. Nam in textu Græco ita legitur ad verbum. *Hæc audiens tristata est valde, vt suffocaretur; & dixit: vna quidem sum patri meo, si fecero hoc opprobrium erit ei, & senectutem eius deducam, cum dolore, in infernum.* Sed pulsauit eam tentatio, non prostrauit; affectum interiorem labefactabat, voluntatem diuinæ prouidentiæ, ac voluntati acquiescentem, non attingebat; sicut nec Tobiam, in cuius luctu, & gemitu clarius habetur illud. *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* [c] [b c. 9. 5.] [c 1. Mach. 3. 60.]

*Quàm violenta ea tristitia.*

a c.3.v.7. CAVSAM mœroris Saræ his verbis Scriptura [a] explicat. *Eadem itaque die*, qua videlicet in Niniue Tobias senior deplorabat tristem vitæ suæ conditionem, *contigit vt Sara filia Raguelis, in Rages ciuitate Medorum, & ipsa audiret improperium ab vna ex ancillis patris sui; quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox vt ingressi fuerant ad eam.* Erat hic Asmodæus, quem Hebræus textus regem dæmonem vocat, princeps in ea prouincia omnium dæmonum, qui mortales ad libidinem inflammarent; cuius mancipia sunt voluptarij, quorum fiat etiam, Domino permittente, carnifex: vnde ab igne eum nomen habere, quem in Media suscitaret, nonnulli putauerunt. Hic porro ingressus ad Saram, de coniunctione carnali intelligenda non est. Nam in Græco explicatius habetur, malum dæmonem interfecisse eos, antequam essent cum ea, vt in vxoribus. Quo autem affectu eam ambierint, ex oratione Raphaëlis [b] intelligitur. *Ostendam tibi*, inquit, *qui sunt, quibus præualere potest dæmonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos*; quam cùm in istos procos exercuerit, quis dubitare potest quales fuerint?

IV. Quæ fuerit eius causa. — Asmodæus rex dæmonum. — b c.6.16. — Occidit procos.

CVM *ergo pro culpa sua increparet puellam Sara, respondit ei dicens; Amplius non videamus ex te filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.* In Græco habetur, *suffocans tu viros tuos*; ex quo intelligitur quo mortis genere à dæmone interfecti sint. *Nunquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros?* Videtur Sara non solum increpâsse, sed etiam verberasse ancillam istam. In Græco enim vbi non vnius, sed plurium ancillarum fit mentio, legitur. *Quid nos flagellas? Si mortui sunt, vade cum eis.* Idque consentaneum est illis verbis Vulgatæ. *Nunquid & occidere me vis?* Non enim homines increpatione verborum occiduntur. Triplex admittitur ab hac muliercula crimen. Nam dominæ suæ sterilitatem imprecatur, eam grauissimo cōuicio afficit, & per grauissimam calumniam septemplicis homicidij ream facit. Quæ hoc grauiora sunt, quo à viliore persona inferuntur, & contra personam clariorem: & ab ea ipsa, quæ omni obsequio, & honore prosequi debeat eam, in quam impudenter inuehitur: & eo tempore, quo illam potiùs, animo iamdudum ægram, consolari debuisset.

V. Increpatio ancillæ. — Quam culpabilis.

SED videamus etiam Sanctæ virginis patientiam, & in Deum fiduciam. Non enim inuolauit in oculos procacis ancillulæ, sed tacita confugit ad Deum, & ad insignem orandi constantiam, ieiunium adiungit, & lachrymas: & ita orat, vt non vltionem iustam à Deo exigat, sed miseriæ suæ remedium imploret. *Ad hanc vocem*, inquit, *perrexit in superius cubiculum domus suæ*, vbi & Iuditha orare solebat, [c] *& tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit, sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam.* Factum est autem die tertia dum compleret orationem benedicens Dominum dixit. Non planè eadem est oratio Saræ in textu Latino, Græco, Hebræo, sed nonnulla est non solùm verborum, sed etiam sentētiarum diuersitas. Cùm enim longa, vtpote triduana precatio fuerit, alias, atque alias ex ea particulas excerpsit Chaldæus, Latinus, Græcus, Hebræus, vt notat Serarius. Diuus autem Hieronymus ex Chaldæo ita transtulit.

VI Sara virtus, & patientia. — c c.8.5.

BENEDICTVM *est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cùm iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis, peccata dimittis his, qui inuocant te. Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.* Plenum fiduciæ, spei, & humilitatis exordium; sequitur petitio. *Peto, Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certe desuper terram eripias me.* Hæc petitionis est summa; subdit autem quæ pro impetratione faciant, corporis sui, animique mundiciem, fugam occasionum, quæ in ludis, choreis, & puellari leuitate crebro occurrunt; & rectitudinem intentionis ad matrimonium. *Tu scis, Domine*, inquit Sara, testem appellans oculum illum cuncta intuentem, *quia nunquam concupiui virum, & mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.* Magna omnino laus, cùm tamen verè dixerit Salomon. *Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum à peccato?* [d] Videtur imitata sanctissimum regem Dauidem, qui innocentiam suam coram Deo ingenuè profert, non ex superbia, sed ex filiali in Deum confidentia. *Ergo sine causa iustificaui cor meum*, &c. Sic Ezechias? [e] *Obsecro*

VII. Eius ad Deum oratio. — d Prouerb. 20.9. — e Isaiæ 38.3.

*Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Pergit. *Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum iis, qui in leuitate ambulant participem me præbui: virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.*

VIII. *Eius in Deum spes, & fiducia.* INDE vitare volens omne temerarium iudicium in tam tristibus, & insperatis, & frequentatis euentibus sponsorum suorum, ad diuinorum iudiciorum venerationem recurrit, quæ sæpe quidem obscura sunt hominibus, iniusta tamen esse non possunt, imo in vtilitatem ipsorum referuntur. Bonus quippe est Dominus, nec delectatur in perditione viuentium. Hæc ferè sententia est verborum quæ sequuntur, quæ magnam in Deum fiduciam sapiunt, & cito venturam ominantur tranquillitatem. *Et aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni; quia forsitan viro alij conseruasti me. Non est enim in hominis potestate consilium tuum. Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur; si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem, & fletum exultationem infundis.* Præsagiebat vtique Sara, Deo instillante, & spe in Dei bonitate nixa, prægustabat imminentem consolationem. Nec inanis fuit spes eius. Denique cum iterata Dei laude, & benedictione, orationem suam concludit.

IX. *Orat & pater eius.* NEQVE verò Sara sola orabat, & precibus adiungebat lachrymas suas, sed Raguel etiam eius parens: qui,[a] *Non dubito,* inquit, *quin Deus preces, & lachrymas meas in conspectu suo admiserit. In illo tempore,* inquit Scriptura, [b] *exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei; & missus est angelus Domini Sanctus Raphael, vt curaret eos ambos, quorum orationes vno tempore sunt in conspectu Domini recitatæ.* Vtique ab angelis, qui eorum curam gerebant in terris.

a c. 7. 13.
b c. 3. 24.

X. *Tobiæ pro filio studium.* IN die autem illa, ait textus Græcus, recordatus est Tobias argenti, quod tradiderat Gabelo habitanti in Rages Medorum: & dixit intra se: *ego petij mortem; cur non voco Tobiam filium meum, vt ei indicem, priusquam ego moriar.* Textus autem Vulgatæ significat eum aduocatũ ad patrẽ, vt ei salutaria monita traderet moriturus, quæ ei instar hæreditatis forent. Igitur cùm Tobias putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum; deinde autem quasi obiter de Gabeli pecunia significat. Nam in extremo capite, *Indico etiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo in Rages ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo. Et ideo perquire quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum.* Non faciam vt auream sancti senis orationem, & præcepta sanctissima hic prætermittam, quæ non in sacris modo paginis, sed in omnibus libris legi oportet; quibus & Annales istos, tanquam gemmis ornari, ditarique existimamus.

XI. *Monita eiusdem: primum de pietate in parentes.* AVDI fili mi, inquit, *verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum construe.* Hoc ponit senex, quasi fundamentum, & præludium duodecim præceptorum, quibus optimum filium parens optimus moribundus instituit, prout à Serario nostro distributa sunt. Primum est de pietate in parentes viuos, & mortuos.[c] *Cùm acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit propter te, in vtero suo. Cùm autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.*

c v. 3. 4. 5.

XII. *Secundum de religione in Deum.* ALTERVM de religione in Deum, ordine præpostero, sed ex causa. Cùm enim testamentum suum conderet, & de corpore suo, & vxoris suæ sepeliendo constitueret, ex occasione de pietate, & honore erga parentes egit: sicque, quasi nouo exordio sumpto, pietatem in Deum[d] commendat, & monita sua in eadem commendatione concludit. *Omnibus,* inquit, *diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

d v. 6 & 10.

XIII. *Tertium de misericordia in pauperes.* TERTIVM est de misericordia, & beneficentia in pauperes,[e] cuius eximias enumerat, experientia doctus, vtilitates. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Quo

e a. v. 7. ad 13.

*modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas, in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam.*

a v. 13. QVARTVM est de continentia ante coniugium, & in coniugio. [a] *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Textus Græcus addit, vt sumat vxorem de semine patrum suorum, & non extraneam, quæ non esset de tribu patris sui. Isto autem tempore id erat valde difficile, permixtis, & confusis in captiuitate tribubus: sed nec erat necessarium. Hoc enim præceptum fuerat, ne hæreditatum confusio fieret, vt patet ex 36. Numer. At hoc rerum statu, tota eorum hæreditas versa erat ad extraneos, vt lamentabatur Ieremias. [b] Addit etiam textus Græcus, vt diligat fratres suos, id est Iudæos: nam ipse vnicus erat parentibus suis. [c] XIV. Quartum de continentia.

b Thren. 5. 2. c Vt fatetur c. 6. 15. & c. 8. 18. d v. 14. e v. 15. 16.

QVINTVM præceptum est de modestia, & animi demissione. [d] *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Sextum de iustitia vniuersè erga omnes, & in specie erga mercenarios. [e] *Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi: vide ne tu aliquando alteri facias.* Addit hic textus Græcus. *Vinum, ad ebrietatem ne bibas, & non eat tecum ebrietas in via tua.* XV. Quintum de modestia. Sextum de iustitia.

ET quoniam ex abundantia cordis os loquitur, redit pius senex ad inculcandam misericordiam in viuos, ac mortuos, de quibus est monitum septimum. De viuis est illud. [f] *Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.* Et in mortuos. [g] *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.* XVI. Septimum rursum de misericordia.

f v. 17. g v. 18.

Et addit octauum præceptum de conuictu improborum vitando. *Et noli ex eo manducare, & bibere, cum peccatoribus.* Ritum attingit sacris profanisque scriptoribus celebratum, de quo plurima congerit Serarius in hunc locum. Illud vnum nobis sufficiat, mortuorum sepulchris cibum, potumque imponi solitum, quæ feralia, & inferiæ dicebantur, tam viuorum causa, quàm mortuorum. Nam viuis, qui mortuos lugerent, consolationi erat potus, cibusque ab amicis præbitus: quo respexit Hieremias. [h] *Non frangent*, inquit, *inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo*, &c. Vbi Hieronymus. *Moris est lugentibus ferre cibos, & præbere conuiuium, quod Græci περίδειπνα, & à nostris vulgo appellantur parentalia.* Sperabant etiam viui positos ad sepulchra sanctorum cibos, per eorum merita sanctificatum iri, vt loquitur S. Augustinus. [i] Proderant etiam hi cibi mortuis, dum opus charitatis pro iis fiebat, & huiusmodi eleemosyna viui, ad preces pro ipsis fundendas excitabantur. Octauum de conuictu improborum. Cibi sepulchrales cui vsui.

h c. 16. 17. i l. 8. cõfess. c. vlt.

PRVDENTIÆ est consilium semper à sapiente perquirere, quod nono loco præcipit Tobias: vt quoniam in multiplici rerum ignoratione versamur, aliena sapientia erudiamur, & modicum lumen, quod in nobis est, aduentitio sapientis splendore augeatur. XVII Nonum de prudentia.

k v. 20. Decimum de ipsius Dei iugi laudatione, & precatione. [k] *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Decimum.

Vndecimum de bonorum suorum receptione, & cura, quod iam supra retulimus. Vndecimũ.

l v. 23. Duodecimum de constantia, & spe in Deum in paupertate præsenti. [l] *Noli timere fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Quæ fusè à Serario exponuntur, & locupletantur. Contrahi tamen ipse numerus præceptorum potest. Nam septimum referri potest ad tertium; & decimum pertinet ad secundum. Vndecimum non est præceptum bene viuendi, sed negotij semel gerendi mandatum; postremum consolatio quædam est. Duodecimum.

QVID autem ad hæc responderit filius, optimo patre dignissimus; & quomodo inuentus ab eo sit angelus Raphaël, specie iuuenis ad iter expediti, patri probatus sit, ambo se in viam dederint, & senes parentes de absentia vnici filij, eiusdémque amantissimi mœrentes reliquerint, suauissima oratione cap. 5. narratur. Quod hic quoque legere lectori non erit ingratum. Sic ergo habet. XVIII. Filij responsio, & apparatus ad iter.

*Tunc respondit Tobias patri suo, & dixit; Omnia quæcumque præcepisti mihi faciam pater. Quomodo autem pecuniam hanc requiram, ignoro. ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei? Sed neque viam, per quam pergatur illuc aliquando cognoui. Tunc pater suus respondit illi, & dixit. Chirographum quidem illius penes me habeo, quod dum illi ostenderis, statim restituet. Sed perge nunc & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua: vt dum adhuc viuo, recipias eam. Tunc egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. Et ignorans quod angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit: Vnde te habemus bone iuuenis? At ille respondit: ex filiis Israel. Et Tobias dixit ei: nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum? Cui respondit; noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui; & mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis. Cui Tobias ait; sustine me, obsecro, donec hæc ipsa nunciem patri meo. Tunc ingressus Tobias, indicauit vniuersa hæc patri suo. super quæ admirans pater rogauit, vt introiret ad eum.*

Colloquiũ Tobiæ cum Angelo.

XIX. *Angeli cum seniore Tobia colloquiũ.* INGRESSVS itaque salutauit eum, & dixit: gaudium tibi sit semper. Et ait Tobias. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video. Cui ait iuuenis: forti animo esto in proximo est, vt à Deo cureris. Dixit itaque illi Tobias: Nunquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? Et cùm redieris restituam tibi mercedem tuam. Et dixit ei Angelus: ego ducam, & reducam eum ad te. Cui Tobias respondit: Rogo te; indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es tu? Cui Raphael angelus dixit: Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne forte solicitum te reddam. Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius. Et Tobias respondit: ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris, quod voluerim cognoscere genus tuum. Dixit autem illi Angelus. Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum. Respondens autem Tobias ait: bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul.* Ibid. v. 11. & seqq.

XX. *Qualis Tobiæ peregrinationis comes.* IVVAT autem, religiose lector, tecum mel hoc suauissimum regustare, nonnulla hic ad lucem aliquam obiter annotando, præsertim ex Serario, qui in hoc libro explanando suo more, id est diligentissimè versatus est. Merito angelus dicitur, vt qui ad certum ministerium missus esset iuuenis, qui esset habilis ad iuuandum, & quasi in ipso ætatis flore semper constitutus, nunquam senio, aut virium diminutioni obnoxius; iuuenis splendidus, in signum gloriæ ex perpetuo diuinæ maiestatis intuitu, in illius, omniumque beatorum faciem fulgurantis, vt qui sit vnus de septem, qui astant ante Deum. [a] Inuenit autem eum stantem in loco vbi conduci solebant mercenarij, ne si occurrisset ei, & sponte se obtulisset, aliquid ex composito præparatum existimaret. Denique præcinctus erat, & expeditus ad iter faciendum, vt facile intelligeret Tobias illum idoneum esse, ad rem quam parabat. a c. 12. 15.

XXI. *Num quod in verbis Raphaëlis mẽdacium.* SED illud difficilius est, quod cùm verè angelus esset, se Israëlitam vocat, & nomen Raphaëlis in Azariam mutat: & cùm alium præter Deum conditorem, & patrem non habeat, sese Ananiæ magni filium vocat. Verùm ipsa vocabulorum interpretatio, quæ nihil historiam violat, facile has difficultates expediet. Nam nonne vere Israëlita est is, qui perpetuo Deum videt, quique populo Dei, fraternæ charitatis vinculo, colligatus est? Verè quidem Raphaël est, & medicina missa diuinitus ad illuminandum Tobiam, & Saram dæmonis tyrannide liberandam. Est tamen nihilominus Azarias, id est auxilium Dei; nam ipsa curatio, auxilium diuinum est; quod ex Anania, id est Dei gratia natum, & profectum est. Quamquam rectè etiam dici potuit Azarias, vt notat Serarius, si illius formam, & personam præ se ferebat: quandoquidem & S. Petri imago dicitur S. Petrus. Sic angelus se Deum vocat, [b] quia eius personam repræsentabat. b Genes. 31. & Exod. 3. & 20.

XXII. *Eius cum Tobia sene colloquiũ.* PLVRA verba versu 8. in textu Hebræo Angelo respondenti tribuuntur, hæc scilicet. *Est iter duorum dierum ab Ecbatanis vsque ad Rages, & Rages quidem est in montanis, Ecbatanis autem in planicie campi.* Textus Græcus non habet expressam salutationem sicut Latinus, nec respõsionem senis, quæ gemitus est, non querela. In quem enim quereretur? In Deum? Longè id abest à Sancto viro. In salutantem? Inhumanum est, & alienum à viro mitissimo. Habet tamen idem textus

amplius, quàm Latinus pactam mercedem, cum istis verbis præuiis. *Cognoui ego Ananiam & Ionathan filios Semei magni, quomodo ibamus vna Ierusalem, ad adorandum, offerentes primogenita & decimas geminum: & non errauerunt in errore fratrum nostrorum: De bona radice es frater.*

XXIII. *Diurna merces muneris.*

SED *dicito mihi, quam tibi mercedem daturus sum?* Simulque offert vltro drachmã *in die, & necessaria tibi, sicut & filio meo; & adhuc adijciam tibi super mercedem, si sani reuerteritis. Et sic bene consenserunt &c.* Cæterum cum drachma sit quarta pars sicli, si de siclo aureo sit quæstio, drachma vna respondet vni aureo nostrati, & addit insuper aliquid.[a] Quæ summa maior videtur, quam vt pauperi conueniat, præsertim cum reliqua ad victum necessaria subministraret. Itaque argēteas potius drachmas intelligi ratio postulat, quarum singulæ sunt ferè septem assium, siue solidorum Turonensium; posita scilicet vncia (præter octauam partem assis) quinquaginta quinque solidorum, vt hactenus posuimus. Verum ne moremur in singulis, paratis omnibus ad viam necessariis, salutatis parentibus, & cum mœrore multo relictis, iter arripiunt.

a 1. sol & sem.

XXIV. *Matris fletus ob discessum filii.*

NAM *cùm profecti essent, cœpit mater pueri flere, & dicere; Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis. Nunquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum. Dixitque ei Tobias: noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum. Credo enim, quia Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur; ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.*

XXV. *Periculum à pisce.*

PROFECTVS *est autem Tobias, & canis secutus est eum; & mansit prima mansione,* id est ad vesperam primi diei itineris, vt in græco explicatur, *iuxta fluuium Tygris, & exiuit* ex hospitio, in quo erat pernoctaturus, *vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit, ad adorandum eum. Quem expauescens Tobias, clamauit voce magna, dicens, Domine, inuadit me. Verisimile est,* inquit Vallesius, [b] *Callionymum piscem eum esse, quem Tobias Tygride flumine traxit, & exenterauit. Quandoquidem, vt multi authores narrant,* [c] *est voracissimus, & carniuorus, aspectu immanis; nam est serratis dentibus, oculos habens in summo vertice, & os inter oculos situm. Quapropter non mirum, si puer rerum inexpertus* (erat nunc annorum 24. quo ipso anno, Angelo ipso paranympho, duxit vxorem) *nihilominus territus est ignotæ formæ intuitu, irruentis quasi ad deuorandum: nam impetebat, vt voracissimus, & carniuorus.*

Quis huiusmodi piscis

b c. 42. sacr. Philos.

c Aristot. Aelian. Plin. Menand. Galen.

XXVI. *Capitur à Tobia.*

HIC Angelus constanter; & constantiam, vox, vultus, gestus representabant. *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te, quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dixit ei Angelus: exentera hunc piscem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; sunt enim hæc necessaria ad medicamenta vtiliter. Quod cùm fecisset, assauit carnes eius, & secum tulerunt in via; cætera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum.* Ex quibus apparet falli eos, qui Callionymum esculentum negant; quem rursum probabimus esse eum, cuius fel oculorum albugini medetur.

XXVII. *Dei in Tobiam prouidentia. Antiquorũ itinera.*

HÆC præparatio piscis assi, & saliti in cibum ad reliquum iter, docet in primis dulcissimam Dei prouidentiam erga iuuenem istum, cui tota via non solum de comite, sed etiam de cibo prouidere voluerit, fecerítque vt de comedente exiret cibus. Antiquum etiã ritum docet itineris conficiendi. Nam, vt rectè notat Serarius,[d] priscis illis temporibus nõ erant cauponæ, quales nunc passim sunt in vsu, sed ea: in oriente præsertim, erat viatorum ratio, vt vel humeris, vel iumentis sua ipsi secum cibaria deferrent, vel quod panis, & obsoniorum vellent, ipsimet emerent. Tectum verò rarò meridie, vesperi autem vel apud amicos subirent, aut certe apud bonos, & hospitales homines. Id ex multis locis Scripturę perspicuè ostenditur: in quibus illud insigne, Iudicum 19. Vbi Leuites quidam cum vxore sua sedebant in platea ciuitatis Gabaa, nemine volente eos sub tectum recipere, quamuis secum detulissent paleas, & fœnum in asinorum pabulum, *& panem ac vinum in meos,* inquit, *& ancillæ tuæ vsus, & pueri, qui mecum est, nulla re indigemus, nihil hospitio.*

d in c. 6. q. 3.

& hospitia

XXVIII. *Tobias rogat ex pisce remedium.*

TVNC *interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei. Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi quod remedium habebunt ista, quæ de pisce me seruare iussisti.* Dubium est quando

facta sit à Tobia ista interrogatio. Nam illud, *tunc*, referri potest ad initium secundi diei, & ad finem viæ. Sed de fine viæ aperte explicatur in Græco. Nam *pergebant ambo*, inquit, *donec appropinquauerunt in Ecbatana. Et dixit puer Angelo, Azaria frater &c.* Docet autem Angelus Tobiam, cui vsui futura essent; quæ de pisce seruari iusserat; ad Saram videlicet ab infestatione dæmonum, Tobiam autem senem à cæcitate liberandum. Idque iam tum potuit intelligere iuuenis: quippe qui sciret cæcitatem patris, & de Sara, vt mox significabit, aliquid inaudisset. *Cordis eius*, inquit, *particulam si super carbones ponas, fumus extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos. Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.*

*Idq. discit.*

XXIX. *A[n] fumus vis contra dæmonem.*

VTRVM vero fumus hic signum tantùm fuerit temporis, quo dæmon expelleretur, & efficaciæ precum ascendentium coram altissimo: an potius; vt verba videntur exigere, efficaciam quandam habuerit in Asmodæum illum, Deo superbos spiritus rebus corporis subiiciente, interpretum potius est examinare, quàm nostrum. [a] Serarius ait fumo huic efficientiam quandam aduersus dæmonem quadantenus naturalem, ab ipso authore naturæ à principio creationis cordi, & iecori impressam: simul autem tria concurrisse, quæ supernaturalem vim conciliarent, remotionem causæ, ardorem scilicet libidinis, quo septem illi flagrauerant; preces coniugum, & parentum, & significationis mysterium; quæ pluribus apud eum videre licet.

a Vide Serar. in c. 8. q. 3.

XXX. *Fellis Callionymi piscis contra albuginem.*

QVI de felle [b] etiam ait diuinitus quidem monstratam vim eius, naturaliter tamen curandi huiusmodi albugines vim habuisse. De eo placet audire Franciscum Vallesium cap. 42. de sacra philosophia. *Sanatus est*, inquit, *illo felle cuiusdam piscis. Qui piscis fortasse fuerit, qui vocatur Græcis Callionymos, id est pulchri nominis, qui idem, vt Plinius author est, vocatur Vranoscopus, quod habeat oculum insignem in capite, quo cælum spectat, aut Hyena. Quia cùm ad extergendas albugines nihil magis à medicis omnibus celebratum sit, quàm fel, inter omnia eius genera omnium maxime commendatur fel Callionymi piscis, & mox Hiena.* Galenus quoque libro 10. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 12. *Porro*, inquit, *quorundam animalium bilis singulariter à medicis extollitur, tanquam aciem exacuat oculorum, & suffusionum initia digerat, velut piscis, quem vocant Callionymum, Hyena, & scorpii marini, tum galli, & perdicis.* Sic ille. Sed redeamus in viam.

b c. 11. q. 1.

XXXI. *Perueniunt ad vrbem.*

DVM colloquuntur peruenerunt in vrbem Rages, quam textus græcus, hoc ipso capite sexto, modo Rages, modo Ecbatanam appellat. *Et dixit ei Tobias, vbi vis vt maneamus?* Mitis sane boni iuuenis oratio, ad mercenarium viæ ducem, quem paulo ante Dominum vocarat, eumque & amare, & honorare didicerat, vt quem iam toto itinere expertus esset, & amore, & honore dignissimum. Sed audiamus reliquum colloquium. Respondensque Angelus ait. *Est hic Raguel nomine vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram; sed neque masculum, neque fœminam vllam præter eam. Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugem.* Græcus addit, *& tu solus es de genere eius, & puella pulchra, & prudens est.* Differt etiam à Vulgata, quod in hac Angelus dicit Tobię, vt petat eam à patre eius in vxorem, & spondet voti compotem fore. In Græco autem ipsemet Angelus se nuptiarum interpretem offert. *Loquar*, inquit, *de ea, vt ipsa detur tibi in vxorem.*

*Angelus sermonem ingerit de nuptiis cum Sara.*

XXXII. *A quibus refugit Tobias.*

TVNC *respondit Tobias, & dixit. Audio, quia tradita est septem viris, & mortui sunt. Sed & hoc audio, quia dæmonium occidit eos, timeo ergo ne forte & mihi hæc eueniant, & cùm sim vnicus parentibus meis, deponam senectutem illorum, cum tristitia ad inferos.* Cur dæmon occideret illos procos, causa vera mox proferetur ab Angelo; alia tamen vulgò iactabatur, quæ in Græco textu habetur. *Quoniam*, inquit Tobias, *dæmonium diligit eam, quod non nocet cuiquam, nisi accedentibus ad eam.* Quod vt vulgo iactatum, nō autem vt à Scriptura affirmatum accipi potest, neque existimandum est vllum ab improbissimo dæmone habitum cum ea commercium. Nam & animus castissimus erat, quod ille oderat, & corpus attingere nulla ratione permittebatur. Aliam causam quidam attulerunt, quod idololatræ essent, aut alterius tribus. Quod ex eo rectè refellit Serarius, [c] quia non minore in culpa fuissent Raguel, & Sara, quàm ipsi; ideoque non minus plecti debuissent.

*Timore dæmonis.*

c q. 12. c. 6.

VERAM igitur expressit Angelus causam; quod scilicet prælibidinis intemperie coniugium ita susciperent, vt Deum à se, & sua mente excluderent. Ipse autem à Tobia tres noctes exigit, quibus orationi vacetur; & in prima fore promittit, vt à dæmonis tyrannide liberentur; in secunda vt benedictionem patriarcharum obtineant, quibus magna filiorum copia promissa, & præstita est. Et huc respexisse videtur Tobias,[a] cùm ait; *filij sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Quæ verba à patre dudum didicerat.[b] In tertia nocte, vt filii ex eo nasciturí coniugio, boni, & incolumes mente, & corpore existant. — XXXIII. Cur illa fauerit.

a c. 8. 5.
b c. 2. 17.

HAC vice sermonum, *ingressi sunt ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio,* etsi nondum notos, nisi vt Israelitas, quod ex primo salutationis verbo agnosci potuit: sed & Sara occurrit ei, & salutauit eum, vt in Græco legitur; ex quo intelligitur hospitalitatis amantem fuisse Raguelem, cum familia sua. *Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori suæ; quam similis est iuuenis iste consobrino meo.* Rectè iuuenem vocat, qui hoc anno vigesimum quartum, vt dixi, ageret ætatis annum: tot enim à quarto Ezechiæ anno, quando eum natum ostendimus, numerantur. *Et cùm hæc dixisset, ait, vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt, ex tribu Nephthali sumus, ex captiuitate Niniue. Dixitque illis Raguel. Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: nouimus. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.* — XXXIV. Tobias adit Raguelem. Raguel cũ suis hospitalis. Et agnoscitur.

TAM leto nuncio commota sunt viscera Raguelis, quòd quam dilectissimum caput excepturus esset hospitio. *Et misit se Raguel:* in Græco, *& prosiliit Raguel, & cũ lachrymis osculatus est eũ, & plorans supra collum eius, dixit. Benedictio sit tibi fili mi, quia boni, & optimi viri filius es. Et Anna vxor eius, & Sara ipsorũ filia lachrymatæ sunt,* præ affectus temeritudine erga cognatum suum.[c] Aliam tamen lachrymarum causam græca significãt. Nuncium scilicet acceptum cæcitatis Tobiæ. Sic enim legitur. *Et audiens quia Tobias amisit oculos suos, contristatus est, & plorauit, & Anna vxor eius, & Sara filia eius plorauerunt.* Sed potest vtraque causa rectè coniungi. Quamquam mirum est eis quartum iam annum ignotam cognati cæcitatem. — XXXV. Excipitur magna beneuolentia.

POSTQVAM *autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium.* Græcè. *Et apposuerunt obsonia plura. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium, Tobias dixit, hic ego hodie non manducabo, neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes: & promittas mihi dare Saram filiam tuam.* Ex quo intelligitur omnem ex eius pectore excussum ab Angelo timorem. At vice versa bonus Raguel, eo verbo audito *expauit, sciens quid euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam, & timere cœpit, ne fortè & huic similiter contingeret. Et cùm nutaret, & non daret petenti vllum responsum, dixit ei Angelus. Noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur coniux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.* — XXXVI Tobias petit Saram in vxorem

TVM dixit Raguel: *non dubito quin Deus preces, & lachrymas meas in conspectu suo admiserit.* In Græco additur. *Veruntamen tibi indicabo veritatem: dedi filiam meam septem viris, & simulatque ingrediebantur ad eam, moriebantur sub noctem.* Eam enunciationem Ambrosius[c] commendat. *Raguel,* inquit, *præcipuæ formam honestatis expressit, qui contemplatione honestatis, cùm rogaretur, vt coniugium daret, vitia quoque filiæ non tacebat, ne circumuenire petitorem tacendo videretur.* Opinatur Serrarius[d] istos fuisse septem illos fratres, de quibus Saducæi Matth. 22. quæstionem Domino proposuerunt: eò maximè quod illi omnes statim post nuptias mortui significantur. Pergit Raguel. — XXXVII Confirmatus ab Angelo Deum laudat.

c l. 3 off. c. 14.
d c. 7. q. 2.

Et *credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, vt ista coniungeretur cognationi suæ secundum legem Moysi.* Ex quibus verbis innuitur priores illos septem ad cognationem Raguelis non pertinuisse; neque id erat necesse, vt diximus, propter cõfusionem tribuum, & hæreditatum. Vnde in bonis Raguelis, & Saræ dote: mobilia tantum bona numerantur.

PRÆBET denique consensum suum in coniugium filiæ. *Et apprehendens dextram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit dicens. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem coniugii.* Ita clarius quàm in Græco; *sumens librum scripsit syngrapham, & obsignauit;* etiam testium meminit hebræus textus, tabulæ matrimo- — XXXVIII Et cõsentit in nuptias. Traditque filiam Tobiæ.

niales vocantur à D. Augustino, [a] quid autem eo scripto contineretur, capite sequenti extremo continetur. [b] *De omnibus autem quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit Scripturam, vt pars dimidia, quæ supererat post obitum eorum Tobiæ dominio deueniret.*

XXXIX. *Nuptiale conuiuium.* ET *post hæc epulati sunt benedicentes Deum*, de inito ex eius prouidentia nouo cõiugio; aut certe pertinet ea vox ad conditionem conuiuii. Quasi dicat: nihil fuit in conuiuio à Dei timore alienum, nulla ebrietas, nulla vociferatio, nulla concertatio; sed honesta hilaritas, & modesta lætitia, quæ decet homines diuinorum beneficiorum memores. *Vocauitque ad se Raguel Annam vxorem suam, & præcepit ei, vt pararet alterum cubiculum.* Diuersum scilicet ab eo, in quo prius Sara cubuerat, cum ad ipsam illi accederent. *Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lachrymata est:* ob memoriam scilicet rerum præteritarum, & metum futurarum. *Dixitque ei, forti animo esto, filia mea; Dominus cœli det tibi gaudium, pro tædio, quod perpessa es.*

XL. *Dæmon fugatur, & ligatur in deserto.* POSTQVAM *vero cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam. Recordatus itaque Tobias sermonum angeli.* Nam mentem cibi, potusque intemperantia non abstulerant, *protulit de cassidili*, id est pera, vel sacculo, *partem iecoris*; cordis tantùm fuerat ante facta mentio, additur nunc iecur, vt significet vtrumque adhibitum. Nam & in Græco habetur; *cùm prunas ad suffimentum sumpsisset, superposito corde piscis, ac hepate, suffimentum fecit. Quando autem olfecit dæmonium odorem, fugit in superiora Ægypti.* Deserta scilicet, & inhospita loca, ab hominum habitatione remotissima; vt eò relegatus, hominibus nocere non posset. Ibi eum Raphaël Angelus non manibus suis in assumpto corpore, sed virtute, imperioque suo *apprehendit, & religauit*, vtique supernaturalibus vinculis spiritum; sicut & apprehensio spiritualis fuit.

XLI *Tobiæ ad Saram adhortatio.* TVNC *hortatus est virginem Tobias, dixitque ei, Sara exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio. Filii quippe Sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Surgentes autem pariter instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.* Non fuit difficile persuadere Saræ, vt surgeret. Nam in remedium tãti mali, cui fuerat obnoxia, etiam mors ipsa optabilis videbatur, vt ex supradictis aperte constat. [c] c sup 3.c. 15.

XLII. *Oratio nouorum coniugum.* DIXITQVE *Tobias, Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cœli, & terræ, mareque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adiutorium Heuam. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem: sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomẽ tuum in secula seculorum.* Sororem vocat, latè sumpto vocabulo, vt præcenti capite Raguel fratres vocauerat. Sara quoque imitata virum suum, sic orabat. *Miserere nobis Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani.* Mente scilicet, & corpore, quæ sunt fundamenta bonorum omnium, quæ ex coniugio sperantur. In Græco, hæc quoque verba Tobiæ tribuuntur. Sara vero dicit duntaxat, *Amen.*

XLIII. *Inde se dãt quieti.* POSTQVAM autem aliquantum temporis in oratione posuerunt, cubitum ambo, ad somnum duntaxat capiẽdum, se receperunt. Erat enim, vt par est credere, Tobias ex itinere fatigatus. Sara verò multas iam noctes, diesq; insomnes in lachrymis, & orationibus traduxerat. Interea *circa pullorum cantum*, dum ambo placide dormiunt, euigilans *Raguel, iussit accersiri seruos suos*, vt in omnem euentum sepulchrum Tobiæ præpararent. *Dicebat enim, ne forte simili modo euenerit ei, quo & septem illis, qui sunt ingressi ad eam. Cumque parassent fossam, reuersus Raguel ad vxorem suã dixit ei. Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eum, antequam elucescat dies. At illa misit vnam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum reperit eos saluos, & incolumes, secum pariter dormientes. Et reuersa nunciauit bonum nuncium; & benedixerunt Dominum, Raguel videlicet, & Anna vxor eius.*

XLIV. *Preces Raguelis, & Annæ.* BENEDICIMVS *te*, inquiunt, *Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus, fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequẽtem nos. Misertus es autem duobus vnicis: fac eos Domine plenius benedicere te, & sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus*

a l. 9 confess. c. 9.
b v. 24.

*in vniuersa terra. Statimque præcepit seruis suis Raguel, vt replerent fossam, quàm fecerant priusquam elucesceret. Vxori autem suæ dixit, vt instrueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria.* Mirum est hic agi iam de parando commeatu, & cibo in viam, cùm ei certum esset adhuc quatuordecim dies generum suum retinere, sed via hæc non de reditu, sed de profectione ad Gabelum videtur intelligenda, quam forte pridie Tobias Ragueli communicauerat. Vnde & mox de eo itinere cum socio agit. Sed multa quoque alia necessaria erant, quę nimis cito parata esse non poterant, quamuis noui coniuges ante dies quindecim non essent abituri.

DIE autem facto conglobātur congratulationes Raguelis, & Annæ primùm, tum vicinorum omnium, & amicorum, quibus exhibetur conuiuium. Denique *adiurauit Raguel Tobiam,* exegit videlicet ab eo promissionem iureiurando firmatam, *vt duas hebdomadas moraretur apud se.* Duplicata scilicet lætitia nuptiarum, & expulsi dæmonis, tempus etiam lætitiæ duplicari voluit, quod septem tantùm dierum esse consueuerat. [a] Nam Laban conquerenti Iacob de mutata vxore; *imple,* inquit, *hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi.* Quasi dicat. Postquam transierint septem dies festi, huic tuo matrimonio de more concessi, inchoabis septem annos famulatus pro Rachele. Sic in libro Iudicum, [b] septem dies conuiuii in Samsonis matrimonio celebrantur, intra quos problema explicandum erat; & infra in reditu Tobiæ ad patrem suum, factæ sunt nuptiæ apud eum per dies septem, vt est in fine capitis 11. in Græco, & Latino.

XLV. Communis lætitia.

a Gen. 29. 27.

Per dies 4 nuptiales.

b c. 14. 12. 15 17.

DVM autem adiuratus à Raguele socero Tobias per duas hebdomadas Ecbatanis demoratur, compendium temporis facturum se ratus est, si dum ipse moras hasce traheret domi, Azarias ad Gabelum proficisceretur; sicque maturius ad patrem, & matrem expectatione languentes, rebus ob quas venerant, confectis reuerti posset. Id autem tanta verborum suauitate, tanta animi demissione sanctissimus iuuenis Raphaëli proposuit, vt si eum probè cognitum habuisset, vix maiori cum reuerentia eum affari potuisset. *Tunc vocauit Tobias Angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixitque ei; Azaria frater, peto vt auscultes verba mea. Si me ipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ. Tamen obsecro te vt assumas tibi animalia, siue seruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum: reddasque ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies, & si tardauero vna die plus contristatur anima eius. Et certe vides, quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum spernere non possum.*

XLXI. Destinat Raphaelem ad Gabelū.

MERCENARIVS erat, fratrem vocat, propter Israelitarum scilicet genus, imo dominum, se autem seruum, atque indignum eius prouidentia, & cura; nedū eius obsequio, aut famulatu dignum. Tenebatur ire in ciuitatem Medorum, ex pactis conuentis, & eò Tobiam deducere, & tamen peramanter obsecrat, vt eo proficiscatur: oblata etiam omni commoditate ad peragendum iter, cum animalium, & famulorum obsequio. Eius etiā beneuolentiam demeretur illa fiducia, qua ei chirographum committit tanquam fratri, & sibi ipsi. Et ne labori ipse suo, parcere censeri posset, affert Raguelis soceri adiurationem, & necessitatem accelerandi negotia, ad parentum solicitudinem, & mœrorem subleuandum.

XLVII. Insignis cū humilitate.

TVNC Raphael assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos. Textus Græcus vnius tantum famuli meminit. Duo autem cameli vsui erant futuri, alter Raphaëli, alter Gabelo, & præterea deferendis decem talentis argenti. Ea quoque commoditas aliquod erat inuitamentum ad alliciendum Gabelum ad veniendum ad nuptias. Hoc ergo comitatu Raphael *in Rages ciuitatem Medorū perrexit, & inueniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum, & recepit ab eo omnem pecuniam. Indicauitque ei de Tobia filio Tobiæ omnia quæ gesta sunt, fecitque eum secum venire ad nuptias. Cumque ingressus esset domum Raguelis inuenit Tobiam discumbentem, & exiliens, osculati sunt se inuicem, & fleuit Gabelus, benedixitque Deum, & dixit. Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deum, & eleemosynas facientis: & dicatur benedictio super vxorem tuam, & super parentes vestros, & videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum, vsque in tertiam, & quartam generationem;* viderunt autem

XLVIII. Raphael abit in Medicam.

etiam vsque ad quintam, *& sit semen vestrum benedictum à Deo Israel, qui regnat in secula seculorum. Cumque omnes dixissent, amen, accesserunt ad conuiuium; sed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.*

XLIX. *Tobiæ senioris, & vxoris eius lachrymæ.* SED tempus est vt seniorem Tobiam, eiusque vxorem Annam desolatos, & insperatæ huius felicitatis ignaros reuisamus. [a] *Cum enim moras faceret Tobias, causa nuptiarum, solicitus erat pater eius Tobias, dicens: putas, quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? Putasne Gabelus mortuus est, & nemo reddit illi pecuniam? Cœpit autem contristari nimis ipsa Anna vxor eius cum eo: & cœperunt ambo simul flere: eo quod die statuto minime reuerteretur filius eorũ ad eos, flebat igitur mater eius, irremediabilibus lachrymis, atque dicebat, heu, heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis. Cui dicebat Tobias; tace, & noli turbari, sanus est filius noster, satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset venientem.* [a] c. 10. 2.

L. *Raguel cũ flatur eum dimittere.* AT *vero Raguel,* qui ægre patiebatur diuelli à se filiam, generumque, vtrumq; longè dilectissimum, *dicebat ad generum suum, mane hic, & ego mittam nuncium salutis de te ad Tobiã patrem tuum.* Quod factum à principio prioris hebdomadæ oportuisset, sed veritus est iuuenis, ne ea foret causa socero, ipsum ad menses aliquot retinendi, cum ingenti parentum suorum mœrore. Mercenario etiam suo grauis esse verebatur, si eum extra solum habitationis suæ tandiu retineret. Ergo Ragueli Tobias ait *Ego noui, quia pater meus, & mater mea modo dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis.*

LI. *Quot dierũ fuerit peregrinatio iunioris Tobiæ.* SI nos quoque hosce dies computemus, & hanc æstimemus peregrinationis moram; eam triginta quatuor dierum fuisse dicemus, [b] licet Serarius quadraginta duos, Torniellus triginta octo numeret. Cùm enim Charra initio cap. 11. dicatur esse in medio itineris Niniuem inter & Rages; & fateatur Serarius à Charra Niniuem vsque triduo iter confici posse, certe planum est Tobiam cum Raphaele ad Raguelem, sex diebus peruenisse, ibi mansere duas hebdomadas, sicque implentur viginti dies. Quo interim tempore iuit ad Gabelum Raphaël. In reditu cum multis familiæ impedimentis Charram vsque dies vndecim posuerunt: sicque impletur trigesimus primus. Inde antecedens Tobias triduo reliquum itineris confecerit, vt idem fatetur, aut etiam breuiore tempore, vt quos camelis vsos esse ad viam credibile est, quibus Raphael antea, in itinere ad Gabelum, fuerat vsus; ex quo sequitur non quadraginta duos, sed triginta quatuor tantum dies fuisse in ea peregrinatione positos à iuniore Tobia. [b] q. 4.

LII. *Tobias discessum exorat.* INTERIM Raguel multis verbis rogabat generum suum, vt diutius apud se maneret vltra duas illas hebdomadas eius, vt dixi, suauissima consuetudine diutius frui desiderans, & ab vnica filia tenerè dilecta separationẽ inuitus ferẽs. Tobias autem contra solicitudinem, & solitudinem parentum suorum ferre nõ poterat. *Itaque socer tradidit ei Saram filiam suam, & dimidiam partem omnis substantiæ suæ, in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa, & saluum, atque gaudentem dimisit eum à se, dicens, Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque nos incolumes, inueniatis omnia recte circa parentes vestros, & videant oculi mei filios vestros, priusquam moriar,* & factus est voti compos, vt ex cap. 14. liquet. *Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem exhibere.*

*Monita Raguelis ad filiam.*

LIII. *Discedit Tobias cum familia.* QVONIAM vero multa erat familia, & multa viæ impedimenta, triũ, aut ad sũmum quatuor dierum iter, ægre vndecim diebus confecere. [c] Quod cernens Raphael. *Tobia frater,* inquit, *scis quemadmodum reliquisti patrem tuum, si places itaque tibi præcedamus, & lento gradu sequantur iter nostrum familiæ, simul cum coniuge tua, & cum animalibus.* Quod cùm vtrique, & scilicet coniugi placuisset, quam à principio deserere inurbanius videbatur, accepto secum felle piscis, vt quamprimum sanaretur senex à cæcitate sua, antecesserunt, & intra triduum Niniuem peruenerũt. Cùm autem Sara reliquum iter septiduo confecerit, aliquanto amplius eam accelerasse in itinere oportet, quam in priore parte viæ. [c] vt dicitur init. cap. 11.

LIV. *Agnoscitur à matre.*

CVM autem appropinquarent ciuitati Niniue, agnitus est Tobias à matre sua. *Anna enim sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, vnde respicere poterat de longinquo: & dum ex eodem loco specularetur aduentum eius, vidit à longe, & illico agnouit venientem filium suum, currensque nunciauit viro suo, dicens, ecce venit filius tuus.* Blandientis est ea vox, & exhilarare cupientis, quæ lugens dicebat. *Diuitias computaremus, quod videbamus filium nostrum*; & Tobias ipse, *sanus est filius noster.* Apparet autem eleganter in ista muliere vis affectus materni, qui vetulam non semel, aut iterum, sed quotidie in viam dabat, imo in montis vrgebat supercilium, qui eam ibi affixam, & respectantem retinebat, qui ei lynceos oculos, quos negabat ætas ad cognoscendum dedit, qui vires ad currendum, & viro quamprimum nunciandum suffecit.

LV. *Præmonitio Raphaelis in aduentu.*

INTERIM Raphael, instar boni pedagogi: *vbi introieris*, inquit, *domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum, statimque lini super oculos eius ex felle isto piscis, quod portas tecum. Scias enim, quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aspectu tuo gaudebit. Tunc præcurrit canis, qui simul fuerat in via; & quasi nuncius adueniens blandimento suæ caudæ gaudebat.* Non annonis est annotatio istius circumstantiæ, quæ supra quoque capite sexto notata est. Pertinet enim ad prædulcem styli simplicitatem, & ad fidem etiam de minimis quibusque faciendam, à quibus non abest diuina prouidentia, quæ hæc quoque sacris codicibus inseri voluit. Læta hæc sunt, sed audi etiam lætiora.

LVI. *Occursus vtriusque Tobiæ.*

ET *consurgens cæcus pater eius cœpit offendens pedibus currere, & data manu puero, occurrit obuiam filio suo. Et suscipiens osculatus est eum, cum vxore sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.* Vide hic rursum optimi parentis affectum, statim atque intellexit adesse filium, impatiens omnis moræ non expectat, aut euocat famulum ducem viæ, nec senili grauitate maturat gressum, sed offendens pedibus properat, atque adeo currit, occurrit obuiam, ruit in amplexus, osculatur, lachrymatur; idem facit Anna mater. *Et cœperunt ambo flere præ gaudio*: & hanc optimorum parentum charitatem merebatur optimus filius. Cumque adorassent Deum, & gratias egissent, de tam feliciter transacta peregrinatione, multoque felicius opinione, atque expectatione sua, consederunt, statimque Tobias iuxta monitionem ductoris sui, *sumens de felle piscis liniuit oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidiam horam, & cæpit albugo ex oculis eius, quasi membrana oui egredi. Quam apprehendens Tobias, traxit ex oculis eius, statimque visum recepit.* *Illuminatur senex.*

LVII. *Idem ex textu Græco.*

PAVLO aliter habet textus Græcus. *Et Tobias*, inquit, *exibat ad ianuam, & prolapsus est.* Hoc est quod in vulgata dicitur, *& offendens pedibus.* Sed pergit. *Filius autem eius cucurrit ad eum, & apprehendit patrem suum, & inspersit fel super oculos patris sui, dicens, confide, pater, vt autem erosi sunt* συνδήχθησαν, quod mordicantem actionem fellis in oculos significat, *attriuit oculos suos, & desquamatæ sunt ab angulis oculorum eius albugines, & videns filium cecidit super collum eius*, iterato videlicet, *& fleuit*, præ dulcedine consolationis insperatæ. *Et glorificauit Deum cum vxore sua, & filio, & omnibus, qui sciebant eum.* Id est, vicinis, cognatis, amicis. Nam mox *venerunt Achior & Nabath consobrini Tobiæ, gaudentes, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus.* Isti in Græco vocantur Achiacharus, & Nasbas ἐξάδελφος, id est filius fratris ipsius, siue patruelis.

LVIII. *Gratias agit Deo.*

DICEBATQVE *Tobias*, non semel videlicet, aut iterum, sed sæpissime imo reliqua tota vita sua. *Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu saluasti, me, & ecce ego video Tobiam filium meum.* Alia quoque videbat omnia bonus senex, sed hoc erat ei instar omnium. In Græco autem plenius habetur. *Benedictus Deus*, inquit, *& benedictum nomen tuum in secula, & benedicti omnes sancti tui angeli, quia flagellasti, & misertus es, & ecce video Tobiam filium meum, & introiuit filius eius gaudens, & annunciauit patri suo magnalia quæ facta fuerant in Media, per hominem qui eum duxerat.* Sic enim decuit prius illuminari senem, vt solidius esset ex narratione gaudium, & bona filii bono proprio accommo-

data, senis animam liquefacerent.

LIX. *Aduentus Sara vxoris Tobia iunioris.* INGRESSA *est etiam post septem dies Sara uxor filii eius, & omnis familia sana, & pecora, & cameli, & pecunia multa vxoris; sed & illa pecunia, quam receperat à Gabelo. Et exiuit Tobias obuiam nurui suæ, ad portam Niniues;* vt est in Græco, *gaudens, & benedicens Deũ. Et mirabantur vidẽtes eum ambulentẽ,* sine duce videlicet, vt antea. *Et Tobias cõfitebatur coram eis, quod misertus fuisset eius Deus. Et vt appropinquauit Tobias ad Saram nurum suam, benedixit eam dicens; veniat sana filia: benedictus Deus, qui duxit te ad nos, & pater tuus, & mater tua: & factum est gaudium omnibus, qui in Niniue erant fratribus eius: & factæ sunt nuptiæ Tobiæ cum lætitia, per dies septem.*

LX. *Apparatus ad agnitionem angeli.* SED iam peregrinatione confecta, acceptisque diuinitus beneficiis, & gratiis Deo quàm cumulatissime redditis: dum vterque Tobias de gratitudine erga homines cogitat, istum scilicet omnium bonorum suorum mediatorem, & administrum Azariam: etiam cum dimidiæ partis bonorum omnium, quæ attulerant impensa; Dominus, qui bonorum nostrorum non eget, non solùm illis ea omnia relinquere cogitat, sed ea vult etiam agnitione diuinæ erga ipsos prouidentiæ, & beneuolentiæ, qui principem angelum in eorum obsequium, & remedium de cœlo miserat, vehementissime amplificare. Rem non possumus melius, neque elegantius explicare, imo neque centum Basilii, totidemque Chrysostomi, quàm ipse in Scriptura sancta Spiritus sanctus.

LXI. *Gratitudo vtriusque Tobiæ.* TVNC *vocauit ad se Tobias filium suum, dixitque ei, quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Respondens Tobias dixit patri suo. Pater quam mercedem dabimus ei? Aut quid dignum poterit esse beneficiis eius? Me duxit, & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit; vxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipsum à deuoratione piscis eripuit; te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto à te, pater mi, vt roges eum, si forte dignabitur medietatem, de omnibus quæ allata sunt, sibi assumere.* Vide hic primum vtriusque Tobiæ gratitudinem, iunioris in primis, qui accepta beneficia non dissimulat, sed exactè singula percenset: quæ potentissima est ratio, non solum beneuolentiæ benefactorum promerendæ, sed maioris quoque beneficiẽtiæ prouocandæ. Quod vtrũque valde imperitè ignorant, qui accepta beneficia vel dissimulant, vel recensendo diminuunt, & vt plura accipiant, parum se accepisse inepte significant. In quo & animos illorum à se, vt auaris, & ingratis abducunt, quod maligne de benefactorum liberalitate iudicent; & simul se in accipiendo insatiabiles prodant. Non sic illa sapientissima fœminarum. *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.*

LXII. *Rebus ipsis predita.* DEINDE non verbis tantum gratus esse vult Tobias, sed factis, qui non triginta quatuor, aut quadraginta drachmas pactas offert, [a] sed dimidiam partem omnium, quæ attulerant, & orat vt dignetur accipere, magnam aliquam eius dignitatem suspicans, propter accepti beneficii magnitudinem: nec ignorans mercedem dignitati personæ, cui illa debeatur, debere proportione respondere. *Et vocantes eum*, pater scilicet & filius, *tulerunt eum in partem*, præ se tulerunt se velle illi dimidiam partem bonorum dare, & cum eo illa ex æquo partiri. Nam sequitur. *Et rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant*, quibus scilicet acquirendis, tam insignem operam nauauerat, *acceptam habere.*

*Offert dimidium bonorum suorum.*

[a] 11 Frã. 13. Sol. 9. den. vel 13 Frã. & 15. Sol.

LXIII. *Raphaelis admonitio.* ANIMADVERTENDA deinde S. Raphaëlis admonitio, qui docet in primis, à quocumque tandem quis beneficium accipiat, primarium eius authorem agnoscendum ipsum Deum, atq; prædicandũ hominibus, vt ab omnibus glorificetur, & ab eo bene quoque ipsi sperare doceãtur. Hæc eius verba sunt. *Tunc dixit eis, occultè. Benedicite Deũ cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis, quam thesauros auri recondere. Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.*

LXIV. *Efficacitas bonorum operum.* SECVNDO bonorum operum efficacitatem, & apud Deum gratiã explicat; in eoque Tobiæ bene gesta gloriosè cõmemorat, quod in eo tãto laudabilius fuit,

quanto is minus ex Euangelio audiuerat. *Quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Rectè autem dicit eleemosynam liberare à morte, purgare à peccatis, & inducere ad vitam æternã. Non quod reuera eleemosyna sit actus contritionis, vt peccatum deleat, & recõciliet Deo: sed quia pientissimus Deus, sollicitatus precibus pauperum, qui accepta eleemosyna pro benefactore orant, ei dat spiritũ timoris Dei, & contritionis, quo peccator, & ad se, & ad Deum redit; sicq; eleemosyna salutis eorum causa est, non immediata, sed antegressa; quo fit vt ægrè contingat eleemosynarum largitorem perire.

Tertio docet patrocinium angelorum pro hominibus apud Deum, quippe qui pro Tobia Deo studiosè offerret eius orationẽ, & lachrymas & sepulturas. *Manifesto,* inquit, *vobis veritatẽ, & non abscõdã à vobis occultum sermonem. Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscõdebas per diẽ in domo tua, & nocte sepeliebas eos: ego obtuli orationẽ tuã Domino.* Quarto necessitatẽ ostendit tentationũ, quibus Dei serui purgentur à scoria, exerceantur in virtutũ actibus (quæ prosperis in rebus marcescunt sæpe, ac concidunt) & immensum gloriæ pondus promereantur. *Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Ex quo vice versa intelligi potest, non esse acceptos Deo, quibus, male præsertim viuentibus, omnia ad arbitrium fluunt, & secundissimis semper auris ad portum nauigant? si qui tamen istiusmodi in terris viuunt. LXV. *Patrocinium angelorum* *Necessitas tentationũ.*

Denique se fatetur angelum, nomen suum, gradum, & officium declarat. *Et nũc misit me Dominus, vt curarem te, & Sarã vxorem filii tui à dæmonio liberarẽ. Ego enim sũ Raphael angelus vnus, ex 7. qui astamus ante Dominũ.* De quibus multa ex Serario peti possunt. Id tãtum nobis sufficit, eosdem spiritus à D. Ioanne in Apocal. memorari, diciq; septem spiritus Dei, qui sunt in conspectu throni eius, emissi in omnẽ terram, singulari quadã præstantia, & dignitate præditi. Nam alioqui omnes angeli, & quidquid creatarum rerum vsquam est, coram Deo est, & adstant omnia quodãmodo expedita ad nutum eius: & in textu Hebr. Raphael se vnum esse ait ex principibus: & Clemens Alexand. l. 6. Strom. *Septem,* ait, *sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes &c.* Quorũ præcipuũ videatur minus, ad septem primarias virtutes, theologicas, inquam & cardinales homines adducere, cohortari, iuuare: aut ad septem virtutes vitiis capitalibus oppositas; quæ dæmones quosdam habent singulares incẽsores, vt Asmodæum ad luxuriam &c. Multa autem particularia eorum officia, ex iis quæ Raphael erga Tobiam exercuit, collegit Serarius quæstione nona; sicut & de eorum comestione, quæstione quinta. LXVI. *Declarat se angelus.* *Qui sunt septem spiritus Dei.* ac. 3. 4. 5. *Et eorum officia.*


Tantæ, tamque insperatæ rei nouitas sanctam hanc turbauit familiam, ita vt trementes caderent in faciem suam; sed mox eos consolatus est Angelus, dixitque eis. *Pax vobis: noli timere: etenim cum essem vobiscum per voluntatem Dei eram, ipsum benedicite, & cantate illi.* Nam qui conuiuio accepti sunt, Domino gratias agunt, non coquo, aut cæteris eius administris. Cæterum hic timor, boni angeli indiciũ est, vt constat ex plurimis Scripturæ locis: iuxta illud quod apud D. Athanasiũ dicebat D. Anthonius, cum bonus angelus bonis hominibus apparet, etiamsi initio inusitato aspectu timorem injiciat, ad extremum consolationem, & animi tranquillitatem relinquit. Denique Raphael, iterato præcepto de Domino benedicendo, & enarrandis mirabilibus eius, ab oculis eorum euanuit. *Tempus est,* inquit, *vt reuertar ad eum, qui me misit. Vos autem benedicite Deum, & enarrate omnia mirabilia eius; & cum hæc dixisset ab aspectu eorum ablatus est, & vltra eum videre non potuerunt.* LXVII. *Angeli consolatio.* *Et discessus.*

Quæ tota historia tanquam diuinæ prouidentiæ erga suos, ac beneficiẽtiæ argumentum, vt omnibus deinceps ætatibus, ac seculis nota fieret, ambo hi sancti viri eam scribendam censuerunt, accedente præsertim angelico præcepto. Nã in textu Græco ita legitur. *Et nunc confitemini Deo, quoniam ascendo ad eum, qui misit me, & scribite omnia, quæ consummata sunt in libro.* Quod etiam in Hebr. esse dicitur. Scripsit etiam, quæ capite tertio continentur. Nam in eius initio Græci ita legunt. *Et Tobias scripsit orationem* ( sequentem scilicet ) *in exultationem & gratiarum actionem.* Adiecit etiam vaticinium de Hierosolymorum futura clade, etsi præteritum pro futuro prophetico more vsurpet. *Ierusalem,* in LXVIII. *Scriptio, & author huius historiæ.*

quit, *ciuitas Dei castigauit te Dominus, in operibus manuum tuarum.* Nam in Græco est. *Hierosolyma ciuitas sancti, flagellabit* (Dominus) *super opera filiorum tuorum, & rursus miserebitur filiorum iustorum.* Inde statim ad celebrandam sub eo nomine Ecclesiam, tam militantem in terris, quàm triumphantem in cœlo delabitur. Huius autem libri quanta sit authoritas, quamque temerè nunc ab Hæreticis à canonicis libris excludatur, discere potes, à Serario, Prolegomeno quinto in hunc ipsum librum, & quod vltra requiras non erit.

LXIX. *Diuina prouidentia circa bona Tobiæ.* NON omittam diuinam circa Tobiam, alia quoque in re obseruare prouidentiam: quod scilicet cùm immineret Ecbatanis ingens calamitas, vbi erat Raguel, cum vxore sua, & Sara filia, & vniuerso Medorum regno, in quo erat Gabelus (ea enim sub Manasse, post aliquot annos contigit) eam ita præuenit Dominus, vt mature & matrimonium iunioris Tobiæ fieret, & media pars bonorum soceri eius, & pecunia in Gabeli manibus deposita, à proximo naufragio eriperetur. Quæ eadem prouidentia vice versa, imminente excidio Niniues, & reflorescente Ecbatana notata est. Nam tunc eduxit Dominus Tobiam ex Niniue, & ad soceros suos Ecbatanam reduxit, hæreditatem eorum ex asse recepturum. *Et Niniue.* Quanto admirabilior est eadem diuina prouidentia, circa animas filiorum suorum, vt acquisita bona conseruent, & augeant, & beatissimã patris sui hæreditatem acquirant?

Et de Tobia, tam seniore, quàm iuniore hactenus; nam de iis, quæ ad eorum mortem pertinent, quæ cap. 14. continentur, alius erit agendi locus. Senior enim anno 40. Manassis, iunior 16. Iosiæ in viuis esse desierunt. Nunc ad ea, quæ de Ezechia Rege Iuda dicenda restant, orationem conuertamus.



## ANNVS MVNDI 3337. QVINTÆ ÆTATIS 398.

FVNDATI TEMPLI 314. EZECHIÆ REGIS IVDÆ 29. & VLT. NERIÆ PONTIFICIS 29. MERODACHI 14. IMPERII BABYLONIORVM 5. OLYMPIADIS XV. AN. 4. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 36.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 716.



I. *Obitus Ezechiæ.* VLTIMVS adest optimi, ac pientissimi Regis annus, regni vigesimus nonus, vitæ autem quinquagesimus quartus, sed tãtum inchoatus, vt ex vtriusque initio aperte colligitur. Ideóq; corrigendus est Iosephus, [a] qui ait Ezechiam vitæ annum quinquagesimum quartum expleuisse. Rex hic, si quis alius in Scriptura egregiæ commendatur. Nam sapiens, [b] eius rebus gestis commemoratis, quas nos hactenus suis quasque annis exposuimus, ita concludit. *Fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris sui, quam mandauit illi Esaias propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei.* Verum hãc eius pietatem, ac fortitudinem luculentius explicat sacer historicus [c] *Fecitque quod erat bonum coram Domino; iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius.* Hæc est pietas, in qua nõnullos, de superioribus Regibus maioribus suis suppares habuit, sed in promouẽdo Dei cultu, & dissipanda penitus idololatria, & excidendis eius occasionibus fortitudinem adhibuit, qua posteros suos, maioresque superauit. Audiamus enim Scripturam. *Eius laus.*

II. *Et fortitudo pro Dei cultu.* IPSE *dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitq; serpentẽ æneum, quẽ fecerat Moyses, siquidem vsque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum.* Hæc post corruptissimum, deprauatissimumq; Achazi regnum, non potuit Ezechias sine magno animi robore suscipere, nec sine magna in Deũ fiducia, eiusque singulari auxilio cõficere; in quibus maximã regni partem sibi habuit tanquam pro aris, & focis obsistentem. Neque timuit ne subditi ad Assyriũ deficerẽt, eumq; regno

a l. 10. c. 3. fin. ἀρχαιολογ.
b Eccl. 48. 25.
c 4. Reg. 18. 3.

priuarent, *sed in Domino Deo Israel sperauit. Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Iuda, sed neque in his qui ante eum fuerunt, & adhæsit Domino, & non recessit à vestigiis eius: fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi.* Hæc ibi.

ac.23.25. In quibus non leuis occurrit dubitationis occasio, cùm de Iosia quoque [a] idem sacer historicus dicat, similem illi non fuisse ante eum regem, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, neque post eum surrexisse similem illi. Quomodo alteruter Regum duorum alterū similem nō habuit, in Dei cultu restaurādo, in quo vterque alteri simillimus, vterque laudatissimus fuit? Abulēsis[b] certe Iosiam præfert, quia Scriptura in laudando Iosia profusior videtur, quàm in laude Ezechiæ. Et quia hic non omnem penitus idololatriam è regno suo sustulerit, sicut Iosias, quod à nobis supra improbatum est.[c] Itaque non dispar fuit vtriusque zelus circa cultum Dei. An vtrobique admittenda est hyperbole certe admittit Emanuel Sà, sicut & ibi. *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Nā Moyses, aut Dauid non videntur Abrahamo cessisse in gloria, vel obseruatione diuinæ legis. Sed vnusquisque Sanctorum eximium aliquid habuit, quo superaret alios, & aliquo præ aliis priuilegio donatus fuit à DEO. Nemini Regum Sol retroactus est; nemini reuocatâ mortis sententia, 15. anni vitæ adiecti sunt; nemini missus angelus ad sternendum immensum exercitum. III. *An Iosiæ præstiterit.*

b q.11.in c 18.4 Reg.

c an.1 Ez. n.28.& 29.

Et certe constat ante vtrumque Regem fuisse Dauidem, cui nemo Ezechiā aut Iosiam antetulerit, vt qui primus fuerit in suo genere, principum videlicet: proptereaque regula, ac mensura cæterorum: ideoque Scriptura bonos principes commendat, & malos reprehendit, prout accesserint ad Dauidem, aut ab eo abfuerint. Quāuis enim plura, & grauiora Dauidis peccata legamus, quàm Ezechiæ; & huius plura, & præstantiora miracula, quàm illius, plura tamen virtutis opera, insignioraque Dauidis legimus, quàm Ezechiæ; nec sanctiorē dicere possumus Martham Magdalena, aut Gregorium Thaumaturgum Ioanne Baptista; licet Magdalena peccauerit, & Ioannes nullum signum fecerit. IV. *Aut etiam Dauidi.* *quamuis peccatori.*

Sed vt nunc quidem Iosiam omittamus, dubitari non potest, quin Ezechias multis, magnisque virtutibus clarissimus fuerit. Nam vt omittam prudentiam rerum gerendarum, quam nominatim in eo Scriptura commendat; fortitudinem in excutiendo iugo seruitutis, & hostibus debellandis; magnificētiam in amplificatione, & restauratione regiæ ciuitatiis, regijsque diuitiis; zelum salutis animarum missum facere non licet, mox à susceptis regni gubernaculis, quo stimulatus vtrumque regnum cursoribus obambulat, precibus sollicitat, monitis instruit, liberalitate demeretur, vt omnes ad Dei sui cultum, & venerationem traducat. Neque fiduciam in Deum tam stupendis miraculis retroacti Solis, depulsi morbi, amplificatæ vitæ, deleti immensi exercitus, diuinitus confirmatam. V. *Ezechiæ variæ virtutes.* *Prudentia, Fortitudo, Magnificētia, Zelus animarum*

Quis tacitum omiserit zelum diuini honoris, quo statim à principio regni sui incitatus, ante omnia templum aperuit, purgauit, Dei cultum restaurauit, & cùm regnum vniuersum nutaret, Assyriis vbique impune volitātibus, ad omnia immobilis blasphemas in Deum voces ferre nō potuit, & apud Deum filiali fiducia conquestus est? Quis eius in Deum fiduciam afflictissimis in rebus satis miretur? Inuaserat in regnum Assyrius cum ducentis millibus armatorum, atq; in eius visceribus grassabatur, totam latè regionem populabatur, omnes pene ciuitates munitas in potestatem redegerat: iisdem armis, ac viribus Hierosolymis imminebat, quibus meminerant omnes regnum Israelis ante aliquot annos cōcidisse: nullum tamen verbum de deditione factum: quod oculi eius manusque in cœlum erectæ, liberationem ab hoste barbaro, perfido, blasphemo, diuinitus expectarent. VI. *Zelus diuini honoris. Fiducia in Deum.*

Illa tamen regis humilitas erga Deum, & propriæ apud ipsum depositio voluntatis in tanta re, quantam illa Isaiæ postrema comminatio continebat, omnē superat admirationem. Lætatus erat in legatorum longinquæ regionis aduētu, gratulatus sibi erat amicitiam suam ab exteris regibus expeti, & Dei eximiam erga se beneuolentiam prodigiis declaratā agnosci. Ostentarat opes suas, & hostibus erepta spolia. Quod vulgo principes non in crimine, sed in laude ponunt. Et tamen audit: *ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ* VII. *Obedientia eiusdē mirabilis.*

*condiderunt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem; non remanebit quidquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis tollentur, & erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis.* Et audit sine gemitu, sine murmure, sine excusatione, sine querela: non lachrymatur, non percutit femur, non eleuat culpam, non dilacerat purpuram suam.

VIII. *Qua eam amplificet.* DIXISSET aliquis: Quid feci? Quod est peccatum meum, vt tam seuera animaduersione puniatur? Num ostentatio bonorum meorum impiorum rapina, & latrociniis vindicanda est? Quis mercatorem merces suas populis inaniter commonstrantem, prædonibus propterea addicendum putat? Sed esto, superbia mea, & ingratus in Deum animus, qui me tot prodigiis in altum extulit, deiectionem istam meretur. Quid meruere puereli filij mei, damnati antequam nati; seruituti addicti nondum degustata libertate? Nihil horum ille. Sed *bonus sermo Domini, quem locutus es.* O demissionem animi singularem! O religiosam, imo regiam obedientiam! Regum enim virtutes omnes non populares, ac plebeiæ, sed sublimes, & verè regiæ esse debent.

IX. *Typus Christi Domini.* Denique tantus extitit princeps Ezechias, vt merito Regum omnium principi, ac monarchæ Christo Domino, tanquam illius figura conferatur.

*In liberato populo.* MAGNIS suis molestiis, periculisque populum Dei ab Assyriorum tributo, ferróque liberatum reddidit. Christus magnis totius vitæ suæ laboribus, ipsáq; morte populum suum à dæmonum tyrannide, & crudeli seruitute liberauit. Priuauit Ezechias aquis hostes suos, & eas in ciuitatem à se conditam deriuauit, & quidem rupe ferro perfossa. Priuauit Christus synagogam infidelem aqua gratiæ, & sacramentorum aquæductibus, quos in suam Ecclesiam traduxit, vt illis siti exarescentibus, nos aqua viua abundemus; & impleatur illud Isaiæ 35. *Quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine: & quæ erat arida fuit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.* Sed rupes ferro perfossa est, ad hauriendas aquas de fontibus Saluatoris, qui erat petra, quæ ferreis clauis, & lancea in cruce perfossa est.

X. *In recepta vita.* MORIBVNDVS Ezechias mirabiliter reuiuiscit. Christus admirabilius resurgit à mortuis: & in vtriusque resurrectione fiunt signa, in Sole, & Luna; licet in altera lux diminuta sit, in altera amplificata.

*Restituto Dei cultu.* Ezechias Dei cultum, destructa idololatria, studiosissimè reparauit in regno suo. Christus quoque in regno suo, toto scilicet orbe terrarum. Psal. 2. Postula à me, ait, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.

*Demonstratione gloriæ.* Monstrat Ezechias thesauros suos legatis Babyloniorum. Monstrat Christus in transfiguratione thesauros gloriæ suæ, & diuinitatis absconditæ Apostolis, quos legatos gentibus destinabat. Et gloria Ezechiæ auferenda post mortem, Christi autem per mortem, & excessum, *quem completurus erat in Ierusalem.*

XI. *In regni firmitate.* CVM cœpit regnare Ezechias, regnum Israël periit, deinde autem etiam regnum Assyriorum concidit, factumque est Babyloniorum, qui Ezechiæ amicitiam ambierunt. Regnante Christo, & Christianismo exoriente, Israëlitica synagoga defecit, & per totum orbem sparsa est. Romanum quoque imperium tandem ab idololatria deficiens, Christi amicitiam, & fidem complexum est.

Denique neque ante Ezechiam, neque post eum quisquam inuentus est in regibus Iuda, aut Israël Ezechiæ similis, qui adhæreret Domino, & non recederet à vestigiis eius. Nec ante Christum, nec post Christum similis inuentus est illi, neque in angelis, neque in omnibus hominibus. Cui enim angelorum, aut hominum dixit vnquam pater. *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Cui adhæret vt patri filius, & quæ ei placita sunt facit semper. *Itaque hic est*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

XII. *Ezechiæ de Manasse colloquium cum Isaia.* ADDAM postremo quæ author imperfecti operis in Matth. apud Diuum Chrysostomum, ex Rabinis, vt apparet, mutuatus, refert de Ezechia, & Isaia, quæ ad hoc tempus pertinent. *Cùm ægrotasset*, inquit, *Ezechias in tempore quodam, & venisset ad eum Isaias propheta visitandum, vocauit Ezechias filium suũ Manassem, & cœpit ei mandare quomodo Deum timere debeat, quomodo regere regnum, & alia multa. Et dixit ad eum Esaias. Verè non descendunt verba tua in cor eius: sed & me ipsum oportet per manum eius interfici. Quod audiens Ezechias volebat filium suum interficere, dicens melius est, me*

*sine filio mori, quàm talem filium relinquere, qui & Deum exasperet, & Sanctos eius persequatur. Tenuit autem eum vix Isaias propheta dicens: irritum faciat Deus consilium tuum hoc, videns Ezechiæ religionem; quia plus amauit Deum, quàm filium suum.* Hæc ibi, quæ sine dubio admodum olent Iudaicas fabulas, & historias ex euentis excogitatas. Vbi etiam supponitur Ezechiam vnicum habuisse filium Manassem, quod videtur Scripturæ, plures eius filios memoranti, repugnare. [a] Qui postea in Babylonem cum fratre Manasse abducti sunt: vt suo loco dicemus. *Videri fictitium.*

a Isa. 19.7. 4. Reg. 20. 18.

b c. 32 extr.

XIII. *Regis sepultura.*

Iam quod ad Regis huius sepulturam attinet, libro secundo Paralipom. [b] significatur solemniores fuisse eius exequias, & sepulchrum, aliorum Regum sepulchris magnificentius. Sic enim legitur. *Dormiuitque Ezechias cum patribus suis, & sepelierunt eum super sepulchra filiorum Dauid; & celebrauit eius exequias vniuersus Iuda, & omnes habitatores Ierusalem. Et hoc notandum,* ait Diuus Hieronymus in tradit. Hebr *quod excelsius sepulchrum cæteris filiis Dauid habuit, meriti prærogatiua.* Adde etiam ex mortis præscientia. Cùm enim tam Regi ipsi, quàm toti populo constaret de tempore mortis eius, apparari omnia magnificè potuerunt; & Rex ipse se ad diuinum iudicium præparare.

*Quare parum felix fuerit.*

Abiit ergo e viuis Ezechias, varie flantem, reflantémque fortunam expertus: & vt in cæteris rebus beatus fuerit, in eo parum felix fuisse videatur, quod Achazi filius fuerit, & Manasse parens. Nimirum rosa è spinis orta, in spinas rursum degenerauit: sic è fumo flamma, in fumum rursus euasit: sic denique è tempestate nata tranquillitas, in teterrimam desiit tempestatem.



## ANNVS MVNDI 3338. QVINTAE ÆTATIS 399. FVNDATI TEMPLI 316. MANASSIS REGIS IVDÆ 1. OSAIÆ, SIVE ODEÆ PONTIFICIS 1. MERODACHI 15. IMPERII BABYLONIORVM 6. OLYMP. XVI. ANN. 1. ROMVLI, ET VRBIS CONDITÆ 37.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 715.

I. *Transitus ad Ezechia ad Manassem.*

c 4. Reg. 21. 1. 2 Par 33. 1.

d Thr. 4. 1.



SPARTANVS Pythagoras in Olympico stadio victoriam obtinuisse memoratur, eius meminit Plutarchus in Numa, & Dionysius Halicarnassæus, vt anno primo Numæ dicetur. Cæterum ab optimo, atque religiosissimo principe Ezechia, [c] ad crudelissimum, maximéque impium Regem Manassem, non sine gemitu transit oratio, & cum Ieremia [d] sacram illam querelam integrat. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.* Fuit enim Ezechias *vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*, non minus quàm Simon ille Oniæ filius, [e] & mutatus est in Manasse in vas testeum, [f] opus manuum figuli. Aureus ille vitæ immaculatæ patris fulgor, fuligine vitiorum filij decoloratus est, & denigrata est eius facies super carbones, quando antiquato Dei cultu, domi, forisque in omnibus vicis, & plateis, in collibus, & lucis, atque adeo in ipso Dei templo, sacrilegum idolis cultum sceleratus attribuit.

e Eccl. 50. 10

f Thr. 4. 2.

II. *Antithesis vtriusque Regis.*

Ezechias statim ab initio regni sui, quæ pater eius Achaz circa religionem, & Dei cultum violarat, religiosissimè reparauit. Manasses statim initio regni sui, quæ pater circa pietatem stabiliuerat, contumeliosissimè pessumdedit. Ille infideles ex alieno etiam regno reduxit ad veram fidem: iste fideles è regno suo ad impietatem traduxit; ille Dei Sacerdotes, & Leuitas acciuit in templi ministeria, & laudem Dei; eos iste proscripsit, & sacerdotes idolorum, in eorum locum subrogauit. Ille Dei prophetam Isaiam, reliquosque vates tanquam Dei interpretes, & arcanorum conscios, & prodigiorum diuinorum effectores

veneratus est; iste Esaiam sanguine propinquum, diuturna iam canicie, & senectute venerabilem, plagis male mulctatum occidit, imo serra dissecuit.

III. Quam dissimilis Ezechiæ Manasses. ILLE filios à Deo precibus, lachrymisque obtinuit; iste filios dæmonibus solemni ritu consecrauit: ille Deum per prophetas, sacerdotesque consuluit; iste dæmones magicis incantationibus, & maleficis artibus sollicitauit. Ille famulantem sibi habuit Solem, & cum Sole sydera vniuersa, omnium creatore Deo desideriis eius obsecundante; iste in contumeliam creatoris Solem, & Lunam, omnemque militiam cœli adorauit, & coluit. Ille nocentibus, & peccatoribus subditis veniam à Deo precibus obtinuit: iste innocentium sanguine totam ciuitatem repleuit. Itaque ille diuinitus gloriosissimam de potentissimo hoste victoriam, sine sudore, & sanguine reportauit: iste vlciscente numine, in hostium potestatem redactus, & seruilem in modum catenis vinctus, è regno eiectus, in carcerem proiectus est.

IV. Res eius obscura. QVANDO autem, & quomodo ista contigerint, & pleraque alia, quæ in longissimum eius regnum cadunt, non facilè est vel in suos annos digerere, vel explicare. Exceptis enim iis, quæ in scriptura tradita sunt, perpauca de eo scripsere patres, eius memoriam, quod Scriptura quoq; facit, auersati. Chronicum etiam Hebræorum, quod gesta eius paucis cap. 24. perstringit, cap. 20. ait Ioël, Naum, & Habacuc vaticinatos esse tempestate Manassis: sed propter eius improbitatem, eius nomen principio prophetiarum suarum subticuisse. Idem de Esaia affirmant alij. Et certè cùm nemo dubitet Esaiam eius temporibus vixisse, &, vt credere par est de tam sancto viro, regis, populique scelera grauiter accusasse, illius tamen nomen neque initio, neque vsquam toto volumine protulit; quæ fortassis etiam causa fuit, cur nulla in libro Tobiæ, aut Iudithæ eius mentio fiat, licet eo regnante vixerint. Georg. Eder. in suis tab.

V. Osaias pontifex. QVOD ad pontificem attinet, quem de more cum principe commutamus, breue Chronicum Hebræorum ait, Manasse regnum obtinente, Osaiam summum sacerdotium exercuisse. Cui consentit Genebrardus in Chronico. Iosephus autem [a] eum Odeam vocat, corrupta, vt videtur, voce ex Oσαίας [b] cui fortè, captiuo rege, successit Eliacim, qui in libro Iudith perquam celebris est: de qua non ita multo post disputandum erit. Mentio est eiusdem Osaiæ viri primarij apud Ieremiam, qui pater, aut potius auus fuerit Iezoniæ, qui fugam eo tempore in Ægyptum cum cæteris meditabatur. [c]

[a] l. 10. ant. c. 11
[b] ω versio in L. & e. in δ.
[c] c. 42. 1.

VI. Manassis initium. DE regis ingressu in regnum ita sacer historicus, tam in libro Regum, quàm Paral. *Duodecim annorum erat Manasses, cùm regnare cœpit, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ierusalem, nomen matris eius Saphsiba.* Iosepho Achiba Hierosolymitana ciue. Expleuerat autem duodecimum annum, & decimum tertium attingebat, iuxta ea quæ 25. anno Ezechiæ diximus. Quæ est etiam Tornielli sententia anno quintæ ætatis 116.

Et tres vitæ actus. Tribus porro quasi actibus ipsius vitæ, aut regni potius fabula distinguitur; primus est malitiæ, secundus pœnitentiæ, tertius pietatis, atque iustitiæ. Primus ad captiuitatem eius protenditur, & annos continet ferè septem, iuxta temporum, rerumque dispositionem, quam maximè probabilem putamus.

VII. Causa deprauati Manassis. QVOD ad primum attinet, Iosephus ait Manassem, omissis paternis studiis, contrarium vitæ studium tenuisse, & à contemptu Dei maleficia exorsum, ad iustorum cædes progressum esse. Infelix puer patrem præposterè imitatus est. Vt enim ille pietatis operibus, & diuino cultui statim ab initio regni ianuam aperuit; ita hic impietati, ab ipsa pene regni inauguratione, permisit habenas. Puer videlicet duodennis ab impiis aulicis, qui impietatem sub Ezechia nefaria hypocrisi egregiè texerant, miserè in fraudem inductus est, vt valde probabiliter putat Abulensis. [d] Sic enim Ioas, mortuo Ioiada ab aulicis delinitus obsequiis, idololatriæ primum, deinde etiam Sanctissimi prophetæ neci aditum patefecit. At Manasses modis omnibus factus deterior, his simillima, multóque etiam plura scelera perpetrauit, quæ Scriptura memorat, & ad tria præcipua capita reuocari possunt, idololatriam, magiam, homicidium, quæ certis temporibus, vel annis distingui non possunt.

[d] q. 1. in c. 21. 4. Reg.

VIII. Præludia idololatriæ. IDOLOLATRIÆ præludium fuit instauratio excelsorum. Nemo enim

repente fit pessimus, sed quibusdam quasi gradibus & ad virtutum apicem scanditur, & in profundam vitiorum voraginem descenditur. Ideoque vtrobique in Scriptura hæc instauratio primo loco memoratur. *Conuersusque est*, inquit, *& ædificauit excelsa, quæ dissipauerat Ezechias pater eius.* In collibus enim nemorosis, & amœnis excitabantur altaria, vt non semel diximus, in quibus Deo sacrificabatur; quod ei propterea displicebat, quòd in templo Hierosolymitano duntaxat sibi volebat sacrificari. Ideoque Ezechias, qui perfectum Deo cultum studuit exhibere, huiusmodi aras euertit; Manasses autem ea instaurauit, quod propterea minus criminosum fuit, quoniam illic sacrificabatur Deo, præsertim ante constructum templum: & quia plerique non improbati reges Iuda illa permiserunt, vt Iosaphat, [a] vt pater eius [b] Asa, & Ioas etiam viuente Ioiada Sacerdote, [c] & Ozias: [d] putantes fortasse ea posse permitti, accedente præsertim longa consuetudine, ab ipso vsque Salomone, [e] sed ante templi molitionem.

*Instauratio excelsorũ.*

*a 3 Reg. 22.44. b 3. Reg. 15. 14. c 4 Reg. 12.3 d 4 Reg. 15 4. e 3. Reg 3.*

EREXIT ergo Manasses aras in excelsis, quibus Deo cultus ingratus exhibebatur, sed eadem opera excitauit aras Baalim, non vnam scilicet aliquam, sed plures in pluribus locis, vt tanto magis idololatria frequentaretur, & vt amœnitas loci ad hoc flagitium populum alliceret, *fecit lucos, sicut fecerat Achab Rex Israel.* [f] Confertur enim Achabo Manasses, quod vterque idololatriæ deditissimus fuit, vterque virorum sanctorum sanguine cruentatus. Et sicut ille omnium regum Israël pessimus fuit, vt illo elogio significatur. *Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini* [g] sic & iste regum Iuda deterrimus fuit; adeo vt de eo per prophetas Dominus dixerit. *Fecit Manasses rex Iuda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerant Amorrhæi ante eum.* [h] Et sicut illius peccata Deum prouocarunt ad funditus perdendum regnum Israëlis per manus Assyriorum, sic & iste ruinam regni Iudæ suis sceleribus promeruit: quæ gladio Nabuchodonosoris regis Babyloniorum perfecta est.

IX. *Ibi excitat aras.*

*Eius cum Achabo coparatio.*

*f 4 Reg. 21. 3 & apertius v. 13.*

*g 3. Reg. 21 25.*

*h 4 Reg. 21.11.*

PLANTAVIT ergo arbores, quæ loca sacrificiis, & ludis, conuiuiisque destinata iucundè inumbrarent, & ipso dispositionis artificio gratum inambulantibus spectaculum exhiberent; qualia videmus à principibus viris ad ludos, & recreationem multis in locis excitari: sed hæc non sunt paucorum dierum, aut mensium opera. Itaque hoc primum anno malè inchoata, peius in sequentes propagata sunt.

X. *Plantat lucos.*

IN hunc annum plerique omnes finem regni Romuli merito retulerunt. Etsi enim mors eius in secundum annum Olympiadis decimæ sextæ cadat, & annum vrbis à Palilibus trigesimum octauum (quæ causa videtur fuisse Plutarcho, vt in Romuli vita eum dixerit 38. annis regnasse, in Numa verò triginta septem) Quia tamen ratio nobis annorum Iulianorum habenda est, in annum 37. Romuli eadem mors referenda est, ætatis autem quinquagesimum quintum, quæ est perspicua Dionysij senteñtia. Mortuum enim ait nulla ex se relicta prole, post exactum regni annum 37. ætatis vero quintum supra quinquagesimum. Cùm admodum iuuenis ad principatum euectus esset. Dicendum potius mortuum, cum regni trigesimus septimus & ætatis quinquagesimus quintus in cursu essent. Excessit, ait Onuphrius, annos natus quinque & quinquaginta, anno regni septimo supra trigesimum, mense secundo, & die decima octaua, quantum est à Parilibus ad nonas Iulij; Adde mense autem sexto, & die septimo anni quinquagesimi quinti, quantum scilicet est ab ineunte Februario ad nonas Iulij, iuxta ea, quæ de eius vita anno tertio Olympiadis secundæ dicta sunt.

XI. *Tempus mortis Romuli.*

QVOD autem ait Dionysius eum nulla ex se prole relicta defunctum, consentientem habet Plutarchum: qui nihilominus ex Zenodoto Trœzenio refert Hersiliam Romuli coniugem fuisse, ex eaque sustulisse filiam vnam, quæ ratione natiuitatis, Prima appellata sit, & vnum item filium Aollium, quem ita à congregatione ciuium, Græca vocis origine, ipse dixerit, posteri Abillium, *sed hæc ille enarrans*, inquit, *multos habet qui contradicant.* Et sanè valde mirum esset nullam huius filij aut in vita, aut in morte Romuli fieri mentionem, nullam eius in regno patris, vel interregno habitam fuisse rationem.

XII. *Num qua eum proles.*

DE morte Romuli omnes ferè eadem referunt. Qui fabulosius, ait Dionysius, res eius narrant, aiunt in castris apud milites concionantem serenitate in

XIII *Mors Romuli fabulosior.*


atram caliginem repente mutata, nimboque vehemente cum fragore cœlitus effuso, euanuisse ex illorum oculis; creduntque à patre suo Marte abreptum esse. Alij quibus libentius crediderim, dicunt à suis ciuibus interfectum, quod præter consuetum inconsulta ciuitate dimisisset acceptos à Veientibus obsides. quod non pari comitate dignaretur veteres ciues, & ascriptitios, sed illos magni faceret, istos despiceret: quod eius in delinquentium suppliciis crudelitas esset inuisa, vt qui Romanorum quosdam latrocinij conuictos à finitimis iussisset de prærupta rupe, sua vnius sententia damnatos, dari præcipites. Sed maximè offendebat, quod videretur esse factus arrogantior, imperiumque non amplius regio, sed tyrannico more gereret. His ergo de causis aiunt patritios conspirasse in eius perniciem; necatum autem in curia; & ne cadauer compareret, frustatim corpus discerptum à senatoribus, elatumque sub togis, & clam terra obrutum. Hæc, & alia Dionysius.

XIV. *Mortis locus, & dies.* MORTIS locus non admodum controuersus est; quidam enim ad ædem Vulcani vbi scilicet habebatur senatus, mortuum ferunt; alij passim omnes, nominatimque Liuius, in campo, ad Capræ paludem postremum visum tradunt, vbi subito coborta tempestas cum magno fragore, tonitrubusque tam denso regem operuit nimbo, vt conspectum eius concioni abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuerit. Addo Plutarchum, qui & tempus, & locum, aliasque etiam peristases notat. *Romulus*, inquit, *sublatus est nonis Iulij, qui mensis olim erat Quintilis, ita sanè vt de exitu eius nullus constans sermo relictus sit, præterquam de tempore casus istius*, & infra; *Romuli subito vita functi, neque corporis pars visa est, neque vestimenti particula vlla superfuit. Verum alij opinantur in æde Vulcani impetum à Senatoribus in eum factum, occisique corpus in partes discerptum, earumque à singulis vnam in sinu egestam.*

XV. *Raptus memoratur.* ALII *neque eo in loco, neque solis Senatoribus præsentibus conspectui hominum ademptum existimant. Sed cum ad Capræ paludem extra vrbem forte concionem haberet, ita subito in aëre mirabilem, ac verbis superiorem tempestatem, mutationesque incredibiles extitisse. Solis enim lumine obscurato, noctem ingruisse, nequaquam quietam, aut placidam, sed horrendis tonitribus, ventorumque vndequaque grandinem incutientium flatibus frementem. Tum multitudine ad fugam dispersa potentiores in vnum globum coijsse*, & infra. *Dies quo fato concessit, fuga plebis appellatur, ac nonæ Capratinæ.* Solem obscuratum ait Plutarchus, nubibus videlicet, quæ grandinem iacularentur, tonitruque perstreperent; non autem Lunaris corporis incursu, vt teratologi fingunt; sed huiusmodi eclipsim Dionysius in fabulis haud obscurè numerat, non secus atque illam, quæ in eius ortu memoratur. Ex quo apparet quæ vis sit demonstrationum mathematicarum, quæ istiusmodi fundamentis nituntur. Credibilius fortasse quis dixerit, Romulum diuinitatis opinionem captantem, non inuitum à malo dæmone abreptum fuisse, qui eum populo Deum factum mentiretur, Quirinumque dici velle, vt sic superstitio in totam posteritatem propagaretur; remque Romanis, vt sibi gloriosam, facile à subornato Iulio Proculo fuisse persuasam. Sed de his satis.

*ὀχλαγωγία, ἢ νῶναι καπρατίναι. Solis eclipsis improbabilis.*

*Raptus probabilior.*



# ANNVS MVNDI 3339. QVINTAE ÆTATIS 400. FVNDATI TEMPLI 317. MANASSIS REGIS IVDÆ 2. OSAIÆ PONTIFICIS 2. MERODACHI 16. IMPERII BABYLONIORVM 6. OLYMP. XVI. ANN. 2. VRBIS CONDITÆ 38. INTERREGNVM.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 714.



QVADRINGENTESIMVS agitur annus à Samuelis principatu, quo Regum ætatem inchoauimus; quo anno Romana respublica principe caruit, sed multos habuit per interualla, qui regem repræsentarent. Rem paucis sic explicat Liuius. *Timor, inquit, patres incessit ne ciuitatem sine imperio, exercitum sine duce, multarum circa ciuitatum irritatis animis, vis aliqua externa adoriretur. Et esse igitur aliquod caput placebat, & nemo alteri concedere in ammum inducebat. Itaque rem inter se centum patres, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, consociant: decem imperitabant, vnus cum insignibus imperij, & lictoribus erat, quinque dierum spatio finiebatur imperium, & per omnes in orbem ibat: annuumque internallum regni fuit, id ab re, quod nunc quoque tenet, interregnum appellatum.* Eadem habet Dionysius, nisi quod ducentos patres, & viginti decurias eorum constituit, eo quod Senatorum numerus, admissis in remp. Sabinis, fuisset duplicatus.

I. *Interregnũ Romæ.*

*Cuiusmodi fuerit duplicatum.*

INTEREA gliscit in dies magis idololatria in regno Iuda, excitantur luci, artificiosè digeruntur arbores; certis etiam locis ad ornatum columnæ, arcus, statuæ, collocantur; dicantur Ioui, Marti, Veneri, Saturno, Soli, Lunæ, Mercurio, omni denique militiæ cœli. Honorantur à rege primùm, regem sequuntur aulici, inde reliquus populus. Et credibile est ista primum ad ornatum, & animi oblectationem quæsita fuisse, sed ea mox in idololatriam transiisse, sicque sensim sine sensu influxit, atque insinuauit se cultus idolorum, quod Scriptura [a] videtur significare voluisse, cùm ait populum seductum fuisse à Manasse, *vt faceret malum super omnes gentes, quas contriuit Dominus à facie filiorum Israel.*

II. *Gliscit idololatria in regno Manassis.*

[a] 4. Reg. 21. 9.

SIC hæretici ludibundum populum ad suburbana conuenticula pelliciebant; ibique per iocum cum sectariis cantillantes, & animi tantum gratia ministros audientes, nec opinantes facti sunt hæretici. Sic olim Iephthe [b] dixit filiæ suæ, *heu me filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es.* Quæ enim existimauit se illo apparatu honorare patrem suum, decepta est; quia illum priuauit vnica filia sua, & in tristem catastrophem terminatus est ludus: sed & nesciens decepit eum, dum ei hilariter occurrendo, pro triumphante fecit parricidam. Sic & Manasses obambulantem in lucis ornatis populum, & recreationi vacantem, sensim sine sensu fecit idololatram: quæ probabilior videtur expositio huius deceptionis à Manasse factæ; quàm Dionysij, qui seductos explicat *coactos*, sanè coacta interpretatione; & id non est decipere, & errare facere, vt est in Græco, & Hebræo, & Latino textu.

III. *Qui seductus ab eo populus.*

[b] Iudic. 11. 31.

ANNVS MVNDI 3340. QVINTÆ AETATIS 401. FVNDATI TEMPLI 318. MANASSIS REGIS IVDÆ 3. AD 7. OSAIÆ PONTIF 3. MERODACHI REGIS BABYLONIORVM 17. IMPERII BABYLONIORVM 8. OLYMPIADIS XVI. AN. 3. NVMÆ I. VRBIS CONDITÆ 39.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 713.

I. *Romani regem petunt.* INTERREGNI annus aut abibat Romæ, aut iam planè abierat, cùm plebs fremere cœpit multiplicatam seruitutem, viginti pro vno dominos factos. Cum interrex Sp. Vettius concione aduocata. Quod bonum, faustum, felixque sit, inquit, Quirites, regem create, ita patribus visum est. Patres deinde si dignum, qui secundus à Romulo numeretur, crearitis authores fient. Iussit populus, vt Senatus decerneret, qui Romæ regnaret; ita ferè Liuius. Dionysius autem: Elegerunt veteres Senatores è Sabina gente, Pomponis, Pompilij viri illustris filium, Numam nomine, prudentissimos ætatis annos ingressum. Non multùm enim aberat ab anno 40. & formæ dignitate plane regia præditum, cuius tum sapientiæ fama erat inclyta apud gentes finitimas, quem ad regnum ineundum adduxerunt anno tertio sextæ decimæ Olympiadis, qua stadium vicit Pythagoras Lacedæmonius.

II. *Ratio temporis regni Numinæ.* ITA Dionysius: quæ vt vides Chronologiam nostram confirmant, & ipsum sibi in numerando rectè constare docent. Accedit Plutarchus in Numa, qui hinc natum errorem putat, cur Numa habitus sit Pythagoræus, eiusque tempore regnasse. Alij, inquit, Pythagoram philosophum multò Numa posteriorem (& in his Marcus Tullius, & Titus Liuius) quinque nimirum circiter ætatibus faciunt. Sed Pythagoram Lacedæmonium, qui in Olympico certamine, Olympiade decima sexta, cuius anno tertio Numa rex constitutus fuit, stadium vicerit, & Italia oberrantem cum Numa congressum, eique in constituendo regno socium fuisse. Cuius Pythagoræ doctrina effectum sit, vt Romanorum institutis multa Spartana sint admixta.

III. *An Pythagoræus fuerit.* QVÆ fuerit athletæ doctrina satis intelligi potest. Libentius audio Ciceronem, [a] qui arbitratur propter Pythagoræorum admirationem, Numam quoque regem Pythagoræum à posterioribus existimatum. *Nam cum Pythagoræ disciplinam, & instituta cognoscerent, regisque eius æquitatem, & sapientiam à maioribus suis accepissent, ætates autem, & tempora ignorarent propter vetustatem, eum qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuisse crediderunt.* Sic ipse: additque Pythagoram in Italia fuisse temporibus iisdem, quibus L. Brutus patriam liberauit. Aliquanto antiquiorem Liuius facit. *Authorem*, inquit, *doctrinæ eius, quia non extat alius, falsò Samium Pythagoram edunt, quem Seruio Tullo regnante Romæ, centum amplius post annos*, post quinquagesimam demum Olympiadem, ait Dionysius, *in vltima Italiæ ora circa Metapontum, Heracleamque, & Crotonem iuuenum æmulantium studia cœtus habuisse constat*: Ex quibus locis, etsi eiusdem ætatis fuisset, qua fama in Sabinos, aut quo linguæ commercio quemquam ad cupiditatem discendi exciuisset? Quoue præsidio vnus per tot gentes dissonas sermone, moribusque peruenisset? *Non videri.*

IV. *Sabinorum disciplina institutum.* QVID ergo, tu Liui, de ista regis doctrina censes? *Suopte*, inquit, *ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis: instructumque non tam peregrinis artibus, quàm disciplina tetrica, ac tristi veterum Sabinorum; quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* At Plutarchus Græcorum studiosior, vt Pythagoræ illi Spartano conciliet fidem, Liuij sententiam eleuans; *quasi*, inquit, *aut sua indole, & per se adspirare ad virtutem quiuerit; aut præstantiori Pythagora tribui barbaro nescio cui institutio*

[a] 4. Tusc. init.

regis

*re, si posset.* Maximè verò possit, inquam, si, quod postea factum à Platone legitur, in Hebræorum sacra volumina, eiusque fidelem aliquem interpretem Numa incidisset.

V. *Regnum adit inuitus.* De inito verò ab eo regno, sic ait Dionysius. Cæterum Numa legatis ad regnum se vocantibus, non statim obsecutus, imperium diu recusauit: tandem fratribus (è quatuor fratribus natu minimum eum fuisse Plutarchus prodidit, eadémq; die natum, qua Romulus fundamenta vrbis Romæ iecit; ideoque rectè Dionysius non multum eum ab anno quadragesimo dicit abfuisse,) fratribus ergo, & ipso etiam patre deprecantibus, ne tantum honorem vltro oblatum reiiceret, assensus est regnum deferentibus. *Ætas Numæ.* Quo Romam renunciato, mirum excitatum hominis in vrbe desiderium, qui tantum honorem contemneret, in quo alij apicem felicitatis collocant. Quapropter ei venienti itum est obuiam, deductusque est in vrbem, cum crebris gratulantium salutationibus, & cæteris honoribus. Indictis deinde comitiis tribuum per singulas curias, suffragiis Rex declaratus, patrum etiam calculo confirmatus; cum ad extremum augures quoque fausta sibi diuinitus oblata esse signa affirmarent, assumpsit imperium. Hæc ibi.

VI. *Roboratur Hierosolymis idololatria.* Hoc ipso anno, & aliquot sequentibus roborata est Hierosolymis, & in omni Iudæa idololatria. Manasses enim à malis initiis, ad peiora prolapsus est incrementa. Non contentus enim excelsa instaurare, ibique & Deo, & Baal sacrificare, plantare lucos, adorare omnem militiam cœli; etiam in domo Domini aras extruxit. Quod explicans Scriptura subdit.[a] *Et extruxit altaria vniuersæ militiæ cæli, in duobus atriis templi Domini.* Nam ne quis existimaret excitata hæc profana altaria, non solùm in atriis templi, sed in ipso templo, in libro Paralipomenon [b] apertè declaratur, in templi atriis duntaxat aras illas extructas esse: sic enim legitur. *Aedificauit quoque altaria in domo Domini.* Et mox. *Aedificauit autem ea cuncto exercitui cæli, in duobus atriis domus Domini.* In Hebræo tamen & Græco Hebraica phrasi non ponitur relatiuum (ea) sed repetitur antecedens (altaria)

[a] 4. Reg. 21. 5.

[b] 2 Paral. 33. 4. 5.

VII. *In duobus atriis templi statuitur.* Porro hæc duo atria sunt atrium gentium, & Israëlis, de quibus suo loco pluribus actum est. Scio Villalpandum, Vatablum & Sà, Pinedam, & alios hunc locum explicare de atrio interiori, & exteriori, siue Leuitico, & Israëlitico; sed quæ mox sequuntur, persuadent vt de atrio gentium, & Israëlis explicemus. Significat enim Scriptura his quasi præludiis vsum Manassem, ad vlteriora fuisse progressum; & profanatis idololatria atriis gentium, & Israëlis, etiam atrium Leuitarum, in quo sacrificabant sacerdotes, idolo luci contaminasse. Id enim innuit distincta narratio huius profani cultus à priori. *Etiam in Leuitico.* Nec probabile est illas aras, in duobus atriis excitatas, nudas, & inanes à simulachris fuisse, vt sciretur quæ ara Ioui erecta esset, quæ Lunæ, & reliquis planetis. At in atrio sanctiori idolum luci maiori scelere collocatum est, quod confirmabitur hoc luci idolo declarato. Potuerunt autem septem areæ Israëlitici atrij, septem planetis dicari, cum suis singulæ altaribus, ac simulachris, & rursum in quatuor angulis atrij gentium.

VIII. *Quod idolum luci.* De hoc idolo primum constat fuisse sculptile quoddam, & conflatile, vt appellatur 2. Paral. 33. Vatablus, & Sà dicunt lucum sculptum magno artificio positum in templo, imaginem scilicet luci à se plantati. Rectius idolum luci Dionysius explicat, (nam Lyranus tacet) idolum quod in eo loco, & luco quem plantauerat, eique consecrauerat, præ reliquis, honorari, & coli volebat. Quia Scriptura nomine Idoli, & sculptilis, atque conflatilis simulachrum aliquod intelligit, diuinitatem repræsentans, quod imagini luci conuenire quî potest? Hoc idolum videtur intellexisse D. Basilius in Homilia de pœnitentia. *Nam & Manasses,* inquit, *qui in templo Dei quadriformia collocauit idola, vt necesse esset cuilibet, vndelibet templum ingresso, ante idola procumbere, vbi pœnitentiam egit, è captiuitate reuocatus est.* Ita S. Basilius. Meminit eius Cedrenus, Syncellus, & Suidas.

τετραπρόσωπα εἴδωλα.

IX. *Idolum quadriforme vbi collocatum.* Non potuit hoc quadriforme idolum alio templi loco collocari, vt vndelibet templum ingredienti occurreret, quàm in atrio Leuitico, & in eius quasi centro, vbi erat altare holocaustorum. Nam portæ omnes, & porticus atrij Israëlis ab oriente, aquilone, & meridie, eum locum intuebantur. Eusebius in

Chron. ait eum statuam suam posuisse quinq; facies habentem; sed vbi posuerit non dicit. Scaliger id ex Eusebio confidenter sustulit, negatq; ea verba apud vllum scriptum codicem haberi: verum haud paulo dignior fide Pontacus, cùm ad manum haberet codices huiusmodi ad 30. vndecim tantum excipit, à quibus absint ea verba. Fateturque idem Scaliger eam de statua opinionem antiquitus fuisse receptam. *Scaliger arguitur.*

X. *Videri ad altare holocaustorum.* Existimo ergo, iuxta ea quæ à S. Basilio, & Dionysio dicuntur, in luco aliquo nobiliore, & multarum viarum artificioso concursu, statuam aliquam erectam fuisse, Iani quadrifontis, aut etiam ipsius Manassis, iuxta Eusebium; vel Priapi, aut Baalim, quem, Achabum imitatus, præcipuè coluit, [a] probatque Tostatus, [b] aut Iouis vt Cedrenus, quæ in omnes vias vultum vnum haberet conuersum, & ei similem statuam conflatilem ex aëre, argentóue, in dicto atrio Leuitico sublimem erexisse. *Cur posita.* Pierius lib. 32. ait hanc statuam à Manasse positam, post occisum Esaiam prophetam, vt indicaret se longè plura perspicere, quàm prophetæ, qui Vidẽtes appellabantur. Nec finis superstitionis. Nam hisce annis filium suum, siue filios [c] traduxit per ignem: in Græco vtrobique est in plurali: in Hebræo autem, & Chaldæo sicut in Vulgata.

XI. *Filios igne lustrauit.* Id autem facinus in valle Ben-hennõ, sicut dicitur in secundo Paral. [d] perpetratum est: qui locus erat extra muros Ierusalem, iuxta torrentem Cedron, vbi colebatur Moloch, ad orientalem ciuitatis partem. Diuidebat autem torrens vallem, vt pars vrbi vicinior diceretur vallis Hennon, siue Ben-hennon, altera verò, ad radices vsque montis Oliueti, vallis Iosaphat, propter eius monumentum ibi excitatum, iuxta topographiam Villalpandi. Ibi ergo traduxit, aut transire fecit filios suos superstitiosa traiectione, de qua superius in Achaz ex Theodoreto dictum est. [e] D. Hieronymus in caput 57. Esaiæ, obiter hac de re agens, *An & sacrificarit.* etiam interfecisse significat. Nam in ea verba, *Immolantes paruulos in torrentibus; De quo*, inquit, *& Regum, & Paralip. narrat historia, quod immolauerint dijs filios suos, & in igne consecrauerint, quod quidem & Achab regem Israel, & Manassem regem Iuda fecisse non est dubium; qui à parricidio liberorum, ad prophetarum sanguinem peruenerunt, de quo & in Osee. Immolatè, ait, homines, vitulis enim defecerunt*, &c. Combustos aliquando filios patet ex Ieremia 19. *Et ædificauerunt excelsa Baalim, ad comburendos filios suos igni, in holocaustum Baalim.* Et Psal. 105. *Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Et explicans Dauid illud, *immolauerunt*, subdit, *& effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaam*, &c. Quem morem vsurpans rex ille Moab [f] *arripiens* in desperatis rebus *filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum.* [g]

XII. *Et an hoc tempore.* Verum vt redeamus ad Manassem, quærat meritò aliquis, cur hoc facinus in posteriora tempora non reseruemus, quando ætate grandior fuit Manasses, cùm nunc ad summum decimum octauum annum ageret. Respondeo primo ætatem hanc non esse absurdam generationi, cum Achaz auus eius longè teneriore ætate Ezechiam genuerit, vt supra dicebamus. [h] Respondeo secundò nos ad id temporibus ipsis cogi. Cùm enim post multam denique deliberationem statuerimus Iudithæ historiam ad Manassis tempora esse referendam, & cædem *Ordo annorũ priorum Manassis.* Holofernis posteriorem esse reditu Manassis è Babylone, cùm ea cædes contigerit decimo tertio anno Regis Babylonis, ex quo potitus est Niniue, & magna parte regni Assyriorum; qui annus decimus tertius in nonum Manassis annum cadit, oportet vt Manasses anno septimo regni sui captus sit a Babyloniis, octauo redierit, quo anno Arphaxad à Nabuchodonosore victus est, nono victus, & occisus sit Holofernes. A reditu autem ex Babylone, nemo est qui eum idololatriæ vacasse putet; ideoque non est quod filiorum eius traiectionem per ignem ad ea tempora reseruemus. Itaq; & hoc tempore filios habuisse, & sub ipsam eorum natiuitatem, sacrilega illa ceremonia dæmoni consecrasse dicendum est.

XIII. *Magia Manassis.* Supersunt alia duo generalia crimina Manassis, magia, & homicidium; ad magiam referimus, quod ariolatus est, id est futura prædicere, & diuinare, quasi Deo afflatus, voluerit. Arioli enim ex astrorum inspectione, colore, dispositione, ex somniorum consideratione, aliisque id genus deliriis, futura se præsentiscere, ominari, profari posse mentiebantur; vnde Hariolos, quasi Fa-

[a] 4. Reg. 21. 3.
[b] q. 8. in c. 21. 4. Reg.
[c] 2. Par. 33.
[d] c. 33. 6.
[e] Anno 4. n. 11. & 12.
[f] 4. Reg. 3. 27.
[g] Vide Lact. l. 1. c. 21. de humanis sacrificiis.
[h] an. mun 3285. n. 2. & seqq.

riolos à fando dictos quidam volunt. Et quod D. Hieronymus in Vulgata dixit Hariolatus est, Septuaginta dixerunt ἐκληδονίζετο, quod aliqui vertunt ominabatur, alij obseruabat somnia. κληδὼν autem omen significat. Augurabatur quoque, quod erat exauium garritu, quæ est eius vocis notatio, pastu, volatu, saltu, aliisque gestibus futura, vel prospera, vel aduersa coniicere, & vitanda, faciendáque præmonere. Fecit Pythones, instituendo, qui Pythij Apollinis sacerdotes essent, & ex illius afflatu diuinarent, quorum nomen sicut & Pythij ductum est à Pythone serpente, sagittis Apollineis, vt ferunt, confixo quem putrescent à diluuio terra profuderat, πύθεσθαι enim putrescere est. Quem etiam diuinatorium Deum in ventre gestare dicebantur fanaticæ quædam Phœbades, siue Pythonissæ, quarum non infrequens est in scripturis mentio, easque hic vocat ἐγγαστριμύθους, siue ventriloquas, de quibus alio loco satis actum est.[a] *Harioli.* *Auguria.* *Pythones, &c.*

[a] An Saul. 18 n.45. &c.

Et Haruspices multiplicauit, γνώστας, id est coniectores, vt habet textus Græcus. Nam etiam ipsi erant futurorum coniectores ex hostiarum, & extorum inspectione, Harugas enim olim dicebant hostias, quæ ex hara educebantur. Vide quàm multis modis dæmon diuinationem, scientiam diuinam, vnde & nomen habet, & Deo propriam ambierit. Denique secum habuit magos, maleficos, & incantatores, dæmonum familiares, & famulos, maleficiis homines, ex eorum imperio infestantes. Sed & ipse veneficiis, & maleficiis inseruiebat. Nam in 70. Paral. legitur ἐφαρμακεύετο. Itaque perditus iste iuuenis magiam idololatriæ coniunxit, sicut & passim coniungi solent, cùm dæmon à nefariis hisce hominibus adorationem sui, & Dei abnegationem exigere dicatur. Quæ omnia Iosephus studiosè suppressit, ne in accusando Manasse gentilium ritus, quorum ambiebat gratiam, condemnare videretur. XIV. *Haruspices, &c.* *Malefici, Magi, incantatores.*

Qvod attinet ad cædes, & homicidia, licet id crimen in adolescente non magnam habere soleat probabilitatem: qui tamen cruento illi tortori Sathanæ per magiam factus erat familiaris, & per idololatriam cultor, & famulus, facile ad cædes, præsertim imperandas, adductus est. Fudit ergo sanguinem non sceleratorum hominum, à quibus ad hæc crimina pertrahebatur, sed innocentum; nec innocentum modo, sed sanctissimorum hominum, seruorum Dei prophetarum; in quibus Esaias Prophetarum maximus, sanguine regio, & vaticiniis illustrissimus; nec paucorum se crudeli morte contaminauit, sed *impleuit Ierusalem vsque ad os*;[b] id est ab extremo ad extremum. Chald. *de latere ad latus*; Pagnin. *à porta vsque ad portam*. Hieronym. in cap. 57. Esaiæ initio, *de ore ad os*, Hebr. & Septuaginta, *ad orificium vsque*, Vatabl. metaphora scilicet sumpta à vasis, ad oram vsque plenis. XV. *Cædes à Manasse patrata.*

[b] 4. Reg. 21. 16.

Cvm enim Manasses contra Deum atque homines nefariè baccharetur, Deum solio pelleret, homines morti, seipsum dæmoni addiceret, iuuenem cæco impetu ad sua damna ruentem miseratus misericors Deus, sacerdotes excitauit, qui templi iniuriam, & profanationem lamentarentur, verba Domini ad Dauidem, & ad Salomonem de templo suo inculcarent, dicentes,[c] *In templo hoc, & in Ierusalem, quam elegi de cunctis vrbibus Israel, ponam nomen meum in sempiternum, & vltra non faciam commoueri pedem Israel, de terra quam dedi patribus eorum: si tamen custodierint opera omnia, quæ præcepi eis, & vniuersam legem, quam mandauit eis seruus meus Moyses.* Mitior erat hæc oratio, & spe mercedis excitans ad legis custodiam, & à malo deterrens: sed obsurduerant regis aures, & aures populi eius, quem ipse dementauerat. XVI. *Suscitat Deus monitores.*

[c] v. 7. 8.

Excitavit & prophetas, qui minas acerbissimas intonarent dicentes *Quia fecit Manasses Rex Iuda*[d] *abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis suis, propterea hæc dicit Dominus Deus Israel. Ecce ego inducam malum super Ierusalem, & Iudam, vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius.* Id est, stupens attonitusque reddatur. *Et extendam super Ierusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab.* Quasi dicat. Sic diruam, & dissipabo Ierusalem, sicut nuper Samariam, & olim domum Achab, & eadem vtar seueritate iustitiæ in Iudam, qua vsus sum in Israël. Funiculus enim, & linea, rectitudinem iustitiæ significant. Quasi dicat æquabo quasi extenso funiculo pœnam culpæ; eadem seueritate tractabo dilectam Ierusalem, qua perfi- XVII. *Et obiurgatores minas intentantes.* *Prædicitur ruina Ierusalem.*

[d] c. 21. 11.

dam Samariam. Nomine etiam ponderis siue libræ, aut stateræ, vtrumque enim significat σαθμὸς vt habent Septuaginta, tam æquitas ipsius iustitiæ, quàm vindictæ magnitudo & grauitas intelligi debet; quanta in domum Achab incubuit, eamque suo deiecit pondere, atque afflixit.

XVIII. *Eadem inculcatur.*

Et *delebo*, inquit, *Ierusalem, sicut deleri solent tabula, delens vertam, & ducam crebro stylum super faciem eius.* Quasi Ierusalem sit imago depicta in tabula, cuius pulchritudo non solum tollatur, sed omnis etiam eradatur color. Idque non molli spongia, aut penicillo, sed stylo acuto, & aspero, super præcipuas eius partes crebro inducto, vt tota fœdetur, & destruatur. Ad verbum Hebraicè habetur. *Et abstergam Ierusalem, quemadmodum quispiam abstergit scutellam* (Septuaginta Complut. *pixidem*, Sixti, *alabastrum*) *& abstersam vertit super faciem suam.* Significans se eiecturum è ciuitate sordes hominum impiorum, & mox eam à fundamentis euersurum. Illæ autem crebræ abstersiones, sunt crebræ Hierosolymitanorum eiectiones, & transmigrationes, quæ primum anno Manassis septimo, tum quarto anno Ioacim, & rursus vndecimo, & iterum Sedeciæ vndecimo, (quo anno excisa est Ierusalem) deniq; quinto etiam post anno ab eius ruina, contigerunt.

*Crebra eiectiones ex ea, ante vltimam cladem.*

XIX. *Prædicitur Ioacimi captiuitas.*

Addit deinde Dominus. [a] *Dimittam verò reliquias hæreditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum eius, eruntque in vastitatem, & in rapinam cunctis aduersariis suis.* Reliquias intelligit Regem Ioacim, siue Iechoniam, abductum in Babylonem cum suis, ibique ad septimum supra trigesimum annum transmigrationis in carcere detentum; per quem regia Dauidis soboles, tum in Babylone, tum deinde in Iudæa ad Christum vsque propagata est. Causam denique addit horum omnium malorum. *Eò quod fecerint malum coram me, & perseuerauerunt irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum Ægypto, vsque ad hanc diem.* Hæc est summa concionum, & reprehensionum, quibus iussu Domini vtebantur hoc tempore Prophetæ contra Hierosolymitas. Quibus consentanea Iosephus habet. [b] *His tam nefariis*, inquit, *facinoribus concitatus Deus ad iracundiam, mittebat vnum post alium prophetam, ad regem simul, atque populum, per quem easdem illis comminabatur calamitates, quas, propter contemptum religionis, fratres ipsorum Israelitæ aliquanto ante perpessi fuerant.*

[a] c. 21. v. 14. [b] l. 10. ant. c. 4.

XX. *Prophetæ aliique iusti crudeliter perimuntur.*

Sed surdis cantilenas canebant: conuersi sunt enim in arcum prauum contra eos, imo & in feroces bestias, quæ eos crudeliter lacerauerunt. Quo sine dubio respexit Ieremias. [c] *Deuorauit gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator generatio vestra.* Et Iosephus. [d] *Exorsus*, inquit, *à Dei contemptu, in omnes, quotquot erant in Hebræis iustos grassabatur cædibus, ne à prophetis quidem cruentas manus abstinens. Nam & ex horum numero per singulos dies aliquem afficiebat supplicio, vt Hierosolyma sanguinibus inundaretur.* Quo loco laxius sine dubio nomen prophetæ vsurpat, vt sacerdotes scribas, doctoresque legis comprehendat. Causam tot tantarumq; cædium fuisse putat Abulensis, [e] quod Manasses non solùm obiurgatores trucidaret sed eorum filios, fratres, cognatos; quo modo Achab non solum Nabothum, sed filios quoque eius occidit. Et Ioas Zachariam, & fratres eius, [f] vt ex Hebræo textu colligitur; ne scilicet exoriretur aliquis, qui in regem ipsum vltor insurgeret.

[c] c. 2. 30. [d] l. 10. c. 4. [e] q. 17. in c. 21. 4. Reg. [f] 2. Par. 24. 25.

XXI. *Fortè etiam pontifex Osaias. Eius successor Ioacim.*

In his probabile arbitror etiam ipsum summum pontificem Osaiam interfectum esse; in cuius locum, rege in captiuitatem abducto, suffectus sit Eliacim, siue Ioacim, cuius celebris est in libro Iudithæ mentio. Cuius tempore Nicephorus Constantinopolitanus in sua Chronologia ait Ioacim summum pontificatum gessisse. Ideoque eum deinceps pontificem Osaiæ suffectum ponemus. Nahum, & Habacuc sub hæc tempora vixerunt, nec tamē violenta, sed placida potius morte quieuisse traduntur, apud Epiphan. Doroth. & alios.

XXII. *Maximéque Isaias.*

De Isaia certè id certissimum videtur. Nam omnes, excepto Abulensi, [g] eum à Manasse crudeliter interemptum referunt; eamque crudelitatem cùm aliis nominibus, tum regia affinitate amplificant. Sanctius in proœmio in Isaiam numero 7. ait Manassem, qui non facilè ferret aliquid sibi durius exprobrari, in ipso regni exordio molestum interpellatorem, aut obtrectatorem tollendum curasse. Martyrologium Romanum ad hanc communem sententiam graue authoritatis pondus affert. Nam pridie nonas Iulij: *In Iudæa*, inquit, *S. Isaiæ prophetæ*

[g] q. 18. in c. 21. 4. Reg.

*qui sub Manasse rege sectus in duas partes occubuit.* Idem confirmat S. Zeno Veronensis episcopus in sermone de martyrio Isaiæ prophetæ, vbi Manassem vocat Belial filium Ezechiæ. Idem omnes, quos deinceps proferemus, si prius aliquid de genere ipsius dixerimus.

SOCERVM Manassis Esaiam Hebræi crediderunt. Nam S. Hieronymus in cap. 20. Esaiæ. *Tradunt*, inquit, *Hebræi Esaiam socerum fuisse Manassis filij Ezechiæ.* Idem refert Isidorus libro de vita, & morte Sanctorum cap. 37. Verum ea traditio nec constans est, aliam enim referunt, de qua mox, neque probabilis. Cùm enim Esaias temporibus Osiæ regis prophetarit, si eum natum dicamus, quando Osias regnare cœpit, aget nunc annum centesimum decimum octauum. Quotennis ergo potuit esse filia eius, quæ regi annorum octodecim nuberet? Certè licet à patre sexagenario genita esset, annum ageret nunc octauum, & quinquagesimum. XXIII. *An is socer Manassis.*

a in c 33 2. Par. RVRSVS *igitur tradunt Hebræi*, inquit idem Hieronymus, [a] *eundem Manassem fuisse filium filiæ Esaiæ, & ideo in hoc loco, quamquam nomen matris scribatur, patris tamen illius non scribitur, quia indignus erat profanus rex tanto auo.* Hæc illi. Num & tanto patre dignus erat? Comestor in hist. schol. auum quoque maternum vocat; Genebr. Manassis patruelem dicit; quod tamen de proximo gradu, cui hoc nomen primo conuenit, dici non potest. Nam quidam, non absurde ad rationem temporis, dixerunt Amos patrem Esaiæ fuisse fratrem Amasiæ, vt est apud Genebr. in Amasia. Ideoque Osiam, & Esaiam ad regiam familiam Manassis pertinuisse. De genere regio fuisse Esaiam satis ostendit, inquit, Sanctius, dicendi stylus, in quo apparet is nitor, & vrbanitas, vt facilè quiuis intelligat aulicis institutis excultum, regiis moribus educatum esse. Quo autem gradu ad Manassem pertineret, incertum est. Illud etiam liquido constat, eum valde prouectæ ætatis hoc tempore fuisse. Genebrardus ait eum suis vaticinationibus Dei ecclesiam illustrasse circiter nonaginta annis. XXIV. *Aut auus ex matre.* *Eius ætas*

DE causa mortis eius non est vna sententia. Diuus Hieronymus in traditionibus, & in caput 1. Esaiæ. *Tradunt*, inquit, *Hebræi, idcirco occisum Esaiam, quod illos appellauerit principes Sodomorum, & Gomorrhæ; & quia dixerit; vidi Dominum sedentem super solium, &c. Cum per Moysem dixerit Dominus; non videbit me homo, & viuet.* Aliaque id genus frigidissima, vix relata digna, digna authoribus suis: quæ leges quoque apud Galatinum, [b] & quæ ab ipso Hieronymo magna ex parte refelluntur epistola 142. quæ est ad Damascum, vbi inter alia. *Restat*, inquit, *summa vt Moyses Deum aut viderit, aut non viderit; si vidit, vidit ergo & Esaias, qui vidisse se dicens, impiè est interfectus à vobis, quia Deus videri non potest. Si non vidit, interficite & Moysem cum Esaia, quia eiusdem mendacij reus est, dicens se vidisse eum, qui videri non potest.* XXV. *Quæ causa mortis.* b l. 4. c. 23.

NON negabo tamen primum illud Esaiæ caput, in quo propheta Iudæos confert Sodomitis, & Gomorrhæis, & eorum ingentia refert crimina facilè in hoc tempus accommodari posse, vt alio loco dicere me memini. [c] Vt illa. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt Sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Et illa. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij, iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Quæ, & id genus alia, refert D. Hieronymus initio comment. in primum caput, ad proximam ruinam Samariæ. Etsi alibi idem sanctus doctor prima quinque cap. Esaiæ referat ad Osiæ tempora. XXVI. *Quæ eius oracula in hoc tempus conueniãt.* c Anno mortis Osiæ, n. 6. & 7.

ET certè vt demonstrari non possit ad quod tempus singula capita pertineant, ita neque illud certum, & perspicuum est singula capita iuxta ordinem temporum esse digesta. Certè Sanctius visionem cap. 6. in qua spiritu prophetico afficitur Isaias, initium esse putat totius vaticinij eius. [d] Et clarissimum est ea quæ ad Salmanasarem, & Sennacheribum pertinent, tota pene prophetia sparsa esse [e] non historicè esse digesta; alia quippe ratio est historiæ, alia prophetiæ. Caput etiam 65. valde his temporibus, idololatria contaminatissimis quadrat potius, quã diebus Ezechiæ; qualia sunt illa. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulũ, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas, populus qui ad iracundiã prouocat me, ante faciem meã semper; qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres; qui habitant* XXVII. *Ordo prophetiarum non est historicus.* d c. 6. v. 29. & 30. e c. 9. 10. 18. 19. 20. 13. 36. 37. 38. 39. &c.

*in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem suillam, & ius profanum in vasis eorum*, &c. Quæ pertinent ad mores horum temporum oculis exhibendos. Ideoque Dominus per Isaiam, hanc nationem fastidiens, exultat in vocatione gentium complenda, quæ longè sanctiùs, perfectiusque Deo seruitura sit. *Quæsiuerunt me*, inquit, *qui ante non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsiuerunt me. Dixi, ecce ego, ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum.* Quæ passim multis aliis in locis inculcat ad bonorum, qui tum viuebant, aliquam consolationem.

*Mores horum temporum.* *Vocatio gentium.*

XXVIII. *Alia causa mortis Isaiæ.* *Clara de Christo prophetia.* *Ex Origene.* *Chrysostomo.*

ALIA est de causa mortis Esaiæ sententia, quam Leo Castrius plerisque in in locis tradidit, præoptasse nimirum Esaiam crudeli morte interimi, quàm Christi mysteria ænigmatibus inuoluere, & non apertè, & sine vllis ambagibus explicare. Quæ sine dubio videtur Origenis esse sententia. [a] Interpretans enim illud Pauli. *Esaias audet, & dicit.* Quærit primum quid sibi velit illis verbis Paulus; & respondet præscium fuisse Esaiam se serra fuisse secandum, & interficiendum ab impiis: & quamuis tantum sciret sibi imminere periculum; contempta tamen morte prænuntiasse Iudæis eos excludendos esse ab Ecclesia, & vocandas esse nationes. Quibus consentanea scribit Chrysostomus in eundem locum dicens. *Esaias ergo, ait Paulus, audet, & dicit quod tale est: Dedit operam, & ambitiosè contendit, nihil adumbratum dicere, sed res ipsas nudas ob oculos ponere, magis eligens periclitari ob apertam locutionem, quam propriæ salutis respectu, vmbram nobis, prætextum vestræ perfidiæ relinquere; quamquam non esset propheta tam clarè loqui, sed ut ora vestra, ô Iudæi, obstrueret, admodum clarè dixit omnia, vestrum exitium, & gentium introductionem.* Hæc Chrysostomus quibus adde Tertullianum. [b] *His patientiæ viribus*, inquit, *secatur Esaias, & de Domino non tacet.* ※.

*Tertulliano.*

[a] in ca. 10. ep. ad Rom.

[b] l. de patientia c. 14

XXIX. *Causa maximè probabilis.* *Obiurgationes regis & populi.*

COMMVNIOR tamen sententia causam mortis Isaiæ in regis increpationes refert, vt ferè ex dictis intelligi potest. Cum ergo Esaias & vitæ sanctitate, & regio sanguine, & ætate decrepita, erat enim plusquam centenarius, vt diximus, & prophetiæ singulari dono veneratione dignissimus, hanc rerum humanarum, diuinarumque confusionem ferre non posset, zelo diuini amoris incensus, & regem, & principes, & populum vniuersum in rectam viam reducere conabatur, precibus minas, & verborum acerbitatem adiungebat, vt capite 57. *Vos autem accedite huc*, inquit, *filij auguratricis, semen adulteri, & fornicariæ super quem lusistis, super quem dilatastis os, & eiecistis linguam; nunquid non vos filij scelesti, semen mendax, qui consolamini in diis, super omne lignum frondosum immolantes paruulos in torrentibus, subter eminentes petras*, &c. Alludit itaque ad torrentem Cedron, & vallem Gehennæ, simul etiam innuens se à populo irrisionibus, & subsannationibus petitum fuisse, sicut filij Israël irridebant, & subsanabant nuncios Ezechiæ, & bene monentibus obstrepebant. [c] Denique regi, feruido iuueni bilem commouit, vt eum morti traderet.

[c] 2. Par. 30. 10.

XXX. *Genus mortis eius, & modus.*

QVOD ad mortis genus attinet, omnes tradunt eum serra in partes crudeliter sectum occubuisse. Vnde Hieronymus in caput 57. Esaiæ, in ea verba. *A facie malitiæ collectus est iustus*, ex Iudæis dicit Esaiam ea de sua prophetare morte, *quod serrandus sit*, inquit, *à Manasse serra lignea; quæ apud Hebræos certissima traditio est. Vnde & nostrorum plurimi illud quod de passione Sanctorum in epistola ad Hebræos ponitur, serrati sunt, siue secti sunt, ad Esaiæ referunt passionem.* Hæc ipse. Nec aliter sensit Tertullianus loco citato de patientia, & apertius libro 3. contra Marcionem.

*Quem populus sectum ligno, sine labe repertum,*
*Immeritum demens crudeli morte peremit.*

Isidorus autem cap. 37. de vita, & morte Sanctorum, explicatius modum sectionis aperuit; *quem Manasses*, inquit, *extensum à vertice per medium secuit, atrocique supplicio excruciatum extinxit.* Idemque sequutus est Zeno martyr, & episcopus Veronensis, quod alij ab imo, ad summum factum fuisse, ad diuturniorem cruciatum, non minus probabiliter putant; quo etiam pertinet quod serra lignea, non ferrea feratur occisus. Quod si verum est, quî stabit Thalmudistarum opinio, qui aiunt Isaiam, dum Manasses eum vellet occidere, in apertam diuinitus cedrum se abdidisse, illumque iussisse, vt vna cum ipsa arbore serraretur. [d] Id

[d] Apud Abul. q. 18. in c. 21. 4. Reg.

supplicij genus imitatum Caligulam scribit Suetonius.

DE eiusdem sanctitate Isidorus ita loquitur, ibidem. In quo tanta fuit sanctitas, & vitæ excellentia, vt vnam tantùm dicatur habuisse tunicam cilicinam, quaque etiam postmodum pro delicto populi abiecta, sacco membra cooperuit: sed & hoc ad extremum deposito, iuxta Domini imperium, nudo corpore, nudoque vestigio in conuentu populorum conuersatus est, sicque feruorem æstiuum, hyemisque pruinas, atque imbrium potestates sustinuit, vt Dei præceptis obediret, & populi deploraret delicta. Alludit Isidorus ad Isaiæ 20. Vbi iubetur propheta ire nudus, & discalceatus, sed vt communis est sententia interpretum, duce S. Hieronymo, cui subscribit Sanctius, trium tantum dierum spatio, qui tribus annis ibi memoratis respondeant, & dies pro anno computetur, vt alibi non raro in sacris literis. [a] — XXXI *Vestium Isaiæ.*

[a] Ezech 4 6. Num. 14. 34.

NARRANT etiam Dorotheus in Synopsi, & Epiphanius, vterque in vita Esaiæ, ad fontem Siloë precibus eius miraculum factum. *Nam cùm spiritus eius,* ait Dorotheus, *antequam moreretur deficeret, aquæ potum petijt, qui & confestim ei ex hoc torrente missus est; quapropter etiam Siloa vocatus est; quod missum sonat, si interpreteris.* Et Epiphanius. *Fontem quippe Deus Siloam causa prophetæ absoluit.* Id est aperto tubo exilire fecit, vt videtur sentire Torniellus, de quo mox. Sed pergit. *Quod priusquam moreretur pusillum precatus est, vti vndas illic effingere dignaretur: & confestim demisit illi cælitus aquam viuentem, vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam: quod si quis interpretetur, sonat demissum.* Res aliter in historia scholastica refertur. [b] *Esaiam quoque,* inquit Comestor, *auum maternum, vel affinem suum, eiectum extra Hierosolymam, circa piscinam Siloe, serra lignea per medium secari fecit Manasses: qui dum in principio sectionis angustiaretur, petijt sibi dari aquam, vt biberet; & cum nollent ei dare, Dominus de sublimi misit aquam in os eius, & expirauit; nec tamen carnifices à sectione destiterunt, & ob hanc aquæ missionem, confirmatum est nomen Siloe.* Cautè dixit confirmatum, & non inditum, vt videntur Epiphanius, & Dorotheus dicere. Nam Siloë ab ipsomet Esaia ca. 8. nominatur, viuo adhuc rege Achaz, imo sub initium regni eius, quinquaginta ferè annis ante mortem Esaiæ. — XXXII. *Aqua morienti data diuinitus.*

[b] 4. Reg. c. 32.

VTER autem modus aquæ diuinitus datæ sitienti prophetæ probabilior sit, vt scilicet lapsa dicatur è cœlo, aut erupisse à terra aperto canali, lector iudicabit: posterior certè mihi magis probatur, & vt videtur Tertulliano. Is enim hoc ipsum miraculum more suo tangens, libro 3. contra Marcion c. 6. — XXXIII. *Cælone an è terra.*

*Isaias,* inquit, *locuples vates, cui fontis aperti*
*Tam manifesta fides, verbum Dei ore profudit, &c.*

Nisi malimus Tertullianum alludere ad alium fontem, qui sub Ezechia rege, precibus Isaiæ alternatim scaturiuisse, ab Epiphanio, & Dorotheo traditur, cuius etiam meminit Comestor. Scribit enim Epiphanius Esaiam gloriosè, & honorificè à populo sepultum fuisse, memori beneficij, eius precibus diuinitus accepti. Quod scilicet dum obsideretur ab Assyriis ciuitas tempore Ezechiæ, cùm veniebant ad Siloë fontem Israëlitæ extra vrbem, aqua scaturiebat, dum autem venirent aquatum Assyrij latex aufugiebat. *Ideoque,* inquit, *ad hodiernum vsque diem eructatur clanculum, quo significet mysterium.* Sed hæc olent Rabinorum officinam. Nam & supra docuimus ex Scriptura Ierusalem ab Assyriis non fuisse obsessam; & vt daremus obsessam; quomodo eodem fonte communiter obsessi, & obsidentes vti potuissent? — *Fons alternatim scaturiens.* *Non probatur.*

[c] 32. in l. 4. Reg.

ADDIT denique de loco sepulchri, tumulatum fuisse sub quercu Rogel, cui vicinus fuit etiam fons Rogel, id est fullonis. *Extat autem,* inquit Epiphanius, si tamen Epiphan. *monumentum Isaiæ finitimum sepulturæ principum, post sepulchra sacerdotum, versus notum, partemque meridionalem. Salomon enim Hierosolymam construens, regum excitauit Mausolea, prout illa Dauid descripserat. Existit autem orientem versus Sion.* Significat Isaiam tumulatum in angulo ciuitatis meridiano, & orientali, vbi eius sepulchrum constituit Adrichomius. Villalpandus autem ad partem orientalem, iuxta portam aquarum, vbi angulum constituit, qui respicit meridiem, iuxta quem locum, intra arcem Sion, est regia Salomonis. Neuter tamen ponit hoc monimentum finitimum sepulturæ principum, si principum nomine intelliguntur reges Iuda, quorum sepulchra Adrichomius — XXXIV. *Sepulchrũ Isaiæ.* *Vbi positum.*

in monte Sion collocat, Villalpandus autem in ipsa arce montis Sion. Et de Isaia quidem hactenus, in cuius etiam morte, & annum hunc Manassis impietatem terminamus: Sequenti autem anno aliorum sententias de diuturnitate idololatriæ Manassis examinabimus.

## SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI. 3340.

N. I. XXVIII

QVid autem mirum hanc fuisse in sancto propheta fortitudinem, cum tam fortia Lucio Crasso in Philippum Consulem dicta scribat Orator? *Si Crassum vis coërcere, hæc tibi est excidenda lingua, qua vel euulsa spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit.* At inquies, quomodo impii Iudæi ista, quæ ab Esaia dicebătur, aut curabăt, aut credebant? & quomodo nō omnia eius vaticinia flāmis tradebant? Respondeo Iudæos fidem tantum humanam Esaiæ verbis adhibuisse, propter summam viri sanctitatem, & authoritatem; curasse autē præ inuidia, & odio improbis Iudæis in alias nationes innato: nam nec ipsi Deo adhærere volebant, facti à religione patrum suorum apostatæ: nec alios tanta gratia dignos fieri, sibique æquari, aut potius præferri, aut substitui pati poterant. Cani ad præsepe similes, qui neque hordea comedat, nec famelicum equum comedere patiatur. Diuina autem prouidentia factum est, vt quæ publice in templo prædicabat Esaias, cum generoso mortis contemptu, scriptis tradita in multorum piorum manibus conseruarentur ne perirent.



## ANNVS MVNDI 3341. QVINTAE AETATIS 402. FVNDATI TEMPLI 319. MANASSIS REGIS IVDÆ 4. OZIÆ PONTIFICIS 4. MERODACHI 18. IMPERII BABYLONICI 8. OLYMPIADIS XVI. AN. 4. NVMÆ POMPILII 2. VRBIS COND. 40.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 712.

I. *Numa turbas Reip. componit.* CONGESTIS in eundem locum iis, quæ ad res Menassis, ad annum vsque septimum ipsius pertinebant: nunc si quid Romana, Græcaue historia suggerat videamus.

Initia regni sui Numa in componendis Reipubl. turbis, ab obitu Romuli excitatis, collocauit, vt sapientem hominem decebat. Nam cum per interregnum, vt Liuius ac Dionysius referunt, ipsi inter se Patres dissiderent; Et qui cum Romulo coloniam Alba deduxerant, reliquis se, qui deinceps, tam ex Sabinis, quam ex aliis locis, allecti fuerant in Senatum, anteferendos putarent, & tam in sententiis dicendis, quam in capiendis honoribus prærogatiuam sibi vsurparent; cæteri vero licet tempore posteriores, nihil illis concederent, respublica bipertitò diuidebatur. *Ex ambitione ortas.* Præsertim cum patres, patronosque sui quique clientes sequerentur, vt vtrique nuper è suo corpore regem quæsierant, quo factum fuerat, vt ad extenrū hominem studia verterentur. Plebis quoque non parua pars nuper in ciuitatē recepta, neque agros habebat, neque vlla commoda; ideoque egena, & sine lare oberrans, & potentioribus necessitate magis, quam volūtate infensa, nouarum rerum occasionem captabat. At Numa egenam illam turbam refouit, agris ei communicatis. Et Patricium ordinem pacauit, dum prioribus nihil ademit eorum, quæ ab Vrbe condita fuerant adepti, & recentioribus alios honores attribuit. Quæ ordinum conciliatio ab initio regni inchoata facile hunc quoque annum tenuit.

II. *Sacra instituit.* REGNO potitus Numa, vt ait Liuius, vrbem nouam vi & armis conditam, le-

gibus ac moribus, maximéque religione stabilire constituit, ferocesque animos armorum desuetudine mitigare. Itaque Iani templum construxit, belli pacisque indicio; apertum, vt in armis esse ciuitatem; clausum, pacatos circa omnes populos significaret. Id toto regni sui tempore clausum tenuit, cum omnium circa finitimorum societate, ac fœderibus iunxisset animos. Ne tamen positis externorum periculorum curis, animi otio luxuriarent. *Omnium primum*, ait idem Liuius, *res ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem, efficacissimam, deorum metum iniiciendum ratus est. Qui cum descendere ad animos, sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum Dea Aegeria congressus nocturnos esse; eius se monitu, quæ acceptissima diis essent instituere, sacerdotes suos cuique deorum præficere.* Eius cum Nympha congressus.

FABVLAM quoque de Egeria nympha Plutarchus agnoscit, ac prædicat; sed illam consuetudinem etiam antiquiorem facit, quam is ad regnum vocaretur. At mysterium eius non explicat: explicat autem sanctus Aug. *Ipse Numa*, inquit, *ad quem nullus Dei propheta, nullus sanctus angelus mittebatur, hydromantiam facere compulsus est, vt in aqua videret imagines deorum, vel potius ludificationes dæmonum; à quibus audiret, quid in sacris constituere, atque obseruare deberet.* Et infra, *Nolo dicere has artes etiam ante nostri Saluatoris aduentū, in ipsis ciuitatibus, gentiū legibus solere prohiberi, & pœna seuerissima vindicari. His tamē artibus didicit sacra illa Pompil. quorū sacrorū facta prodidit, causas obruit; ita timuit, & ipse quod didicit, quarum causarum proditos libros Senatus incēdit.* Et paulo superius. *Me admonere sufficiat sacrorum causas, à Rege Pompilio Romanorum sacrorum institutere conscriptas, nec populo, nec Senatui, nec saltem ipsis sacerdotibus innotescere debuisse: ipsumque Numam Pompilium, curiositate illicita, ad ea dæmonum peruenisse secreta, quæ ipse quidem scriberet, vt haberet, vnde legendo commoneretur, ita quod scire neminem voluit, ne homines nefaria doceret; violare autem timuit, ne deos iratos haberet, obruit, vbi tutum putauit &c.* Hæc & plura Aug. quæ, vt vides Numam magicæ superstitionis aperte insimulant, qua etiam vsum in Pico, & Fauno capiendis, tradit Plutarchus in Numa, quæ fere fuit sapientia eorum ethnicorum, qui præ cæteris sapere, & arcana didicisse ferebantur.

[margin: III. Ab Augustino explicantur. — l. 7. de ciu. c. 35. — cap. 34.]

PORRO Numa omnia quæ ad religiones, ac ceremonias pertinebant, octo libris, iuxta totidem sacrorum hominum classes, complexus est. Prima fuit triginta Curionum, qui publica pro suis curialibus sacra faciebant. Secunda flaminum, quos Græci στεφανηφόρους vocant à gestatione pileorum, & coronomatorum quæ flamina dicuntur. Hi tres erant Ioui, Marti, Romulo dicati, quorum primus Dialis, alter Martialis, tertius Quirinalis appellabatur. Tertia fuit Tribunorum celerum, qui equestres & pedestres militare solebant, regisque corpus stipare, qui etiam solennia quædam sacra peragebant. Quarta classis Augures, Quinta Vestales virgines comprehendebat, de quibus pleni sunt omnes libri. Vestæ Numa primus apud Romanos templum instituit, cum eam institutionem Romulus materni dedecoris memor omisisset, & virgines sacrorū ministras assignauit, numero quatuor, quas Plutarchus nominat Geganiam, Vereniam, Canuleiam & Tarpeiam, qui numerus postea ad senarium excreuit. Illis cura fuit communem populi sacrum ignem seruare perpetuum, & arcana quædam sacra, & Palladium cœlo delapsum. Ratus conuenire, vt incontaminatum elementum à virginibus incorruptis seruaretur, quibus tamen licuit post triginta annos in deæ famulatu transactos, ad nuptias conuolare.

[margin: Ex Dionys. l. 2. — IV. Octo sacrorum hominū classes. Curionum, Flaminū, Tribuni celerum, Augurū.]

SEXTA classis Saliorum fuit, quos Numa è patriciis delegit, iuuenes decore conspicuos, duodecim numero, qui sacra in Palatio celebrarent, de quibus plura apud Dionysium leges. Septima sacrarum legum pars dicata erat collegio Fecialium: qui è præstantissimis familiis selecti, prospiciebant ne Romani vlli fœderati ciuitati iniustum bellum inferrent. Quod si qua prior fœdera violasset, legatos agebant, & primo ius suum repetebant verbis; quo non impetrato bellum solenni ritu infulati in hostium finibus indicebant, reliquaque omnia iura pacis, atq; bellorum diiudicabant. Vltima classis fuit maximi apud Romanos sacerdotii, summi videlicet Pontificis, cui nomen à reficiendo ponte sublicio, quod vnum fuit operum eius, datum est. Is sacras omnes lites diiudicat, inter priuatos pariter, ac magistratus, & sacrorum ministros: & in omnes quibus id ministerium commissum est inquirit, quos etiam in officio continet, de sa-

[margin: V. Saliorum, Fecialium, Pontificū,]

cris rebus leges ferre poteſt, eaſque interpretari, aliaque id genus, quæ pluribus perſequi nihil eſt neceſſe; in quibus Numa maxima vitæ ſuæ, ac regni partem tranſegit: quæ per certos annos diſtribuere, aut eos rebus geſtis diſtinguere non poſſumus. Aliqua tamen in annum eius tertium, & quartum, ſecuti Euſebii chronicum græcum; nonnulla item in ſextum, & octauum ſuo loco referemus.

VI. *Herophile Sibylla.* — In Phoci. l. 10. p. 327. græc.

Illvd ipſum chronicum in præſentem annum refet Sibyllam Samiam oraculorum decãtatricem, nomine Herophilẽ, cur autẽ eam Euſebius χρησμῳδὸν vocet, accipe ex Pauſania. *Supra eam porticum eminet ſaxum, in quo narrant Delphi ſtetiſſe, & oracula ceciniſſe vatem nomine Herophilen, cognomine Sibyllam.* De tempore autem, vide, quam malè conſentiat Euſebio, ſubdit enim, *Quæ tamen Sibylla longe ante vixit. Eam certe vt quamuis aliam, vetuſtiſſimam fuiſſe comperi, quam Græci è Ioue, & Lamia Neptuni filia natam ferunt: primamque omnium mulierum oracula ceciniſſe, & ab Afris Sibyllam nominatam fuiſſe.* Sic Pauſanias. Qui geminam Herophilen agnoſcit. Nam ſubdit, *Herophile vero eſt quidem illa priore recentior, conſtat tamen, & ipſam ante Troianum bellum viguiſſe. Prædixit enim ad Aſiæ, & Europæ perniciem, Spartæ Helenam educatum iri; propter quam futurum eſſet, vt Ilium à Græcis euerteretur. Eius fœminæ hymnorum in Apollinem Delij mentionem faciunt. Ipſa vero ſe non Herophilem ſolum, ſed Dianam etiam ſuis verſibus vocat. Eſt vbi vxorem ſe, eſt vbi vel ſororem, vel filiam Apollinis eſſe dicit: ſed hæc ſcilicet furens, & diuino afflatu perculſa, &c.* de eiuſdem genere plura ibidem leges.

*eius tempus.* — ex cor. Syl.


*geminam fuiſſe, fuit ante exciſam Troiam.*

VII. *Eius vita, & mors.* — lo. cit.

Addo ex eodem Pauſania de eiuſdem vita, ac morte paucula. *Et Herophilen quidem, qui Alexandreæ degunt, Apollinis aiunt Sminthæi fuiſſe æditnam. Hecubæ vero ſomnium ita interpretatum, vt euentum rei, qui vulgo notiſſimus eſt, diuinaris. Magnam vitæ partem egit hæc Sibylla Sami: ſed Claron etiam, quæ Colophoniorum vrbs eſt, venit: venit etiam Delon, & Delphos. Ac Delphis quidem, de quo diximus ſaxo, vaticinia edebat ſua. Mors in Troade contigit: eius eſt ſepulchrum in Sminthæi luco inciſis columnæ elegis.*

*Illa ego ſum Phœbi interpres non vana Sibylla.*
*Hic quæ marmoreo contineor tumulo.*
*Vocalis quondam, æternum nunc muta puella.*
*Heu nimis hac fati compede preſſa graui.*
*Mercurio tamen, & Nymphis ſociata quieſco.*
*Phœbo quod fuerim grata, ferens precium.*

*Iuxta ſepulchrum erectus eſt Mercurius è lapide figura quadrangula. Erythræi Corycum montem, & in eo antrum oſtendunt, in quo natam Herophilem dicunt. Parentes eius fuiſſe Theodoretum paſtorem indigenam, & Nympham cui fuerit cognomen Idea. Cognominis non aliam eſſe rationem, quam quod condenſa arboribus loca, Idas tunc homines appellarint.*



## ANNVS MVNDI 3342. QVINTAE AETATIS 403.

FVNDATI TEMPLI 320. MANASSIS REGIS IVDÆ 5.

Osaiæ Pontificis 5. Merodachi 19. Imperii Babylonioꝝum 9. Olymp. XVII. ann. 1.

Numæ Pompilii 5. vrb. cond. 41.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 711.

I. *Aſtacus in Bithynia.* — a Authore quodam Memnone apud Scal. & Caſaub. in Strab. p. 318. græ.



POLVS Epidaurius Olympiadem decimam ſeptimam notat, in ſtadio Olympico victor effectus. Quo ipſo anno Aſtacus in Bithynia condita perhibetur, [a] quæ poſtea ſub Olympiadem 129. à Rege Nicomede ampliata, Nicomedia dicta eſt, vt eo loco ab Euſebio notatum eſt. Et ita intelligẽdum eſt, quod hoc loco dicitur ab eodem. *Nicomedia condita quæ prius Aſtacus dicebatur*, vt notauit Pontacus, & poſt eum Scaliger. In catalogo Olympionico-

arum, habetur conditam fuisse à Megarensium colonia, & Astaco quodam, qui ab Astaco Thebano nomen traxerat. At Pausanias; [a] *De Nicomedis Bithyniæ regis nomine vrbs Bithyniæ maxima appellata est, cum ante Astacus nuncuparetur. Condita ea quondam dicitur à Zipate homine Thrace, quantum ex ipsa nominis voce conijci possit.* Sic ipse.

a l. 5. p. 159. 95.

*Post Nicomedia.*

II. *Numa numerum mensium auget.*

Refert in hunc tertium Numæ annum Eusebius egregium facinus anni bene apud Romanos ab ipso constituti. *Numa Pompilius duos menses anno addidit, Ianuarium, & Februarium; cum antehac decem tantum menses apud Romanos fuissent;* in plerisque libris additur, *adeo vt vltimus December diceretur.* Rem sic exponit Ouidius.

l.1. Fast. v. 18.

*Tempora digereret cum conditor vrbis, in anno*
*Constituit menses quinque bis esse suo.*
*Martis erat primus mensis, Venerisque secundus,*
*Hæc generis princeps, ipsius ille pater.*
*Tertius à senibus; iuuenum de nomine quartus:*
*Quæ sequitur numero turba vocata fuit.*
*At Numa nec Ianum, nec auitas præterit vmbras,*
*Mensibus antiquis præposuitque duos.*

III. *Aut certe transposuit ordinem eorum.*

Hic tamen idem poëta, vel ex aliorum sententia, vel ex aliarum gentium vsu, alio loco antiquos duodecim menses significat.

l. 2. Fast. v. 47.

*Sed tamen,* inquit, *antiqui ne nescius ordinis erres.*
*Primus, vt est, Iani mensis, & ante fuit.*
*Qui sequitur Ianum veteris fuit vltimus anni.*
*Tu quoque sacrorum Termine, finis eras.*
*Primus erat Iani mensis, quia ianua prima est.*
*Qui sacer est imis manibus, imus erat.*

*Qui ab antiquo 12. erant.*

Si Ianuarius primus, Februarius non vltimus anni, sed secundus fuit. Audi Plutarchum in Numa. *Ordinem,* inquit, *mensium immutauit, Martio, qui ante primus fuerat, tertium tribuens locum, Ianuario primum, Februario secundum; quorum hic vltimus, ille vndecimus Romuli temporibus fuerat; Multi Ianuarium, ac Februarium additos reliquis à Numa dicunt. Romanos enim initio decem tantum mensibus annum composuisse &c.* idque ex mensium nominibus confirmat; nec tamen opinionem damnat, quæ transpositos tantum menses à Numa arbitratur. Certe, vt Censorinus est author, Licinius Macer, & Fenestella annum Romæ ab initio duodecim mensium fuisse dixerunt. Quæ sententia Onuphrio semper placuit: quod Troiani, à quibus Albani primum, deinde Romani originem traxerunt, cum fuerint Asiani, annum 12. mensium habuerint: nec probabile sit, aut Romulum, aut Numitorem à quo ille fuit institutus, tam rudes fuisse, vt annum neque Lunæ neque Solis cursibus conuenire non animaduerterent, aut attemperare negligerent.

Cedr. Ian. & Sextiliū.

IV. *Vtraque opinio probabilis.*

Maneat igitur anceps hic locus; propter multitudinem eorum, qui pro 10. anni mensibus pugnant: sed ita tamen, vt annos Romuli variis intercalationibus ad annos solares duodecim mensium redactos dicamus, cum eodem Onuphrio. Nam cum numerus dierum anni ab eo instituti, si modo is decem mensium fuit, neque Solis cursui, neque Lunæ rationibus conueniret, idque vnum curarent authore Plutarcho, vt annus 360. diebus conficeretur, & nonnunquam frigus æstiuis anni temporibus, & contra calor hyemis tempore vigeret, tantum dierum sine vllo mensium nominè patiebantur absumi, quantum ad exæquationem cum astris necesse erat. *Duo menses,* inquit Seruius, *propter rationem signorum anni intercalabantur, qui postea à Iano & Februo nominati sunt.* Numa vero animaduertens lunarem annum vndecim diebus solari minorem, duplicatis illis vndecim diebus, alternis annis post Februarium, inseruit mensem intercalarem viginti dierum, qui à Romanis, authore Plutarcho, dicitur Mercidinus. Sed necessaria erat accuratior exæquatio, quæ multis post seculis à Iulio Cæsare inuecta est, vt suo loco, Deo fauente dicetur.

in Georg.

*Ratio antiqua exæquandi.*

ANNUS MUNDI 3343. QUINTÆ AETATIS 404, FUNDATI TEMPLI 321. MANASSIS REGIS IUDÆ 6. OSAIÆ PONTIFICIS 6. MERODACHI 20. IMPERII BABYLONIORUM 10. IMPERII OLYMPIADIS XVII. AN. 2. NUMÆ POMPILII 4. URBIS CONDITÆ 42.

ANNUS ANTE CHRISTUM. 710.



I. *Quæ quarto anno Numæ gesta.* QUAE ad priores Manassis annos pertinebant, in eundem locum indistinctè coniecimus. Pauca de Numa in hunc annum relata inuenio in græco Eusebii chronico, *Numas Pompilius*, inquit, *quarto anno regni sui Capitolium à fundamentis excitauit. Congiarium Romæ dedit* ἀσσάρια ξύλινα, καὶ σκύτινα, καὶ ὀστράκινα, *asses ligneos, scorteos, & figlinos.* Idem habet chronicum Alexandr. Sed de Capitolio, ex probabiliore opinione, alius erit dicendi locus. Istiusmodi autem numi paupertatem, ac simplicitatē illius æui docent. Et apparet Numam retinuisse formam illam communem rotunditatis, latitudinis, crassiciæ, materiam vero mutasse; externam etiam figuram variasse, sic vt in illis faciem propriam, atque etiam nomen imprimendum curarit; ex quo factum fuerit, vt à Numa numi, siue nummi dicerentur. Nam Isidorus. [a] *Numi*, inquit, *à Numa Romanorum rege vocati sunt, qui eos primum apud Latinos imaginibus notauit, & titulo nominis sui præscripsit.* Epiphanius libro de Mensuris extremo. *Numus excusus est à Numa rege quodam Romanorum.* Cedrenus [b] *foles siue nummi, sic dicti à Numa Romæ rege, qui primus obolos sua ipsius effigie signauit, ideoque nummos de suo nomine nuncupauit.* a l. 16. Orig. c. 17 Νυμμοι, b in compend hist. gr. lat p. 177.

II. *Nummi Numæ lignei &c.* NIHILOMINUS apud Plinium legimus. Numæ temporibus æs Romæ signatum fuisse. *Docuimus*, inquit, [c] *quandiu populus Romanus ære tantum signato vsus esset, & alia quæ vetustas tradidit, cum æqualem vrbi authoritatem eius declararet, à rege Numa collegio tertio ærarium fabrûm instituto*, quorum primarium est munus monetam cudere. Et tamen præcedenti libro hæc scribit. *Seruius rex primus signauit as*, & mox. *Signatum est nota pecudum, vnde & pecunia appellata*: & paulo post. *Nota æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis.* Nimirum illud Seruii Romæ institutum fuit: hoc reliqua Italia vsurpatum: quod scilicet Ianus dum in Italia regnaret, Saturnū naue in suas oras deuectum, hospitio exceperit, & regni collegam assumpserit, & in eius gratiam, cum æreos signaret nummos, ex vna parte effigiem suam, ex altera nauem, aut eius partem insculpserit. Vide Lactantium, Macrobium, & Alexandrum ab Alexandro. Ergo Seruius repudiatis Pompilialis nummis ligneis, scorteis, atque testaceis, æreos introduxit, quibus deinde aurei, argenteique successerunt. l. 33. c. 3. c l. 34. c. 1. l. 1. c. 13. l. 1. c. 7. Satur. l. 4. c. 15.

III. *Quæ causa dati.* AUT dicendum potius id à Numa necessitate aliqua factum fuisse, deficiente tunc ære, quod in magna copia, in congiario largiendum erat, sed ita vt rex, recuperato postea ære, ligneos illos, scorteos, testaceosque nummos aboleuerit, atque eos ære suppleuerit: vt aliquando à Principibus, nominatimque apud Melitenses, patrum memoria factum nouimus. Cedrenus ait Numam asses æreos signatos populo largitum esse, cum is ante coriaceis, ligneis, testaceisque in necessitatibus suis vsus esset. Sed ea necessitas principi potius tribuenda est, apud quem vnum ius est cudendæ monetæ, quæ populo vsui esse debeat, & alienæ aut admittendæ, aut repudiandæ.



## ANNVS MVNDI 3344. QVINTAE AETATIS 405. FVNDATI TEMPLII 312. MANASSIS REGIS IVDÆ 7. ELIACHIM, SIVE PONTIFICIS I. MERODACHI 11. IMPERII BABYLONIORVM 11. OLYMPIADIS XVII. AN. 3. NVMÆ POMPILII 5. VRBIS CONDITÆ 43.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 709.

l. 2. hist. p. 121.



MEMINIT huius anni Dionysius Halicarnassæus, cum ait integro quadriẽnio post assumptum à Numa principatum, Myscellum Crotonitarum vrbem condidisse, decimæ septimæ Olympiadis anno tertio: ex quo probat inepte dici, Numam Crotone studiis operam dedisse, cum ad regnum assumptus est: cum ea ciuitas ne condita quidem fuerit. Strabo ait Myscellum iam vrbem condidisse, adiuuante etiam Archia Syracusarum conditore, qui forte fortuna eò appulit, cum ad Syracusas condendas cursum intendisset. Additque eam vrbem, & bellicis rebus, & Athleticæ studuisse. Vna enim Olympiade septem viri, qui stadio vicere, omnes Crotoniatæ fuerunt, vt non iniuria dictum videatur. Extremum Crotoniatarum reliquorum Græcorum esse primum. Inde quoque dici prouerbio *Crotone salubrior*: quod ex Athletarum multitudine colligeretur, locum istum ad sanitatem, & firmam corporis constitutionem valere. Auxit vrbis gloriam, & Athletarum celeberrimus Milo, & discipulorum Pythagoræ, qui ibi versati sunt, multitudo.

*I. Croton. quãdo, & à quo condita.* — *l. 6. Geor.* — *Vrbs salubris.*

STRABO idem de Syracusarum initiis hæc habet. *Iam Syracusas condidit Archias nauibus Corintho aduectus, sub idem tempus, quo Naxus & Megara sunt condita: feruntque simul Delphos aduentasse Myscellum, & Archiam consulendi oraculi gratia: interrogatosque à Deo, diuitiasne mallent, an sanitatem: Archiam diuitias sibi optasse, sanitatem Myscellum; Deumque illi, vt Syracusas, huic vt Crotonem conderet mandasse. Itaque Crotoniatis euenisse, admodum salubrem vrbem incolerent. Syracusanos autem eo opulentiæ progressos, vt de ipsis quoque vulgatum sit prouerbium, quod in nimis sumptuosos diceretur, eos non possidere decimam Syracusanorum.* Et Paulo post; *Vrbs ea creuit cum ob regionis vbertatem, tum ob portuum opportunitatem. Quo factum est, vt ciues fierent viri principes: vsque venit Syracusanis, vt cum ipsi sub tyrannis essent, aliorum essent domini & liberati, alios à seruitute liberarent.* Sed de his satis.

*.6.* — *II. Syracusæ quãdo, & à quo conditæ.* — *vrbs diues.*

Hoc ipso anno septimo regni Manassis, ponimus eius captiuitatem, simul & finem idololatriæ ab eo turpissimè restitutæ. Addimus & nouũ pontificem, qui Rempubl. absente rege gubernarit, vt ex historiam Iudithæ liquet, quæ eum tum Eliachim, tum Ioachim appellat. Eum hoc tempore suggerit Nicephorus Constantinopolitanus, vocatque filium Sellum, quem Genebradus coniungit Osaiæ, propter diuturnitatem regni Manassis, & Saldum à Iosepho appellatur Sellum etiam põtificem prodit sub Manasse chronicum Alexandrinũ. Cum autem statuerimus Iuditham ad hæc tempora pertinere, simul etiam de pontifice, qui in illa historia suggeritur, sine dubitatione constabit. Perspicuum quoque erit quantum temporis Idololatriæ Manassis tribui oporteat, vt tempora in libro illo assignata, regis istius rebus, temporibusque consentiant.

*III. Nouus Pontifex.* — *c. 4. 5. c 15. 9.*

DVÆ sunt itaque generales de tempore Iudithæ sententiæ, vna eam differt ad Xerxis tempora, vel Cambysis; nimirum post solutam à Cyro, Septua-

*IV. Duæ de tempore Iuditha sententiæ.*

ginta annorum Iudaici populi captiuitatem; altera vero ad hanc in ipsam ætatem, & Manassis regnum eam refert. Prior ducem habet Eusebium in chronico, sed qui rem potius obiter attingat, aut recitet, quam eam affirmate asseueret. Nam in olympiade 62. sic ait, *Cambysem istum aiunt ab Hebrais secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia conscribitur.* Quæ fere totidem verbis recitat D. Aug 18. de ciuitate Dei, & Beda l. de sex ætatibus, Hermanus Contractus, & alii qui Eusebium sequuntur Seuerus Sulpitius l. 2. historiæ sacræ Iuditham ad Ochum regem Persarum differt. Zonaras ad hāc classem pertinet, sed nullam habet rationem temporis, vt qui Tobiæ historiam Iudithæ postponat. Torniellus eam sub Xerxe floruisse putat, itemque Ribera in cap. 2. Nahum.[a] Adrichomius mauult sub Artaxerxe, & quidem ante templum ædificatum, sicut & Samerius. Mercator sub Dario Hystaspis.

*Prior, floruisse post Cyrum.* — *l. 18. de ci. c. 26.* — *Cedrenus. Glycas, Otto Friss. Suidas an. 6. et. 126. a an. 32.*

V. *Improbatur.*

VERVM hi omnes regem Medorum, & Chaldæorum, & Assyriorum excogitare coguntur, eisque 12. aut 13. annos regni concedere, quando iam eiusmodi regna plane conciderant, & in Persarum monarchiam transierant. Quando Niniue nulla erat, quam etiam gratis ædificant, nullo conditore, nullo teste. Et cum anxie requirant ab alterius sententiæ propugnatoribus, cur Manassis in hac historia nulla fiat mentio; nihil solliciti sunt eis respondere, cur in eadem Cambysis, aut Darii, Xerxis, aut Artaxerxis vestigium nullum appareat. Nec vllam suspicionem probabilem afferunt, cur istos duos reges Arphaxad, & Nabuchodonosorem, vni eidemque imperatori regulos subditos fuisse dicant. Quis enim credat regulum Medorum Arphaxad multas gentes non imperio Persarum, quibus subditus dicitur, sed imperio suo, vt Scriptura loquitur subiugasse; & qui propemodum precario rex esset, gloriari tamen quasi potentem, *in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum?* Quomodo Persarum vectigalis ædificauit Ecbatana, quam Manassis tempore constructam scribit Eusebius?

VI. *Refellitur ex parte Nabuchod.*

QVOMODO Regulus erat Nabuchodonosor, qui tot nationes sub se, tantosque exercitus numerabat? Aut quid causæ fuisse dicemus cur Persæ ne tantillum quidem se contra istum commouerint, qui in eorum oculos inuolabat, qui non solum Persarum dominatum, sed vniuersi orbis imperiū affectabat? Cœperat esse contemptui Xerxes, ait Torniellus. Cur ergo non cōtra eum potius alter ambóve, à quo vno opprimi poterant, quam contra se inuicem arma sumpserunt? vt eos tanto facilius postmodum Xerxes, aliúsve Persa debellaret. Præsertim cum post discessum Xerxis è Græcia, quando Torniellus vult hoc bellum contigisse, Mardonius in armis esset, qui sub signis suis habebat Medos, qui finguntur à Persarum imperio defecisse, quos non minore quam Persas numero, in illis castris fuisse tradit Herodotus. Habebat & Sacas, Persas, Indos, ad triginta myriadas, id est trecenta hominum millia, vt in Vrania scribit Herodotus. Qui cum deinceps in Græcia diu bellum gesserit, vt refert idem libro nono, quomodo non tunc contra istum Babylonium, qui imperii iugulum peteret, Xerxis iussu arma conuertisset? Is enim vndecim annis, vt idem Torniellus fatetur, fugæ suæ ex Græcia superuixit.

*l. 8.* — *an. 26. et. 6.*

VII. *Posterior, viguisse ante captiuitatem.*

POSTERIOREM classem constituunt Genebrardus, qui ad Sedechiam Iuditham pertinere putat, propter Nabuchodonosorem, Ioannes Benedictus, Sebastianus Verronius, Codomanus & Zieglerus ad Iosiam. Canus & Carion, ante captiuitatem quidem floruisse dicunt, sed tempus distinctius nullum ponunt. At qui hanc quæstionem accuratius expenderunt Iudithæ, & Holofernis historiam ad Manassis regnum retulerunt. In his Robertus Bellarminus l. 1. de verbo Dei capite duodecimo, & in eiusdem loci defensione Gretserus. Pererius l. 1. in Danielem. Serarius in cap. 1. Iudith.[d] Turcellinus in sua chronologia quæst. vlt. sicut & Gordonus.[e] Alphonsus Salmeron.[f] Idem sentiunt è Sectariis (nam plerique tacere maluerunt) Iunius, & Tremellius, in notis in hunc librum. Vitacherus contra Bellarminum hanc sententiam cæteris probabiliorem putat.

*c l. 4. c. 12.* — *d q. 2. n. 4. e c. 10. chron n. 36. f in ep. vlt. quæ habetur in fin. to. 16.*

VIII. *Pertinere ad tempora Manassis.*

EXESTIMIO sane Iuditham ad Manassis tempora pertinere, vt quæ Scripturæ

accurate congruere videatur, præsertim quæ de pace Iudæorum toto tempore vitæ Iudith in extremo eius libro memorantur. Conueniant quoque reges, & constructio Ecbatanæ, & eorum à Scriptura memorata potentia, tempusque bellorum. Arbitror tamen nobilissimum illud Iudithæ facinus cædemque Holofernis, non posse vltra annum nonum Manassis differri, qui est vigesimus tertius eius regis, qui in eodem libro vocatur Nabuchodonosor, idemque decimus tertius, ex quo tam Niniues, quam Assyriorum factus est Dominus, & ad Babylonios imperium transtulit, vt diximus anno Ezechiæ vigesimo quinto.[a] Duodecimo pugnauit contra Arphaxad Medum, vt dicitur cap. 1. Iudith. Vndecimo autem qui est vigesimus primus à quo regnare cœpit in Babylone, contra Iudæos bellum gessit, & Manassem captum Babylonem abduxit.

a n. 3. & 4.

IX. Nabuchodonosor idem qui Merodach.

SVPPONIMVS autem cum Bellarmino, & omnibus qui Iuditham ad Manassem referunt, hunc Nabuchodonosorem esse eundem cum Merodach rege Babylonis, quod ex præcedentium annorum serie apertissimum est. Nam Genebrardus, Gordonus, Torniellus, Samerius. Mercator iter Functius, Buntingus, aliique ei ad quinquaginta duos regni annos tribuunt. Non potuit ergo alius esse Rex Babylonis Nabuchodonosor, quam hic Merodach, qui & Mardocempadus. Quare autem dicatur Rex Assyriorum supra explicatũ est.[b] Ioseph. quoque hunc regem Assyriorum, à quo Scriptura teste captus est Manasses, interpretatur regẽ Babylonis. *Idcirco*, ait Scriptor sacer,[c] *superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum, ceperuntque Manassem.* Explicat Lyran. eos qui solebant esse principes in exercitu Assyriorum, quando ipsemet Merodach erat subditus Assyriis. Iosephus autem.[d] *Cum in eisdem*, inquit, *perseuerarẽt moribus*, Manasses videlicet & populus eius, *hostem illis Deus immisit Regem Chaldæorum, & Babyloniorum &c.* quem omnes passim recentiores secuti sunt, Zonaras, Comestor, Philippus, Sigonius, Baradius, Dionysius, præter eos, quos paulo ante retulimus.

b an Ezech. 25 n. 3. & 4.

c 2. Par. 33. 11.

d l. 10. c. 4.

Manassem cepit.

X. Dissensit Serarius.

RIPVGNAT huic communi sententiæ Serarius.[e] Negat enim Manassem captum à Babyloniis, vult ab Assyriis; & quidẽ ab aliquo filiorum Asarhaddonis. Siue quod Iudithæ Nabuchodonos. Assyriorũ Monarcha fuit: nec fuerit adhuc monarchia illa ad Babylonios translata, nondum euersa Niniue, vt ex Tobiæ vlt. patet: Siue quia regnante Merodacho regnabat in Niniue, vel Sennacherib⁹, vel Asarhaddon. Siue quia hic Merodachus, vt passim omnes fatentur, est Mardocempadus Babylonius, quem celebrat Claudius Ptolemæus, à quo domitos Assyrios nemo tradit. Denique deinceps etiam Assyriorum regum mentio est in Scriptura non infrequens: fieri autem potuit, vt eorum nomina ab ea reticerentur, sicut à principio nomina præcedentium imperatorum ab eadem prætermissa sunt, quæ scilicet res Hebræorum nihil admodum attingebant.

e in c. 1. Iudithæ q. 3. paragr. 3 & 4.

XI. Eius rationibus fit satis.

VERVM his sententia nostra labefactari non potest. Quamuis enim demus Niniuem nondum euersam fuisse; non inde consequens est Assyriorum imperium ad eius euersionem vsque stetisse. Dominum enim duntaxat mutauit, vt sæpius diximus, cum quibusdam prouinciis, quæ prius Assyriis paruerant, & omnibus fortasse præter Mediam, & quæ cum ea coniunctæ fuerant. Itaque tam Babylonius, quam Assyrius dictus est. Nec obstat quod regnante Merodacho Babylone, in Niniue regnarit Asarhaddon, quia cum hic decem tantum annis regnarit, nec integris, vt communis est sententia; etiam viuo Ezechia regnare desiit, eique successit maxima ex parte Merodachus Babylonius Nec probabile est hunc Nabuchodonosorem esse Asarhaddonis filium: tum quia nomen illud Chaldæum est, siue Babylonium, sicut & Merodach, non autem Assyrium, vt ipsemet Serarius fatetur, ideoque Babylonius est hic Nabuchod. non Assyrius: tum quia neque ipse, neque scriptor vllus alius, quod sciam, filios, aut nepotes memorat Asarhaddonis.

Scal l. c. de Emend.

XII. Quo anno suo captus Manasses.

MANEAT igitur, & Scriptura, & ratione, & multiplici authorum consensione firmatum, regem hunc qui Manassem cepit, fuisse Babylonium, eundemque Merodachum filium Baladam à Scriptura sæpius memoratum.

Controuersus est nihilominus annus capti regis. Nam chronicum Hebræorum, [a] ait Manassem anno regni sui vigesimo secundo abductum esse captiuum in Babylonem, cum idolo Michæ. Itaque duobus ac viginti annis idola coluerit. Quod probat Genebrardus in chron. & Gordonus, [b] qui initia Manassis ponit ad annum 3283. Iuditham vero ad 3307. Rabbi Kimhi in quarto capite Ezechielis, referente Genebrardo, totos quadraginta annos regni impiæ vitæ Manassis tribuit, reliquos quindecim pœnitentiæ, & meliori vitæ: quam opinionem videtur sequi Pradus in eundem Ezechielis locum, vbi dat decem annos captiuitati Manassis, quo tempore Amon pro patre regnum administrarit, & 40. iniquitatis, & quinque annos post reditum: quod sentit etiam Functius. At Tornicllus [c] putat captum Manassem regni sui anno circiter decimo quinto, & videlicet totidem annis idolis seruiisse.

a c. 4.
b c.10.n.36.
c an.5. Aetat.330.

XIII. *Videri septimo, & quare.*

NIHILOMINVS dicendum videtur, non posse captiuitatem Manassis vltra eius annum septimum differri, qui est præsens annus, imperii Babylonici vndecimus. Nam necesse est reditum Manassis è Babylone prius contigisse, quam cædem Holofernis, eique anteuertendam esse. Vt enim recte vidit Bellarminus, detento Iudæorum rege in potestate Babyloniorum, quomodo ausi fuissent Iudæi Holofernem principem militiæ Babylonicæ, non solum ex suis vrbibus excludere, sed etiam interficere? cum dubitare non possent eandem perniciem in regis sui, omniumque, qui cum eo erant in vinculis, capita redundaturam. Atqui cæsus est Holofernes decimo tertio Nabuchodonosoris, siue Merodachi, vt ex Scriptura constat, qui est Manassis nonus, duodecimo autem illius, qui est Manassis octauus, victus est Arphaxad Medus; oportet ergo vndecimo imperii Babylonici captum, captiuatumque Manassem, vt tempori, & ante cædem Holofernis, regno suo restitui possit. Cur autem in eodem Iudithæ volumine nulla regis Iudæ facta sit mentio, ratio postea commodius afferetur.

XIV. *Qua causa captiuitatis ex parte Dei.*

DIFFICILIVS est inuenire qua de causa captus fuerit. Et si quidem verissimam causam quærimus, ex parte Dei, eam nobis aperte Scriptura suggeret. [d] Enumeratis enim Manassis sceleribus, & contemptu admonitionum, quas Deus per prophetas auribus eius, oculisquè frequentabat; quos etiam crudeliter magno numero, nulloque discrimine perimebat. *Idcirco*, inquit, *superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum &c.* Oportebat quoque impleri prophetiam de filiis Ezechiæ Babylonem exportandis. [e] Ex parte autem hominum quid vel causæ, vel prætextus contingere potuerit, nec Scriptura significat, nec Iosephus, nec alius quispiam explicat, quod sciã; nec facile est probabiliter suspicari; præsertim cum Merodach amicum se olim Ezechiæ demonstrasset, & fœdere cum eo inito, regnum suum tunc exoriens firmare studuisset, missis ad eum cum gratulatione muneribus; nec illum constet aliqua in re ab Ezechia, vel Manasse violatum.

*Et hominum.*

d 2.Par.33.11.
e 4.Reg.20.17.& Isaiæ 39.6.

XV. *Videri ambitionem, & auaritiam.*

SED quod ille dixit, *Vulgus amicitias vtilitate probat*, id non in vulgo solum, sed vel maxime in principibus viris verum esse, docet experientia, qui amicitias inter se vel conciliant, vel disiungunt, prout regno suo, aut statui expedire arbitrantur. Et discessuri ab amicis callidè causas quærunt, vt Scriptura ipsa testatur. [f] Causæ autem, vel occasiones nunquam ambitiosis, vel auaris deesse possunt. Ingeniosus quippe amor est, non solum voluptatis appetens, sed honoris etiam, & diuitiarum. Cùm ergo Merodach firma iam radice niti se Babylone sentiret, & adiuncta maxima regni Assyriorum parte, præpotentem effectum, neglexit adolescentioris regis amicitiam: & forte tributarium sibi esse voluit, sicut fuerat pater eius Ezechias, & auus Achaz Assyriis vectigalis, quos ipse repræsentabat. Ad eas etiam opes anhelabat, quas Assyriis ereptas in clade Sennacheribi, quasque immensas esse ex legatorum suorum ore didicerat. Sumpto itaque aliquo offensionis prætextu, tributum à Manasse petiit; quo negato, arma hoc anno in eum mouit.

f Prou.18.1.

*Negatumque tributum.*

XVI. *Modus capti regis.*

SVPEREST modus capti regis, vine scilicet, an dolo, cum paucisne an cum multis adductus sit. Et Scriptura quidem vim solam referre videtur, cum ait. *Superinduxit eis principes exercitus Regis Assyriorum, ceperuntque Manas-*

*sem, & vinctum catenis, atque compedibus, duxerunt in Babylonem.* In Hebræo habetur duabus catenis vinctum fuisse. Iosephus & vim memorat, & dolum, quem Scriptura tacuit potius, quam negauit. *Is* inquit, rex scilicet Chaldæorum, & Babyloniæ, *misso in Iudæam exercitu, regionem totam depopulatus, Manassem quoque dolo interceptum, & abductum perpetuo pœnæ habuit obnoxium*, vel potius, vt in Græco est, *ad quam voluit pœnam obnoxium habuit*, vel, in potestate habuit. Quomodo enim perpetuo obnoxius pœnæ, quem mox ibidem Iosephus fatetur, Babylone in suum principatum remissum? Iosephum Comestor, & Philippus sequuntur, nec dolum explicant.

XVII. *Dolo circũuentum videri.* DOLVM aliquem militarem, siue stratagema existimare fas est, eoque iuuenem regem temere foras abductum, & insidiis interceptum: captarunt fortasse regis ad venationem excursum, vt venator ipse in casses indueret sese, comitesque suos. Nam captam ciuitatem nemo recte dixerit, etsi id Vitacherus sectarius temere dixerit,[a] & sine vllo fundamento. Nec credibile est librum Paralipomen. qui omissam in libris Regum hanc Manassis captiuitatem suppleuit, captam vrbem omissurum fuisse: aut certe Iosephum, cùm ait exercitum Chaldæorum regionem depopulatum fuisse, regemque dolo intercepisse: de vrbe si quid sciisset, aut vi, aut fraude, aut deditione capta, taciturum.

[a] apud Ser in c. 5 Iudithæ.

XVIII. *Itemque regios thesauros fraude corrasos.* VENIT autem in mentem suspicari, non solum Manassem dolo interceptum, sed alia quoque fraude vsos Chaldæos, eiusdem generis cum ea, qua posteriobus seculis vsus est Triphon.[b] Qui cùm haberet in potestate sua Ionathan, finxit se eum detinere propter centum talenta argenti, quæ si darentur, simulque duo filii Ionathæ obsides, remissurus esset patrem cum filiis: sed perfidus recepit argentum, & pueros, nec dimisit patrem. Sic isti fortasse ingentem pecuniam petierunt, tributi iampridem Assyriis debiti, & obsides, fratres Manassis, aut filios, vt dimitterent iam captum regem: quibus acceptis, & illos cum thesauris retinuerunt, nec regem dimiserunt, sed omnia secum Babylonem transtulere. Sicque prophetia Isaiæ 39. sine vrbis expugnatione recte impleta videretur. His si quis certiora, aut probabiliora dixerit, ea libenter amplectemur.

[b] vt in 1. Mach. c. 13.

XIX. *An capta quoque fuerit ciuitas.* SED obiici potest Achior Ammonita, qui in libro Iudith[c] ait Israelitas nuper reuersos ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunatos esse, & iterum possidere Ierusalem? Si ergo hæc sub Manasse contigerunt, dicendum est Chaldæos cum Manassem ceperunt, etiam vrbem inuasisse, & populum dispersum fuisse; quam amissam nuper recuperare, & possidere cœperant, vt ait Achior. Imo ex textu Græco in eodem capite, habetur templum euersum fuisse, & ciuitates captas ab aduersariis. ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος. &c. *Et templũ dirutum.* Responderet Genebrardus[d] non necesse esse Achiorem alienigenam, nondumque religione initiatum, res Iudæorum perfecte tenuisse, aut fideliter recitasse: quæ Gordon. quoque respondet capite decimo sub finem, cum scriptor historiæ non asserat omnia prorsus ita se habere, vt narrat Achior. Sicut fide certum est ea esse dicta à Gabaonitis, quæ in libro Iosue recitantur; quæ vera fuisse nemo affirmauerit. *Prior responsio.*

[c] c. 5. 23.

[d] Lib. Chrō. pag. 138.

XX. *Altera responsio de vrbe.* RESPONDEO etiam Iudæos vere non possedisse Hierosolymam, quotquot vel cum Manasse capti, vel fuga elapsi sunt, dum Iudæam exercitus Babylonius popularetur; nunc autem partim cum Manasse reuersos, partim aliquanto ante ex fuga reduces Hierosolymam possedisse: nec tamen consequens est, vt eam Chaldæi hoc tempore possederint. *Ex templo ex Bellar.* De templo respondet Bellarminus[e] illa verba, quæ mentionem euersi templi faciunt, supposititia videri. *Quandoquidem*, inquit, *Sanctus Hieronymus, qui fidelissime hunc librum ex Chaldæo transtulit in latinum, nihil de euersione templi in sua editione posuit: & fortasse ista additio Græci textus in causa fuit, cur tot grauissimi authores Eusebius, Augustinus, Sulpitius, Beda, in hac historia suo tempore collocanda decepti fuerint.* Hæc Bellarminus.

[e] l. 1. c. 12 de verbo Dei.

XXI. *Templum non dirutum, sed profanatum.* RESPONDET Serarius in cap. 5. Iudith. verba Græca defendi, & exponi posse, non de euersione, sed de profanatione. Ait enim *fieri in pauimentum* esse templi sanctitatem ita violari, quasi commune quoddam, publicumque solum,

quod omnium iam pedibus conculcaretur; nec idem esse quod εἰς ἀφανισμὸν, quod esset solo æquari: & præterea templi aliquas partes dirutas fuisse, quas Iosias deinde restaurauerit. [a] Torniellus [b] contendit verba illa non esse supposititia, vt quæ in Græcis bibliis recognitis retenta sint, sicut & pleraque alia, quæ aliter in Græcis, quam in Vulgata leguntur. Respondeo, quamuis detur non esse supposititia, ex illis tamen non inferri templum euersum fuisse, vt iam dictum est: nec possunt dicere qui contra sentiunt à quibus, aut qua de causa, quóue modo fuerit violatum, cum hostem in vrbem ingressum probari non possit: & satis constat quæ in Græcis, aut Hebraicis codicibus inueniuntur, diuersa ab editione Vulgata, non facere rem de fide. Alioqui dicendum esset Tobiam verbi gratia seniorem non vixisse 102. annis, vt habet editio Vulgata, sed 158 quia ita in Græco habetur nec cæcatum 56. sed 58. nec in cæcitate vixisse quatuor annos, sed 8. nec iuniorem vixisse annos 99. sed 127. quæ item de Achiacharo filio fratris sui refert Tobias cap. 1. & alia id genus.

*Aut ne profanatū quidem.*

*a 2. Par. 34. 10. 11.*
*b an. 331. n. 2.*

XXII. *Comites captiuitatis regiæ.* Ex dictis etiam patet Manassem minimè solum abductum fuisse, quod per se clarissimum est, si eum regem fuisse memineris. Vbi enim vnquam auditum est, inquit ( retserus, in defensione illius loci Bellarm. contra hæreticos, regem solum absque populo, vel parte populi in captiuitatem à victoribus abductum? præsertim cum principes Iuda, & populus iisdem quibus Manasses sceleribus diuinam promeruissent iram. Vnde [c] Scriptura dicit Dominum superinduxisse, non Manassi tantum, sed *eis*, id est Iudæis *exercitum Chaldæorum*. D. etiam Cyrillus in cap. 22. Esaiæ, ait Sobnam quæstorem, siue regiarum, siue sacrarum pecuniarum, abductum fuisse cum Manasse in captiuitatem, iuxta illud Esaiæ. [d] *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic subleuabit te.* Quod affirmat etiam Serarius, [e] vbi tamen eum pontificem putat, in cuius locum sit suffectus Eliachim, sed de Sobna supra dictum est. Ex iis autem, quæ de capto per fraudem rege, paulo ante dicebamus, coniicimus plerosque cum eo ex insidiis fuisse captos, florem scilicet ipsum nobilitatis, qui regem comitari solet, vt qui principes in peccando fuerant, in primis punirentur.

*Sobna.*

*c 2. Par. 33. 11.*
*d 22. 17.*
*e c. 4. q. 1. & 2.*

XXIII. *Vincti catenis abducuntur.* Qvomodo autem abducti sint, intelligi ex ipso rege potest, quem non cum libera custodia Chaldæi deduxerunt, sed geminas corpori catenas, & pedibus compedes, manicas etiam tortasse manibus, tanquam crudeli alicui bestiæ coniecerunt; vt reputare iam disceret criminosus adolescens, se diuino iudicio ad mortem rapi, qui tot innoxios ferro vinctos in mortem dederat. Itur ergo Babylonem, & ibi coniectus in carcerem, cœpit recogitare actus, & annos suos in amaritudine animæ suæ. Sed nos ad alia transeamus.

*Et coniiciuntur in carcerem.*



## ANNVS MVNDI 3345. QVINTAE AETATIS 406.

FVNDATI TEMPLI 323. MANASSIS REGIS IVDÆ 8.
Eliachimi Pontificis 2. Merodachi 22. Imperii Babyloniorum 12. Olymp. XVII.
an. 4. Numæ Pompilii 6.
Vrbis cond. 44.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 708.

I. *Primus Romæ Pōtif. Max.*



SEXTVM hunc Numæ annum Onuphrij fasti consulares insignem exhibent primo Romanorū Pontifice, Numa Marcio, M. filio, *quem*, inquit Liuius, *ex patribus legit, eique sacra omnia scripta, exsignataque attribuit; quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque vnde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cætera quoque omnia publica, priuataque sacra pontificis scitis subiecit*, &c. quæ pluribus apud eum, ac Dionysium, quem supra retulimus, reperies. Apud quem illud minimè prætermittendum videtur. *Ipsi à iudiciis & mulcta sunt immunes, nec tenentur vel*

*Senatui, vel populo rationem reddere.* Et paulò post. *Quorum si quis è vitâ excesserit, in defuncti locum alius solet subrogari, non populi suffragiis, sed qui collegio maxime videtur idoneus, ex omnium ciuium numero eligitur: quis tum demum sacerdotium adit, si collegij iudicium felici augurio comprobetur.* Ex quibus intelligi potest, quantum lumine ipso naturæ, dignitatis, atque auctoritatis summo sacrorum magistratui, tribuendum esse iudicarent, Principes omnium consensu sapientissimi. *Quanta ea dignitas.*

II. *Is fuit Numa Marcius M. F.*

QVOD autem ad Numam (prænomen id Sabinum fuit) quod inquā ad Numam attinet Marcium, fuit is filius Marci Marcij, qui authore Plutarcho, Numam Pompilium, vna cum eius patre, hortatus est ad regnum à Romanis oblatum accipiendum, eumque secutus Romam è Sabinis commigrauit. Ergo eius filio rex Pontificatum maximum attribuit, deinde etiam filiam suam Pompiliam in vxorem dedit. Is ex ea genuit Ancum Martium, quem Numa rex moriens quinquennem reliquisse fertur, quiq; Tullo Hostilio in regno successit. Ille autem Marcus Marcius, Romæ à Rege in Senatum honoris causa adscitus, Numa mortuo cum Hostilio de regno contendit, victusque, voluntaria morte obiit: vt scripsit Plutarchus in Numa. His breuiter expeditis sacram historiam reuisamus.

III. *Bellum inter Arphaxad, & Merodach.*

HOC rerum gerendarum capto apud Iudæos initio, & quasi rudimento Merodach Babylonius Imperator, & læto successu capti Manassis, & thesaurorum eius factus animosior, ad maiora in dies aspirare cœpit, & integrum Assyriorum imperium affectare: cui magno fuit adiumento victoria de Medorum rege hoc anno duodecimo imperii sui reportata. Sed quis fuerit hic Arphaxad rex Medorum, si cum iis, qui apud Diodorū ex Ctesia memorantur, aut ab Herodoto, & Eusebio, difficillimum erit inuenire. Vsque adeo & nominibus, & principum numero, & annis regnorum scriptores hi inter se dissentiūt. 1 Placet tamen Herodotum & Eusebium sequi, qui minus inter se pugnant, adeo vt hic illius vestigiis insistere videatur; quamuis non ignoremus Herodotum à Ctesia, qui idem fere tractat argumentum, mendacem in multis dici, & scriptorem fabularum, non sine causa fortassis, appellari. *1. σχ.*

IV. *Arphaxadum Deiocem videri.*

DICAMVS igitur Arphaxadum Deiocem videri apud Herodotum, & Eusebium: Arsæum, siue Artæum apud Ctesiam. Primum quia vterque Medorum rex; secundo vterque Ecbatanæ conditor, vel potius instaurator. Nam Diodorus Siculus etiam temporibus Semiramidis extitisse tradit Ecbatanam, in eaque magnifica palatia illam excitasse, sicut hoc tempore Arphaxad muros eius ac turres; itaque in Græco textu non legitur ædificasse Ecbatana, [a] sed in Ecbatanis. ἐν' ἐκβατάνοις. Eodemque modo posterioribus seculis à Seleuco ædificata perhibetur. [b] Tertio tempora rectè cōsentiunt Nam Eusebius Ecbatanam conditam à Deioce ponit Olympiadis decimæ octauæ anno primo, qui in nostra chronologia proxime sequitur: & in anno 5. Manassis, qui nobis est octauus. Multas gentes ab Arphaxado victas Scriptura memorat, quod de Deioce quoque scribit Herodotus. Superbiam Arphaxadi illa Scripturæ verba produnt. *Gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.* Eidem vitio Deiocem obnoxium scribit Herodotus, qui multis artibus regnum ambiuerit apud Medos, & occupatum superbe tenuerit, adeo vt neq; se adiri coram, aut conspici à quoquam permitteret, sed per internuncios cuncta transigeret; quin ne ridere quidem, aut excreare coram se quemquam pateretur.

a Iudith. 1. 2. 3.
b Plin. 6. c. 14.

V. *Quæ difficultatem faciant.*

FATEOR tamen esse non pauca, neque leuia, quæ obijci possint. Nam qui conferet, quæ ab Herodoto dicuntur facta in Ecbatanis à Deioce, admodum diuersa reperiet ab iis, quæ Scriptura facta dicit ab Arphaxad. Ibi septem ambitus murorum ponuntur, hic vnus duntaxat: illi muri rotundi sunt, iste quadratus; illi colorati sunt, iste decolor: ibi nulla turrium fit mentio, hic vero maxime. Responderi potest valere hoc quoque loco accusationem Ctesiæ, & in mœnibus hisce, quæ fama vbique celebrabat (Nam Eusebius Ecbatana vocat τείχη μεγάλα, ἐν ὀχυρὰ) facetum Herodoti ingenium ludere voluisse. *Mœnia*, inquit, *constituit ampla simul & valida, quæ nunc Ecbatana appellantur, in quibus murus vnus alteri veluti confinis erat, ita vt ambitus alter alterum amplecteretur, & singuli alteris gradatim essent sublimiores, solisque pinnis prominerent. Adiuuante ipso loci situ, vt qui col-*

l. 1. in Clio. | *Mœnia Ecbatana ex Herodoto.*

*lis esset. Sed accessit maior etiam ars, & industria, factis septem ambitibus inter se contiguis in quorum postremo regia est, & thesauri. Eorum autem amplissimus magnitudine plus minus circuitum Athenarum exaquat. Suntque primi ambitus pinnæ albæ, secundi nigræ, tertii punicea, quarti cærulea, quinti sandaracena, qui rubeus est color, postremi vero duo muri alter argentatas, alter inauratas habet pinnas.* Hæc ibi.

VI. *Tempus Deiocis anteuertendum.* DIFFICILE illud quoque est, quod ab hoc tempore regnasse dicitur Deioces annis 54. ab Eusebio, ab Herodoto 53. Qui tamen hoc anno in sacra historia extinctus videtur. Nam vbi in editione Vulgata legimus, *pugnauit contra Arphaxad, & obtinuit eum in campo magno.* In Græco legimus, *Et cœpit Arphaxadum in montibus Ragau, & iaculis suis confixit eum & exterminauit eum, vsque in diem illam.* Dici fortasse possit longe prius regnare cœpisse Deiocem, & sub regni finem hosce muros in regia ciuitate, in monimentum nominis sui construxisse. Et mox à Merodacho bello petitum, victumque occubuisse. Itaque Serarius tempus regni Deiocis, ante Manassem inchoari cupit, quod facere licet Herodoti Chronologia minime repugnante. Sed de obscura hac, & perdifficili Chronologiæ quæstione iam satis.

VII. *Arphaxadi copia.* HIC ergo Arphaxad multas imperio suo gentes, vt ait Scriptura subiugarat. Sex enumerat gentes Herodotus libro primo, quæ regnante Deioce Medis parebant, & ad Medicam nationem pertinebant, Busas, Paretacenos, Strubates, Arizantos, Budios, & Magos. Possemus etiam eas gentes interpretari, quas ibidem à Phraorte Deiocis hærede Medorum imperio adiunctas tradit Herodotus. Nam sæpe in antiquis historiis, vnius viri illustris gesta alteri tribuuntur. *Phraortes*, inquit, *suscepit imperium. Qui solo imperio Medorum non contentus, bellum ante omnes intulit Persis, eosque primus in potestatem Medorum redegit: quibus nationibus potitus, valida vtraque, mox Asiam subegit, aliam deinceps, atque aliam inuadendo gentem; donec ad Assyrios oppugnandos peruenit*, &c. *Phraortes Persas vicit.* Certius tamen est eas gentes colligere ex textu Græco, in quo referuntur populi, qui eum contra Nabuchodonosorem pugnaturum sequebantur. *Et occurrerunt*, inquit, *ad eum*, scilicet Arphaxad, *omnes habitantes montana*, Mediæ videlicet, & Armeniæ, *& omnes habitantes Euphratem, & Tygrim, & Hydaspen, & campum Iriochregis Elymæorum, & conuenerunt gentes valde multæ in aciem filiorum Cheleul.* Quamquam enim textus Græcus ambiguum relinquat, an hæ gentes secutæ sint Medos, an Babylonios: Medos tamen secutas esse credibilius est, quia orientaliores sunt; Babyloniorum autem vel subditi, vel fœderati, mox enumerantur ad occasum, & meridiem habitantes: eámque distinctionem sequitur versio Tigurina.

VIII. *Arphaxadi superbia.* HVIVS belli causam Scriptura non dissimulat, sed prodit, illis verbis, quæ in Græco textu non habentur, in quibusdam libris. *Et gloriabatur quasi potens, in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.* Voluit nimirum Dominus superbiam hominis deiicere, quæ multarum gentium subiectione nitebatur, & magnificentia ciuitatis Ecbatanæ, quam mœnibus maximis, pulcherrimisque cinxerat, quæ illi & præsidio essent, & ornamento. De quibus ita sacer histori- *Et vrbis muri.* cus. *Et ipse ædificauit ciuitatem potentissimam, quam appellauit Ecbatanis, ex lapidibus quadratis, & sectis.* Additur Græcè singulos lapides fuisse latitudinis cubitorum trium, & sex longitudinis: pergit autem. *Fecit muros eius in latitudinem cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta.* Manifestum est mendum, permutatis vocibus latitudinis, & altitudinis. Altitudo fuit septuaginta cubitorum, latitudo triginta. In Græco altitudo eadem ponitur, quæ in Latino, sed latitudo ponitur quinquaginta, minore vtique proportione.

IX. *Et turres eorum.* IN turribus etiam quibus murus per certa interualla distinguebatur, nonnulla est differentia; in Latino enim sic legitur. *Turres verò eius posuit in altitudine cubitorum centum; per quadrum verò earum, latus vtrumque vicenorum pedum spatio tendebatur.* Mihi videtur significare, turres quadratas excurrisse extra murum pedibus viginti: id enim fieri solet ad protegendum murum secundum longitudinem ab vna turri ad alteram, & ad summouendum inde hostem. In Græco autem sic habetur. *Turres præterea portis imposuit, quarum altitudo ad centum cubitos erecta erat, & latitudo sexaginta cubitis fundata erat.* Quod non repugnat editioni Vulgatæ, quæ expressit prominentiam, & procursum turrium, Græca verò ipsam

latitudinem, & faciem turrium quadratarum.

De portis verò hoc tantùm habet nostra editio; *Posuitque portas eius in altitudinem turrium.* Cùm autem Græcè habeatur turres portis impositas, significatur hic omnes turres æqualis fuisse altitudinis, tam eas in quibus erant portæ, quàm cæteras. Quam fuerint autem patentes hæ portæ, Græcus expressit. *Portas*, inquit, *excitarat septuaginta cubitis altas, quadraginta latas, ad potentium eius exercituum egressiones, & pedestrium copiarum eius.* Videntur porro vrbis muri in eius contumeliam euersi, vt postea dicetur, nec deinceps restaurati. Nam Polyb. lib. 10. eam mœnibus caruisse ait. *Regia Medorum*, inquit, *ibi quondam fuit; ac videtur sanè ciuitas hæc vrbes omnes alias opibus, & magnificentia operum longo interuallo superasse. Sita est in montana regione, quæ radicibus Orontis subiacet, mœnibus caret, sed arcem habet manu factam, & ad firmitatem ad miraculum vsque munitam; arci regia subiacet.* De qua ibid. pluribus. X. *Ac porta vrbis.* *Ecbatana arx.*

Dvorvm regum vter huic bello initium dederit incertum est; si constaret gesta Phraortis Arphaxado conuenire, dicendum esset à Medo magno suo malo Assyrios, iuxta narrationem Herodoti, fuisse prouocatos. Vniuersè tamen illa Arphaxadi superbia innuit, ipsum bello causam ambitione sua dedisse. Alioqui suspicari possemus Babylonium, qui à Iudæorum amicitia magno suo emolumento discesserat, etiam cum Medorum Rege inita à morte Asaraddonis fœdera antiquare, & totum imperium, quale tot annis sub Assyriis steterat, sibi subiugare voluisse. Nec existimandum est Arphaxadum iugum Assyriorum voluisse excutere, vt putauit Serarius, [a] quippe quod nondum, ab Asarhaddone mortuo, subierat: existimante Babylonio in tam arduo, imperij ad se transferendi, negotio paulatim progrediendum esse; sed voluisse potius Babylonio, totique Assyriorum nuper excisæ monarchiæ imperare. XI. *Belli causa.*

a c. 1. q. 9.

Belli modum paucis Scriptura perstrinxit. Græcus autem textus fusior est, dum gentes, quæ à parte Medorum steterant, recenset, vti iam diximus. Ex altera verò parte quæ gentes recensentur in Vulgata, iussæ à Nabuchodonosore imperata facere, & eum, iam obtenta victoria, vt principem, ac dominum agnoscere: eæ in Græco ponuntur, vocatæ ab eodem ante prælium, ipsi auxilio futuræ. Sic enim post enumeratas illas gentes loquitur. *Et vilipenderunt omnes habitantes terram verbum Nabuch. regis Assyriorum, & non conuenerunt illi in bellum, quoniam non timuerunt eum, & erat coram eis tanquam vir æqualis.* Aut quasi vir vnus; id est, non pluris fecerunt verba eius, quàm vnius de populo. Qui sanè contemptus magis conuenit nondum perterrefactis victoria de Medis obtenta, quam post illam. XII. *Eiusdemque modus.* *Euocati à Nabuchodonosore eū cōtemnunt.*

Dici potest Latinum textum præoccupatione vsum prius exitum belli significasse, & victoriam, quàm copias, quæ ad societatem belli fuissent euocatæ, & venire contempsissent. Itaque illud. *Et misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano*: explicandum erit per plusquam perfectum, miserat. Sic illud. [b] *Et transiuit Euphratem, & venit in Mesopotamiam*, Serarius interpretatur *transiuerat, venerat*, vt itineris ordo seruetur. Ita Ioannes Euangelista (18.24.) *Et misit eum Annæ ligatum*, id est *miserat*. Quæ igitur ab eo loco. [c] *Et misit ad omnes qui habitabant in Cilicia*, &c scripta sunt, quasi per parenthesim legentur. Sicque priora illa: *tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor*, rectè cum initio capitis secundi cohærebunt. XIII *Exponitur textus Latinus.*

b c. 2. v. 14.
c. 18. v. 24.
c v. 7.

Gentes porro quæ contempsisse dicuntur, sunt Cilices in minore Asia, & Damasceni in Syria; & Libani, & Carmeli accolæ; & Cedareni, qui & Arabes Ægypto vicini, & Galilæi, & incolæ campi Esdrelon, siue Mageddo, quæ erat planicies Galilææ, & Samaritæ, & qui de tribu Iuda, & Benjamin, & Iessæi, apud quos olim in Ægypti finibus habitabant, & reliqui, vsque ad terminos Æthiopiæ. Quibus verbis includuntur Ægyptij, qui nominatim in Græco ponuntur, sicut Ammonitæ, & Moabitæ, & alij nonnulli. Pugnæ locus dicitur in campo magno, qui appellatur Ragau: sed nihil est absurdi planiciem à vicinis montibus denominari, præsertim si maiores fuerint, ac celebriores. XIV. *Qui repulerint Nabuchodonosorem.* *Pugna locus.*

Exitvm belli vno pene verbo Latinus textus expressit. *Pugnauit*, inquit, *Nabuchodonosor contra Arphaxad, & obtinuit eum.* Cui erit commentarius textus XV. *Exitus belli & Merodachi victoria.*

Græcus, rem fusiùs exponens. *Et aciem, inquit, instruxit in potentia sua contra Arphaxad regem, in anno septimo decimo, & præualuit in prælio suo, & euertit omnem virtutem Arphaxad, & omnem equitatum eius, & omnes currus eius, & dominatus est ciuitatibus eius. Et peruenit vsque Ecbatana, & obnuuit turres, & prædatus est plateas eius, & ornatum eius posuit in opprobrium eius. Et cepit Arphaxad in montibus Ragau, & iaculis suis confixit eum, & exterminauit eum vsque in diem illam.* Hæc ibi; & sic gloriosus humiliatus est, & omnis magnificentia eius in præceps data, cæsus exercitus, confractæ quadrigæ, direptæ opes, ciuitas regia ambitiosissimè exornata, & munita, in hostium vsum concessit.

XVI. *Tempus eiusdem.*

ADDITVR mox Nabuchodonosorem reuersum in Niniuem cum exercitu suo, quamuis regia eius esset Babylone, vt ex Scriptura colligitur. [a] Niniuem tamen à morte Asarhaddonis habuit in potestate, ibique dicitur indulsisse quieti, & conuiuiis per dies 120. id est quatuor menses. Cùm autem constet sub mensem Martium bellum à Nabuchodonosore, aut Holoferne esse redintegratum, facilè est intelligere Arphaxadum sub mensem Nouembrem deuictum, & occisum fuisse, quod etiam notauit Serarius in cap. 2. Iudith.

*Regnum Medorum an nunc extinctum.*

Nec tamen propterea Medorum regno finis allatus est. Cùm enim, vt dicetur anno sequenti, cæso Holoferne maxima plaga affectus esset Merodach, & tumor ille cordis eius diuinitus compressus, facile est intelligere Medos resumptis animis sua recepisse, & regnum ad posteros, ad Cyri fere tempora, propagasse.

XVII *Manasses in vinculis.*

NVNC tempus est vt captiuum regem in vinculis inuisamus, eius animi dolorem, & corporis ærumnas inspiciamus, & ætatem miserati libertatem ei, & regnum, si fieri potest, quamprimum restituamus.

*Hoc anno regno restitutus.*

Quoniam ergo plurimorum sententia est Manassem regno suo fuisse iam restitutum, quo tempore Holofernes Iudæam bello petiit, quod proximo anno contigit, hoc ipso anno regem postliminio rediisse dicendum est. In ea sententia est Bellarminus, [b] & cum eo Gretserus, & Serarius in cap. 1. Iudith. [c]

*Probatur ex Scriptura, & ratione.*

Idque valde consentaneum est Scripturæ. [d] *Nuper autem*, ait, *reuersi ad Dominum Deum suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt.* Quomodo adunati, si rex ipse cum suis adhuc aberat in hostium vinculis, & compedibus; misere à populo, & regno suo separatus? Reuersus ergo iam erat, & ad Dominum, & ad regnum suum. Quod si in vinculis adhuc fuisset Manasses cum suis, Iudæi vtique se gessissent aliter erga nuncios Nabuchodonosoris, neque eos vacuos, sicut & cæteri, & sine honore abiecissent? Misissent ipsi quoque in primis legatos suos, qui rogarent, quæ pacis sunt. Denique neque ipsum Holofernem per fraudem interficere, neque omnes eius copias hostiliter toto suo regno cædere ausi fuissent, qui intelligere possent, hæc omnia in caput regis sui, & sociorum eius recasura.

*[a] c. 33. 11. in 2. Paral.*
*[b] l. 1. c. 12. de verbo Dei.*
*[c] q. 2. propos. 4. & c. 4 q. 2. init.*
*[d] cap 5 Iudith. v. 23.*

XVIII. *Non diuturna eius captiuitas.*

INNVIT etiam Scriptura [e] non diuturnam fuisse captiuitatem eius, ait enim. *Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius; reduxitque eum in Ierusalem in regnum suum. Et cognouit Manasses, quod Dominus ipse esset Deus.* Cùm ergo non multum temporis necessarium fuerit Regi ad angustias carceris, & ferri pondera sentienda, & vt homini vexationis insolenti, vexatio daret intellectum, sequitur non multum dilatam fuisse orationem, quæ cùm valde feruens, & humilis, & intenta, omnibusque suis numeris absoluta describatur, illud etiam consequens est, vt exauditio quoque prompta fuerit, iuxta promissionem, & consuetudinem Domini, vt patet in humiliatione Achab, [f] & lachrymosa oratione Ezechiæ, [g] & Dauidis. [h]

*[e] 2 Par. 33.*

XIX. *Prompta liberatio vtilis.*

PROMPTA quoque liberatio vtilis futura erat promptæ reparationi diuini cultus, & sacrilegæ idololatriæ euersioni. Innuit hanc breuitatem captiuitatis Iosephus. [i] *Tum demum miser*, inquit, *malo suo doctus, admissam culpam agnouit, & vt hostem humanum, & clementem experiretur*: maximè autem vt scelerum suorum veniam obtineret, vt mox dicetur, & fructus veræ pœnitentiæ quamprimum edere posset; *à Deo precibus petyt. Nec Deus se præbuit inexorabilem, sed misertus exaudyt supplicem: quem post aliquantum temporis spatium Babylonius domum remissum in pristinum principatum restituit.* Sic Iosephus, nisi quod in Græco mentionem temporis

*[f] 3 Reg. 21. 29.*
*[g] 4. Reg. 20 4*
*[h] 2. Reg. 12 13.*
*[i] l. 10. c. 4.*

non inueni. Caietanus quoque, & Torniellus breui tempore fuisse captiuum ex eo colligunt, quod alioqui Iudæi alium regem eius loco creassent. Sic enim abducto in captiuitatem Ioachimo, substitutus est Sedechias in eius locum.

XX. *Cur nulla Manassis in bello Holofernis mentio.*

SED duo hic præcipuè obiiciuntur; primum est, si aderat rex Hierosolymis, quare nulla eius fit mentio, sed res tota per pontificem administratur? Secundo si Manasses Babyloniorum potentiam, & clementiam in se capiendo, & dimittendo fuisset expertus, quomodo legatos eius contumeliosè dimisisset? Priori obiectioni respondet breuiter Bellarminus taceri regem, quia bellum ipsum non accessit ad vrbem Ierusalem, in qua rex erat; & quia recens erat reuersus, vt intentius vacaret Deo, per pontificem, qui eo absente regebat rempublicam, rem confecisse; quæ responsio plenius habetur apud Serarium. [a] Dici etiam potest regem conscium promissionis suæ factæ regi Merodacho, cùm ad sua redire permissus est, nullo modo sese huic bello immiscere voluisse. Id enim solet in ancipitibus euentis à principibus factitari, vt ea permittant à sibi subditis fieri, quæ si prosperè eueniant, approbent: sin secus, grauiter reprehendant, séque inscijs suscepta fuisse serio profiteantur. Nec tamen rem bene gestam præ se tulit Manasses se approbare, quia sciebat non ita contritas hoc bello Chaldæorum vires, quin resumptis animis Iudæos debellare possent, vt senserunt nepotes eius.

a c. 4. q. 2.

XXI. *Cur Iudæi asperius legatos tractarint.*

POSTERIORI obiectioni respondet Gretserus in defens. Bellarm. mirum non esse si Iudæi legatos regis Nabuchodonosoris sine honore domum remiserint libertatis amore incitati. Credidisse quippe si tam Dei præsidio, cuius beneficio regem suum, ab impietate conuersum, præter spem omnem recepissent, quam suis quoque viribus satis valentes fore Chaldæorum furori deprimendo. Non absurdè etiam dici posset ea verba primi capitis Iudith 11. *Qui omnes vno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abiecerunt.* Non æquè ad omnes istos populos pertinere: sed credibile est alios asperius, alios mollius esse locutos: Iudæos autem beneficio, quod ab hoste sperari poterat, affectos, nihil ferocius, vel insolentius egisse. Cæterum qua clementia tractatus, quibusue cõditionibus dimissus sit, non constat: illud certè constat, criminosorum mancipiorum in morem, duabus catenis ferreis, præterea etiam compedibus fuisse constrictum. Vnde ipse Deum orans dicebat· *Incuruatus sum multo pondere ferreo, vt non possim attollere caput meum, & non est respiratio mihi*, &c.

b l. 2. c. 12.

XXII. *Manasses ad Deum redit.*

SED oratio hæc iam ad modum pertinet acquisitæ libertatis, de qua multa Iudæi fabulantur. Nam Diuus Hieronymus in traditionibus Hebr. in ea verba. [c] *Et cognouit Manasses quod Dominus ipse est Deus. Dum*, inquit, *in Babylonem ductus fuisset, & in vas æneum perforatum missus, admoto igni, aduocauit omnia nomina idolorum, quæ colebat; & cùm non fuisset ab eis exauditus, neque liberatus, recordatum fuisse aiunt, quod à patre crebro audierat; cùm inuocaueris me in tribulatione, & conuersus fueris, exaudiam te, vt in Deuter. scribitur, exauditum esse à Deo, & liberatum, & reductum in regnum suum, & in modum Habacuc reductum, sicut ille deductus fuerat in Babylonem.* Hanc fabulam à delirantibus Rabinis inuentam, sine vlla probatione traditam, ab Hieronymo, & alijs recitatam, ab omnibus contemptam, vt refutatione indignam, eò retuli, vt omnes intelligerent quantum fidei cæcis istis cæcorum ducibus tribuendum esset; qui à veritate, & cor, & auditum auersum habentes, ad fabulas identidem conuertuntur. Quis enim est tam plumbeus, cui persuaderi possit, Manassem tam breui tempore in tam altam Dei obliuionem deuenire potuisse, vt eius, nisi admotis facibus, recordari non posset· Qui sciat Achabum, hominem in idololatria natũ, & educatum, in metu; sceleſtissimum item Antiochum, ad Deum statim vrgente ægritudine confugisse.

c 2. Par 33.

*Fabula Hebræorum.*

*Reijcitur.*

XXIII. *Quæ vita Manassis in carcere.*

PROBABILIORA narrat author imperfecti operis in Matth. [d] agens de vita eius in carcere. *Cùm multa*, inquit, *gessisset impiè hic Manasses, adduxit super eum Deus principes virtutis Regis Assur, & comprehenderunt Manassem in vinculis, & ligauerunt eum in compedibus; & perduxerunt eum in Babylonem; & erat ligatus, & catenatus in domo carceris, & dabatur ei panis hordeaceus, ad mensuram modicus, & aqua cum aceto modica ad mensuram, vt viueret tantum, & erat constrictus in dolo-*

d Homil. 1. in c. 1.

*ribus valde. Et ideo cùm vehementer affligeretur, quæsiuit faciem Domini Dei sui, & orauit Deum, qui omnibus adstat, & exaudiuit Dominus vocem eius, & misertus est ei. Et facta est circa eum flamma ignis, liquefacta sunt omnia vincula eius. Liberauitque Dominus Manassem ex omni tribulatione eius. & reuersus est in Ierusalem in regnum suum; & cognouit Dominum Manasses dicens, ipse est Deus.* Hæc ibi.

XXIV. *Quid petierit orando.* SED hic quoque ignis, & liquefacta vincula, cùm nullum habeant in Scriptura fundamentum, & magnum inducant, multiplexque miraculum, non magnam mihi faciunt fidem; & nullam ipsam Rabinorum scoriam sapiunt; quæ tamen, propter authoris antiquitatem, referenda duxi. Iam autem ex Iosepho dixi, Manassem malo suo doctum, admissam agnouisse culpam, & à Deo precibus impetrasse, non tam vt hostem humanum, & clementem experiretur: eius enim oratio, quæ addita est Bibliis, eam petitionem non habet, sed veniæ tantum, & indulgentiæ peccatorum; quam pro sua bonitate inæstimabili Dominus dedit, quamuis is fuisset causa ruinæ æternæ innumerabilium personarum; & insuper adiecit restitutionem in regnum suum. Vsque adeo grata est clementissimo Deo vera pœnitentia.

XXV. *Dominus dat gratiā apud dominos.* EX quo agnoscimus in Manasse impletum, quod pater eius Ezechias denunciabat futurum, dum Israëlitas ad resipiscēdum excitaret.[a] *Si enim vos reuersi fueritis ad Dominum, fratres vestri, & filij habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captiuos, & reuertentur in terram hanc. Pius enim, & clemens est Dominus Deus vester.* Id bonus Tobias expertus est, cui Deus dedit gratiam in conspectu Salmanasaris regis Assyriorum, vt potestatem haberet eundi quò vellet, & libertatem agendi quæcumque placuisset.[b] Sic Iosephus patriarcha, sic Daniel, & Ieremias prophetæ, gratiam inuenerunt in conspectu dominorum suorum impiorum: sic in Euangelica lege Paulinus; & ante legem Mosaicam conditam, vniuersus populus Hebræorum tātam inuenit gratiam in oculis Ægyptiorum, [c] vt eis preciosissimas res suas accommodatò darent, eo ipso tempore, quo abibant, nunquam reuersuri.

[a] 2. Paral. 30. 9.
[b] Tobiæ. 1. 13.
[c] Exod. 12. 35. 36.

XXVI. *Et Manassi mirabiliter.* SED haud scio an vllum illustrius exemplum fingi possit eo, quod habemus in manibus; Manassis libertatem, & regiam dignitatem, & regnum obtinentis à principe Babyloniæ dimissi, eo ipso tempore, quo is habebat in animo omnem terra suo imperio subiugare. Quis non vehementer admiretur Merodachum, eum modo regem liberum dimittere, ad quem mox cum aliis regibus capiendum missurus erat Holofernem, cum omnibus copiis suis? Nec timuit ne rex iuuenis, vigesimum quippe agebat annum, vindictæ appetens adiungeretur hostibus suis; cuius subditi iam legatos suos vacuos remiserant, & sine honore abiecerant, dum vel ad belli societatem, vel ad voluntariam seruitutem vocarentur.

XXVII. *Quæ Merodachum in Manassem lenirent.* NIMIRVM cor regum in manu Dei, & quocumque voluerit inclinat illud. Inclinauit ergo Merodachum, vt mitiore vultu intueretur in principem iuuenem, vt ætati, vt regi, vt Ezechiæ, amici iamdudum sui, filio aliquid indulgeret; & fidem, & vectigal annuum promittentem à se dimitteret. Sic olim dimisit Saul regem Agag in damnum suum; sic Achab regem Benadad; sic Achilles, vt est in fabulis, Priamum, vel ætatis commiseratione, vel profligatæ dignitatis.

*Cum iura, fidemque*, inquit. Aen. 12.
*Supplicis erubuit, meque in mea regna remisit*

Timuit etiam fortasse pro eo pugnantem Dominum, qui recentem cladem Sennacherib meminisset.

XXVIII. *Alia dimittendi causa. 3.* EXTERRVIT eum fortasse per visum Dominus, sicut olim Labam, & Esau; ne quid asperius dicerent, vel attentarent contra seruum suum Iacob.[d] Sic venit Dominus ad Abimelech, per somnium nocte, & minaciter exterritum dimittere coëgit vxorem Abrahæ. Sic deniq; frementi Attilæ Hunnorum regi, omnium gentium tortori, occurrit cum Leone pontifice Dominus. Et cùm illum oraret Leo, vt tot malis satiatus regrederetur ad suos, ipse tyranno stricto gladio mortem pręsentem minabatur, nisi Leoni obtemperaret. Itaque in Pannoniam, cum suorum admiratione, reuersus est.

[d] Genes. 31. 29.

Dominus igitur, cui mille erant in promptu viæ, ad suscitandum de terra inopem, & honestandum pauperem, placatum & amabilem victorem victo reddidit, vt data fide, & sub aliqua promissione tributi, dimitteretur. Genebr. in Chron. ait Manassem restitutum suis pacta Babyloniis societate, ac fide. Sicque insperatus, & improuisus ad suos reuersus est, & quidem, vt apparet, cum socus eiusdem seruitutis.

---

## SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI. 3345.

1. N. 111. Et certè dici potest non multum fidei circa regum Medorum nomina, annos, & gesta scriptoribus ethnicis etiam antiquis esse tribuendam. Ecce enim Diodorum Siculum, qui libro 2. ant. cap. 9. ait scriptores plurimos de imperio Medorum dissentire, & mox refert Herodotum affirmare post multos annos electum a Medis Cyaxarem, cùm Herodotus dicat electum Deiocem, qui fuit Phraortis pater, & Cyaxaris. Ex quo intelligi potest quantum ei tribuendum sit fidei in cæteris, in quibus inopia scriptorum eius fidem explorare non possumus.

Sed vt huius incertitudinis specimen aliquod demus, in hac ipsa de Medorum regibus quæstione.

Hi apud Eusebium leguntur.

Arbaces regnat annis 28.
Sosarmus annis 30.
Medidus 40.
Cardiceas 13.
Diocles 54.
Phraortes 24.
Cyaxares 32.
Astyages 38.
259.

Apud Herodotum hi tantum reperiuntur.

Deioces filius Phraortis 53.
Phraortes filius Deiocis 22.
Cyaxares 40.
Astyages 35.
150.

Apud Diodorum ex Ctesia.

| | |
|---|---|
| Arbaces annis 28. | |
| Mandapes 50. | μανδαύκης. |
| Sesormenes 30. | σώσαρμος. |
| Artecarmin 50. | Ἀρτύκας, ὁ ἀρτύκας. |
| Arbianes 22. | |
| Artæus 40. | Ἀρταῖος, ἢ ἀρταῖος. |
| Artynes 22. | |
| Artabanus 40. qui & Astibaras. | |
| Astyages, qui & Apanda 35. vt Herod. | |
| 317. | |

Vide quantum & nominibus principum, & numero, & annis regnorum tres hi authores dissentiant. Quæ nos causa nō parum mouit vt Medorum imperium, quamuis ab Herodoto, aliisque celebratum, multis tamen modis dubium, atque incertum, & sacræ historiæ parum vtile missum faceremus; Babylonicum autem ab ipsa quoque Scriptura crebro vsurpatum, & ad eius tempora rectè digerenda necessarium, amplecteremur; studioséque eius reges, & annos, ad eius vsque finem, & Babylonis interitum expenderemus. Itaque mihi rectè censuisse videtur Serarius noster, circa hanc ipsam difficultatem, q. 5. in cap. 1. Iudith. Quidquid profani Scriptores dicant, nos diuinorum scriptorum authoritati adhærescere oportere; ex iis illos corrigere, & quod in iis adhuc veritatis elucet, id, quemadmodum & alia profana omnia, in sacrarum literarum obsequium cogere.

# ANNUS MUNDI 3346. QUINTAE AETATIS 407.

FUNDATI TEMPLI 324. MANASSIS REGIS IUDÆ 9.
ELIACHIMI PONTIFICIS 3. MERODACHI 23. IMPERII BABYLONIORUM 13. OLYMP. XVIII.
AN. 1. NUMÆ POMPILII 7.
URBIS COND. 45.

## ANNUS ANTE CHRISTI ORTUM 707.



I. *Noua Olympias, cum anno Sabbatico.* SABBATICUS est hic annus ordine centesimus nonus. Est enim hic annus ab ingressu Israëlitarum in Chananitidem septingentesimus sexagesimus tertius, qui numerus centum & nouem annorum hebdomadas exactè cõtinet. In eum simul incurrit initium Olympiadis decimæ octauæ, in qua Tellis Sicyonius cursu victor fuit. In eadem (vt scribit Pausanias in Eliacis [a]) quæ iam exoleuerãt certamina quinquertij, & luctæ restituta sunt: quinquertij Lampidi, luctæ præmium Eurybato, vtrique Lacedæmonio obtigit. Euphorion in opere de Aliadibus, apud Clementem Alexandrinum, [b] dicit Homerum fuisse tempore Gygis, qui cœpit regnare octaua decima Olympiade; quem etiam dicit primum nominatum esse tyrannum. Gygem tamen quintum Lydorum regem, Eusebius in Chronico ad annum secundum vigesimæ Olympiadis retulit; & ab hoc Gyge opus suum exorditur Herodotus. Sed his breuiter expeditis maiora videamus.

II. *Prolusio in Iudithæ victoriam.* CELEBERRIMUS est hic annus rebus in Iudæa gestis, & nobilissima post homines natos victoria; quam ideo Dominus per manum imbellis fœminæ [c] de crudelissimo, atque potentissimo aduersario retulit, vt facilius intelligeretur à quo profectum esset tantum opus, tam inopinatum rebus desperatis remedium, tam læta, tamque diuturna, ex tam furiosa tempestate, tranquillitas; cui epinicia decantanda forent, cui erigenda trophæa, cui denique opima spolia consecranda; ei videlicet, *qui facit mirabilia magna solus.* Apparatus belli huius, consilia, causæque antegressæ capite 2. Iudithæ ferè continentur.

III. *Belli causa, ambitio Merodachi &c.* MERODACHUS igitur euerso fortunis omnibus, & vita Medorum rege, facilè animaduertit neminem esse in omnibus Assyrij imperij quondam vectigalibus regnis, & prouinciis, qui sibi possent obsistere. Itaque animum adiecit, non tantum ad integram Assyriorum monarchiam sibi vendicandam, sed ad totius terrarum orbis imperium. Id Scriptura tradit v. 2. *Vocauit* itaque *omnes maiores natu, omnesque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui, dixitque cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio.* Hoc mysterium fuit; *Ambitionem cur dissimulârit.* non enim vulgo præ se tulit id sibi esse propositum, ne vniuersis nationibus communiter conspirantibus, & eum simul vndique bello petentibus, qui singulis potentior erat, omnibus par esse non posset. Iactatum ergo in vulgus fuit, velle regem *defendere se*, id est vlcisci contemptum eorum, qui ad belli societatem contra Medos vocati, eum superbè contempsissent.

IV. *Alia belli causa, Theomachia.* PRIUS autem illud consilium secretum fuit, & solis principibus viris communicatum; sed & aliud mysterium fuit, quod supremam eius arrogantiam prodit. Nam paulo inferius [d] dicitur Holofernes habuisse in mandatis, *vt omnes deos terræ exterminaret;* egregio vtique opere, summéque laudabili, si disperdendæ idololatriæ causa duntaxat susceptum foret, neque in diis terræ, etiam Deus cœli, & terræ includeretur. Sed vide quæ hominẽ causa, vel furor potius incitaret; subdit Scriptura: *Videlicet vt ipse solus diceretur Deus, ab iis nationibus quæ potuissent Holofernis potentia subiugari.* In Græco paulo plenius. *Erat enim decretũ ei, ex mandato Regis Nabuch. disperdere omnes Deos terræ, vt omnes gentes colerent ipsum solum Nabuch.*

[a] l. 5 p. 155. græ.
[b] 1 l. Strom. p. 336. gr. lat.
[c] Iudith c. 1. 2. &c.
[d] c. 3. v. 13.

*linguæque simul, & nationes Deum ipsum salutarent.* Eius videlicet spiritu plenus, qui æmulatur ipsum Deum dicentem. *Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* [a]

a Rom c. 14.11.

V. *Tempus suscepti belli Babylonici.*

APPETENTE ergo iam vere, & tempore, quo solent reges ad bella procedere, quatuor consumptis mensibus in reficiendo in hybernis milite, & ducibus in ciuitate Niniue, epulis, ludisque recreatis, & ad bene rem pro se gerendam animatis, vt supra ex textu Græco dicebamus, anno 13 regni sui, (Imperij videlicet. Babylonici enim regni erat vigesimus tertius,) mense primo, vigesima secunda mensis, id est duodecimo Aprilis, iuxta morem Hebræorum, annum sacrum ab æquinoctio verno inchoantium. Dies tamen notari non potest in Aprili, si anno nouo non æquinoctij initium dabat, sed primum ab æquinoctio verno nouilunium, vt ait Hieronymus hoc loco.

VI *Cui præficitur Holofernes.* *Genere Persa.*

CONSILIO suscipiendi belli habito, & omnibus approbato, Holoferni militiæ principi, viro strenuo, & fideli mandandum executioni datur. Is in textu Græco secundus à rege dicitur, vt olim Ioseph à Pharaone, Aman ab Assuero, Ioachinus rex ab Euilmerodach. Persa genere fuit, vt ait Cedrenus, nec dissentiet Sulpitius Seuerus, qui etiam Nabuchodonosorem Persam facit; consentit Serarius, & alij. Itaque infra cap. 13. vbi mentio est pugionis eius, in Græco legitur acinacis. Persicum autem ensem vocant acinacem, vt ait Herodotus lib. 7. In Iudithæ etiam cantico [b] id inuenitur. *Horruerunt*, inquit, *Persæ constantiam eius, & Medi audaciam eius.* Quod confirmat Ambrosius. [c] Ex quo etiam credibilior redditur, & verisimilior tota illa interrogationum series, quæ sub initium quinti capitis ponitur. *Vocauit ergo*, ait Sacer historicus; *Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ, & dixit ei. Egredere aduersus omne regnum Occidentis, & contra eos, præcipuè qui contempserunt imperium meum, non parcet oculus tuus vlli regno, omnémque vrbem munitam subiugabis mihi* Hæc summa præceptorum eius, & finis.

b c 16 12.
c l.3. de off. c 16.

VII. *Quæ illi mandata rex dederit.*

QVIBVS alia etiam adiecit de mediis, & apparatu bellico, vt mox sequentia indicabunt. In textu Græco se quoque superuenturum dicit gentibus debellatis. *Annunciabis eis*, inquit, *parare terram, & aquam; quoniam egrediar in furore meo super eos, & operiam omnem faciem terræ in pedibus virtutis meæ*, id est peditatu copiarum mearum, *& dabo illos in direptionem eis, & cæsi istorum implebunt valles, & torrentes ipsorum, & fluuius inundans mortuis eorum implebitur; & ducam captiuitatem eorum ad summitates vniuersæ terræ*, quo nempe cumque libuerit mihi eos transportare ad extremas vsque mundi oras. *Tu verò egressus præoccupabis mihi omnem terminum* fines & aditus regionis *eorum. & dedent se tibi, & conseruabis mihi eos, in diem redargutionis eorū.* Quo scilicet examinabo eorum culpam, vel innocentiam. *Super inobedientes autem*, qui videlicet nolent se sponte dedere, *non parcet oculus tuus dare eos in cædem, & direptionem in omni terra tua. Quoniam viuo ego, & imperium regni mei; locutus sum, & faciam hæc in manu mea.* Si superbia ipsa loqueretur, non aliam opinor ederet vocem. Iam nimirum aliquem se deorum putabat: imo & iis etiam maiorem, vt qui eos omnes exterminari iusserat, vt ipse solus audiret in terra. *Ipse est Deus.*

*Et quanta hominis superbia.*

VIII. *Quis belli apparatus. Copia.*

QVIS autem fuerit belli apparatus sic explicatur. *Tunc Holofernes vocauit duces, & magistratus virtutis Assyriorum*, id est imperij, quod nuper Assyriorum fuit, nunc Babyloniorum effectum est. *Et dinumerauit viros in expeditionem, sicut præcepit ei Rex 120. millia peditum pugnatorum, & equitum sagittariorum duodecim millia.* Et non duodecim myriades, vt in quibusdam Græcis mendosè legitur. *Omnemque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum:* qui scilicet commeatum ferrent, impedimenta, machinas, & armorum bellicorum copiam ingentem. *Boum quoque armenta præmisit, gregesque ouium, quorum non erat numerus.* Ne scilicet fame laboraret tantus exercitus, dum pagani omnia sua cogunt in ciuitates munitas, à facie hostilis exercitus. *Frumentum quoque ex omni Syria in transitu suo parari constituit.* Textus Græcus non meminit Syriæ. Ait tantum Holofernem magnam frumenti vim omni viro imperasse, sed præsertim in Syria id factum esse, editio vulgata retulit. *Aurum verò, & argentum* belli neruos ad omnem sensum, & motum; sumptus scilicet, & stipendia militum, *de domo regis assumpsit multum nimis. Et profectus est ipse.* Sequens scilicet eos, quos præmiserat; *cum ipso autem omnis exercitus, cum quadrigis, & equitibus, & sagittariis, qui operuerunt*

*Commeatus.*

*Pecuniæ.*

APPARATVS ET EXPEDITIO.

*faciem terræ, sicut locustæ.* Addit etiam Græcus lixarum, & calonum eis admixtorum multitudinem, quasi puluerem terræ.

IX. *Holofernis expeditio.* DEINCEPS autem recensentur populi, & regna, quæ peruagatus est, sibique subiecit. *Cumque pertransisset*, inquit, *fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt à sinistro Ciliciæ.* In Græco habetur trium dierum profectione, à Niniue in campestre solum ventum esse, indéque ad montes, quos Taurum, & Antitaurum Serarius interpretatur, quibus ad Septentrionem positis, à meridie est Cilicia, eisque ab oriente quodammodo progredientibus, ipsa ab occasu occurrens, montes habet a sinistris. *Et effregit ciuitatem celeberrimam* Melothi. Quam quidam Melitam, siue Melitenam, alij Mazacam putant; quæ à Cappadocibus mater vrbium vocata est. [a] Verum hæc vrbs in Cappadocia est, illa in minore Armenia ad ripam Euphratis, si quid Ptolemæi tabulis credimus. Cùm Scriptura significet Melothi fuisse in Cilicia, hoc ipso quod sequitur, *prædauitque omnes filios Tharsis*, id est prouinciæ, cuius Tharsus est metropolis. Inde Ismaëlitas, aliasque circa gentes expugnauit. At quomodo, inquies, hic Ismaëlitæ cum Cilicibus, & trans Euphratem? Nimirum apparet ordinem, ac situm Geographicum in hac narratione non esse seruatum, vt qui necessarius non esset. Et reuera in Ciliciam è Babylone, aut Niniue, nisi transmisso Euphrate perueniri non potuit. Itaque *transiuit Euphratem, & venit Mesopotamiam*, Serarius interpretatur, *transiuerat, & venerat.*

a Solin. ca. 37.

X. *Ab eo gesta cis Euphratem.* ET *fregit omnes ciuitates excelsas, quæ erant ibi, à torrente Mambre*, in Græco dicitur Arbonai, *vsque quo perueniatur ad mare, & occupauit terminos eius à Cilicia, vsque ad fines Iapheth*, portum Ioppe intelligit Serarius, qui nunc Iapha appellatur, idque ex Græco firmatur. Addit enim *super habitantes maritimam oram*, scilicet maris mediterranei, & subdit, *eos qui erant in Sidone, & Tyro, & habitantes Sur, & Ocina, & omnes inhabitantes Iamniam; & habitantes in Azoto, & Ascalone timuerunt eum valde.* Tota scilicet regio Philisthæorum, quæ littori maris adiacet. Nec minus tamen interiora terrarum peruastauit. *Abduxit enim omnes Madianitas*; vel vt est in Græco; *circumcinxit filios Madian, & combussit tabernacula ipsorum, casasque vastauit.*

XI. *Præsertim in Syria.* NEQVE hic cladium ac malorum finis. Descendit enim in campos Damasci, tempore messis triticeæ, ignique omnibus eius agris illato, succisisque vineis, & arboribus, greges, & armenta absumpsit, & vrbes eius deprædatus, ac populatus agros, iuuenes eius omnes concidit acie gladij. Hæc tam ex Græco, quàm Latino textu collecta. Vides, vt memor fuerit præcepti Domini sui. *Non parcet oculus tuus vlli regno.* Mali principis seruus peior, vt qui etiam in humiles, & seipsos ei vltro dedentes, contra Domini sui iussa sæuierat: quantumuis animi demissio, & obsequiosa voluntas, animos lenire soleat efferatos. Id ex sequenti capite perspicuè intelligetur.

XII. *Populi deditionem faciunt.* NAM ad hoc præsidium plerique populi confugientes deditionem fecerunt, & sui, & suorum omnium, & imperata se facturos spoponderunt. *Miserunt enim legatos suos vniuersarum vrbium, ac prouinciarum reges, ac principes, Syriæ scilicet Mesopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Lybiæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem dixerunt. Desinat indignatio tua circa nos: melius est enim vt viuentes seruiamus Nabuchodonosor regni magno, & subditi simus tibi, quàm morientes cum interitu nostro, ipsi seruitutis nostræ damna patiamur. Omnis ciuitas nostra, omnisque possessio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregesque ouium, & caprarum, equorumque, & camelorum, & vniuersæ facultates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt: sint omnia nostra sub lege tua. Nos, & filij nostri serui tui sumus. Veni nobis pacificus Dominus, & vtere seruitio nostro, sicut placuerit tibi.*

XIII. *Sæuitia Holofernis.* SED quo fructu? *Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitantem terram. De vniuersis autem vrbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum: tantusque metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores principes, & honorati simul cum populis, exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus ducentes choros in tympanis, & tibiis. Nec ista tamen facientes feracitatem eius pectoris mitigare potuerunt. Nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit &c.*

XIV. *Tamerlanis feritas.*

QVIS non agnoscat huic supparem, parique spiritu incitatum Tamerlanem, quem Chalcondylas Temirem vocat, qui sub annum 1400. tempore Baiazeti Turcæ orbem terrarum omni tempestate perniciosior deuastabat. De quo accepimus eum solitum in oppugnandis vrbibus primo die tentoria candida expandere, altero die rubra, tertio nigra, vt significaret primo die dedentibus se pacem, & veniam propositam; altero autem ad cædes, & sanguinem veniendum esse: tertio cuncta incendio absumenda, & in terram fuliginem redigenda. Cum ergo in quadam ciuitate vsque ad secundum diem dilata fuisset deditio, metuentes oppidani hominis implacabilem sæuitiam, ad eum venientes deditionem, & imperata facturi, præmiserunt imbellem vtriusque sexus infantiam candidatam, coronis ornatam, & choros cum cantu ducentem. Ille autem ferreus non solum placatus non est, sed immisso equitatu, omnes equorum pedibus conculcari iussit.

XV. *Holofernis in diuinitatem furor.*

QVID porro mirum Holofernem in homines fuisse trucem, qui diuinitatem ipsam armis petere, atque adeo exterminare decreuerat? Pergit enim Scriptura. *Iram & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, vt omnes deos exterminaret; videlicet vt ipse solus diceretur Deus, ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari.* Beatus, vt illud iterem, si veri Dei honore incensus ista perpetrasset, & non incredibili impietate, in opinatem à se diuinitatem, gigantum more insurgeret; & illius loco pari superbia mortalem hominem, mortalium terrorem, ac pestem, mortalibus adorandum collocaret. Vnde rursus in fine capitis 5. *Vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* Et initio capitis 6. *Quoniam prophetasti nobis, dicens quod gens Israel defendatur à Deo suo, ostendam tibi quoniam non est Deus nisi Nabuchodonosor.*

XVI. *Subsistit in Chananitide.*

SED quoniam cœpimus reliquum iter Holofernis assectemur. *Pertransiens autem Syriam Sobal.* Eam Adrichomius eandem esse ait cum Arabia Petrea, *& omnem Apameam* prouinciam Cœlesyriæ, à ciuitate Apameæ eius metropoli ita dictam, cui contermina est Mesopotamia, quæ & Syria duorum fluuiorum dicta est. Denique *venit ad Idumæos in terram Gabaa*, montanam scilicet & asperam. Ita sumitur etiam alibi Gabaa.[a] Serarius Dumæos mallet, quàm Idumæos; sed res eodem redit, cum Duma sit Idumæorum metropolis. [b] Græcus verò textus ait venisse in conspectum Esdrelon prope Dotaim; *quæ est*, inquit, *contra serram magnam Idumææ.* Serram vocat locum montium rupibus, quasi dentibus asperatum, per quem difficilis sit transitus. Esdrelon Adrichomius facit eundem cum planicie, siue campo Mageddo, ad quem è Galilæa veniatur in Iudæam, inter montes Hermon, & Carmeli. Addit etiam Græcus inter Geba, & Scytopolim castrametatum: quas tamen ab eo loco longissimè distrahit Adrichomius. Ibi ergo occupatis illis ciuitatibus per triginta dies substitit, dum ipsius omnes copiæ, quæ varia simul loca populabantur, ad eum congregarentur.

a 1. Reg 7. 1.
b Vide Adrich. in Phatan. n. 35.

XVII *Iudæorum apparatus ad resistendum.*

AVDIENTES *hæc filij Israel, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde à facie eius. Tremor, & horror inuasit sensus eorum, ne hoc faceret Ierusalem, & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus, & templis earum. Et miserunt in omnem Samariam per circuitum vsque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium, & muris circundederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ*, siue obsidionis tolerandæ. Fuit ergo Iudæis, sicut & aliis populis timor; sed sese, suáq; sacra defendendi animus, & studium proprium; præsidia siquidem humana, & diuina adhibuerunt. Nam & Samaritanos, alioqui inimicos, contra communem hostem adiunxerunt sibi. Erant enim adhuc plerique in regno Israël, qui hostium effugerant manus; alij etiam, qui ex fuga in patriam reuerterant, [c] alij qui recens è captiuitate cum Manasse redierant; sic enim accipienda sunt, quæ in textu Græco leguntur. *Et pro Ierusalem*, inquit, *& templo Domini Dei sui turbati sunt, quoniam recenter ascenderant è captiuitate, & nuper omnis populus Iudææ collectus fuerat, & vasa, & altare, & domus, ex pollutione fuerant sanctificata.* A Ioachim vtique summo sacerdote, qui in regis absentia, & exilio quamprimum operam dedit, vt Dei cultus restitueretur.

c 2. Par. 30.

*Quomodo dicuntur redisse à captiuitate.*

XVIII. *[illegible] temporum instituta confirmatur.*

QVOMODO autem dici possunt recenter ascendisse Iudæi, aut nuper collecti

quinto Xerxis anno, vt vult Torniellus, [a] cum iuxta ipsius tabulas, ille annus sit quinquagesimus sextus Persarum monarchiæ, & solutæ Iudæorum captiuitatis; quibus insuper alij addunt 23. annos, quibus Cyrus regnauit in Perside, post mortem Astyagis, cuius primo anno volunt solutam captiuitatem: sicque erunt anni omnino nouem supra septuaginta, quibus non video, quomodo illud *nuper* & *recenter*, siue προσφάτως, & νεωστί, accommodari possint, cùm ea perbreue tempus significent; vt paulo post cùm dicuntur agri nuperrimè demessi, ponitur in Græco προσφάτως. Nec dici potest illud *nuper*, & *recens* non ad primam captiuitatis solutionem referri, sed ad Esdræ aduentum in Iudæam. Nam iuxta eiusdem Tornielli computationem, ab hoc anno quinto Xerxis, vsque ad aduentum Esdræ in Iudæam, quem ponit anno septimo Artaxerxis Longimani, intercesserunt anni viginti quatuor. Non possunt autem dici recens reuersi, qui post tot annos tantùm redierunt. Deinde quomodo timuerunt Iudæi sub annum quintum Xerxis ne Holofernes euerteret Hierosolymam, & templum, sicut cæteras ciuitates, & earum templa euerterat, [b] cùm ciuitas ædificata non fuerit eo tempore; imo neque eius ædificandæ facultas obtenta à Neemia, ante annos septem, & triginta, ex eiusdem computatione. Quomodo ergo verum est illud Achioris, [c] *& iterum possident Ierusalem, vbi sunt sancta eorum.* Denique rectè conuenit tempori isti, vt altaria, & vasa, ex pollutione sanctificata fuerint, quæ scilicet profanarat Manasses, non illi tempori, quo hæc nulla propemodum erant. At de his satis.

*Nec Xerxi.* *Sed Manassi conuenire.*

*a an. 126. 6. et se.* *b c. 4. 2.* *c c. 5. 23.*

XIX. *Iudas transitus occupant.*

REDEAMVS ad apparatum Iudæorum, qui angustos montium transitus occuparunt, quos Græcus tam angustos fuisse refert, vt duos ad summum viros simul admitterent, vel, vt alij explicant, duo tantùm viri omnes homines ab ingressu prohibere possent. Et muris circumdederunt etiam vicos; multóque magis in vrbibus omni ratione muniendis elaborarunt: denique quia commodùm demessæ iam erant segetes, frumenta ad obsidionem tolerandam comportarunt.

Fiebant autem hæc duce, & moderatore Eliachim, siue Ioacim, sacerdote magno: vnde subditur. *Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad vniuersos, qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni, iuxta Dothaim, & vniuersos, per quos via transitus esse poterat, vt obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem, & ibi custodirent, vbi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filij Israel secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.*

XX. *Et ad Deū pœnitentes confugiūt.*

QVOD si ad humana præsidia ex imperio pontificis Iudæi confugerunt, quanto magis ad diuina ex eius præscripto, & voluntate? Vnde sequitur. *Et clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus ipsi, & mulieres eorum; & induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio, & clamauerunt ad Dominum Deum Israel vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuisionem, & ciuitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium gentibus.*

XXI. *Imitantur Niniuitas.*

HÆC paulo vberius habentur in Græco textu, vt ei simillima Niniuitarum pœnitentia videatur. Nam non solùm sacerdotes sacco, & cilicio indutos ait, sed omnem virum Israël, & vxores eorum, & infantes, & iumenta ipsorum, & omnem incolam, vel mercenarium, vel emptitium imposuisse saccos super lumbos suos. Nec item solos infantes prostratos fuisse contra faciem templi Domini. *Sed omnis vir Israel*, inquit, *& mulier, & pueri, & habitatores in Ierusalem ceciderunt ad faciem templi, & cinere consperserunt capita sua, & extenderunt saccos suos ad faciē Domini.*

XXII. *Pontifex eos hortatur ad perseuerantiā.*

SED quoniam pœnitentia, quæ carni, & sanguini ingrata est cito fastiditur, & Dominus fortitudinem, & perseuerantiam requirit, ideo bonus pontifex non contentus per literas cum populo egisse, *circuiuit Israel, allocutusque est eos dicens. Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, & orationibus in conspectu Domini. Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit: sic erunt vniuersi hostes Israel, si perseueraueritis in hoc opere quod cœpistis.*

VALVIT ad constantiam persuadendam sacerdotis oratio; *Ad hanc enim exhortationem eius deprecantes Dominum permanebant in conspectu Domini, itaut etiam hi qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis, offerrent sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, vt visitaret populum suum Israel.* Hæc quæ sic cõtraxit Hiero. plenius habẽtur in Græc. *Exaudiuit itaque Deus preces eorum, & respexit afflictionem, populo ante sanctuaria omnipotentis Domini dies complures agente ieiuniis per totam Iudæam, & Hierosolymam; Ioachim autem summo pontifice, & qui astabant coram Domino sacerdotibus omnibus, iisque qui ministerio Dominico fungebantur, accinctis circa lumbos suos ciliciis; holocaustumque illud perenne sacrificantibus, vnaque cum votiuis, voluntariisque populi donariis, ac conspersis puluere mitris suis, Dominum summopere implorantibus, vt omnem domum Israeliticam benigne respiceret.* XXIII. *Sacerdotũ pietas.*

QVID interea Manasses, dicat aliquis, erat is quidem ex recuperato regno, & libertate hilaris; ex re bello, pacéque malè gesta, humilis coram Deo, & hominibus; ex accepta à Deo misericordia gratus, & pius. *Cognouit enim quod Dominus ipse esset Deus.* [a] Nam expertus erga se Dei iustitiam, à quo pro sceleribus suis castigatus esset; misericordiam, à quo tam exiguam, & paternam pro tot, & tam nefariis criminibus pœnam accepisset potentiam, à quo tam cito, tam facilè, tam difficili tempore, in regnum restitutus esset; verè intellexit eum esse Deum, ad quem confugerat, *& qui facit mirabilia magna solus*, nec esse alium Deum in cœlo, & in terra. XXIV. *Quid nunc Manasses.* *Diuinitus eruditus.*

a 2. Par. 33. 13.

NEC cognouit solùm in corde suo, sed externo etiam cultu, id voluit, vt debuit, præ se ferre, & omnia, quæ illi aduersantur exterminare. Ideo mox subdit Scriptura. *Et abstulit Deos alienos, & simulachrum de domo Domini.* Hoc enim erat præcipuum scandalum, & abominatio desolationis stans in loco sancto. *Aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini*; id est in monte Moria in atriis templi Domini; *& in tota vrbe Ierusalem, & proiecit omnia extra vrbem*: in locum scilicet profanum, & immundum, verbi gratia Topheth, ad torrentem Cedron, exemplo Ezechiæ patris sui. Nec significat Scriptura eius zelum vltra Ierusalẽ fuisse progressum; id enim zelo, & pietati Iosiæ nepotis eius debebatur; qui non Ierusalem tantum, sed regionem omnem Iudæ, & Israël purgauit, vt infra dicendum erit. XXV. *Destruit Hierosolymis idololatriam.*

b v. 15.

ex 2 Par. 34.

IOSEPHVS [c] quoque non vltra etiam quàm diximus zelum eius extendit. *Clementia victoris, inquit, reuersus Hierosolyma, dedit operam si posset abolere priorum peccatorum etiam memoriam, mutatis moribus, totus conuersus ad religionis studia. Nam & vrbem lustrauit, & templum consecrauit Domino.* Ad verbum Græcè habetur, vrbem purificasse, siue expiasse, templum autem sanctificasse. In Scriptura verò [d] *Porro instaurauit altare Domini, & immolauit super illud victimas, & pacifica, & laudem*, id est, sacrificia pacificorum, & gratiarum actionis. *Præcepitque Iudæ, vt seruiret Domino Deo Israel.* Non obtinuit tamen ab eo, vt non immolaret in excelsis Domino Deo suo. Id enim à piis etiam regibus toleratum supra notauimus. Vtrum autem specie immolandi Domino, etiam idolis ab aliquibus sacrificaretur, quod in temporibus etiam Iosiæ factitatum Ieremias conqueritur, non est facile dicere. XXVI. *Deoque sacrificat in gratiarum actionem, &c.*

c l. 10. c. 4.

d 2. Par. 33. 16.

RESTITVTIS in veterem statum religionis ritibus, ad munienda Hierosolyma curam transtulit Manasses, vt ait Iosephus. Scriptura tamen prius ea retulit, quæ pro munienda ciuitate faciebant; quàm instaurationem, & munitionem hoc ipso tempore factam esse, quo Iudæi aliis in locis circumdabant muris vicos suos.[e] De qua re ita Scriptura [f] *Post hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad occidẽtem Gihon in conualle, ab introitu portæ piscium, vsque ad Ophel, & exaltauit eum vehementer.* XXVII. *Instaurat ciuitatem.* *Ædificat murum.*

e Iudith. 4. 4.

f 2 Par. 33. 14.

QVÆ verba explicans Villalpandus [g] ait duobus in locis Manassem in muris Ierusalem ædificasse; primùm, ad occidentem ciuitatis in conualle, quæ est inter ciuitatem, & montem Caluariæ, qui locus est extra ciuitatem Dauid, siue montem Sion; secundo ad orientem ab introitu portæ piscium, quæ erat in angulo septentrionali, & orientali ciuitatis, vsque ad Ophel, qui erat locus ante orientalem templi portam: cui expositioni etiam fauet quod in Hebræo habetur, *& ab introitu*, cum coniunctione, qua Græca, & Latina editio carent. Non fauet autem quod ait eundem ipsum murum, quem ædificauerat Ezechias ante paucos annos, Manassem restaurasse, & communiuisse. Non enim videtur tam cito eguisse reparatione. Dixerim potius in valle illa cadauerum XXVIII. *Quis ille murus à Manasse extructus.*

g tom. 3 (p. 1 l. 2 c. 19 & l. 3. c. 9.

necessariam fuisse reparationem: (huiusmodi enim loca citius labefactantur, quam alia,) eamque ibi à Manasse adhibitam: alteram vero muri partem ab Ezechia excitatam, magnificentius in eius honorem à filio exornatam, & exaltatam.

XXIX. *Parum fideliter à Iosepho explicatus.*

Sed hæc aliter sine dubio intellexit Iosephus, cum ait Manassem ita curam suam transtulisse ad muniendam ciuitatem, vt reparatis antiquis mœnibus, noua illis circumdaret, & turres excitaret altissimas, & suburbanas arces, vel φρούρια πρὸ τῆς πόλεως. id est præsidia, vel munitionem ante ciuitatem positam, cum aliis necessariis, tum in primis commeatibus muniret. At Scriptura non dicit 1.
reparata antiqua mœnia, sed partem vnam duntaxat, quam digito propemodum indicat, in conualle, ad occidentem Gihon. Nec dicit antiquis mœni- 2.
bus nouum circumdedisse murum, quod inauditum est; sed illam muri restaurationem factam esse, non in parte aliqua muri Sion, sed extra illum, & extra Mello, vbi finiebatur Sion, & inchoabatur ciuitas inferior. Deceptus est autem
Iosephus, cum, *extra*, interpretatus est, *circum*; nec meminit altissimarum tur- 3.
rium, quas ipse in nouis suis mœnibus extruxit, sed muri tantum exaltati. Addi- 4.
dit denique ante ciuitatem præsidia, & propugnacula præter Scripturam, affirmans quasi gesta essent, quæ credibilia, aut optabilia tantum fuerunt. Et vi- 5.
ce versa ea sustulit, quæ à Scriptura posita sunt; nam principes exercitus, quos Manasses constituit in cunctis ciuitatibus Iuda munitis, à textu Græcos & Hebræo approbatos, ipse quasi exauctoratos missos fecit: contra Holofernem tamen hoc tempore vel maxime necessarios.

XXXI. *Holofernis in Iudæos ira.*

Iste porro belli apparatus non potuit in ciuitatibus, in montibus, in toto regno fieri, quin fama perueniret ad Holofernem, contra quem omnia parabantur. Itaque *furore nimio exarsit in iracundia magna.* Nam quò quis habet plures, & potentiores sibi obsequentes, eò intolerabiliùs indignatur, sibi ab inferioribus, qui illi admodum numero, & potestate cedant, resisti. Habuerat autem Holofernes reliquos omnes populos orientales obsequentes mandatis suis, & licet ira flagrans, quamprimum eos perditos vellet, à quibus se contẽptum putabat: memor tamen prudentiæ, & dignitatis suæ, eos accersit, à quibus, vt pote Iudæorum vicinis, intelligere posset, quæ esset ista natio, quæ iugo seruitutis collum inserere præ cæteris detrectaret.

XXXI. *Indignatur apud Ammonitas, & Moab.*

Vocavit *ergo omnes principes Moab, & duces Ammon, & dixit eis: dicite mihi, quis sit iste populus, qui montana obsidet, aut quæ, & quales, & quantæ sunt ciuitates eorum, quæ etiam sit virtus eorum: aut quæ sit multitudo eorum, vel quis rex militiæ eorum; & quare præ omnibus, qui habitant in oriente, isti contempserunt nos, & non exierunt obuiam nobis, vt susciperent nos cum pace?* Hæ interrogationes argumentum suggerunt iis, qui Iuditham ad posteriora tempora transtulerunt, ad infirmandam sententiam, quam probauimus, de Iuditha ad hoc tempus Manassis referenda. Nam si Manasses, inquiunt, paulo ante captus à rege Chaldæorum, & Babylonem deportatus fuisset, nec populum illum, nec regem Iudæorum Holofernes, aut Chaldæi ignorare potuissent.

XXXII *An ignotus populus Holoferni.*

Respondemvs primum cum Serario [a], Gretsero, & aliis, non ab ignorante sed ab indignante hæc interrogari, ab homine superbissima arrogantia tumido, & hostes vilipendente, qui tantuli, tanto principi, & exercitui eius innumerabili, & tot iam prouinciarum victori audeant resistere: & confirmatur ista responsio. Nam si interrogata ab ignoratione proficiscerentur, non ita excanduisset in Achiorem Ammonitarum ducem, à quo modeste ipsam veritatem audierat. Sed expectabat Holofernes, vt Achior, more palatinorum, & aulicorum, eius arrogantiæ velificaretur. Iudæos superbiæ, & dementissimæ temeritatis accusaret. & eorum potentiam verbis attereret, & ipsius iracundiam in eos exacueret. Quod cùm ille non fecisset, veritati seruire malens, quàm vanitati; in ipsum quoque Holofernis indignatio accensa est. a q. 2. in c. 5.

XXXIII. *Interrogationes ex ira.*

Eodem quoque modo ex ira, & indignatione optimates Assyriorum audito Achiore, quem dudum audierant, & norant, interrogant. *Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor, & exercitibus eius? Homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ?* Et cum non audissent ab Achiore iustm popu-

HOLOFERNES INDIGNATVR CONTRA IVDÆOS.

Cur Manasses ignotus Holoferni.

lum vocari filios Israel, inermes esse, & bellandi imperitos, eos tamen ex propria scientia sic appellant. Respondeo secundo, non esse mirum in tam late fuso Assyriorum, seu potius Babyloniorum imperio, esse vnum de ducibus, natione, & origine Persam, & educatione fortasse, qui Iudaicum populum, longo terrarum interuallo distantem, parum cognitum habuerit, cùm præsertim rex Manasses non ita pridem captus, non in Niniuem, aut Susam, sed Babylonem abductus fuisset.

XXXIV. Achioris de Hebræis oratio.

CÆTERVM Achior altè ducto narrationis initio, atque ab ipso, vt dicitur ouo, ostendit eos Deo optimo maximo, cuius essent cultores, semper curæ fuisse, & pro studio pietatis, aut contemptu suo in Deum suum, ita fuisse ab eo semper aut defensos, aut castigatos; peccantes prædæ fuisse hostibus suis, bene agentes omnibus populis, vel timori, vel admirationi. Tota oratio sapiens est, & morata, quam obiter de more, erit operæpretium percurrere. *Si digneris*, inquit, *audire Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo* (quam tamē ipse audire nolebat, sed adulationem) *de populo isto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo.*

Hebræi ex Chaldæis.

*Populus iste ex progenie Chaldæorum est.* Valuit hoc ad conciliandam Iudæis beneuolentiam, cùm Holofernes regi Chaldæo esset subiectus. *Hic primum in Mesopotamia habitauit*, [a] habitauit in stirpe, & principe generis sui, nondum enim erat populus. *Quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.* Deo videlicet se Abrahamo manifestante, & migrationem imperante: Quod valet ad conflandum odium isti populo, forte ne eorum causam agere, non veritatem candide referre putetur. Pergit.

a vt ait S. Step c 7. 2. actor.

XXXV. Deserunt idola, & Deum cæli adorant.

DESERENTES *itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, vnum Deum cæli coluerunt, qui & præcepit eis, vt exirent inde, & habitarent in Chanaam.* Deum cœli nominat, & deinceps aliquoties inculcat, [b] ad timorem Holofernis excitandum, ne putet pari se alea cum diis terræ, & Deo cœli posse pugnare. De cœlo quippe nulla facta fuerat à Nabuchodonosore, aut eius satrapis mentio: sed de diis terræ. Cœlum enim videbant longe extra teli iactum: itaque illo omisso, terram tantum vel diis, vel hominibus inuitis, occupare satagebant. Sed terra inuitis quidem diis istis, & hominibus occupari, Deo permittente potest: iniussu autem eius, neque cœlum adiri, neque terra obtineri, neque retineri potest.

b v. 12. 19.

XXXVI. Ægyptū adeunt, & eam plagis afflictam deserunt.

CVMQVE *operuisset omnem terram fames, descenderunt in Aegyptum.* Iacob scilicet, cum tota familia sua. *Illicq; per quadringētos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari eorum non posset exercitus.* Hæc fusius à nobis suo loco exposita sunt, [c] & rursum anno primo egressionis ab Ægypto. [d] Anno autem postremo seruitutis, qui fuit Mosis octogesimus, ea quæ sequuntur. *Cumque grauaret eos rex Aegypti, atque in ædificationibus vrbium suarum in luto, & latere subiugasset eos,* [e] *clamauerunt ad Dominum suum, & percussit totam terram Aegypti plagis varijs.* Rursum autē quæ sequuntur initio 1. anni egressionis contigerunt: *cumque eiecissent eos Aegypty à se, & cessasset plaga ab eis, & iterum vellent eos capere, & ad suum seruitium reuocare, fugientibus his, Deus cœli mare aperuit.* Hic iterum Deum cœli nominat, ad faciendam tanto miraculo fidem apud infidelem, eumque Pharaonis exemplo, perterrefaciendum. Deus igitur cœli mare aperuit; *ita vt hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. In quo loco dum innumerabilis exercitus Aegyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, vt non remaneret vel vnus, qui factum posteris nunciaret.*

c a m. 2451. qui est primus seruitutis n. 6. & 7 dist. e Exod. 5.

XXXVII Commorantur in deserto.

DEINCEPS deserti commoratio sequitur. *Egressi vero mare rubrum deserta Sina montis occupauerunt, in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit.* Hoc ipsum celebrabat olim Moyses. [f] *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.* Sed plenius Ieremias. [g] Pergit Achior. *Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cœlo consecuti sunt.* Hæc notissima sunt ex 15. Exodi, & Deuter. 1. Illud autem, *vbicumque ingressi sunt sine arcu, & sagitta, & absque scuto, & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit*, pertinet ad tempora Iosue, quibus Israelitæ terram Chananæorum occupauerunt; post cuius mortem impletum est illud. *Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando*

f Deut. 32. 10. g c. 2. init. v. 23.

tatem, iam forte antea virtutis, sapientiæq; fama Israelitis minime ignotus erat. Ex quo etiam scire potuerunt, quo animo apud Holofernem militaret, inuitóne, an volenti. Cauti etiam in eo fuerunt Bethulienses; quod etsi eius orationi fidem adhibuerunt, non tamen se ipsos, suamque rempubl. ei crediderunt, vt plerique alii populi impostoribus quibusdam, Troës Sinoni, Gabini filio Tarquinii, Zopyro Babylonii, imo & Iosue Gabaonitis. vir & Simon Machabæus cum filiis suis, filio Abobi. [a] Sed in suo gradu constiterunt, eoque humaniter excepto, ad consueta diuinæ prouidentiæ, & humanæ industriæ præsidia confugerunt. Vnde sequitur. Iof. 9 a 1. Macha. 16. 15.

XLVII. *Nocturna preces addita diurnis.* Tvnc *Ozias finito consilio suscepit eum in domum suam, & fecit ei cœnam magnam*: non ciborum varietate, sed multitudine personarum, Nam vocauit omnes presbyteros, siue seniores ciuitatis, qui simul expleto ieiunio refecti sunt; sub vesperam videlicet, quousque ieiunium producebatur. *Postea vero conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra ecclesiam*, synagogam videlicet, vel paulo minus vsurpato nomine, probo tamen, proseuchen, *orauerunt petentes auxilium à Deo Israel.* Non contenti totum diem in communi lamentatione posuisse, & vnanimes fudisse preces, etiam noctem in eadem animi contentione transegerunt, vt diuinæ misericordiæ vim afferent, & violenti raperent optatam victoriam de manu eius.

XLVIII. *Obsidionis initia.* Sed iam ad Bethuliæ obsidionem veniendum est, quæ initio capitis septimi refertur in hæc verba. *Holofernes autem altera die*, id est postridie, quam illa cum Achiore gesta fuerant, *præcepit exercitibus suis, vt ascenderent contra Bethuliam. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia.* Creuerat numerus equitum ad decẽ millia, illis triginta diebus, quibus expectauit [b] dum omnis eius exercitus conueniret Accedebat infinitus numerus iuuentutis bello idoneæ, quæ de vrbibus, & prouinciis, aut vi, aut deditione subactis, abducta erat, & sub eius signis militabat. *Omnes parauerunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, & venerunt per crepidinem montis, vsque ad apicem, qui respicit super Dothain, à loco, qui dicitur Belma, vsque ad Chelmon, qui est contra Esdrelon. Filii autem Israel vt viderunt multitudinem illorum, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes, vt Deus Israel misericordiam ostenderet super populum suum. Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, & erant custodientes ea, tota die, & nocte.* cap. 7. b c. 3. v. 15

XLIX. *Bethulia priuatur aquæductu.* Hactenvs non male res habuit; sed ecce ingentem calamitatem. Dum enim per gyrum obsessam Bethuliam circuit Holofernes, animaduertit fontem, qui per canalem ciuibus aquam copiosissime largiebatur, aliô auerti posse. Itaque incidi præcepit aquæductum, & aquas in sui exercitus vsum deriuari. Et quoniã credibile est Bethul. ante aduentum Holofernis hunc aquæductum obruisse terra, exemplo Ezechiæ qui legitur obturasse capita fontium, sub aduentũ Sennacherib, [c] ne ab hostibus è longinquo aduenientibus agnosceretur, refert historia scholastica [d] aquæductum per auiculas fuisse proditum: cùm illæ per latentes rimulas aquam in arenti loco extraherent. Cognouit enim circumiens locum Holofernes aquam ibi subesse; lepidum augurium, inquit Serarius, sed commentitium. Non enim aues, sed homines, & quidem Israelitarum vicinos, indices proponit Scriptura Ammonitas, & Moabitas. c 2. Par. 32. 3. 4. d c. 1. Iudith.

L. *Priuantur & fonticulis.* Verum Scriptura non affirmat ab hominibus proditum canalem; sed fontes illos minores, de quibus paulo post, de quibus nihil augurata est historia scholastica, sed tantum de canali maiore, in quo deceptus videtur Serarius, putans ea scripta de fonticulis, quæ scripta sunt de canali. Deinde Scriptura non ait manifestatos fonticulos ab Ammonitis, sed à ciuibus, qui animaduersi sunt inde furtim aquam haurire. Deficiente enim maiori canali, non satis habuerunt per tenebras noctis eo adrepere, vbi hæ venulæ saliebant, sed interdiu eòdem sub hostium oculos abire cogebantur. Quo per Ammonitas animaduerso, nouum exortum est malum sitis, quo ad deditionem ciuitas compellenda erat *Erant ergo non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius, quam ad potandum.* e c. 7. v. 8. &c.

LI. *Consilio Ammonitarum.* Sed *ecce filii Ammon & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes, filii Israel non in*

*lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio constituti. Vt ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & sine gladio interficies eos: vel certe fatigati tradent ciuitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse. Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, & coram satellitibus eius, & constituit per gyrum centenarios per singulos fontes; cumque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam: ita vt non esset intra ciuitatem vnde satiarentur, vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie.* Augentur hæc omnia in Græco. Nam inter cætera. *Et manserunt*, inquit, *in circuitu eorum castra Assur, pedites, & currus, & equites eorum diebus triginta quatuor. Et deferunt omnibus habitantibus Bethuliam omnia receptacula sua aquarum, & cisternæ euacuabantur, & cæt.* Et paulo post. *Quamobrem infantes eorum liquebantur animo, mulieres, & iuuenes præ siti deficiebant, atque concidebant in plateis vrbis, portarumque transitu, nec supererat in ipsis vllum robur.*

CORPORE igitur, animoque deficientes ad Oziam primarium magistratum queruli, gemebundique, viri, fœminæ, iuuenes, paruuli, omnes simul vna voce dixerunt. *Iudicet Deus inter nos & te*, id est sit iudex iniuriæ, & damni, quo nos affecisti, *quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum. Et ideo non est qui adiuuet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna. Et nunc congregate vniuersos, qui in ciuitate sunt, vt sponte tradamus nos omnes populo Holofernis. Melius est enim vt captiui benedicamus Dominum, viuentes, quam moriamur & simus opprobrium omni carni, cùm viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori ante oculos nostros. Contestamur hodie cœlum, & terram, & Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundum peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, & sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis.* LII. *Lamenta plebis ad magistratum.*

ET *cum hæc dixissent factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia, ab omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes, peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confidentes te. populo qui ignorat te, vt non dicant inter gentes: vbi est Deus eorum?* Vides piæ, & afflictæ plebis animo variè fluctuantis estus. Fluctus vnus est, quod populi more, exitu consilia metientes magistratum accusant, quod non fecerit, quod ipsi quoque fieri noluerunt Fluctus alter est, quod se venditos à Deo, id est traditos hostibus, aut sine vlla dubitatione tradendos asserunt. Fluctus tertius, quod non sit qui adiuuet, ne ipse quidem Deus, tot precibus, suppliciisque sollicitatus. Huic quartus à tergo imminet decumanus, deditionem esse faciendam. Sed ecce iterum ferocissimi hostis crudelitate percelluntur, & nonnulla diuini auxilij spe reflante quodammodo sustentantur; vnde iterata lamenta, precesque ad Deum congeminant. LIII. *Et ad Deũ violenta preces.*

DENIQVE *cum fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent, exurgens Ozias infusus lachrymis dixit. Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam: forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo. Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.* Addit textus Græcus: *ita dimisso ad vallum suum populo, in muros, & turres vrbis singuli abierunt, vxoribusque ac liberis domos suas remissis, se ipsos in ciuitate vehementer afflictauerunt.* Hæc ibi: ex sequentibus etiam intelligitur eos promissionem de tradenda ciuitate intra quinque dies iureiurando confirmasse. Nam & Iuditha eius meminit in admonitione ad eos sua; & ipsi quoque hoc fatentur cap. 8. sequenti, iuxta editionem Græcam. LIV. *Consentit Magistratus in deditionem.*

c. 8. HACTENVS Iudaïci populi negotia, dissimulante Domino ad summum fuere deducta discrimen: & obtenebrescente vndique cœlo, nullus vsquam radius lucis emicabat, sed luctuosam omnia catastrophem minabantur: cùm Dominus è longinquo commutationem fortunæ innuit potius, quam ostentat; & fulgurante nonnihil cœlo, ex densis nubibus immensum tonitru, cum diro fulmine præparat. Suscitat mulierem assuetam colo, calathisque Mineruæ ad opus heroicum, in quo fortissimi bellatores toto corpore contremiscant, excitat viduam ieiuniis assuetam, & precibus, ad præpingues LV. *Parat Dominus auxilium ex Iuditha.*

*faciem terræ, ficut locuſtæ.* Addit etiam Græcus lixarum, & calonum eis admixtorum multitudinem, quaſi puluerem terræ.

IX. *Holofernis expeditio.*

DEINCEPS autem recenſentur populi, & regna, quæ peruagatus eſt, ſibique ſubiecit. *Cumque pertranſiſſet*, inquit, *fines Aſſyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui ſunt à ſiniſtro Ciliciæ.* In Græco habetur trium dierum profectione, à Niniue in campeſtre ſolum ventum eſſe, indéque ad montes, quos Taurum, & Antitaurum Serarius interpretatur, quibus ad Septentrionem poſitis, à meridie eſt Cilicia, eiſque ab oriente quodammodo progredientibus, ipſa ab occaſu occurrens, montes habet à ſiniſtris. *Et effregit ciuitatem celeberrimam* Melothi. Quam quidam Melitam, ſiue Melitenam, alij Mazacam putant; quæ à Cappadocibus mater vrbium vocata eſt. [a] Verum hæc vrbs in Cappadocia eſt, illa in minore Armenia ad ripam Euphratis, ſi quid Ptolemæi tabulis credimus. Cùm Scriptura ſignificet Melothi fuiſſe in Cilicia, hoc ipſo quod ſequitur, *prædauitque omnes filios Tharſis*, id eſt prouinciæ, cuius Tharſus eſt metropolis. Inde Iſmaëlitas, aliaſque circa gentes expugnauit. At quomodo, inquies, hic Iſmaëlitæ cum Cilicibus, & trans Euphratem? Nimirum apparet ordinem, ac ſitum Geographicum in hac narratione non eſſe ſeruatum, vt qui neceſſarius non eſſet. Et reuera in Ciliciam è Babylone, aut Niniue, niſi tranſmiſſo Euphrate perueniri non potuit. Itaque *tranſiuit Euphratem, & venit Meſopotamiam*, Serarius interpretatur, *tranſiuerat, & venerat.*

[a] Solin. c. 57.

X. *Ab eo geſta cis Euphratem.*

ET *fregit omnes ciuitates excelſas, quæ erant ibi, à torrente Mambre*, in Græco dicitur Arbonai, *vſque quo perueniatur ad mare, & occupauit terminos eius à Cilicia, vſque ad fines Iapheth*, portum Ioppe intelligit Serarius, qui nunc Iapha appellatur, idque ex Græco firmatur. Addit enim *ſuper habitantes maritimam oram*, ſcilicet maris mediterranei, & ſubdit, *eos qui erant in Sidone, & Tyro, & habitantes Sur, & Ocina, & omnes inhabitantes Iamniam; & habitantes in Azoto, & Aſcalone timuerunt eum valde.* Tota ſcilicet regio Philiſthæorum, quæ littori maris adiacet. Nec minus tamen interiora terrarum peruaſtauit. *Abduxit enim omnes Madianitas*; vel vt eſt in Græco; *circumcinxit filios Madian, & combuſſit tabernacula ipſorum, caſaſque vaſtauit.*

XI. *Præſertim in Syria.*

NEQVE hic cladium ac malorum finis. Deſcendit enim in campos Damaſci, tempore meſſis triticeæ, ignique omnibus eius agris illato, ſuccisiſque vineis, & arboribus, greges, & armenta abſumpſit, & vrbes eius deprædatus, ac populatus agros, iuuenes eius omnes concidit acie gladij. Hæc tam ex Græco, quàm Latino textu collecta. Vides, vt memor fuerit præcepti Domini ſui. *Non parcet oculus tuus vlli regno.* Mali principis ſeruus peior, vt qui etiam in humiles, & ſeipſos ei vltro dedentes, contra Domini ſui iuſſa ſæuierat: quantumuis animi demiſſio, & obſequioſa voluntas, animos lenire ſoleat efferatos. Id ex ſequenti capite perſpicuè intelligetur.

XII. *Populi deditionem faciunt.*

NAM ad hoc præſidium plerique populi confugientes deditionem fecerunt, & ſui, & ſuorum omnium, & imperata ſe facturos ſpoponderunt. *Miſerunt enim legatos ſuos vniuerſarum vrbium, ac prouinciarum reges, ac principes, Syriæ ſcilicet Meſopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Lybiæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem dixerunt. Deſinat indignatio tua circa nos: melius eſt enim vt viuentes ſeruiamus Nabuchodonoſor regi magno, & ſubditi ſimus tibi, quàm morientes cum interitu noſtro, ipſi ſeruitutis noſtræ damna patiamur. Omnis ciuitas noſtra, omniſque poſſeſſio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregeſque ouium, & caprarum, equorumque, & camelorum, & vniuerſæ facultates noſtræ, atque familiæ in conſpectu tuo ſunt: ſint omnia noſtra ſub lege tua. Nos, & filij noſtri ſerui tui ſumus. Veni nobis pacificus Dominus, & vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit tibi.*

XIII. *Sæuitia Holofernis.*

SED quo fructu? *Tunc deſcendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitantem terram. De vniuerſis autem vrbibus aſſumpſit ſibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum: tantuſque metus prouinciis illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores principes, & honorati ſimul cum populis, exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis, & lampadibus ducentes choros in tympanis, & tibiis. Nec iſta tamen facientes ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt. Nam & ciuitates eorum deſtruxit, & lucos eorum excidit &c.*

XIV. *Tamerlanis feritas.*

QVIS non agnoscat huic supparem, parique spiritu incitatum Tamerlanem, quem Chalcondylas Temirem vocat, qui sub annum 1400. tempore Baiazeti Turcæ orbem terrarum omni tempestate perniciosior deuastabat. De quo accepimus eum solitum in oppugnandis vrbibus primo die tentoria candida expandere, altero die rubra, tertio nigra, vt significaret primo die dedentibus se pacem, & veniam propositam; altero autem ad cædes, & sanguinem veniendum esse: tertio cuncta incendio absumenda, & in terram fuliginem redigenda. Cum ergo in quadam ciuitate vsque ad secundum diem dilata fuisset deditio, metuentes oppidani hominis implacabilem sæuitiam, ad eum venientes deditionem, & imperata facturi, præmiserunt imbellem vtriusque sexus infantiam candidatam, coronis ornatam, & choros cum cantu ducentem. Ille autem ferreus non solum placatus non est, sed immisso equitatu, omnes equorum pedibus conculcari iussit.

XV. *Holofernis in diuinitatem furor.*

QVID porro mirum Holofernem in homines fuisse trucem, qui diuinitatem ipsam armis petere, atque adeo exterminare decreuerat? Pergit enim Scriptura. *Nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, vt omnes deos exterminaret; videlicet vt ipse solus diceretur Deus, ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subiugari.* Beatus, vt illud iterem, si veri Dei honore incensus ista perpetrasset, & non incredibili impietate, in opinatem á se diuinitatem, gigantum more insurgeret; & illius loco pari superbia mortalem hominem, mortalium terrorem, ac pestem, mortalibus adorandum collocaret. Vnde rursus in fine capitis 5. *Vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* Et initio capitis 6. *Quoniam prophetasti nobis, dicens quod gens Israel defendatur à Deo suo, ostendam tibi quoniam non est Deus nisi Nabuchodonosor.*

XVI. *Subsistit in Chananitide.*

SED quoniam cœpimus reliquum iter Holofernis assectemur. *Pertransiens autem Syriam Sobal.* Eam Adrichomius eandem esse ait cum Arabia Petrea, *& omnem Apameam* prouinciam Cœlesyriæ, à ciuitate Apameæ eius metropoli ita dictam, cui contermina est Mesopotamia, quæ & Syria duorum fluuiorum dicta est. Denique *venit ad Idumæos in terram Gabaa*, montanam scilicet & asperam. Ita sumitur etiam alibi Gabaa.[a] Serarius Dumæos mallet, quàm Idumæos; sed res eodem redit, cum Duma sit Idumæorum metropolis.[b] Græcus verò textus ait venisse in conspectum Esdrelon prope Dotaim; *quæ est*, inquit, *contra serram magnam Idumææ.* Serram vocat locum montium rupibus, quasi dentibus asperatum, per quem difficilis sit transitus. Esdrelon Adrichomius facit eundem cum planicie, siue campo Mageddo, ad quem è Galilæa veniatur in Iudæam, inter montes Hermon, & Carmeli. Addit etiam Græcus inter Geba, & Scytopolim castrametatum: quas tamen ab eo loco longissimè distrahit Adrichomius. Ibi ergo occupatis illis ciuitatibus per triginta dies substitit, dum ipsius omnes copiæ, quæ varia simul loca populabantur, ad eum congregarentur.

[a] 1. Reg 7 1.
[b] Vide Adrich. in Pharan. n. 35.

XVII *Iudæorum apparatus ad resistendum.*

AVDIENTES *hæc filij Israel, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde à facie eius. Tremor, & horror inuasit sensus eorum, ne hoc faceret Ierusalem, & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus, & templis earum. Et miserunt in omnem Samariam per circuitum vsque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium, & muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ*, siue obsidionis tolerandæ. Fuit ergo Iudæis, sicut & aliis populis timor; sed sese, suáq; sacra defendendi animus, & studium proprium; præsidia siquidem humana, & diuina adhibuerunt Nam & Samaritanos, alioqui inimicos, contra communem hostem adiunxerunt sibi. Erant enim adhuc plerique in regno Israël, qui hostium effugerant manus; alij etiam, qui ex fuga in patriam reuerterant,[c] alij qui recens è captiuitate cum Manasse redierant; sic enim accipienda sunt, quæ in textu Græco leguntur. *Et pro Ierusalem*, inquit, *& templo Domini Dei sui turbati sunt, quoniam recenter ascenderant è captiuitate, & nuper omnis populus Iudææ collectus fuerat, & vasa, & altare, & domus ex pollutione fuerant sanctificata* A Ioachim vtique summo sacerdote, qui in regis absentia, & exilio quamprimum operam dedit, vt Dei cultus restitueretur.

[c] 2. Par. 30.

*Quomodo dicuntur redisse à captiuitate.*

XVIII. *Res eo temporum instituta confirmatur.*

QVOMODO autem dici possunt recenter ascendisse Iudæi, aut nuper collecti

quinto Xerxis anno, vt vult Torniellus, [a] cum iuxta ipsius tabulas, ille annus sit quinquagesimus sextus Persarum monarchiæ, & solutæ Iudæorum captiuitatis; quibus insuper alij addunt 23. annos, quibus Cyrus regnauit in Perside, post mortem Astyagis, cuius primo anno volunt solutam captiuitatem: sicque erunt anni omnino nouem supra septuaginta, quibus non video, quomodo illud *nuper* & *recenter*, siue προσφάτως, & νῦν, accommodari possint, cùm ea perbreue tempus significent; vt paulo post cùm dicuntur agri nuperrimè demessi, ponitur in Græco προσφάτως. Nec dici potest illud *nuper*, & *recens* non ad primam captiuitatis solutionem referri, sed ad Esdræ aduentum in Iudæam. Nam iuxta eiusdem Tornielli computationem, ab hoc anno quinto Xerxis, vsque ad aduentum Esdræ in Iudæam, quem ponit anno septimo Artaxerxis Longimani, intercesserunt anni viginti quatuor. Non possunt autem dici recens reuersi, qui post tot annos tantùm redierunt. Deinde quomodo timuerunt Iudæi sub annum quintum Xerxis ne Holofernes euerteret Hierosolymam, & templum, sicut cæteras ciuitates, & earum templa euerterat, [b] cùm ciuitas ædificata non fuerit eo tempore; imo neque eius ædificandæ facultas obtenta à Neemia, ante annos septem, & triginta, ex eiusdem computatione. Quomodo ergo verum est illud Achioris, [c] *& iterum possident Ierusalem, vbi sunt sancta eorum.* Denique rectè conuenit tempori isti, vt altaria, & vasa, ex pollutione sanctificata fuerint, quæ scilicet profanarat Manasses, non illi tempori, quo hæc nulla propemodum erant. At de his satis.

*a an. 126. 6. ætat.*

*Nec Xerxi.*

*b c. 4. 2.*

*Sed Manassi conuenire.*

*c c. 5. 23.*

XIX. *Iudas transitus occupant.*

REDEAMVS ad apparatum Iudæorum, qui angustos montium transitus occuparunt, quos Græcus tam angustos fuisse refert, vt duos ad summum viros simul admitterent, vel, vt alij explicant, duo tantùm viri omnes homines ab ingressu prohibere possent. Et muris circumdederunt etiam vicos; multóque magis in vrbibus omni ratione muniendis elaborarunt: denique quia commodùm demessæ iam erant segetes, frumenta ad obsidionem tolerandam comportarunt.

Fiebant autem hæc duce, & moderatore Eliachim, siue Ioacim, sacerdote magno: vnde subditur. *Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad vniuersos, qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni, iuxta Dothaim, & vniuersos, per quos viæ transitus esse poterat, vt obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem, & ibi custodirent, vbi angustum iter esse poterat inter montes. Et fecerunt filij Israel secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.*

XX. *Et ad Deũ pœnitentes confugiũt.*

QVOD si ad humana præsidia ex imperio pontificis Iudæi confugerunt, quanto magis ad diuina ex eius præscripto, & voluntate? Vnde sequitur. *Et clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiuniis, & orationibus ipsi, & mulieres eorum; & induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio, & clamauerunt ad Dominum Deum Israel vnanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & vxores eorum in diuisionem, & ciuitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium gentibus.*

XXI. *Imitantur Niniuitas.*

HÆC paulo vberius habentur in Græco textu, vt ei simillima Niniuitarum pœnitentia videatur. Nam non solùm sacerdotes sacco, & cilicio indutos ait, sed omnem virum Israël, & vxores eorum, & infantes, & iumenta ipsorum, & omnem incolam, vel mercenarium, vel emptitium imposuisse saccos super lumbos suos. Nec item solos infantes prostratos fuisse contra faciem templi Domini. *Sed omnis vir Israel*, inquit, *& mulier, & pueri, & habitatores in Ierusalem ciciderunt ad faciem templi, & cinere consperserunt capita sua, & extenderunt saccos suos ad faciē Domini.*

XXII. *Pontifex eos hortatur ad perseuerantiã.*

SED quoniam pœnitentia, quæ carni, & sanguini ingrata est cito fastiditur, & Dominus fortitudinem, & perseuerantiam requirit, ideo bonus pontifex non contentus per literas cum populo egisse, *circuiuit Israel, allocutusque est eos dicens. Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiuniis, & orationibus in conspectu Domini. Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit: sic erunt vniuersi hostes Israel, si perseueraueritis in hoc opere quod cœpistis.*

XXIII. *Sacerdotũ pietas.*

VALVIT ad constantiam persuadendam sacerdotis oratio; *Ad hanc enim exhortationem eius deprecantes Dominum permanebant in conspectu Domini, itaut etiam hi qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis, offerrent sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, vt visitaret populum suum Israel.* Hæc quæ sic cõtraxit Hiero. plenius habētur in Græc. *Exaudiuit itaque Deus preces eorum, & respexit afflictionem, populo ante sanctuaria omnipotentis Domini dies complures agente ieiuniis, per totam Iudæam, & Hierosolymam; Ioachim autem summo pontifice, & qui astabant coram Domino sacerdotibus omnibus, iisque qui ministerio Dominico fungebantur, accinctis circa lumbos suos ciliciis; holocaustumque illud perenne sacrificantibus, vnaque cum votiuis, voluntariisque populi donariis, ac conspersis puluere mitris suis, Dominum summopere implorantibus, vt omnem domum Israeliticam benigne respiceret.*

XXIV. *Quid nunc Manasses.*

QVID interea Manasses, dicat aliquis, erat is quidem ex recuperato regno, & libertate hilaris; ex re bello, pacéque malè gesta, humilis coram Deo, & hominibus; ex accepta à Deo misericordia gratus, & pius. *Cognouit enim quod Dominus ipse esset Deus.* [a] Nam expertus erga se Dei iustitiam, à quo pro sceleribus suis castigatus esset; misericordiam, à quo tam exiguam, & paternam pro tot, & tam nefariis criminibus pœnam accepisset potentiam, à quo tam cito, tam facilè, tam difficili tempore, in regnum restitutus esset; verè intellexit eum esse Deum, ad quem confugerat, *& qui facit mirabilia magna solus*, nec esse alium Deum in cœlo, & in terra.

*Diminitus eruditum.*

XXV. *Destruit Hierosolymis idololatriam.*

NEC cognouit solùm in corde suo, sed externo etiam cultu, id voluit, vt debuit, præ se ferre, & omnia, quæ illi aduersantur exterminare. Ideo mox subdit Scriptura. *Et abstulit Deos alienos, & simulachrum de domo Domini.* Hoc enim erat præcipuum scandalum, & abominatio desolationis stans in loco sancto. *Aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini*; id est in monte Moria in atriis templi Domini; *& in tota vrbe Ierusalem, & proiecit omnia extra vrbem:* in locum scilicet profanum, & immundum, verbi gratia Topheth, ad torrentem Cedron, exemplo Ezechiæ patris sui. Nec significat Scriptura eius zelum vltra Ierusalē fuisse progressum; id enim zelo, & pietati Iosiæ nepotis eius debebatur; qui non Ierusalem tantum, sed regionem omnem Iudæ, & Israël purgauit, vt infra dicendum erit.

XXVI. *Deoque sacrificat in gratiarum actionem, &c.*

IOSEPHVS [c] quoque non vltra etiam quàm diximus zelum eius extendit. *Clementia victoris*, inquit, *reuersus Hierosolyma, dedit operam si posset abolere priorum peccatorum etiam memoriam, mutatis moribus, totus conuersus ad religionis studia. Nam & vrbem lustrauit, & templum consecrauit Domino.* Ad verbum Græcè habetur, vrbem purificasse, siue expiasse, templum autem sanctificasse. In Scriptura verò [d] *Porro instaurauit altare Domini, & immolauit super illud victimas, & pacifica, & laudem*, id est, sacrificia pacificorum, & gratiarum actionis. *Præcepitque Iudæ, vt seruiret Domino Deo Israel.* Non obtinuit tamen ab eo, vt non immolaret in excelsis Domino Deo suo. Id enim à piis etiam regibus toleratum supra notauimus. Vtrum autem specie immolandi Domino, etiam idolis ab aliquibus sacrificaretur, quod in temporibus etiam Iosiæ factitatum Ieremias conqueritur, non est facile dicere.

XXVII. *Instaurat ciuitatem.*

RESTITVTIS in veterem statum religionis ritibus, ad munienda Hierosolyma curam transtulit Manasses, vt ait Iosephus. Scriptura tamen prius ea retulit, quæ pro munienda ciuitate faciebant; quàm instaurationem, & munitionem hoc ipso tempore factam esse, quo Iudæi aliis in locis circumdabant muris vicos suos.[e] De qua re ita Scriptura [f] *Post hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad occidētem Gihon in conualle, ab introitu portæ piscium, vsque ad Ophel, & exaltauit eum vehementer.*

*Ædificat murum.*

XXVIII. *Quis ille murus à Manasse extructus.*

QVÆ verba explicans Villalpandus [g] ait duobus in locis Manassem in muris Ierusalem ædificasse; primùm, ad occidentem ciuitatis in conualle, quæ est inter ciuitatem, & montem Caluariæ, qui locus est extra ciuitatem Dauid, siue montem Sion; secundo ad orientem ab introitu portæ piscium, quæ erat in angulo septentrionali, & orientali ciuitatis, vsque ad Ophel, qui erat locus ante orientalem templi portam: cui expositioni etiam fauet quod in Hebræo habetur, *& ab introitu*, cum coniunctione, qua Græca, & Latina editio carent. Non fauet autem quod ait eundem ipsum murum, quem ædificauerat Ezechias ante paucos annos, Manassem restaurasse, & communiuisse. Non enim videtur tam cito eguisse reparatione. Dixerim potius in valle illa cadauerum

a 2. Par. 33. 13.
b v. 15.
ex 2. Par. 34.
c l. 10. c. 4.
d 2. Par. 33. 16.
e Iudith. 4. 4
f 2 Par. 33. 14
g tom. 3 ip. 1 l. c 19 & l. 3. c. 9.

necessariam fuisse reparationem: (huiusmodi enim loca citius labefactantur, quam alia,) eamque ibi à Manasse adhibitam: alteram vero muri partem ab Ezechia excitatam, magnificentius in eius honorem à filio exornatam, & exaltatam.

XXIX. *Parum fideliter à Iosepho explicatus.*

SED hæc aliter sine dubio intellexit Iosephus, cum ait Manassem ita curam suam transtulisse ad muniendam ciuitatem, vt reparatis antiquis mœnibus, noua illis circumdaret, & turres excitaret altissimas, & suburbanas arces, vel *φρούρια πρὸ τῆς πόλεως*. id est præsidia, vel munitionem ante ciuitatem positam, cum aliis necessariis, tum in primis commeatibus muniret. At Scriptura non dicit 1.
reparata antiqua mœnia, sed partem vnam duntaxat, quam digito propemodum indicat, in conualle, ad occidentem Gihon. Nec dicit antiquis mœni- 2.
bus nouum circumdedisse murum, quod inauditum est; sed illam muri restaurationem factam esse, non in parte aliqua muri Sion, sed extra illum, & extra Mello, vbi finiebatur Sion, & inchoabatur ciuitas inferior. Deceptus est autem Iosephus, cum, *extra*, interpretatus est, *circum*; nec meminit altissimarum tur- 3.
rium, quas ipse in nouis suis mœnibus extruxit, sed muri tantum exaltati. Addi- 4.
dit denique ante ciuitatem præsidia, & propugnacula præter Scripturam, affirmans quasi gesta essent, quæ credibilia, aut optabilia tantum fuerunt. Et vi- 5.
ce versa ea sustulit, quæ à Scriptura posita sunt; nam principes exercitus, quos Manasses constituit in cunctis ciuitatibus Iuda munitis, à textu Græcos & Hebræo approbatos, ipse quasi exauctoratos missos fecit: contra Holofernem tamen hoc tempore vel maxime necessarios.

XXXI. *Holofernis in Iudæos ira.*

ISTE porro belli apparatus non potuit in ciuitatibus, in montibus, in toto regno fieri, quin fama perueniret ad Holofernem, contra quem omnia parabantur. Itaque *furore nimio exarsit in iracundia magna*. Nam quò quis habet plures, & potentiores sibi obsequentes, eò intolerabiliùs indignatur, sibi ab inferioribus, qui illi admodum numero, & potestate cedant, resisti. Habuerat autem Holofernes reliquos omnes populos orientales obsequentes mandatis suis, & licet ira flagrans, quamprimum eos perditos vellet, à quibus se conteptum putabat: memor tamen prudentiæ, & dignitatis suæ, eos accersit, à quibus, vt pote Iudæorum vicinis, intelligere posset, quæ esset ista natio, quæ iugo seruitutis collum inserere præ cæteris detrectaret.

XXXI. *Indignatur apud Ammonitas, & Moab.*

VOCAVIT *ergo omnes principes Moab, & duces Ammon, & dixit eis: dicite mihi, quis sit iste populus, qui montana obsidet, aut quæ, & quales, & quantæ sunt ciuitates eorum, quæ etiam sit virtus eorum: aut quæ sit multitudo eorum, vel quis rex militiæ eorum; & quare præ omnibus, qui habitant in oriente, isti contempserunt nos, & non exierunt obuiam nobis, vt susciperent nos cum pace?* Hæ interrogationes argumentum suggerunt iis, qui Iuditham ad posteriora tempora transtulerunt, ad infirmandam sententiam, quam probauimus, de Iuditha ad hoc tempus Manassis referenda. Nam si Manasses, inquiunt, paulo ante captus à rege Chaldæorum, & Babylonem deportatus fuisset, nec populum illum, nec regem Iudæorum Holofernes, aut Chaldæi ignorare potuissent.

XXXII *An ignotus populus Holoferni.*

RESPONDEMVS primum cum Serario [a], Gretsero, & aliis, non ab ignorante sed ab indignante hæc interrogari, ab homine superbissima arrogantia tumido, & hostes vilipendente, qui tantuli, tanto principi, & exercitui eius innumerabili, & tot iam prouinciarum victori audeant resistere: & confirmatur ista responsio. Nam si interrogata ab ignoratione proficiscerentur, non ita excanduisset in Achiorem Ammonitarum ducem, à quo modeste ipsam veritatem audierat. Sed expectabat Holofernes, vt Achior, more palatinorum, & aulicorum, eius arrogantiæ velificaretur. Iudæos superbiæ, & demẽtissimæ temeritatis accusaret. & eorum potentiam verbis attereret, & ipsius iracundiam in eos exacueret. Quod cùm ille non fecisset, veritati seruire malens, quàm vanitati; in ipsum quoque Holofernis indignatio accensa est.

[a] q. 2 in c. 5.

XXXIII. *Interrogationes ex ira.*

EODEM quoque modo ex ira, & indignatione optimates Assyriorum audito Achiore, quem dudum audierant, & norant, interrogant. *Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor, & exercitibus eius? Homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ?* Et cum non audissent ab Achiore iustm popu-

lum vocari filios Israel, inermes esse, & bellandi imperitos, eos tamen ex propria scientia sic appellant. Respondeo secundo, non esse mirum in tam late fuso Assyriorum, seu potius Babyloniorum imperio, esse vnum de ducibus, natione, & origine Persam, & educatione fortasse, qui Iudaicum populum, longo terrarum interuallo distantem, parum cognitum habuerit, cùm præsertim rex Manasses non ita pridem captus, non in Niniuem, aut Susam, sed Babylonem abductus fuisset.

HOLOFERNES INDIGNATVR CONTRA IVDÆOS. *Cur Manasses ignotus Holoferni.*

XXXIV. *Achioris de Hebræis oratio.*

CÆTERVM Achior altè ducto narrationis initio, atque ab ipso, vt dicitur ouo, ostendit eos Deo optimo maximo, cuius essent cultores, semper curæ fuisse, & pro studio pietatis, aut contemptu suo in Deum suum, ita fuisse ab eo semper aut defensos, aut castigatos; peccantes prædæ fuisse hostibus suis, bene agentes omnibus populis, vel timori, vel admirationi. Tota oratio sapiens est, & morata, quam obiter de more, erit operæprecium percurrere. *Si digneris*, inquit, *audire Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo* (quam tamẽ ipse audire nolebat, sed adulationem) *de populo isto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo.*

*Hebræi ex Chaldæis.*

*Populus iste ex progenie Chaldæorum est.* Valuit hoc ad conciliandam Iudæis beneuolentiam, cùm Holofernes regi Chaldæo esset subiectus. *Hic primum in Mesopotamia habitauit*, [a] habitauit in stirpe, & principe generis sui, nondum enim erat populus. *Quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.* Deo videlicet se Abrahamo manifestante, & migrationem imperante: Quod valet ad conflandum odium isti populo, forte ne eorum causam agere, non veritatem candide referre putetur. Pergit.

a vt ait S. Step c. 7. a. actor.

XXXV. *Deserunt idola, & Deum cœli adorant.*

DESERENTES *itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, vnum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis, vt exirent inde, & habitarent in Chanaam.* Deum cœli nominat, & deinceps aliquoties inculcat, [b] ad timorem Holofernis excitandum, ne putet pari se alea cum diis terræ, & Deo cœli posse pugnare. De cœlo quippe nulla facta fuerat à Nabuchodonosore, aut eius satrapis mentio: sed de diis terræ. Cœlum enim videbant longe extra teli iactum: itaque illo omisso, terram tantum vel diis, vel hominibus inuitis, occupare satagebant. Sed terra inuitis quidem diis istis, & hominibus occupari, Deo permittente potest: iniussu autem eius, neque cœlum adiri, neque terra obtineri, neque retineri potest.

b v. 18.19.

XXXVI. *Ægyptũ adeunt, & eam plagis afflictam deserunt.*

CVMQVE *operuisset omnem terram fames, descenderunt in Aegyptum.* Iacob scilicet, cum tota familia sua. *Illicq; per quadringẽtos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari eorum non posset exercitus.* Hæc fusius à nobis suo loco exposita sunt, [c] & rursum anno primo egressionis ab Ægypto. [d] Anno autem postremo seruitutis, qui fuit Mosis octogesimus, ea quæ sequuntur. *Cumque grauaret eos rex Aegypti, atque in ædificationibus vrbium suarum in luto, & latere subiugasset eos*, [e] *clamauerunt ad Dominum suum, & percussit totam terram Aegypti plagis varijs.* Rursum autẽ quæ sequuntur initio 1. anni egressionis contigerunt: *cumque eiecissent eos Aegyptij à se, & cessasset plaga ab eis, & iterum vellent eos capere, & ad suum seruitium reuocare, fugientibus his, Deus cœli mare aperuit.* Hic iterum Deum cœli nominat, ad faciendam tanto miraculo fidem apud infidelem, eumque Pharaonis exemplo, perterrefaciendum. Deus igitur cœli mare aperuit; *ita vt hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. In quo loco dum innumerabilis exercitus Aegyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, vt non remaneret vel vnus, qui factum posteris nunciaret.*

c a m. 2451. qui est primus seruitutis n. 6. & 7
d 158.
e Exod. 5.

XXXVII *Commorantur in deserto.*

DEINCEPS deserti commoratio sequitur. *Egressi vero mare rubrum deserta Sina montis occupauerunt, in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit.* Hoc ipsum celebrabat olim Moyses. [f] *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.* Sed plenius Ieremias. [g] Pergit Achior. *Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cœlo consecuti sunt.* Hæc notissima sunt ex 15. Exodi, & Deuter. 1. Illud autem, *vbicumque ingressi sunt sine arcu, & sagitta, & absque scuto, & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit*, pertinet ad tempora Iosue, quibus Israelitæ terram Chananæorum occupauerunt; post cuius mortem impletum est illud. *Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando*

f Deut. 32. 10.
g c. 2. init.
v. 23.

*recessit à cultu Domini Dei sui. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse à cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi. Denique Chananæum regem, & Iebusæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Heuæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Hesebon prostrauerunt, & terras eorum, & ciuitates eorum ipsi possederunt: & vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona; Deus enim illorum odit iniquitatem.*

XXXVIII *Diuersæ clades regni Iuda ob idololatriam.*

ILLA etiam verba Achioris, *Nam & ante hos annos, cùm recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam.* Illa inquam verba omnino referri arbitror, partim ad captiuitatem decem tribuum, quæ anno 6. Ezechiæ contigit; partim ad tempora regis Achaz, quæ facile meminisse potuit Ammonita iste. Ipso enim regnante rex Syriæ [a] percussit Iudam, magnamque prædam cœpit de imperio Achaz, & adduxit in Damascum. [b] *Manibus quoque regis Israel traditus est, & percussus plaga grandi*: occisis 120 millibus bellatorum in vno die, & ducentis millibus puerorum, puellarum, & mulierum in captiuitatem abductis. [c] Superuenerunt etiam Idumæi, *& percusserunt multos ex Iuda, & ceperunt prædam magnam: Philisthijm quoque diffusi sunt per vrbes campestres, & ceperunt eos.* [d] Teglathphalasar rex Assyriorum, qui ab Achaz in auxilium vocatus fuerat, *afflixit Iudam, & nullo resistente vastauit.* Denique Sennacherib regnum pene vniuersum, excepta Hierosolyma, populatus, plurimas ciuitates munitas vi cepit, vt suis locis supradictum est.

a 2. Par. 28. 5.
b ibid. & v. 6 & 8.
c v. 17. 18.
d ibid. v. 20.

XXXIX *Præter antiquas populi calamitates.*

NEC est necesse ad Iudicum tempora, aut regum initia recurrere, cum Serario: id enim ægre admodum permittunt illa Scripturæ verba. *Nam & ante hos annos &c.* quæ vera esse oportet, licet in Græco textu vniuersè dicatur; *Quando autem recesserunt à via &c.* demonstratiuum quippe illud (hos) eos tantùm annos innuit, quos quis experentia sua cõprehendere, & quasi demonstrare queat; non autem qui à quinque, pluribúsve seculis antecesserunt. Recte porro notatum est à Bellarmino, Serario, Gretsero, quod dicuntur plurimi abducti, non autem omnes, aperte doceri hanc historiam post captiuitatem Babylonicam non contigisse, qua vniuersè dicitur translatus Iudas de terra sua. [e] In Græco hic additur templum ipsorum factum fuisse in pauimentum, qua de re supra egimus: [f] Sed pergit.

e Thren. 1. 3
f a. m. 3344. n. 19 & 21.

XL. *Eorum recens cõuersio.*

NVPER *autem reuersi ad Dominum* Deum *suum.* in Græco. *Et nunc reuertentes ad Deum suum, & dispersione, qua dispersi fuerant adunati, ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Ierusalem, vbi sunt Sancta sanctorum.* Illud *nuper*, vel *nunc*, septem vel octo menses, ex quo redierat Manasses, comprehendit, non reuersionẽ illam ex Babylone, quæ annis iam sex, & quinquaginta, vel etiam nouem, & septuaginta antecesserat, vt paulo ante dicebamus. Addo etiam terminos regnorum Iuda, & Israel, magna ex parte iam fuisse confusos, ex quo regnum Israel in Assyrios, Medosq; translatum erat, sub mortem, vt videtur, Sennacheribi, vel Assarhaddonis. Nam hæc montana Bethuliæ, & Bethulia ipsa, ad Galilæam inferiorem pertinebant; in qua montes Hermon, & Gelboë longo tractu fere à mari Genesareth, vsque ad mare magnum protendebantur: distabatque Bethulia à ciuitate Tyberiadis, ex qua idem lacus mare Tyberiadis dictus est, vna leuca, eodemque interuallo ab vrbe Abelina, vt ait Brochardus. Et sub monte Bethuliæ erat castrum Dothaim & Scythopolis, de quib. supra capite 3. Itaq. ad regnũ Israelis, non autem Iudæ pertinebant. Quin etiam ipsa Samaria regni olim Israelitici caput, pontifici Hierosolymitano nunc audiens erat. [g] Vt agnoscamus interdum regna petire cum vtilitate animarum. Qui enim dum regem habuerunt proprium, & suum, de genere, & gente sua, idololatræ fuerunt: subiecti Assyriis, sese Iudæ, & eius religioni dediderunt.

*Bethuria.*

g vt patet ex c. 4. v. 6.

XLI *Conclusio Achioris, & indignatio Satraparum.*

SVPEREST Achioris conclusio. *Nunc ergo, mi Domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. Si vero non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.* Quid porro Achioris orationem consecutum sit, quàm

perbe & contumeliose à Satrapis Holofernis, & ipsomet Holoferne accepta sit, diserte, & breuiter Scriptura narrat, vt aliis verbis non sit opus. *Et factum est*, inquit, *cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum. Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor, & exercitibus eius? homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ? Vt ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana, & cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transuerberabitur: vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* 1. 1 ex.

XLI. Minæ Holofernis contra Achior.

TOTA oratio plena fastu, & blasphemiis, & stulta confidentia, vt exitus denique docuit. In præsentia vero, quis rei huius exitus circa Achiorem fuerit, tam apud Assyrios, quàm Iudæos, deinceps à Scriptura pulcherrima, & planissima oratione refertur, in hæc verba: *factum est autem*, [a] *cùm cessasset loqui, indignatus Holofernes vehementer dixit ad Achior. Quoniam prophetasti nobis, dicens, quod gens Israel defendatur à Deo suo, vt ostendam tibi, quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor: cùm percusserimus eos omnes sicut hominem vnum, tunc & ipse, cum illis Assyriorum gladio interibis, & omnis Israel tecum perditione disperiet. Et probabis quoniam Nabuchodonosor Dominus sit vniuersæ terræ, tuncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Israel, & non respirabis vltra, donec extermineris cum illis. Porro autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, & pallor, qui faciem tuam obtinet, abscedat a te, si verba mea hæc putas impleri non posse. Vt autem noueris, quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, vt dum dignas mei gladii pœnas exceperint, ipse simul vltioni subiaceas.*

a c. 6. v. 1. 2.

XLIII. Achior deditur Iudæis.

QVOD ad Iudæos attinet, dedititius eorum factus est Achior. *Præcepit enim Holofernes seruis suis, vt comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Israel. Et accipientes eum serui Holofernis, profecti sunt in campestria: sed cum appropinquassent ad montana, exierunt ante eos fundibularii. Illi autem diuertentes à latere montis, ligauerunt Achior ad arborem manibus, & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserunt eum; & reuersi sunt ad dominum suum. Porro filii Israel descendentes de Bethulia, venerunt ad eum: quem soluentes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset, quod illum vinctum Assyrii reliquissent.* Et prudenter illi quidem, vt in negotio pleno nouitate, & insolentia; ne forte Sinon aliquis in Achiore lateret.

Alligatur ad arborē.

XLIV. Deducitur ad concilium.

IN *diebus illis erant illic principes Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.* Nonnulla est in Græco diuersitas in istis reip. principibus; tres enim numerantur; Ozias filius Micha, Cabris filius Gothonielis, & Charmis filius Melchiel, qui etiam infra in latina editione recensentur. [b] Et suppletur qui hoc loco prætermissus est. [c] Sed pergit sacer historicus. *In medio itaque seniorum, & in conspectu omnium, Achior dixit omnia, quæ locutus fuerat ab Holoferne interrogatus: & qualiter populus Holofernis voluisset, propter hoc verbum, interficere eum. Et quemadmodum ipse Holofernes iratus, iusserit eum Israelitis hac de causa tradi: vt, dum vicerit filios Israel, tunc & ipsum Achior diuersis iubeat interire suppliciis, propter hoc quod dixisset. Deus cœli defensor eorum est.*

b c. 8. 8. c vide Ser. q. 2.

XLV. Populi ad Deum oratio.

CVMQVE *Achior vniuersa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum in communi lamentatione, & fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt, dicentes. Domine Deus cœli, & terræ intuere superbiam eorum, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende; & ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te, & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias. Finito itaque fletu, & per totam diem, oratione populorum completa, consolati sunt Achior dicentes. Deus patrum nostrorum cuius tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, vt eorum magis tu interitum videas. Cum vero Dominus Deus noster dederit hanc libertatem seruis suis, sit & tecum Deus in medio nostri, vt sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conuerseris nobiscum.*

XLVI. An imprudenter se gesserint Bethulenses.

AN parum cauti Bethul. fuerint in audiendo, credendoque Achiori, qui ex gente Iudæis inimica oriundus erat, & proxime apud teterrimum eorum inimicum militabat, disputat fusius Serarius [d] hoc loco; meritoque statuit nullam in Bethuliensibus residere ex hoc facto temeritatis notam. Tam sincerè & candidè omnia fecit, & dixit, vt ex veritatis ipsius ore fusa videretur eius oratio Accedebat quod ob Ammonitarum vicinitatem, & viri principis inter suos digni-

d q. 4 in c. 6.

tatem, iam forte antea virtutis, sapientiæq; fama Israelitis minime ignotus erat. Ex quo etiam scire potuerunt, quo animo apud Holofernem militaret, inuitóne, an volenti. Cauti etiam in eo fuerunt Bethulienses; quod etsi eius orationi fidem adhibuerunt, non tamen se ipsos, suamque rempubl. ei crediderunt, vt plerique alii populi impostoribus quibusdam, Troës Sinoni, Gabini filio Tarquinii, Zopyro Babylonii, imo & Iosue Gabaonitis. vir & Simon Machabæus cum filiis suis, filio Abobi. [a] Sed in suo gradu constiterunt, eoque humaniter excepto, ad consueta diuinæ prouidentiæ, & humanæ industriæ præsidia confugerunt. Vnde sequitur. Iof. 9 | a 1. Macha. 16. 15.

XLVII. *Nocturnæ preces additæ diurnis.*

Tunc *Ozias finito consilio suscepit eum in domum suam, & fecit ei cœnam magnam*: non ciborum varietate, sed multitudine personarum, Nam vocauit omnes presbyteros, siue seniores ciuitatis, qui simul expleto ieiunio refecti sunt; sub vesperam videlicet, quousque ieiunium producebatur. *Postea vero conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra ecclesiam*, synagogam videlicet, vel paulo minus vsurpato nomine, probo tamen, proseuchen, *orauerunt petentes auxilium à Deo Israel.* Non contenti totum diem in communi lamentatione posuisse, & vnanimes fudisse preces, etiam noctem in eadem animi contentione transegerunt, vt diuinæ misericordiæ vim afferent, & violenti raperent optatam victoriam de manu eius.

XLVIII. *Obsidionis initia.*

Sed iam ad Bethuliæ obsidionem veniendum est, quæ initio capitis septimi refertur in hæc verba. *Holofernes autem altera die*, id est postridie, quam illa cum Achiore gesta fuerant, *præcepit exercitibus suis, vt ascenderent contra Bethuliam. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia.* Creuerat numerus equitum ad decē millia, illis triginta diebus, quibus expectauit [b] dum omnis eius exercitus conueniret. Accedebat infinitus numerus iuuentutis bello idoneæ, quæ de vrbibus, & prouinciis, aut vi, aut deditione subactis, abducta erat, & sub eius signis militabat. *Omnes parauerunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, & venerunt per crepidinem montis, vsque ad apicem, qui respicit super Dothain, à loco, qui dicitur Belma, vsque ad Chelmon, qui est contra Esdrelon. Filii autem Israel vt viderunt multitudinem illorum, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes, vt Deus Israel misericordiam ostenderet super populum suum. Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, & erant custodientes ea, tota die, & nocte.* cap. 7. | b c. 3. v. 15.

XLIX. *Bethulia priuatur aquæductu.*

Hactenus non male res habuit; sed ecce ingentem calamitatem. Dum enim per gyrum obsessam Bethuliam circuit Holofernes, animaduertit fontem, qui per canalem ciuibus aquam copiosissime largiebatur, aliò auerti posse. Itaque incidi præcepit aquæductum, & aquas in sui exercitus vsum deriuari. Et quoniā credibile est Bethul. ante aduentum Holofernis hunc aquæductum obruisse terra, exemplo Ezechiæ qui legitur obturasse capita fontium, sub aduentū Sennacherib, [c] ne ab hostibus è longinquo aduenietibus agnosceretur, refert historia scholastica [d] aquæductum per auiculas fuisse proditum: cùm illæ per latentes rimulas aquam in arenti loco extraherent. Cognouit enim circumiens locum Holofernes aquam ibi subesse; lepidum augurium, inquit Serarius, sed commentitium. Non enim aues, sed homines, & quidem Israelitarum vicinos, indices proponit Scriptura Ammonitas, & Moabitas, c 2. Par. 32. 3. 4. | d c. 1. Iudith.

L. *Priuatur & fonticulis.*

Verum Scriptura non affirmat ab hominibus proditum canalem; sed fontes illos minores, de quibus paulo post, de quibus nihil augurata est historia scholastica, sed tantum de canali maiore, in quo deceptus videtur Serarius, putans ea scripta de fonticulis, quæ scripta sunt de canali. Deinde Scriptura non ait manifestatos fonticulos ab Ammonitis, sed à ciuibus, qui animaduersi sunt inde furtim aquam haurire. Deficiente enim maiori canali, non satis habuerunt per tenebras noctis eo adrepere, vbi hæ venulæ saliebant, sed interdiu eòdem sub hostium oculos abire cogebantur. Quo per Ammonitas animaduerso, nouum exortum est malum sitis, quo ad deditionem ciuitas compellenda erat. *Erant ergo non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius, quam ad potandum.*

LI. *Consilio Ammonitarum.*

Sed *ecce filii Ammon & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes, filii Israel non in* e c. 7. v. 8. &c.

*lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio constituti. Vt ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, ut non hauriant aquam ex eis, & sine gladio interficies eos: vel certe fatigati tradent ciuitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse. Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, & coram satellitibus eius, & constituit per gyrum centenarios per singulos fontes; cumque ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum, omnibus habitantibus Bethuliam: ita vt non esset intra ciuitatem vnde satiarentur, vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie.* Augentur hæc omnia in Græco. Nam inter cætera. *Et manserunt*, inquit, *in circuitu eorum castra Assur, pedites, & currus, & equites eorum diebus triginta quatuor. Et deferunt omnibus habitantibus Bethuliam omnia receptacula sua aquarum, & cisterna euacuabantur, & cæt.* Et paulo post. *Quamobrem infantes eorum liquebantur animo, mulieres, & iuuenes præ siti deficiebant, atque concidebant in plateis vrbis, portarumque transitu, nec supererat in ipsis vllum robur.*

Corpore igitur, animoque deficientes ad Oziam primarium magistratum queruli, gemebundique, viri, fœminæ, iuuenes, paruuli, omnes simul vna voce dixerunt. *Iudicet Deus inter nos & te*, id est sit iudex iniuriæ, & damni, quo nos affecisti, *quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum. Et ideo non est qui adiuuet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna. Et nunc congregate vniuersos, qui in ciuitate sunt, vt sponte tradamus nos omnes populo Holofernis. Melius est enim vt captiui benedicamus Dominum, viuentes, quam moriamur & simus opprobrium omni carni, cùm viderimus vxores nostras, & infantes nostros mori ante oculos nostros. Contestamur hodie cœlum, & terram, & Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundum peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, & sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis.* LII. *Lamenta plebis ad magistratum.*

Et *cum hæc dixissent factus est fletus, & vlulatus magnus in Ecclesia, ab omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum, dicentes, peccauimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confidentes te. populo qui ignorat te, vt non dicant inter gentes: vbi est Deus eorum?* Vides piæ, & afflictæ plebis animo variè fluctuantis estus. Fluctus vnus est, quod populi more, exitu consilia metientes magistratum accusant, quod non fecerit, quod ipsi quoque fieri noluerunt Fluctus alter est, quod se venditos à Deo, id est traditos hostibus, aut sine vlla dubitatione tradendos asserunt. Fluctus tertius, quod non sit qui adiuuet, ne ipse quidem Deus, tot precibus, suppliciisque sollicitatus. Huic quartus à tergo imminet decumanus, deditionem esse faciendam. Sed ecce iterum ferocissimi hostis crudelitate percelluntur, & nonnulla diuini auxilij spe restante quodammodo sustentantur; vnde iterata lamenta, precesque ad Deum congeminant. LIII. *Et ad Deũ violenta preces.*

Denique *cum fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent, exurgens Ozias infusus lachrymis dixit. Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam: forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo. Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.* Addit textus Græcus: *ita dimisso ad vallum suum populo, in muros, & turres vrbis singuli abierunt, vxoribusque ac liberis domos suas remissis, se ipsos in ciuitate vehementer afflictauerunt.* Hæc ibi: ex sequentibus etiam intelligitur eos promissionem de tradenda ciuitate intra quinque dies iureiurando confirmasse. Nam & Iuditha eius meminit in admonitione ad eos sua; & ipsi quoque hoc fatentur cap. 8. sequenti, iuxta editionem Græcam. LIV. *Consentit Magistratus in deditionem.*

c. 8. Hactenvs Iudaïci populi negotia, dissimulante Domino ad summum fuere deducta discrimen: & obtenebrescente vndique cœlo, nullus vsquam radius lucis emicabat, sed luctuosam omnia catastrophem minabantur: cùm Dominus è longinquo commutationem fortunæ innuit potius, quam ostentat; & fulgurante nonnihil cœlo, ex densis nubibus immensum tonitru, cum diro fulmine præparat. Suscitat mulierem assuetam colo, calathisque Mineruæ ad opus heroicum, in quo fortissimi bellatores toto corpore contremiscant, excitat viduam ieiuniis assuetam, & precibus, ad præpingues LV. *Parat Dominus auxilium ex Iuditha.*

toros, & exercitatos præliis lacertos, cum communi omnium ſtupore debellandos. Excitat denique hiſpido, & imbelli indutam cilicio fœminam, vt imperatorium baltheum, dependenteſque gladios frangat, atque confundat.

LVI. *Quæ fuerit Iuditha.*

ECCE igitur mulier & genere, & forma nobilis, conditione vidua, florens ætate, potens opibus, pietate præſtans, & cuius eximia fama cum inſigni virtute certabat, per quam Dominus opus mirabile præparat. Et alios quidem omnes titulos, ex Scriptura certos, atque teſtatos facile quiſque conceſſerit; ætatem vero florentem, non obſtante formæ præſtantia ſingulari, plerique ſine dubio negabunt. Nam Bellarminus[a] ei quadraginta annos tribuit, vt poſt centum & quinque annos vitæ eius plures, id eſt ſeptem anni pacis vſque ad mortem Ioſiæ reperiantur. Serarius in cap. 6. Iudith vbi agit de iis, quæ poſt mortem eius contigerunt, ait dici poſſe eam infra quadrageſimum quintum annum fuiſſe, cum ad Holofernem iuit. Gretſerus dat quinquaginta. Torniellus anno 5. ætat. 331. vult etiam fuiſſe annorum quinquaginta trium.

*Variæ opiniones de eius ætate.*

*a t. 1. l. 1. c. 12.*

LVII. *Authoru de ea ſententia.*

EXISTIMO tamen rectiſſime dici poſſe eam tertio, & trigeſimo ætatis ſuæ anno adiiſſe Holofernem. Nam à nono regni Manaſſis anno, quem nũc agimus, vſque ad mortem Ioſiæ anni intercedũt nouem & ſeptuaginta, pacifici omnes, & tranquilli: Ioſiæ vnus & triginta, Amonis duo, Manaſſis ſex & quadraginta, etiam ſecluſo hoc anno, in quo res geſta eſt. His ſi adiũgas tres & triginta annos, quos Iudithæ damus, fient 112. cùm autem ipſa centum, & quinque annos vixerit, ſupererunt poſt eius mortem ſeptem anni pacis. Quod ſi hunc ipſum annum nonum Manaſſis ætati Iudithæ detrahas, trigeſimum ſecundum tantum annum eam tunc expleuiſſe dicendum erit. Alij autem in eas anguſtias coniecti ſunt, quod hoc bellum Holofernis contra Iudæos in annum decimum ſextum regni Manaſſis conferunt, quia putant Nabuchodonoſorem, ſiue Merodachum tertio Manaſſis anno regnare cœpiſſe. At regnare cœpit 26. Ezechiæ, vel potius Niniuæ, & Aſſyriis dominari, cùm decẽnio ante regnare cœpiſſet apud Babylonios. Ideoque eius decimus tertius regni Aſſyriorum, ſeu verius imperij Babyloniorum annus, in nouum Manaſſis, non in decimum ſextum cadit.

| |
|---|
| 46. |
| 2. |
| 31. |
| 79. |
| 33. |
| 112. |
| 7. |
| 105. |

LVIII. *Genus eius, & cõditio.*

RELIQVOS autem, vt dixi, titulos Scriptura apertè confirmat, quæ ſeriem generis eius per quindecim auos, proauoſque repetens, ad ipſum Simeonem filium Iacobi deducit, vt eſt in Græco contextu, pro quo tamen Rubem legitur in Vulgata, non ſine mendo, vt Bellarm. Serar. aliiq; fatentur. Conditio viduitatis, & mariti mors hoc modo deſcribitur.[b] *Et vir eius fuit Manaſſes, qui mortuus eſt in diebus meſſis hordeaceæ. Inſtabat enim ſuper alligantes manipulos in campo, & venit æſtus ſuper caput eius, & mortuus eſt in Bethulia ciuitate ſua, & ſepultus eſt illic, cum patribus ſuis. Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus, & menſibus ſex.* Menſes quatuor leguntur in Græcis. Quartus igitur agebatur annus ab eius morte. Quam propterea oportet incidiſſe in finem anni quinti regni Manaſſis.

*b v. 2.*

LIX. *Pietas, pœnitentia, forma, opes, fama.*

CÆTERA Iudithæ elogia conſequenter celebrantur à ſcriptore ſacro. *Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo, cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ; præter ſabbata, & neomenias, & feſta domus Iſraël. Erat autem eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, ac familiam copioſam, ac poſſeſſiones armentis boum, & gregibus ouium plenas. Et erat hæc in omnibus famoſiſſima; quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.*

LX. *Euocat ad ſe Presbyteros.*

HÆC igitur mulier tot titulis illuſtris, cùm audiſſet Oziam, primarium in ciuitate magiſtratum, in deditionem Bethuliæ intra quintum diem conſenſiſſe, ad Chabri, & Charmi Presbyteros nuncium miſit, eos ad ſe, non ex faſtu, vel ſuperbia euocans: quomòdo enim ſancta mulier, & virtutibus omnibus inſigniter locuples, demiſſione animi carere potuit, virtutum omnium baſi, & ornamento? ſed vel ſtudio conſilij ſui minus euulgandi, vel, vt inquit Serarius quæſt. 16. quoniam primarios viros arguere ſtatuebat; id publice, à fœmina præſertim, fieri non oportebat. Vel quod cùm vidua eſſet, non ſolum continens, ſed etiam prudens, ſacerdotum domos (nam eos ſacerdotes fuiſſe plerique cenſuerunt) fœminis vitandas eſſe, etiam tempore

ab omni suspicione âlienissimo sapiẽter existimauit. Quin etiam seueram potius quam blandam orationem censuit adhibendam, ne mollis oratio, ex elegantissimæ sapientissimæque mulieris ore profecta, viriles animos ad molliciem frangeret, cum firmandi erant ad certamen. Ipsi autem vt non recusarent, quominus vocati ad Iuditham venirent, & cum ipsis etiam Ozias, faciebat, tum virtus eorum, tum studium addiscendi aliquid, quod ad communem patriæ salutem faceret: tum vel maxime quædam de Iudithæ sanctitate opinio; quam quasi prophetidem aliquam æstimatam, merito credibile putat Serarius. [a]

[a] q 17. in c. 8. — LXI. Arguit seniores verbis.

Venervnt *ergo ad illam presbyteri Chabri & Charmi, & dixit illis: quod est hoc verbum in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos qui tentatis* Dominum? *Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* Sed num tentatio Domini est, quinque, aut certum aliquem dierum numerum statuere, intra quos periculum fiat, num velit Dominus auxiliũ ferre supplicibus, & extrema quæque patientibus?

LXII. An tentaret Deum.

Cvm enim non sit certus aliquis calamitatum modus, nullus dierum, aut mẽsium numerus, quem Dei, aut naturæ lege obsessi ante deditionem expectare teneantur; sed potuerint etiam sine crimine, ad vitandum maius malum, sese primo die Holoferni dedere: quomodo censendi sunt tentare Deum, quod post vigesimam iam diem toleratam sitim, aliquot adhuc dies expectare, & periculũ facere velint diuinæ voluntatis? Cum enim tentare Deum censeatur is, qui periculum facere velit de aliqua profectione diuina, de ea dubitando: hic non dubitant Bethulienses, possitne iuuare, aut sciat, sed tantum an velit, de quo dubitare, non est per se illicitum, cùm obiectum hoc, quod terminat voluntatem diuinam, non ponat vllam perfectionem in Deo. Ita ea de re dubitare, non est dubitare de perfectione diuina, vt docet Gregorius de Valentia: [b] vide etiam Serarium quæstione 18. in hoc caput.

Quid sit tentare Deum.

[b] 2. 2. d. 6. q. 14. p. 1. — LXIII. Responsio pro Iuditha.

An absurdum esset dicere Iuditham ita pie sensisse, & Scripturam id recitare duntaxat; sicut Diuus Augustinus fatetur de cæco nato, affirmante Deum peccatores non audire. An dicendum est potius istam circunscriptionem temporis speciem habere tentandi bonitatem diuinam; vt significatur illis verbis. [c] *Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei*: quasi si vltra differat censeatur immisericors; vel tentandi prouidentiam, quasi circa populum suum specialem prouidentiam habere minime videatur, qui tam humiles, & supplices, & facientes quod in se est, in tanta necessitate destituat. Etsi ea non fuerit mens Oziæ, aliorumue principum populi; nec huiusmodi desertio arguat in Deo inclementiam, vel prouidentiæ defectum.

[c] v. 3. — Qui videatur tentare Dei.

Dici ergo potest hic nomine tentationis intelligi prouocationem iræ diuinæ, ex defectu confidentiæ in Dei prouidentiam, & bonitatem, vnde cum dixisset Iuditha. *Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?* statim subdit. *Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.* Sic dicuntur filii Israel in deserto tentare Dominũ, cum iurgantes contra Moysem dicebant. *Da nobis aquam vt bibamus*; neque enim de potentia diuina dubitabant, sed de diuina erga se cura, & prouidentia, vnde dicebant. *Estne Dominus in nobis, an non?*

LXIV. Tentatio, prouocatio ira.

Sed reliquam sanctissimæ Heroinæ orationem pertexamus. Cùm enim prædicta, non in reprehensionem magistratus prolocuta esset, sed ea zelus diuini honoris, & fraternæ correptionis expressisset, subdit adhortationem ad eam culpã pœnitentia diluendam: ne in huius peccati pœnam, Deus destinatã misericordiam populo suo recuset impendere. *Sed quia*, inquit, *potens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus: non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. Et ideo humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato seruientes illi: dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam, sic faciat nobiscum misericordiam suam; vt sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur.*

LXV. Iuditha adhortatio ad pœnitentiam.

Qvoniam *non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum*

LXVI. Ex suscitatio spei.

IVDITH AGIT CVM SENIORIBVS.

*suum, & adorauerunt deos alienos, pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis; nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum. Expectemus humiles consolationem eius, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & humiliabit omnes gentes, quæcumque insurgent contra nos, & faciet illas sine honore Dominus Deus noster.* Viden' vt spem sapienter exsuscitet, ex recordatione bene actæ vitæ? Sicut ante aliquot annos [a] Ezechias coram Domino dicebat *Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & cæt.* Sic hoc loco Iuditha commemorat constantiam ciuium suorum in vera, & auita patrum suorum fide, & religione in Deum retinenda, in medio nationis prauæ vitulos aureos adorantis, vt scilicet deficiente causa, ob quam alii in gladium, & in rapinam, & in confusionem dati sunt inimicis suis, deficiat etiam castigatio.

a an. 14. ex a.m. 3322. n. 77.

LXVII. *Suggerit Iuditha exhortationem ad populum.*

NON contenta Iuditha exsuscitasse animos magistratus, per eos etiam satagit populi mentes pia in Deum confidentia, & expectatione reficere, & probatis maiorum exemplis erigere vnde subdit. [b] *Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum; ad eloquium vestrum corda illorum erigite, vt memores sint, quia tentati sunt patres nostri, vt probarentur si vere colerent Deum suum. Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt. Et nos ergo non vlciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi serui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus.*

b c. 8. 21.

LXVIII. *Quæ responsio.*

HANC orationem excepit Oziæ, & sociorum eius, non indignatio ex reprehensione, sed iustæ correctionis, & piæ adhortationis approbatio. *Dixerunt enim illi Ozias, & presbyteri.* Ozias vel ab initio non adfuerat, vel de eo in eius præsentia sermo in tertia persona factus fuerat. *Omnia, quæ locuta es vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens Deum.* In Græco addunt seniores isti excusationem facti sui. *Sed populus,* inquit, *sitiuit vehementer, & coëgerunt facere nos, secundum ea, quæ locuti sumus eis, & inducere iuramentum super nos; quod non transgrediemur; & nunc ora pro nobis; quoniam mulier pia es, & mittet Dominus pluuiam ad impletionem cisternarum nostrarum, & non deficiemus vltra.* Sed Dominus aliquid amplius facere disposuerat, imo multis partibus supplicum vota, & desideria superare

LXIX. *Iuditha petit preces, & exitum ab vrbe.*

DENIQVE petit Iuditha, vt qui orationem eius approbauerant, sic & opus, quod faciendum susceperat, non disquisitione, sed fauore, & priuatis, publicisque precibus prosequerentur. Et quoniam eorum iniussu ex vrbe exire, noctu præsertim, & in tanta rerum perturbatione, non licebat. *Stabitis,* inquit, *ad portam nocte ista, & ego exeam cum abra mea,* ancilla videlicet, vt est in Græco, *& orate, vt sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel. Et dixit Ozias princeps Iuda.* Quomodo princeps Iuda, cùm esset è tribu Simeonis, vt supra dictum est? [c] an Iuda non tribum, sed regnum significat, ad quod plerique de aliis tribubus iamdudum confugerant? An quia, vt alibi diximus, Simeon, & Dan erant quasi in complexu finium Iuda, iuxta primam distributionem terræ Chanaam, à Iosue factam. In Græco habetur. *Dixit Ozias, & principes ad eam; vade in pace, & Dominus Deus ante te, in vltionem inimicorum nostrorum. Et reuertentes è tabernaculo, iuerunt ad ordines suos.* Tabernaculum vocat domum Iudithæ; vt ibi Dauid: *flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*[d]

c c. 6. v. 11

d Psal. 90.

LXX. *Ipsa induit se cilicio.*

QVIBVS *ascendentibus Iudith ingressa est oratorium suum:* quod supra vocauit secretũ cubiculum in superioribus domus suæ, *& induit se cilicio.* Nam quæ ante super lumbos suos tantum gestabat ciliciũ, nunc totum corpus amplo cilicio, loco interulæ lineæ vestiuit. In Græc. habetur. *Et nudauit quẽ induerat saccum.* Quæ verba in eam sententiam explicari possunt, vt dicamus eam exuisse minus illud ciliciũ,

siue zonam cilicinam, qua pars tantum corporis asperabatur, & in maius cilicium, quo humeri, & pectus, & totum pene corpus affligebatur, commutasse. Dici etiam potest eam nudasse saccum coram Deo, scilicet in oratione, vt eum ad misericordiam excitaret. Aspersit etiam cinere caput suum, & prostrauit se coram Domino, quanta maxima humilitate potuit, idque vt notatur in textu Græco, *sub tempus sacrificii vespertini*, quod solebat Hierosolymis offerri, vt scilicet priuata oratio, coniuncta cum publica, & solenni, efficacior redderetur. Sic autem orauit.

LXXI. *Orat Deum pro suscepto facinore.*

a & supra c. 1. f. ca. 1. init.

DOMINE *Deus patrū mei Simeon, qui dedis illi gladium in defensionem*, id est vltionem, vt in Græco, [a] *alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem, & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui Zelauerunt Zelum tuum. Subueni, quæso te Domine Deus meus, mihi viduæ*, & valet ea personæ conditio ad commiserationem apud eum, qui eis crebro, etiam cum miraculis, opem tulit, & se patrem orphanorum vocat, & iudicem viduarum.

LXXII. *An recte laudetur Zelus Simeonis.*

Psal. 6 7. b Gen. 49. 5.

FACESSIT plerisque negotium hæc Simeonis laus, ob vindictam sumptam de Sichimitarum scelere: quoniam ob id factum tam ipse, quam Leui frater eius, vehementer à patre suo Iacob reprehensus est. [b] Comestor in historia scholastica. *Non commendauit*, inquit, *factum Simeonis, quod detestatus est Iacob, sed vltionem factam à Domino, per manus impii.* Sed id parum videtur consentaneum verbis Iudithæ, dicentis Simeonem cum suis zelatos fuisse zelum Domini. Quo modo ergo impii in hoc opere fuerunt? Aut quomodo hic zelus maledicitur à Iacob, & furor pertinax dicitur, & dura indignatio? Rectius igitur Lyranus, aliique interpretes, duo in illo facto distingunt, scilicet zelum vlciscendi stuprum, eumque iustum fuisse, quia non habebant iudicem, qui vellet, aut posset factum punire, quod à principe ciuitatis factum fuisset; & hoc laudasse Iudi tham Modum autem vlciscendi proditorium, contra ius gentium, & fœdus paulo ante initum cum Sichimitis, à patriarcha Iacob fuisse reprehensum; cui responsioni acquiescit Perer in libro de benedict. patriarcharum, nec dissentit Serarius. [c] Et communis est doctrina & vera: neque enim satis est opera bona & iusta facere, sed bene, & iuste facienda sunt. Vide nihilominus quæ circa eum locum Geneseos suo loco diximus. [d]

c c. 9. q. 1.
d a m. 2105. n. 9. & seq.

LXXIII. *Imprecatur hostibus cladem.*

SED pergit Iuditha diuinam extollens potentiam, in priore illo scelere Sichimitarum puniendo, & alia, atque alia deinceps castigando. Nominatim autem Aegyptiorum in Israelitas crudelitatem, diramque tyrannidem. *Respice*, inquit, *castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Aegyptiorum videre dignatus es; quando post seruos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum. Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos. tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos; sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur, & nesciunt, quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi. Erige brachium tuum sicut ab initio, & allide virtutem eorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua: & polluere tabernaculum nominis tui, & deiicere gladio suo cornu altaris tui.*

LXXIV. *Et nominatim Holofernis.*

HÆC vniuerse contra hostes; nunc contra eorum principem, & caput Holofernem, in quem præcipuè ferebatur, imo quem vnum perdere cogitabat. *Fac Domine*, inquit, *vt gladio proprio eius superbia amputetur, capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ*, id est verbis dulcibus, amorem præ se ferentibus, quæ in euangelio dicuntur *verba gratiæ* de ore procedentia. In Græco est labiis *deceptionis meæ*, in Lucifero Calaritano, *persuasionis meæ*, quæ omnia eodem redeunt. Sed num optauit Iuditha esse scandalo Holoferni, vt in libidinosam voluntatem ex eius intuitu, verbisque mellitis rueret? An desiderauit potius, vt ille coniugium optaret, quod Iudithæ quoque optabile erat, pro Dei gloria, religionisque conseruatione, & totius populi salute, quæ viduitatis priuato bono longe præponderat.

e Luc. c. 4. a

*Num velit esse illi scādalo.*

LXXV. *Petit sibi fortitudinē & constātiam.*

PERGIT Iuditha. *Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum, & virtutem vt euertam illum. Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus fœminæ deiecerit eum.*

*Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Deus cœlorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem. Memento Domine testamenti tui; & da verbum in ore meo, & in corde meo consilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione tua permaneat: & omnes gentes agnoscant, quia tu es Deus; & non est alius præter te.*

LXXVI. *Ornat se ad profectionem.* CVM autem intelligeret S. Iuditha & ab animo, & à corpore instructam esse oportere; & ea sibi adhibenda, quæ apud Deum valerent, & apud homines; illa, vt priora, & potiora, vbi diligenter præparauit, vt hactenus enarratum est, etiam reliqua, quæ ad corporis cultum, victumque pertinebant non negligenter curauit. Id paucis ita exponit Scriptura. *Factum est autem, cùm cessasset clamare ad Dominum, surrexit è loco, in quo iacuerat prostrata ad Dominum, vocauitque abram suam,* famulam scilicet honoratam, quæ præposita erat omnibus Iudithæ facultatibus, *& descendens in domum suam,* in qua sabbata, & dies festos agere solebat, vt est in Græco, quod scilicet in ea recondita haberet ornamenta, & vestimenta, festis diebus congruentia, *& abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo;* id est vnguento pretioso, non autem myrtho, vt ante legebatur, tametsi ex myrtheo quoque succo, & oleo fieri vnguenta Plinius doceat.[a] Cap. 10.

[a] l. 13. c. 1. 2. & 3.

LXXVII. *Deus auget eius pulchritudinẽ.* ET *discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola,* id est armillas, quæ in dextris ponebantur, *& lilia,* id est ornamenta liliorum formam imitantia, vt in torquibus aureis fieri videmus, *& inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se. Cui etiam Dominus contulit splendorem; quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Hunc totum versum propemodum prætermisit textus Græcus: nihil enim habet de aucta diuinitus pulchritudine, & causa eius; de cibis autem hæc subdit.

LXXVIII *Prouidet sibi de cibis.* IMPOSVIT *abræ suæ ascoperam vini,* vtrem scilicet vinarium vino plenum; ἀσκὸς enim vtrem significat, aut lagenam coriaceam, *& vas olei, & polentam,* quæ est hordeum madefactum, deinde siccatum, & tostum, *& palathas,* id est massas ficuum aridarum, siue caricarum, *& panes, & caseum, & profecta est.* In Græco non est mentio casei. Habetur autem, *& peram impleuit farinis, & palatha, & panibus mundis, & circumduplicauit omnia vasa sua, & imposuit super eam.* Sed rectè coniicit Serarius legendum esse ἄρτοι καὶ τυροὶ, id est panes, & casei, & non ἄρτοι καθαροὶ, id est panes puri, quòd nullum hic vsum habeant panes puri. Hos autem cibos quare secum detulerit, explicat ipsamet postea; quod scilicet sibi non liceret vesci gentilium cibis.

LXXIX. *Exit ab vrbe, cum ciuitatis cõprecatione.* SED pergit historia. *Cumque venissent ad portam ciuitatis, inuenerunt expectantem Oziam, & presbyteros ciuitatis.* Memores quippe erant illius quod dixerat eis Juditha. *Stabitis*[b] *vos ad portam nocte ista, & ego exeam cum abra mea. Qui cùm vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem eius. Nihil tamen interrogantes, eam dimiserunt transire, dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, & omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, vt glorietur super te Ierusalem, & sit nomen tuum in numero Sanctorum, & iustorum. Et dixerunt hi, qui illic erant, omnes vna voce; fiat, fiat. Iudith verò orans Dominum transiuit per portas ipsa, & abra eius.* Hactenus totus apparatus noui huius belli: nunc ad ipsum certamen veniendum est.

[b] c. 8. 32.

LXXX. *Occurrit Assyriis, & deducitur ad Holofernem.* IN quo post partem noctis extra vrbem in oratione positam, primus est Assyriorum occursus, tum transfugium simulatum, inde pulchritudinis admiratio, ad Holofernem deductio, eius adoratio, & amica receptio, quę sic à Scriptura referuntur. *Factum est autem cum descenderet montem circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, & tenuerunt eam dicentes. Vnde venis? aut quo vadis? Quæ respondit. Filia sum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt vltro tradere se ipsos, vt inuenirent misericordiam in conspectu vestro. Hac de causa cogitaui mecum dicens. Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi secreta illorum, & ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius. Et cum audissent viri illi verba*

*eius, considerabant faciem eius, & erat in oculis eorum stupor; quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. Et dixerunt ad eam: conseruasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, vt descenderes ad Dominum nostrum. Hoc autem scias, quoniam cùm steteris in conspectu eius, bene tibi faciet, & eris gratissima in corde eius. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis, annunciantes eam. Cumque intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes. Dixeruntque ad eum satellites eius. Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his merito contra eos pugnare debeamus. Videns itaque Iudith Holofernem sedentem in conopæo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum, & cùm in faciem eius intendisset, adorauit eum, prosternens se super terram; & eleuauerunt eam serui Holofernis iubente Domino suo.*

HÆC narratio aliquot habet dubitationes; prima est de simulatione transfugij, quæ virtuti veritatis opponi videtur, & esse mendacium factorum: nec desunt etiam verborum mendacia, cùm dicat se fugisse à facie suorum ciuium, & cognouisse futurum, vt darentur Assyriis in deprædationem, cùm potiùs contrarium ex diuina inspiratione cognosceret. Ait etiam se venire ad Holofernem, vt ei indicaret secreta Bethuliæ, & ostenderet ei, quo aditu posset ciuitatem in suam redigere potestatem: quæ omnia longè erant ab eius mente. Respondeo in bello iusto, quale fuit Iudæorum contra Assyrios, non solum apertam vim, sed etiam occultam, & tectam, licitam, & iustam esse: & eos rectè in fraudem induci posse, quos in mortem licet inducere. Dolus, & stratagema natura sua indifferens est, & ex fine ad quem refertur malitiam accipit, aut bonitatem. Cùm ergo Iudithæ finis bonus sit, erit ipse dolus etiam laudabilis; idemque de ornatu, & cultu corporis eius existimandum est. Serarius etiam ait Iuditham cùm dixit se fugisse, intellexisse in animo suo se celeriter discessisse, vel fugientis instar se habuisse, cum Bethulia exiit, vt quæ noctu, vt fugitiui solent, abierit. Cognouit etiam prædæ fore Iudæos Assyriis, nimirum nisi Deus opem ferret, & suo ipsa consilio cladem illam auerteret. Dixit se venisse, vt indicaret secreta, nimirum de siti obsessorum, de Deo peccatis offenso, de timore, quo Holofernem timebant. Sed de his, & similibus iterum paulo post.

LXXXI. *Simulatio Iudithæ an in culpa sit.*

*Rectè dolo, & stratagemate vti potuisse.*

ALTERA est de adoratione, quam Iudith exhibuit Holoferni, quæ si fuisset licita, non eam tantopere Mardochæus Amano recusasset, etiam cum supremo, & suo, & totius gentis discrimine. Sed dicendum est quæcumque tandem fuerit adoratio, quam Mardochæus recusauit, Iuditham venerationem exhibuisse Holoferni, quam principibus viris, & in authoritate, & dignitate constitutis exhibendam, ipsæ sacræ literæ docent exemplo, & verbo iubent. Nam & Iacob vir sanctissimus fratrem Esau adorasse legitur, & patriarchæ omnes Iosephum, etiam existimatum gentilem; & Dauid Ionathan principem: & Abraham Ephronem, & populum terræ, quamuis à cognitione Dei alienum. Paulus etiam iubet [a] reddi omnibus debita. *Cui tributum tributum; cui honorem honorem.* Eis autem debitum esse ipsemet docet ibidem. *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes:* & omnis excellentia, quæ in hominibus est, diuinam repræsentat, quæ vbique honore digna est. Nec humana ista veneratio diuinam minuit, sed amplificat; cùm Deum vsqueadeo honore, & adoratione dignum demonstramus, vt eum in personis, quæ ipsum aliquo modo repræsentant, quantum licet adoramus. Sed & naturæ lumen satis ostendit excellentiam omnem, pro modo suo, veneratione dignam esse.

LXXXII *Licueritne adorare Holofernem.*

*Licuisse ex Scriptura docetur.*

a Rom. 13. 7.

TERTIA dubitatio est de adito periculo castitatis, quod videtur, non carere culpa, qua de re fusè Serarius. [b] Dico breuiter eam, peculiari Dei instinctu motam, cognouisse se à Deo, & angelo eius protectum iri, vt ipsa postea in reditu significauit. *Viuit autem ipse Dominus*, inquit, *quoniam custodiuit me angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem: & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me*, &c. Deinde rem ipsam humana prudentia metiens, sperare potuit se Holofernem ad voluntatem, & spem coniugij allecturam: cùm plurimas vxores haberent istiusmodi principes viri: sicque facilè tuta à reliquis omnibus futura erat: sed ad reliquam historiam pergamus.

LXXXIII *An rectè periculum adierit castitatis.*

b c. 13 q. 4.

ANIMADVERTIT Holofernes timentem Iuditham, timorem vtique mi-

LXXXIV. *Iustissimus eius timor.*

nimè simulato: conscium enim pectus suscepti tam audacis facinoris, imbellem fœminam concutiebat; præter insolitam, & omnem in partem periculosam inter homines commorationem, & rerum omnium faciem insolentem. Itaque eam verbo confirmat. *Aequo animo*, inquit, *esto, & noli pauere in corde tuo, quoniam ego nunquam nocui viro* (nedum mulieri) *qui voluit seruire Nabuchodonosor regi.* Sed id falsum esse constat ex capite 3. vbi dicitur plerosque populos misisse ad Holofernem legatos, qui vltro seruitutem offerrent, & tamen ciuitates eorum destruxisse, lucos excidisse, &c. Ex quo facile intelligi poterat, quid populo Iudaico facturus esset, quamuis dicat. *Populus autem tuus, si non contempsisset me, non leuassem lanceam meam super eum.*

LXXXV. *Iuditha dat rationem fugæ suæ.* Hoc vsus exordio interrogauit eam. [a] *Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, & placuit tibi vt venires ad nos. Et dixit illi Iudith. Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum. Viuit enim Nabuchodonosor rex terræ, & viuit virtus eius, quæ est in te, ad correptionem omnium animarum errantium; quoniam non solùm homines seruiunt illi per te, sed & bestiæ agri obtemperant illi. Nunciatur enim animi tui industria vniuersis gentibus, & indicatum est omni seculo, quoniam tu solus bonus, & potens es in omni regno eius, & disciplina tua omnibus prouinciis prædicatur. Nec hoc latet, quod locutus est Achior, nec illud ignoratur, quod ei iusseris euenire. Constat enim Deum nostrum sic peccatis offensum, vt mandauerit per prophetas suos ad populum, quod tradat eum pro peccatis suis. Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filij Israel, tremor tuus super ipsos est.* Hactenus commendatione Nabuchodonosoris, & Holofernis conciliat sibi hostem, sicut & confessione peccatorum populi. a cap. 11. 5.

LXXXVI. *Exponit statum Betuliensium.* Inde propius præsentem populi sui statum explicans. [b] *Insuper*, inquit, *etiam fames inuasit eos, & ab ariditate aquæ iam inter mortuos computantur. Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum, & sancta Domini Dei sui, quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino, & oleo hæc cogitauerunt impendere, & volunt consumere, quæ nec manibus deberent contingere. Ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur. Quod ego ancilla tua cognoscens fugi ab illis, & misit me Dominus hæc ipsa nunciare tibi. Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te, & exiet ancilla tua, & orabo Deum, & dicet mihi quando eis reddat peccatum suum; & veniens nunciabo tibi, ita vt ego adducam te per mediam Ierusalem. Et habebis omnem populum Israel sicut oues, quibus non est pastor, & non latrabit vel vnus canis contra te, quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei. & quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nunciare tibi.* Facile est ex hac oratione intelligere Iuditham multa congerere argumenta, vt in spem certam victoriæ Holofernem inducat: sed cùm constet nihil eam malle, quàm vt eum spe lactet inani, non facilè est omnia eius dicta à mendacio vindicare, quod fieri posse negat Emanuel Sà; idemque videtur sentire D. Thomas, [c] & Lyranus in caput 10. in ea verba. *Ideo ego fugi à facie eorum.* & Tostat. q. 6. in 1. Exod. Volunt enim pleraque esse officiosa mendacia, quæ Scriptura dicta referat, non probet. b c. 11. 10.

*An mentita fuerit.* c in c. 10. v. 12. d 22 q 110. ad 3. ad 3.

LXXXVII *Vindicantur verba eius à mendacio, & alia culpa.* Sed alia sine dubio fuit Diui Augustini mens, sermone 229 cùm de ipsa ait. *Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit; perfecit actibus quod promisit regi alto sermone, imaginariisque verbis blandita est.* Conemur igitur ab ea nota sanctissimam mulierem vindicare cum Serario. [e] Primum igitur dum ait Iuditha Dominum perfectam rem cum Holoferne facturum, sermonis ambiguitate licite vtitur, vt quæ non apud legitimum principem, sed apud iniustum hostem agat, qui cum de victoria eam loqui putaret, ipsa de eius obtruncatione loquebatur. Res enim perfecta, est integra, & absoluta victoria: est item perfecta res, non inchoata, sed perfecta cædes; vel perfecta res est victoria siue Assyriorum, siue Iudæorum. e q. 10. in c. 3.

1. *Quam dicat perfectam rem.*

2.

LXXXVIII *An male iuret.* Deinde cùm iurauit per Nabuchodonosor, & per Holofernem, tam hoc quam sequenti capite, cùm per Deum iurare oporteat, tanquam per primam, ac summam veritatem: alioqui homini, & quidem impio diuinitatem tribuere videatur. Non magis peccauit, quàm olim Iosephus, cùm per salutē Pharaonis iuraret, fratres suos exploratores esse. Non enim per illos, tanquam per Deos aliquos, hæc sancta vidua, aut ille patriarcha iurarunt, sed per eos in quibus diuinum aliquid resplendebat; authoritas scilicet, & potestas. Nec falso iurat Iuditha, cùm constet quamplurimos homines, & bestias regi Nabuch. opera Holo-

fernis ſeruiuiſſe. Quam multi enim equi,& cameli in exercitu, ad regis, & militum eius nutum ſeruiebant? Tertio cùm dicit *nunciari, quod ipſe ſolus eſſet bonus*, nihil abſurdi dicit; non enim deerant adulatores, qui ita loquerentur: quamquam ἀγαθὸς pro forti paſſim vſurpatur; & ita, *ſolus bonus*, erit idem quod fortiſſimus: vnde per expolitionem dicitur: *tu ſolus bonus, & potens.* 3. *Et Holofernem bonum vocet.*

QVARTO cùm ait Deum Iudæis iratum propter peccata ſua, cùm tamen ſupra de Bethulienſibus dixerit eos immunes fuiſſe à peccatis patrum ſuorum: potuit hæc verba intelligere, non de ciuibus ſuis, ſed de populo vniuerſo, in quo multi Deum offenderant. Quamquam videtur Iuditha tantum loqui de pœna peccati, quæ remanebat luenda, cum ait Deum mandaſſe per prophetas populo ſuo fore vt traderet eum inimicis ſuis propter peccata ſua, id eſt, in pœnam peccatorum ſuorum. Quinto abſurdum non eſt, quod ait Bethuliæ populum fame laborare, licet ſupra ſitis mentio tantum facta ſit; vtrumque enim verum eſſe potuit, ſed magis ſiti, quæ intolerabilior eſt, fuiſſe fatigatos: quamquam ne in ciborum quidem copia comedere poſſunt, qui ſiti æſtuant. Non enim humectari poteſt cibus, neque deglutiri, vt conſequenter etiam fame affligi hominem qui ſiti laborat, neceſſe ſit. 4. LXXXIX. *Et populum ſuum peccaſſe dicat.* 5. *Et fame laborare.*

QVOD autem 6. loco ait Bethulienſes ordinare vt ſanguinem bibant, & alia à lege prohibita comedant, per ampliationem explicandum eſt; quod ſcilicet fieri poſſit, & credibile ſit Iudæos ad talia ſiti, & fame compellente adductum iri, non autem quod reipſa huiuſmodi deliberationem iam ſuſcepiſſent. Quod denique aliquoties dicit ſe miſſam fuiſſe, vt hæc Holoferni nunciaret, explicat Serarius miſſam fuiſſe, vt ſe gereret quaſi aliquid nunciatura. Sed factis quoque indicauit ei iuxta Diuum Auguſtinum, quam ob cauſam veniſſet, cum lethale illi vulnus inflixit. Deduxit per Ieruſalem, & Iudæam in triumphum; cum de eo Hieroſolymis, & per totam Iudæam triumphatum eſt: vt quondam Agathocli, opinor, contigit; qui cum minaretur obſeſſis, ſe poſtride in eorum vrbe cœnaturum; cœnauit ille quidem, verum captus obſeſſorum eruptione nec opinata, &c. & ridiculus vates effectus eſt. 6. XC. *Qui [illegible] bitur dicantur.* 7. 8. *Holofernes ductus [illegible] Ieruſalem*

QVID autem hanc Iudithæ orationem ſit conſequutum videamus. *Placuerunt omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur ſapientiam eius, & dicebant alter ad alterum. Non eſt talis mulier ſuper terram in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum, & dixit ad illam Holofernes. Benefecit Deus, qui miſit te ante populum, vt des illum tu in manibus noſtris: & quoniam bona eſt promiſſio tua, ſi fecerit hoc Deus tuus, erit & Deus meus; & tu in domo Nabuchodonoſor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuerſa terra.* Videtur hæc Holofernis promiſſio non ex pietate proficiſci, ſed ex ſtudio eblandiendi Iudithæ gratiam; cuius amore iam à primo intuitu flagrabat.[a] XCI *[illegible] Iudithæ oratio.*

TVNC *iuſſit eam introire, vbi repoſiti erant theſauri eius.* Inſtar enim precioſiſſimi theſauri eam ducebat: *& iuſſit illic manere eam, & conſtituit quid daretur illi de conuiuio ſuo.* in ſignum intimæ beneuolentiæ. *Cui reſpondit Iudith*, & dixit ſe religione prohiberi, ne alienos cibos vſurparet: vt ille ſuperſtitionem potius, quam contemptum interpretaretur. *Cui Holofernes ait; ſi defecerint tibi iſta, quæ tecum detuliſti, quid faciemus tibi? Et dixit Iudith: viuit anima tua, domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciat Deus in manu mea hæc, quæ cogitaui; & induxerunt illam ſerui eius in tabernaculum, quod præceperat.* Hactenus prouiſum eſt habitationi, & cibo; nunc diſponendus eſt reditus, & à ſuſpicione eximendus. XCII. *Locus Iudithæ, & cibus.*

ITAQVE petiit, vtique ab Holoferne, qui ſolus id concedere poterat, vt daretur ei copia nocte, & ante lucem, egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum: *& præcepit cubiculariis ſuis, vt ſicut placeret illi, exiret, & introiret ad orandum Deum ſuum per triduum: & exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ. Et vt aſcendebat, orabat Dominum Deum Iſrael, vt dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui, & introiens munda manebat in tabernaculo, vſque dum acciperet eſcam ſuam in veſpere.* Crebrius exiuit, vt nocturnos excubitores aſſuefaceret, vt quacumque noctis hora exiret, nihil mali ſuſpicaretur, ſed eam ad orationem more ſuo exire crederent. Foris autem lauabat ſe aqua ritu Iudaico, ſiue totum corpus, ſiue manus, & pedes, vt quidquid labis ex cohabitatione contraxiſſet elue- XCIII. *Reditum facilem mature parat.*

[a] Vt patet c. 10. 17. Cap. 12.

retur: sicque purior ad orationem accederet. Potuit enim huiusmodi ceremonia, alioqui molesta, ad Dei cultum relata, ei etiam accepta esse; sicut & ieiunium, quod obseruabat ad vesperam.

XCIV. *Iuditha euocatur ab Holoferne.* *Vagao, & Bagao.*

SEQUITUR nunc apparatus gloriosissimi, atque periculosissimi facinoris; cuius ipsemet ansam præbuit Holofernes; *qui die quarto fecit cœnam seruis suis* domesticis videlicet, nemine vocato eorum, qui negotiis præerant, vt notauit textus Græcus. Noluit videlicet nobiles viros habere testes nequitiæ suæ. Vocatur ad cœnam Iuditha, internuncio eunucho Vagao. Etsi verò, vt putat Serarius, proprium id nomen hoc loco videatur, ferè tamen apud Persas commune spadonum fuit, vt ait Plinius. [a] Quæ causa fuit, vt Sulpitius Seuerus hanc historiam ad Artaxerxem Ochum reiecerit, quod is eunuchum haberet, qui Bagao vocaretur: quem tamen Ægyptium fuisse dicit, & gentis suæ iniuriam regis morte vltum esse. Et hic fortè est, qui apud Iosephum, [b] per septennium Iudæos afflixit, & templum eorum polluit; quem ibi vocat Bagosem. Sic & apud Curtium lib. 10. fuit nequissimus Bagoas eunuchus Alexandri Magni, qui falsis criminationibus Orsinem Persarum Satrapam Alexandro interficiendum dedit. Fuit etiam Bagoas Herodis eunuchus.

a l. 13. c. 4.
b l. 11. ant. c. 7.

XCV. *Quatenus illa consentiat.*

CÆTERUM verborum Vagao duplex erat sententia, altera simplex, & intellectui primum obuia, qua tantum ad cœnam, ad familiaritatem, ad hilaritatem inuitabatur Iuditha: altera verò insidiosa, & tectior, qua ad flagitium vocabatur. Et Iuditha quidem priorem sensum accepit, ideoque se ad eius obsequium paratam esse professa est. Holofernes autem, & Vagao alteram verborum sententiam spectabant, & decepti sunt ambiguitate verborum: quod notauit quoque Serarius. [c] Et reuera venit Iuditha ad mensam eius, & comedit, & bibit coram ipso, ea quæ præparauerat illi ancilla eius; dicit Vræcus, ancillam Iudithæ strauisse ei humi pelles ante Holofernem, quas acceperat à Vabao, ad quotidianum vsum suum. Et dixit ad eam Holofernes. *Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inuenisti gratiam coram me. Et dixit Iudith. Bibam, Domine, quoniam magnificata est anima mea hodie, præ omnibus diebus meis. Et accepit, & manducauit, & bibit coram ipso ea, quæ parauerat illi ancilla eius. Et iucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua.* Quæ vltima verba ita in Græco leguntur. *Et lætatus est Holofernes ab ea*, propter illius præsentiam, & colloquia, *& bibit vinum multum valde, quantum non biberat vnquam in die vna, ex quo natus erat.* Imo & quantum numquam erat bibiturus, mox ad æstus intolerabiles, & æternam sitim abiturus.

*Conuiuatur Iuditha coram Holoferne.*

c c. 13 q. 3.

XCVI. *Apparatus ad cædem.*

VENTUM est iam ad Holofernis cædē & nobilissimæ bellatricis gloriosum in patriam reditum, incredibili parta victoria; quæ eleganter Scriptura exponit his verbis. *Vt autem sero factum est, festinauerunt serui illius ad hospitia sua*, ne scilicet propere vino domiti, ea repetere non possent, & turpiter ebrietatem proderent. *Erant enim omnes fatigati à vino*, ait Scriptura, *& conclusit Vagao ostia cubiculi*, ne cuiquam in illud pateret ingressus, siue ille hostis, siue amicus foret. *Eratque Iudith sola in cubiculo*, vigil scilicet: Nam sequitur. *Porro Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus*, immemor iam, & impos instituti flagitii. *Dixitque Iudith puellæ suæ, vt staret foris ante cubiculum*, & obseruaret, ne ea ex parte, qua patebat egressus Iudithæ, aliquis admoueret aurem propius. Apparet autem ex recepto more non defuisse lumen in cubiculo. *Stetitque Iudith ante lectum orans cum lacrymis, & labiorum motu in silentio.*

Cap. 13.

XCVII. *Obtruncatur Holofernes.*

ETSI enim ille obrutus vino, vel clamantem exauditurus non esset, conscientia tamen tanti facinoris silentium imperabat, & metum; tacita nihilominus ad exsuscitandam suam in Deum fiduciam dicebat. *Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, vt, sicut promisisti, Ierusalem ciuitatem tuam erigas*, non collapsam illam quidem, sed Holofernis metu pene prostratam stabilias, *& hoc quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam*. Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, siue acinacem, vt est in Græco, qui in ea ligatus pendebat, exoluit. *Cumque euaginasset illum apprehendit comam capitis eius*, læua scilicet, vt caput retineret immotum ad certum ictum vibrantis dexteræ recipiendum. Rursumq; inuocans diuinum auxilium.

*Confirma me*, inquit, *Domine Deus in hac hora, & percussit bis in ceruicem eius*, totis videlicet connixa viribus, vt res ipsa postulabat, & in Græco traditur. Diuus Augustinus in quodam sermone ter percussum tradit, sed duo tantum ictus in Latino, Græcoque textu habentur. *Et abscidit caput eius, & abstulit conopæum eius à columnis, & euoluit corpus truncum.*

IN Græco legitur, & reuoluit corpus eius à lecto, vtique in pauimentum. Vnde postea Vagao vidit cadauer in suo sanguine tabefactum iacere super terram, conopæum autem ipsum secum abstulit vna cum capite, vt ex eo intelligerent: qui non norant Holofernem, caput illud eius esse, non cuiuspiam vilis mancipij, aut nebulonis. *Et post pusillum exiuit*: nimirum aliquantisper resedit, respirandi causa; totum enim quodammodo spiritum effuderat, in vibrando semel atque iterum persico acinace in obesam ceruicem. Sed & solicitudo ipsa periculosissimi facinoris, ipsam quodammodo respirationem intercluserat, frigidumque sudorem collegerat: quin & foris gratiæ agẽdæ Domino de præcipuo opere perfecto; & ad felicem reuersionem, petendum auxilium Dei; expectandum etiam fuit tempus, quo exire prioribus noctibus consueuerat. *Et tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, & iussit vt mitteret illud in peram suam*, vas scilicet in quo cibos suos ante apposuerat, vt est in Græco. XCVIII. *Aufertur caput cum conopæo.*

ET exierunt duæ secundùm consuetudinem suam, quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem venerunt ad portam ciuitatis. Et dixit Iudith à longe custodibus murorum. *Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus qui fecit virtutem in Israel. Et factum est cùm audiuissent viri vocem eius, vocauerunt Presbyteros ciuitatis*, apud quos scilicet erant claues ciuitatis, *& concurrerunt ad eam omnes, à minimo vsque ad maximum*, expectatione suspensi quid illa boni nuncij afferret, eoque magis, quod non sperarent eam vltra esse venturam; etsi nondum ageretur quinta dies: sed expectantibus in graui afflictione remedium, breuissima mora longissima est. Et accendentes luminaria, congyrauerunt circa eam vniuersi. Illa autem ascendens in eminentiorem locum, iussit fieri silentium. XCIX. *Effugit Iuditha, & venit in ciuitatem.*

CVMQVE *omnes tacuissent dixit* Iudith. *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, & in me ancilla sua adimpleuit misericordiam suam, quam promisit domui Israel; & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte: & proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis dicens. Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, & ecce conopæum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, vbi per manum fœminæ percussit illum Dominus Deus noster. Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem. Et non permisit me* Dominus *ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati, reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.* C. *Enarratque rem gestam.*

VIDES vt agnoscit sancta, & generosa virago, & supra fœminam fœmina diuinum auxilium in angelica custodia, cuius officia, cum insigni gratitudine prædicat, quod comes viæ in suscipiendo tam arduo negotio, quod animi, corporisque custos inter profanas hominum turbas; quod difficillimæ victoriæ cooperator; quod dux regredientis ad triumphum. Fuisse autem vnum aliquem de primariis angelis, qui Iudithæ affuerit, suspicatur Serarius, [a] propter negotij huius magnitudinem, in quo totius Ecclesiæ Dei vertebatur salus. Gratitudinem etiam ostendit cum humilitate sancta Iuditha, quæ totam victoriæ laudem refundit in omnium bonorum fontem Deum. Et sicut à laudatione Dei exorsa fuerat, ita in ea claudit orationem suam, cum Dauide dicens. *Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Vniuersi autem adorantes* Dominum, *dixerunt ad eam: Benedixit te* Dominus *in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* CI. *Gratus in Deum, ac modestus Iuditha animus.*

[a] b. vlt. in hoc cap.

[b] PORRO *Ozias Princeps populi* Israel, (in Bethulia scilicet, nam Princeps populi Israel, aut Iuda erat Manasses, regnumque Israel iam esse desierat) *Ozias*, inquam, *dixit ad eam. Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram; benedictus Dominus, qui creauit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis Principis inimicorum nostrorum, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis* Domini *in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias, & tribulationem generis tui, sed subuenisti ruinæ ante* CII. *Gratulatio Oziæ.*

[b] c. 13. v. 23.

*conspectum Dei nostri. Et dixit omnis populus, fiat, fiat.*

CIII. *Euocatur Achior à Juditha.*

SED conueniebat Achiorem participem in primis fieri tantæ lætitiæ, qui magnam in communi luctu partem habebat; & Dei opere exhilarari, qui virtutis eius fuerat eximius prædicator. Euocatur ergo nominatim à Juditha, eius salutis, & conuersionis percupida. *Priusquam verò faciatis hoc*, ait Græcus, *vocate mihi Achior Ammonitam, vt videns agnoscat eum, qui vilipendebat domum Israel, & ipsum tanquam ad mortem miserat ad nos; & vocauerunt Achior de domo Oziæ. Et dixit ei Iudith: Deus Israel, cui tu testimonium dedisti, quod vlciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea. Et vt probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israel contempsit, & tibi interitum minabatur dicens: cùm captus fuerit populus Israel, gladio perforari præcipiam latera tua.*

CIV. *Ingens eius admiratio.*

VIDENS *autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pauore, cecidit in faciem suam super terram, & æstuauit anima eius.* Stupore scilicet tam insperatæ, & inopinatæ rei attonitus, deliquium passus est, variis perturbationum motibus concurrentibus in cor eius. Abibat enim imminentis sibi, & nominatim denunciatæ mortis timor, succedebat confidentia, fugiebat tristitia, subintrabat gaudium; diffidentia locum cedebat admirationi, & simul cum huius prodigij contemplatione fides, spes, charitas, & dona Spiritus sancti infidelitatem expellebant, vt mox dicetur. Sed pergit Scriptura. *Postea verò quàm resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes eius, & adorauit eam: & dixit; benedicta tu à Deo tuo, in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omne gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.*

CV. *Juditha consilium ad profligandum exercitum.*

QVONIAM verò perfecta sunt opera Dei, & sublato principe non erat deletus exercitus, qui poterat vnum aliquem de ducibus in locum demortui subrogare, & obsidionem vsque ad deditionem continuare; qui cœpit opus bonum per manum fœminæ, idem ipse perfecit per manum multitudinis, fame iam sitique propemodum enectæ, vt vix arma ferre posset, nedum victorem tot gentium exercitum, & omnium rerum copia circumfluentem profligare. Id autem quomodo factum sit, reliqua docebit historia. In primis igitur author est populo Juditha, vt è murorum eminenti aliquo, & conspicuo loco suspendatur Holofernis caput, vt eodem spectaculo & hostibus terror iniiciatur, & ciuibus audacia suscitetur. Tum vt sub ortum solis vehemens, & cum impetu, fiat in hostes eruptio. Quem in finem? *Tunc enim*, inquit Juditha, *exploratores*, primi scilicet excubitores, *necesse erit vt fugiant ad Principem suum excitandum ad pugnam. Cumque duces eorum concurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor. Cumque cognoueritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris.* Cap. 14.

CVI. *Achioris conuersio.*

INSERITVR autem hic conuersio Achioris Principis Ammonitæ, qui agnita Dei virtute, *relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis eius, vsque in hodiernum diem.* Facto videlicet priuilegio, & dispensatione circa legem, quæ [a] prohibet Ammonitas recipi in Ecclesiam Dei, etiam post decimam generationem. Qua de re fusè Serarius,[b] vultque cum S. Thoma, eum priuilegio virtutis, & testimonij publicè pro vero Deo editi, admissum in remp. Iudaicam, non solùm vt ciuitatis iure, sed omni etiam ciuium priuilegio, & honore frui posset; imo & posteri in multas ætates, & generationes. Vide quæ ea de re diximus anno Mosis vltimo, num. 205. Et sic quod in eum hostes ad eius perniciem moliti fuerant, vt eum in oppidum Bethuliæ, quasi in carcerem coniicerent, versum est ei in æternæ salutis instrumentum.

a Deut. 23. 3.

b in 1. q. in hoc c.

CVII. *Holofernes à suis agnoscitur mortuus.*

MOX *autem vt ortus est dies,* [c] *suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitque vnusquisque vir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu, & vlulatu. Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis concurrerunt. Porro hi, qui in tabernaculo erant, venientes, & ante ingressum cubicali perstrepentes, excitandi gratia inquietudinem arte moliebantur, vt non ab excitantibus, sed à sonantibus Holofernes euigilaret. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando, aut intrando aperire, sed cum venissent eius duces, ac tribuni, & vniuersi maiores exercitus Regis Assyriorum dixerunt cubiculariis, intrate, & excitate illum; quoniam egressi mures de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad prælium. Tunc ingressus Vagao cubiculum eius, stetit ante cortinam, & plausum fecit manibus suis:*

c c. 14. v. 7.

INNOTESCIT MORS HOLOFERNIS.

*suspicabatur enim illum cum Iudith dormire. Sed cum nullum motum iacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam, & eleuans eam, vidensque cadauer absque capite Holofernis, in suo sanguine tabefactum iacere super terram, exclamauit voce magna cum fletu, & scidit vestimenta sua, & ingressus tabernaculum Iudith, non inuenit eam: & exilijt foras ad populum: Et dixit, vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor; ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius nō est in illo. Quod cùm audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, & intolerabilis timor, & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valde; & factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.* Hoc scilicet alterum Dei opus est, victoriam inchoatam perficientis, dum iniecto cœlitus in omnium animos terrore, & confusione mentis, quo se verterent, quid consilij caperent, non haberent.

Cap. 15. CVM *enim omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens, & consilium ab eis, & solo tremore, & metu agitati, fugæ præsidium sumunt; ita vt nullus loqueretur cum proximo suo; sed inclinato capite, relictis omnibus, euadere festinabant Hebræos, quos armatos supra se venire audiebant, fugientes per vias camporum, & semitas collium. Videntes itaque filij Israel fugientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, & vlulantes post ipsos. Et quoniam Assyrij non adunati in fugam ibant præcipites: filij autem Israel vno agmine persequentes, debilitabant omnes, quos inuenire potuissent. Misit itaque Ozias nuncios per omnes ciuitates, & regiones Israel. Omnis itaque regio, omnisque vrbs electam iuuentutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladij, quousque peruenirent ad extremitatem finium suorum. Reliqui autem, qui erāt in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrij reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde. Hi verò, qui victores reuersi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum, ita vt non esset numerus in pecoribus, & iumentis, & vniuersis mobilibus eorum; vt à minimo vsque ad maximum omnes diuites fierent, de prædationibus eorum.* Hæc triginta dierum spatio confecta sunt, vt infra dicitur. v. 13. CVIII. Vniuersus eius exercitus profligatur.

INTERIM autem effusa circumquaque tantæ victoriæ fama, quin etiam, vt ratio exigit, certi ab Ozia nuncij ad Ioachimum summum pontificem, eum ab ipsa Hierosolyma Bethuliam vsque acciuerunt. Is cum vniuersis presbyteris suis, sacerdotibus videlicet, & Hierosolymitano senatu, vt est in Græco, Bethuliam venit, vt viderent Iuditham tam gloriosi facinoris architectricem. *Quæ cùm venisset ad illum*, obuiam scilicet honoris causa progressa, *benedixerunt eam omnes vna voce dicentes. Tu gloria Ierusalem; tu lætitia Israel; tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alterum nescieris: ideo & manus Domini confortauit te; & ideo eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus, fiat, fiat. Per dies autem triginta vix collecta sunt spolia Assyriorum à populo Israel. Porro autem vniuersa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili; & tradita sunt omnia illi à populo.* CIX. Hierosolyta cum pontifice adeunt Iuditham.

NEC Hierosolymis concesserunt aliarum quoque vrbium remotarum populi, qui in Bethuliam quoque venerunt, ibique lætitiæ dies agitarunt. *Et omnes populi*, ait Scriptura, *gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus in organis, & cytharis.* Quæ paulo plenius in Græco habentur. *Et dederunt*, inquit, *Iudithæ tabernaculum Holofernis, & omne argentum eius, & lectos, & peluem, & omnem supellectilem, & accipiens ipsa imposuit super mulam suam, & iunxit plaustra sua, & coaccruauit ea super illa. Et concurrit omnis mulier Israel ad videndum eam, & benedixerunt eam, & fecerunt ei chorum ex se & sumpsit thyrsos, siue ramos in manibus suis, & dedit mulieribus, quæ secum erant, & coronatæ sunt oliua, & ipsa, & quæ cum ipsa erant; & præiuit omnem populum in chorea ducens omnes mulieres, & sequebatur omnis vir Israel armatus cum coronis, & hymnis in ore suo. Et inchoauit Iudith confessionem hanc in omni Israel, & subcinebat omnis populus laudem hanc.* CX. Confluunt & reliqui populi.

Cap. 16. TVNC cantauit Iudith canticum Domino, quod cap. 16. perscriptum est; perseuerauitque lætitia, donec communi consensu, suadente in primis Ioachimo summo pontifice, decretum est vt Deo, pro tam insigni victoria, publicè gratiæ haberentur ab omni populo; idque Hierosolymis, in templo Domini, vt significatur versu 22. Eóque videntur supplicabundi profecti esse, ea forma, quam ex Græco retulimus. CXI. Publica lætitia, & profectio Hierosolymitana.

GRATVLATIONES DE VICTORIA.

Vt autem Hierosolymam attigerunt, vniuersi adorauerunt Dominum, & mox vt purificati sunt à multis Assyriorum cædibus, & contactu cadauerum, iuxta præscriptum legis,[a] obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas. *Porro Iudith vniuersa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopæum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis.* Vox obliuionis in Græco prætermittitur, præclarum tamen sensum habet; vt scilicet Deo consecrata, & reposita, diuinam victoriam deinceps secuturis populis ab obliuione vindicarent, vt explicat Serarius. Vel obliuionem vocat prosperum successum, qui solet malorum obliuionem afferre, vt ait Sà. Quo pertinet illud Iosephi patriarchæ, qui primogenitum suum vocauit Manassem, dicens. *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.*[b]

a Nu. 31. 24.

b Genes. 41. 51.

CXII. *Lætitia populi Hierosolymis.* IMITATA est Iuditha Dauidem consecrantem Deo opima, & pretiosissima quæque spolia hostium, vt habetur 2. Reg. 8. Lætatus est autem populus vniuersus, *secundùm faciem Sanctorum*, id est spirituali lætitia, prout decet sanctos; ita vt modestia, temperantia, charitas, nullum acciperet detrimentum, vt explicat Chartus. Nam epulari solebāt post pacifica sacrificia, quorum magna pars in vsum offerentium cedebant.[c] Aut certè vt Sà, & Vatablus explicant, lætati sunt, ante ipsum templum, vbi sacrificia offerebantur Deo. Sic supra dicebantur orantes cecidisse *ad faciem templi*, & extendisse saccos suos, *ad faciem Domini*: ne darentur sancta in pollutionem, & opprobrium, & gaudium gentibus. Et per tres menses gaudium huius victoriæ celebratum est cum Iudith; post dies autem illos vnusquisque rediit in domum suam; Iuditha quoque in Bethuliam reuersa est.

c Deut. c. 12. 12. c. 14. 26. c. 16. 11. 14. c. 26. 11. c. 27. 7.

CXIII. *Ratio temporis.* ET hæc quidem totum hunc nonum regis Manassis annum occupasse satis intelligi potest. Nam recens collectam messem mense Maio obsidio secuta est, quæ vnum fere mensem tenuit. Custodia enim aquæ apposita, intra viginti dies, aut, vt in Græco legitur, quatuor & triginta, defecerunt aquæ in ciuitate; inde secuti sunt quinque dies Iudithæ, tum triginta profligati exercitus, & collectorum spoliorum; denique tres menses Hierosolymitanæ lætitiæ. Cuius qui principem, & non solum participem Manassem dixerit, etsi prudenter, vt supra dictum est, nominatus nusquam fuerit, nequaquam aberrabit à vero. Ad eum iam cum noui anni initio reuertamur. Nam quæ de Iuditha supersunt, ad vlteriora tempora; mors autem ad quartum & vigesimum Iosiæ regis annum pertinet.

## *SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3346.*

1. N. XLI. In Græco etiam additur: *non sustinebunt potentiam equorum nostrorum. Comburemus enim eos*, vel vt alij melius; *conculcabimus enim eos in ipsis, & montes eorum inclinabuntur*, vel *inebriabuntur in sanguine ipsorum; & campi eorum implebuntur mortuis ipsorum, & non resistet*, siue subsistet *vestigium pedum ipsorum ad faciem nostram, sed perditione perdentur, dicit rex Nabuchodonosor Dominus vniuersæ terræ.* Æmulatur impius sermonem Domini per prophetas suos.

2. XCVI. In Græco legitur: & accedens ad canonem lecti, vbi Serarius legendum putat *κίονι* pro *κανὶν*, præsertim cùm mox de eadem lecti columna in Græco sit mentio. Accedens ergo ad columnam lecti, quæ erat ad caput Holofernis, deposuit acinacem eius ab eo. D. Hieronymus vertit pugionem iuxta latinorum vsum; ad significandum gladium illum Persicum fuisse breuiorem. Ideoque Iosephus lib. vltimo antiq. cap. 7. ait sicatiorum *ξιφίδια*, id est gladiolos magnitudine persimiles Persarum acinacibus incuruis, aut instar sicarum Romanarum; qua de re vide ibi plura apud Serarium, & memor esto, hinc confirmari Holofernem fuisse genere Persam, vt supra diximus.

3. N. eod. Diuus Augustinus sermone de temp. *Videns Iudith inimici corporis inclinatas ebrietate ceruices, surgens ipsius cruentum arripit collum; comam quoque barbari capitis manu occupauit. Domine, inquit, confirma brachium meum, & percussit tertio in collo eius, & amputauit caput eius.*



## ANNVS MVNDI 3347. QVINTAE AETATIS 408.
FVNDATI TEMPLI 25. MANASSIS REGIS IVDÆ 10.
ELIACHIMI SIVE IOACHIMI PONT. 4. MEROD. 24.
IMPERII BABYLON. 14. OLYMP. XVIII.
AN. 2. NVMÆ POMPILII 8.
VRBIS COND. 46.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 706.



SALIORVM institutionem Romæ in præsentem Pompilij annum refert Plutarchus in Numa, eiusque hanc occasionem affert. *Regnante*, inquit, *eo annum iam octauum, pestilens morbus grassatus Italiam afflixit, vrbemque Romam. Eius rei causa mœrente populo, ferunt peltam aurcam è cælo delapsam, in Numæ manus incidisse, de ea Numam mirabilem orationem habuisse, cuius quidem Egeriam, & Musas authores perhibuerit. Eam peltam in salutem Vrbis missam, oportereque eam asseruari, vndecim aliis confectis, quæ figura, magnitudine, formaque eius essent adsimiles, vt propter eam similitudinem furibus eam, quæ de cælo delapsa fuisset, inuestigandi facultas adimeretur.* Addit confirmatam eam orationem subito luis fine. Peltam autem propositam artificibus, vt de similitudine effingenda certarent, reliquis diffidentibus Veturium Mamurium ita eam expressisse, vt ipse quoque Numa veram à fictitiis non discerneret. Plura ibidem de ratione nominis, & forma horum ancilium reperies. I. *Ancilia sacra Romæ quæ?*

HARVM peltarum custodes, vt ait idem Plutarchus, & ministros, Salios ille sacerdotes constituit. Salij nominantur, inquit, non vt fabulantur nonnulli, à Salio quodam Samothrace, aut Mantinensi, qui saltationem armatam docuerit: sed ab ipsa potius choræa, quæ saltibus constat, quam per vrbem circumeuntes ducunt, cùm mense Martio sacras peltas gestant, puniceas tunicas induti, mitrasque latis æreis cincti, & galeas æreas ferentes, pugionibusque arma pulsantes. Reliqua tripudij pars pedum officio constabat; mouebantur enim eleganter, celeriter, atque confestim orbes implicantes, atque euoluentes; multumque in eo roboris, & agilitatis ostendentes. Mamurio autem mercedis nomine datum aiunt, vt eum Salij inter pyrrhicam saltationem cantarent. II. *Eorum custodes Salij, & quibusnam ritu.*

MVLTIPLICEM attulit proxima de Holoferne, & Assyriorum exercitu victoria, omnibus circumquaque gentibus vtilitatem. Nam Manasses, eiusque populus omnis vehementer excitatus est ad diuinum cultum magis, magisque restituendum. Neque id externa tantum specie, vel perfunctoriè, sed ingenti studio ad solide constabiliendam fidem in eorum animis, qui nuper ex idololatria reuersi, in vera pietate adhuc teneri erant, & infirmi; quam ad rem maximum momentum attulisse tam mirabilem, & insperatum victoriam dubitari nullo modo potest. Non exigua etiam fuit adeptæ à toto Iudaico populo libertatis vtilitas, quæ nuper ad vltimum fuerat adducta discrimen. Accessit infinita præda, & ex variis prouinciis collecti thesaurorum acerui; quibus Iudæi, qui nuper in captiuitate Manassis, cum rege suo, spoliati fuerant, vehementer locupletati sunt. III. *Victoria de Holoferne fructus apud Iudæos.*

SED vicini quoque omnes Asiæ populi rempublicam ipsi suam, cum auita libertate recuperarunt: de quibus Iudith. c. 2. & 3. Quod de Medis in primis existimandum est, quorum respublica absque dubitatione, cum suis aliquot regibus, vsque ad Cyrum sterit. IV. *Cæterasque gentes, Medos inde. Et Babylonios, ipsumque Merodachum.*

QVID autem Nabuchodonosor (qui & Merodach, & fortasse superbum illud nomen deuicto Arphaxado Medorum rege acceperat, quod etiam apud eius posteros propagatum est, ad eum vsque regem, qui magnus Nabuchodo-


nosor dictus est) Quid, inquam, Nabuchodonosor tanta clade affectus, & accisis propemodum Assyriorum viribus? Vtique silet, eiusque iracundiæ calor, quasi superfusa frigida deferuescit, nemini negotium facescit, hoc fortasse in lucro deputans, quod afflicti ab eius exercitu populi, in eum vicissim non coniurarent, & infesta, contra tot populorum hostem, arma caperent.

V. *Quis nunc Babylone rerum status.* INTELLEXIT, nisi plane amens fuit, alium esse potentiorem se Deum, qui infinitas eius copias, vel manu fœminæ, facilè delere potuisset. Meminerat cædem exercitus Sennacheribi, non multò post secutam regis ipsius cædem, ex quo sibi quoque timere poterat. Cogitauit etiam fortasse nondum imperij Babylonici aduenisse tempus, cum illud, sub eius præproperam natiuitatem, cerneret propemodum fuisse suffocatum. Domi autem, quid ab ipso Merodacho, Chaldæisque, & Niniuitis factum putamus? nisi inustam nomini Holofernis dedecoris, atque infamiæ notam sempiternam; illos eum, eiusque cognatos, amicos, atque affines omnes, execratos fuisse, quasi suorum, qui in infami illa clade ceciderant, peremptores. Exacuebat enim carorum cum dedecore amissorum dolor: & vitæ simul, atque honoris amissi perpudebat, quod ebrij, quod à fœmina, quod ab imbellibus, quod ab inermibus, vt ipsi dictitarant, [a] contrucidati fuissent, & ad internecionem pene deleti. *a Iudith. 5. 17.*

VI. *Iuditha gloria.* IVDITHA autem regressa in domum, & ciuitatem suam *magna facta est in Bethulia*, vt ait Scriptura, [b] *& præclarior erat vniuersa terra Israel*, id est gloria, & celebritate nominis antecedebat omnes Israëlitas, propter tam illustrem victoriam, & populum vniuersum à præsentissima peste, & interitu liberatum. Sed alia quoque ad huius incrementa laudis accedebant. *Et castitas.* *Erat etiam*, inquit Sacer historicus, *virtuti castitas adiuncta*, vt quamquam à multis, præstantibus vtique viris, in coniugium expeteretur, innupta tamen, & continens permaneret, *omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus fuerat Manasses vir eius.* Post primas ergo nuptias, non post secundas, aut tertias, viduitatem coluit, ad quam etiam colendæ viduitatis laudem facit ætas florens. *b c. 16. 25.*

VII. *Quæ eam commendent. Ætas. Forma, Facultates, Gloria. Defectus prolis.* CVM enim statuerimus eam sub annum ætatis trigesimum tertium extinxisse Holofernem, quando iam à tribus annis cum dimidio vidua erat, [c] dicendum est eam vigesimum nonum annum egisse, cum facta est vidua. Facit etiam ad eam laudem formæ præstantia, sæpe in eius historia celebrata; faciunt amplissimæ facultates, eodem capite 8. recensitæ; facit magnitudo gloriæ apud omnes acquisitæ; facit vitæ diuturnitas, & constans reipublicæ tranquillitas: & quod omnium maximum eo tempore censeatur coniugij incitamentum, defectus prolis. Quod ex eo Serarius colligit, [d] quia in textu Græco habetur eam antequam moreretur diuisisse omnia bona sua propinquis viri sui, & propinquis sui ipsius generis, id est affinibus, & consanguineis. Cùm ergo nullam filiis bonorum suorum assignet portionem, meritò liberis caruisse existimanda est; nisi fortè illi absque liberis ante matrem mortui sunt; neque enim libet suspicari eam tam malos ex Manasse genuisse liberos, qui penitus excutiendi forent ab hæreditate; id enim multum eius felicitatem diminueret, quam Scriptura commemorat. *c vtere 8. v. 4. côllat.* *d c. 16. q. 8.*

VIII. *Dimisit liberam Abram suam.* QVOD autem versu 28. dicitur Iuditham dimisisse abram suam liberam, id quidem conuenientissimè factum est. Neq; enim eam seruire vltra seruitutem decebat, quæ libertatis totius populi quoddam fuerat instrumentum. Nec dubium, quin etiam fuerit Assyriorum quoque spoliis locupletata. Quamuis autem libertatis eius, sub dominæ mortis expositionem, tantùm fiat mentio; non dubium tamen quin eo beneficio quamprimum affecta fuerit; bis enim dat, qui cito dat. Etsi nihilominus existimem, eam cum domina in eius domo, quamuis mutata conditione, consenuisse; quod apud Hebræos fuisse vsitatum satis ex Scriptura [e] non vno in loco intelligi potest. *e Deut. 15. 7 Exod. 21. 6.*



ANNVS MVNDI 3350. QVINTAE AETATIS 411. FVNDATI TEMPLI 318. MANASSIS REGIS IVDÆ 13. IOACHIMI PONTIFICIS 7. MERODACHI 27. IMPERII BABYLONIORVM 17. OLYMPIADIS XIX. AN. 1. NVMÆ POMPILII II. VRBIS CONDITÆ 49.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 703.



VNDANVS Iubilæus agitur hoc anno, ab orbe condito 67. & initium Olympiadis decimæ nonæ, quæ Olympionicam habuit Menonem Megarensem, qui & Minos alicubi appellatur, de quo memoria dignum nihil reperi. In hac Olympiade quidam Achilochum floruisse notāt. Clemens Alexandrinus circa Olympiadem vigesimam, Cyrillus in Olympiadem tertiam & vigesimam eum differt, Eusebius ad vigesimam nonam, vt supra anno 3334. numero primo diximus. I. *Iubilæus, & Olympias 19.*

AVTHOR imperfecti operis in Matth. de his, & sequentibus Manassis annis ita loquitur; [a] *Et seruiuit soli Domino Deo in toto corde suo, & in tota anima sua, omnibus diebus vitæ suæ, & reputatus est iustus, & ideo fortè vocatus est ab insurgente* (sic enim Manassis nomen interpretatur ipse) *& ex obliuione, quia liberauit eum Dominus ab insurgente, & ex obliuione Dei, factus est memor Dei.* Hæc ipse: vbi videtur alludere ad ea, quæ de eius post conuersionem viuendi ratione scripsit Iosephus. [b] *Adeoque,* inquit, *in melius mutatus est, vt ex quo Deum colere cœpit, toto vitæ tempore prædicatus sit beatissimus.* Quod à Comestore in historia scholastica, [c] Bergomate, Zonara, aliisque repetitur. Vide etiam Cyrillum lib. 5. in Ioan. cap. 17. II. *Manassis vita religiosa.*

a Homil. 1.
b Lib. 10. ant. c. 4.
c l. 4. c. 33.


ADDAM etiam de Manasse, quæ ille belli tempore ædificare cœperat in Ierusalem, ea per otium his, & sequentibus annis perfecisse. De Merodach verò, siue Nabuchodonosore, quod proprium horum annorum sit, nihil traditum reperi. Nam quod in textu Græco Iudithæ cap. 2. dicitur annō octauodecimo Nabuchodonosoris susceptum ab eo bellum contra omnes nationes, quod Vulgata editio in annum eius decimum tertium refert, eam potius sequendam duximus, vt dispositioni annorum Iudithæ magis congruentem, & maiori authoritate subnixam. Sæpe enim in codicibus Græcis circa numeros inueniuntur errata; præsertim in libris Tobiæ, & Iudith. Qua de re vide Serarium quæst. 8. in vlt. cap. Tobiæ. Ergo vtriusque regis multorum annorum gestæ res silentio, & tenebris obrutæ delitescunt. III. *Idem ædificat.*



ANNVS MVNDI 3353. QVINTAE AETATIS 414.
FVNDATI TEMPLI 331. MANASSIS REGIS IVDÆ 16.
ELIACHIMI PONTIFICIS 10. MERODACHI 30. IMPERII BABYLONIORVM 20. OLYMP. XIX.
AN. 4. NVMÆ POMPILII 14.
VRBIS COND. 52.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 700.

I. *Ratio temporu ante Christum.* EPTEM adhuc omnino ſecula hoc anno ad felicem vſque Saluatoris ortum numerantur. Qui idem cùm ſit quinquageſimus ſecũdus ab Vrbe condita, conſequens eſt, modo prouideamus ne vnum, eundémque annum bis numeremus, Chriſti Domini natiuitatem in annum 751. ab eiuſdem Vrbis ortu incidiſſe; quod rectè cum anno primo Olympiadis ſeptimæ congruit, vt *Annus Sabb.* 110. ibi notauimus. Et patebit ex iis, quæ in eundem Vrbis annum dicturi ſumus. Eſt porro hic annus Sabbaticus 110.



ANNVS MVNDI 3354. QVINTAE ÆTATIS 415.
FVNDATI TEMPLI 332. MANASSIS REGIS IVDÆ 17.
IOACHIMI PONTIFICIS 11. MERODACHI 31. IMPERII BABYLONICI 21. OLYMPIADIS XX.
ANN. 1. NVMÆ POMPILII 15.
VRBIS COND. 53.


ANNVS ANTE CHRISTVM 699.

I. *Tarentina colonia.* LYMPIAS vigeſima Atheradam Lacedæmonium habuit in ſtadio Olympionicam, vt eſt in eorum catalogo; quo tempore Tarentum celebrem Italiæ vrbem conditam plerique tradiderunt; aut potius noua colonia inſtauratam, quamuis Euſebius rem ad Olympiadem 18. retulerit. Inſtauratam duntaxat nouis habitatoribus, author eſt libro 10. Pauſanias, qui cùm * dixiſſet Lacedæmonios coloniam deduxiſſe Tarentum, Phalanto Spartano duce, mox addit illam vrbem iam tum maximam, & opulentiſſimam eum cœpiſſe, cui Heroëm quendam Taranta nomine, Neptuni, & indigenæ nymphæ filium, olim nomen dediſſe ferebatur. Comites Phalantis dicti ſunt Partheniæ ab Euſebio, qui ſcilicet tempore Meſſeniaci belli Spartæ ex promiſcuo concubitu nati fuerant, cùm Lacedæmonij bello, & iureiurando detenti, patria abeſſent, vt videre eſt apud Pauſaniam. ** pag. 316. Græ.*

II. *Manaſſis anni vacui.* QVOD ad ſacram hiſtoriam attinet, vacuos hoſce annos, ſicut & magna ex parte præcedentes, & ſequentes inuenio. Manaſſes bonus, & pius factus, in alto vixit ſilentio, vt de induſtria latere voluiſſe videatur: malus autem omnium ora Sanctorum, atque prophetarum, ad loquendum contra ipſum aperuit. Quid cauſæ fuiſſe dixerimus? An quia exceſſus in vtramque partem, vt facilè incurrit in oculos, animoſque hominum, ita facilè omnium ore celebratur. Ipſe autem in malis omnem exceſſit mediocritatem, in bonis mediocritatem tenuit.

III. *Rabinorũ de Manaſſe chronologia improbatur.* IAM ſupra ſuo loco monuimus Chronicum maius Hebræorum cap. 24. referre Manaſſem anno regni ſui vigeſimo ſecundo abductum eſſe captiuum, & tribus, & triginta annis ante obitum ſuum egiſſe pœnitentiam; & ita Talmudi-

cos scripsisse author est Kimhi in 4. Ezechielis: quod etiam refert Genebrardus in suo Chronico. Sed hæc cum diuturnitate pacis, quæ victoriam Iudithæ de Holoferne consecuta est, eiusque centum, & quinque annis vitæ non consentiunt; sed neque cum annis regni Merodachi. Nam vigesimus secundus Manassis respondet non decimo tertio Merodachi, sed vigesimo sexto imperij Babyloniorum. Sed illud est in hac Rabinorum opinione non contemnendum, quod annuam circiter eius captiuitatem faciunt, & statim ab ea reducem, bonam mentem, quam in vinculis diuinitus conceperat retinuisse, & in rem suam conuertisse arbitrantur.



## ANNVS MVNDI 3358. QVINTÆ ÆTATIS 419. FVNDATI TEMPLI 336. MANASSIS REGIS IVDÆ 21. IOACHIMI PONTIFICIS 15. MERODACHI 35. IMPERII BABYLONIORVM 25. OLYMPIADIS XXI. AN. 1. NVMÆ 19. VRBIS CONDITÆ 57.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 695.



PANTACLES Atheniensis vigesima prima Olympiade in stadio victoria cursus nobilitatus est; iterumque post annos quatuor in vigesima secunda. In annum autem tertium vigesimæ primæ cadit annus Sabbaticus, ordine centesimus vndecimus. *I. Olympias 21. & 22.*



## ANNVS MVNDI 3366. QVINTAE AETATIS 427. FVNDATI TEMPLI 344. MANASSIS REGIS IVDÆ 29. IOACHIMI PONTIFICIS 23. MERODACHI 43. IMPERII BABYLONICI 33. OLYMPIADIS XXIII. AN. 1. NVMÆ 27. VRBIS CONDITÆ 65.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 687.



SANCTVS Cyrillus, quod semel, iterumque monuimus, Archilochum poëtam in hanc Olympiadem differt. Nec video cur omnes de eo hactenus memoratæ opiniones veræ esse non possint. Pluribus enim annis, atque Olympiadibus nobilia poëmata edere potuit, quibus celebraretur. Maior est de Hipponacte dubitandi ratio, quem Eusebius in hanc vigesimam tertiam Olympiadem refert, Sanctus Cyrillus in vigesimam nonam. Plinius autem [a] certum esse ait eum Olympiade sexagesima fuisse. Vicit in stadio hac Olympiade Icarus Hyperesiensis, vt testatur Pausanias. [b] Additur in catalogo Olympionicarum ex Pausania [c] restituta certamina cæstuũ, in quibus Onomastus quidam Smyrnæus victor extitit. Proximus annus, qui fuit huius Olympiadis secundus annum habuit Sabbaticum 112. Iuxta supputationem Pausaniæ hoc primum anno cõstituti sunt Athenis annui magistratus, abdicatis principibus, qui decennio rempublicam administrabant; etsi Eusebius quadriennio posterius id factum putet; iuxta ea, quæ Olympiadis XIV. anno primo dicta sunt.

*I. Archilochus.* *Hipponax.* *An. Sabb. 112.*

a l. 35 c. 5.
b l. 4 p. 125. Græc.
c l. 5. p. 155. Græc.

ANNVS MVNDI 3370. QVINTÆ AETATIS 431. FVNDATI TEMPLI 348. MANASSIS REGIS IVDÆ 33. IOACHIMI PONTIFICIS 27. MERODACHI 47. IMPERII BABYLONICI 37. OLYMPIADIS XXIV. AN. 1. NVMÆ 31.

VRB. COND. 69.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 683.

I. *Nouem Archõtes Athenis.*



NOVEM magistratus, quos aliqui ἄρχοντες retenta voce Græca, alii principes, alii denique Prætores vocent, Athenis singulis annis rempublicam administrare cœperunt hoc anno, iuxta Eusebii chronologiam. Eorum primus rex erat, sacrorum videlicet, vt apud Romanos statim ab exactis regibus fieri cæptum est, alter Polemarchus, siue militiæ præfectus, tertius Ephorus, qui nomen anno dabat, sex reliqui Thesmothetæ dicebantur. Vide Carolum Sigonium in Democratia Atheniensium. Primus, qui anno dedit nomen dictus est Creon, vt Creone Prætore res facta diceretur: Secundus apud Sigonium est Tlesias, qui apud Pausaniam videtur quartus, in Olympico autem stadio vicit hoc anno Cleoptolemus.



ANNVS MVNDI 3371. QVINTAE AETATIS 432. FVNDATI TEMPLI 349. MANASSIS REGIS IVDÆ 34. IOACHIMI PONTIFICIS 28. MERODACHI 48. IMPERII BABYLONICI 38. OLYMPIADIS XXIV. ANNVS 2. NVMÆ 32.

VRBIS COND. 70.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 682.

I. *Ortus Amonis regis.*



HOC anno natus est Amon regni Iudaici hæres. Cum enim vterque Scripturæ [a] locus asserat viginti duorum annorum fuisse cum regnare cœpit, oportet eum hoc anno natum esse, & quidem sub eius initiũ, sic vt primus regni eius sit ætatis vigesimus tertius. Sicq. explicari potest chronicum Hebrȩum quod c 24. ait viginti trium annorum fuisse, inchoatorum videlicet, cùm regnare cœpit. Erat autem hic annus vitæ Manassis quadragesimus sextus: ex quo intelligitur priores Manassis filios, dæmoni pridem ab impio parente cõsecratos, non diu superuixisse, & in parentis pœnam, à Deo cita morte sublatos; hunc autem deinde suscepisse, vt per eum regnum Iuda, & Dauid propagaretur ad Christum vsque. Suscepisse autem ex Messalemeth filia Harus de Ieteba, vt dicitur 4 Reg. [b] Eam Iosephus vocat Emallemam. Hieronymus sub initium comment. in Sophoniam. *Legimus*, inquit, Manassem post multa scelera, & post captiuitatem in Babylone egisse pœnitentiam, & ad meliora conuersum Domini misericordiam consecutum. Vnde & fidei per quam crediderat Deo, filium vocauit Amon. Siquidem Amon fides interpretatur Author imperfecti in Math. eum vocat Amos, aliamque propterea nominis notationem sequitur, ac circa eam variè philosophatur, eum vide.

a 4. Reg. 21.18 19. 2. Par. 32. c. 21.

b ca. 21. 19.

Cyzicum nobilem in Hellesponto ciuitatem hoc anno conditam leges apud Eusebium, sed restauratam accipiendum est. Nam conditam reperies anno mundi 2771. id est ante annos omnino sexcentos.



ANNVS MVNDI 3374. QVINTÆ ÆTATIS 435. TEMPLI FVNDATI 352. MANASSIS REGIS IVDÆ 37. IOACHIMI PONTIFICIS 31 MERODACHI 51. IMPERII BABYLONICI 41. OLYMPIADIS XXV. AN. 1. NVMÆ POMPIL. 35. VRBIS CONDITÆ. 73.

ANNVS ANTE CHRISTVM 679.



OLYMPIAS XXV. Olympionicam habuit Talpium Lacedæmonium cursorem. Additus est ludicro, cursus equorum adultorum, Pagondas Thebanus primus in eiusmodi equorum curru victor fuit, vt est in Olympionicarum catalogo ex Pausania. * Fuit hic annus apud Hebræos Sabbaticus 113. quem, sicut tres proxime elapsos, rite Hierosolymis obseruatos par est credere, cum castigatus iam Manasses pietatem coleret. Quidem Anacreontem Lyricum poëtam hoc anno floruisse tradiderunt: quem Eusebius vltra Olympiadem sexagesimam differt.

I. Olympias 25.

*al. 5. p. 155. græ.



ANNVS MVNDI 3375. QVINTAE AETATIS 436. FVNDATI TEMPLI 353. MANASSIS REGIS 38. IOACHIMI PONTIFICIS 32. MERODACHI 52. & VLTIM. IMPERII BABYLONICI 42. OLYMPIADIS XXV. AN. 2. NVMÆ 36. VRBIS CONDITÆ 74.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 678.



COMMVNIS est chronologorum sententia, quam supra anno Manassis octauo secuti sumus, Regem Merodach duobus & quinquaginta annis regnasse. Ita sentit Genebrardus in chronologia, Torniellus in tabulis suis, & anno quintæ ætatis 361. Gordonius in 5. periodo. Annius in suo Methastene, Samerius in sacra chronologia. Mercator item, & Functius in chronologia, qui fere sentiunt eum regnasse 12. annis apud Babylon. postea occupasse Assyriam à morte Asaraddon. à quo deinceps ei anni 40. tribuuntur. Sed conuenientius est Scripturæ, aliisque chronologis qui 10. tantum annos Assaraddoni tribuunt, duos annos à priore numero ad posteriorem transferre, manente eadem 52. annorum summa; qui à morte Sennacheribi inchoati, hoc denique anno finiuntur. Quemadmodum autẽ de numero annorum eius nihil traditur à Scriptura, ita neque de morte eius, hæc enim duo solet illa coniungere.

I. Mors Merodachi.



ANNVS MVNDI 3376. QVINTAE AETATIS 437.
FVNDATI TEMPLI 354. MANASSIS REGIS IVDÆ 39.
IOACHIMI PONTIFICIS 33. BEN. MERODACHI
1. IMPERII BABYLONIORVM 43.
OLYMPIADIS XXV. AN. 3.
NVMÆ 37. VRBIS
CONDITÆ 75.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 677.

I. *Regnum Benmerodach.*



TRIGESIMVS nonus Manassis annus cum primo noui Babyloniorum regis anno concurrit, qui cum idem haberet cum priore rege patre suo nomen, differentiam addictus est Ben Merodach, id est, filius Merodach. Quem Babyloniorum regem prioris successorem agnoscit etiam Eusebius. Cæterum ab hoc anno vsque ad initium regni Nabuchodon. qui Magnus dictus est, factusque est Babyloniorum monarcha, anni intercedunt 53. (Nam vt habetur apud Ieremiam [a] primus eius annus est quartus regni Ioachim) hos annos, quoniam omnes patri eius tribuere non possumus, repugnante Iosepho, ac Beroso, vt mox dicemus, bipertito diuidere oportet, & partem vnam tribuere patri illius Nabuchod. alteram auo, de quo nunc agimus. Porro pater apud Iosephum l. 1. contra Appionem ex Beroso Chaldæo, vocatur Nabolassar, eique 29. anni tribuuntur, at l. 10. antiq. c. 11. ex eodem Beroso l. 3. Chaldaicorum, vocatur Nabuchodonosor senior, eique anni vnus, & viginti assignantur, vter autem eorum locorum sit mendosus non apparet: vtrumque non male conciliat Torniellus, vt octo annis cum patre, vnum & viginti siue patre regnarit. Ipsius ergo annus primus cadet in 14. Iosiæ: reliqui erunt anni duo, & 30. qui ad Ben- Merodach pertinebunt. a. c. 25. 1. a. m. 3408. n. 3.

II. *Gesta eius.* HVIVS regis gestæ res in obscuro manserunt. Significat ex Beroso Iosephus l. 1. contra Apponem, eum Aegypto, inferiori Syriæ, & Phœniciæ dominatum fuisse. Quæ cum à patre eius Merodach Baladam non legamus proprio adiecta regno, quod expectatione sua frustratus fuisset, amisso in Iudæa Holoferne cum maximis copiis, consequenter ab hoc eius filio bello acquisita dicendum erit. Vide Comestorem in historia Daniel. c. 5. Viuem in lib. de ciuitate Dei l. 18. c. 26.

ANNVS MVNDI 3377. QVINTÆ AETATIS 438. FVNDATI TEMPLI 355. MANASSIS REGIS IVDÆ 40. IOACHIMI PONTIFICIS 34. BEN- MERODACHI 2. IMPERII BABYLONIORVM 44. OLYMPIADIS XXV. AN. 4. NVMÆ 38. VRBIS CONDITÆ 76.

ANNVS ANTE CHRISTVM. 676.

IN annum Manassis 40. Senioris Tobiæ mors incidit.[a] Hic enim est annus 102. vitæ eius, à 51. anno Oziæ, à quo tempore centum anni Olympiadici, & duo illius regis elapsi sunt. Est hic idem annus quadragesimus secundus ab illuminatione, quam supra diximus anno 27. Ezechiæ cõtigisse. Sic enim ait Scriptor ipse.[b] *Et postquã illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum suorum. Cõpletis itaq; annis centum duobus, sepultus est honorifice in Niniue. Quinquaginta namque & sex annorum lumen oculorum amisit, sexagenarius vero recepit; reliquum vero vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei, perrexit in pace.* Id compendio dictum ab interprete: in Græco sic legimus, *Porro sublevabat inopes, & pergebat Dominum Deum religiose colere, atque celebrare.* Noluit bonus senex in eximio virtutum ante partatum gradu acquiescere, sed cum bono profectu timoris Domini consenuit, & perrexit in pace. — I. *Obitus Tobiæ senioris.*

(Margin: a vide a.m. 3316. — b c. 14. 1.)

QVIN etiam sollicitus in aliis, domesticis præsertim, promouere timorem Dei, & filio, & filiis eius, nepotibus suis præcepta salutis inculcat. *Audite ergo,* inquit, *filii mei patrem vestrorũ. Seruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis quæ placita sunt illi. Et filiis vestris mandate, vt faciant iustitias, & eleemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.* Quanti id esset, potuit senex docere exemplo suo: sed eo nunc omisso, profert aliud, quod est in textu Græco de Achiacharo filio fratris sui, qui cum nutritius fuisset cuiusdam Amani principis, eius nefariis artibus in carcerem coniectus est, & in vitæ discrimen adductus. Verum Deus hominem beneficum in pauperes è tenebris eduxit, & Amanem hostem eius in tenebras coniecit. *Vide fili,* inquit, *quid fecit Aman Achiacharo, qui nutriuerat eum, quomodo è luce adduxit eum in tenebras, & quæcumque retribuit ei,* id est, & quam ingratus in eum fuerit, sed quo euentu? *Cæterum Achiacharus quidem seruatus est, vicem vero retulerunt ei, vt in tenebras ipse descenderet.* Addit & alterum exemplum Manassis cuiusdam. Illum quidam Iudithæ virum suspicantur, quem apparet virum fuisse bonum, & misericordem, tali vxore dignum; nec tempus repugnat, sed parum consentit locus. Qui cum fuisset & ipse misericors in egenos, laqueum sibi ab Amane paratum euasit, quem iste induit, & periit: vnde concludit. *Et nunc filii videte quid eleemosyna facit, & quomodo iustitia liberat.* — II. *Dat suis monita salutis.* *Et commẽdat beneficentiam in pauperes.* *Exemplo Achiachari.* *Et Manassis.*

(Margin: c c. 14. v. 10.)

AD hæc salutaria monita, adiunxit, & præcepta, quæ prædictionem coniunctam habent, aperiente Domino illi mentis oculos eo tempore, quo homines præsentire magis futura, ac præcipere existimantur. Tribus autem de rebus vaticinatur: primo de interitu Niniue, in hæc verba, *Prope erit interitus Niniue, non enim excidit verbum Domini:* quæ vberius habentur in Græco, *Abi in Mediam fili, quoniam credidi quæcumque locutus est Ionas propheta de Niniue, quæ subuertetur. In Media autem erit pax magis vsque ad tempus,* quo scilicet magnus Nabuchodonosor totam sibi Asiam subiugauit. Et iterum, *Et nunc fili discede à Niniue, quoniam omnino erunt quæ locutus est propheta Ionas,* Et in fine cap. vbi de morte iunioris Tobiæ agitur, *Et mortuus est annorum* 127. *in Ecbatanis Mediæ, & audiuit priusquam moreretur perditio-* — III. *Tobias vaticinatur de interitu Niniue.*

*nem Niniue, quam captiuauit Nabuchodonosor & Assuerus, & gauisus est, antequam moreretur, super Niniue.*

IV. *Quo anno fecerint eam cladem.* Occurrit autem hoc loco grauissima difficultas circa tempus euersionis Niniues, quam impeditissimam esse fatentur omnes chronologi. Nam si ponamus Niniuem euersam à Nabuchodonosor post euersam Hierosolymam, & Alexandriam vigesimo quarto aut 25. anno Nabuch. vt vult Ribera[a] & Serar.[b] quomodo de ea euersione, quasi de re admodum propinqua, agit senior Tobias? quomodo eam ante mortẽ audiuit Tobias Iunior? cum is mortuus fuerit anno, 16. Iosiæ, à quo anno vsque ad 25. Nabuchodonosoris, anni plures 40. numerantur. Et licet ei annos 127. vitæ tribueremus, huius tamen sonitum ruinæ audire non potuisset. Quoniam illi anni in decimo tantum Nabuchodonosoris anno, qui est secundus Sedeciæ terminarentur. Deinde quomodo Nabuchodon. cepit Niniuem, cum ea iampridem esset in Babyloniorum potestate? Quomodo item cum Assuero, quem viri docti Cyaxarem Medum fuisse dicunt, cepit Niniuem Nabuchod. cum Medi à capta Ecbatana per Nabuchodonosorem, & interfecto eorum rege Arphaxado, Babyloniorum hostes fuerint: vtrisque imperium Asiæ ambientibus. *a in c. 2. Nahum. n. 19. & seqq. b c. 14. Tob. q. 4.*

V. *Niniue sæpius capta.* Dicendum videtur Niniuem sæpe captam, & euersam, & propter multas loci opportunitates, sæpius restitutam fuisse. Ita fatetur Torniellus, anno quintæ ætatis 349. Gordon.[c] Ribera,[d] & alii. Et certe constat ex Diodoro Siculo captam ab Arbacte Medo, ex Herodoto à Cyaxare item Medo, ex hoc loco Tobiæ à Nabuchodonosore, & Assuero. Cum enim ea ciuitas imperii Asiæ Metropolis multis seculis fuisset, essetque potentia, & opibus, & situs opportunitate in primis optabilis, quicumque imperium Asiæ ambiebant, eam quoque vrbem affectabant: Medi præsertim, & Babylonii, qui eo tempore potentissimi erant in Asia. *c c. 5. chronol. n. 18. d in c. 2. Nahum. n. 14.*

VI. *De qua euersione agat Tobias.* Existimo secundo in lib. Tobiæ non agi de postrema euersione Niniues, qua & funditus deleta est; & de qua agitur in prophetia Nahum, nam cum ea contigerit sub primum annum imperii Nabuchod. qui est 24. regni eius, vt suo loco dicetur, eò non potuit Iunior Tobias viuendo peruenisse: & confirmatur, quia textus græcus nominatim agit de euersione prænunciata à Iona. Quod autem in chronico Hebræorum dicitur, anno primo Nabuchodonosor subegisse Niniuem, secundo ascendisse in Iudæam, & subiugasse Ioacim, emendandum est. Confudit enim annum primum regni Nabuchod. cum anno primo imperii eius, quæ 24. annis disiuncta sunt, nec potest euersio Niniues in primum illum regni annum cadere, vt fusius docet Ribera in c. 2. Nahum,[e] & nos suo loco Deo fauente docebimus. *e n. 19 & 20.*

VII. *Non de postrema.* Existimo tertio, captiuitatem Niniue, de qua in libro Tobiæ, in regnum Iosiæ incidere; Nam cum vita iunioris Tobiæ non protendatur vltra decimum sextum annum Iosiæ, vt tota antecedens historia exigit, oportet eam primis annis Iosiæ captam fuisse, idque Tobiæ ante mortem innotuisse. Quod ergo de Nabuchodonosore capiente Niniuem ibi dicitur, non de magno Nabuchodonosore, sed de eius patre, qui iis temporibus regnauit, accipiendum est. Aut certe, quod magis placet, dicendum est Assuerum regem Medorum Niniuem occupasse, eamque hostilem in modum diuexasse, vt eam sibi redderet terrore subiectam; Nabuchodonosorem autem eam postea recepisse. Nam, vt diximus, non est verisimile duos hosce reges coniunctis armis, animisque vrbẽ Niniuem occupasse, tum quia hostes erant: tum quia ea ciuitate Babylonius iamdudum potiebatur. Nec textus cogit nos docere, Niniuem ab vtroque simul rege fuisse occupatam. Non enim ait audisse Tobiam Niniuem ab vtroque principe fuisse euersam, sed tantum audisse perditionem Niniue, priusquam moreretur. Itaque satis est, vt seorsim ab vtroq; capta sit, prius tamen ab altero, Assuero nimirum. Sed quis hic Assuerus? *Sed ea quæ facta à patre Nabuchodonos.*

VIII. *Quis Assuerus vastator Niniue.* Pontacus in notis in chronicum Eusebii,[f] ait plerisque viris doctis placere, vt Assuerus sit Cyaxares, idque affirmat Serarius,[g] quoniam primus Cyaxaris apud Euseb. chron. cadit in 16. Iosiæ, quo credimus Tobiam iuniorem esse defunctum. Et idem Eusebius anno 6. Cyaxaris regis Medorum, ait ipsum ad- *f in p. 110. g in c. 14. Tobiæ q. 3.*

uersus

uersus Assyrios dimicantem, Ninum ciuitatem cepisse: & rursum anno eius 24. ait eundem Cyaxarum Ninum ciuitatem subuertisse. Qua in re videtur secutus Herodotum l. 1. sed non bona fide. Is enim ait tantum Cyaxarem castra mouisse ad ciuitatem Ninum, studio vlciscendi patris, qui in ea expeditione perierat, & eam euertendi; Interea autem superuenisse Scythas, à quibus Asiæ imperium per 28. annos possessum fuerit, quibus expulsis, & interemptis, & sua recepisse, & Ninum expugnauisse.

VERUM iuxta chronologiam quam sequimur Magnus Nabuchodonosor, qui regnare cœpit tertio anno Ioacim, & cōsequenter post eius patrem Iosiam, prius regnare cœpit quam Cyaxares tredecim annis, Ideoque dicendum est Phraortem patrē Cyaxaris potius esse Assuerum, quam Cyaxarem, quem Phraortem Herodotus l. c. ait aduersus Assyrios expeditione sumpta, secundo & vicesimo regni sui anno, cum magna exercitus sui parte, periisse. Et de primo senioris Tobiæ vaticinio hactenus: si tamen addidero illud, *prope*, cum ait prope esse interitum Niniue, triginta circiter annos comprehendere, quoniam græcus textus significat parum ante mortem iunioris Tobiæ auditum ab eo interitum Niniue. Is autem vixit post mortem patris ad 32. annos: quod tempus exiguum videtur habita ratione antiquitatis, & diuturnitatis vrbis eius: quod si quis Tobiæ prophetiam ad id tempus referat, quo funditus à magno Nabuchodonosore deleta est, inuenientur anni 75.

IX. *Aut Phraortes potius.*

*Clades Niniuæ quandiu post mortē Tobiæ.*

15. Manass. 2. Amon. 31. Iosiæ 3. Ioacim 14 Nabuc — 75.

HUIUS ruinæ causam à Tobia si exquiramus, *video*, inquit, *quia iniquitas eius finē dabit ei*: quasi dicat: nō tempus edax rerum, & seculorum vetustas finem dabit ei, quæ Noetico diluuio propemodum æqualis fuit,[a] non item arma Chaldæorum, aut Medorum, sed iniquitas eius, quæ istos armauit in eius perniciem. Pœnitentia quidem eorum ad prædicationē Ionæ diuinam iram ab ea auerterat, sed redintegrata scelera eam reuocauerunt. Incitamentum vero ad omnia scelera, fuit in primis idololatria, quæ apud Niniuitas, Babylonios, Alexādrinos, aliasq; id genus primarias ciuitates perpetuo vehementer viguit, & omnium turpitudinum fœtidissima sentina fuit; deinde vero imperium, diuitiæ, luxus ac mollicies Asiana, eadem scelera infelici germine propagarunt.

v. 13. a vt Psal. Gen. 10. 11.

X. *Causa ruinæ Niniu.*

SECUNDO vaticinatur, de reditu Israelitarum in terram suam. *Et fratres nostri*, [b] *qui dispersi sunt à terra Israel, reuertentur ad eam*; quod non de 10. tribubus, quæ nūquam redierunt, sed de regno Iuda intelligendum est, etsi præterito tēpore pro futuro, prophetico more vtatur, ad rei certitudinem declarandam: idque perspicuum est ex iis, quæ mox de incenso templo subdit. *Omnis*, inquit, *deserta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum readificabitur*; atqui ante tēpli deflagrationem, quæ 19. ; Nabuchodonosoris contigit, adhuc 70. anni præterituri erant. Ideoque totus hic locus per futurum in Græco traditur, in hæc verba. *Quia fratres nostri*, inquit, *in terra dispergentur, à bona terra* regni Iudæ, alii enim iam dispersi erant à 63. annis, *& Hierosolyma erit deserta, & domus Dei in ea comburetur, & deserta erit vsque ad tempus* (Cyri) quando soluetur 70. annorum captiuitas; *Et rursus miserebitur eorum Deus, & reducet eos in terram, & adificabunt domum, non qualis prior, donec impleta fuerint tempora seculi.*

b vers. 6.

XI. *Altera prophetia, de captiuitate Iuda.*

TERTIO prophetat de vocatione gentium ad veri Dei cognitionem. Nomine Hierusalem Ecclesiam catholicam intelligit, sicut nomine regis Israel Christū Dominum, *Et relinquent*, ait *gentes Idola sua, & venient in Ierusalem, & habitabunt in ea, & gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israel*, at nullus fuit à restaurato tēplo rex Israel, quem reges adorare possent, præter illum, de quo populus in triūpho Hierosolymitano, *Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel*; [c] Et Nathanaël, *tu es filius Dei rex Israel*, [d] & quem reges Magi adoraturi ab oriente venerūt. Et iterum Tobias noster. [e] *Nationes ex longinquo ad te veniēt, & munera deferentes adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt.* Alloquitur ibi quoq; Ierusalem ciuitatem Dei, eique tribuit, quæ terrenæ Hierusalem conuenire non possunt, vt scilicet gaudeat *in omnia secula seculorum, vt luce splendida fulgeat, vt omnes fines terræ adorent eam.* Nam à mille, & quingentis annis in tenebris, in luctu, & captiuitate, sine vllo propemodum lucido interuallo, perdurauit.

XII. *Tertia de vocatione gentium.*

c Ioā. 12. 13. d Ioan. 1. 49. e c. 13. 14.

HIS ergo in hora mortis suæ à Tobia seniore de sancta ciuitate, ad quam ipse

XIII. *Mortuus Tobias.*

pertinebat, diuino numine cognitis, ac prænunciatis, appositus est ad patres suos, in senectute bona, & in Niniue honorifice sepultus: quem Deus in id vel maxime videtur suscitasse, vt eius exemplo mortales omnes doceret, quam sit ei grata misericordia in pauperes; quamque amet ipse benedicentibus sibi, in persona pauperum, benedicere, etsi vir sanctus nondum audierat, *Quod vni ex meis minimis fecistis, mihi fecistis.* [a] Quandiu aut superuixerit Anna vxor eius non constat, illud non dubium est, iuniorem Tobiam, parentis præcepto obsecutum, eam in paterno sepulchro condidisse. a Math. 25.40.

ANNVS MVNDI 3378. QVINTÆ AETATIS 439.
FVNDATI TEMPLI 356. MANASSIS REGIS IVDÆ 41.
IOACHIMI PONTIFICIS 35. BEN-MERODACHI 3.
IMPERII BABYLONIORVM 45. OLYMPIADIS XXVI. AN. 1. NVMÆ 39. VRBIS CONDITÆ 77.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 675.



I. Ben-Merodach non cepit Manassem.

SCRIBIT Annius in suo Metasthene, sine vlla tamẽ determinatione temporis, Manassem non à superiore Merodach, sed ab hoc eius filio in vincula fuisse coniectum: quod ex ipsiusmet scriptis cõuinci potest falsitatis. Cum enim fateatur Merodach. successisse Assarhaddoni, & eum regnasse annis duobus & 50. oporteret, circa hos tantum annos captum Manassem, contra omnium sentẽtiam. Nemo enim est qui eum in impietate tandiu vixisse dixerit, præsertim cum Iosephus, vt ante diximus, illius Idololatriam iuuenilia opera vocet. Nec possit historia Iudith, & anni Nabuchod. & Arphaxad, & diuturnitas pacis, ea viuente, & defuncta, cum hac positione vllo modo consistere.

II. Olympias 26. & quæ eius propria.

SPARTANVS Callisthenes 26. Olymp. nomen dedit, vt est in Olympionicarum catalogo. Vbi additur Philombrotum Lacedæmonium in tribus Olympiadibus quinque certaminum euasisse victorem, cursu videlicet, saltu, lucta, disco, cæstibus. Nec minus mirabilis Damiscus Messenius, qui annos natus duodecim palmam ex Olympicis ludis tulit, & statua honoratus est; eidemque quinque post hanc partim Nemeæ, partim vero Ithmicæ victoriæ contigere, vt scribit Pausanias, sed Olympiadem non notauit. [b] quam oportet fuisse vltra 37. b l. 6. p. 179. Græ.

III. Carnia Apollinea

HAC Olympiade 26 Carnia instituta sunt, vt ex Sosimo lib. de Temporibus, testatur Athenæus, [c] Id fuit festum Apollini, tanquam piaculum consecratum, quod Heraclidæ Carnum Apollinis vatem interfecissent; Cum enim pestis ea de causa populum inuasisset, ex oraculo festo instituto Appollinis Carnei cessauit pestis. In eo cum Citharœdorum certamen esset, omnium primus Terpãder victor extitit, vt scribit Hellanicus in suis metris; vbi sigillatim recenset eos, qui in Carneis victoriã sunt assecuti. Lucum Apollinis Carnii memorat Pausanias, [d] in quo perennis aquæ fons Apparet eo loco festum celebratum, & quidem mẽse, qui apud Lacedæmonios Carnius dictus est, cuius Thucydides, [e] & Plutarchus meminerunt. [f] Agitabatur autem diebus nouem, & in nouem tabernaculis, in quorum singulis nouem cœnabant homines: nimirum tribus ex curiis terni delecti, vt scribit Demetrius Sceptius lib. 1. Troiani apparatus apud Athenæum. [g] Et hi erant, vt videtur, iudices Cythirœdorum.

c l. 14. p. 635. Terpander. d l. 4. p. 141. e l. 5. f in Nicia. g l. 4. p. 141.

IV. Annus Sabbaticus 114.

VLTIMVS porro annus præsentis Olympiadis Sabbaticus fuit ordine 114. qui fuit Manassis annus quadragesimus quartus; Imperii Babylonici 48. & Numæ Pompilii penultimus.

ANNVS MVNDI 3382. QVINTAE AETATIS 443. FVNDATI TEMPLI 360. MANASSIS REGIS IVDÆ 45. IOACHIMI PONTIFICIS 39. BEN- MERODACHI 7. IMPERII BABYLONICI 49. OLYMPIADIS XXVII. AN. I. NVMÆ POMP. 43. & VLT. VRB. CONDITÆ 81.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 671.

EVRYBATES Atheniensis, in Olympico stadio victor hoc anno fuit, vt testatur Dionys. Halicar. initio l. 3. & cõfirmat Pausanias in Corinthiacis,[a] qui eum Eurybotum appellat: ex quo corrigendus Olympionicarum catalogus, vbi Eurybus appellatur. Ibidẽq; author eius hac Olympiade florere cœpisse ait Alcmanem Lyricum poëtam, regnante apud Lydos Ardyo patre Alyatti. Sed poëtam hunc Eusebius differt in Olymp. 42. regem autem ad 29. I. *Olympias 27.*

Hoc anno mortuus est Numa Pompil. cum 3 & 40. regnasset annos, vt tradunt fasti consulares, Dionys. Liu. & omnes passim, præter Eutropium, Euseb. & Cassiodorum, qui duos illi annos eripiunt. In eius laude Liuius. *Omnium*, inquit, *maximum eius operum fuit tutela per omne regni tempus, haud minor pacis, quam regni. Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace ciuitatem auxerunt. Id cõsecutus est Numa*, inquit Dionysius,[b] *vt & subditi eum amarent, & finitimi æmularentur, & posteri honorifica memoria celebrarent, quippe qui prospexerit, ne vel intestina seditio ciuium concordiam dirimeret, vel externum bellum ab optimis, & præclarissimis studiis ciuitatem dimoueret.* Et paulo post. *Quem equidem inter celeberrimos felicitatis opinione viros, cum primis numerare non dubitauerim. Nã & regio genere natus erat, & regia forma præditus, disciplinisque se dederat non inutilium literarum, sed quibus in pietatis & cæterarum virtutũ studio erudiretur.* II. *Mors Numæ, mores, felicitas.*

AD *hæc iuuenis regnum Romanorum adeptus est, ab ipsis ob celebre virtutis nomen accersitus*; vtique non admodum iuuenis. Cum enim teste Plutarcho, eo die natus sit, quo Roma condita est, necesse est eum 39. ætatis annum egisse, & ad 81. qui est annus Vrbis conditæ peruenisse: sed pergit. *Habuitq; subditos totos vitæ suæ tempore obsequentissimos. Integris sensibus longissimum traduxit æuum, nullo conflictatus infortunio; facillima morte absumptus est.* Et mox. *Excessit annũ vitæ octogesimũ, regnauit 43. Liberos reliquit, vt plerique sunt authores, mares 4. & vnam fœminam, quorum & nunc superstes est posteritas.* Eos Plutarchus in Numa nominat Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum, à quibus 4. familiæ Romanæ propagatæ sint Pomponiorum, Calpurniorum, Pinariorum, & Æmiliorum: filiam autem Pompiliam, quam Marcio pontifici nuptui dedit: ex quibus, vt supra diximus, natus est Annus Martius, qui 3. post illum loco regnum tenuit, vt Dionysius quoque[c] affirmat. III. *Eius ætas & posteritas.*


SEPVLTVRAM eius ex Plutarcho, qui eam cæteris accuratius est persecutus, accipe. Quanta, inquit, fuerit in admiratione ex sepultura eius patuit. Ad eam populi, fœdere amicitiaque Romanis iuncti, cum donis publice missis, & coronis conuenerunt; lectum patricii tulerunt, sacerdotes affuere, eumque secuti sunt, itemque reliqua multitudo, mulieribus, & liberis admixtis. Neque intererant quasi regem senem humantes: sed vnusquisque quasi suorum charissimorum aliquem florente ætate mortuum terræ mandaret, cum eiulatu & fletu funus ducebant. Corpus crematum non est quod ipse, vt fertur, prohibuisset. IV. *Sepultura.*

DVAS autem lapideas arcas confecere, & sub Ianiculo posuerunt: extra vrbẽ videlicet, atque trans Tyberim, ne contra leges, siue Solonis, siue suas facere videretur. Nam in legibus 12. tabularum apud M. Tullium ita legitur.[b] *Hominem mortuũ in vrbe ne sepelito, neue vrito, in locoue publico sepulchrum fieri ne quid iuris esto, Modico sumptu rogum facito &c.* In altera porro arcarum corpus eius conditũ est, in altera libri sacrorum. Ipse enim eos quemadmodum Græcorum legislatores ta- V. *Arca lapidea Numæ.*

a l. 2. p. 67. græ.
b l. 2. fi.
c in fi. l. 2.
b 2. de leg. n. 58.

bulas eas, quas Cyrbes vocant, composuerat. Ac cum viuus adhuc sacerdotes, ea quæ in iis scripserat docuisset, secum sepeliri iusserat, existimans non recte arcana inanimatis litteris committi. Hæc fere Plutarchus, circa quæ vt philosophetur sanctus Augustinus superius dictum est. *an. Numæ 2. n 3.*

*VI. Eius, ex cōparatione cæterorum regum felicitas. Tullus Hostilius.* CÆTERVM Numæ gloriam, vt ait idem Plutarchus, regum quoque succedētium fortuna reddidit illustriorem. Quinque enim eum secuti sunt reges, quorū postremus regno eiectus in exilio consenuit; reliquorum quatuor nullus mortē secundum naturæ leges obiit. Nam tres per insidias interfecti sunt. Tullus Hostilius, qui Numæ regnum excepit, cum pleraque eius instituta, præsertim vero quæ ad religionem facerent, risu & contemptu prosequeretur, quod inde homines ignauos reddi, effœminarique putaret, ad bellum ciues suos cōuertit. Neque tamen ipse in suo audaci instituto perrexit; sed morbo graui ac multiplici ad mutandam sententiam compulsus, superstitioni sese dedidit à Numæ religione prorsus alienæ: sed quæ alia via promoueret impietatem: & quidem, vt apparet, sceleratius, quandoquidem traditur fulmine percussus conflagrasse: vt suo loco accuratius dicetur.



## ANNVS MVNDI 3383. QVINTAE AETATIS 444. FVNDATI TEMPLI 361. MANASSIS REGIS IVDÆ 46. IOACHIMI PONTIFICIS 40. BEN-MERODACHI 8. IMPERII BABYLONIORVM 50. OLYMP. XXVII. AN. 2. TVL. HOSTILII 1. VRBIS CONDITÆ 82.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 670.

*I. Duodecim anni regni Amonis.*



PLERIQVE eorū qui Amoni, filio, & successori Manas. 12. regni annos attribuerunt, eum hoc anno, paterni regni 46. ætat. autē suæ 12. regnare cœpisse dicāt oportet, nisi omnia turbare velint. In quibus eum quidam pro patre, alii cum patre decē annos regnasse crediderunt. At Euseb. in chron. ei 12. annos tribuit, ex 70 interpretum sententia, vt ipse ait; fatetur nihilominus Hebræos ei tantum duos assignare. Illos autem 12. annos seorsim à patris regno ponit; sic vt post expletos 55. annos Manassis, primum Amonis ponat. Eum secutus est Niceph. Constant. Beda verò in lib. de sex ætat. *Amon*, inquit, *in Hebr. veritate an. 2. in 70. legitur regnasse 12.* Idipsum habet Comest. in hist. schol. Isidorus nulla mentione facta 70. annis 12. regnasse in suo chron. tradit. Annius in suo pseudophilone ei tribuit 12. annos regni absente patre, reliquos autē duos regnauit, inquit, solus. Driedo non solum prædictos sequitur de 12. annis Amonis, sed captiuitatem 10. annorum Manassis ex 70. asserit. Denique Adrichomius, etsi duobus tantum annis regnasse dicat, ei tamen 12. in serie annorum tribuit. *in 4. Reg. c. 34.*

*II. Non admittendi.* DICENDVM tamen Amonem duos tantum annos regnasse patre mortuo. Id primum diserte affirmant omnes codices vulgatæ edit. Deinde Hebræi omnes vt fatentur prædicti authores, & omnes versiones ex eis petitæ. Iā 70. in editione Aldina, Xisti, Basil. Regia & Cōplut. tam in 4. Reg. quam 2. Par. & nouæ editiones 2. tantum regni annos habēt. Accedit ad eius veritatis confirmationē Chal. paraph. Seuerus Sulpit. vtraque etiā Chronol. Hebr. imo & 3. quędam Cabbala apud Genebr. quibus passim omnes recētiores chron. consentiunt. Nec prædicti authores fundamentum vllum habent. Nam ista 70. interpretum sententia nusquā apparet, siue de 10. annis exilii Manas. qui nullo modo cum hist. Iudithæ conuenire possunt, siue de 12. annis regni Amonis. Quos crediderim Euseb. inuexisse, vt redderet catenam illam regnorū sibi melius congruentem: quod Scal quoque affirmat: quæ causa etiam fuit, vt mox Iosiæ 32. annos tribueret, non 31. cum Scriptura & in regno Medorum ab Herodot. & Ctesia, siue Diodoro ita *l. 3. c. 5.* *l. 5. hist. sac.* *in 4. Reg. Ioseph. l. 10. c. 4.*

dissentiret, vt nec annorum, imo nec principum numero consentiret.

III. Forte socium regni fecit.

In gratiam tamen tot authorum, qui Eusebium secuti sunt, dicere possemus Manassem iam propemodum regni pertæsum, simul etiam vt filium, ad regnum recte administrandum, non idoneis tantum præceptis, sed ipsa etiam praxi informaret, eum sibi quasi regni socium hoc anno assumpsisse; qui tamen anni non filio, sed patri, vt par est, tribuuntur. Quæ illi fortassis occasio fuit, vt ab impiis aulicis occulte dementaretur. Pro patre autem exule decennium regnasse dici non potest, cum is breuissimo tempore exul fuerit, & eo tempore, quo Amon ne natus quidem erat. Incidit porro in hunc annum Iubilæus Mosaicus ordine decimus sextus. Est enim octingentesimus ab ingressu Israelitarum in Chananitidem.

IV. Tullus Hostilius rex Rom. & Ratio temporis. Annus eius.

Iam quod ad Romanam rem attinet, rationem temporis accurate reddit Dionysius, [a] cum ait annum, quo regnum iniit Tullus Hostilius, fuisse alterum septimæ supra vigesimam Olympiadis, qua stadio vicit Eurybates Atheniensis, principatū ibidem tenente Leostrato. Author est Liuius Numæ morte rem ad interregnum rediisse, id est patres, vt antea sub Romuli mortem, certis diebus in orbem administrasse Rempublicam. *Inde Tullum Hostilium nepotem Hostilii regem populus iussit, Patres authores facti.* E Medullia oppido ab Albanis olim condito, quod Romulus deditione acceptum, fecerat Romanorum coloniam, oriundus fuit, anno vrbis circiter quinto. Inde auus Tulli regis Hostus Hostilius vir nobilis, ac bellica virtute clarus Romam migrauerat; & qui bello Sabino præclaræ fortitudinis laudem meruerat, in Fidenate frōdeam à Romulo coronam accepit, quod primus Fidenas irrupisset, vt ait Plinius. [b]

V. Pater, & educatio

Dionysius tamen [c] Sabino bello, quod antecessit, eum interiisse tradit, relicto vnico filiolo superstite, sepultumque à regibus, Romulo videlicet & Tatio, in præcipuo fori loco, addita columna cum inscriptione, quæ ipsius virtutem apud posteros testaretur. Ex hoc vnico filio iā adulto, & nobili matrona prognatus est Tullus Hostilius, vir industrius, qui hoc tempore totius populi consensu rex factus est. Valerius maximus è contrario, humili loco eum natum credidit. Ait enim [d] incunabula Tulli Hostilii agreste tugurium cepisse, eiusdem adolescentiam in pecore pascendo fuisse occupatam: validiorem ætatem imperiū Romanum rexisse, & duplicasse: senectutem excellentissimis ornamentis decoratam, in altissimo maiestatis fastigio fulsisse. Sic Valerius, à quo sine dubio Dionysius, & Liuius, posterioresque scriptores vno consensu dissentiunt.

VI. Initiū regni eius à beneficētia

Hic rex, Dionysio teste, à facto longe magnificentissimo imperium auspicatus, egenam plebē sibi vehemēter deuinxit. Cum enim superiores reges agrum habuissent magnum, & vberem, ex cuius redditibus & sacra diis faciebāt, & domi splendide viuebant: haberetúrque is non publicus, sed propria regum sors, & possessio; eum Tullus viritim diuidi inter Romanos inopes permisit, professus patrimonium sibi sufficere in sacrificia, sumptusque domesticos: qua humanitate illis vitæ commoditatem aliquam, sibi magnam beneuolentiam conciliauit, & gloriam. Sed ne ad habitādum deesset locus, promotis mœnibus Cœlium montem Vrbi adiecit, vbi qui lare carebant ædificare cœperunt, vbi ipse quoque domicilium habere voluit. Hæc fere Dionysius. Sed Liuius regiam ibi à Tullo extructam Alba excisa tradit. Solinus c. 2. in Velia illum habitasse.

a l. 3. init.

Onuphr. Panu. ighius.

b Plin l. 16. c. 4

c l. 3. init.

d l. 3. c. 4.

## ANNVS MVNDI 3385. QVINTAE AETATIS 446. FVNDATI TEMPLI 363. MANASSIS REGIS IVDÆ 48. IOACHIMI PONTIFICIS 42. BEN-MERODACHI 10. IMPERII BABYLONIORVM 52. OLYMPIADIS XXVII. AN. 4. TVLLI HOSTILII 3. VRBIS CONDITÆ 84.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 668.

I. *Argolicũ huius anni bellum.* ANNVM quartum Olympiadis vigesimæ septimæ, quo Pisistratus apud Athenienses summum magistratum gessit, memorabilem facit Pausanias in Corinthiacis, [a] prælio Argiuorum contra Lacedæmonios, quo illi ad Hysias, est id Argolicum oppidum, Spartanos vicerunt. Videntur autem fuisse, vt pridem, de finibus controuersiæ. a l. 2. p. 67. Græc.

II. *Ratio temporis circa bellum Albanum.* HABET hic idem annus, si Onuphrij fastis credimus, bellum à Tullo Hostilio contra Albanos gestum. Nec sane video cur homini perquam erudito, & inuestigandæ antiquitatis studioso non credamus; præsertim cum legamus apud Liuium, Romanum regem bellorum admodum appetentem fuisse. *Hic*, inquit, *non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit. tum ætas viresque, tum auita quoque gloria animum stimulabat. Senescere igitur ciuitatem otio ratus, vndique materiam excitandi belli quærebat.*

III. *Videri hoc anno gestũ.* VICE versa Dionysius hunc excitandi belli pruritum Albano principi Cluilio attribuit, qui ægrè ferens Romanorum successus, & impotens inuidiæ, arroganti, & petulanti præditus ingenio, decreuit bellum excitare inter ambos populos. Siue ergo alter, siue vterque hoc ingenio fuit, non potuit publica res diu à bellis immunis esse. Non ignoro bellum hoc in Eusebij Chronico ad triennium differri, in annum sextum Hostilij, qui est Vrbis cond. 87. quod Stephano Pighio, [b] viro in primis diligenti, atque erudito probatum est. Verum, vt notauit Pontacus, eius annotationis, quæ à Græco abest, sedes valde inconstans est: & in editione Scaligeri, omnia confertim, in ipsum Hostilij caput, congesta reperiuntur. b an. p Ro. c. 87.

IV. *Belli causa ambitio.* HABES ergo candide lector rationem temporis Albani belli; habes & belli causam, quam Græcus homo mauult in Albanum ducem; Latinus in Romanum transferre; Populationes quidem vtriusque consensu vtrimque factæ, sed ille initium iniuriæ in Cluillium refert, iste in regem Hostilium. Vterque tamen fatetur, in legatis de rebus repetendis missis, rem à Romanis vafrè, ab Albanis candidè. & sine dolo actam esse, *sed si iura potius*, ait Dux Albanus apud Liuium, *quam dictu speciosa dicenda sunt. cupido imperij duos cognatos, vicinosque populos ad arma stimulat.* Quid multa? arma vtrimque coacta, sub signis vtrimque multa millia, multus vtrique populo ad bella feruor, cum Albanos auita gloria, & ius, quale est parentum in filios, à quibus debitum exigunt honorem, exstimularet; Romanis autem præsens potentia, & late iam fusum imperium, plurimique populi fœderati animos exsuscitarent. Ergo bellum vtrimque summa ope parabatur, ciuili simillimum bello, prope inter parentes, natosque, Troianam vtramque prolem. Cum Lauinium à Troia, à Lauinio Alba, ab Albanorum regum stirpe Romani orti essent.

V. *Bellum paucorum certamine dirimendũ statuitur.* CONTIGIT interea Cluilij Albani subita atque inopina mors, quæ visa est Albanam diuino iudicio damnare causam. Cui suffectus Metius Suffetius, de finiendo potius, quam suscipiendo bello agere cœpit, eoque denique disputando ventum est, vt vel vnius, id est ipsorum ducum, vel certe paucorum certamine controuersia de principatu dirimeretur. Quam etiam concordiæ rationem

suadebant occultæ coniurationes Veientium, & Fidenatium, in vtriusque populi mutuo inter se bello afflicti, perniciem: cum eæ conspirationes vtrique iam populo innotuissent. Et ardebant in vtrisque castris plurimi bellatores cupiditate pugnandi, & vel moriendi in glorioso proposito imperij patriæ suæ acquirendi; vel vincendi, & immortalem gloriam sibi, patriæque suæ obtinendi.

Forte in duobus tum exercitibus erant trigemini fratres, duabus sororibus geniti, quas Sequinius Albanus alteram Albano ciui Curiatio, alterum Romano Horatio elocauerat. Vterque ex vxore trigeminos susceperat, nec ætate, nec viribus dispares. Cum vtrisque agunt reges, vt pro sua quisque patria ferro dimicent, ibi imperium fore, vnde victoria fuerit. Nihil recusatur, tempus & locus conuenit, fœdere prius icto, vt cuius populi ciues eo certamine vicissent, is alteri populo bona cum pace imperitaret. Quo icto trigemini, vt erant sanguine propinqui, mutuis se prius amplexibus, atque osculis, cum multorum lachrymis consalutarunt; tum pleni adhortantium vocibus, & suopte ingenio feroces, & præmij magnitudine inflammati, in medium duas inter acies procedunt. VI. *Eliguntur trigemini Horatij & Curiatij.*

Datur signum, infestisque animis terni iuuenes, magnorum exercituum animos gerentes concurrunt. Vt primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladij, horror ingens spectantes perstrinxit; sed mox vulnera quoque, & sanguis spectaculo fuere. Duo Romani super alium alius, vulneratis tribus Albanis expirantes corruerunt. Sed Romanus superstes integer fuit, qui vt vniuersis solus nequaquam par erat, sic aduersus singulos ferox. Itaq; simulata fuga tres habuit insequentes, sed longo interuallo, prout vulnere affectum corpus sinebat. Ergo in hostem conuerso vultu proximum inuadit, ac letho dat, priusquam alij adesse possent; moxque secundam victor pugnam petit, eaque prius defungitur, quam tertius consequi posset. VII. *Pugnatur, duo Romani cadunt, tres Albani debilitantur.*

Iamque æquato Marte singuli supererant, sed nec spe, nec viribus pares: alterum intactum ferro corpus, & geminata victoria ferocem in certamen tertium dabant. Alter fessum vulnere, fessum cursu corpus trahens, & fratrum ante se strage victus, victori obiicitur hosti; qui male sustinenti arma, gladium superne iugulo defigit, & iacentem spoliat, indéque cæteros eius fratres. Sicque tergemina spolia præ se gerens, Romam cum totius populi congratulatione reuertitur. Sed dæmon sanguinarius quinque iuuenum cognatorum sanguine nondum satur, superstitem istum in sororem, sponsi mortem deplorantem, stimulat: quam ille gloria, & ira ebrius, stricto gladio transfigit. Vocatusque ea re in iudicium, à populo precibus patris datus, mortem euasit, quibusdam piacularibus sacrificiis expiatus. Quæ pluribus apud Liuium, & Dionysium, vnde hæc petita sunt, leges. VIII. *Et ab vno Romano caeduntur.* *Qui & mox sororē interimit.*



## ANNVS MVNDI 3386. QVINTAE AETATIS 447.

FVNDATI TEMPLI 364. MANASSIS REGIS IVDÆ 49.
IOACHIMI PONTIFICIS 43. BEN-MERODACHI 11.
IMPERII BABYLON. 53. OLYMP. XXVIII.
AN. I. TVLLI HOSTILII 4
VRBIS COND. 85.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 667.




VIGESIMA octaua Olympiade, in qua Chionis Laco victor extitit, Prætore Athenis Autosthene, secundum bellum inter Messenios & Lacedæmonios, Ira oppido Messeniorum exciso, terminatum est, vndecimo tandem anno postquam obsideri cœptum est. vt fuse tradit in Messenicis Pausanias. Ludicro autem præfuisse dicuntur Pisæi, Elensibus bello contra Dymæos occupatis. Eique additum notant virum pancratistem, & equum desultorium. I. *Olympias 28.* L. 4. p. 131. Græ.

II. *Apparatus belli in Fidenates.*

Hoc anno apud Romanos quieta res fuit, Albanis tantisper duce Metio imperata facientibus. Permiserat enim Hostilius victor, vt suam quisque dignitatem, ordinémque retineret, atque vt Metius iuuentutem Albanam in armis haberet, dicens vsurum se eorum opera, si bellum cum Veiensibus foret, vt ait Liuius. Addit Dionysius Romanum regem, per integrum annum apparatu facto, bellum Fidenatibus inferre statuisse. Quod citati ad dicendam causam de insidiis, quas cum sua factione Romanis, & Albanis struxerant, comparere noluissent: sed mox sumptis armis, portisque clausis, & ascitis Veientium auxiliis, aperte defecissent. Legatis quoque Romanorum causam defectionis sciscitantibus responderant, nullum sibi esse cum Romanis publicum negotium, iam inde ex quo Romulus fato functus sit, cum quo amicitiam iureiurando firmarant. Ea de causa rex hoc anno, & suas instruebat copias, & auxiliares à sociis corrogabat. Bellum ergo ipsum duce Dionysio, in proximum annum differendum est; licet illud ad hunc annum Onuphrius retulerit.

*ἰσαιώνιον ἰσχαρὰν χῶραν.*



## ANNVS MVNDI 3387. QVINTAE ÆTATIS 448.

FVNDATI TEMPLI 365. MANASSIS REGIS IVDÆ 50. IOACHIMI PONTIF. 44. BEN-MERODACHI 12. IMPERII BABYLONICI 54. OLYMP. XXVIII. ANN. 2. TVLLI HOSTILII 5. VRBIS COND. 86.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 666.

I. *Ortus Iosiæ.*



QVINQVAGESIMVS annus regni Manassis nouum vidit regni Dauidici successorem, Iosiam Amonis, & Ididæ filium, *quæ fuit filia Hadaiæ de Besecath*, ait Scriptura. [a] Iosephus autem, Huius mater fuit ex oppido Boscetha, Ieda nomine. Iosiam inquam, qui in præcipuis regiæ Dauidis familiæ ornamentis merito numeratur. Ratio temporis clara est. Cum enim octennis regnare cœperit, vt Scriptura testatur, oportet eum natum esse sub initium quinquagesimi anni regni aui sui, & decimum septimum ætatis patris sui. Rem ipsam vide in margine. [b]

a Reg. 21. [?] l. 10. ant. c. 5.

| b M | A | Iof |
|---|---|---|
| 50 | 17 | 1 |
| 51 | 18 | 2 |
| 52 | 19 | 3 |
| 53 | 20 | 4 |
| 54 | 21 | 5 |
| 55 | 22 | 6 |
| Regn | 1 | 7 |
| | 2 | 8 |
| | Regni | 1 |

Ratio temporis.

Est hic idem annus 327. ex quo nominatim à viro Dei in Bethel prænunciatus fuerat nasciturus domui Dauid filius, Iosias nomine, qui sacerdotes impios, super altare profanum, erat immolaturus. [c] Erat enim ille annus ab orbe condito 3061. à quo ad præsentem, illi quos dixi anni reperiuntur, numeratis extremis. Etsi Tostatus, q. 32. in eum locum, 358. annos numeret. Propius à vero abest Iosephus, cum ait vaticinium illud completum, post 361. annos, idque decimo octauo regni Iosiæ, ergo sublatis 18. annis, reliqui erunt 343. cum sexdecim annorum antichronismo: vt docet accurata singulorum annorum supputatio, quæ inde ad hunc vsque annum deducta est.

c 3 Reg. 13. 2
3060
327
3387

II. *Mors Annæ matris Tobiæ iunioris.*

ASSENTIOR etiam Torniello existimanti circa hæc tempora mortuam esse Annam, (sic enim corrigendus est locus, vbi Sara vocatur iunioris Tobiæ mater, cum id esset nomen vxoris eius, non matris,) & ea honorificè ad mariti corpus sepulta, intra breue tempus, cum tota familia sua, in Mediam, ad soceros suos commigrasse, paternis mandatis obsecutum. Apud quos diu mansisse, satis aperte signantur in extremo lib. Tobiæ. In Græco enim ita legitur. *Et quando mortua est Anna, sepeliuit eam cum patre suo. Discessit autem Tobias cum vxore sua, & filiis suis in Ecbatana, ad Raguel socerum suum; & senuit honorificè.* Nimirum Ecbatanis, quò sese, cum tota familia contulerat, & vbi à Raguele, & eius vxore summo cum gaudio exceptus fuerat. Quo gaudio aliquot annis potiti, & ipsi pleni dierum, in pace quieuerunt, eosque gloriosè sepeliuit Iunior Tobias, vt in Græco habetur: egregia scilicet funeris pompa, & nobili quopiam Mausolæo.

III. *Tobias sepelit soceros.*

RES habetur in Vulgata plenius. *Factum est autem*, inquit, *post obitum matris suæ Tobias abscessit ex Niniue, cum vxore sua, & filiis, & filiorum filiis, & reuersus est ad soceros suos.* Raguelem & Annam, *inuenitque eos incolumes in senectute bona, & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum, & omnem hereditatem domus Raguelis ipse percepit, viditque quintam generationem, filios filiorum suorum*, qui sunt atnepotes. Neque mirum existimari debet vidisse Tobiam iuniorem quintam progeniem, licet ei 127. annos cum Græcis non demus, sed cum Vulgata annos duntaxat 99. Nam vigesimo quarto ætatis suæ anno, factus fuerit maritus, & pater. Quadragesimo autem, vel quadragesimo secundo, auus; Sexagesimo proauus: octogesimo abauus; nonagesimo nono atauus, cui respondet ex æquo quinta generatio, quæ est atnepotis. Et hæc quidem ex sacra historia.

*Et videt quintam generationem.*

IV. *Bellum contra Fidenates.*

ROMANA vero, iuxta ea quæ proximo anno dicta sunt, bellum habet gestum contra Fidenates, quod tertio à deuictis Albanis anno contigisse clare docet Suffetius, apud Dionysium, cum ita loquitur. *Ego toto illo tempore, ex quo sub Romanorum imperium venimus, in maximo pudore ac mærore vitam traduxi: tametsi ab eorum rege dictatura titulo honoratus, tertium iam annum id munus gero, & perpetuo si velim, retinebo.* Et paulo ante scribit idem Dionysius Metium male audisse apud suos, de male proximo bello administrata Repub. proditáque Romanis, à quibus acceptam tertium iam annum dictaturam retineret. Quod cum doctissimi Onuphrij Chronologia conuenire non potest. Sed bellum contra Fidenates ad sequentem vsque annum, vt ex Dionysio dicemus, protractum est: Albanum autem hoc ipso anno, cum excisa Alba, terminatum fuit.

τρίτον ἔτος ἤδη ἄγων ἴσχω.

*Ratio temporum.*

V. *Metius Albanus proditionē molitur.*

CUM ergo ad bellum contra Fidenates Albani, tanquam socij Romanorum, magnis cum copiis, lectissimisque, duce Metio Suffetio, conuenissent, missis hic clam legatis ad Fidenates, qui adhuc dubiis in defectione animis erant, impulit vt impigre in defectione pergerent, pollicitus se quoque Romanos medio in prælio aggressurum. Moxque etiam amicorum fidissimis conuocatis, & questus de amisso ab Albanis, contra ius fasque, per Romanorum vim ac potentiam imperio, proditionis consilia pandit, Fidenates à se, Veientesque ad arma concitatos spe societatis suæ; Habere se in animo, illis contra Romanos pugnantibus, declinare à prælio, nudatumque Romani exercitus latus hosti præbere fodiendum; moxque aut bello fractis superuenturum, facilémque Albanis victoriam daturum; aut si nihilominus Romani vincerent, simulaturum se, circumueniendi hostis causa, & à tergo cædendi, dum Romanus vultum verberaret infestus, montana ipso pugnæ tempore petiisse. Hanc sententiam cum omnes laudassent, omniáque facturos promitterent, accepto à singulis iuramento, cœtum dimisit.

VI. *In prælio deserit Romanos.*

POSTERA die simulatque sol exortus est, vtraque acies è castris egressa, ordines ad prælium instruit. Sinistrum cornu Tullus cū Romanis tenebat, Veientibus oppositus; Dextrum cum Albanis Metius, Fidenatibus obiectus: sed priusquam intra teli iactum veniretur, Albani à reliquo exercitu diuisi, montem petunt. Quo viso Fidenates in opinione promissæ proditionis confirmati, audacius in apertum Romani exercitus latus inferebant sese; vbi cum vehementer laboraretur, curriculo ad regem, qui in altero cornu egregie dimicabat, venit eques, qui rem nunciaret. Qui viso etiam Albanorum in montem properantium ascensu, è re nata excogitato consilio, imminentem cladem in victoriam conuertit. Ait enim clara voce, rem iussu suo factam esse, vt hostis simul à fronte, ac tergo cæderetur; quæ cum ordines obequitans identidem iteraret, restitutus est Romanis animus, Fidenates cum sociis fusi, fugatique, ferro, & vndis, quibus salutem suam male crediderant, magno numero periere; simulque Albani in fugaces, palantésque irruunt; multisque passim trucidatis, ad Romana castra, tectis adhuc, vt arbitrabantur, consiliis suis, alacres reuertuntur: & cum cæteris noctem hilariter traducunt.

*Fidenates nihilominus victi.*

VII. *Accusatur Metius à rege.*

UBI illuxit, rex vocari ad concionem vtrumque exercitum iubet; Albani primùm ᵃ à præconibus exciti, vt Regem Romanum concionantem audirent proximi constitere, inde Romanæ legiones circumfusæ; quæ breues sub amictu gladios gestare iussæ sunt, ad regis mandata, ac nutum intentæ. Ibi Tullus gra-

a Liuius. l. 1.

tias agit superis, quod hesterno prælio non ab hostibus solùm, sed à proditoribus quoque liberati essent. *Dimicatum est enim*, inquit, *non magis cum hostibus, quàm cum proditione, ac perfidia sociorum. Nam ne vos falsa opinio teneat, iniussu meo Albani subiere ad montes: nec imperium illud meum, sed consilium, & imperij simulatio fuit: vt nec vobis ignorantibus deseri vos, auerteretur à certamine animus: & hostibus circumueniri se à tergo ratis, terror ac fuga iniiceretur. Nec ea culpa quam arguo omnium Albanorum fuit, ducem secuti sunt. Metius ille est ductor itineris huius, Metius idem huius machinator belli: Metius fœderis Romani, Albanique ruptor.* De cuius supplicio priusquam ageret, de traducendis Romam Albanis ita locutus est.

VIII. *Albani patriam amittunt.* QVOD *bonum, faustum, fœlixque sit populo Romano, ac mihi vobisque Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo est, ciuitatem dare plebi primores in patres legere, vnam vrbem, vnam Rempub. facere. Et sicut ex vno quondam in duos populos res Albana diuisa est, sic nunc in vnum redeat.* Hic Albani cum inermes se inter armatos animaduerterent; etsi plerique, qui dignitate, ac fortunis eminebant, ægrè patrios lares relinquebant, silentio tamen ægritudinem animi presserunt. Tum rex ad Metium, quem armati Centuriones circunsistebant, conuersus; *Quoniam*, inquit, *paulo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita iam corpus passim distrahendum dabis.* Addit his Dionysius, Metium cum indignatione, ac vociferatione fœdus, quod ipse violasse conuictus erat, inclamasse; nec in hisce malis audaciam deposuisse; ideoque primum flagris fœde laceratum esse, tum bigis admotis ad alteras ex brachiis, ad alteras ex pedibus longis loris reuinctum fuisse. Deinde aurigis in diuersa eas agentibus humi raptatum, moxque à nitentibus in contraria discerptum esse. Denique proditionis socios in iudicio conuictos, ex lege de proditoribus & desertoribus fuisse interemptos.

*Metius quadrigis distrahitur.*

IX. *Alba diruitur.* EODEM tempore præmissus cum delectis ad diruendam Albam Marcus Horatius, properato itinere portas patentes, & incustodita mœnia occupat; & vrbe potitus concionem aduocat, & quidquid fuerat in prælio gestum enarrat, & Senatusconsultum, siue Regis edictum recitat. Vbi cum ciues moram aliquam suppliciter peterent, dum mitterent Romam legatos, nihil impetrarunt; sed illico ciuibus foras eiectis, & quæ salua esse vellent secum auferre iussis, domus priuatæ, publicæque cum mœnibus diruuntur, & incredibili ciuium luctu solo æquatur. Ita Dionysius. At Liuius parcitum templis affirmat, quod ita à rege edictum fuisset; *vocesque etiam*, inquit, *miserabiles exaudiebantur, mulierum præcipue, cum obsessa ab armatis templa augusta præterirent, ac velut captos relinquerent deos.* Ita Romam deducti, à Rege in vrbem è castris reuerso, per tribus, & curias distributi sunt, & in construendis, qua parte vrbis vellent ædibus, adiuti, agroque etiam, qui antea mercenaria opera victitarant, donati.

*Eius ciues Romam transferuntur.*

X. *Quandiu Alba steterit.* QVANTO autem tempore Alba steterit non eandem proferunt Liuius, Dionysiusque sententiam. *Vna hora*, inquit ille, *quadringentorum annorum opus, quibus Alba steterat, excidio, ac ruinis dedit.* Quæ videtur fuisse Virgilij sententia, qui de Alba, in quam Ascanius regnum translaturus erat à sede Lauini, ait

*Hic iam ter centum totos regnabitur annos*
*Gente sub Hectorea, donec regina sacerdos*
*Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.*

Nam si trecenti anni vsque ad ortum Romuli ab Alba condita numerantur, ab eo tempore elapsi sunt 18. anni Romuli, & 86. ab vrbe condita, qui sunt omnino quatuor supra quadringentos. Sed hæc obiter, ac pinguiore Minerua numerata sunt, minoribus numeris neglectis. (Metius autem apud Dionysium, *liberi*, inquit, *ex liberis nati sumus, & patres tradiderunt nobis imperium in finitimos, quod ferme quingentorum annorum tempore constabilitum, posteris etiam nostris relinquendum est*) ἐγγὺς πεντακοσίων ἐτῶν.

XI. *Accuratior de ea Chronologia.* DIONYSIVS vero accuratius in hunc modum. [a] *Sic Alba, quam olim Ascanius, ex Aenea Anchisæ filio, & Creusa Priami filia natus, condiderat cum per quingentos post ædificationem annos, tredecim demptis, stetisset, eoque temporis spatio populi frequentia, opibusque, & cætera felicitate multum aucta esset; triginta oppidorum Latinorum mater; & gentis eius toto illo tempore princeps, à nouissima sua colonia solo æquata, hodiéque deserta permanet.* Stetit ergo Alba ex Dionysij sententia annis 487. Ex quo, in eiusdem sen-

a l. 3. p. 172. Græ. Lat.

tentia, consequens est, Albam conditam anno ab excisa Troia trigesimo. Nam cum Vrbs condita fuerit anno ab euerso Ilio 432. si isti numero addideris 85. annos, neque addendi 86. quibus adhuc Roma stetit; (nam alioqui vnus annus bis numerabitur) erit hic annus ab illa clade quingentesimus decimus septimus. A quo numero si sustuleris annos quibus Alba stetit, inuenies eam prædicto anno 30. ab Ilio euerso conditam fuisse; qui fuit mundi annus bis millesimus nongentesimus. Ex quo etiam vides nostram Chronologiam validè confirmari.

ἐν πεντε-καίδεκα [illegible]

432. 2900
85 487.
517. 3387.
487.
30.



ANNVS MVNDI 3388. QVINTAE AETATIS 449.
FVNDATI TEMPLI 366. MANASSIS REGIS IVDÆ 51.
IOACHIMI PONTIFICIS 45. BEN-MERODACHI 13.
IMPERII BABYLON. 55. OLYMP. XXVIII.
AN. 3. TVLLI HOSTILII 6.
VRBIS COND. 87.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 665.

INCVRRIT in annum Manassis quinquagesimum primum annus Sabbaticus ordine centesimus decimus quintus, quo apud Romanos à Tullo Hostilio aduersus Fidenates debellatum est. Rex enim intermisso per insequentem ab excisa Alba hyemem bello, ineunte vere iterum contra Fidenates duxit exercitum. His nulla publice auxilia ab vlla sociarum ciuitatum summissa fuerant, sed mercede conducti quidam ex multis locis eò confluxerant: quibus freti vrbem egredi ausi sunt. Verum collatis signis, multisque in pugna interemptis, rursus intra mœnia sunt compulsi. Vbi fossa, & vallo à Tullo cincti, ad extremamque redacti inopiam, quibus placuit victori conditionibus deditionem fecere. Qui vrbe potitus, occisis defectionis authoribus, reliquis veniam dedit, & pristina cum bonis suis ciuitati iura permisit; dimissoque exercitu, vrbem secundùm triumphans inuectus est. Primus enim triumphus de Albanis fuit. Tertius aliquanto post de Sabinis, vt fasti omnes consentiunt. I. Annus Sabbaticus 115.



ANNVS MVNDI 3389. QVINTAE AETATIS 450.
FVNDATI TEMPLI 367. MANASSIS REGIS IVDÆ 52.
IOACHIMI PONTIFICIS 46. BEN-MERODACHI 14.
IMPERII BABYLONIORVM 56. OLYMPIADIS XXVIII. AN. 4. TVLLI HOSTILII 7. VRBIS CONDITÆ 88.


## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 664.

PROXIMO à deuictis triumphatisque Fidenatibus anno, bellum Romanis contra Sabinos exortum est. Quam rationem temporis Stephanus quoque Pighius in suis Annalibus secutus est, tametsi nobis triennio posterior incedat, propter bellum contra Albanos nimium dilatum, vt diximus anno Tulli tertio. Cuius cupiditati, vel ambitioni videri possit Liuius noui huius belli causam tribuere, cum ait eum, postquam vidit Romam Albæ ruinis vehementer auctam, ciuiumque numerum duplicatum, fiducia virium Sabinis bellum indixisse, genti ea tempestate secundum Etruscos opulentissimæ, armis I. Bellum Sabinum, eiusque causa.

a V. C. 84. n. 2. & 3.

virisque. Verum iniuriæ factum à Sabinis initium ostendit Dionysius, cum ait Romanos ad Feroniæ fanum profectos, ibi à Sabinis correptos, ac pecunia spoliatos fuisse, atque insuper in vincula coniectos. Legatisque eo missis, nihil æqui impetratum esse: quin potius à Sabinis obiectam Romanis, compositam iampridem, obliteratámque dicam; eos videlicet aperto asylo Sabinos profugos excepisse; nec dissentit Liuius: ex quo apparet non vtrimque factas iniurias, sed à Sabinis duntaxat.

II. *Inchoatur, ac deseritur.* HINC nato bello, eductisque magnis vtrimque copiis, collatis signis dimicatum est, dubióque marte decertatum, donec noctis interuentu diremptum est prælium, neutram in partem inclinante victoria. Sequentibus diebus, considerata vtrimque occisorum, & sauciorum multitudine, non libuit armis experiri denuo, sed relictis castris discessum est, nec amplius quidquam eo anno tentatum. Ita Dionys. quamuis Liuius nullam deserti belli mentionem faciat. Sed placuit Dionysio res accuratius distinguenti, atque examinanti acquiescere, & belli exitum in sequentem annum differre.



ANNVS MVNDI 3390. QVINTAE ÆTATIS 45.
FVNDATI TEMPLI 368. MANASSIS REGIS IVDÆ 53.
IOACHIMI PONTIF. 47. BEN-MERODACHI 15. IMPERII BABYLONICI 57. OLYMP. XXIX.
ANN. I. TVLLI HOSTILII 8.
VRBIS COND. 89.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 663.



I. *Olympias 29.* OLYMPIADEM, ingredimur vigesimam nonam, in qua Xenophon Corinthius in stadio coronatus est. Author Pausanias in Messenicis, [a] vbi ait Messenios, qui post cladem Iræ, fugamque Aristomenis regis eorum, in Messenico agro forte remanserant, cum in publicorum seruitiorum, quos Hilotas appellant, censum pro fortunæ suæ necessitate venissent, à Lacedæmoniis iterum defecisse: vndetrigesima, inquit, ferme Olympiade, qua Corinthius Xenophon vicit, principatu Athenis fungente Archimede. At paulo ante [b] ipsemet Pausanias, ait Messenios profugos Zanclem, quæ est in Sicilia, venisse, & Zanclæis deuictis, imperio cum ipsis communicato, Zanclen nouo nomine Messenen appellasse. Et subdit. *Hæc gesta sunt vndetricesima Olympiade, qua iterum vicit Chionis Lacon, principatu ciuitatis apud Athenienses fungente Miltiade.* Quomodo eodem anno geminus princeps Athenis? Quomodo in eadem Olympiade diuersi Olympionicæ? Dicendum videtur duos Archontes Athenienses duos annos exigere, videri autem Archimedem anno secundo huius Olympiadis Athenis præfuisse, idque innuit Pausanias, quando ad Olympiadem vndetrigesimam addidit *ferme*. Olympionicæ autem eodem quidem in ludicro, eodémque anno victores facti sunt, sed Xenophon cursu in stadio, Chionis autem saltu; quo tantum valuit, vt saltu duos & quinquaginta pedes transiliret. [c]

*Dubio victore.*

*Conciliantur.*

[a] l. 4. p. 134 Græ.

[b] ead. pag.

[c] Catal. Olymp.

II. *Ortus Periandri.* PERHIBET hoc anno Corinthi natum Periandrum Olympionicarum catalogus, qui postea in patria tyrannidem exercuit, parentem videlicet, & socerum imitatus. [d] Nam Cypselus eius pater Corinthi sequenti Olympiade tyrannidem occupauit, Patrocles autem pater Melissæ vxoris eius, apud Epidaurios imperauit. In hanc ipsam Olympiadem Eusebius refert Archilochum, Simonidem, & Aristoxenum musicum. Sed pro Archilocho S. Cyrillus substituit Hipponactem. Arion quoque Methymnæus, Cyclei filius, certaminis in Sicilia victor, à Delphino in Tænarum Lacedæmonum portum deuectus, seruatus est, vbi ab eo donarium ex ære, Arionis Delphino insidentis consecratum: vt est apud Pausaniam sub finem libri tertij, & Herodotum in Clio, vbi totam histo-

[d] Pausan. l. 2. p. 71. græ.


riam fuse enarratam leges. Ex quo intelligitur Arionem hunc, non ad Periandri natale tempus, sed posterius aliquot Olympiadibus pertinere. Itaque ab Eusebio ad Olympiadem quadragesimam relatus reperitur. Solinus tamen cap. 12. scribit, ad hoc tempus rem pertinere. *Tænarum*, inquit, *est promontorium aduersum Africæ, in quo fanum Methymnæi Arionis, quem Delphine eo aduectum imago testis est area ad effigiem casus, & veri operis expressa. Præterea tempus signatum Olympiade vndetricesima, qua in certamine Siculo idem Arion victor scribitur, id ipsum gestum probatur.* Hæc Solinus. Sed Periander, sub quo rem gestam narrat Herodotus, suadet existimare Olympiadem vndetricesimam, pro vnde quadragesima fuisse notatam. [a]

*Arion ad quod tempus pertineat.*

[a] XXIX. pro XXXIX. ΔΔΠIIII. pro ΔΔΔΠIIII vel κθ pro λθ.

ROMÆ autem, vt scribit Dionys. lib. 3. hoc anno instauratum est bellum contra Sabinos, & maioribus concursum copiis; & plerique ex inopi Veientium plebe eo mercede tracti sunt, publico vero auxilio nullo adiuti sunt, *vigente apud Veientes, pacta cum Romulo induciarum fide*, ait Liuius, immemor à se paulo ante dictum Veientes cum Fidenatibus in acie contra Hostilium stetisse; & quidem populum, non paucos aliquot mercenarios. Pugnatum est apud Eretum, centesimo septimo ab vrbe stadio, vbi cum diu æquo marte certaretur, voto à Rege facto Saturno & Opi, de instituendis solennibus feriis, & duplicando Saliorum numero, redintegratis animis in fugam acti Sabini, eorum etiam castris Romani potiti sunt. Agroque eorum pro arbitrio longe latéque populato, magna cum præda domum reuersi sunt, tertioque à Rege triumphatum. Pax quoque legatis eorum, cum debita iniuriarum satisfactione cōcessa, pacta columnis in templis, ad memoriam perpetuam excitatis, inscripta sunt. Sed fide, vt res ipsa docuit, vtrum constante.

III. *Bellum Sabinum redintegratum.*



## ANNVS MVNDI 3392. QVINTAE ÆTATIS 453. FVNDATI TEMPLI 370. MANASSIS 55. ET VLT. IOACHIMI PONTIF. 49. BEN-MERODACHI 17. IMPERII BABYLONICI 59. OLYMP. XXIX. AN. 3. TVLLI HOSTILII 10. VRBIS COND. 91.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 661.



HIC annus finem imposuit vitæ, & regno Manassis; [b] viri in quo insignis Dei misericordia, cum singulari hominis impietate certauit: quæ & immania scelerum portenta perpetrantem, patienter tulit, & paterno castigatum flagello emendauit. Qui hominem illum in viam, & spem æternæ felicitatis reduxit, qui tam multis & verbo, & exemplo, aditum ad æternam calamitatem aperuit. Qui eum incolumen illi regno restituit, propter cuius peccata illud ipsum regnum incredibili vastitate desolatum est: itáque desolatum, vt nunquam in pristinam dignitatem redierit. Qui eius oblationes iterum in suo templo recepit, propter cuius sacrilega sacrificia, & profanam idolomaniam ibi exercitam, illud ipsum templum cædibus, & flagitiis contaminatum, flammis incensum, & solo æquatum est. Obstupesce cœlum super hoc, & portæ eius admiramini vehementer.

[b] 4. Reg. 21. 17. 18. 2. Par. 33. 18.

I. *Mors Manassis.*

*Deus in hoc rege mirabilis.*

PECCATIS enim Manassis Scriptura tribuit, quæ à Nabuchodonosore, filiorum Iosiæ temporibus, Iudæorum Reip. luctuosissima contigerunt. Non enim semel hæc, atque his similia deinceps audientur; *Factum est*, inquit, [c] *Hoc per verbum Domini contra Iudam, vt auferret eum coram se, propter peccata Manasse vniuersa quæ fecit, & propter sanguinem innoxium quem effudit, & impleuit Ierusalem cruore innocentium, & ob hanc rem noluit Dominus propitiari.* Et rursum. [d] *Veruntamen non est auersus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Iudam, propter irritationes, quibus prouocauerat eum Manasses.* Voluit enim Dominus extare in Manasse exemplum incomparabilis patientiæ, bonitatis, & placabi-

[c] 4. Reg. 24. 3.

[d] ca. 23. 26.

II. *Publica pœna peccatorum Manassis.*

litatis suæ: nullus vt desperare auderet de venia, qui regem Manassem meminisset.

III. Gesta eius. Quam autem vel bello præstans, vel pacis artibus insignis fuerit, nemo prodidit, cuius scripta extent. Citatur liber sermonum dierum regum Iuda. [a] Et plenius in 2. lib. Paral. *Reliqua autem gestorum Manasse, & obsecratio eius ad Deum suum: verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus Regum Israel.* [b] Israël dixit pro Iuda; quoniam ex quo deletum fuit regnum decem tribuum, nomen Israël antiquum regno Iudæ restitutum est. Sed pergit. *Oratio quoque eius, & exauditio, & cuncta peccata, atque contemptus; loca etiam in quibus ædificauit excelsa, & fecit lucos, & statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai.* De hoc Hieronym. in tradit. Hunc Ozaï quidam Esaiam intelligere volunt. Ozai enim interpretatur visio mea. Et ideo immutato nomine introducitur, quod manifestetur longe istius merita, ab illius meritis distare, qui eum interfecit. At quomodo hic Isaias esse potest, qui nullum verbum de Manasse scripsit? Aliud enim eius opus nemo significat.

[a] Vt dicitur in 4. Reg. c. 21. 17. 18.
[b] c. 33. v. 18.

IV. Sepulchrũ eiusdem. Dormivit ergo *Manasses cum patribus suis, & sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza*, in quo etiam mox conditus legitur Amon filius eius. Dicitur autem hortus palatij regij *hortus Oza*, forte quod ab antiquo ille hortus Ozæ fuisset. Eum hortum Adrichom. in arce Sionis ad regis palatium ponit, idque textus videtur exigere, nisi dicamus Manassem sibi Mausolæum aliquod in proprio aliquo palatio erexisse. Existimat Villalp. [c] in iisdem hortis sepultos quibus Ozias ille leprosus, in agro scilicet regalium sepulchrorum, [d] quem locum extra vrbem fuisse ait Iosephus, [e] in pomeriis videlicet Hierosolymæ ad Orientem, in valle Hennon, iuxta montem Oliueti. Vtrobique enim sepultos reges Iuda ex Scriptura satis constat. De quibus vide pluribus eodem loco Villalp. Quare autem in sepulchris regum Iuda non fuerit sepultus, non liquet. Abulensis [f] propter priora illa scelera id à populo ei negatum putat. At cum adesset filius eius regni successor, mirum esset valde populum de corpore defuncti regis pro arbitrio disposuisse.

[c] t. 3. p. 2. l. 3. c. 16.
[d] 2. Paral. 26. 23.
[e] l. 9. c. 11.
[f] 4. Reg. 21. q. 19.

## ANNUS MUNDI 3393. QUINTAE AETATIS 454.

FUNDATI TEMPLI 371. AMONIS REGIS IUDÆ 1.
Sellumi Pontificis 1. Ben-Merodachi 18.
Imperii Babyloniorum 60. Olymp.
XXIX. an. 4. Tulli Hostilii 11 Urbis conditæ an. 92.

## ANNUS ANTE CHRISTUM 660.



I. Nouus Pontifex Sellum. NOVUM pontificem cum nouo rege de more tradimus. Chronicum Hebræorum Sellum regno Amonis pontificem assignat. Ait enim *Amon natus ipsius regnum tenuit duobus annis. Sellum erat pontifex, prophetabat tum ipse idem, tum Ozai.* Sic ibi: ex quo inferre licet ex Hebræis contra Hebræos, Ozai non esse Esaiam, qui sub Manasse mortuus est, omnium consensu. Sellum hunc Iosephus [g] vocat Saldumum, siue vt in quibusdam codicibus habetur, Salumum, omninoque videtur esse idem, qui 1. Paral 6. [h] vocatur Sellum, & initio 4. Esdræ, magis corrupto etiam vocabulo, vocatur Sadanias. Nam & in illo Chronico, & in Iosepho, & in dicto Scripturæ loco, & 4. Esdræ, Sellum habet successorem filium Helciam in regno Iosiæ. Quamquam 1. Paral. [i] Helcias dicitur filius Mosollam, & rursus 2. Esdræ 11. 10. qui in Hebræo vocatur Mesullam. Idémque videtur nomen, cum epenthesi lit. ס, cum sua motione,

Pater Helciæ.

Idem cum Mosolla.

[g] l. 10. c. 11.
[h] v. 12. & 13
[i] c. 9 v. 11.

In hoc porro pontifice ad catalogum pontificum, qui 1. Paral. 6. habetur, regredimur, vnde nos sub anno regis Ioas 29. necessitas eiecerat, vt ibi diximus. Fieri autem potest vt hic pontifex, etiam sub Manasse pontificatum cœperit, idque sane crediderim; sed quis id certò definiet?

II. *Amonis regis initiū.* QVOD ad Regem attinet, *Viginti duorum annorum erat Amon, cum regnare cœpisset,* natus quippe est anno trigesimo tertio regni patris sui, vt suo loco dictum est, Dei cultu Hierosolymis iam restituto. Quò magis mirum est quod sequitur, *& duobus annis regnauit in Ierusalem, fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius. Et ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius, seruiuitque immunditiis, quibus seruierat pater eius, & adorauit eas; & dereliquit Dominum Deum patrum suorum, & non ambulauit in via Domini.* [a] Ita paucis verbis iteratum Iudaicæ Reip. casum Scriptura perstrinxit, & restitutam à miserrimo, atque inconsultissimo iuuene impietatem, quam Manasses pater eius sustulerat, sibi, & regno suo restitutus. *Hic imitatus iuuenilia sui patris opera,* inquit Ioseph.[b] *& à similibus non abstinens facinoribus mature dedit pœnas,* &c.

III. *Eiusdemq; malitia.* AVTHOR imperfecti operis in Matth. homil. I. *Amos,* inquit, *non fuit fortitudo secundum Deum, sed fortitudo secundum diabolum. Fuit enim valde iniquus, & extant opera eius maligna, quibus imitatus fuerat Manassem, vt etiam Deum se posse fallere existimaret, dicens. Pater meus multa ex iuuentute sua iniqua fecit, & in senectute sua pœnituit, & ego nunc ambulabo, secundum quod desiderat anima mea, & postmodum conuertar ad Dominum; sicque factus est fortitudo maligna, & onerauit seipsum perniciosioribus oneribus, & suæ malignitatis exemplo, abrupit populum suum magis à Deo, quam pater eius. Ideoque forsitan sic est nominatus secundum prouidentiam Dei, & exterminauit eum Dominus Deus velociter.* Alludit ad geminam scriptionem, & significationem vocis Amos, per א & per ע. At neutrum huic regi conuenit, qui dicitur Amon. Quæ autem ille scribit, fere consentanea sunt Scripturæ. [c] *Et non est reueritus,* inquit, *faciem Domini, sicut reueritus est Manasses pater eius, & multo maiora deliquit.*

IV. *An maiora deliquerit quam Manasses.* QVOD sane mirum plerisque visum est. Nam sicut regum Israël Achab, ita regum Iuda Manasses improbissimus semper habitus est; quos propterea in vno eodémque videtur scriptura parallelo culpæ & pœnæ constituere. [d] Nec legitur, sicut Manasses, sanguinem iustorū, & prophetarum effudisse: quod si factum fuisset, minime id Scriptura tacuisset. Accedit quod si aut plura, aut grauiora peccata commisisset, eius potius peccatis euersio regni Iudaici tribueretur, quam Manassis: præsertim cum hic pœnitentiam egerit, ille in peccatis suis mortuus fuerit.

V. *Non videri multiplex responsio.* RESPONDERE primum possumus ex Hebræo, & Græco textu haberi, *& multiplicauit delictum,* id est plurima scelera cōmisit, sine vlla ad Manassem saltem expressa comparatione, vt tantum dicatur auxisse numerum peccatorum, fecisseq; vt maior esset quam ante; quod vel de vno tantum peccato vere dici potuit. Chartus. ait maiora deliquisse Amonem, propter finalem impœnitentiam. Ea tamen non facit, vt Amon dici possit multo maiora deliquisse: cum non constet eum habuisse propositum perseuerandi in suis sceleribus vsque ad mortem, imo contrarium dicat Author operis imperfecti, vt diximus. Sed nec illud propositum natura sua grauius est omnibus peccatis Manassis, licet ei perniciosius fuerit. Chronicum Hebræorum c. 24. *Multo,* inquit, *maiora deliquit, lege ex Israel consumpta, & incensa.* Quod probabile fit, ex eo quod liber legis, quasi pro miraculo sub eius filio Iosia inuentus est.

VI. *Alia responsiones.* AN forte dici potest eum aliqua scelera in idololatria, in Dei odium, & contemptum perpetrasse, quæ non patrauerat Manasses, licet multo plura numero perpetrasset? an dicitur maiora deliquisse, animo & proposito, quæ reipsa erat perpetraturus, si eum Dominus diutius viuere permisisset? Responderi denique potest cum Abulensi. [e] Manassem quidem multo plura, grauioraque scelera perpetrasse, quam Amonem; qui tamen maiora peccasse dicitur, propter quasdam circunstantias, nimirum finalis impœnitentiæ, & diuinæ in patrem castigationis contemptu. Sic dicebat Thamar Amnoni fratri, à quo post vim illatam expellebatur. *Maius est hoc malum quod nunc agis aduersum me, quam quod ante fecisti.* Vide quæ diximus in eum locum. [f]

[a] Vt dicitur 4. Reg. 21.20.
[b] l. 20. c. 4.
[c] 2. Paral. 33.23.
[d] 4. Reg. 22.3. & 13.
[e] q 22. in c. 21. 4. Reg.
[f] fan Dauid. 21. n. 17.

VII. *Vnde tanta mutatio.*

SED vnde tam subita mutatio, & tam insperata rerum facies? post 46. annos vt minimùm ab idololatria relegata, ab eo ipso, qui eam ab inferis excitarat. Dici fortasse non incongrue potest, eum viuo patre ab impiis aulicis clam corruptum, sicut & de Ioas legimus. [a] Vnde vterque coniuratione seruorum suorum occisus est, vt eos scelerum paterentur vltores, quos habuerant ad peccandum incentores. Nisi malimus existimare aliquos veritos parem eius impietatem & crudelitatem, ei quam Pater eius regni sui initiis exercuerat, eum præuenisse, & grauissimo suo scelere, animam infelicissimi principis cum corpore perdidisse.

[a] 2. Paral. 24. 17.

VIII. *Ortus Ieremiæ.*

HOC circiter tempore natus videtur propheta Ieremias. Cum enim decimo tertio anno Iosiæ regis, Deo ipsum ad propheticum ministerium vocante, dixerit, *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Videtur sane eo tempore decimum quartum, vel 15. annum egisse, vt putat Christ. à Castro in eum locum. Scio non deesse qui hanc orationem non ætatis, sed humilitatis esse velint. Vt D. Ambr. in Psal. 118. concione 18. *Despectus*, inquit, *erat Moyses, nec sibi idoneus videbatur, cum ad liberandum Hebræorum populum mitteretur: despectus erat Ieremias qui dicebat, dominator Domine, ecce nescio loqui, quia iuuenis sum ego.* Eodémque modo Gregorius hunc locum fuse tractans, ætatis prophetæ excusationem, solam humilitatem interpretatur. Quo scilicet modo Dauid. [b] *Adolescentulus sum ego*, inquit, *& contemptus.* Vbi prior vox per posteriorem explicatur. Et sicut honoris causa presbyteri dicuntur etiam minime senes, sic etiam contemptim quidam iuniores dicuntur; & pueri centum annorum maledicuntur.[c]

1. p. past. c. 7. [b] Psal. 118.

[c] Isaiæ. 65. 20.

IX. *Confirmatur ex antiquis patribus.*

HIERONYMVS tamen tam in eum locum Ierem. quam in c. 3. Esaiæ, in ea verba, *dabo pueros principes eorum*, imo & D. Ambros. lo. cit. & D. Ignat. epistola ad Magnesianos, & D. Chrysost. sermone de Ieremia, Origenes quoque, & Theodoretus pueritiam ætatis agnoscunt. Solum proferam S. Ignat. lo. ci. vbi suadet Magnesianis Damam Episcopum suum ætate iuniorem non contemnere, sed omnem illi reuerentiam impertiri, non respiciendo ad adolescentiam, sed ad prudentiam, quam habet in Deo. *Nec enim annosi*, inquit, *sapientes continuo sunt, nec canes intelligentiam possident, sed spiritus qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens, cum 12. esset annorum spiritu Dei afflatus erat, & senes frustra canos ferentes calumniatores, & alienæ formæ appetentes esse coarguit. Samuel autem puer paruulus Heli nonagenarium reprehendit, quod suos filios plusquam Deum honoraret. Similiter Ieremias audit à Deo, ne dicas, Iunior sum. Porro Salomon, & Iosias ille quidem duodecimo ætatis anno, hic vero octo natus annos regni gubernaculis admotus est.* Hæc ibi. Cum ergo S. Ignatius duodecim annorum pueris Ieremiam aggreget, non multo grandiorem fuisse credidit.

X. *Quis eius pater.*

FVIT autem filius Helciæ, non summi pontificis, de quo anno 1. Iosiæ dicemus, sed alterius sacerdotis, qui in pago Anatoth, iuxta Ierusalem habitabat, & Hierosolymam, in ordine vicis suæ ad ministrādum veniebat. Quis enim credat hominem sermone, cultu, patriáque rusticanum, qualem eum describit Hieronymus, summi sacerdotis filium fuisse, quæ erat dignitas à rege maxima, & primæ nobilitatis in vrbe regia? sed & illa verba, *filij Helciæ, de sacerdotibus qui fuerunt in Anatoth*, significant hunc Helciam potius de grege Sacerdotum, quam summum pont. fuisse. Habuit idem propheta patruum Sellum, cuius filius Hanameel erat Ieremiæ patruelis.[d]

[d] Vt cōstat ex Ierem. c. 32. 6. &c.



# ANNVS MVNDI 3394. QVINTAE AETATIS 455. FVNDATI TEMPLI 372. AMONIS REGIS IVDÆ 2. ET VLT. SELLVMI PONTIF. 2. BEN-MERODACHI 19. IMPERII BABYLONIORVM 61. OLYMPIADIS XXX. ANN. 1. TVLLI HOSTILIJ 12. VRBIS CONDITÆ 93.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 659.



TRIGESIMAM Olympiadem memorat Pausanias in Arcadicis, [a] qua tertiam palmam in Olympicis Chionis Lacon tulit. Cuius Olympiadis anno secundo Phigalia vrbs Arcadiæ à Lacedæmoniis excisa est, Athenis Prætore Miltiade; eodem autore Pausania. Eodem quoque anno Cypselum apud Corinthios tyrannidem occupasse scribit Sigonius in temporibus Atheniensium, vtique ex Chronico Eusebij, quam 28. annis exercuisse tradit. Est autem hic annus à reditu Heraclidarum posteriore 445. I. Olympias 30. Mors Amonis.

[a] l. 8 p. 269 Græ.

Primo autem eiusdem Olympiadis anno raptus est velociter Amon, ne malitia magis magisque de prauaret intellectum eius; & quandoquidem periturus erat, vt res ipsa docuit, minore sarcina degrauatus, deuolueretur in barathrum. Raptus autem ad diuinum iudicium domestico scelere. [b] *Tetenderunt enim ei insidias serui eius, & interfecerunt regem in domo sua. Domi*, inquit Iosephus, *à suis familiaribus oppressus est, vix dum exacto anno vitæ quarto & vigesimo, regni vero secundo.* Deo celeriter eius idololatriam puniente, miserum.

[b] 4. Reg. 21. 21. l. 10. c. 4.

*Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.*

vt celeriter optimo regi aditus in regnum patefieret.

VSVS est Dominus improbissima voluntate domesticorum Amonis, ad eius interitum, quam, nisi eius peccatis exigentibus, irritam reddidisset. Nec minus tamen illi grauissimi sceleris rei facti sunt, in vno homine, totius Reipub. capite abscisso, nulla authoritate, nulla iurisdictione, nulla Dei iussione instructi; & interfecerunt quem neque attingere, neque sine honoris titulo appellare debuerunt; & interfecerunt non aperto marte, sed per insidias, proditorum in morem. Nec mirum sacrosanctam principis domum non esse veritos, qui personam etiam ipsam multo sanctiorem violare non dubitarunt. Et quamuis ille ob impium dæmonum cultum in Rempub. in damnum infinitarum animarum inuectum, millies meritus fuisset occidi: id tamen iuris in priuatis personis, aduersus principem ac Dominum suum, non fuit, quantumuis ille de ipsis male meritus fuisset quod tamen memoriæ proditum non est. II. Domestico scelere perpetrata.

NEQVE vero impune sacrilegi manus suas regio sanguine cruentarunt. *Percussit enim populus terræ omnes, qui coniurauerant contra regem Amon*, vt ait Scriptura, Non tamen apparet manu facta populum irruisse in hosce coniuratos, sed ad eius petitionem, Iudices ordinarios debito supplicio proditores affecisse. Quandoquidem is, in quo summum ius animaduertendi in sontes residebat, per ætatem, vtpote octo annorum puerulus, eo officio fungi non poterat. Alioqui enim sicut Amasias, qui rex factus est cum 25. esset annorum, interfecisset seruos suos, à quibus Amon pater eius peremptus fuerat. Fortasse autem hæc culpa cognatorum regis fuerat, vt necesse fuerit populum ipsos ad supplicium armatis precibus deposcere. III. Non impune.

Sepultus autem est cum patre suo, vix biennio ante defuncto, in horto Oza, [d] non communi scilicet regum sepulchro, sed proprio, & quod ipse sibi Manasses exstruxerat.

[d] 4. Reg. 21. 26.

ANNVS MVNDI 3395. QVINTAE AETATIS 456. FVNDATI TEMPLI 373. IOSIÆ REGIS IVDÆ 1. HELCIÆ PONTIFICIS 1. BEN-MERODACHI 20. IMPERII BABYLONIORVM 62. OLYMP. XXX. AN. 2. TVLLI HOSTILII 13. VRBIS CONDITÆ AN. 94.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 658.

I. *Manasses causa cladium Respubl. Iudaicæ.*



MANASSES optimi parentis, pessima quondam proles, sceleribus suis diuini numinis iram vsque adeo concitauit, vt in eorum vltionem Hierosolymam, templumq; euertere, & populũ vniuersum statuerit Babylonicæ 70. annorum addicere seruituti. [a] Hoc est enim malum Ierusalem, & Iuda, propter quod ambæ aures tinniant; hoc est pondus domus Achab, & funiculus Samariæ. Eadémque comminatio inculcatur aliis etiam Scripturæ locis: [b] acerbius etiam apud Ierem. [c] *Visitabo*, inquit, *super eos quatuor species, dicit Dominus. Gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & bestias terræ ad deuorandum, & dissipandum. Et dabo eos in feruorem vniuersis regnis terræ: propter Manassem filium Ezechiæ regis Iuda, super omnibus, quæ fecit in Ierusalem.* Indignationis quidem diuinæ flammam nonnihil restinxit Manassis pœnitentia; sed eam iterum exsuscitauit Amonis filij eius impietas, qui patrem secutus peccantem, non est secutus pœnitentem, vt paulo ante dicebamus.

a Vt patet ex 4. Reg. 21. 11.
b 4. Reg. 23. 26. c. 24. 3.
c 15. 3. 4.

II. *Iosias, & Ieremias in aliquod remedium suscitātur.*

VTRIQVE successit Iosias laudatissimus princeps, qui pietate sua vltionem in gentem suam iampridem paratam, non sustulit, sed prolatauit, & distulit; omnem quantum in se fuit, profanum cultum ex toto Israële profligando. Ei suscitauit Dominus adiutorem Ieremiam, qui octodecim ipsos annos sub eius regno, duos & 20. filiis eius regnantibus, & aliquot etiam amplius prophetando consumpsit: tum alia vitia, tum maxime idololatriam diuino iussu reprehendens: sæpius etiam iterata comminatione imminentis exitij, vt suis locis videbimus.

III. *Iosias fit rex à populo.*

IOSIAS ergo mortuo patre, in solium Dauidis ab vniuerso populo euectus est, postquam percussit omnes, qui coniurauerant contra regem Amon, & constituerunt sibi regem Iosiam filium eius pro eo. Patre enim pueri occiso, & regni hærede, vt dicebamus puerulo, necesse fuit populum, Dei instinctu, zelari pro domo Dauid, & puerum octennem sibi regem cõstituere. Quo facto aperte docuit Dominus quanta sollicitudine regnum Dauidis inter prospera aduersáque tutaretur; qui non permisit sicarios illos, qui regem valida ætate iuuenem interfecerant, tantula ætate puerum, quod mille modis fieri poterat, è medio tollere, &, sicut tum crebro in regno Israëlis contigerat, regnum in se, suamque familiam transferre. Nec passus sit populum istum, super regem puerum, fastidioso supercilio nauseare. In istum tamen puerum non cecidit illud Salom. [d] *Væ tibi terra cuius rex puer est*, & illud Isaiæ. [e] *Et dabo pueros principes eorum.* Atque vtinam is fuisset populus, qui tali rege dignus esset; auertisset fortasse Dominus iram suam. Sed habitabat in eo regno lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabat, vitulus, & leo, & ouis simul morabantur; & puer paruulus minabat eos. Ideoque noluit Dominus propitiari. Ait Iosephus fuisse Iosiam indole optima, & ad virtutem natum, vt sequentia demonstrabunt.

*Diuina in eum, ac familiam Dauidis prouidentia.*

d Eccles. 10. 16.
e 3. 4.

IV. *Helcias pontifex ann. Sabb. 116.*

QVOD ad pontificem attinet Helciam regno Iosiæ, quod ab anno Sabbatico, 116. inchoatur, omnes ascribunt, Chronicum Hebræ. & Iosephus, [f] & certius multo. 4. Reg. 22. [g] Ad hæc Paral. 6. 13. in catalogo pontificum ponitur Helcias filius Sellum, qui tamen 1. Paral. 9. 11. dicitur filius Mosollam, sicut & 2. Esdr. 11. 11. cuius rei rationem supra [h] reddidimus. De hoc pontifice plura suis locis;

f l. 10. ant. c. 11.
g v. 4. 8.
h a 1 Amō n 1.

cum enim notiorem multis aliis pontificibus nobis scriptura reliquit.

His circiter annis Iosię videtur prophetasse Sophonias. Nam is initio suę prophetiæ non solum dicit se tempore Iosiæ filij Amon prophetasse, sed etiam ea prædicit, quæ aliquot post annos Iosias in disperdenda idololatria perfecit; qualia sunt illa. *Disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nouissima æditvorum cum sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cæli*, &c. quæ accurate traduntur c.23. 4. Reg. à Iosia perfecta, à 12. anno regni sui, vsque ad 18. vt mox dicemus. Sicque videtur Dominus præparasse Sophoniam, & misisse ante faciem Christi sui Iosiæ, vt ei adhuc adolescentulo muniret aditum ad gloriosum facinus suscipiendum: cui inchoato Ieremias superueniret adiutor, qui ea copiosius & frequentius auribus populi ingereret.

*Sophonias.* — *c.v.5.12.20.*

## ANNVS MVNDI 3398. QVINTÆ ÆTATIS 459.

FVNDATI TEMPLI 376. IOSIÆ REGIS IVDÆ 4.
Helciæ Pontif. 4. Ben-Merodachi 13. Imperii Babylonici 65. Olymp. XXXI.
an. 1. Tvlli Hostilii 16.
Vrbis conditæ 97.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 655.

*an. mun. 3061. & 19. 3398* — *l.10.c.5.*



ADMODVM credibile est Iosiam, aliquot ante seculis præuisum, ac prænuntiatum ad Dei cultum restituendum, ab ineunte etiam ætate à Deo copiosiore præuentum gratia vt pius esset, zeloque non vulgari erga religionem duceretur; nihil tamen admodum in regno, propter ætatis infirmitatem, renouare ausus est. Etsi dubitandum non est eum Helciæ pontifici, quibus rebus potuit egregie fauisse. Iosephus, aut eius potius interpres ait Iosiam quamprimum duodecimum annum attigit ætatis, qui præsens annus est, egregium pietatis ac iustitiæ specimen edidisse. Iosephus autem habet tantum duodecimo anno, non definiens regni ne, an ætatis. Sed neutrum verum est, cum Scriptura id asserat de octauo regni eius anno, qui fuit ætatis decimus sextus: verum hac de re infra suo loco dicendum erit.

I. *Iosias nihil adhuc mouet in Reg.*

Catalogvs Olympionicarum Scaligeri hac quoque trigesima prima Olympiade Chionim Laconem victorem tertium facit: tertiam tamen eius palmam Pausanias in Arcadicis ad præcedentem refert Olympiadem, vt ante dixi. In hanc Olympiadem plerasque vrbes conditas refert Eusebius: In Ponto Istrum, & Borysthenem; in Sicilia Selinum: alibi Acanthum, Stagiram, Abderam, & Lampsacum, & paulo ante Byzantium, atque Chalcedonem. Denique Phalaridem apud Agrigentinos tyrannidem exercuisse, de quibus vide Eusebij interpretes, maxime autem Strabonem, Stephanum, Plinium, nobis hæc attigisse sufficiat. Nam si in singulis immorari libeat, instituti nostri videamur obliti, qui cum sacra historia profanam, quæ ad imperia pertinet, non minutiora quæque, quæ sparsim habentur in authoribus, ab initio promisimus.

II. *Olympias 31.* — *Constructio variarum vrbium.*

## ANNVS MVNDI 3400 QVINTAE AETATIS 461.

FVNDATI TEMPLI 378. IOSIÆ REGIS IVDÆ 6.
HELCIÆ PONTIFICIS 6. BEN- MERODACHI 25.
NABOLASSARIS 1. IMPERII BABYL. 67.
OLYMPIADIS XXXI. AN. 3.
TVLLI HOSTILII 18.
VRB. COND. 99.

### ANNVS ANTE CHRISTVM 653.

I. *Nabolassaris initiũ.* TRIGESIMO quarto mundi seculo, sexagesimo octauo Iubilæo exeunte, Regni autem Iosiæ sexto, Nabuchodonosor senior, pater magni Nabuchodonosoris, qui Nabolassar quoq; à Beroso & Iosepho dictus est, vna cum patre Ben- Merodacho regnare cœpit, vsque ad annum Iosiæ decimum quartum, quando solus regno præfuit; sic enim vtraque assertio Iosephi & Berosi vera erit, cum viginti vno, & viginti nouem annis regnasse: iuxta ea quæ anno Manassis trigesimo nono diximus: quanquam assertionem de annis 21. veriorem putamus, vt alio loco dicturi sumus.

II. *Coniugiũ Josiæ.* MATVRE porro, atque adeo hoc ipso anno, quo Iosias decimum quartum ætatis annum agebat, videtur vxorem duxisse nomine Zebidam filiam Phadaiæ de Ruma, oppido in tribu Iuda, alias Roma. 4. Reg. 23. 36. Ab Hebræis autem, & sancto Hieronymo Duma dicitur, ר in ד conuerso, vt alias non raro. Vocatque vicum grandem, ad australem plagam, in finibus Eleutheropoleos, 17. ab ea milliaribus distans. Confirmatur autem hoc coniugii tempus ex filio proximo anno suscepto, vt statim dicturi sumus.

## ANNVS MVNDI 3401. QVINTÆ ÆTATIS 462.

TEMPLI FVNDATI 379. IOSIÆ REGIS IVDÆ 7.
HELCIÆ PONTIFICIS 7. BEN- MERODACHI 26.
NABOLASSARIS 2. IMPERII BABYL. 68.
OLYMPI. XXXI. AN. 4. TVLLI HOSTILII 19. VRB. COND. 100.

### ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 652.

I. *Nascitur Eliacim.* SVB anni huius initia, qui est ætatis Iosiæ decimus quintus, natus ei est primogenitus eius, quantum quidem ex Regum libris colligi potest, quem vocauit Eliachim; cui postea rex Ægypti nomen Ioachim imposuit. [a] Cum enim 25. annorum fuerit, cum regnare cœpit, sic vt vigesimus sextus ætatis fuerit primus regni, oportet eum hoc anno fere ineunte natum esse, vt vigesimus quintus ætatis cum 31. regni Iosiæ concurrat; Nec repugnat his Tostatus, [b] quamuis dicat decimo quarto Iosiæ natum Eliakim. Id enim de absoluto intelligendum est, si enim 14. annis addantur 25. explebitur tota periodus vitæ Iosiæ. Nobiscum sentit etiam Torniellus: & ipsa dispositio anno-

[a] vt dicitur 2. Paral. 36. 4.
[b] 4 Reg. 22. q. 42.

rum id exigit; alioqui dicendum esset eum, qui 14. anno patris sui natus est, decimo tertio genitum fuisse, quod nisi necessitate cogente, concedi non debet. Sicut in Achaz, qui cum 3 . annis tantum vixerit, [a] reliquit Ezechiam regni hæredem 25. annos natum. [b]

a 4. Reg. 16. 2. b 4. Reg. 18. 2. c 3. 15.

II. An fuerit primogenitus.

AT si hoc verum est, quid est quod in 1. Paral. [c] ita scriptum est: *filii autem Iosiæ fuerunt primogenitus Iohanam, secundus Ioachim, tertius Sedecias, 4. Sellum.* Respondet Vatablus & Sa ibi, & Maldon. [d] Iohanan eundem esse cum Ioachaz, qui dicitur primogenitus nō natiuitate, quia Ioachim de quo agimus, erat natu maior fere biennio, sed dignitate, quia primus patri successit in regnum: quod ergo primogeniti dignitatem obtinuit, primogenitus appellatur. In eadem sententia est Genebrardus, qui addit Hebræos primogenitum vocare præcipuū familiæ, quocumque ordine nascatur, vt Psalm. 88. 18. *Primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.* At Tostatus q. 8. in illum locum Paral. negat esse scripturæ consuetudinem vocare primogenitum, nisi ordine natiuitatis; vnde Ruben vocatur primogenitus, licet iura primogenituræ in Iosephum essent translata: [e] & Iudas præcipuus in familia Iacobi fuerit. Et Salomon nusquam dicitur primogenitus Dauid, licet solus è filiis eius regnarit, quia reuera primogenitus non fuit: illo autem loco Psal. eo modo dicitur primogenitus, quo in Prouerb. [e] dicitur tenellus & vnigenitus.

d in 1. c. Math. 11. e 1. Par. 5. e c. 4 3.

III. Videri Iohanan primogenitum Iosiæ.

DENIQVE liber Paral. cum suppleat omissa in aliis libris, exactior est. Ideoque reuera 4. filios, qui ibi diserte, & sigillatim numerantur, ponamus oportet. Denique cum Sellum sit idem cum Ioachaz, vt dicemus anno nono Iosiæ, si Ioachaz esset idem cum Iohanam, iam essent tres duntaxat filii Iosiæ, non 4. quod clare affirmat [f] Scriptura.

f 1 Par. 3. 15.

Qui præmature mortuus.

Quod si quæramus cur Iohanam prætermissus sit in lib. 4. Regum: dicet Tostatus satis probabiliter, videri illum mortuum ante patrem, ideoque primogenituram ad secundo genitum Ioacim transiisse. Hierony. Pradus in c. 19. Ezech. aliique antiquiores aiunt Iohanam primogenitum in bello contra Aegyptium cum patre occisum fuisse. Neq; absurdum est Iohanam aliquod tantum hebdomadis ante Ioacim, ex alia quapiā vxore, vel concubina genitum fuisse. Hoc ergo omisso, primus filiorum Iosiæ est Ioachim, hoc patris anno 7 natus, cuius multa nomina, sicut & cæterorum eius fratrum, distinguenda sunt, ne ea nos quoque in fraudem inducant.

IV. Nomina Eliacim successoris regni.

PRIMVM ergo dictus est Eliacim, [g] siue Eliachim. [h] Secundo à Pharaone Nechao rege Aegypti dictus est Ioachim, vt patet ex vtroque loco Reg. & Paral. quod vocabulum scribunt Hebræi per ף & ם Caph & Mem, Græci per κ & μ: (At filius eius Ioachin scribitur per כ & נ Caph & Nun, à 70. per χ & ν. Tertio dicitur Iechonias. [i] Per hunc enim primogenitum Iosiæ (aut qui primogenito præmaturè mortuo successit) propagatum est semen Dauidis, vsque ad Christum. Quod si fateamur, cum multis patribus & interpretibus, in illo textu Matthæi deesse vnam generationem, & legamus cum Maldonato ibid. Iosias autem genuit Ioacim, & fratres eius; illi Iechoniæ nomen nō conueniet, quod nusquam ei in tota scriptura tribuitur; ne in 3. quidē Esdræ; [k] quem tamen locum excepit Maldon. Nam ibi non agitur de hoc primogenito, qui regnauit 11. annis, sed de Ioachaz, qui prius regnauit tribus duntaxat mensibus, vt Perer. quoque animaduertit in ea verba Danielis [l] *Ioacim regis Iuda*, vbi & fatetur deesse in Matth. vnam generationem. Iechonias tantum appellatus est ab Epiph. In Panar. l. 1. in 8. secta sub finem: vbi dicit vocatum Zelum, & Amasiam. Sed nos Scripturæ nominibus contenti simus. De reliquis Iosiæ filiis suis locis, ordine natiuitatis ipsorum, dicemus.

g 4. Reg. 23. 24. h 2. Paral. 36. 4. i Math. 1. k 1. 34. l 1 init.

V. Bellum cū Latinis susceptum.

QVOD ad Romanam rem attinet, author est Dionys. Latinas vrbes hoc tempore discedere cœpisse, quod Alba diruta euersoribus eius Romanis imperium tradere recusarēt. *Anno*, inquit, *post illius excidium quinto decimo*, is præsens annus est, *Rex Romanus, dimissis per triginta eius colonias legatis, postulabat vt imperata facerent, quod ad victores cum cæteris Albanorum rebus, transisset etiam Latinæ gentis imperium.* Apparet his 15 annis rem aut priuatim & amice per internuncios, aut in Senatu per vtrorumque procuratores disputatam esse, cupientibus Romanis rem sine bello cō-

fici, cum illi variis tergiuersationibus vterentur. Hoc autem anno denique missos feciales, qui bellum indicerent, nisi sponte agnoscerent Romanum imperium in Albanorum iura successisse.

VI. *Sabini bello rursum domiti.* Hoc exoriente bello Sabini obliti fœderum, quæ in columnis etiam templorum dudum solenni ritu exararant, præsentem belli occasionem lætis animis arripuerunt, rati se nactos opportunitatem pecuniæ, quam Romanis persoluerant, multo cum fœnore recipiendæ: vt ait Dionysius. Estque creditu facile ipsos eiusdem Latini belli, aut authores primos fuisse, aut incentores, belli certe societatem ambiebant. Sed Tullus eorum mente cognita, cum Latinis fecit inducias, & imminenti hosti decreuit totas vires, accessione Albanorum iam duplicatas, opponere; corrogatis etiam maximis sociorum auxiliis. Iam & Sabini in vnum conuenerant, cumque alteri alteris propinquassent, ad syluam maleficorum κακούργων Dionysius: Liuius tam Malitiosam, tum Malicusam, vt quidam legunt, appellat. castra metati sunt, modico relicto interstitio. Postera die collatis signis diu æquo Marte pugnatū est: sub vesperam victoria Romanis, equitatu præualente, cessit, & magna strage Sabinorum edita, direptis castris, agro populato domum reuersi sunt.

VII. *Res cum Latinis gesta.* Latini nihilominus pacem seruitute redimere noluerunt, priuatim enim oppida nihil responsi dederunt: sed indicto Ferentinum publico gentis concilio duos eligunt, penes quos sit pacis bellique arbitrium. Romani quoque vim atque arma parant contra cognatos populos. Id bellum hoc seculari Vrbis anno inchoatum ad quinquennium processisse testatur Dionysius, quod ciuili quodam, & vetusto more gereretur. *Nam neque totis*, inquit, *in certamen commissis exercitibus magna clades secuta est, neque vlla captarum vrbium extidium, seruitutem, aliamue grauem calamitatem experta est*: præter vnam Medulliam Romuli coloniam, quæ rursus ad suam gentem transierat, & obsidione capta, punita est. Cum cæteris, quia parum hostiliter bellum gerebatur, & videlicet quod Romani subditis suis parcerent, facilius pax inter eos conciliata est.

ANNVS MVNDI 3402. QVINTAE AETATIS 463. FVNDATI TEMPLI 380. IOSIÆ REGIS IVDÆ 8. HELCIÆ PONTIFICIS 8. BEN-MERODACHI 27. NABOLASSARIS 3. IMPERII BABYL. 69. OLYMP. XXXII. AN. 1. TVLLI HOSTILII 20. VRB. CONDITÆ 101.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 651.

I. *Iosias incipit quærere Dominum.*



IOSIAS octauo regni sui, qui Sabbaticus fuit ordine centesimus decimus septimus, cum adhuc esset puer cœpit quærere Deū patris sui Dauid [a] id est cepit palam profiteri, se velle sectari Dauidis vestigia, in veri Dei cultu. Agebat autem hoc tempore decimum sextum annum, pueritiam paululum prætergressus, vt postea etiam dicatur puer, quamuis duos iam filios genuisset: quæ res etiam illi animos humanitus faciebat, vt humanum illum timorem & verecundiam excuteret, erga eos qui plurimum in Republica poterant, & fortasse ipsum puerulum in throno Dauidico, cæsis Amonis interfectoribus, collocarant. Cæterum circa hoc tempus falli diximus Iosephum; qui duodecimo anno dixit Iosiam pietatis specimen edidisse. Fallitur & eum secutus Comest. [b] potius quam apertam Scripturam, quod notauit etiam Tostatus. Illud nihilominus referre possumus, quod ille dixit, de Iosiæ anno 12. Autorem scilicet eum tum fuisse populo,

[a] 2. Par. 34. 3.
[b] c. 34.

vt abiectis erroribus, & relicta de falso creditis diis persuasione, conferrent se ad cultum patrii numinis.

II. Et alteram ducit vxorem.

Hoc ipso anno aliam duxit vxorem Iosias, nomine Amital filiam Ieremiæ de Lobna, vt scriptum est in 4. Regum, [a] ex qua tertium filium anno sequenti suscepit. Huius autem Ieremiæ ætas, qui filiam nubilem habuerit, & patria, & vitæ conditio, qui factus sit regis socer, certo declarant alium eum esse à propheta Ieremia, qui hoc tempore puer erat, ex oppido Anatoth, & conditionis longe inferioris, quam vt ad eum gradum aspirare posset.

a 23.31.

III. Olympias 32. Cratinus.

Secundam hoc anno supra trigesimam Olympiadem cursu celebrauit Cratinus Megarensis; quando etiam pugilatu Comæus tertius fratrum certans victor effectus est. Ita in Olymp. catal. Cratinum alterum athletam memorat Pausanias in Eliacis [b] ex Egira Achaici conuentus ciuitate, qui cum sui temporis omnium esset formosissimus, luctandi etiam arte longo interuallo omnes vicit, factusque est ab Elæis ludicræ exercitationis magister, cui & statua erecta est.

b l.6. p.179. ε. gr.æ.

Ad hoc circiter tempus refert idem Catalogus ortum Pittaci Mitylenæi, ex Lesbo insula, qui vnus de 7. sapientibus fuit. Eum Mitylenæorum regem Clemens Alexandrinus, Plutarchus tyrannum vocat: sed de eo rursum cum Eusebio sub Olympiadem 43. dicendum erit.



## ANNVS MVNDI 3403. QVINTÆ AETATIS 464.

FVNDATI TEMPLI 381. IOSIÆ REGIS IVDÆ 9.
Helciæ Pontificis 9. Ben-Merodachi 28.
Nabolassaris 4. Imperii Babyl.
70. Olympiadis XXXII. an.
2. Tulli Hostilii 21.
Vrb. cond. 102.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 650.

I. Ortus Ioachaz tertiogeniti Iosiæ.



NONO regni Iosiæ anno, ætatis ineunte decimo septimo nascitur Ioachaz, [c] secundo, vel potius tertiogenitus Iosiæ. Cum enim viginti trium essent annorum, cum regnare cœpit, & Iosiæ immediate successerit, hinc autem ad finem trigesimi primi anni Iosiæ, (vbi tres eius menses collocat Torniellus, vel ad init. 32.) tres & viginti anni numerentur, hoc anno natum esse oportuit. At quomodo Ioachaz in filiis Iosiæ non numeratur in primo Paral? [d] Respondeo numerari, sed sub alio nomine, plura enim habuit. Primum, & notissimum est Ioachaz. [e]

c 4. Reg. 23. 30.

Varia nominatus Ioachaz.

d 3. 15. e 4. Reg. 23. 30. 2. Par. 36.1.2. f 1. Paral. 3. 15. g c. 22. 10.

II. Sellum.

Secundum Sellum [f] quamuis ibi non suo loco, id est tertio, sed quarto numeretur. Sed Ieremias [g] eum aperte Sellum vocat. *Hæc dicit Dominus*, inquit, *ad Sellum filium Iosiæ regem Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo*, immediate videlicet, *qui egressus est de loco isto, non reuertetur huc amplius; sed in loco ad quem transtuli eum, ibi morietur, & terram istam non videbit amplius*: quæ omnia Ioachaz rite conueniunt, quem rex Aegypti secum in Aegyptum abduxit, vbi & mortuus est. [h] Ioacim autem eius fratri non conueniunt, quia is mortuus est Hierosolymis. [i] Sedecias autem, qui postremus fuit filiorum Iosiæ, nondum regnare cœperat, nec egressus adhuc erat de Hierusalem, cum ea prophetia edita est. Superest ergo vt iste Sellum sit Ioachaz: & ita sentit etiam Perer. lo. cit. Christophorus à Castro, in eum locum Ierem. Abul. & Sanctius. [k]

h 4. Reg. 23. 34. i Ierem. 22. 19.

k q. 9 in c 3. 2. Paral. l 1. 34.

III. Iechonias.

Tertium eius nomen est Iechonias, quo appellatur in 3. Esdr. [l] ei quippe eadem prorsus tribuit, quæ scriptura de Ioachaz recitat. *Et assumentes*, inquit, *qui erant ex gente Iechoniam filium Iosiæ, constituerunt regem pro Iosia patre suo*, cum esset

*annorum triginta trium.* Ex scriptura canonica legendum est, viginti trium; alioqui anno patris sexto natus fuisset; pergit: *& regnauit super Israel mensibus tribus, & amouit eum Rex Aegypti &c.* Nil clarius, idque late confirmat Abulensis lo. cit. Sed hic Iechonias non memoratur c. 1. Matth. vt putat Tostatus ibid. quia non est ex Christi progenitoribus, & videtur sine filiis in Aegypto decessisse. At alter Iechonias in Babylonem abductus est, & genuit Salathiel, ex quo propagata est ad Christum vsque Dauidis familia. Huc porro ex Iosepho licet illa transferre. [a] *Et retractatis maiorum suorum institutis, quidquid peccatum esset, corrigebat, tam prudenter adhibitis remediis, quam si esset ætate maturrima; quæ vero decenter se habere inuenit, immota seruauit, & imitatus est. Hæc autem faciebat, tum per innatam sapientiam, tum etiam seniorum monitis, & consiliis.* Sic ipse. a l. 10. ant. c. 5.



## ANNVS MVNDI 3406. QVINTÆ ÆTATIS 467 TEMPLI FVNDATI 384. IOSIÆ REGIS IVDÆ 12. HELCIÆ PONTIFICIS 12. BEN- MERODACHI 31. NABOLASSARIS 7. IMPERII BABYL. 73. OLYMPI. XXXIII. AN. 1. TVLLI HOTILII 24 VRBIS CONDITÆ 105.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 647.

I. *Emundat Iosias regnum suũ*



HOC anno cœpit Iosias mundare regnum suum ab Idololatria.[a] Cum enim vigesimum iam ætatis annum ageret, nec esset regnandi insolens, & stabilitum iam, firmatumque regnum suum videret, negotium, quod iampridem animo versabat, magno animo aggressus est; in quo vsque ad decimum octauum regni sui, operam nauauit laudatissimam, vt constat ex 2. Paral. [b] Et quoniam minime dubitandum videtur, quin ista emundatio à templo inchoata sit, quæ circa illud facta sunt ad hunc annum referemus: ea vero [c] traduntur, quæ licet videantur ad annum 18. Iosiæ pertinere, eo quod explicentur post initum fœdus cum populo, quod certum est initum fuisse anno 18. Iosiæ, l. tamẽ 2. Paral. [d] dicitur Iosias anno octauo decimo regni sui, *mundata iam terra, & templo Domini*, misisse Saphan ad agendum de restauratione templi, moxque secutum est fœdus. Iam ergo templum mundatum erat. Itaque illud: *Et præcepit Rex Helciæ pontifici*, æquiualet plusquam perfecto, præceperat, anno scilicet 12. regni sui, non autem 18. Idque Iosephus non animaduertit, & clausis oculis narrandi seriem sacri historici secutus, rem indistinctam reliquit.

*initio ducto à templo.* — b c. 34. v. 8. — c 4 Reg. 23. 4. — d c. 34. 8.

II. *Cura pontificis demandata, & sacerdotibus secundi ordinis.*

PRÆCEPERAT igitur *Rex Helciæ pontifici, & sacerdotibus secundi ordinis, & ianitoribus, vt proycerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & vniuersæ militiæ cæli; & combussit ea foris Ierusalem in conualle Cedron, & tulit puluerem eorum in Bethel*: quasi in locum immundissimum, eo quod ibi vitulus aureus diutissime adoratus fuisset. [e] Sacerdotes secundi ordinis vocant aliqui, omnes qui erant pontifice inferiores, alii, vt Abulensis, omnes qui præerant 24. vicibus sacerdotalibus. [f] Putat etiam intelligi posse eos, qui erant secundæ sortis in illis 24. si tempore administrationis eorum contigit ista purgatio. Sed fortasse primi ordinis sacerdotes filios Eleazari, & Phinees, secundi autem filios Ithamari intelligit. Hæ enim familiæ duæ primariæ sacerdotales, quæ Dauidis tempore distinctæ erant, [g] etiam tempore Iosiæ videtur fuisse distinctæ; cum etiam post reditum ex captiuitate filii Phinees, & filii Ithamaris seorsim memorentur.

e Abul. q. 11. in c. 23. 4. Reg. — f q. 10 in c. 23. 4. Reg. — g vt constat ex 1. Paral. 24. fuse.

III. *Supellex profana qui nunc superesset.*

ILLVD potius admiratione dignum est, hanc profanam, imo detestabilem

Idololatriæ suppellectilem, in templo Domini, post pœnitentiam Manassis, inueniri potuisse: cum de eo scriptum sit. [a] *Et abstulit deos alienos, & simulachrum de domo Domini, aras quoque quas fecerat in monte domus Domini, & in Hierusalem, & proiecit omnia extra vrbē.* Sed iure dici potest hæc omnia, aut maximā certe partem, ab Amone eius filio intra bienniū restituta fuisse: vt propterea multo maiora deliquisse dicatur, [b] quæ conseruata, forte & amplificata fuerunt primis Iosiæ annis, quibus propter pueritiam magis impietatem ignorare, & improbare poterat, quam impedire. Quod autem dicuntur vasa facta in luco, in quibusdam codicibus abest particula *in* quemadmodū antecedentia, & consequentia vidētur exigere; nec est in Hebræo, Græco, aut Chaldæo, in quibus omnibus sumitur, quasi proprium nomen alicuius Idoli. Nam Theoderetus notat τῷ ἄλσει siue lucū, esse Astartem, & Venerem, & ab aliis interpretibus dictum Astaroth. Iā supra [c] vocauit Idolum luci, de quo diximus anno Manassis 3 quam expositionē confirmant, quæ sequuntur. [d] *Et efferri fecit lucum de domo Domini*, atrio scilicet Leuitico, vt ibi dicebamus, *foras Ierusalem in conualle Cedron, & combussit eum ibi, & redegit in puluerem, & proiecit super sepulchra vulgi*, qui scilicet idolum illud adorauerat. Nam 2 Paral. *& super tumulos eorum, qui eis immolare consueuerant, fragmenta dispersit*, quasi diceret, dii tui, & simulachra tua tecum sint in perditionem.

*Vasa luci.*

a 2 Paral. 33. 15.
b 2. Paral. 33. 23.
c c. 21 7.
d c. 23 6.
e. 34. 4.

IV. *Destruit Iosias officinas infamis nequitiæ.*

DESTRVXIT *quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in domo Domini*, in atriis videlicet Israelis, & gentium, *pro quibus mulieres texebāt quasi domunculas luci.* Adeo inualuerat, ait Vatab. cultus luci, vt fuerint extructæ ædiculæ in tēplo fœminis quæ texebāt cortinas luci & sacerdotibus luci, quos scorta vocat, intelligēs de fornicatione spiritali Septuag. retinuerūt vocem hebræam Cadesim, de qua Theod. *per homonymiam ipsos dæmones vocabant sanctos*, cades enim exponitur sanctum, vnde Montanus vertit initiatos: Aquila, qui exfornicabantur a Domino. Verum alii nomine effœminatorum scorta mascula intelligunt. Isti enim impurissimi sacrificuli, nihil ad omnem nequitiam sibi reliquum faciebant, quibus tamen nomen sanctitatis, per antiphrasin, & εὐφημισμὸν tribuitur. [e]

e vide Pinedam in c. 36. Iob. v. 14. n. 1. & Tost. q. 15 in c. 23. 4. Reg.

V. *Quæ ædicula, & cortinæ.*

CORTINAS vero domunculas interpretatur Pagninus, quia intra cortinas, vel tentoria, vt alii, isti effœminati peractis sacrificiis, ad exercendam nequitiam se includebant, oculos spectatorum vitantes, quantumuis essent ad omnem impudentiā proiecti; & nomen ædicularum plurale ostendit, non vni idolo paratas fuisse has cortinas; etsi præcipue quædam erant, in quibus idolum illud includebatur, conciliandę videlicet reuerentiæ; ne si perpetuo conspectui pateret, ipsa cōsuetudine vilesceret. 70. habēt στολάς, Aquila περιβλήματα, quia præter cortinas, quib. cingebatur, etiā preciosis vestib. vel textis, vel acu pictis induebatur. Has ergo omnes ędiculas destruxit Iosias, & omne id muliercularū superstitiosarū ministeriū, & sacella textilia dissipauit. *Altaria quoq; quæ erāt super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerāt reges Iuda, & altaria quæ fecerat Manas. in duobus atriis tēpli Domini, destruxit Rex.*

VI. *Euertit altaria tectorum.*

MVLTIS locis tota vrbe Ierosolymorum erexerant altaria reges Iudæ impietatis cultores, vt suis locis explicatum est. Nec contenti vicis, & plateis, collibus, & lucis, in quibus publice sacrificabatur, priuatim sibi aras excitarunt, in quibus nefarium dæmonum cultum frequentarent, vt ex hoc loco intelligi potest, & maxime ex Ieremia, [f] *Et erunt domus Ierusalem*, inquit, *& domus regū Iuda, sicut Topheth, immundæ; omnes domus, in quarum domatibus sacrificauerunt omni militiæ cœli, & libauerunt libamina diis alienis.* Apud Sophoniam quoque [g] *Disperdam*, ait Dominus, *de loco hoc reliquias Baal, & eos qui adorāt super tecta militiam cœli.* In palatio ergo regio iuxta ritus eorum, qui adorabant militiam cœli, siue astra in cœlo diu noctuq; lucētia, Achaz in cœnaculo à se extructo, huiusmodi aras erexit super ipsum solariū, vnde liberrimus esset in cœlū prospectus. Quæ deinde à sequētibus regibus alternatim euersa, atq; excitata sunt, quæ nunc Iosias euertit, ac funditus sustulit

f c. 19. 13.
g c. 1. 5.

VII. *Et altaria Manassis.*

MIRVM autem est destructa nunc fuisse altaria, quæ Manasses in duobus atriis templi quondam erexerat, cum constet ex Scriptura ipsa, [h] eum non solum abstulisse deos alienos, & simulachrum de domo Domini, sed aras etiam, quas fecerat in monte domus Domini, monte scilicet moria, qui totus à domo Domini occupabatur, & proiecisse omnia extra vrbem; quod nisi fecisset, nequaquā vt verus pœnitens, Deo & conscientiæ suæ satisfecisset. Responderi potest alta

h 2. Par. 33. 15.

ria hæc à Manasse relicta fuisse semiruta, quæ nulli vsui essent ad cultum idolorum; nec tamen eum suæ impietatis ad iugē animi dolorē, obliuisci paterētur: & monerent posteros, ne facerēt ea, quæ ipsimet fabricatores eorū euertissent. Aut certe dici potest Amonem euersæ Idololatriæ monimenta studiose restaurasse, quæ dicātur nihilominus Manas. quia super eadē fūdamēta Amō ædificauerat.[a]

[a] vid. Abul. q 21. in c. 23. 4. Reg

VIII. *Abstulit Solis equos ac currus.*

ABSTVLIT *quoque*[b] *equos quos dederant reges Iuda Soli, in introitu templi Domini, iuxta exedram Nathan Melech Eunuchi, qui erat in Pharurim*, id est suburbanis, *currus autē Solis combussit igni.* Equi de quibus his loquitur, ait Vatabl. *erant instar veredorum, quibus cursores equestres vtuntur, & illis vehebantur, qui quotidie solē orientem salutabant, iussu regis. Per currus autem solis fortasse intelligendi sunt currus, quibus vehebantur cultores eius, dum quotidie illi obuiam procederent. Quidam intelligunt de statuis, in quibus erant sculpti currus.* Sic ipse: hæc posterior sententia est Abul. q 19. in hūc locū Reg. & videtur Iosephi.[c] *Quadrigas etiam Solis*, inquit, *quas superiores reges in vestibulo templi consecrauerant, & si quid aliud diuinis honoribus vulgus imperitum dignabatur, de medio sustulit*: certe viuos equos populus non afficiebat diuinis honoribus. Prior sentētia est Rabi Salom. quam sequitur Villalp.[d] nec satis refutat Tost 2. & confirmatur ex Xenophōte apud quem legitur,[e] ἔθυσαν τῷ Διὶ, ϗ ὁλοκαύτωσαν τοὺς ταύρους. ἔπειτα τῷ ἡλίῳ, ϗ ὁλοκαύτωσαν τοὺς ἵππους. Addit Villalp. currus ante solis ortū ad pompam sacrificii prodiisse. Inde poëta, *Placat equo Persis radiis hyperiona cinctum. Ne detur celeri victima tarda Deo.* Nec sine causa Scriptura equos abstulisse dicit, & currum combussisse, & non vtraque igne aboleuisse.

[b] vt dicitur v. 11.
[c] l. 10. c. 5.
[d] t. 2. l. 3 c. 12.
[e] l. 8 Cyropæ.

*Ioui sacrificarūt tauros in holocaustum, soli autem equos*

2. ӧχ.

IX. *Simulacrū Solis.*

SOLIS porro simulachrum quale esset, ex iis quæ scribit Macrob.[f] suspicari licet *Simulachrum*, inquit, *aureum specie imberbi instat, dextra eleuata cum flagro in aurigæ modum; læua tenet fulmen, & spicas*: & paulo post. *Vehitur simulachrum dei Heliopolitani ferculo* (id est vehiculo) *veluti vehuntur in pompa ludorum circensium, deorum simulachra. Et subeunt plerumque prouinciæ proceres, raso capite, longi temporis castimonia puri, feruntúrque diuino spiritu, non suo arbitrio, sed quo deus propellit vehentes.* Hæc ibi. Coniicit itaque Villalp. Impios reges Iuda, qui Solis & Lunæ simulachra in ipso templo posuerant, equos quoque, & currus Soli dicasse, *quos statuerant*, inquit, *ad occidentem templi, prope ipsum templum in suburbiis*, vel iuxta portas quæ ducebant ad suburbia, *quorum curam Natham Melecho Eunucho dederant.* Verum Septuag. Xisti, & regia vocem Melech, non quasi proprium nomen, sed vt appellatiuum accipiunt, quod hic Nathan regis Eunuchus, siue cubicularius esset: qui equis solis, & stabulo præesset. *Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Iuda, & altaria, quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit Rex.*

[f] l. 1. Satur. c. 23.

X. *Aræ portarum sublata.*

ET hæc quidem ad emundationem templi pertinent. Ad Ierusalem autem & suburbia, ea quæ de aris portarum, & Topheth, & Monte offensionis dicuntur.[g] *Et destruxit*, inquit, *aras portarum in introitu ostii Iosue principis ciuitatis, quæ erat ad sinistram portæ ciuitatis*, introeūtibus videlicet, vt est in Chald. & Septuag. Significat in singulis portis ciuitatis aras idolis excitatas fuisse, sicut tempore Achaz[h] de quo legimus, *& fecit sibi altaria in vniuersis angulis Ierusalem.* Portæ autem erant in plerisq; angulis ciuitatis. Ierem. quoque[i] *Secundum numerum*, ait, *ciuitatum tuarum erant dii tui Iuda, & secundum numerum viarum Ierusalem posuisti aras confusionis, aras ad libandum Baalim.* Adde Ezechielem, qui ad Ierusalem de Idololatria, sub allegoria fornicationis corporeæ, sic loquitur. *Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cūctis plateis; ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ &c.* Iosias igitur hasce aras, quæ ingredientibus, & exeuntibus erant scandalo, destruxit.

[g] c. 23. 4. Reg v. 8. vsque ad 11. & a v. 13. ad init. 15.
[h] 2. Paral. 28. 24.
[i] c. 11. 13.
16. 24.

XI. *Porta ciuitatis quæ hic intelligatur. Iudicii. Seu potius gregis.*

NOMINATIM autem aram positam ad ianuam domus Iosuæ principis ciuitatis, id est primarii magistratus laici, siue iudicis. Qualis fuit Amon, apud quem Michæas propheta in custodia fuit.[k] Ex quo suspicio est portam ciuitatis, quę nullo hic proprio nomine insignitur, esse portam, quæ dicta est iudicii, & custodiæ in secundo Esdræ,[l] quæ templo erat proxima, & ad orientem sita: in qua iudicia vinctorum exercebantur. Magis tamen placet esse portam gregis. quam omnium portarum celeberrimam, & iuxta templum ad orientem sitam, per excellentiam portam ciuitatis appellari ratio postulat, quæ omnibus vndequaque ad templum confluentibus breuiorem, & faciliorem aditum præbebat, de qua fuse Villalpandus,[m] quæ inde nomen habuit,

[k] 3 Reg. 22. 26.
[l] 3 30 & 12. 38. de qua Villalp. t. 3 l. 3. c. 13.
[m] t. [illegible] c. 7.

quod per eam victimæ, quæ iugiter in templum deferebantur è valle Iosaphat, in qua pascebant, in vrbem primùm per eam portam inducebantur; cui portæ proxima erat piscina probatica, in qua lauabantur, & forum pecuarium, in quo vendebantur.

CONTAMINAVIT *quoque* Iosias *Topheth, quod est in conualle filii Ennon*, pollutum ac profanum haberi voluit, interdixitque ne quis *consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch.* Hæc vallis, vt non semel diximus, & Iosaphat dicitur, & Cedron, & filiorum Ennon, & Topheth. Videtur autem hoc loco fuisse fanum aliquod dicatum Moloch idolo Moabitarum, in quo tympanis sacrificuli personabant, dum pueruli ab ardente statua comburerentur. Sic enim proprie idolo consecrabantur, in eius dominium & felicitatem transeuntes; quod in lustratione per ignem non fiebat: remanebant enim sic lustrati in potestate parentum. Fuit etiam locus in quo propter amænitatem in tympano, & choro Ierosolimitæ dies festos agitabant. [a] Totum etiam hunc locum profanauit, & contaminauit, iniectis in eum immunditiis è templo exportatis, & cineribus simulachrorum, sed & fanum quoque, & aram, & statuam, si qua ibi tunc erat, dissipauit, atque confregit. Idque confirmatur ex iis, quæ de monte offensionis scriptura subdit. — XII. *Contaminatio Topheth.*

a vide Villalp. t. 3 l. 2. c. 13.

EXCELSA *quoque*, fana scilicet, & aras cum simulachris suis, *quæ erant in Ierusalem* [b] id est in Ierosolymitano suburbio, (sicut Iosue 5. 13. vbi vulgata habet, *Cum autem esset Iosue in agro vrbis Iericho*, in Hebræo est, *cum esset in Iericho*: intra vrbem tamē non erat, vt quæ clausa esset, vt dicitur init. c. seq.) Excelsa igitur, quæ erāt ad vrbē, *ad dextram partem Montis offensionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Israel Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon polluit Rex, & contriuit statuas, & succidit lucos, repleuitque loca eorum ossibus mortuorum.* Mirum profectò si idola, quæ Salomon ipse pœnitens, quæ Asa, quæ Iosaphat, quæ Ezechias, quæ Manasses quoque pœnitens sustulisset, adhuc post trecentos 50. & amplius annos subsisterent. — XIII. *Idololatria sublata è suburbiis. Et Monte offensionis.*

b c. 23. 13.

VTIQVE dicendum videtur, iuxta ea quæ diximus anno Salomonis trigesimo nono, [c] & anno Ezechiæ primo [d] ab impiis regibus extructa fuisse eiusdem generis fana, & Idola quæ olim Salomon in iisdem locis extruxerat, vt illud, *quæ ædificauerat Salomon*, sit idem, ac si dixisset, *qualia ædificauerat*, iisdem scilicet diis, & in iisdem fortasse fundamentis. Nam & Scriptura, & communis loquendi phrasis hæc probant, *Quod est hoc somnium, Quam ob culpam, quod est opus vestrum? qui sum ego? quæ est ista religio? vidistis quæ fecerim Ægyptiis. Quæcūque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, certe non eadem numero, sed iis similia. Sic Paulus, *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* Mons autem offensionis est pars montis Olineti, aut si mauis collis ei adiacens à meridie, ciuitatem ab oriente respiciens. — XIV. *Non starēt adhuc idola Salomonis.*

c n. 36. & 37. d n. 28. & 29.

Matth. 7. 12.

Galat. 6. 8.

CÆTERVM & regem ipsum, pro sua in Deum pietate, atque ætatis feruore, & Pontificem, & reliquos sacerdotes. opera inter talia primos fuisse dubitare non licet: cum ea iuberet rex coram sese fieri, vnde dicitur 2. Paral. [e] *destruxeruntque coram eo aras Baalim, & simulachra quæ superposita fuerant &c.* Quibus consentit Iosephus, [f] *Itaque obeundo*, inquit, *tam vrbem, quam regionem totam lucos externis diis dedicatos excidebat: & aras eorum diruebat*: sed addit etiam scripturæ de donariis non indecore, *& donaria, quæ eis à maioribus consecrata fuerant, per ludibrium detrahebat: atque ita populum à vana opinatione ad verbum Dei cultum conuertit.* Quid autem sacerdotibus qui in culpa erant, factum sit postea dicemus. — XV. *Regem, & Pontificem, & sacer hunc operi seruisse.*

e 33. 4.

f l. 10. c. 5.

GYGEM Lacedæmonium in Olympico stadio victorem Olympionicarum catalogus prodit, initio Olypiadis trigesimæ tertiæ. Cuius ita meminit Pausanias. Octaua secundum hanc (vigesimam quintam) Olympiade, qui toto corpore certaret, Pancratiasten vocant, & desultorius equus in curriculum rediere. Anteuertit omnes equa Crauxidæ Crannonii. Euertit in pancratio aduersarios Lygdamis Syracusanus, cuius Syracusis prope latomias monumentum extat. — XVI. *Olympias 33.*

l. 5. p. 155. græ. [illegible]

Hoc anno quinto ab excitato bello Romanos inter & Latinos populos, pax conciliata est, vt anno Iosiæ septimo significauimus.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3406.

1. N. VI. ET *concurrit inde*: sic ad verbum in Hebræo, Pagninus, *currere* fecit. Chaldæus *procul inde fecit* Septuag. *diruit*, siue demolitus est. Vatablus, *quam citissime potuit discedens inde*: vel breuius, cursim abstulit, *& dispersit cinerem eorum in torrentem Cedron*.

2. N. VIII. Non male ille quidem nititur imperitia Rabinorum circa scripta Historicorum, aut prophetarum gentilium Nihil tamen in istis inueniet bulensis, quo vel opinionem Lyrani & suam, de pictis, sculptisue equis confirmet, aut alteram de veris equis refutet. Nam quod ex historia 4. coronatorum retulit, non consulta historia retulit, in qua ne verbum quidem de curru Solis, equisue habetur. Nisi in historiam vitæ nobis ignotam inciderit.

Ac ne in 4. quidem Solis equis, quos poëtæ finxerunt satis se græce linguæ peritũ ostendit. Ait enim 4 illi equos attributos, propter 4. diei partes, quarum conditiones equorum nominibus significentur. *Nam vocantur*, inquit, *isti equi Eous, Aethous, Pyrous, Philogeus. Eous interpretatur rubeus, & pertinet ad primam partem diei, qua sol apparet rubeus, Aethous interpretatur pallens, quod in secunda diei parte pallere soleat, vel albere, Pyrous id est ardens pertinet ad tempus circa meridiem, Philogeus autem id est amator terra pertinet ad vespertinum tempus, quando sol ad terram & horizontem declinat &c.* Non legerat opinor illud vulgatissimum.

*Interea volucres Pyoreis, Eous, & Aethon,*
*Solis equi, quartusq; Phlegon hinnitibus auras*
*Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.*

Quos omnes, excepto secundo, ab ardore dictos nemo non videt: quod innuit poëta, dum omnibus hinnitus flammiferos tribuit Ex quo etiam intelligitur hos equos quatuor anni temporibus, pro humorum temperie, parum conuenire: licet id eodem loco affirmet Abulensis.



## ANNVS MVNDI 3407 QVINTAE AETATIS 468.

FVNDATI TEMPLI 385. IOSIÆ REGIS IVDÆ 13.
HELCIÆ PONTIFICIS 13. IEREMIÆ PROPHETÆ 1.
BEN-MERODACHI 32. & VLT. NABOLASSARIS 8. IMP. BABYL. 74. OLYMP.
XXXIII. AN. 2. TVLLI
HOSTILII 25. VRB.
CONDITÆ 106.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 646.



I. Deus suscitat Ieremiam. ALACRITER vrgebat Iosias cœptam euersionem Idololatriæ, cum Deus ei Ieremiam prophetam adiutorem suscitauit, quem adolescentulum, ac pene puerum spiritu prophetico hoc anno cœpit afflare Dominus, vt ex initio prophetiæ eius constat; quem hoc tempore annum circiter decimum quintum ætatis egisse probabile est, iuxta ea quæ primo Amonis anno disseruimus. Cum autem propheta dixit. *Quod factum est verbum Domini ad eum, in diebus Iosiæ filii Amon regis Iuda, in tertio decimo anno regni eius.* Innuit se illo inchoato tantum, non autem absoluto prophetare cœpisse: pergit & nominare Ioakim, & Sedeciam, quorum etiam tempore prophetauit; omisso nihilominus Ioachaz, & Ioachino, propter breuitatem regni vtriusque.

II. Ad denunciandam regni cladẽ. EST autem totus hic propheta in denuncianda reipublicæ, & templi imminenti ruina, per regem Nabuchodonosorem Qua in re singularem obseruat Origenes [a] Dei bonitatem, qui nunquam punit eos, quos supplicio dignos iudicauit, sine contestatione venturæ pœnæ. *Quin etiam*, inquit, *lata condemnationis sententia diu comminatur, vt liberentur à condemnatione per pœnitentiam, qui condemnati fuerant per delictum.* Iam tempore Manassis lata erat contra regnum

[a] Homil. 1. in Ierem.

Iuda sentētia sola executio requirebatur. Mittit nihilominus Dominus prophetam sub Iosia, appropinquāte vastitate; mittit sub Ioacim, ea imminente; mittit denique sub Sedecia in ipsa executione, in vltimo mense, in vltimo die, cum iam victorum hostium vincula restringerent nocentes manus, vt quamuis sero ad pœnitentiam confugerent; imo iam captis eis dicit, rogate me, & parcam vobis, possum eruere de captiuitate, qui tradidi. Hæc fere ex Origene.

Hoc ergo anno audit à Domino Ieremias, *Priusquam te formarem in vtero noui te, & ante quam exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* Eximium Dei in prophetam beneficium, qui conceptum formatumque in vtero, & peccato originis, vt cæteri contaminatum, præ cæteris singulari priuilegio emundarit, eaque sanctitate donarit, qua Deo gratus, & acceptus esset antequam natus. Sed illud mirum, quod cum ad regnum Iuda missus sit, propheta tamen in gentibus datus dicatur. An Iudæos vocat gentes, vt qui more Ethnicorum Idololatriæ dediti essent? An quod etiam prophetiæ munus obiturus esset in circumfusas Chaldæorum, Aegyptiorum, Moabitarum, Ammonitarum, Palæstinorum, aliorumque infidelium nationes? III. *Eius vocatio ad propheticum munus.*

At Ieremias excusat infantiam suam, ex ætatis infirmitate profectam, ne ad suscipiendum propheticum munus compellatur; cum & eloquentes, & matura ætate prophetas esse oporteat, vt persuadere verborum elegantia, ætatis grauitate, & mittentis autoritate possint. illa porro literarum iteratio, est puerorum balbutientium imitatio. Ex eo autem quod propheta agnoscit requiri ad hoc munus eloquentiam, sicut & Moyses, [a] facile intelligitur eos non egisse nudos interpretes verborum Dei, sed veros concionatores ad populum: sic vt spiritu Dei pleni, ad permouendos animos, afferrent orationem plenam animi, plenam spiritus, plenam doloris, plenam veritatis. Nec certe Dominus Moysi, aut Ieremiæ excusantibus infantiam, negauit necessariam dicendi copiam, sed promisit, & dedit: quod sane in Ieremia patet; cuius oratio si non culta verbis, vt ait Hieronymus, sententiarum certe figuris, & rerum ponderibus, & locutionum eodem recidentium mira varietate plena est. IV. *Ieremiæ excusatio.* *Prophetæ concionatores.* *Ieremiæ stylus.*

a Exod. 3. & 4.

Ad hæc Dominus, noli prætexere, inquit, excusationem ætatis, quia nihilominus reddam te habilem ad agendum, & dicendum ea omnia, ad quæ destinaui te. *Prohibuit eum*, inquit Diuus Ambrosius, [b] *iuuenilis ætatis contemplatione vires suas perpendere, cui fides canitiem sapientiæ ministraret.* Sed pergit Dominus. *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te.* Quemadmodum enim ob ætatis infirmitatem non vult Deus prophetam vereri, aut subterfugere magnitudinem, & excellentiam officii sui: Ita nec vult ei esse formidini eorum potentiam, ad quos diuino nomine legatione fungetur; quòd scilicet secum habeat valentiorem Domini manum, quæ pro eo pugnare, & eum à periculo eruere possit. Nec tamen intelligitur propheta eruendus à manibus aduersariorum suorum, quasi nihil ab illis passurus sit; sed quod patiendo sit omnia superaturus, nec cessurus angustiæ, vt notauit Hieronymus. V. *Confirmat eum Dominus.*

b in Psal. 118. v. 4.

Vide quoque ritum constituendi prophetam. *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me; Ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes; & ædifices, & plantes.* Expressa videntur in Ieremia omnia, quæ requiruntur ad constituendum eximium verbi Dei præconem. Primo enim ponitur diuina electio circa personam, secundo interna præparatio per sanctificationem, tertio externa consecratio, vel dedicatio, quæ fit per illam ceremoniam extensæ manus, & tacti oris. Additur quarto certa forma verborum, quorum ea vis est. Ecce constituo te prophetam, & interpretem meum ad populum; volo vt ex ore tuo accipiant voluntatem, & iussa mea, vt qui te audiat, me audiat. Vt diuersis nationibus, & regnis annuncies fore, vt euellantur & destruantur, nisi resipuerint; & contra ædificatum, & plantatum iri etiam destructos, si peccata sua agnouerint, & emendarint. VI. *Ritus constituendi prophetam.* *Dotes in eo requisitæ.*

Hoc ipso anno primo prophetiæ Ieremiæ oblata est, ei gemina visio virgæ vigilantis, & Ollæ succensæ, quæ breuiter pro instituto attingendæ sunt. Quoniam enim VII. *Visio virgæ vigilantis.*

*Segnius irritant animos demissa per aurem,*
*Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ*
*Ipse sibi tradit spectator --*

*Siue Amygdalina.* Ideo Dominus formata in imaginatione Ieremiæ specie virgæ amygdalinæ, eum rogat, quid videat. Ipse virgam se amygdalinam, siue vigilantem videre respondet. Quod enim Theodotio, & post eum recentiores, seruata Hebraici textus metaphora, amygdalinam virgam transtulerunt, id Aquila, & Symmachus, & Hieronym. sublata metaphora, & seruata sententiæ veritate, clarius virgam vigilantem verterunt, id est accelerantem flores suos, fructusque producere. Non est autem ex similitudine שקד & שקד saced & sacad, id est amygdalus, & vigilare, per errorem nata diuersitas, sed de industria facta propter similitudinem allusio, nec similitudinem literarum solum, sed significationum. Est enim amygdalus quoddam hieroglyphicum festinationis, præcocem gerendæ rei maturitatē denotans, שקד sacad verò vigilare est, & festinare, vel summo mane surgere, & præuenire. At 70. & passim eos secuti Græci patres, & nonnulli Latini *Aut nucea.* verterunt baculum nuceum, siue quia שקד nucem quoque significat; siue potius quia Amygdalus nux Græca dicitur apud Columell. & Plin. [a] Et Virgil. 1. Geor. Quod enim signum fertilitatis ipse de nuce tradit, id ipsum Philo l. 3. de vita Mosis, de amygdalo recitat. [a l. 15. c. 11]

VIII. *Quam explicat Dominus.* SVBINTVLIT Dominus. *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud*, conformem videlicet esse visionem corporatam, & imaginariam, rei spirituali per eam repræsentatæ: scilicet castigationi imminenti, quam virga erecta, & vibrans, & quasi vigilans, melius repræsentat, quam ramus cum frondibus, aut floribus. Bene ergo vidit Ieremias figuram, rei figuratæ appositè consentientem. Nec mirum, cum is eam effinxerit, qui bene omnia facit: qui & virga castigare voluerit populum suum, non perdere, si emendari voluisset. Alioqui prius virgis cæsos, voluit nihilominus capite plectere.

IX. *Visio ollæ succensæ.* SECVNDAM quoque, eodem vt videtur tempore, Deus visionem imaginariam prophetæ obiecit. *Ollam succensam*, inquit, *ego video, & faciem eius a facie Aquilonis*, cuius nimirum os patens conuersum esset versus Ierusalem, ollæ fundo partibus Septentrionalibus obuerso, vt intelligeretur, vnde, & in quos calamitas esset ventura. Explicatur autem Olla Ierusalem ab Hieron. & Theodor. *Quæ eius significatio.* Imo & ab Ezechiele in simili visione c. 24. Olla inquam ænea, siue ahenum, vt Hierony. vtrobique interpretatur, quod ardorem maiorem concipere, & diutius retinere potest. Succensa autem olla, quod ciuitas à Chaldæis igne inflammanda esset, extremo Sedeciæ regno. Potest etiam per ollam succensam, vt vult Chald. paraph. intelligi Rex Babylonis, vel exercitus eius, veniens cum ardore magno indignationis, contra toties rebellantem ciuitatem: sicque rectè intelligemus demonstratam Ieremiæ, non ollam igni impositam, sed ollam plenam materia apta ad immittendum incendium, pice, resina, sulphure, & puluere tormentario: quæ quibusdam machinis in hostes torquebantur, ad certum eorum interitum quos attigisset.

X. *Explicatur ab ipso Domino.* HOC spectaculo prophetæ oblato, *Ab Aquilone*, inquit Dominus, *pandetur malum super omnes habitatores terræ.* quasi dicat rectè hoc quoque vidisti Ieremia. Nam malum, & clades per ollam succensam repræsentata, à Septentrionali Babylone effusa, late populabitur vniuersas hasce regiones; quæ plenius expressit Dominus per eundem prophetam. [b] Vbi nominatim exprimitur Nabuchod. [b Infra c. 25. 9.] Porro habitatores omnes terræ non ad totum mundum extenduntur, sed ad Iudæam, & omnes nationes quæ in circuitu illius sunt, coarctantur. Quamuis autem Babylon, si rectæ sunt Ortelij tabulæ, vix trib. gradibus septentrionalior sit quam Ierusalem, subditi tamen & fœdari Chaldæorum, qui cum ipsis contra Iudæos venturi erant, Septentrionem versus late fundebantur.

XI. *Causæ efficientes cladis regni Iudæ. Deus ipse.* IDQVE consentaneum est sequenti orationi. *Ecce ego*, inquit, *conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem, & super omnes muros eius in circuitu, & super vniuersas vrbes Iuda.* Vbi vides primariam calamitatum Iudaicarum causam ipsum Deum, qui fiat quasi tubicen ad euocandas ad bellum, & congregandas nationes barbaras, &

congregandas in ruinam populi sui; vt non immerito illud *ecce* præmittatur. Tum causam instrumentariam regem Babylonis, omnesque principes eius; nec vnum regnum, sed plura, nec plura tantum, sed omnes socios, cognatos, fœderatos, auxiliares ipsorum; vt intelligerent se tantæ multitudini, tantisque viribus pares esse non posse. Deo præsertim ab ipsis stante, & ipsorum dextris sua fulmina eiaculante, quo protegente possent etiam de pluribus, & potentioribus triumphare. *Et Babylonij.*

DICERET vtique hîc propheta, ha, ha, Domine Deus, si tu aduersarius es nobis, non opus est tantis copiis: pauculæ muscę, aut ranæ facile disperdent nos; imo nos ipsi intestinis seditionibus conflìgemus; & fiet vnusquisque sibimet ipsi grauis. XII. *Causa meritoria.*

Addit etiam Dominus alteram causam horum malorum moralem, & meritoriam; culpam scilicet quæ tali pœna castiganda sit, ne iniuste percutere videatur. vtque ij quibus iste calamitates incumbunt, salubri timore concussi, ad remedia pœnitentiæ, vitæque emendationem confugiant. *Loquar*, inquit, *iudicia mea cum eis, super omnem malitiam eorum qui dereliquerunt me, & libauerunt diis alienis, & adorauerunt opus manuum suarum.* Pertinuit autem ad diuinum iudicium, vt qui deos idololatrarum colerent, à cultoribus idolorum punirentur; & qui Deum desererent, à Deo in eorum manibus desererentur, imo dederentur. *Idololatria.*

DENIQVE explicata paucis, & quasi per epitomen legatione prophetica, redit Dominus ad animandum, confirmandumque legatum suum; *Tu ergo*, inquit, *accinge lumbos tuos, & surge.* Non est absurdum Profetam in lecto fuisse, eique Dominum hæc per somnium fuisse locutum, nisi malimus sanctum prophetam genibus flexis excepisse verba Dei, vt audiat *surge, & loquere ad eos omnia, quæ ego præcipio tibi, ne formides à facie eorum. Nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te.* XIII. *Deus prophetam cōfirmat.*

HACTENVS exordium, & quasi argumentum totius prophetiæ Ieremiæ, quæ hoc anno inchoata, ad 43. ab hinc annum producta est. Quænam vero singulis quibusque annis populo concionabundus dixerit, incertum est, pleraque tamen annos habent notatos, quos diligenter obseruabimus. Existimat Abul. q. vlt. in 4 Reg. prima septemdecim capita ad Iosiæ tempora pertinere, à quo dissentit à Castro. Vt videbimus suis locis. XIV. *Obitus Ben-Merodach.*

Hoc quoque anno decimo tertio Iosiæ, qui est 32. regni Ben-Merodach, quem putamus auum magni Nabuchodonosoris, mortuus est idem Ben-Merodach, cum 24. annis solus regnasset, octo autem cum filio; iuxta ea quæ anno 39. Manassis diximus.



## ANNVS MVNDI 3408. QVINTAE AETATIS 469.

FVNDATI TEMPLI 386. IOSIÆ REGIS IVDÆ 14. HELCIÆ PONTIF. 14. IEREMIÆ PROPHETÆ 2. NABOLASSARIS 9. QVI ET 1. IMPERII BABYL. 75. OLYMP. XXXIII. AN. 3. TVLLI HOSTILII 26. VRBIS CONDITÆ 107.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 645.

2. Par. 34. 3. 4 Reg. 23. 5. 8. 9. Ierem. 1. 3.


OC anno solus regnare incipit Nabolassar, qui & Nabuchodonosor senior, vt diximus anno 39. Manassis. Regnauit autē annum vnum & 20. cui tamē possent attribui 29. detractis octo annis de regno Ben-Merodach, & huic attributis, aut vtriq. simul concessis, vt hactenus à nobis factum est. I. *Nabolassar solus regnat.*

*Iosias reliquum regnum purgat idololatria.*

Cœptam porro anno duodecimo idololatriæ euersionem, his annis strenue prosequitur Iosias. Cum autem is in eo opere, tam in regno suo Iudæ, post purgatam Hierosolymam, quam in regno Israëlis sese exercuerit, quæ ad regnum Iuda pertinent prius facta esse ratio postulat, prius etiam explicabuntur: inde quæ videtur Ieremias hoc tempore prophetasse attingentur.

II. *Delet haruspices & sacrificulos.*

ET *deleuit*, vt est in 4. Reg. 23. *Aruspices, quos posuerant reges Iuda, ad sacrificandum in excelsis, per ciuitates Iuda, & in circuitu Ierusalem; & eos qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & 12. signis, & omni militia cœli.* Quos D. Hiero. hic vocat Aruspices, & apud Sophoniam [a] æditos; vtrobique enim eadem est vox *Chemarim* [a c. 1. v. 4. Vide & Osee 10. 5.]
quam quidam vertunt atratos, siue pullatos; Hebr. & Chald. vocant sacrificulos: nimirum idolorum sacerdotes, nigris vestibus indutos, idololatrarum prophetas, qui ex viscerum hostiarum inspectione se futura prædicere mentiebantur: quos Iosias in Hebr. dicitur sustulisse, è medio nimirum, siue è viuis. Nam septuaginta interpretantur combussisse, Abulensis, & alij passim occidisse. Nec sane minor pœna debebatur tanti, tamque perniciosi criminis inuentoribus, incentoribus, administris. Sunt enim malefici, de quibus diuina lex: *Maleficos*, inquit, *non patieris viuere.* [b] Quemadmodum autem Baali, Soli, & Lunæ, sub certis [b Exod. 22. 18.]
simulachris, & figuris sacrificabant, ita & videntur duodecim signis zodiaci, sub figuris Arietis, Tauri, Geminorum, Cancri, Leonis, Virginis, Libræ, Scorpionis, Sagittarij, Capricorni, Aquarij, Piscium, aras, & simulachra cõstituisse. Sed nec reliqui planetæ eodem honore caruisse credendi sunt, licet sub diuersis nominibus. Nam Venus nomine Astartes colebatur, & alij sub aliis titulis. Quos omnes, vt meros idololatras, Iosias merita morte mulctauit. [c] [c Deut. 13. & 17.]

III. *Amouet sacerdotes excelsorum.*

SED alij fuerunt etiam sacerdotes, qui non sacrificabant illi quidem idolis, sed Deo; verum alienis, inconcessis, & illegitimis locis, contra id quod lege statutum fuerat. [d] *Caue*, ait lex, *ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo* [d Deut. 12. 11. 12. 13.]
*quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi*: de quibus ita Scriptura. [e] *Congregauitque omnes sacerdotes de ciuitatibus Iuda, &* [e v. 8.]
*contaminauit excelsa, vbi sacrificabant Sacerdotes, de Gabaa, vsque Bersabee*, id est quam late patuit regnum Iuda. Nam Gabaa in finibus Beniamin sita erat, Bersabee vero in terminis Iuda, vel potius Simeonis, qui ab occidente Iudam attingebat; & videtur tunc paruisse Iosiæ. Hos ergo omnes Leuitas eduxit de ciuitatibus Iuda, in quibus sacrificabant, populo magis quam Deo gratificantes; *excelsa autem contaminauit*, siue profanauit, immissis verbi gratia in ea cadaueribus, vel animalium, vel haruspicum, & id genus hominum impiorum.

*Quæ pollant.*

IV. *Et aras euertit.*

DEINDE autem etiam aras euertit. Non enim magis aris illis pepercit, quam Hierosolymitanis. Et vniuerse de vtrisque dicitur. [f] *Mundauit Iudam, &* [f 2. Paral. 34. 3.]
*Ierusalem ab excelsis & lucis, simulachrisque, & sculptilibus. Destruxeruntque coram eo aras Baalim: & simulachra quæ superposita fuerant, demoliti sunt. Lucos etiam, & sculptilia succidit, atque comminuit: & super tumulos eorum, qui eis immolare consueuerant, fragmenta dispersit. Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundauitque Iudam, & Ierusalem.*

V. *Et qua illos pœna affecerit.*

HOS porro sacerdotes etiam pœna quadam affecit Iosias. Nam [g] *non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Ierusalem, sed tãtum comedebant azyma,* [g Vt dicitur 4. Reg. 23. 9.]
*in medio fratrum suorum.* Illud *tantum* non excludit esum aliarum oblationum, sed ius sacrificandi, quod eis fuerat commune cum reliquis sacerdotibus. Vnde Vatabl. & Tostatus aiunt Sacerdotes excelsorum, fuisse de Leuitis, & veris Sacerdotibus, qui in pœnam præuaricationis permissi non sunt ascendere ad aram Domini in Ierusalem: & licet vna cum aliis sacerdotibus comederent de oblatis, priuati tamen erant dignitate sacrificandi in Ierusalem. Quod erat de ordine sacerdotali deiectos, ad Leuitarum ordinem redigi. Nec maiori pœna duxit esse mulctandos, quòd id peccatum iampridem ab optimis regibus, ac prophetis toleratum, ac dissimulatum fuerat, Ezechia, Iosaphato, Ioas, Ioiada, &c. Non defuisse autem in rege iurisdictionem, ad puniẽdos hosce sacerdotes, ex eo probat Abulensis, quod in veteri testamento æquè subiecti erant regiæ iurisdictioni ac laici: idque probat ex facto Salomonis, qui Abiatharem pontificẽ exauctorauit, & relegauit in Anathoth. Et ex Numer. 27. 21. Vbi Eleazar videtur subiici

Iosiae; cum tamen inde contrarium potius colligatur. Dicique possit tam illi iudicio Salomonis, quam isti Iosiæ, summi pontificis consensum, reos brachio seculari tradentis, interuenisse. [a]

a Vide Num. 15. 3. & seq. & Abul. q. 16. 17. & 18. in ca. 23. 4. Reg.

VI *Quam difficile fuerit hoc opus regi. Et Ieremiæ.*

IN his autem perficiendis non difficile est æstimare, quantum pius Rex difficultatis exhauserit, quot deuorarit molestias, quot peruicerit impedimenta. Eius rei duplex est coniectura; altera, quod vix sexto denique anno res perfecta fuit: altera quod hos omnes labores, & contradictiones prædicit Dominus Ieremiæ, qui non exiguam gloriosi huius facinoris partem perfecturus erat. Quem ait se reddidisse similem ciuitati munitæ, & instructæ bonis ciuibus, & bellatoribus; munitæ armis & machinis, omnique bellica supellectile; instructæ omni necessario ad victum commeatu: similem columnæ ferreæ, ab igne, machinisq; bellicis tutæ, in quam qui impegerit, non eam ipse læserit, sed ea illæsa magnum damnum acceperit, eoque maiorem quo irruerit vehementius. Denique inuiolabilem, quasi murum quendam æneum, aduersus quemlibet hominum statum, clerum, nobilitatem, & plebem, qui eam viuendi licentiam, quæ cum nefario idolorum cultu coniuncta erat, omni studio amplectebantur, & retinere cupiebant. Accedebant pseudoprophetæ, quorum vnicum erat opus & studium, improbis populi desideriis velificari. Ideoque contra illos & Dei iussu, & regis & Helciæ pontificis voluntate, prophetæ cum rege suo, cui eum Dominus, quasi commilitonem contra dæmones dederat, constantissime dimicandum erat. Accedit coniectura tertia, insanæ populi huius, atque insanabilis in idola pruriginis, vt qui statim mortuo Iosia, ad ingenium propere redierit.

VII. *Ieremiæ studium in conuersione populi.*

VBI ergo cognitum est populo Ieremiam Helciæ sacerdotis filium, prophetico spiritu diuinitus afflatum esse, simul ei autoritas & reuerentia conciliata est, & ipse animi egregia fortitudine, & zelo diuinæ gloriæ animarumq; salutis, & cœlesti sapientia quam citissimè instructus fuit. Itaque populis se concionabundus immisit, quasi muniens & complanans viam iis, qui Iosiæ imperio perniciosis populi delicias, non sine turbarum & seditionum periculo, destruebant. Omninoque videtur Ieremias à Rege, & Pontifice præmissus in omnem ciuitatem, & locum, quo erant ipsi venturi. Et prima quidem concio, vel eius primariæ, præcipuæque sententiæ cap. 2. continetur: quæ videtur Hierosolymis habita, vbi omnes cognationes domus Israël, quas versu quarto alloquitur, congregabantur potius, quam vllo alio totius Iudææ loco.

VIII. *Concionatur Hierosolymis.*

SED quid opus est diuinare, cum id in Dei mandato contineatur? *Vade*, inquit, *& clama in auribus Ierusalem.* Innuit forte prophetam adhuc in vico suo Anatoth diuersatum fuisse; & ne isti eum auersarentur, si vltro has querelas, & populi reprehensiones auribus eius ingerere arbitrarentur, refert dicentem Dominum, clama in auribus Ierusalem. Nec vult nudam eius esse narrationem, sed clamorem, id est plenam veris affectibus, feruidóque zelo orationem, quæ affectus repræsentet, qui in Domino intelliguntur. Iubet clamare, ne quis prætexat ignorantiam; & quod omnes audire oporteat, quod interest omnium. Iubet clamare, si forte excitet homines à veterno suo, & arrigant aures suas, Hierosolymitæ in primis: Quibus, inquit, dices inuitum me ad animaduersionem accedere, memorem illius temporis, quo, sub egressum ex Ægypto, eos accepi in populum, & illi me vicissim in Deum; quando amore mei derelicta Ægypto, se in viam desertam & incultam dedit. Tota oratio affectuum plenissima est, & spiritualium delitiarum locuples; à quibus ægrè auellor, sed auellit instituti nostri ratio, ne prudenti lectori minus, quam gustui nostro seruiuisse videamur.

*Et clamat ad populū, vt iussus erat.*

IX. *Aliae eiusdem conciones.*

AD hoc ergo tempus octo vel nouem prima Ieremiæ capita pertinere arbitramur, in quibus mira dicendi varietate, & omnis generis argumentis populum allicit, monet, deterret, arguit, obsecratur, omnem denique in partem versat, vt serio, & ex animo ad Deum conuertatur, & vitet calamitates capitibus suis imminentes. Plerique enim hoc ipso tempore specie tantum externa Deum colebant, intus idolis seruiebant. Id innuunt illa verba [b] de idololatria regni Iudæ. *Et in omnibus his non esse reuersa ad me præuaricatrix soror eius Iuda, in toto corde suo, sed in mendacio, ait Dominus*; qui nimirum solus mendacia cordis agnoscit, & ne quis hæc ad Ioachaz, aut Ioacim referat, hanc ad se querelam diuinitus delatam


b c. 3. 10.

ait propheta sub Iosia rege. [a]

X. *Cogitur pecunia à Leuitis.*

HOC ipso tempore cogebatur pecunia à Leuitis & Ianitoribus, ex toto populo Israël, & importabatur in templũ, sub custodia Helciæ summi sacerdotis, in templi restaurationem, quam in primis Iosias animo destinarat. [c] *Dimisso*, inquit Iosephus, *per totam suam ditionem nuncio*, imo & vltra, vt ex textu patet, *iussit vt quicumque vellent conferrent aurum, & argentum in reparationem templi, idque suo quisque arbitratu, vt nemo grauaretur.* Nisi quod dimidius siclus destinatus erat à lege, iis omnibus qui transibant in numerum. [d]

a c.l.v 6. b l.10. ant. c.5. c 2. Paral. 34 9. d Exod. 38 25.



ANNVS MVNDI 3410. QVINTAE AETATIS 471. FVNDATI TEMPLI 388. IOSIÆ REGIS IVDÆ 16. HELCIÆ PONTIF. 16. IEREMIÆ PROPHETÆ 4. NABOLASSARIS 11. QVI ET 3 IMPERII BABYL. 77. OLYMP. XXXIV. AN. 1. TVLLI HOSTILII 28. VRBIS CONDITÆ 109.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 643.

I. *Obitus Tobiæ iunioris.*



NONAGESIMVS nonus, idemque vltimus Tobiæ Iunioris annus, in decimum sextum Iosiæ annum cadit; tot enim à quarto regni Ezechiæ ad hunc annum numerantur. Cum ergo venisset Tobias in Ecbatana ad Raguelem socerum suum, & Annam vxorem eius, *inuenit eos incolumes in senectute bona; & curam eorum gessit*, aliquot annis quibus fuerunt superstites, *& ipse* sub eorum obitum, *clausit oculos ipsorum*, quod vltimum erga se officiosæ pietatis officium, decrepiti senes à filiis suis expectant, atque expetunt. Vnde Telemachi mater ad illius patrem dicebat.

*Dy pre or hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis,*
*Ille meos oculos comprimat, ille tuos.*

II. *Et vitæ diuturnitas.*

ET *omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit*; quippe cuius vxor Sara vnica esset filia, & hæres Raguelis, iuxta ea, quæ dicebat Raphaël [e] Denique *vidit quintam generationem filios filiorum suorum*; imo & nepotes nepotum suorum, & vltra. *Et completis annis 99. in timore Domini, mortuus est, & cum gaudio sepelierunt eum.* In Ecbatanis Mediæ, vt est in Græco, vbi etiam dicitur vitam vsque ad 127. annum produxisse; sed nos Latinos codices, vt emendatiores, maiorisque autoritatis sequimur. In quibus additur complementum diuinæ benedictionis, quæ à Seniore Tobia, ad seram vsque posteritatem redundauit. *Omnis autem cognatio eius in bona vita, & in sancta conuersatione permansit, ita vt accepti essent tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra.*

e c.6.at.11.

III. *Quot annis pietas in Iuda viguerit.*

SED redeamus ad Iosiam, qui duobus adhuc annis reliqua idololatriæ monimenta audaci, sed felici conatu euertenda suscepit. Hactenus enim in regno suo & apud subditos suos contra dæmonum cultum decertauit; vbi Dei cultus à maxima parte regum, & magna temporis parte religiose seruatus est. Nam 40. anni Samuelis & Saulis idololatria vacant, sicut & 40. Dauidis, Salomon vix 4. annos impietati dedit. Roboam tres tantum pietati, Abiæ biennium impium etiam fuit. At Asæ 40. & vnus anni, & Iosaphati 25. nihil ab illa fuligine inquinantur. Tum interuenit Iorami sex annorum eclipsis, in quibus annus Ochoziæ inclusus est, quam Athalia ad sex alios protraxit annos. Sed hasce nebulas clara lux Ioiadæ Pontificis, & Ioas regis ad 40. ipsos annos excepit, è quibus vix vnus & alter annus permissæ idololatriæ eximendi sunt, quod ipsum de 29. annis Amasiæ dicendum est.

IV. *Quotque impietas.*

AT Oziæ duo & quinquaginta anni, & 16. Ioathami mundi fuere ab illis sor-

| | |
|---|---|
| 4 | 40 |
| 14 | 40 |
| 2 | 36 |
| 6 | 3 |
| 6 | 41 |
| 2 | 25 |
| 2 | [illegible] |
| 15 | 27 |
| 7 | 52 |
| 2 | 16 |
| 60 | 29 |
| 22 | 48 |
| 82 | 16 |
| | 412 |
| | 15 |
| | 426 |

dibus. Quos sequuntur 15. Achaz omnium fœdissimi, atque funestissimi: quos 29. anni Ezechiæ correxerunt. Manasses autem de 55. annis, sex, aut ad summum 7. dæmoni dedit, quibus addidit Amon eius filius annos duos, post quos quasi clarissimum sydus Iosias illuxit, cuius iam decimũ sextum numeramus annum. Itaque si hosce omnes annos, in duas piorum atque impiorum classes redegerimus, meliores illi annos 411. conficient, isti perditi sexaginta. Quibus si 22. annos regni filiorum Iosiæ adieceris, fient omnes octoginta duo; sed augendi etiam sunt religiosi anni reliquis Iosiæ quindecim; fientque omnes sex & viginti supra quadringentos.

V. *Conuersio Israelis quam difficile opus.*

FACILIVS ergo multis partibus Iosiæ fuit in regno Iudæ idololatriam exterminare; quam in regno Israel, id est regno alieni tum iuris, atque imperij, & quidem barbari, & profani, in quo vix à paucis Israëlitis, qui effugerant Assyriorum manus, & ad diuersas tribus pertinebant, rex agnoscebatur, post tot secula regni à Ieroboamo distracti in partes duas: & in regno in quo à primo eius exordio vsque ad supremam vastitatem, atque interitum, ipsos 255. annos, reges omnes idololatriæ deditì fuerant. [a]

[a] Vide in Ezech. 6. n. 5. & 6.

Nec tamen abiecit animos optimus princeps, sed diuino primum præsidio nixus, Helciæ quoque pontificis, & Ieremiæ & Sophoniæ prophetarum cohortationibus magis magisque incitatus, dæmonis regnum populabundus ingressus est, nihil veritus Babyloniæ regem, qui tum Israëlis possessionem occupabat: Israëlitas ibi commorantes, quique se illi sponte dabant, & idola nihilominus de more colebant, aggressus est. Non autem reliquos, quos illuc ex Assyria, & Media rex Assyr. colonos adduxerat in quos Iosias nullam habuit iurisdictionem. [b]

[b] Vide Abul. q. 17. & 18 in ca. 23. 4. Reg.

VI. *Euertit idololatriã in Israele.*

ERGO *altare quod erat in Bethel*, idololatriæ quondam sede primaria, *& excelsum quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel, & altare illud, & excelsum destruxit, atque combussit, & comminuit in puluerem, succenditque etiam lucum. Et conuersus Iosias*, circumlustrans videlicet oculis loca, quæ prope altare erant, *vidit ibi sepulchra quæ erant in monte*, in quo erat Bethel. *Misitque & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare, & polluit illud.* Contaminabatur enim locus, & homines contactu cadauerum, iuxta legem Mosis, præsertim cum huiusmodi ossa in pœnam, & ignominiam comburebantur. Quamuis enim multis in locis humana corpora comburerentur, id tamen instar pœnæ fuit Iudæis, apud quos cadauera humi condebantur; quin & ipsa extumulatio, quæ fit in pœnam peccati, & contumeliam delinquentis, nunc quoque probrosissima est. Itaque ossa viri Dei, de quo subinfertur narratio, noluit Iosias loco moueri.

VII. *Iosias implet vaticinia de se edita.*

EGREGIVS Iosiæ zelus aduersus idola, & cultores eorum non solum à Scriptura commendatur, sed ad diuinam quoque refertur prouidentiam, quæ tanto ante hunc zelum sancti regis, & hanc pœnam impiorum voluerat prænunciare. Nam sequitur, *polluit illum super altare, iuxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc.* Ipso videlicet initio stabilitæ à Ieroboamo idololatriæ in regno suo, anno ab hinc trecentesimo circiter & vndequinquagesimo. [c] Licet Iosephus numeret annos trecentos sexaginta & vnum: [d] circiter inquam. Nam de anno quo hæc à Iosia facta sunt præcisè non constat. Illum autem virum Dei Iaddum vocatum fuisse ex Iosepho, & Hieronymo suo loco diximus. [e] Oraculum autem fuit huiusmodi. *Altare, altare hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui David, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt*, & ossa hominum super te incendet. Duo prædicit cædes sacerdotum, & ossium exustiones. Et vtrumque impletum esse ex hoc loco apparet, nam aliquanto post sequitur. [f] *Et occidit vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria, & combussit ossa humana super ea.* Itaque illud, *qui nunc in te thura succendunt*, horum successores significat, qui idem sacrilegium exercebunt. Neque enim illi ipsi tempore Iosiæ futuri erant in viuis.

[c] ab a. 3061. ad an. 3410
[d] li. 10. c. 5.
[e] a. 10. Roboam. 2. n. 7.
[f] 4. Reg. 23. 20.

VIII. *Inquirit de sepulchro prophetæ.*

ROGAVIT ergo Iosias. *Quis est titulus ille quam video?* Apparet erectum fuisse cippum aliquem super lapidem sepulchralem, cum inscriptione quapiam in memoriam posteritatis, qualem olim Iacob erexerat super sepulchrum Rachelis. Et erat inter cæteros notabilis, vt de eo præ cæteris rex sciscitaretur, vt ait Lyranus, vel peculiari Dei inspiratione ad eam interrogationem rex commotus fuit,

Gen. 35. 20.

ait propheta sub Iosia rege. [a]

X. *Cogitur pecunia à Leuitis.*

H O C ipso tempore cogebatur pecunia à Leuitis & Ianitoribus, ex toto populo Israël, & importabatur in templũ, sub custodia Helciæ summi sacerdotis, in templi restaurationem, quam in primis Iosias animo destinarat. [c] *Dimissis*, inquit Iosephus, *per totam suam ditionem nuncius*, imo & vltra, vt ex textu patet, *iussit vt quicumque vellent conferrent aurum, & argentum in reparationem templi, idque suo quisque arbitratu, vt nemo grauaretur.* Nisi quod dimidius siclus destinatus erat à lege, iis omnibus qui transibant in numerum. [d]

a c. 2. v. 6.
b l. 10. ant. c. 5.
c 2. Paral. 34. 9.
d Exod. 38. 25.



ANNVS MVNDI 3410. QVINTAE AETATIS 471. FVNDATI TEMPLI 388. IOSIÆ REGIS IVDÆ 16. HELCIÆ PONTIF. 16. IEREMIÆ PROPHETÆ 4. NABOLASSARIS 11. QVI ET 3 IMPERII BABYL. 77. OLYMP. XXXIV. AN. 1. TVLLI HOSTILII 28. VRBIS CONDITÆ 109.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 643.

I. *Obitus Tobiæ iunioris.*



NONAGESIMVS nonus, idemque vltimus Tobiæ Iunioris annus, in decimum sextum Iosiæ annum cadit; tot enim à quarto regni Ezechiæ ad hunc annum numerantur. Cum ergo venisset Tobias in Ecbatana ad Raguelem socerum suum, & Annam vxorem eius, *inuenit eos incolumes in senectute bona; & curam eorum gessit*, aliquot annis quibus fuerunt superstites, *& ipse* sub eorum obitum, *clausit oculos ipsorum*, quod vltimum erga se officiosæ pietatis officium, decrepiti senes à filiis suis expectant, atque expetunt. Vnde Telemachi mater ad illius patrem dicebat.

*Dÿ precor hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis,*
*Ille meos oculos comprimat, ille tuos.*

II. *Et vita diuturnitas.*

E T omnem *hæreditatem domus Raguelis ipse percepit*; quippe cuius vxor Sara vnica esset filia, & hæres Raguelis, iuxta ea, quæ dicebat Raphaël. [e] Denique *vidit quintam generationem filios filiorum suorum*; imo & nepotes nepotum suorum, & vltra. *Et completis annis 99. in timore Domini, mortuus est, & cum gaudio sepelierunt eum.* In Ecbatanis Mediæ, vt est in Græco, vbi etiam dicitur vitam vsque ad 127. annum produxisse; sed nos Latinos codices, vt emendatiores, maiorisque autoritatis sequimur: in quibus additur complementum diuinæ benedictionis, quæ à Seniore Tobia, ad seram vsque posteritatem redundauit. *Omnis autem cognatio eius in bona vita, & in sancta conuersatione permansit, ita vt accepti essent tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra.*

e c. 6. 11. 12.

III. *Quot annis pietas in Iuda viguerit.*

S E D redeamus ad Iosiam, qui duobus adhuc annis reliqua idololatriæ monimenta audaci, sed felici conatu euertenda suscepit. Hactenus enim in regno suo & apud subditos suos contra dæmonum cultum decertauit; vbi Dei cultus à maxima parte regum, & magna temporis parte religiose seruatus est. Nam 40. anni Samuelis & Saulis idololatria vacant, sicut & 40. Dauidis, Salomon vix 4. annos impietati dedit. Roboam tres tantum pietati, Abiæ biennium impium etiam fuit. At Asæ 40. & vnus anni, & Iosaphati 25. nihil ab illa fuligine inquinantur. Tum interuenit Iorami sex annorum eclipsis, in quibus annus Ochoziæ inclusus est, quam Athalia ad sex alios protraxit annos. Sed hasce nebulas clara lux Ioiadæ Pontificis, & Ioas regis ad 40. ipsos annos excepit, è quibus vix vnus & alter annus permissæ idololatriæ eximendi sunt, quod ipsum de 29. annis Amasiæ dicendum est.

| | |
|---|---|
| 4 | 40 |
| 14 | 40 |
| 2 | 36 |
| 6 | 3 |
| 6 | 41 |
| 2 | 25 |
| 2 | 38 |
| 15 | 27 |
| 7 | 51 |
| 2 | 16 |
| 60 | 29 |
| 22 | 48 |
| 82 | 16 |
| | 411 |
| | 15 |
| | 426 |

IV. *Quotque impietas.*

A T Oziæ duo & quinquaginta anni, & 16. Ioathami mundi sunt ab illis for-

dibus. Quos sequuntur 15. Achaz omnium fœdissimi, atque funestissimi: quos 29. anni Ezechiæ correxerunt. Manasses autem de 55. annis, sex, aut ad summum 7. dæmoni dedit, quibus addidit Amon eius filius annos duos, post quos quasi clarissimum sydus Iosias illuxit, cuius iam decimũ sextum numeramus annum. Itaque si hosce omnes annos, in duas piorum atque impiorum classes redegerimus, meliores illi annos 411. conficient, isti perditi, sexaginta. Quibus si 22. annos regni filiorum Iosiæ adieceris, fient omnes octoginta duo; sed augendi etiam sunt religiosi anni reliquis Iosiæ quindecim; fientque omnes sex & viginti supra quadringentos.

V. *Conuersio Israelis quam difficile opus.*

FACILIVS ergo multis partibus Iosiæ fuit in regno Iudæ idololatriam exterminare; quam in regno Israel, id est regno alieni tum iuris, atque imperij, & quidem barbari, & profani, in quo vix à paucis Israëlitis, qui effugerant Assyriorum manus, & ad diuersas tribus pertinebant, rex agnoscebatur, post tot secula regni à Ieroboamo distracti in partes duas: & in regno in quo à primo eius exordio vsque ad supremam vastitatem, atque interitum, ipsos 255. annos, reges omnes idololatriæ dediti fuerant. [a]

a Vide in Ezech. 6. n. 5. & 6.

Nec tamen abiecit animos optimus princeps, sed diuino primum præsidio nixus, Helciæ quoque pontificis, & Ieremiæ & Sophoniæ prophetarum cohortationibus magis magisque incitatus, dæmonis regnum populabundus ingressus est, nihil veritus Babyloniæ regem, qui tum Israëlis possessionem occupabat: Israëlitas ibi commorantes, quique se illi sponte dabant, & idola nihilominus de more colebant, aggressus est. Non autem reliquos, quos illuc ex Assyria, & Media rex Assyr. colonos adduxerat in quos Iosias nullam habuit iurisdictionem. [b]

b Vide Abul. q. 27. & 28. in ca. 23. 4. Reg.

VI. *Euertit idololatriã in Israele.*

ERGO *altare quod erat in Bethel*, idololatriæ quondam sede primaria, *& excelsum quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Israel, & altare illud, & excelsum destruxit, atque combusiit, & comminuit in puluerem, succenditque etiam lucum. Et conuersus Iosias*, circumlustrans videlicet oculis loca, quæ prope altare erant, *vidit ibi sepulchra quæ erant in monte*, in quo erat Bethel. *Misitque & tulit ossa de sepulchris, & combussit ea super altare, & polluit illud.* Contaminabatur enim locus, & homines contactu cadauerum, iuxta legem Mosis, præsertim cum huiusmodi ossa in pœnam, & ignominiam comburebantur. Quamuis enim multis in locis humana corpora comburerentur, id tamen instar pœnæ fuit Iudæis, apud quos cadauera humi condebantur; quin & ipsa extumulatio, quæ fit in pœnam peccati, & contumeliam delinquentis, nunc quoque probrosissima est. Itaque ossa viri Dei, de quo subinfertur narratio, noluit Iosias loco moueri.

VII. *Iosias implet vaticinia de se edita.*

EGREGIVS Iosiæ zelus aduersus idola, & cultores eorum non solum à Scriptura commendatur, sed ad diuinam quoque refertur prouidentiam, quæ tanto ante hunc zelum sancti regis, & hanc pœnam impiorum voluerat prænunciare. Nam sequitur, *polluit illum super altare, iuxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc.* Ipso videlicet initio stabilitæ à Ieroboamo idololatriæ in regno suo, anno ab hinc trecentesimo circiter & vndequinquagesimo. [c] Licet Iosephus numeret annos trecentos sexaginta & vnum: [d] circiter inquam. Nam de anno quo hæc à Iosia facta sunt præcisè non constat. Illum autem virum Dei Iaddum vocatum fuisse ex Iosepho, & Hieronymo suo loco diximus. [e] Oraculum autem fuit huiusmodi. *Altare, altare hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui David, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt*, & ossa hominum super te incendet. Duo prædicit cædes sacerdotum, & ossium exustiones Et vtrumque impletum esse ex hoc loco apparet, nam aliquanto post sequitur. [f] *Et occidit vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria, & combussit ossa humana super ea.* Itaque illud, *qui nunc in te thura succendunt*, horum successores significat, qui idem sacrilegium exercebunt. Neque enim illi ipsi tempore Iosiæ futuri erant in viuis.

c ab a. 3061. ad an. 3410.
d li. 10. c. 5.
e a in Roboam. a. n. 7.
f 4. Reg. 23. 20.

VIII. *Inquirit de sepulchro prophetæ.*

ROGAVIT ergo Iosias. *Quis est titulus ille quam video?* Apparet erectum fuisse cippum aliquem super lapidem sepulchralem, cum inscriptione quapiam in memoriam posteritatis, qualem olim Iacob erexerat super sepulchrum Rachelis. Et erat inter cæteros notabilis, vt de eo præ cæteris rex sciscitaretur, vt ait Lyranus, vel peculiari Dei inspiratione ad eam interrogationem rex commotus fuit,

Gen 35. 20.

vt putat Abul. Nam Hebræi de more nugantur, [a] cum aiunt ex vna parte sepulchri pullulasse herbas odoriferas, & suaues; ex altera amaras, fœtidas, & spinosas, quod ibi duo prophetæ iacerent alter bonus, & alter malus. At sic ossa distingui potuissent, & alia comburi, alia conseruari: quod factum non est. *Responderuntque ei ciues vrbis illius*, qui rem partim ex inscriptione, partim ex traditione didicerant. *Sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel. Et ait rex dimittite eum, nemo commoueat ossa eius. Et intacta manserunt ossa illius, cum ossibus prophetæ, qui venerat de Samaria*, qui bonum illum prophetam deceperat, & leoni tradiderat occidendum. Sicque frustratus non est spe sua fraudator ille propheta, & ossa eius ex aliorum societate tuta fuerunt, in mercedem fortasse fidei suæ circa vaticinium prophetæ.

*Eiusque ossa conseruat.*

IX. *Dissipat idololatriā in Israele.*

Pergit sacer historicus. *Insuper & omnia fana excelsorum, quæ erant in ciuitatibus Samariæ*; id est regni cuius caput fuerat Samaria, *quæ fecerant reges Israel ad irritandum Dominum, abstulit Iosias, & fecit eis secundum omnia opera, quæ fecerat in Bethel. Et occidit vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi, super altaria, & combussit ossa humana super ea.* Etsi enim plerique omnes Israëlitæ erant rei idololatriæ; propter multitudinem tamen eis pepercit rex, & eos duntaxat supplicio affecit, qui erant omnium nocentissimi, vt qui præter propriam infidelitatem, aliorum etiam perfidiam fouerent, ac promouerent. Quidam instar pecudum iugulatos aiunt super altaria, in quibus dudum sacrificare solebant, & inde combustos. Alij quod durius videtur, viuos exustos. Quis porro hic non videat iustissimam Dei vltionem, & pœnam sceleri mirifice congruentem? vt qui animalia dæmonibus sacrificauerant, ipsi mutis pecoribus stupidiores, & deteriores, quasi pecudes iugularentur. Et qui in honorem dęmonum altaria sacrilega innocentum sanguine cruentarant; ipsimet omnium sacerrimi, in dæmonis dedecus & contumeliam, in suis aris mactarentur: Et qui holocausta nefaria vsque ad cineres combusserant, ipsi orci victimæ, toti post incendium temporale, etiam æterno conflagrarent. v. 19.

*Et occidit eius sacrificulos.*

X. *Quibus maxime locis.*

Qvibvs autem in locis peculiariter hæc gesta fuerint à Iosia, paulo distinctius in libro Paral. [b] traditum est. Cum enim dixisset. *Ossa præterea sacerdotum*, qui impietati in regno Iudæ sub Manasse & Amone seruierant, *combussit in altaribus idolorum, mundauitque Iudam, & Ierusalem*: subdit. *Sed & in vrbibus Manasse, & Ephraim, & Simeon*, quæ tribus vicinæ erant regno Iudæ, *vsque Nephthali*, quæ tribus erat omnium remotissima, ad Libanum vsque protensa, *cuncta subuertit. Cumque altaria dissipasset, & lucos, & sculptilia contriuisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de vniuersa terra Israel*, vbi scilicet Israëlitæ aliquo numero habitabant, *reuersus est in Ierusalem.* Nam non videtur idola coloniarum transeuphratensium dissipasse, vt in quos ius nullum, sicut in Israëlitas, diuinitus accepisset. [c] Et isti contra legem Mosis peccabant, cuius vindex erat Iosias, cui cæteri gentiles non subiacebant. Interim autem colligebatur in toto Israële pecunia, de qua superiore anno actum est, ad templi reparationem.

XI. *Sophonia prophetia.*

His ipsis annis, Sophonias prophetasse perhibetur; & Christophorus à Castro nominatim annum decimum sextum Iosiæ nominat, [d] vultque vaticinatum, ante fœdus initum à rege cum populo suo, quod decimo octauo contigit. Verum nos illum ad initia regni Iosiæ pertinere arbitramur, cum ea futura prædixerit, quæ ab anno duodecimo Iosias agere exorsus est, vt initio eiusdem regis diximus.

*Olympias 34.*

Non est omittenda mentio Olympiadis trigesimæ quartæ, quæ in hunc decimum sextum Iosiæ annum cadit, de qua in catalogo legitur, Stomam Atheniēsem in stadio victorem fuisse: sed hanc Olympiadem illegitimam fuisse, à Pisæis contra Eleos positam, ope Pantaleonis regis ipsorum. Quibus enim ludis Pisæi, vel Arcades præfuerunt, eas Anolympiadas Elei, quorum hæc erat cura legitima, vocauerunt. quarum meminit Pausanias non semel. [e] Apud quem lego non Stomam, sed Stomium Olympionicam genere Sicyonium, qui quinquertij Olympicis ludis vnam, tres Nemeis palmas tulit. Eundem Eleorum equitatum duxisse, & hoste fuso trophæa erexisse, hostium ducem ex prouocatione occidisse. Sed hæc Pausanias ipse suspicatur posterius contigisse. Vide quæ diximus initio octauæ Olympiadis.

a Abul. q. 31 in ca. 23. 4. Reg.

b l. 2. Par. 34. 5.

c Vide Abul. q. 27 in c. 23 4. Reg.

d in 1 cap. Sophon. & l. 4 de prophet. c 8.

e l. 6. p 179. Græ.

# ANNVS MVNDI 3411. QVINTAE AETATIS 472. FVNDATI TEMPLI 389. IOSIÆ REGIS IVDÆ 17. HELCIÆ PONTIF. 17. IEREMIÆ PROPHETÆ 5. NABOLASSARIS 4. QVI ET 11. IMPERII BABYL. 78. OLYMP. XXXIV. AN. 2. TVLLI HOSTILII 29. VRBIS CONDITÆ 110.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 642.



NATALEM magni prophetæ Ezechielis annum putamus hunc ipsum, qui in manibus est, Iosiæ decimum septimum. Cum enim anno quinto transmigrationis regis Ioachin, cognomento Iechoniæ, qui fuit idem quintus regni Sedeciæ, apertis sibi cœlis, visiones Dei videre cœperit, quo anno trigesimum vitæ annum agebat, iuxta communem multorum interpretationem, necesse est eum præsenti anno in lucem editum fuisse; à quo ad illum quintum transmigrationis annum, triginta omnino numerantur. Scio plerosque annum decimum octauum Iosiæ, numerare primum Ezechielis, qui tamen omnes nobiscum sentire putandi sunt, si anni minus exactè numerentur. Vixerit enim cum Iosia 14. annis, cum Ioacimo eius filio 11. cum Sedecia, siue à transmigratione, 5. Verum deest hic annus vnus, propter concursum vltimi anni Ioacimi, cum primo Sedeciæ, vt suo loco docebimus: quo fit vt annus primus Ezechielis ad Iosiæ decimum septimum referendus sit, quo eum quoque retulit Torniellus. — I. *Ortus Ezechielis.* [margin: 14 / 11 / 5 / 30]

PLERIQVE autem sunt, vt dixi, qui trigesimum annum Ezechielis de eius ætate interpretentur, & consequenter hunc annum eius natiuitati attribuant. Nam Hieron. præfatione in Ezechielem. [a] *Ezechiel propheta*, inquit, *cum Ioachin rege Iuda captiuus ductus est in Babylonem*, &c. & mox. *Tricesimo autem ætatis suæ anno & captiuitatis quinto, exorsus est ad concaptiuos loqui. Et eodem tempore licet posterior, hic in Chaldæa, Hieremias in Iudæa prophetauerunt.* Vt mirum sit eundem Hieronymum ita ordiri sua commentaria. *Tricesimus annus, non vt plerique existimant, ætatis prophetæ dicitur, nec Iubilæi, qui est annus remissionis, sed à duodeuicesimo anno Iosiæ regis Iuda, quando inuentus est liber Deuteronomij in templo Dei, vsque ad quintum captiuitatis annum Ioachin cognomento Iechoniæ*, &c. In plerisque autem illis est Origenes, [b] *Secus*, inquit, *fluuium Chobar Ezechiel cum 30. esset annorum, apertos vidit cælos. Et Dominus Iesus Christus incipiens erat quasi 30. annorum secus fluuium Iordanem, & aperti sunt cœli.* Ita Orig. quam comparationem leges etiam apud S. Hieron in eandem sententiam. *Ezechiel*, inquit Gregorius Papa, [c] *ætatis suæ tempus indicat, dicens: Et factum est in tricesimo anno, in quarto mense*, &c. Idem habet Isidorus in lib. prooemiorum, vbi tamen pro 30. legitur 35. vt omittam historiam scholasticam, Hugonem Carensem, Lyran. Dionys. Marianam, Sanctium. — II. *Qui notauit annum ætatis suæ ex Hieron.* — *Origenes.* — *Gregorio. Isidoro, & aliis.*

[a] tom. 3 ep. 119.
[b] homil. 1. in Ezech.
[c] Hom. 2. in Ezech. init.

NAM quod nonnulli absurdum putant Ezechielem Chronologiam à sua ætate signare, quæ ignota vulgò esset, cum huiusmodi notæ debeant esse clarissimæ, & in populo passim vsurpatæ, quales sunt anni principum, victoriæ, clades, & id genus alia Dicere possumus non eò relatam à propheta ætatem suam: nam eodem loco statim rationem temporis petitâ transmigratione regis Ioachin, re tum vulgatissima, atque notissima. Notare nihilominus voluit ætatem, qua primum à Deo illustrationes propheticas accepit: sicut eodem tempore Ieremias ætatem puerilem suam aperte professus est. Daniel, quoque se in pueris numerat, vterque initio prophetiæ suæ; volente Domino, vt tam ordinarium, quam extraordinarium tempus prophetiæ apud prophetas suos extaret. Quò pertinet quod S. Lucas ætatem Christi Domini notauit, qua propheram, siue — III. *Neque id absurdum esse.* — *Cur notauit.*

doctorem apud Iudæos agere cœpit, vt Origenes, ac Hieronymus annotarunt. *Secundum anagogem*, ait Hieron. *præfiguratur Dominus atque Saluator, qui 30. annos natus venit ad baptismum, quæ in homine perfecta ætas est. Vnde & in numerorum volumine iuxta Hebræos, non vt in Septuag. continetur, à vicesimo quinto ætatis anno, sed à trigesimo incipiunt sacerdotes in tabernaculo ministrare.* Hæc S. Hieron. At inquies, puer erat Ezechiel cum in transmigrationem abductus est, si Iosepho credimus; [a] quod necesse non est, nisi placet puerum Scripturæ more ab eo sumi; erat enim tunc annorum viginti quinque; neque ei fidem Sanctius adhibendam putat. [b]

IV. *Non designari annos Nabolassaris.* HIERONYMVS Pradus Scaligerum secutus l. 2. & 5. emendationis temporum, [c] putat designari annos ab initio regni Nabopolassaris patris magni Nabuchodonosoris, quem Nabolassarum hic vult hoc anno regnare cœpisse, vt initium prophetiæ Ezechielis in eius trigesimum annum cadat. Et quia imperium totius Syriæ, & Asiæ obtinuit, ab initio eius imperij æram ait institutam, vt à Nabonassare. *Primusque eius annus*, inquit, *consurgit, à 23. Nabonassari. Nam eius quintus annus erat 127. Nabonassari, quo eclipsis Lunæ fuit*, &c. *Hæc æra in primis biblicæ historiæ studiosis notanda est cum sit ea, qua vtitur Ezechiel propheta.* Sic ille. *Improbatur Scaliger.* Verum cum initio Olympiadis octauæ ex Ptolemæo docuerimus illum annum esse primum Nabonassaris, qui fuit mundi 3306. si recte annos expansos subduximus, hic annus est 106. Nabonassaris, & trigesimus ab eo, erit 135. eiusdem. At si primus Nabolassaris, siue Nabopolassaris incidit in 123. Nabonassaris, trigesimus illius incidet in 152. non in 135 vt oportet. Secundò cum Nabopolassar ponatur à Beroso apud Iosephum regnasse 21. annis, [d] vel vt alibi 29. [e] regnauerit autem, vsq; ad primum magni Nabuchodonosoris, qui incidit in 4. Ioacim, vt Scriptura testatur. [f] Si ad superiora regredimur, necesse est vt primus annus Nabolassaris cadat in annum Nabonassaris 103. vel 95. iuxta alterutram regni periodum: non in 123. [χ]

V. *Eamque temporis notam fictitiam.* NIHILOMINVS hanc æram siue rationem temporis à Seniore Nabuchodonosore, siue Nabopolassare petitam commentitiam arbitror, & à Scaligero excogitatam; vt quæ nullo fundamento nitatur, præter quam loco Ezechielis noua interpretatione corrupto. Præsertim cum ipsemet fateatur Ezechielem ab annis Nabopolassaris, quos ei dat Berosus, biennio discrepare. [g] Deinde cum annus primus Nabolassaris cadat in annum mundi 34·8. vt ex tota serie huius Chronologiæ constat, trigesimus Ezechielis in Nabonassaris non trigesimum, vt oportuit, sed trigesimum tertium cadet, vt ex annis expansis intelligi potest. Adde quod Chaldæi à Nabonassare annos, non à Nabopolassare numerabant. Itaque hæc superflua esset, atque adeo alteram turbasset. Denique quis ei concesserit Babyloniorum, siue Chaldæorum imperium à Nabolassare inchoatum fuisse hoc tempore? cum annum hunc numeremus eius imperij septuagesimum octauum, vt suo loco probatum est. Nam quod ait Ezechielem vsum æra, qua Chaldæi apud quos erat vtebatur, nihil admodum probat; satis enim erat eum vti temporis nota, quæ iis ad quos scribebat cognita erat, quales erant anni transmigrationis Hebræis. Quid quod alij prophetæ, scriptoresque sacri, cum annos ethnicorum regum notant, ipsos reges diserte nominant, Cyrum, Darium, Balthazarem, Nabuchodonosorem, Artaxerxem? quidni diceret etiam Ezechiel trigesimum Nabolassaris, siue Nabuchodonosoris?

VI. *Neque Iubilaeum.* NIHILO maiorem probabilitatem habet illorum Hebræorum sententia, qui trigesimum Ezechielis annũ à Iubilæo metiuntur. Nam si de mundano Iubilæo loquuntur, hic annus vndecimus est, post sexagesimum octauum mundi Iubilæum, non trigesimus. Si de Mosaico, currit nunc annus 28. à decimo sexto Iubilæo, quod incidit in annum mundi 3383. Et quamuis casu factum esset vt trigesimus annus Iubilæi in hunc annum incurreret, reuera id casui tribuendum esset, cum Hebræi annos notare à Iubilæo currente non soleant, neque id vllo testimonio probetur. *An à Phase.* Probabilius deniq; esset trigesimum illum annum dici, ac numerari ab illo Phase, post quadringẽtos & septuaginta duos annos celeberrimo, & ab inuentione diuini libri, cuius occasione maxima cum solennitate populus vniuersus idololatriã omnem abiurauit, seséq; nouo iureiurando deuinxit Deo; quoniam hæc omnia in eundem annum decimum octauum Iosię cadunt; si inde ad quintum transmigrationis, anni triginta, & non 29. duntaxat reperirentur.

a l. 10. c. 8.
b in ca. 1. Ezech n. 7.
c c. de cyclo Chald. & c. de initio Nabopolassari.
d l. 10. c. 11.
e sub fin. 1. contra Apion p. 1044. Græ Lat. nisi placet vtrobiq. legere vicesimo & non in posteriore vna.
f Ierem. 25. 1.
χ l. 5. ca. de initio Nabuchodon.

I. N. I V.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3411.

Sentio perobscurum fore annorum concursum Nabonassaris, Nabuchodonosoris, Iosiæ, Ioakimi, & Ioachini, cum annis mundi, de quibus cum Scaligero disputamus, nisi eos quantum satis est lectori expansos ob oculos proposuerimus.

| An. Mun. | Nabona. | | Iosiæ. | Nabolas. | Ezechiel. |
|---|---|---|---|---|---|
| 3306 | 1 | | | | |
| 3307 | 2 | | | | |
| 3308 | 3 | | | | |
| 3309 | 4 | | | | |
| 3310 | 5 | | | | |
| 3350 | 45 | | | | |
| 3395 | 90 | | 1 | | |
| 3400 | 95 | Nabol.† | 6 | | |
| 3401 | 96 | | 7 | | |
| 3402 | 97 | | 8 | | |
| 3403 | 98 | | 9 | | |
| 3404 | 99 | | 10 | | |
| 3405 | 100 | | 11 | | |
| 3406 | 101 | | 12 | | |
| 3407 | 102 | | 13 | | |
| 3408 | 103 | | 14 | 1 | |
| 3409 | 104 | | 15 | 2 | |
| 3410 | 105 | | 16 | 3 | |
| 3411 | 106 | | 17 | 4 | 1 |
| 3412 | 107 | | 18 | 5 | 2 |
| 3413 | 108 | | 19 | 6 | 3 |
| 3414 | 109 | | 20 | 7 | 4 |
| 3415 | 110 | | 21 | 8 | 5 |
| 3416 | 111 | | 22 | 9 | 6 |
| 3417 | 112 | | 23 | 10 | 7 |
| 3418 | 1[illegible] | | 24 | 11 | 8 |
| 3419 | 114 | | 25 | 12 | 9 |
| 3420 | 115 | | 26 | 13 | 10 |
| 3421 | 116 | | 27 | 14 | 11 |
| 3422 | 117 | | 28 | 15 | 12 |

| An. Mun. | Nabona. | | Iosiæ. | Nabolas. | Ioachin | | Ezechiel. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 3423 | 118 | | 29 | 16 | | | 13 |
| 3424 | 119 | | 30 | 17 | | | 14 |
| 3425 | 120 | | 31 | 18 | | | 15 |
| 3426 | 121 | Ioacim | 1 | 19 | | | 16 |
| 3427 | 122 | | 2 | 20 | | | 17 |
| 3428 | 123 | | 3 | 21 | | | 18 |
| 3429 | 124 | Nabuch. | 4 | 1 | | | 19 |
| 3430 | 125 | | 5 | 2 | | | 20 |
| 3431 | 126 | | 6 | 3 | | | 21 |
| 3432 | 127 | | 7 | 4 | | | 22 |
| 3433 | 128 | | 8 | 5 | | | 23 |
| 3434 | 129 | | 9 | 6 | | | 24 |
| 3435 | 130 | | 10 | 7 | | | 25 |
| 3436 | 131 | | 11 | 8 | 1 | Transmig. | 26 |
| 34[illegible] | 132 | | | 9 | 2 | | 27 |
| 3438 | 133 | | | 10 | 3 | | 28 |
| 343[illegible] | 134 | | | 11 | 4 | | 29 |
| 34[illegible] | 135 | | | 12 | 5 | Ezech. | 30 |

Scaliger autem cum vult Ezechielis epocham, id est ortum ab anno primo Nabopollassaris, & centesimo vigesimo tertio Nabonassaris peti, initium Nabonassaris totis 20. annis antiquius facit. Et sic vt Ezechielem ad fictam à se rationem temporis trahat, Ptolemæum deserere cogitur, quem suo loco probauimus primum Nabonassaris annum referre ad annum primum Olympiadis octauæ. Qui tamen l. 5. c. 14. Almagesti ponit annum quintum Nabopolassaris concurrere cum 127. Nabonassaris, nisi mendum irrepsit in numeros. Mutauit quidem Scaliger nonnulla, quæ ad hanc æram Chaldaicam pertinent in posteriore editione, rem tamen ipsam retinuit. Existimamus tamen nostram hanc dispositionem temporum & clariorem, & Scripturæ magis consentaneam visum iri.

## ANNVS MVNDI 3412. QVINTAE ÆTATIS 473.

FVND. TEMPLI 390. IOSIÆ 18. HELCIÆ 18. NABOL. 5. QVI ET 13. IEREMIÆ 6. IMP. BABYLON. 79. OLYMP. XXXVI. ANN. 3. TVLLI HOSTILII 30. VRBIS CONDITÆ 3.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 641.



ELEBERRIMVS est, maximéque solennis in Scripturis [a] Iosiæ annus 18. in quo mundata iam terra, & templo Domini, tria eximia opera perfecit, Phase, renouationem fœderis, & restaurationem templi, quæ tamen hoc anno perfici non potuit, vt dicemus. I. *Res anni huius, & ordo earũ.*

Et à Phase quidem esset inchoandum, à quo sacer inchoatur annus: sed tam inuentio & lectio libri, quam renouatio fœderis videtur illud Phase antecessisse; iuxta id quod [b] legitur. *Et præcepit omni populo dicens, facite Phase Domino Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis huius.* Cum ergo fœdus renouatum sit occasione libri; & liber inuentus sit, dum effertur pecunia, ad templi reparationem, [c] iamdudum collecta ab iis, qui ad annum ætatis vigesimum transibant, [d] ab ea ducendum est exordium, vnde & liber Regum, & Par. narrationem anni 18. Iosiæ inchoarunt. 70. nihilominus Romanæ edit. non solum 18. anno Iosiæ factam hanc restaurationem, sed etiam 8. mense inchoatam significant. [e] Editio Basiliensis habet septimum mensem, quæ verba rectius ab aliis libris Hebraicis, Græcis, Latinis, Chaldaicis absunt, cum instaurationis initium antecesserit Phase, quod primo mense celebratur.

QVOD ergo ad templi renouationem attinet, in eam rex iamdudum intentus erat, & quidem, vt videtur, à duodecimo regni sui anno, quo tempore illud mundatum est, simulque animaduersum restauratione indigere. Non mirum est autem eguisse reparatione templum, iam enim ab vltima eius instauratione, quæ II. *Templi restauratio necessaria.*

a 4. Reg. 22. 3. & seq. ca. 23. 1. 2. 3. 2. Par. 34. 8. & seqq. ca. 35. à princip. ad 20. 3. Esdræ 1. vsque ad 22.
b 4. Reg. 23. 21.
c Vt dicitur 2. Par. 34. 14.
d Abul. q. 5. in c. 22. 4. Reg.
e l. 4. Reg. 22. in initio.

anno regni Ioas 23. facta est, vsque ad hunc Iosiæ annum ducentesimus trigesimus quartus agebatur annus. Ab illo enim anno Ioas vsque ad finem regni eius, 18. anni numerantur, quibus si addas 29. Amasiæ, 52. Oziæ, 16 Ioathan, 15. Achaz, 29. Ezechiæ, 55. Manassis, duos Amonis, 18. Iosiæ, consurget ille quem dixi numerus. Non autem 218. vt habet Chron. Hebræorum.

18
19
52
16
15
29.
55
2
18
234

III. *Tam vasorum sacrorum.*

DVABVS porro in rebus posita erat hæc restauratio, in templi structura resarcienda, & in sacris vasis reparandis. Et hoc quidem posterius obscurius in Scriptura habetur, habetur tamen 4. Regum 22.4. *Vade*, inquit, *ad Helciam sacerdotem magnum, vt confletur pecunia*, & v. 9. *conflauerunt serui tui pecuniam*; quomodo habent etiam Hebr. Chald. & Græca; at non conflatur pecunia aurea, vel argentea, vt operariis distribuatur, sed vt vasa inde conficiantur. In priore quidem loco Græci codices aliqui non habent χωνεῦσαι, sed σημεῖον, id est signa, quod nihilominus eodem redit; recentibus enim vasis sigillum imprimitur, non pecuniæ quæ artificibus traditur: & iterum. [a] *Argentum quod repertum est in domo Domini conflauerunt, datumque est præfectis artificum, & diuersa opera fabricantium*; non alij artifices erant hi quam fusores, & aurifices. Hoc ipsum confirmat Ioseph. [b] *Anno*, inquit, *regni sui 18. iussit Helciam pontificem pecuniam, quæ instaurationi superfuit, in massas conflata, crateras inde, & libatoria, phialasque ad ministeria templi conficere. Præterea quidquid auri, argentiue in thesauris esset, id quoque prolatum in eosdem vsus conuertere.* Et Ioas [c] cum restaurationi templi operam dedit, & structuræ ædificiorum, & vasorum confectioni simul inuigilauit.

a 2. Paral. 34.17.
b l. 10. c. 5.
c 4. Reg. 14. 14.

IV. *Quæ necessaria erant.*

*Post crebras expilationes.*

NEC dubium est magnam eorum fuisse in templo penuriam. Nam tempore Amasiæ vasa quæ fecerat pater eius, Ioas rex Israel abstulit. *Tulitque omne aurum, & argentum, & vniuersa vasa, quæ inuenta sunt in domo Domini.* Credibile quidem est pleraque fuisse abscondita, & ita seruata; abstulit tamen omnia quæ inuenit. Achaz etiam *omnia vasa domus Dei diripuit, atque confregit.* [d] Quæ sine dubio, saltem ex parte, restituit Ezechias, vt qui pietate, & opibus insignis fuit. [e] Nam fuisse dicitur Ezechias diues & inclytus valde, & thesauros sibi plurimos congregasse argenti, & auri, & lapidis pretiosi, aromatum, & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretij. Num ergo vasa magni pretij ille habuit in thesauris suis, & domum Dei, à patre suo expilatam, sibi non duxit sacris vasis ornandam? Ea quoque mens Iosiæ fuit, si forte ea pater eius, aut auus deprædati essent. Sed proh dolor! preciosa hæc supellex non diu in templo superstes fuit, vt dicemus. Nam in prima transmigratione Iudæ, aut sublata, aut concisa sunt omnia. [f]

d 2. Paral. 28. 24.
e 2. Paral. 32.27.
f 4. Reg. 24.13.

V. *Quam artificiorum.*

IAM quod attinet ad ædificiorum restitutionem, mittit Rex Saphan scribam templi, *& cum eo Maasian principem ciuitatis, & Iohan filium Ioachaz à commentariis, vt instaurarent domum Domini Dei sui.* [g] ad Helciam sacerdotem magnum, sub cuius potestate erat pecunia, quam Leuitæ & Ianitores congregauerant de Manasse & Ephraim, & vniuersis reliquiis Israël: ab omni quoque Iuda, & Beniamin, & habitatoribus Hierusalem, quæ ab eis illata fuerat in domum Domini. Misit inquam Rex ad pontificem, vt prædictis viris daretur à pontifice pecunia, quam illi fabris, & artificibus, per præpositos operum distribuerent, tignariis videlicet, ac cœmentariis, & iis qui interrupta componunt, & vt emerentur ligna, & lapides de lapidicinis, [h] ad instaurandum templum Domini, & ad contignationem domorum, quas destruxerant reges Iuda. [i]

g 2. Par. 34. 8.
h e. 4. Reg 22.7.
i 2. Par. 34.

VI. *Pecunia datur præfectis in fide, & an recte.*

ADDIDIT etiam vt non supputaretur eis argentum, quod acciperent, quasi futuri essent obnoxij reddendæ rationi, *sed in potestate illud haberent, & in fide*: ratus scilicet eos viros probos, & liberales; ideoque diuino cultui destinatam, & à populo consecratam pecuniam, aucturos potius, quam diminuturos: qua in re Ioam regem, & Ioiadam pontificem imitatus est. [k] Melius tamen fuisset, ait Abulensis, [l] & in conscientia tutius, si tractatio rei alienæ, & quidem sacræ, fieret cum obligatione reddendæ rationis, ne quid per negligentiam, aut hominum cupiditatem periret, quæ ista confidentia, & impunitate accendi posset. Neque tamen peccasse Iosiam putamus in ea re, tam propter prædictas rationes, quam quia id factum à Scriptura improbatum non est. Hi ergo acceptam à pontifice pecuniam, [m] *Tradiderunt in manibus eorum, qui præerant operariis in*

k 4. Reg. 12.15.
l q. 9 in ca. 22. 4. Reg.
m 2. Paral. 34.9.10.

*domo Domini, vt instaurarent templum, & infirma quaeque sarcirent. Ac illi dederunt eam artificibus & cæmentariis; qui fideliter cuncta faciebant.*[a] Erant autem præpositi operariis Leuitæ aliquot, qui in 2. Par. [b] recensentur.

a 2.Par. 34. 9 10.
b 34. v. 12. & 13.

VII. Inuenitur liber sacer & quomodo.

CVMQVE *efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysi*, non dicitur accepisse librum quasi ex loco certo, & ordinario, in quo poni soleret, sed casu, & præter opinionem reperisse; nec reperit in aliqua murorum rimas agentium fissura, ibi enim eum reperissent operarij, non ipsemet pontifex: qui eum videtur reperisse in quapiam arca pecuniaria, dum inde pecuniam, ad templi sumptus effundit, vt innuit Scriptura, [c] & affirmat Iosephus. [d] *Pontifex*, inquit, *dum promit aurum, forte incidit in sacros libros, &c. & ait ad Saphan scribam; librum legis inueni in domo Domini, & tradidit ei, qui & legit illum.* Is erat liber Deuter. vt ait Hiero. init. comment. in Ezech. is enim vnus maxime continet, quæ terrori esse possunt violatoribus Mosaicæ legis. Idem sentit Comest. [e] Tostat. [f] Genebr. in Chronol. & alij. Iosephus nihil distinctius, quam pontificem in sacros Moysis libros incidisse.

c 2.Par. 34. 14.
d l.10 c 5.
e l 11. c.36.
f 4.Reg.c. 22.q. 10.

VIII. Defertur ad Iosiam.

Q. scindit vestimenta sua.

VENIT *quoque Saphan scriba ad regem*, à quo missus fuerat ad pontificem, *& renunciauit ei quæ præceperat*, (ad se referri) *& ait, conflauerunt serui tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini, & dederunt vt distribueretur fabris, & præfectis operum templi Domini. Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum: quem cum rege præsente recitasset, audissetque ille verba legis, scidit vestimenta sua*, præ zelo scilicet honoris diuini, & metu diuinæ vindictæ in regnum suum, *timendum enim esse*, ait Iosephus, *ne propter neglectas à maioribus leges Moysis, graues casus immineant, neue eiecti, patrio solo, in externis regionibus, destituti omnibus commodis, misere vitam finiant*, quem animi motum, præ cæteris afferre potuit lectio c. 28 & 32. Deuteronomij, quibus nihil dici potuit horribilius, ad populum dura ceruice, & incircuncisis cordibus edomandum, atque frangendum.

IX. Cur mira inuentio libri sacri.

QVOD autem pene prodigij loco habeatur inuentio libri legis, qui in sancto sanctorum seruabatur, qui passim habebatur in manibus sacerdotum, Leuitarum, populique totius, qui in consecrandis regibus, tradebatur illis in manus. Non inuenti tamen satis probabilis causa est, quam Hebræi afferunt, nec improbat Abulensis, quod Amon sacros libros incendio tradidisset: sine quibus potuerunt sacerdotes & Leuitæ, ex vsu suis muneribus in templo fungi, & illa ceremonia in regis inauguratione prætermitti. Iosias igitur animo vehementer consternatus est auditis illis non verbis, sed tonitribus; non comminationibus, sed verborum fulminibus. Accedente præsertim Ieremia classicum quodammodo de Babyloniorum aduentu buccinante, & virgas vigilantes, & succensas ollas, oculis omnium obiectante.

g 4.Reg. 22.19.

X. Rex iubet consuli Dominum.

ERGO post lachrymas coram Deo fusas, [g] vt ex Holdæ prophetidis verbis intelligitur, vbi ait præterritum fuisse cor regis, & humiliatũ coram Domino, auditis sermonib contra Hierusalem, & habitatores eius, & scidisse vestimẽta sua, & fleuisse coram Deo. Post lachrymas, inquam, præcepit Helciæ Sacerdoti, & Ahicã filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan scribæ, & Asaiæ seruo regis dicens. *Ite, & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Iuda de verbis voluminis istius, quod inuentum est.* In 1. Par. habetur, *Ite, & orate Dominum pro me & pro reliquiis Israel & Iuda, super vniuersis sermonib. libri istius.* In Græco tamen, & Hebræo vtrobique est, *quærite*, siue consulite, per aliquem scilicet prophetam, *magnus enim furor Domini stillauit super nos*, siue *succensus est contra nos*, in Dei scilicet corde, vnde futurum est vt vindicta, quasi pluuia cœlitus stillet super nos. *Eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, vt facerent omnia, quæ scripta sunt in isto volumine.*

h 2. Paral. 34 22.
i c.26.24.

XI. Et per quos templi restauratio necessaria.

ABIIT *ergo Helcias*, [h] *& hi qui simul à rege missi fuerant*, quorum mentio est apud Ieremiam. [i] Nam Ahicam filius Saphan eripuit Ieremiam de manu impiorum ipsum interficere volentium, vt dicemus primo anno Ioacim. Ibidem etiam fit mentio filij Achobor, nomine Elnatham, quem Ioakim misit in Ægyptum, ad retrahendum inde Vriam prophetam fugitiuum, & occidendum. Quod eodem quoque anno factum est. Isti ergo missi sunt, *ad Oldam prophetidem vxorem Sellum*, 70. Xisti habent matrem Quem Sellum Hebræi vocant auunculum patris Ieremiæ, *filij Thecuath, filij Hasra, custodis vestium*, sacerdotalium, vel, vt alij volunt, re-

giarum. Vatab. D. Hieronym. [a] legit custodis templi. At cur non ad Ieremiam? An quia, vt vult Comestor, minori erat autoritate propter ætatem? at iam sextum annum prophetam agebat; nec minor est autoritas viri iuuenis apud viros, quam apud eosdem mulieris senis. An potius quia tūc vrbe aberat, vt vult Abulens.[b] Totum enim regnum concionabundus obibat, & populum, Dei iussu, salutari timore percellere, & ad seriam peccatorum detestationem, & conuersionem ad Deum impellere conabatur. Etsi Hieronymus [c] dicat in eo quod consulitur mulier, occultam & regis, & sacerdotum, & omnium virorum reprehensionem esse, quod nullus virorum sanctus potuerit reperiri, qui posset futura prædicere. Quò etiam alibi alludit non semel, cum excusat se, quod sacros libros, & prophetarum expositiones mulieribus inscribat. Vide enim eius prologum in Sophon. Nec tamen potuit ignorare S. Doctor Ieremiam, & Sophoniam initio librorum suorum testari, se Iosiæ regis tempore prophetasse. Baruch quoque in prophetis numeratur hoc tempore.

Olda prophetis. a In tradit. in c 34. 2. Paral. b q 14. in c. 22. c l. 2. contra Pelag.

XII. *Holda vbi habitaret.* HABITABAT hæc prophetis in Ierusalem, in Secunda. 70. retinuerunt Hebræum nomen Massena, quod secundam significat, Chaldæus eam interpretatur *domum doctrinæ.* Vatabl. locum secundæ dignitatis à templo, quo loco dabatur opera eruditioni, & doctrinæ. Sà vult fuisse nomen vici. Hierony. l. 2. contra Pelag. *Haud dubium*, inquit, *quin vrbis partem significet, quæ interiori muro vallabatur.* *Porta secunda.* Et in tradit Hebr. in 2. Paral. in ea verba. *Habitabat in secunda, locus ait, erat Ierosolymis extra murum, id est inter murum ciuitatis & ante murale, qui vocabatur Secunda, cuius mentio fit in Sophonia propheta.* Idem in c. 1. Sophon. v. 10. ait fuisse secundam portam secundi muri, post portam piscium. Ribera ibid. & Villalp. [d] aiunt hanc secundam portam fuisse in secundo muro claudente Bezetam, eamque è regione respondisse portæ piscium, per quam Chaldæi inuaserunt Ierosolymam; vt propterea voce clamoris in porta piscium personante, vlulatus ei à secunda porta responderit. Adrichom. secundam interpretatur non portam, sed ciuitatem. Nam tertiam vrbis partem vult vocatam fuisse Secundam Ciuitatem, eáque videtur Hieronymi sententia. Sed facile vtraque sententia conciliari potest, si dicamus prophetidem in ea parte Ierusalē mansisse, quæ dicebatur secunda ciuitas, & iuxta portam, quæ vocabatur secunda, & respondebat portæ piscium, quæ primo adeunda erat venientibus in templum, ex parte Septentrionali, & traiiciendo cœnopolim, quam muris cinxerat Ezechias, veniebatur in portam alteram Bezethæ, propterea dictam secundam.

d t. 3. l. 5. c. 9

XIII. *Holda responsio.* VERUM vt ad Oldam prophetidem redeamus, cum regis nuncij ad eam retulissent, quæ rex mandauerat, pérque eam Dominum consuluissent. Illa respondit eis, *hæc dicit Dominus Deus Israel, dicite viro, qui misit vos ad me.* Non tacetur hoc loco regis nomen contemptim, cum mox semel atque iterum ponatur, sed mulieris loquentis ratio videtur habita, vel Dei demissionem animi in rege probantis. pergit. *Ecce ego adducam mala super locum istum, & super habitatores eius*, nimirum Chald. *omnia verba legis, quæ legit Rex Iuda*, minas scilicet horribiles, & maledicta in ea contenta. *Quia* (vt alia peccata dissimulem) *dereliquerunt me, & sacrificauerunt dijs alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum. Et succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur;* (propterea enim ollam succensam ostenderat prophetæ Ieremiæ, & alludit Olda ad illa regis verba, *magna ira Domini succensa est contra nos*, pergit.

XIV. *Circa Iosiā regem.* REGI *autem Iuda, qui misit vos, vt consuleretis Dominum, sic dicetis. Hæc dicit Dominus Deus Israel, pro eo quod audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quod videlicet fierēt in stuporem, & in maledictū, & scidisti vestimenta tua & fleuisti coram me: & ego audiui, ait Dominus. Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.* Si enim non doluisset ob tam graues offensas Dei, & tantæ calamitatis nuncia, defectu charitatis in Deū proximumq. peccasset, & meritus esset particeps fieri diuinę vltionis. Nūc

XV. *Geminum eius vaticinium.* autem in eius gratiam Dominus distulit calamitatem, nec vitam eius contraxit, ne pœna eum affecisse, & non beneficio, vt verba Domini indicant, videretur.[e]

DUO itaque didicerunt à prophetide nuncij; prius est Deum atrocissima vl-

e Vide Abul. q. 19. in c. 22. 4. Reg.

tione idololatriam Iudaici populi vindicaturum: posterius, ipsum misericordia erga pium regem vsurũ, vt eo viuo ista calamitas non contingeret, propter pium eius in Deum zelum, & charitatem in populum suum: siue accelerata eius morte, siue potius, vt dixi, vltione dilata; sed fore vt in pace colligeretur ad patres suos. Etsi enim in bello mortuus est, pacificus tamen erat Reip. status, quia Rex Ægypti, à quo occisus est, eum bello non petebat, sed regem Assyriorum, siue Babyloniorum; vtrorumque enim erat dominus Nabolassar, vt sæpe diximus. Nec quidquam eius morte in regno Iudaico turbatum est: tantáque erant mala imminentia filiis eius, vt ad illa totum hoc bellum pacis instar habere videretur. Quò pertinet illud Iudæ Machabæi, *Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & sanctorum.* [a] Vide Tostat. [b]

a 1. Mach. 3 fine. b 4. Reg. 22.q.20.

XVI. Conuocatur populus & innouatur fœdus.

HIS regi nunciatis conuocauit ad se omnes senes Iuda, & Hierusalem, id est primarios quosque viros de vniuerso regno suo. *Ascenditque Rex templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuersique qui habitabant in Hierusalem cum eo sacerdotes, & prophetæ*, In quibus haud dubie Ieremias cum suo Baruch, & Sophonias, & Vrias, & Holda prophetissa, vt non sit necesse prophetas cum Chaldæo, scribas interpretari, vt ait Vatabl quamquam in bibliis regiis Chaldæa versio habet prophetas, sicut vulgata, sicut & 70. in lib. autem Paral loco prophetarum, ponuntur Leuitæ. *Et omnis populus à minimo vsque ad maximum.* Innuit etiam Sophon. [c] filios regis interfuisse.

c c.1. 8.9.

*Quibus audientibus in domo Domini legit Rex omnia verba voluminis, & stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino, vt ambularet post eum, & custodiret præcepta, & testimonia, & iustificationes eius, in omni corde, & in tota anima, & suscitarent verba fœderis huius, quæ scripta erant in libro illo. Acquieuitque populus pacto.* [d] Hæc eadem fere Iosephus, [e] & inter alia, *primum eis sacros libros legit: deinde stans in editiori loco in medio populi, sacramento adegit vniuersos ad cultum diuini numinis, & seruandas leges Mosaicas, quod illi magno consensu facturos se receperunt.* Sed addit, præterea facta sacrificia, vt Deo fœdus hoc fieret acceptius. *Moxque*, inquit, *sacra facientes, & mactantes victimas Deum precabantur, vt propitius adesse dignaretur.*

d 4 Reg. 23.1. & seq. 2 Par. 4. 29 &c. e l.10. c.5.

XVII. Quo regis populique animo.

SIC ergo renouatum est fœdus Deum inter & populum, & iureiurando firmatum. Sed non sicut Rex summa synceritate cordis Deo se dedidit, ita & populus. Nam de Rege paulo post. [f] *Similis ei non fuit ante eam Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi.* Hæc ipsa laus supra [g] Ezechiæ quoque attributa est, qua de re ibi diximus. At de populo conqueritur apud Ieremiam Dominus: [h] *Et in omnibus his non est reuersa ad me præuaricatrix soror eius Iuda, in toto corde suo, sed in mendacio ait Dominus*, vt supra quoque retulimus, & addit propheta. *Et dixit Dominus ad me. Iustificauit animam suam auersatrix Israel, comparatione præuaricatricis Iuda.* Quia nimirum Iuda ad veterem & communem vtrique populo idololatriam, addidit hypochrisin, nouumque periurium. Eodem merito referuntur illa eiusdẽ prophetæ. [i] *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Spinas intelligit cordis impietatem, conscientiam perfidam & dissimulantem, vnde subdit, *circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum*, &c.

f 4. Reg. 23.25. g c.18.5. h c.3. 10. i c.4.3.

XVIII. Populi dissimulatio.

HVC quoque mihi videtur allusisse Sophonias. [k] *Et visitabo*, inquit, *super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa, qui complent domum Domini Dei sui iniquitate, & dolo.* Isti enim cum, vt rei idololatriæ, aliorumque multorum scelerum, quæ in oculis Dei perpetrarant, debuissent humiles, & supplices, in cinere, & cilicio veniam petere: & stantes à longe, ne oculos quidem ad Dei sanctuarium attollere, arrogantes nihilominus, perinde ac nullius sibi delicti conscij essent, erecta ceruice, mente, corporéque per nefaria sacrificia polluti, Dei templum adibant, & illud, seséque ipsos in primis, doloso, & iniquo fœdere incestabant. Nihilominus acquieuisse dicitur populus pacto, quia maxima pars eius syncere Deo fidem, & cultum spoponderunt. Ergo Rex optimus, vt populi pater & caput, nomine totius populi sui, quem repræsentabat coram Domino, venia pro totius populi peccatis primum petita, promisit Deo religiosum cultum, abdicata omni idololatria, & populus acquieuit promissis regis, iterando fortasse alta voce illud, *fiat, fiat.*

k c.1 9.

XIX. *Quæ causa Iosiæ renouandi fœderis.*

CVPIEBAT porro Iosias renouando cum Deo fœdus eum placare, & succensam eius indignationem, si quo modo fieri posset, extinguere. Nam non obstantibus Holdæ prophetissæ vaticiniis, existimare potuit rex hasce minas sub tacita conditione pœnitentiæ, vt olim aduersus Niniuitas, intentari, Deumque obsequiis delinitum à furore iræ suæ reuocari posse. Et quamuis contingeret immutabile esse huiusmodi decretum, quale fuit quod aduersus Saulem pronunciatum fuerat, quod multæ Samuelis lachrymæ reuocare non potuerunt, initum tamen nunc cum Deo fœdus abduceret homines à peccatis, quibus præparata iam clades augeretur, propter contemptum recens auditæ legis, & maledictionũ, quæ in ea contra præuaricatores continentur. Denique vereri potuit Iosias, ne si non faceret quod in se erat, ad auertenda populi peccata, promissa dilatio calamitatum acceleraretur, & in caput suum redundaret, propter nouam hanc ipsius negligentiam. [a] — a vid. Abul. q. 3. in c. 23 4 Reg.

XX. *Iudicit Rex Phase occasione libri. Et reliquias idololatriæ persequitur.*

INITO fœdere ad celebrationem Paschatis ventum est, id indicant illa verba [b] *Et præcepit Rex populo dicens, facite Phase Domino Deo vestro, secundum quod est in libro fœderis huius,* [c] itaque videtur incitatus, ex huius libri lectione, ad Phase maiore cum solennitate celebrandum; sicut etiam ad perquirendum exactius, num quæ reliquiæ superstitionis exterminandæ superessent. Eò enim pertinent illa verba. *Sed & pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda, & Ierusalem abstulit Iosias, vt statueret verba legis, quæ scripta sunt in libro, quem inuenit Helcias sacerdos in templo* Domini. Nam ante inuentum librum sex totis annis in id opus incubuerat. Eodem etiam modo in 2. Paral. [d] post expositum fœdus illud, subditur. *Abstulit ergo Iosias cunctas abominationes de vniuersis regionibus filiorum Israel, & fecit omnes, qui residui erant in Israel, seruire Domino Deo suo.* Nimirum quia nouo incitamento huius lectionis, nouam quoque diligentiam, in tam sancto, tamque necessario opere, adhibendam putauit. Et huc referri potest illud Iosephi. [e] *Nec hoc contentus, oppidatim, ac vicatim per domos scrutatus est, ne quid suspectum intus delitesceret.*

b 4. Reg. 23. 21. c Deuter. 16. 1. & alibi. d 34. 33. e l. 10. c. 5

XXI. *Celebritas huius Phase.*

DE hac porro Paschatis celebritate, illud habetur vniuersè. [f] *Neque enim factum est Phase tale à diebus Iudicum, qui iudicauerunt Israel, & omnium dierum regum Israel, & regum Iuda, sicut in octauo decimo anno regis Iosiæ factum est Phase istud* Domino *in Ierusalem*: quæ fere totidem verbis repetuntur 2. Paral. [g] Quibus verbis intelligitur hoc Phase ei præferri, quod ab Ezechia initio regni sui celebratum est, [h] imo etiam cuiuis solenni sacrificio, quod à Salomone, ante vel post templum conditum, celebratum sit, & iis quæ vel antea, vel postea ab ipsomet Iosia agitata sunt quotannis, iuxta præscriptum legis. Quamuis enim, ante inuentionem libri, videri possit Iosias ignorasse, quid lex ea de re præscriberet; ipsa tamen populi praxis singulis annis in iidem tempus cadens, eum tantæ rei penitus ignarum esse non sinebat.

f l. 4. Reg 23. 22. g 35. 18. h & narratur 2. Par. 29. & 30.

XXII. *Tempus eius.*

IN particulari vero 4. de eo scriptura [i] tradidit; primum est tempus, nam præter annum 18. qui iam notatus est, *fecit*, inquit, *Iosias in Ierusalem Phase* Domi*no, quod immolatum est quarta decima mensis primi*, quod erat eius solennitatis tempus proprium, maximéque legitimum. Ezechias autem id secundo mense ex necessitate celebrauit. — i 2. Par. 35.

*Præparatio ministrorũ.*

Alterum est de ministrorum præparatione. Cum enim facile, variisque ex causis contaminarentur, etiam iuxta legis præscripta mundandi erant. *Constituit*, inquit, *sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos, vt ministrarent in domo Domini. Leuitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est. Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificauit Salomon filius* Dauid: *nequaquam enim eam vltra portabitis. Nunc autem ministrate* Domino *Deo vestro, & populo eius Israel. Et præparate vos per domos & cognationes vestras, in diuisionibus singulorum, sicut præcepit* Dauid *rex Israel, & descripsit Salomon filius eius*: habentur hæ diuisiones in 1. Paral. c. 23. de quibus egimus anno Salomonis 2. [k] — k n. 13. & seqq.

XXIII. *Hortatore Iosia.*

PERGIT Iosias. *Et ministrate in sanctuario; per familias, turmasque leuiticas, & sanctificati immolate Phase: fratres etiam vestros, vt possint, iuxta verba quæ locutus est Dominus, in manu Moysi facere, præparate.* Hactenus Iosias, cuius in verbis aliquot dubia occurrunt. Primùm, mirum videtur hoc loco, Iosiam non regem agere, sed

pontificem, nec parum fauere hæreticis, qui iura sacerdotum regiæ potestati agglutinant. Secundo, quid est ad eruditionem Leuitarũ omnem Israel sanctificari? Tertio, quomodo iubetur reponi arca in sanctuario templi, vnde numquam egressa legitur? aut quomodo eam dicuntur Leuitæ non vltra portaturi, cum ab ipso tempore Dauidis dictũ esset eis, ª eos non vltra portaturos tabernaculum, & omnia vasa eius ad ministrandum, propterea quod Tabernaculo mobili, Templum stabile, quam primum successurum erat: & prius in Sionis arce apud Dauidem arca constanter permansura.

ª 1. Paral. 23.26.

XXIV. *Rex non arrogat sibi spirituale ius.*

VTRVM non admodum operosum est istis dubitationibus satisfacere. Primum enim negamus illa esse spiritualis potestatis, sed zeli, & pietatis optimi principis, rem diuinam omni studio promouere cupientis; cuius rei non obscurum est signum, quod cum dixisset, *constituit sacerdotes in officiis suis*, quasi explicans subdit, *hortatusque est eos*, hebraice confortauit eos, *vt ministrarent in domo Domini.* In promptu etiam est illa ex Paulo petita responsio, legem Moysis rudi & imperfecto populo accommodatam, nihil ad perfectum adduxisse; vt non mirum sit functionum, & officiorum, & iurisdictionum regalium, & pontificiarum, spiritualium, & politicarum distinctionem, rudem quoque, & imperfectam fuisse: nec conueniens est legem euangelicam rebus omnibus perfectiorem, in re maxima, longeque grauissima, eidem imperfectioni subiacere.

XXV. *Iura spiritualia, & politica diuersa, etiã in lege Mosis.*

NEQVE tamen obscure distincta sunt in lege veteri iura sacerdotum, & principum. Nam de Iosue ita loquitur Dominus ad Moysem. *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius*, qui consulti Domini voluntatem renunciabit, atque patefaciet, populi princeps Iosue, *egredietur & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo.* Et Dauid non solum Rex maximus; sed insignis etiam propheta, agnoscit se cum suis diuinitus fuisse percussos, in arcæ translatione. *Quia*, inquit, *non eratis præsentes percussit nos Dominus, ne sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.* Notum est etiam illud Deuter. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, venies ad sacerdotes leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit* Dominus, *& docuerint te iuxta legem eius &c.* Denique antequam reges essent in synagoga, vel in ecclesia, rerum diuinarum administratio, penes sacerdotes, & Apostolos fuit; nec iis in ecclesiam ingressis, inuersus est ordo hierarchicus; nec in Christi rempublicam ordinatissimam, inuecta est rerum diuinarum, humanarumque confusio, quæ sequitur Regiæ, & Pontificiæ dignitatis permixtionem. Vices Dei vterque gerit, alter in spiritualibus, alter in temporalibus, nec alter in alterius iura inuolare debet, sed alter alteri pro sua facultate adesse.

Nu. 27. 21.

----*Alterius sic Altera poscit opem res, & coniurat amice.*

XXVI. *Eruditio Leuitarũ.*

QVOD ad eruditionem Leuitarum attinet in versione Vatabli ita legitur. *Qui erudiebant omnem Israelem, quique sancti erant Domino.* In Hebræo ad verbum, *dixit Leuitis intelligere facientibus vniuersum Israel, sanctis* Domino. In Græco autem, *& dixit Leuitis potentibus in omni Israel, vt ipsi sanctificarentur Domino*; potentia hæc non corporearum virium, sed spiritualis est potestatis, ad res sacras tractandas, tradẽdasque populo, in templo, in synagogis. Sententia igitur Vulgatæ est. Leuitas cum sancti essent, siue consecrati Domino, populum quoque ad sanctitatem informasse. Nam & ipse populus præ omnibus aliis populis sanctus erat DEO suo, & studium Leuitarum erat, elaborare vt viuerent, & ambularent digne Deo, eiusque sanctissimis legibus.

XXVII. *Arca educta ex Oraculo.*

DICENDVM est autem circa fœderis arcam, ex consequentibus antecedentia intelligenda esse; estque id in scriptura non infrequens. Ex hoc ergo loco perspicuum est eductam è sanctuario arcam Domini; imo significatur sæpius etiam à Leuitis circumlatam fuisse. Quo autem id tempore, & qua occasione contigerit, scriptura tacuit. Sà putat Arcam tempore Manassis extra templum fuisse. Caietanus existimat impios reges Iuda, quando templum profanare idolorum suorum cultu statuissent, veritos arcæ maiestatem, & memores vindictæ per eam Philisthæis, Bethsamitis, & Ozæ illatæ, facile permisisse, vt intacta, & inuiolata è templo educeretur, & alicubi seruaretur. Sed rem plenius, & certius

exponit Hieron. in trad. Hebr. *Notandum*, inquit, *quod arca Domini elata de templo fuit, quam modo in templum reduci Iosias præcepit. Tempore enim Achaz, quando simulachra in templo missa sunt, elata est inde, & ducta in domum Sellum, viri Holdæ auunculi Ieremiæ: vbi permansit vsque ad tempus Iosiæ. Neque enim poterat arca Dei esse in loco, vbi simulachra introducta fuerant, & gentilitius vsus, & ritus nefandissimus obseruabatur.* Hæc sanctus Hieronymus. Quod etiam confirmatur ex eo, quod Rex misit ad Oldam prophetidem, qui per eam consuleret Dominum.

XXVIII. *An fuerit apud Sellũ. Tempore Ezechiæ.*

NISI forte ista veritas illi traditioni ansam dedit; neque enim temere Iudæis traditoribus habenda est fides. Certe durum mihi videtur Ezechiam purificato templo, in illud arcam inferre totis pene 29. annis neglexisse. Durissimum etiam, ac plane incredibile Ezechiam, cum accepisset literas de manu nunciorum regis Sennacherib, non venisse in domum Sellum, vbi erat arca Domini, in qua residebat Dominus, & ex qua responsa consulentibus dabat, ex propitiatorio quod ferebant duo cherubini. Sed ea neglecta, ascendisse in domum Domini vacuam, ibique Deo supplicem factum esse. Totus certe ille locus, * & singula pene illius verba, arcæ præsentiam in templo Domini declarant. *Ascendit*, inquit, *in domum Domini, & expandit literas coram Domino, & orauit in conspectu eius, dicens, Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubin, tu es Deus solus regum omnium terræ, tu fecisti cælum & terram. Inclina aurem tuam, & audi, aperi Domine oculos tuos, & vide, audi omnia verba Sennacherib, qui misit, vt exprobraret nobis Deum viuentem.* (4. Reg. 19. 14. 15.)

XXIX. *Et tempore conuersi Manassis.*

DVRVM quoque videtur existimare Manassem post reditum suum ex captiuitate, & seriam ad Deum conuersionem, totis 40. annis arcæ Domini immemorem esse potuisse, aut memorem non fategisse, vt in locum suum restitueretur. Aut pietate insignem pontificem Ioachimum, qui tempore Iudithæ, & Manassis pontificatum gerebat, id neglexisse. Vereor etiam vt huic Hebræorum opinioni ratio temporis satis consentiat. Nam Sellum iste, vtique vir erat grauis, & honoratus quando ad eum arca delata est, minimùm 30. annorum: quibus si addas annos 16. regni Achaz, & 29 Ezechiæ, & 55. Manassis, & 2. Amonis, & 18. Iosiæ, ageret ille nunc annum centesimum ac quinquagesimum. Quod si ille dicatur iampridem mortuus, certe viuebat Holda vxor eius, (quam Romana editio 70. vocat etiam matrem) & prophetabat. Quotennis ergo esset coniux hominis 150. annorum?

XXX. *Aut potius Amonis, & pueritia Iosiæ.*

ID ergo de Amonis tempore, Iosiæ pueritia, & iis annis, quibus templum & Ierusalem, & regnum Iuda, & Israel ab idololatria emundata sunt, dicendum videtur, quibus distulit Iosias arcæ reportationem, vtique non sine diuino responso, siue per pontificem, siue per aliquẽ prophetam, vt in solennitate Paschali, & renouatione fœderis Domini, & vniuersi populi comitiis, maiori apparatu & pompa, in sanctuarium inferretur. Dici denique etiam potest eam sepius eductam, & quasi eiectam ab impiis principibus, Achaz, Manasse, Amone: sæpius etiam à religiosis regibus, Ezechia, Manasse, Iosia restitutam; idque illa verba satis innuunt, *Nequaquam enim eam vltra portabitis*, vel vt est in Hebr. *Non erit vobis onus in humeris*, quasi dicat, inquit Vatablus, posthac non erit vobis ferenda humeris, vt antea. Verum si impii filii Iosiæ maiores suos imitati sunt, cito Leuitis ad idem officium redeundum fuit. Ieremia propheta id agente, vt saluaretur cum tabernaculo, & altari thymiamatis. (a Vt dicitur 2. Machab. 2. 4. 5. & infra anno 11. Sed-ciæ dicemus.)

XXXI. *Celebritas Phase à malè à Iosepho assignata.*

AGIT deinceps tertio loco scriptura de multitudine sacrificiorum ex Regis, principum, sacerdotum, & Leuitarum liberalitate. Ex qua multitudine Iudæi huius Phase celebritatem, & magnificentiam, præ omnibus præcedentibus æstimabant; ad quorum etiam captum videtur scriptura loqui [b] licet Phase Ezechiæ per 14. dies celebratum fuerit, hoc autem ritu consueto septẽ. [c] Neque enim placet illa Iosephi ratio. [d] *Et quod à Samuelis*, inquit, *prophetæ temporibus in eam vsque diem nulla talis festiuitas celebrata fuerit: causa est, quia tum omnia iuxta præscriptum legum, & antiquas consuetudines peragebant.* In quo parum animaduertit Iosephus se Ezechiam, & Iosaphatum & Asam, imo Salomonem etiam, & Dauidem accusare sacrilegii, & violatarum legum, & antiquarum, consuetudinum, in maxima omnium festiuitate, & sacrificio neglectarum. (b 2. Paral. 35. 18. c v 17. ibid. d l. 10. c. 5.)

XXXI Petenda e regis magnificentia

a 2. Paral. 35. DEDIT *praeterea*, inquit scriptura. [a] *Iosias omni populo, qui ibi fuerat inuentus, in solennitate Phase agnos, & hædos de gregibus*, (horum singuli à singulis familiis sacrificabantur, & assabantur, & cum lactucis comedebantur, iuxta consuetum ritum: sed alia quoque pacifica sacrificia offerebantur Deo, quæ tunc à populo sanctificato, & 7. diebus azymorum cum Leuitis edebantur de quibus subditur) *& reliqui pecoris triginta millia.* In Hebræo non habetur reliqui pecoris, sed in 70 Xisti, & Complut. &c. fit mentio ouium, vbi etiam non boum: sed vitulorum tria millia numerantur: *hæc de regis vniuersa substantia*. At Ezechias [b] præbuit multitudini mille tauros, vel vitulos, vt Septuag. & septem millia ouium: quod non minori regis deuotioni, sed minori facultati attribuendum est. Illud enim Phase statim initio regni eius, quod inuenit perturbatissimum, & ab Assyriis, & Israelitis pene exhaustum, celebratum fuit: hoc autem in florente republica, & sexaginta iam amplius annorum pace gaudente. Alii autem superiores principes & reges non habuerunt occasionem publici gaudii, & congratulationis populi Deo vniuersè, sublata idololatria, reconciliati.

b vt dicitur 2. Paral. 30. 24.

XXXII. Principum quoque liberalitas.

PERGIT scriptura de principum liberalitate dicere. *Duces quoque eius, sponte quod vouerant, obtulerunt, tam populo, quam sacerdotibus, & Leuitis*, aut vt in Hebræo, *pro sua quisque deuotione*. Hæc autem dona 70. vocant primitias, late sumpta voce; nam primitiæ Deo offerebantur, & cedebant in vsum Leuitarum, non autem populi. Eodem modo primitias vocarunt, quæ paulo ante à Iosia data fuisse relata sunt. Qui vero fuerit victimarum numerus, non est expressum. *Porro Helcias, & Zacharias, & Iahiel principes domus Domini* (primarii scilicet authoritate, & opibus. Nam primus erat Pontifex, alii vero forte concilii magni præsides) *hi dederunt sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boues trecentos.* Vox illa, *commixtim*, in 70 redditur oues, & agnos, & hœdos, quod nusquam in Hebræo legitur, sed à Septuag. Paraphrasticé additur, qui hic aliquoties boues in vitulos commutarunt, eiusque adiectionis D. Hierony. rationem habere voluit in Vulgata. Sicut autem sacerdotes copiosiores tenuiorum curam gesserunt: ita etiam Leuitæ opulentiores, in reliquos Leuitas munifici esse voluerunt. Chonenias enim, quem tertius Esdræ vocat Iechoniam, & Semeias, & Natanaël fratres eius, & aliquot alii principes Leuitarum dederunt cæteris Leuitis ad celebrandum Phase, siue ad Paschales hostias, quinque millia pecorum, & boues quingentos.

tam Sacerdotum,

Quam Leuitarum.

XXXIV. Eorum ministerium.

SVPEREST postremum de ipsis sacrificiis, & eorum distributione, & esu. *Preparatumque est ministerium, & steterunt sacerdotes in officio suo; Leuitæ quoque in turmis*, 70. in diuisionibus suis, ministrabant diuisi per turmas, & vices suas. Non enim singulæ tantum vices, vt reliquo tempore, sed omnes plane aderant, vt rex imperauerat, qui omnibus victimas copiose largitus erat. Quod autem esset ministerium, tam sacerdotum, quam Leuitarum ita subdit. *Et immolatum est Phase, asperserúntque sacerdotes manu sua sanguinem, & Leuitæ detraxerunt pelles holocaustorum.* Leuitæ, inquit Vatablus mactabant victimas, & sanguinem excipiebant, quem deinde tradebant sacerdotibus ipsum sparsuris super altare, tum detrahebant Leuitæ pelles victimarum, quas offerebant sacerdotes, eleuando scilicet eas coram Domino.

ca. 35. 11.

XXXV. Refutatur.

VERVM nusquam inuenias hostias à Leuitis iugulatas. Mactatio enim hostiæ vel maximè ad sacrificium pertinet, sicut & oblatio, & aspersio, siue effusio sanguinis, tam super altare, quam circum. Et ne longe abeamus, in sacrificio, & Phase Ezechielis, & mactatio, & susceptio sanguinis, & effusio, à Sacerdotibus perficitur. [c] Imo etiam detractio pellium Sacerdotum propria fuisse cognoscitur. Nam ibid v. 34. *Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere, vt pelles holocaustorum detraherent: vnde & Leuitæ fratres eorum adiuuerunt eos.* Itaque Leuitic. 1. iidem sacerdotes filii Aaronis dicuntur ponere manum super caput hostiæ, immolare vitulum, offerre sanguinem, detrahere pelles, artus in frusta concidere, componere ligna, & membra hostiæ, ignemque subiicere: vt nunc ex necessitate duntaxat, propter multitudinem victimarum, non ex officio id munus vsurpasse dicendi sint. Denique constat Leuitas mortis pœna diuinitus proposita, ad vasa sanctuarii, & ad altaria, accedere non potuisse. [d]

c 2. Paral. 29. 21 22. & seq.

d Num. 18. 3. 7.

officia enim eorum sunt esse cantores, ianitores sacrificiorum etiam decoctores, & distributores; vnde in textu nostro pergit sacer historicus, *& separauerunt ea, vt darent per domos, & familias singulorum &c.*

XXXVI. *Examinatur hic Iosephus.* NVNC antequam ad vlteriora de Iosia pergamus, si quid minus conuenienter Scripturæ à Iosepho scriptum est, [a] annotandum videtur: duo autem tantum attingo. *a l. 10. ant. c. 5.*

Et primum quod ait à Iosia constitutos certos magistratus, & morum Censores, [illegible] ipse vocat, ἢ [illegible], qui priuata quoque negotia sic disponerent, vt in omnibus non minorem iustitiæ, quam vitæ ipsius rationem haberent; nullum habet in scriptura, quæ de Iosia est, fundamentum: videturque Iosephus zelatus pro sanctitate Reipublicæ suæ, & Romanos æmulatus, institutionem Censorum maturius ad se transferre voluisse. Iosias enim ante primos Romanorum Censores ducentis amplius annis fuit. Nam primos Censores Liuius prodit anno ab vrbe condita trecentesimo septuagesimo quarto. *lib. 6.* Itaque à præsenti anno, qui est vrbis centesimus duodecimus, ducenti & sexaginta duo anni numerantur. Nihil ergo necesse fuit Iosephum Censores, ex proprio sensu, antiquitate donare.

XXXVII *Et circa diuini decreti immutabilitatem.* NOTANDVM quoque quod cum scriptura tantum dixerit, Deum inducturum mala super Hierusalem, & super habitatores eius, cunctaque maledicta scripta in libro legis, propter ipsorum idololatriam, ipse fatalem quandam, & ineuitabilem decreti necessitatem inducere videatur. Ait enim. *Auditis regis mandatis prophetissa iubet ei renunciari; quod Deus semel contra eos sententiam tulerit, quæ nullis supplicationibus irrita fieri possit.* Quibus verbis alludit ad illud, *succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur.* At eum explicare oportuit, cur nihilominus Iosias postea totum populum renouato fœdere reconciliare studuit Deo. Cur ad eius vnius cultum iureiurando eum astrinxerit, tot preces & sacrificia adhibuerit, reliquias idolorum ad vltimas vsque fibras eradicare conatus sit, si nullis supplicationibus lata sententia irrita fieri poterat.

XXXVIII *Quod fuerit id decretum.* SENTENTIA porro hæc fuit. *Vt populus*, inquit, *eijciatur propriis sedibus, & omnibus præsentibus commodis. propter non seruatas leges, mulctetur; quandoquidem concesso ad resipiscendum tanto temporis spatio, ne prophetarum quidem hortatibus ad saniorem mentem reuocari potuerit, debitas impietatis pœnas prædicentium, & ideo decretum id mutari non posse, vt ipso euentu discant esse Deum & in prophetarum eius prædictionibus nihil esse mendacii.* At ô bene, non propterea mendaces erunt prophetæ, neque Deus mutabilis, quod tu reformidas, si lata sententia reuocetur. Nec fuit mendax Ionas, aut Isaias, dum ille Niniues euersionem, iste proximam Ezechiæ mortem prædixit, neutrius euentu vaticinii secuto. Latæ enim erant sub conditione sententiæ nisi pœnitentia & lachrymæ reis opem tulissent. At inquies, euentus ipse docuit immutabiliter latam fuisse sententiam. Respondeo primum id Iosiæ ignotum fuisse: deinde non fuisse immutabiliter latam sententiam contra Iudæos, nisi præuisa eorum obstinatione, & impœnitentia. Nam si eorum pœnitentia, & vera conuersio præuisa fuisset, Dei quoque fuisset non absoluta, sed cum subintellecta conditione sententia.

### SCHOLIÆ IN ANNVM MVNDI. 3406.

l.N. xviii. HVc etiam pertinere videtur init. c. 3. eiusdem prophetæ. *Væ prouocatrix*, inquit, *& redempta ciuitas columba*, vel vt alii vertunt, inquinata, & opprimens. *Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam*, cum scilicet Rex legeret librũ legis, & eos erudiret, vt timorem Domini animo conciperẽt *In Domino non est confisa*, qui in eadem lege ipsis promisit protectionem ab hostibus, & omnium bonorum abundantiam, si eius præcepta seruarent. *Ad Deum suum non appropinquauit*, quia ad ipsum in mendacio accessit, & dolo· *Principes eius*, optimates, fortassis etiam filii, qui tamen erant hoc tempore valde tenera ætate, puta 10 aut 12. annorum, qui & ipsi fœderi interfuerunt, *in medio eius quasi leones rugientes*, propter superbiam, & crudelitatem. *Iudices eius lupi vespere*, propter auaritiam, & rapacitatem, *non relinquebant in mane*, præsentem semper deuorantes prædam, ne forte reseruata in alterum diem, ipsis periret. *Prophetæ eius vesani*, malo scilicet spiritum afflati. Nam in magnis istis comitiis, fœderis causa coactis, non soli prophetæ sancti aderant, sed impii quoque, qui gladium Iosiæ sacrificulos, & aruspices interimentis euaserant. Quod autem *viri infideles* iidem dicũtur, siue mendaces, vt habet Chaldæus, vel viri præuaricationum, vt est in Hebræo, magis explicat perfidiam, & periurium in fœdere inito perpetratum. Nec aliter intelligendi sunt *sacerdotes polluisse sanctum*, id est, templum, *aut iniuste egisse contra legem*. Nam eos sacrificia idolis immolasse in templo regnãte Iosia, sub quo prophetauit Sophonias, nullo modo probari potest; licet id probet Torniel. in quinta ætat. an. 385 n. 2.



## ANNVS MVNDI 3414. QVINTÆ ÆTATIS 475.

TEMPLI FVNDATI 392. IOSIÆ REGIS IVDÆ 20.
HELCIÆ PONTIFICIS 20. IEREMIÆ 8. NABOLASSARIS 7. QVI ET 15. IMPERII BABYL.
81. OLYMPI. XXXV. AN. 1. TVLLI HOSTILII 32. & VLT. VRBIS CONDITÆ 113.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 639.



HABET hic annus ineuntem Olympiadem trigesimam quintam, simulque exeuntem è viuis Tullum Hostilium, tertium in Republica Romana Regem. Illa victorem habuit in stadio Sphærum quendem teste Dionysio,[a] nõ priscum illum Pelopis aurigam, sed iuniorem patria Laconem, de quo, præter hanc victoriam, nihil legi. Hanc Olympiadem celebriorem reddit Thales ille Milesius, à quo Philosophorum vitas exorsus est Laërtius, qui primus Sapiens vocatus est, quo tempore Damasius Athenis princeps erat, sub quo septem quoque sapientes appellati sunt, vt scribit Demetrius Phalereus in descriptione Principum. Idem Laertius. *Ortum*, inquit, *primo anno tricesimæ quintæ Olympiadis Thalem, Apollodorus in chronicis tradit, mortuumque ætatis anno septuagesimo, siue vt Sosicrates ait, nonagesimo: quinquagesima quippe & octaua Olympiade esse defunctũ.* Hæc Laërtius. Consentit de ortu Cyrillus, & Eusebius; sed hic in chronico græco vixisse ait supra centum annos. Primum quoque in memoratis illis septẽ sapientibus Thalem numerat Pausanias libro decimo,[b] quos & regionibus distinguit *Pro Delphici templi foribus*, inquit, *leguntur perutilia vitæ hominum documenta, ab iis hominibus conscripta, quos Græci sapientes & habuerunt, & appellarunt: fuerunt illi, ex Ionia quidem Thales Milesius, & Bias Prienensis; Ex Aeolica vero natione, è Lesbo insula Pittacus Mitylenæus: ex iis qui in Asia sunt Doriensibus, Cleobulus Lindius: Atheniensis præterea Solon, & Spartanus Chilon. Septimum Plato Aristotelis filius pro Periandro Corinthio Cypseli filio, enumerat Chenensem Mysonem.* Hæc ibi.

MORTVVM hoc anno Tullum Hostilium, exactis triginta duobus regni an-

Margin notes: a l. 3. in Anco Martio. — b in Boeot. p. 340. græ. — c. 2. Polih. — I. Olymp. 35. Thales & reliqui sapientes Græciæ. — Ciuitates essent. — II. Hostilii mores.

ni s,author est Dionysius,qui illi anno sequenti Ancum Martium sufficit: author & Liuius. Solinus quoque regnasse ait annos duos & triginta,obiisse Olympiade quinta & trigesima, nimirum ineunte. Historiam Tulli Hostilii Dionys.ita concludit. *Hæc sunt, quæ Tullus Hostilius regni sui tempore gessit, vir inter paucos eximiam laudem meritus bellica fortitudine, promptoque in periculis consilio* quod maximè ostēdit in defectione,& proditione Suffetii, cum ære n ata Albanorū discessum, suo consilio factum dictitans, fraudem perfidorum in suam vtilitatem vertit,& cladis occasionem in adiumentum victoriæ. Sed pergit Dionys. *maiorem etiam, quod neque cito bellum susciperet, & semel suscepto constanter pertenderet ad victoriam.*

III. *Mors eius ex Dionys.* Periit autem incendio,32. annis in regno exactis, absumptus flammis, vna cum vxore,& cætera tota domesticorum turba. Quidam aiunt domum eius de cœlo tactam, conflagrasse irato Deo, ob neglectā quorundam sacrorum curam. Plures humanis insidiis extinctum existimant,& facinus hoc ad Marcium referunt,qui ei successit in imperio: quod ægrè ferret se, Numæ Pompilii ex filia nepotem, priuatam vitam agere. Itaque rege, totaque familia per aliquot coniuratos occiso, ignem ædibus subiecisse, & rumorem de fulmine sparsisse. Sed Dionys. mauult priorem opinionem sequi, diuinitus ei hunc vitæ finem contigisse. Neque enim, inquit, verisimile est facinus à numerosa conspiratione perpetratum, mansisse occultum: neque autori eius certo constare poterat, defuncto Tullo Hostilio, Romanos ad se delaturos Vrbis imperium. Neque deos, tot cædibus polluto auspiciis lætis fauturos, sine quibus regnare non poterat, Hæc fere Dionysius.

IV. *Ex aliis videri à dæmonibus occisum.* Idem paulo post ait Ancum Marcium regem creatum, populum in concione adhortatum esse, vt deorum numina colerent, docuisseque à contemptis numinibus morbos, pestilentias, aliasque calamitates innumeras vrbi immissas, quibus magna pars populi absumpta sit: & ipse Hostilius, cum non ageret eorum quam decebat curam, diu multumque cum variis morbis conflictatum, postremo ne in recto quidem mentis statu permansisse, sed mente vna cum corpore labefactata, miserabili exitio cum tota familia periisse. Eadem fere habet T. Liuius, & Plutarchus, quem sub initium regni eius retulimus. Illum autem neglectum sacrorum, egregiè explicat Liuius; itáque explicat, vt tam Numam, quàm Hostilium magicis veneficiis,& cantionibus deditos ostendat. Ipsum regē tradunt, inquit, voluentem commentarios Numæ (non omnes ergo in lapidea illa arca incluserat, in terramque defoderat) cum ibi quædam occulta solennia sacrificia Ioui Elicio facta inuenisset, operatum [a] his sacris se abdidisse. *Sed non recte initum aut curatum id sacrum esse. Nec solum nullam ei oblatam cælestium speciem, sed ira Iouis praua religione sollicitati, fulmine ipsum cum domo conflagrasse.* Solent nimirum dæmones ad pactos, condictosque ritus magis ad omne obsequium adesse, in qui- *Magorum pacta cum dæmonibus.* bus si quid peccatum fuerit, eos mulctare, non raro etiam dicuntur interficere. Hæc autē Liuius videtur ex L. Pisonis Annalibus mutuatus, quos in eandem rē laudat Plinius.[b] In qua tyrannide tolerādā, debetur aliqua infidelibus commiseratio. Quæ autem crux debetur illis furciferis, qui cum se Christianos mentiantur, eadem agitant cum illo tyranno, & tortore commercia in euangelica libertate, & splendore veræ fidei vbique coruscante?

[a] leg. rem operatū.

[b] l. 28. c. 2 & l. 2. c. 53.

V. *Prophetarum minæ in Iudæos.* Hoc tempore pergunt Sophonias, & Ieremias maxime. populo parū fideliter ad Deum conuerso minas inculcare de aduentu Chaldæorum, & interitu Reipub. ab eis imminente.[c] *Ecce ego adducam super vos gentes de longinquo domus* Israel, *ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quasi sepulchrum patens vniuersi fortes. Et comedent segetes tuas,& panem tuum: deuorabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregem tuum,& armenta tua, comedet vineam tuam,& ficum tuam,& conteret vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio.* His terrendi erant, qui pro stupore suo, terrena hæc tantum damna, sentiebant.

[c] vt c. 5. v. 15.

VI. *Qui eorum tunc mores.* Neque mirum has isti populo intentari, ac prædicari minas. Nam non obstāte fœdere, plerique adhuc colebant Baal, & faciebant placentas reginæ cœli [d] Propheta enim accusat populum, quod non solum pergeret adhuc furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, sed etiam libare Baalim, & ire post deos

[d] vt patet ex c. 7. v. 9.

alteros, & nihilominus venirent impudenter, & starent coram Domino in tẽplo, illudque redderent speluncam latronum: ideoque subdit. [a] *Faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam sicut feci Silo, & projiciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, vniuersum semen* Ephraim. Sed mirum est indicium diuinæ indignationis quod subdit. [b] *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.*

a v. 14.

b v. 16.

Sed huius rei causa quæ sequitur, omnem superat admirationem. *Nonne vides quid isti faciant in ciuitatib. Iuda, & in plateis* Ierusalem? *Filii colligunt ligna, & patres succẽdunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam prouocent.* Omnes videlicet certatim volunt perfidiæ aduersum me fieri participes, & in contemptum mei sacrificia offerre dæmonibus. Sed vbi? non in obscuris viculis, sed in ciuitatibus Iuda, nec in illis tantum, sed in sancta etiam ciuitate Ierusalem; nec solũ in Ierusalem, sed etiam in plateis Ierusalem? Et quidem sub Iosia rege ad cuius tempora Acastro, aliique interpretes hoc caput, & aliquot sequentia pertinere fatentur. Quid aliud sub Achaz, aut Manasse fieret? An dicendum totum populũ adeo fuisse corruptum, vt eum Iosias punire non valens, gemere apud Dominum, & tacere coactus fuerit? an potius hæc fiebant quidem in furnis publice, sed intentione occulta, quam propheta prodit, & propalat? vt desistant sacrilegè facere, quod occultè facere non possunt.

VII. *Cultus idolorum an publicus sub Iosia.*

ANNVS MVNDI 3415. QVINTAE AETATIS 476. FVNDATI TEMPLI 393. IOSIÆ REGIS IVDÆ 21. HELCIÆ PONTIFICIS 21. IEREMIAE 9. NABOLASSARIS 8. QVI ET 16. IMP. BABYL. 82. OLYMP. XXXV. AN. 2. ANCI MARTII 1. VRBIS CONDITÆ 114.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 638.



CENTESIMVS decimus quartus Vrbis annus, nouum vidit in vrbe Regem Ancum Marcium, transactis iam ab eius ortu 28. Olympiadibus cum dimidia. De cuius inauguratione hæc habet Dionysius. *Post Tulli Hostilii obitum interregum Magistratus, à Senatu more patrio designatus, Regem vrbi legit Marcium cognomento Ancum: cumque SC. approbasset populus, & fausta deus signa ostendisset, Marcius omnibus rite peractis, capessit imperium, anno secundo trigesimæ quintæ Olympiadis, qua vicit Sphærus Lacedæmonius, quo tempore Athenis annuum principatum gerebat Damasias.* In anno vrbis conditæ consentit etiam Onuphr. cum tamen chronologia Dionysii, quam nos sequimur, vno anno soleat antecedere. Cum autem scribat Plutarchus in Numa, Ancum Marcium à Numa moriente quinquennem relictum, consequens est eum 37. annos natum imperii Romani administrationem adiisse.

I. *Ancus Marcius regnum init.*

Cvmqve ab ipso regni principio omnium animos à bellis ad quietis, & pacis studia excitasset, conuocatis pontificibus sumptos ab eis commentarios, quos Numa de sacris conscriptos reliquerat, transcripsit in tabulas, & in foro quibuslibet legendas proposuit, quæ tandem vetustate sunt abolitæ. Nondum enim in vsu erant columnæ æreæ, sed in quernis tabulis incidebantur, tam leges, quam sacrorum ritus, quæ tabulæ post exactos reges rursum in publicum vsum reuocatæ sunt per C. Papirium summum pont. Eadem fere habet Liuius, qui Albũ vocat hasce tabulas, quas Dionysius δέλτους, Athenienses κύρβεις appellabant,

II. *Eius prima instituta.*

vt alio quoque loco significauimus (anno vltimo Numæ) meminerunt Athenæus, Plutarchus in Solone, & Aristoteles.



## ANNVS MVNDI 3416 QVINTAE AETATIS 477.

FVNDATI TEMPLI 394. IOSIÆ REGIS IVDÆ 22.
HELCIÆ PONTIFICIS 22. IEREMIÆ PROPHETÆ
10. NABOLASSARIS 9. QVI ET 17. IMPERII
BABYL. 83. OLYMPIAD. XXXV.
AN. 3. ANCI MARCII
2. VRBIS CONDITÆ 115.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 637.

I. *Ortus Sedeciæ.*



VIGESIMVM primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpisset, [a] ex quo infertur eum 22. anno regni Iosiæ patris sui, ætatis trigesimo natum fuisse; hinc enim ad primum regni Sedeciæ annum, vnus & viginti anni nnmerantur; sic vt primus Sedeciæ regni sit 22. ætatis eiusdem Natus est autem ex Amital filia Ieremiæ, quæ iam pepererat Iosiæ alterum filium nomine Ioachaz; alterum porro nomen ei in circumcisione inditum fuit Matthanias. [b] Nam notius illud Sedeciæ nomen, ei à Nabuchodonosore cum regno datum fuit, vt suo loco dicetur. Illud autem hoc loco non omittendum, hunc esse annum Sabbaticum ordine centesimum decimum nonum.

[a] vt dicitur 4. Reg. 24. 18.

[b] 4. Reg. 24. 17.

II. *Bellum cũ Latinis.*

FASTI consulares Onuphrii bellum latinum renouatum sub Anco Marcio in annum quartum regni eius coniicere videntur; sed nos Dionysium secuti tempus anteuertimus. *Vix*, inquit, *regnare cœperat, & tranquillam instituere Rempublicam, cum Latini eum contemnentes, & ob ignauiam bello administrando ineptum esse iudicantes, latronum globos in finitimum quemque agrum dimiserunt*, multosque Romanorum læserunt, ad quos cum missi à Rege legati frustra essent: Marcius contra eos educit exercitum, obsessamque vrbem (Politorium Liuius quoque appellat) priusquam è cæteris Latinorum oppidis auxilia succurrerent, ex pacto cepit, ciuesque vniuersos nullo affectos incommodo, nec bonis suis mulctatos cum rebus suis Romam traductos, per curias distribuit. Anno insequenti cum Latini missis Politorium colonis desertos agros colere instituerent, Marcius resumptis armis in eos tetendit, ausosque in aciem prodire vicit prælio, iterumque cepit oppidum. Incensis deinde domibus, & muris dirutis, ne esset hosti receptaculum domum copias reduxit. Hæc Dionysius, qui & alia rursum prælia, quæ ad sequentes annos pertinent, subiungit.

ANNUS MUNDI 3418. QUINTÆ AETATIS 479. FUNDATI TEMPLI 396. IOSIÆ REGIS IUDÆ 24. HELCIÆ PONTIFICIS 24. IEREMIÆ 12. NABOLASSARIS 11. QUI ET 19. IMPERII BABYL. 85. OLYMPIADIS XXXVI. AN. 1. ANCI MARCII 4. URB. COND. 117.

## ANNUS ANTE CHRISTUM. 635.



OLYMPICO in stadio victor hoc anno euasit Phrynon Atheniensis: sed alio in certamine succubuit, cum singulari certamine cum Pittaco pugnaret, vt est in sæpius citato Olympionicarum catalogo, ex Diogene Laërtio, in vita Pittaci Mitylenæi. *Cum*, inquit, *de agri Achilitidis possessione inter Athenienses & Mitylenæos armis decerneretur, Imperator ipse exercitus cum Phrynone Atheniensium duce, qui Olympionica pancratiastes fuerat, singulari certamine pugnare instituit. Rete igitur clypeo tegēs, eo Phrynonem incautum inuoluit, ipsoque perempto agrum seruauit.* Ex quo intelligas hūc sapientem etiam bello fortem fuisse. Nam eodem teste Diogene Melanchrum Lesbi tyrannum cum Alcæi fratribus profligauit. Apparet autem hæc posterius contigisse; quomodo enim Pittacus, qui decimum sextum nunc tantum agebat annum, imperator exercitus à suis ciuibus eligeretur: natus enim traditur trigesima secunda Olympiade ineunte. Itaque de Pittaco alius erit magis idoneus agendi locus: sicut & de Dracone Atheniensium legislatore, qui male apud Eusebii interpretem ad hanc Olympiadem ex Tatiano refertur, cum pertineat ad trigesimam nonam, vt ibi dicetur. I. Olympias 36. Pittacus Mitylen.

INCIDIT autem in hunc vigesimum quartum Iosiæ annum nobilissimæ Heroinæ Iudithæ mors. Cum enim sexto Ezechiæ regis anno eam natam dixerimus, qui fuit Mundi 3314. necesse est, vt hic annus sit vitæ eius centesimus quintus: ad quem vsque, vitam honorifice produxisse, in extremo eius libro testatum reperitur: & ad quem vsque occiso Holoferne pax magna Iudæis fuit: sic que impletur illud, quod in extrema eius historia scriptum est. * *In omni autem spatio vitæ eius non fuit, qui perturbaret Israel.* Quod autem dicitur, *& post mortem eius multis annis*, septem totis annis qui ad Iosiæ mortem reliqui sunt, cum Bellarmino definimus. Eo enim numero passim in scriptura multitudo significatur. At, inquies, mansisse dicitur in domo viri sui annos centum & quinque. Ergo si antequam nuberet, & veniret in domum viri sui decimum quintum agebat annum, non centum & quinque, sed centum & 20. annos vitæ expleuisse dicenda erit, sicque omnis chronologia, quæ ipsam tangit, perturbabitur. II. Mors Iuditha. Ratio temporis. *c. 16. v. 30.

DICENDUM est nihilominus Iuditham non superasse viuendo annos centum & quinque. Nec alia est vis eorum verborum, *mansit in domo viri sui annos* 105. quam vixisse in domo viri sui, vsque dum peruenisset ad centesimum & quintum vitæ suæ annum; vnde & in græco legitur, *& senuit in domo viri sui annos centum quinque*, vbi illud *Mansit* D. Hieronymi per *senuit*, explicatur. Itaque versio Vatabl. sic habet. Processit ad claritatem eximiam, donec in domo viri sui ad centesimum quintum annum ætatis peruenit: & ita sentit Bellarminus lo. cit. & Gretserus ibidem. & Serar. in eum locum Iudith, proque ea veritate laudat Diuum Athanasium in Synopsi. Sulpitium Seuerum, l. 2. histor. Raban. & Zonaram quibus recentiores chronologi passim assentiuntur: fuitque hic annus 73. ab obtenta victoria. III. Quandiu vixerit in mariti domo.

DEFUNCTA vero, sepulta est cum viro suo in Bethulia, siue in agro Pethu- IV. Eius sepultura.

lienſi. Nam c. 8. in Græco dicitur Manaſſes obiiſſe in Bethulia, & ſepultus cũ patrib. ſuis, in agro, qui inter Dothaim, & Belamon. Sic Tobias ſenior voluit vxorẽ ſuam circa ſe in vno ſepulchro ſepeliri [a] imitatus Abrahamum, qui & ipſe cum Sara vxore ſua ſepultus eſt. [b] Iſaac quoque cum Rebecca. [c] Et Iacob cum Lia. [d]

*Et populi luctus.* *Luxit* autem Iuditham *omnis populus diebus ſeptem*. Non immemor accepti ante duos & ſeptuaginta annos beneficij: quia nimirum propria ſolennitate eius victoriæ memoria fuerat poſteritati conſecrata, & in numero ſanctorum dierum accipiebatur, & colebatur à Iudæis ex illo tempore. *Feſtum victoria Iudithæ.* In Calendario Hebræorum ponitur ille feſtus dies 25. menſis noni, qui Caſleu dictus eſt, in quem etiam diem dies dati ignis, & dies Encæniorum Machabæi dicitur incidiſſe, vt alibi notauimus. [e] Notauit & Sigonius, [f] Torniel. [g] & Genebr. in Pſalmos. At Serar. [h] ait Æthiopicam Eccleſiam feſtum Iudithæ celebrare 4. menſis ſexti, qui dicebatur Elul, ſiue is eſſet dies mortis eius, ſiue victoriæ.

V. *Patrum de eius ſanctitate teſtimonia.* Ecclesia autem Romana natalis Iudithæ in Martyrologio non meminit, quod eum diem notatum non inuenerit. De eius tamen ſanctitate minime dubitauit, ſicut nec antiqui patres, quorum *Clemens.* Clemens Alex. [i] vocat eam *conſummatam*, ſiue perfectam *in mulieribus*. *Orig.* Orig. [k] *Magnificam, & omnium fœminarum nobiliſſimam*. *Ambroſ.* Ambroſ. [l] *Mirabilem fœminam*. *Fulgent.* S. Fulgent. [m] *Sanctam viduam*, ſæpius appellat, *præclaram natalibus, facultatibus diuitem, ætate iuuenem, ſpecie mirabilem, diuitiarum contemptricem, delicias reſpuentem, carnis incentiua calcantem, & indutam virtute ex alto*. D. Ambroſ. l. de viduis. *Diuturnis mœroribus, & quotidianis roboratam ieiuniis ſanctam Iudith*. *Auguſt.* D. Auguſt. [n] *Sanctiſſimam Iudith, cuius precibus patuit cœlum, quæ orationis arte arma victricia fabricauit*, & infra. *Ecce glorioſa fœmina caſtitatem ſeruauit oratio*. *Chryſoſt.* D. Chryſoſt. hom. 9. ex variis. *Sanctiſſimam Iuditham, quæ dum æſtiua vultus ieiunium texit, de hoſte triumphum, ac victoriam reportauit*. *Tertull.* Tertul. l. de Monog. c. 17. *Nec Iudith*, inquit, *filia Merari, nec tot alia exempla ſanctorum*. *Caniſ. &c.* Caniſ. [o] *Hæc eſt ſancta, & ſeculis omnibus celebrãda Iudith*; & omnes Catholici recentiores vno cõſenſu.

VI. *Fuit typus Eccleſiæ.* Sed quid mirum nobiliſſimam fœminam ſanctam audire, atque ſanctiſſimam, quæ ſanctiſſimæ Euangeliæ ſponſæ Chriſti, vt fatetur S. Hieronymus, typus fuit? [p] *Et Beatiſſima virg.* Quæ ſanctiſſimam quoque Dei matrem multipliciter repręſentauit? Non potuit illa quidem eò aſpirare, vt virgo eſſet, & mater; eò tamen peruenit, vt inter omnes mulieres, multis licet appetita procis, viduitatis gloria diutiſſime, atque adeo ipſos ſeptuaginta quinque annos, celebraretur.

Iudith impij & blaſphemi Holofernis caput truncauit, & in eo vniuerſas Aſſyriorum turmas in pauorem, & fugam, & internecionem dedit. B. Virgo tartarei Holofernis contriuit caput, iuxta diuinum ab ipſo rerum exortu de ea editum oraculum: & cunctas hæreſes in vniuerſo mundo ſola interemiſſe quotidie prædicatur.

VII. *In victoria, & priuilegiis.* Vna *mulier Hebræa confuſionem fecit in domo regis Nabuchodonoſor*, vt dicebat impurum illud nequitiæ mancipium Vagao, quem vehementer pudebat, quod vna muliercula potentiſſimum illius militiæ principem, totius terroris orientis, ſingulari certamine, ſuomet gladio, ſine vulnere, quaſi ludibunda proſtrauiſſet. [q] Qui luctu perditus tabeſcebat Hebræorum Deum vires dediſſe imbellibus, & imbecillis, armaſſe inermes ſiti faméque enectis, pingues & electos bellatores mactandos tradidiſſe; & quod difficillimum fuit, pudicitiam è mediis impudicorum luſtris, intaminatis fulgentem honoribus, & opimis ſpoliis triumphantem reuexiſſe. At Hebræa Virgo beatiſſima, in orbe terrarum, ſummi regis domo, priuilegiis ſuis omnes naturæ leges permiſcuit, atque confudit, cum vt cætera omnia ſileantur, facta ſimul virgo & mater, facta quoque eſt,

*Vna Dei pariter filia, ſponſa, parens.*

VIII. *Pulchritudine prudent. &c.* Audivit Iudith, ab exercitu Holofernis, *Non eſt talis mulier ſuper terram, in aſpectu, in pulchritudine, & in ſenſu verborum*, Et rurſum, *In domo Nabuchodonoſor magna eris, & nomen tuum memorabitur in vniuerſa terra*. Audit Maria ab Eccleſia Dei, in ſuis perpetuo laudibus. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis; ſpecioſa, & ſuauis facta es in deliciis tuis ſancta Dei genitrix*. *Mediatrix ſalutis vtraque.* Ipſa quoque magnificans Deum ait, *beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen eius*.

Fecit ſibi Iudith ſecretum cubiculum, in quo clauſa morabatur, ieiuniis, pœ-

[a] c. 14. 12. & c. 4. 5.
[b] Geneſ. 25. 10.
[c] Gen. 49. 31.
[d] Ibid. & 50. 13
Ann. Mun 3546. nan. 9.
[e] An mun 3144. num. 749.
[f] in l. 3. Reip Hebr. c. 18.
[g] Sextæ æt. an 126.
[h] In c. 16. q. 9.
[i] l. 4. Strõ. c. 6.
[k] Hom 9 in Iud
[l] l. 3 de Off. c 13.
[m] Epiſt. 2. c. 14.
[n] Serm. de tempore 118.
[o] l. 1. c. 2. de beat. virg.
[p] Prolog. in Sophon.
[q] Vide S. Fulbert. Carnot.

nitentiæ, & orationi vacans: salutem populo suo postulans gemitibus inenarrabilibus: cuius etiam facta est mediatrix. Clausam in cubiculo suo virginem inuenit angelus, iisdem vtique armis populo conciliantem Deum, & salutem mundi postulantem; cuius etiam facta est, & fiet vsque ad finem seculi mediatrix.

VTRAQVE nobilis, vtraque longæua, vtraque famosissima. Illa sæpius audiuit, ista in æternum audiet. *Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram, quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum. Benedicta tu à Deo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit no-*
c. 15. 10. *men tuum, magnificabitur super te Deus Israel.* Et iterum. *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter & confortatum est cor tuum.* In Beatissimæ Virginis laudibus, quamuis iis pleni sint omnes sanctorum libri, qui sedecim pene seculis toto orbe floruerunt, illud tamen vsurpari potest, immensam eius dignitatem, & ornamenta, si scribantur per singula, nec ipsum mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.

VIDEBIMVR autem non parum officio nostro defuisse, nisi gloriosissimæ quoque viduæ sepulchrum hoc epitaphio decoremus.

SANCTAE IVDITHAE HOC MONVMENTVM EST, VIATOR, QVOD OMNES EI CERTATIM POSVERE VIRTVTES, OMNIA CORPORIS, ANIMIQVE ORNAMENTA; QVAE ADVERSVS TOT ARMATORVM MILLIBVS CINCTAM IMPIETATEM, ARMATA, VICTORIAM REPORTARVNT OMNI LAVDE, AC PRAEDICATIONE MAIOREM. HAEC EST QVAE MELLITAM LINGVAE FACVNDIAM, QVAE ANGELICAM FACIEI DIGNITATEM, QVAE FVLGVRANTES OCVLOS, QVAE FRONTIS HILARITATEM, QVAE GENARVM PVRPVRAM, QVAE CORALLINA LABIA, QVAE TOTIVS ORIS MAIESTATEM IN ARMA ET SAGITTAS CONVERTIT, QVIBVS BARBARVS CAPERETVR FVROR, ET IRRITA POTENTIA STERNERETVR.

HÆC EST ILLA IVDITH, QVAE CVM ESSET FORMAE PRODIGIVM, EXTITIT NIHILOMINVS MIRACVLVM CASTITATIS, QVAM IEIVNIIS, PRECIBVS, OMNIQVE CORPORIS AFFLICTIONE ITA COLVIT, ITAQVE ADAMAVIT, VT CVM AETATE FLORERET, CARERET LIBERIS, DIVITIIS ABVNDARET ET GLORIA, IPSOS LXXV. ANNOS COELEBS, ATQVE INTAMINATA FVLGERET. VIXIT A PROSTRATA HOLOFERNIS SVPERBIA, ET CONCVSSO BABYLONIORVM IMPERIO, ANNOS DVOS ET LXX. OMNINO AVTEM PERVENIT AD CENTESIMVM QVINTVM. ORTA EST EZECHIÆ ANNO SEXTO, MORTVA IOSIÆ VIGESIMO QVARTO. DC. AVTEM ET XX. ANTE ORTVM GLORIOSISSIMÆ DEIPARÆ, CVIVS EGREGIVS TYPVS FVIT.

EXISTIMAMVS hoc anno Medulliam oppidum, à Latinis contra Romanos occupatum, quantum ex Dionysio colligere possumus. Primo enim regni
ὡς δὲ τὸ ἅμα, &c. sui anno Ancus Marcius cum primum regno inauguratus est, Rempubl. constituit, religionis & agriculturæ studium instaurauit; Vix dum autem regnare cœperat, cum eum Latini ad arma sumenda perpulerunt, vt ait idem scriptor, quod ego de secundo anno regni eius interpretor. Anno insequenti, id est tertio iterum contra Latinos circa Politorium fœliciter pugnauit. Secutus est annus quartus in quo versamur, quo Latini exercitum ad Medulliam admouerunt, vbi se Romanorum coloni futuro bello parabant, & facto vndecumque in muros impetu, oppidum vi capiunt. Quo ipso tempore vice versa rex Marcius Tellenas nobile Latinorum oppidum vi cœpit; acie primum, mox oppugnatione victor. Oppidanos, nulla bonorum portione mulctatos, Romam transtulit, & lo-

cum in quo domicilia struerẽt assignauit. Idem cum Ficanæ oppidanis factum. Secutus enim rex, vt ait Liuius morem regum priorum, qui rem Romanam auxerant, hostibus in ciuitatem accipiendis, multitudinem omnem Romam traduxit. Et cum circa Palatium sedes veteres Romani, Sabini Capitolium, atque arcem, Cœlium montem Albani impleßent, Auentinum nouæ multitudini datum. Dionysius addit Medulliam per triennium à Latinis detentam, quarto demum anno à rege Marcio, octauo, aut ad summam nono regni eius anno recuperatam. Ergo ea de re posterius dicendum erit.



ANNVS MVNDI 3419. QVINTAE AETATIS 480. FVNDATI TEMPLI 397. IOSIÆ REGIS IVDÆ 25. HELCIÆ PONTIF. 25. IEREMIÆ PROPHETÆ 13. NABOLASSARIS 12. QVI ET 20. IMPERII BABYL. 86. OLYMP. XXXVI. AN. 2. ANCI MARCII 5. VRBIS CONDITÆ 118.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 634.

I. *Ortus Ioachini nepotis Iosiæ.*




NASCITVR hoc anno Ioachinus filius Ioacimi primogeniti Iosiæ, qui post patrem regno vitaque spoliatum, regni miserias potius, quam delicias mensibus aliquot degustauit. Nam cum octodecim esset annorum cum regnare cœpit [a] & totidem à 25. Iosiæ ad vltimum Ioacim numerentur, hoc anno qui erat 33. vitæ Iosiæ aui ipsius, & 19. Ioacim patris eius, natum fuisse oportet. Vocatur autem hic Ioachinus, Iechonias, 1. Paral. 3. 16. *De Ioakim,* inquit, *natus est Iechonias, & Sedecias;* qui successione filius fuit non natura, vt qui eius patruus esset *filij Iechoniæ fuerunt Asir, Salathiel,* &c. Matthæi quoque 1 hic ipse Ioachinus Iechonias dicitur, & Salathielis pater. Ieremias etiam [b] Iechoniam appellat filius Ioakim, regem Iuda. 4. tamen Reg. [c] & 2. Paral. [d] Ioachinus appellatur.

a Vt dicitur 4 Reg. 24. 8.
b c. 27 30.
c 24. 6.
d 36. 8.

II. *Daniel an hoc anno natus.*

PERERIVS in præfatione in Danielem putat eundem prophetam hoc anno natum, quippe quem vult decennem circiter abductum in captiuitatem. At multo iuniorem etiam fuisse tum Epiphanij authoritas, qui eum in ipsius vita dicit pusionem infantem in captiuitatem venisse, tum rerum gestarum ratio, præsertim iudicium Susannæ requirit; Ideoque Torniel eius ortum ponit anno regis Ioachim primo, quod probabilitatis multum habet, vt eo loco dicemus. Eum certe S. Cyrillus, & Eusebius differunt ad Olympiadem quadragesimam secundam.



ANNVS MVNDI 3422. QVINTAE AETATIS 483. FVNDATI TEMPLI 400. IOSIÆ REGIS IVDÆ 28. HELCIÆ PONTIFICIS 28. IEREMIÆ 16. NABOLASSARIS 15. QVI ET 25. IMPERII BABYL. 89. OLYMP. XXXVII. AN. 1. ANCI MARCII 8. VRBIS CONDITÆ AN. 121.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 631.



TRIGESIMA septima Olympiade Euryclidas Laco in stadio palmam tulit. Quod de ordinariis, & legitimis athletis accipiendum est. Nam Pausanias, Puerorum certamina, inquit, [a] nullo veteris memoriæ exemplo arbitratu suo instituerunt Elei. Ac primum quidem de cursu & lucta septima & trigesima Olympiade pueris proposita præmia. Luctæ Hipposthenes Lacedæmonius, cursus palmam accepit Polynices Eleus. Quin & de Hipposthene additur in catalogo Olympionicarum, eum quinque deinceps Olympiadibus sequentibus, vna excepta, viros lucta superasse. [b] Pausanias autem in Laconicis ait Hetoemocli, & patri eius Hippostheni contigisse, vt victores de lucta in Olympicis ludis declararentur, ad palmam vndecimam vterque. Patrem tamen filio vna fuisse superiorem. Itaque diuini honores oraculi monitu illi habiti sunt, vt idem ait. [c]

(I. *Olympias 37. Puerorum certamina. Hipposthenes.*)

(a l. 5. p. 115 Gr. Vide tamen Olymp. 26. — b l. 3. p. 95. Gr. — c Ibi. p. 97)

AD hanc Olympiadem Eusebius Myrthæum, seu potius Tyrthæum vatem Atheniensem refert, quem Pausanias vocat ludimagistrum, qui neque satis mente valere credebatur, & altero pede claudicabat; qui collapsos Laconum animos in pugna contra Messenios, recitatis elegis renouauit ad bellum. Pausanias in Messenicis. [d]

(*Tyrthæus.*) (d l. 4. p. 116. Græ.)

OCTAVO Anci Marcij anno Tarquinius, quem Lucumonem appellat Liuius, Demarato Corinthio genitum, ex Etruria cum tota familia Romam migrauit: cuius deinde posteritas semel iterumque Romæ principatum obtinuit. Hic Tarquinius, cum apud suos ad Reipubl. administrationem non admitteretur, sub annum ætatis vigesimum quintum, Anci Marcij octauum, vt scriptum reliquit Licinius, antiquus Romanæ scriptor historiæ, cui Dionysius subscribit, [e] in regis se familiaritatem insinuauit; cui fortitudinem ac fidem suam ita probauit, vt nono Anci anno, ad bellum Latinum magister equitum missus sit, Gellio & Licinio authoribus, reliquisque deinde annis Marcij, eius gratia potitus, eidem etiam post annos decem & septem in regno successit, vt suo loco dicetur.

(II. *Tarquinius Romam migrat.*) (e l. 4. p. 211. Græ. Lat.)

INTEREA Hierosolymis pietas, annitente Iosia, Helcia, Ieremia, Sophonia, cæterisque pietatis columnis, late florebat. Nam ad hos annos illa pertinent. [f] *Cunctis diebus eius non recesserunt à Domino Deo patrum suorum.* Quod sine dubio de externa & publica idololatria intelligendum est. Nam priuatim familias totas sacrificasse reginæ cœli, iam supra ex c. 7. Ieremiæ demonstratum est. Eodem pertinent illa ex c. 8. vbi quæritur de obstinata populi auersione. *Et dices ad eos*, inquit, *hæc dicit Dominus, Nunquid qui cadit non resurget, & qui auersus est non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? Apprehenderunt mendacium*, id est idololatriam. [g] *Et noluerunt reuerti. Attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur. nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum*, consueta scilicet peccata, *quasi equus impetu vadens ad prælium.*

(III. *Idololatria tempore Iosiæ primarium.*) (f 2. Par. 34. 33 & ca. 35. 20. 21. — g Hieron.)

ET alibi. [h] *Abierunt post prauitatem cordis sui, & post Baalim, quod didicerunt à patribus suis.* Et vt intelligamus eos adhuc in ea impietate pertinaciter perseuerare

(IV. *Ex Ieremia, Sophonia, &c.*) (h c. 9. 14.)

subdit. *Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, ecce ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis. Et dispergam eos in gentibus, quas non nouerunt ipsi, & patres eorum, & mittam post eos gladium, donec consumantur.* Et rursum. [a] *Et ibunt ciuitates Iuda, & habitatores Ierusalem, & clamabant ad deos quibus libant.* Hebr. *suffitum edunt*, in præsenti 70. θυμιῶσι, *& non saluabũt eos in tempore afflictionis eorum*, Indicium autem perseuerantis malitiæ est, quod quasi perditi, & desperati iam essent, vetat Dominus prophetam pro eis orare, *quia non exaudiam*, inquit, *in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum.* D. Hierony. in c. 1. Sophon. v. 2. ait tempore Iosiæ populum in malitia perseuerasse. Et sapiens [b] vocat hoc Iosiæ tempus, *dies peccatorum.* Cum ait ipsum in diebus peccatorum corroborasse pietatem, & Sophonias vocat hunc populum, *viros defixos in fæcibus suis.* [c]

a c. 11. 12. b Eccli. 49. 4. c c. 1. 12.


V. Iudæorum ficta conuersio.

A Castro in hunc locum, in ea verba, *coniuratio in viris Iuda*, ait Deum à Tempore Manassis noluisse propitiari, sed in eadem perstitisse voluntate perdendi Ierusalem, & regnum Iuda, quia ne tempore quidem Iosiæ vere ad Dominum conuersus fuerit, sed in eadem mente perseuerarit, licet eam regis metu non proderet. Denique c. 16. 10. Alloquitur Dominus Ieremiam. *Cum annunciaueris*, inquit, *populo huic omnia verba hæc, & dixerint tibi. Quare locutus est Dominus super nos omne malum grande istud? quæ est iniquitas nostra, & quod peccatum nostrum, quod peccauimus Domino Deo nostro? Dices ad eos, quia dereliquerunt me patres vestri, ait Dominus, & abierunt post deos alienos, & seruierunt eis, & adorauerunt eos, & me dereliquerunt: & legem meam non custodierunt. Sed & vos peius operati estis quam patres vestri: ecce enim ambulat vnusquisque post prauitatem cordis sui mali, vt me non audiat*, si peius operati sunt quam patres eorum idolololatræ, oportet vt præter idololatriam etiam alia peccata quasi epimetron addiderint, vt periurium, & hypocrisin: sed & pœna quæ subditur, eiusdem idololatriæ testis est. *Et eyciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis vos & patres vestri*, nullum enim vulgo commercium inter Hebræos & Babylonios: nec ad istos quisquam Iudæorum adhuc translatus fuerat. *Et seruietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Permissurus est Dominus vt peccatum sit pœna peccati, & qui sponte pro sua libidine idolis seruiunt, eis vel inuiti seruire cogantur.

VI. Et in Ieremiam coniuratio.

Tantum autem abest vt resipiscerent, & serio ad Deum conuersi, pœnitentiam agerent, vt etiam Ieremiam, eis Dei iussu ventura mala prædicentem, interficere hoc ipso tempore voluerint. Ligno lethifero inficiendo cibum eius. Quod cum illi molirentur, Deus ei cõsilia eorum, & malitiam manifestauit; quę est sententia istorum verborum, [d] vt fuse docet à Castro, & Sanctius in hæc verba. *Tu autem Domine demonstrasti mihi, & cognoui, tunc ostendisti mihi studia eorum. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognoui quia cogitauerunt super me consilia.* Quasi dicat, cum essem inter ciues meos, nesciens quid in me molirentur mali, tanquam agnus ducebar ad victimam. Interea illi dicebant. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Hæc autem historicè ad Ieremiam pertinere, qui tamen simul Christi personam sustineret, aperte docent, quæ sequuntur. *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anatoth, qui quærunt animam tuam, & dicunt non prophetabis in nomine Domini*, mala scilicet quæ me iubente denuncias contra Ierusalem euentura, *& non morieris in manibus nostris.* Sed Deus irritas fecit eorum minas, & eas in eorum capita conuertit: quod ibidem consequens prophetæ oratio demonstrat.

d c. 11. 18.



ANNVS MVNDI 3423. QVINTAE AETATIS 484. FVNDATI TEMPLI 401. IOSIÆ REGIS IVDÆ 29. HELCIÆ PONTIF. 29. IEREMIÆ PROPHETÆ 17. NABOLASSARIS 16. QVI ET 24. IMPERII BABYL. 90. OLYMP. XXXVII. AN. 2. ANCI MARCII 9. VRBIS CONDITÆ 122.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 630.



NONVS Romanorum regis annus, qui Iudæis erat Sabbaticus, ordine centesimus ac vigesimus, Romanis, Latinis, Fidenatibus, Sabinisque inter se pugnantibus non parum cruenta fuit. Primum cum Latinis ad Medulliam bellum fuit. Cum enim eam vrbem Romanis ademptam quartum iam annum Latini retinerent, Marcius ad eam recuperandam omnes vires intendit. Audi Liuium. *Postremo omni bello Latino Medulliam compulso, aliquandiu ibi marte incerto varia victoria pugnatum est. Nam & vrbs tuta munitionibus erat, validoque firmata præsidio, & castris in aperto positis, aliquoties exercitus Latinus cominus cum Romanis signa contulerat. Ad vltimum omnibus copiis connixus Ancus, acie primum vincit. Inde ingenti præda potitus Romam redit: tum quoque multis millibus Latinorum in ciuitatem acceptis.* Paulo distinctius Dionysius. Cum enim dixisset Medulliam multis & acribus præliis expugnatam, Latinisque ereptam fuisse, subdit Latinos cum Romanis duobus præliis concurrisse; in priore cum diu æquo marte pugnatum esset, neutrò inclinante victoria, dirempto prælio in sua vtrosque castra digressos fuisse. Posteriore Latinos à Romanis egregie superatos, & ad castra compulsos. — I. *Marcius pugnat cōtra Latinos. Medullia.*

ADDIT autem post has pugnas nusquam acie certatum esse, excursiones tantum vltro citroque in finitimos agros factas, equitesque ac velites agrum obeuntes crebro conseruisse manus, plerumque superante Romano, quod opportunis locis disposita haberet præsidia, quibus Tarquinius genere Etruscus præerat. Et videtur quidem Liuius significare bellum contra Latinos hoc tempore terminatum: Dissentiente vtique Dionysio, [a] qui aliquanto post ait bellum cum Romanis Sabinisque compositum, quibus conditionibus Sabini voluere, quod Romanis adhuc cum Latinis ciuitatibus bellum intercederet. Sed Liuius ad posteriora Romanorum tempora festinans, multa quæ sunt antiquioris memoriæ prætermittit, quæ Dionysius diligenter exponit, qui hoc ipso tempore Fidenates à Romanis defecisse, domitosque tradit. — II. *Diutius id propagatū.* — a l. 3. p. 180. 181. gr. lat.

CVM tamen se Romanis longe impares sentirent, non sunt ausi aperte se hostes profiteri, sed occultis excursionibus agrum eorum infestabant; contra quos Marcius cum expeditis profectus, contra oppidum castra posuit. At illi nescire se simulantes, quærebant ob quam iniuriam suam venisset Romanus exercitus. Rege respondente, vt rapinarum, damnique suis illati pœnas de ipsis sumeret. Illis negantibus quidquam publico factum consilio aduersum Romanos, tempusque ad eam causam cognoscendam, noxiosque perquirendos petentibus, concessum est. Quod illi cum in armorum apparatu, auxiliisque clam euocandis ponerent, contra simulatores dissimulanter etiam egit Marcius. Cuniculos enim à castris ad mœnia vsque hostium agi iussit: quo opere perfecto, comparatisque scalis, & machinis ad muralem pugnam necessariis, excitum militem admouit ad auersam partem mœnium, non quà cuniculus actus fuerat. Quò Fidenatibus vniuersis concurrentibus, & hostium assultum strenue repellentibus, Romani aperto cuniculo se intra mœnia infuderunt, & per effractam portam suos intromiserunt, à quibus cum plurima cædes iam facta esset, Rex — III. *Bellum contra Fidenates.*

per præconem reliquos in vnum locum conuocat, armis spoliat, defectionis authores virgis cæsos supplicio afficit, vrbem militi diripiendam tradit, relictoque in vrbe præsidio, contra Sabinos ducit exercitum.

IV. *Sabinosque.* SABINI enim fœderis cum Tullo Hostilio initi parum memores, finitimos Romanorum agros vexabant latrociniis; quos Marcius egregiè castigauit, atque compescuit. Nam per speculatores, & transfugas temporis opportunitate cognita, palantibus per agros Sabinis, & in prædam intentis, ipse cum peditatu castra eorum modico præsidio munita occupat. Tarquinius interim cum equitibus, vt iussus erat, in dispersos prædatores citato cursu properat. Quo agnito *Subsecuta pace.* Sabini omissa præda ad castra sua confugiunt, quæ cum à Romano pedite occupata cognouissent, consilij inopes ad syluas, montesque fuga se contulerunt; sed eos assecutus equitatus plurimos interfecit, pauci incolumes euaserunt. Post quam nihilominus cladem, missis denuo Romam legatis, pacem non difficiliter impetrarunt. Nam bellum quod Romanis adhuc cum Latinis ciuitatibus intercedebat, cogebat eos vel pacem, vel inducias habere cum cæteris aduersariis. Hæc ex Dionysio.

ANNVS MVNDI 3424. QVINTAE AETATIS 485. FVNDATI TEMPLI 402. IOSIÆ REGIS IVDÆ 30. HELCIÆ PONTIFICIS 30. IEREMIÆ 18. NABOLASSARIS 17. QVI ET 25. IMPERII BABYL. 91. OLYMP. XXXVII. AN. 3. ANCI MARCII 10. VRBIS CONDITÆ AN. 125.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 629.

I. *Pharao bellum parat contra Babylonios.*



HOC tempore Pharao Nechao rex Ægypti cum bellum aduersus præpotentem aduersarium Babyloniorum, atque Assyriorum imperatorem moliretur, arma strenue cōparabat, Dei vt ferebat credebātue iussu. Sic enim ille ad Iosiam. *Quid mihi & tibi est Rex Iuda?*[a] *Non aduersum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit.* Sic & Rabsaces iussu Sennacheribi domini sui dicebat Ezechiæ. *Nunquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, vt demolirer eum?* vtique sane: poterat enim minimo negotio, si libuisset, obsistere. Sed ille aliam voluntatem intelligebat, cum diceret. *Dominus dixit mihi; Ascende ad terram hanc, & demolire eam.* [b] Verum hac de re suo loco dictum est satis: de Pharaone autem Nechao plura anno sequenti.

[a] 2.Par.35 20.
[b] 4.Reg 18 25.

II. *Scytharum gesta.* SCYTHAS hoc tempore Palæstinam percursasse author est Eusebius in Olympiade 37. Alludit porro ad historiam Herodoti [c] in Clio. Vbi dicitur, Medos cum Scythis congressos Asiæ imperium amisisse, eoque potitos Scythas in Ægyptum contendisse. *Quibus,* inquit, *iam Syriam Palæstinam ingressis, Ægypti rex Psammitichus occurrens, muneribus, precibusque effecit ne vlterius progrederentur.* Additque Scythas dum regrederentur templum Veneris Vraniæ, quod erat Ascalone, spoliasse, moxque sacrilegij pœnas, immisso diuinitus morbo luisse; tenuisse autem imperium Asiæ annis 28. quo tempore dum non contenti tributis, subditos deprædarentur, hospitio denique à Cyaxare, Medisque accepti, vinóque obruti interempti sunt. Quæ nisi mihi admodum suspecta esse fatear, profecto *Parum certa.* mentiar. Nam Babyloniorum imperium longe magis cum Scriptura quadrat quam Medorum: & videtur Herodotus aliquid ab Ægyptiis, atque Syris inaudisse de hoc prælio, quo Iosias occisus est, remque mox pro arbitratu, vt alia pleraque concinnasse.

[c] l.1 p.20. Græ.

ANNVS MVNDI 3425. QVINTAE AETATIS 486. FVNDATI TEMPLI 403. IOSIÆ REGIS IVDÆ 31. ET VLT. IOACHAZ MENSES 3 HELCIÆ PONTIFICIS 31. IEREMIÆ 19. NABOLASSARIS 18. QVI ET 26. IMPERII BABYL. 52. OLYMP. XXXVII. AN. 4. ANCI MARCII 11. VRBIS CONDITÆ AN. 124.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 628.



4 Reg. 23. 19 2. Par 35. 20. 3. Esd. 1. 25. ALDE luctuosus est, planeque funestus Hebræis hic annus, tristissima regis optimi, religiosissimique cæde, quæ aditum diuinæ vindictæ aduersus Iudam, reliquias populi quondam sui, patefecit. Regis quem populus impius diutius habere non meruit; sed ei præmature sublatus est, ne cui obstinato veniam impetrare non poterat, cum eodem propinqua tempestate periret: néve ipsi quoque à Domino dicendum esset. *Noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Et constat quidem ex aliquot Scripturæ locis, Iosiam in bello contra regem Ægypti occisum fuisse. Sed de belli causa non constat. Iosephus l. 10. ant. c. 6. *Nechaos*, inquit, *Aegypti rex magnis delectibus habitis, copias ad Euphratem duxit contra Medos, & Babylonios, qui Assyriorum imperium euerterant, volens sibi Asiæ regnum quærere.* Ambitio ergo Ægyptio belli causa fuit: de Iosia vero sic pergit. *Cúmque processisset vsque Mendem oppidum ditionis Iosiæ, opposuit se ei, vetans per sui iuris regionem iter contra Medos facere.* Ita ipse. I. *Finis Iosiæ.* *Belli causa Pharaoni.* *Et Iosiæ.*

PROHIBENDI autem transitus causa duplex esse potuit, vel periculum proprium, vel sua cum altero rege amicitia. Existimat enim Abulensis, [a] Adadremmon regem Syriæ Iosiæ fœderatum, bello ab Ægyptio petitum, à rege Iuda transitu fuisse prohibitum, vt suo, amicique regno consuleret; Eam opinionem videtur hausisse Abulensis ex Herodoto, [b] qui Ægyptij regis meminit, quem Necum vocat, Psammitichi filium, eumque ait terrestri acie congressum cum Syris, in Magdolo victoria potitum esse. Apparet propria vocabula de more fuisse vitiata, & Necum pro Nechao, Syros pro Assyriis, Magdolo pro Mageddo fuisse posita. II. *Cur prohiberet transitum Iosias.*

[a] in 4. Reg. 23. q. 41. & 42.

[b] li. 2. sub finem.

SED hæc opinio multum labefactari potest. Primùm quia non contra regem Syriæ ad Libanum, sed Assyriorum ad Euphratem habitantium, profectus est Ægyptius, vt Scriptura testatur. [c] 2 Quia ab occiso rege Syriæ Rasin tempore Achaz, ab Assyriorum rege Theglath-Phalasar, nullus proditur Syriæ rex, redacto eo regno ab Assyriis in formam prouinciæ, vt notat Torniel anno quintæ ætatis 403. [d] Tertio quia Adadremmon teste Hieronymo in Zachariam [e] non regis Syriæ nomen, sed ciuitatis fuit in tribu Manassis intra Iordanem, iuxta Iezraël, in campo Mageddo, quæ tempore Hieronymi Maximianopolis appellabatur, & confirmat Adrichom. in eiusdem tribus descriptione nu. 5. quibus adde Isidorum, Remigium, Hugonem, Lyran. Dionysium Riberam in illum Zachariæ locum, etsi Hieron. in tradit. [f] aliter sentire videatur. III. *An propter regem Syriæ.*

[c] 4 Reg. 23. 29.

[d] nu. 1.

[e] c. 12. v. 11.

[f] in 2. Par. 35.

CVM ergo Rex Ægypti Pharao Nechao, Assyriorum, qui & Babylonio rum, regem bello peteret, (Is erat pater magni Nabuchodonosoris, quem alij Nabolassarum, aut etiam Nabuchodonosorem seniorem vocant) contra eum in IV. *Non videt.*

Charcamis iuxta Euphratem pugnaturus, isque per Iosiæ ditionem transiturus esset, Iosias periculosum hunc transitum ratus, Ægyptium aditu prohibiturus, coactis copiis obuiam ei processit. Nechao contra missis nunciis eum ab incepto reuocare conatus est. *Quid mihi, & tibi est Rex Iuda? non ad uersum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit. Desine aduersum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te.*

V. *Locus occursus.* DVBIVS est etiam locus in quo isti reges sibi infesti occurrerint, vel inter se pugnauerint. Et rem dubiam facit Iosephus, qui non Mageddo, aut Adadremmon, sed Mendem oppidum ditionis Iosiæ memorat: periculum est certe ne mendum in hanc Mendem inciderit: neque enim in totis scripturæ libris vlla est eius mentio. Est porro Mendesium Ægypti oppidum, à quo vnum de ostiis Nili nomen accepit, & hanc Mendem eandem cum Mendesio putat Ortelius in thes. geograph. At ea non fuit ditionis Iosiæ, sed Pharaonis. Quomodocunque scriptum fuerit à Iosepho, nihil dubito intellectam ab eo Medemenam vrbem vicinam Siceleg, vt ex libro Iosue [a] intelligi potest. Medemana, inquit Hieron. in tribu Iuda, & nunc est Mendis oppidum iuxta ciuitatem Gazam. Notat autem Iosephus eam fuisse ditionis Iosiæ, alludens fortasse ad vicinam Siceleg, quæ cum fuisset olim Philisthinorum, facta est mox Dauidis, vt ex 1. Regum [b] constat; & fauet locus, cum sit in finibus regni Iuda, prope Siceleg, & Gazam.

a c. 15. 31.

b ca. 27. 6.

VI. *Medemena, an Mageddo.* IN contrarium est quod videtur pugnasse cum Ægyptio vbi occurrit ei, pugnauit autem in Mageddo, vbi & occisus est. [c] Dici tamen potest, idque innuit liber Paral. [d] Regem non venisse ipsum per se contra Nechao, cum primum is fines attigit regni Iuda, sed misisse qui nunciaret ne inferet se in Iudæorum terras, alioqui sibi cum eo bellum fore: cui respondit etiam per nuncios Nechao, se pacificum petere transitum, & alium regem bello petere. Quod cum non concederet Iosias, ille nihilominus transiit. Iosias vero statim collectis copiis ad ipsum perrexit, quem inuenit peruenisse ad campum Mageddo, quem Adrichomius in tribu Manasse, alij in Iudæa collocant, vbi viderunt se, & Iosias lethali vulnere affectus est.

c 4. Reg. 23. 29.
d 2. Par. c. 35. 20. 23.

VII. *Pugnat, & occiditur.* NON credidit Iosias barbaro, & infido regi; sicut Ezechias talia iactanti Rabsaci non credidit. [e] Exitus tamen docuit eum vera prædixisse, & amice, sapienterque præmonuisse. Verebatur fortasse Iosias, ne sub specie transitus, ille regnum suum occuparet: sicut olim verebantur Idumæi ne Israëlitæ regionem suam, per speciem transitus, vel occuparent, vel popularentur. Itaque cum in campo Mageddo offendisset Ægyptium, ibique aciem instruxisset, ipso statim pugnæ initio sagitta percussus interiit. Quod significat scriptura cum ait. [f] *Et abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Mageddo, cum vidisset eum*, id est cum pugnare cœpisset, quod confirmat Iosephus, [g] pugnæ modum etiam referens: sed præmittit aliqua, quæ merito arguantur falsitatis.

e 4 Reg. 18 25.

f 4. Reg. 23. 29
g l. 10. c 6.

VIII. *Arguitur Iosephus male accusati Iosia.* IOSIAS, inquit, *verbis Ægyptij nihil mouebatur, sed perseuerabat in ea sententia, vt per suam ditionem volenti exercitum ducere, transitum pernegaret. Fato opinor ad hanc arrogantiam vrgente hominem, vt occasionem aduersus eum inueniret.* In quibus verbis dupliciter peccat Iosephus: primùm quod sanctissimum virum arrogantiæ insimulat, cum timorem potius excusare, aut etiam prudentiam laudare debuisset. Non enim tota vita quidquam egisse ostendi potest, ex quo nunc probabilitatem hæc arrogantia possit accipere: Deinde infœlix rerum exitus consilia damnare temeritatis non potest. Multa enim sæpe intercurrunt, quæ prudentissimas deliberationes, irritas inanesque reddunt.

[illegible]

*--Careat successibus opto*
*Quisque ab euentu facta notanda putat,*

ait poëta. Secundò quod hic iterum fatalem quandam necessitatem intrudat, homines ad perniciosa consilia pertrahentem. Diceret potius,

*--Fatum est sua cuique cupido.* Sed pergit.

IX. *Pugna, & mortis modus, ex Iosepho.* DVM *enim aciem instruens curru ab vno cornu ad alterum vehitur, Ægyptius quidem sagitta icto bellandi studium ademit. Sauciu enim, & cruciatum non ferens, iusso exer-*

*citu deflectere Hierosolyma reuertitur, vbi ex eo vulnere est mortuus.* Sed hic Iosephus apertissimæ scripturæ aduersatur, quæ habet. [a] *Et abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Mageddo.* At ne dicas occisum pro vulnerato poni, subdit, *& portauerunt eum serui sui mortuum de Mageddo, & pertulerunt in Ierusalem*, & ita constanter in Hebræo Chald. & 70. traditur. Num reuixit fortasse vt iterum Ierosolymis moreretur?

a 4. Reg. 23.29.

VTIQVE Iosephum in fraudem induxit liber 2. Paral. incaute lectus. *Ibique*, inquit, *vulneratus à sagittariis dixit pueris suis, educite me de prælio, quia oppidò vulneratus sum. Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, & asportauerunt eum in Ierusalem, mortuusque est.* Addidit, ipse de suo, *ibique*, quæ particula neque in Græcis, neque in Hebræis, neque in Latinis codicibus vsquam reperitur. Notandum potius in Hebræo nunc legi. *Ad pugnandum cum eo mutauit se*, quidam dissimulauit se. Vatab. ait mutasse habitum, nimirum vt olim Achab, ne in eum tela dirigerentur. Alibi nos legimus, *præparauit contra eum bellum*, 70. habent, *confortatus est*, aut *roborauit se vt bellaret ipse.* Res eodem redit, nam mutatur, qui mutat fortitudinem vt est in Esaia. At noui Hebræi mutationem animi ad corpus, imo ad vestes transtulerunt. In historia scholastica habetur, vtique ex Rabinorum officina, Iosiam occisum fuisse iuxta fontem quendam, & arborem, & vtraque illico exaruisse, videlicet in signum luctus pro morte regis illius, qui instar fontis perennis, & arboris fructiferæ Reipubl. vtilis esset, qui subditos locupletaret, non eorum bonis pinguesceret. X. Et Scriptura ipsa.

Esa 40.31. & 41.1.

DE Iosiæ sepultura, quod vnum superest ita scriptor sacer. [b] *Sepultus est*, inquit, *in Mausolæo patrum suorum, & vniuersus Iuda, & Ierusalem luxerunt eum*, & merito, vt qui ex Holdæ prophetia intelligebant eo viuo, rebus ipsorum pacem fore, eo collecto ad patres suos, mala in totam Iudæorum gentem inundatura. Luxit autem *Ieremias maxime cuius lamentationes, omnes cantores & cantatrices vsque in præsentem diem, super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel. Ecce scriptum fertur in lamentationibus.* Hæc ibi. Quo videtur alludere Zacharias [c] qui planctum in morte Iosiæ, quasi prouerbij loco vsurpat. *In die illa*, inquit, *magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddo.* Meminit & Iosephus. [d] *Ieremias etiam epicedium*, siue funebrem laudationem (κῆδος enim funus quoque significat) *ei scripsit lugubri carmine, quod nunc quoque extare videmus.* XI. Iosiæ sepultura & luctus.

b 2. Par. 35. c c. 12.11. d l. 10. c. 6.

DVBIVM nihilominus est an lamentatio Ieremiæ, cuius initium, *Quomodo sedet sola ciuitas*, in funere Iosiæ hoc tempore, an in totius Reip. funere tempore Sedeciæ facta sit. Priorem sententiam Abulensis amplectitur. [e] D. Hieronym. in præfat. in Threnos dixit huiusmodi lamentationes conscriptas esse, non solum super vrbis Hierusalem vastatione, & Iudaici populi captiuitate, sed etiam super Iosiæ regis occasum. Et alibi ait lamentationem in morte Iosiæ, esse postremam partem libri Threnorum, quarto alphabeto comprehensam. In eadem sententia esse videtur Iosephus ante cit. & Rab. Salomon, paraph. Chald. Lyranus quoque, Hugo, Dionys. & alij; verum & aliqui horum, & passim alij omnes, tam illud cap. 4. quam reliqua omnia ad extremum Sedeciæ regnum referunt. XII. Ieremiæ Threni an ad Iosiam pertineant. Qui ita sentiant.

e 4 Reg 23 q. 42.

CVIVS rei nulla certior probatio afferri potest, quam ipsa verborum consideratio. Nam vix est vllus versus, qui in Iosiæ mortem rite conueniat. Nisi forte ille 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris*, quem D. Hieronym. in cap. 12. Zachariæ de Iosia explicat, atque alios, iuxta intelligentiam spiritualem, hoc ad Dominum Iesum referre. At illum ipsum versum alij de Sedecia, cui non minus conuenit, explicant. Imo magis; quia cæteri omnes eius temporibus congruunt, nec probabile est vnum versum, sine vlla antecedentium, & subsequentium connexione, ad Iosiam referri. Quando enim lapides sanctuarij dispersi sunt in capite omnium platearum, nisi post eius euersionem? Quando paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis, & qui vescebantur voluptuose interierunt in vijs? Quando manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, nisi in triennali obsi- XIII. Contraria sententia verior. Omnes conuenire supremis Sedeciæ temporibus.

dione Sedeciæ. Sed neque ingressus est hostis per portas Ierusalem in morte Iosiæ; neque defecerunt oculi populi ad auxilium vanum, respicientes attenti ad gentem, quæ saluare non poterat; & id genus alia, quæ Sedeciæ prorsus conueniunt, vt ex sequentibus perspicuum fiet.

XIV. *Etiam versum 20. cap. 4.* QVIN etiam ille ipse versus rectissime ei quadrat. Cum enim de Chaldæis cum fugientem persequentibus dixisset, *velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis*; in solitudine videlicet Iericho, subdit; *Spiritus oris nostri Christus Dominus*, vel Christus Domini, rex vnctus à Domino, *captus est in peccatis nostris*, quibus nobiscum implicitus fuit, Rex videlicet Sedecias comprehensus est, qui vnus tanquam extremus halitus populo illi morienti supererat ex omnibus regibus, à quo protegerentur, & liberarentur inter gentes; vt ibi notauit à Castro. Cum autem etiam præcedentia capita lamentationum, Iosiæ morti non conueniant, & scriptura vulgata, cum 70. interpretibus initio earum dicat. *Et factum est postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens; & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit, Quomodo sedet sola ciuitas*, &c. nulla plane facta mentione Iosiæ, dicendum videtur, eas quæ in Iosiæ funere à Ieremia sunt editæ, vt Scriptura 2. Paral. testatur, hoc tempore non extare. *Lamentationes de Iosia non extare.* Nec forte Iosephi tempore, qui cum aliis Hebræis, minus prudenter videtur existimasse, eas quæ extant, & de Sedecia sunt, totoque populo, cum vrbe & templo sub eo euerso, succenso, profligato, de Iosia scriptas esse.

XV. *Lex Iosiæ typum Christi fuisse.* ADDAMVS & nos in optimi Iosiæ funere epicedium, non minus ei, quam plerisque aliis piis regibus Iuda, debitum, dicente scriptura, *præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt*, aliquo modo vel idololatria, vel perfecto Dei cultu deficientes, nimirum illegitimis sacrificiis in excelsis tolerandis. Nam in cæteris, vt homines pios illos quidem & sanctos, sed tamen homines nonnulla peccasse scriptura ipsa non obscure testatur. Fuit ergo Iosias in Christi progenitoribus laudatissimus; vnus de tribus fortissimis principibus veri Dauidis, ad quorum virtutem, & sanctitatem, & zelum diuinæ gloriæ, reliqui reges, quantumuis excellentes, peruenire non potuerunt.

XVI. *Vterq. prænunciatus.* PRÆVISVS est, & prænunciatus multis ante natiuitatem suam seculis Rex Iosias, qui euerteret idololatriam, & super altare profanum immolaret sacerdotes excelsorum &c. [a] Præuiderunt, & prædixerunt omnes prophetæ Christum Dominum, Isaias nominatim, qui eius nomina & titulos celebrat, c. 9. Et c. 27. prædicat euersorem idololatriæ debellato Leuiathan, serpente vecte, & serpente tortuoso, in gladio suo duro, & grandi & forti; & occiso ceto, qui in mari est. [a 3. Reg. 12. 2.]

*Vtriusque Phase.* Iosias fecit Pascha cui simile factum non fuit à diebus iudicum, qui iudicauerunt Israël, & omnium dierum regum Israël, & regum Iuda. [b] Christus fecit Pascha sub finem vitæ suæ, cui simile non fuit à quo gentes esse cœperunt, neque fiet; in quo immolatus est agnus Dei, in salutem omnium gentium, ab origine mundi, vsque ad vltimum eius diem. [b 4. Reg. 23. 22.]

XVII *Sacrificium & conuiuium.* IOSIAS ad Phase dedit multa pecorum millia de sua substantia, quæ & sacrificio cederent, & sancto conuiuio. [c] Christus instar omnium victimarum dedit sacrosanctum corpus suum, in sacrificium crucis, & in conuiuium sacrum Eucharistiæ, in qua dedit totam substantiam suam. [c 2. Paral. 35 7.]

*Et fœdus.* Iosias nouo fœdere populum suum reconciliauit Deo. *Omnia autem*, inquit Paulus, [d] *ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis mysterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum*, in sanguine nimirum noui testamenti, sine quo non fit remissio. [d 2. Cor. 5. 18.]

*Et restauratione templi.* Iosias collabentem domum Domini, magna deuotione, magnisque sumptibus ex Iuda & Israel collectis, restaurauit. Christus collabentem in Iudaica synagoga Ecclesiam suam in Iudæis & gentibus renouauit, etiam vita propria, & dilecta anima sua in id opus impensa.

XVIII. *In morte, & aliquot eius circunstantiis.* IN ipso ætatis flore mortuus est, imo occisus Iosias, & quidem ab Ægypti rege minime inimico, neque ex vlla culpa sua; eius autem vita Reip. continebatur

tur salus, & eo mortuo aliæ ex aliis clades in regnum Iuda incubuerunt: donec Chaldæus Rex infidelis, illud partim pessũdedit, partim in tristem, diuturnamque seruitutem abduxit. In ipso quoque ætatis flore occisus est Christus Dominus agnus innocentissimus, & quidem non ab inimico præside, & prorege Pilato, sed ab amicis. Nam ipsemet conqueritur se crudelibus affectum plagis, in domo eorum, qui diligebant eum. Ipse est in quo vno totius mundi continetur salus: & quo mortuo Iudaica natio per Romanorum præfectos atrocibus affecta est malis, donec per Titum & Vespasianum partim deleta, partim omnibus gentibus in perpetuam seruitutem mancipata est.

XIX. *Et planctu in eius funere.*

FACTVS est planctus magnus in Ierusalem super morte Iosiæ, omnesque deinceps posteri planxerunt eum, vsque in præsentem diem, inquit Scriptura. Morientem Christum Dominum cœli & terra planxerunt, & vt prædixerat Zacharias [a] qui vtrumque planctum comparauit, *planxerunt eum planctu, quasi super vnigenitum, & doluerunt super eum, vt dolori solet in morte primogeniti*: & vsque in præsentem diem pij omnes, in eius crudelissimi meditatione supplicij, tristes compassionis lachrymas fundunt, & certatim pro suo quisque sensu, amaro animo plangentes dicunt.

a c. 12. 10.

*Sic tibi compatiar, sic te mea viscera plangant,*
*Hauriat vt sensus luctus, amorque meos.*
*Luctus lætitiæ voces exterminet omnes,*
*Et resonent querulis omnia tecta sonis.*
*In lachrymas abeant oculi, in suspiria pectus,*
*Effodiantque animum vulnera quinque meum.*

b Eccli. 49.

XX. *Dulcis Iosiæ memoria.*

MEMORIA *Iosiæ in compositionem odoris, facta opus pigmentarij*, ait Sapiens.[b] Id est memoria Iosiæ similis est vnguento pretioso, & adorato, opere pigmentarij artificis composito, quod mirifice recreat sensum odoratus. Gustum etiam, & auditum reficit; nam *in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.* Lauto scilicet ac splendido. Quoniam enim laudes eius crebro replicabantur,[c] is qui eas concinebat, quasi dulci melle reficiebatur; & qui audiebat, non secus capiebatur, quam qui suauissimum Musicæ concentum auribus accipit; & ab vtroque bonus odor famæ eius apud omnes spargebatur. Audi nunc de altero Iosia vel Bernardum, vel quicumque illius hymni autor fuit.

c Vt dicitur 2. Par. 35. 25.

*Iesu dulcis memoria,*
*Dans vera cordis gaudia;*
*Sed super mel, & omnia*
*Eius dulcis præsentia.*

*Nil canitur suauius,*
*Auditur nil iucundius,*
*Nil cogitatur dulcius*
*Quam Iesus Dei filius.*

*Iesu decus angelicum,*
*In aure dulce canticum,*
*In ore mel mirificum,*
*In corde nectar cœlicum.*

XXI. *Regnum Ioachaz, & ratio.*

SED iam tempus est, vt ab hisce delitiis ad tristiora transeamus. Quandoquidem mortuo Iosia statim turbæ in regno eius excitantur. Nam Ioachaz filius eius secundo genitus regnum factione populari inuadit, annum agens ætatis vigesimum tertium. Quod significat Scriptura dum ait, eum à populo terræ factum regem. Trimestre autem ipsius regnum Torniellus in extremum annum trigesimi primi Iosiæ merito confert: quoniam alioqui si ponatur Iosias expleuisse trigesimum primum annum regni sui, Ioacim qui successit fratri post tertium mensem, diciturque in scriptura annis vndecim regnasse, annum vndecimum non explere, sed ne attingere quidem potuerit, vt ex sequentibus planum fiet.[d]

d an Sedeciæ 1. n. 2.
e c. 23. 30.

XXII. *Populi fauore fit rex.*

DE Ioachaz ergo regno, ita Reg. lib. 4.[e] *Tulitque populus terræ Ioachaz filium Iosiæ*, ab ambitioso vtique iuuene sollicitatus, qui quod iure non poterat, gratia consequi cupiebat, *& vnxerunt eum, & constituerunt eum regem pro patre suo.* Vnctionem habere voluit Ioachaz, ad firmandum sibi apud populum suum regnum; quod fratri suo Ioacim natu maiori deberi intelligebat; ne vel hic ipse, vel populus, exemplo Dauidis Sauli parcentis, attingere, nedum exauctorare auderet Christum Domini. Sapientior multo futurus, si pietatem patris æmula-

*Et renouat idololatriã.*

ri, quam in thronum eius præpropere, & cum fratris iniuria insilire maluisset. Sed infelix, *fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerant patres eius*, Amon scilicet & Manasses. Idq; facile admodum, & procliue fuit. Cum enim populus magna ex parte corruptus, & idololatria contaminatus esset, nihilque præter externam speciem pietatis haberet, vt supra docuimus, non incredibile est ab ambitioso iuuene, populi gratiam, exemplo Absalonis, ad regnandum captante, liberum ei deorum cultum, si Rex fieret, spopondisse. Præsertim si iam ipsemet se in eam voraginem præcipitem dederat. Fit ergo Rex Ioachaz quantumuis contradicente, & repugnante Ioacimo: & quamprimum cultus idolorum, tanto labore à Iosia exterminatus, introducitur.

XXIII. *Reditus Nechao.* HÆC dum Hierosolymis fiunt, Pharao Nechao confecto bello cuius causa venerat, rediturus in patriam in Syriam venit, vt ait Iosephus, eiusque vrbem Sametham. Infeliciter pugnatum ab Ægyptio contra Nabolassarum quidam scribunt, & id festinus illius reditus probabile reddit, si enim contra Babylonium in acie victor euasisset, vlterius pugnando prouectus esset: quandoquidem imperium Asiæ, vt supra diximus, ambiebat. Cæterum Samatha Iosephi in Syria, quò venit Nechao, ex Ematha Scripturæ facta videtur. Sed satius est audire sacrum historicum, [a] qui ait eum venisse in Rebla, quæ est in terra Emath, in tribu scilicet Nephthalim, ad montem Libanum, iuxta fluuij Iordanis initia. Vide Adrichom. in ea tribu, [b] qui eandem facit Reblam cum Reblata, D. tamen Hieronymus diuersam facit.

XXIV. *Ioacimi ad eum querela, &c.* CONIICERE autem possumus cum Abulensi, [c] quoniam coniecturis tantum agere licet, venisse ad eum Ioacim filiorum Iosiæ primogenitum, & ad eum quasi ad arbitrum, fratris iniuriam detulisse, opem non sine muneribus maiorum exemplo postulasse. Sic enim Manahem rex Israëlis Phulem regem Assyriorum: & Achaz Theglath Phalasarem sibi conciliauerant. [d] Videtur quoque Ioakim tributum Ægyptio, si eius beneficio rex fieret, obtulisse. Ægyptius rem minimè negligendam ratus, nouum regem ad se euocauit, quasi eius cum fratre controuersiam dirempturus; & amica aliqua conuentione compositurus. Venit Ioachaz ad Pharaonem, populi electione, præcedentium quoque regum exemplo, subnixus. At Pharao statim atque hominem in potestate habuit, eum in vincula coniecit, in Ægyptum abducendum. Moxque Hierosolymam venit, vt Eliacim Iosiæ primogenitum regem constitueret.

XXV. *Prophetia de captiuitate Ioachaz. Qui & Sellum.* INTEREA dum Ioachaz, qui & Sellum, ad Ægypti regem egreditur prophetauit de eo Ieremias. [e] *Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu*, Iosiam scilicet paulo ante, multis cum populi lachrymis, regio funere elatum, & in patrum suorum Mausolæo conditum. *Plangite eum qui egreditur*, Sellum scilicet, siue Ioachaz adeuntem in Rebla Pharaonem, quia *non reuertetur vltra, nec videbit terram natiuitatis suæ. Quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ regem Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo*, (immediate scilicet, dum adhuc populus mortuum Iosiam plangeret,) *qui egressus est de loco isto. Non reuertetur huc amplius: sed in loco ad quem transtuli eum*, destinaui transferendum, *ibi morietur, & terram istam non videbit amplius.*

XXVI. *In Ægyptum ductus, ibique mortuus.* Ex quibus verbis intelligimus, Pharaonem vinctum Ioachaz non secum Ierosolymam adduxisse, licet id dicat Torniel. anno 5. ætat. 404. sed in Ægyptum, quo mox erat ipse venturus, præmisisse. Ne scilicet vel populus eius commiseratione moueretur, vel ipse iterum res nouas contra fratrem Ierosolymis moliretur. Ex eodem etiam loco intelligitur Ioachaz, siue Sellum in Ægypto esse defunctum, quandiu autem ibi vixerit incertum est.

*Eius mores ex Ezechiele.* De huius moribus, sicut & fratrum eius, sub eleganti allegoria loquitur Ezechiel c. 19. vbi interprete Hieronymo, Theodoreto, & aliis deplorat miseram sortem filiorum Iosiæ regum Iuda. *Et tu assume planctum*, inquit, *super principes Israel*, sic enim reges hosce vocat, quamuis reuera essent reges Iuda, siue propter imitationem impietatis regum Israël, seu potius, quia deleto regno decem tribuum, generale nomen, quod ante diuisionem regni, Saulis, Dauidis, & Salomonis regno conueniebat, restitui cœpit Ezechiæ, Manassi, Iosiæ; cum præsertim Iosias non pauca in regno iamdudum Israëlis possederit. [f]

[a] 4 Reg. c. 23. 33.
[b] num. 80 in lo. Hebr. lit. R.
[c] q. 46. in c. 23.
[d] 4. Reg. c. 15. 19. & ca. 16. 7. 8.
[e] c. 22. 10.
[f] Vt patet ex c. 34. 9. 2. Paral.

PERGIT Ezechiel. *Quare mater tua leæna inter leones cubauit*, ciuitas videlicet Hierosolymitana, inter Philisthæos, Idumæos, Moabitas, Ammonitas constituta, ex qua reges oriebantur in familia Dauidis: *in medio leunculorum nutriuit catulos suos*, quos principes Israël paulo ante vocauit, *Et eduxit vnum de leunculis suis, & leo factus est, & didicit capere prædam, hominemque comedere*. Ierusalem enim siue populus terræ fecit regem Ioachaz pro Iosia patre suo, qui, vt inquit Hieronymus, *tam crudelis in breui extitit tempore, vt tropologice cepisse prædas, & homines deuorasse memoretur*. Crudelitatem autem videtur exercuisse in eos, qui idololatriam impedire voluerunt, quæ alioqui quam crudelis sit, Manassis exempla docuerunt. XXVII. Eius crudelitas.

QVOD autem de eodem subdit Ezechiel; *& audierunt de eo Gentes, & non absque vulneribus suis ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis in terram Aegypti*. Ea verba sic explicat Hieronym. *Ad quem cum venisset Aegyptius rex*, aut ad se potius ad uocasset, vt supra cum Iosepho diximus, & alioqui res non in Rebla, vt ait Scriptura, sed Hierosolymis, aut circa Hierosolymam contigisset; pergit, *cæpit eum, non absque vulneribus, siue in fouea, vt propriè in Hebraico continetur, vt conseruet tropologicam captionem leonum, qui semper in foueis capi solent, & adduxit eum in camo, siue in catenis in terram Aegypti, ibique mortuus est*. XXVIII. Captus à Pharaone.

PRADVS noster, Sanctio minime repugnante, ex hoc loco prophetæ colligit Ioachaz prælium contra Ægyptios commisisse, in eoque superatum fuisse, atque captum. Sed prælio nihil est opus: sufficit enim iuuenem animosum, & instar leunculi ferocem, animaduersa Ægyptij proditione, arma cum suis, qui qui tum cum eo erant, inuasisse, & in Ægyptios irruisse, tandémque superante Ægyptiorum multitudine, non absque vulneribus ipsorum captum esse. Et huc facit allegoria prophetica, petita à venatoribus ferarum, qui eas in casses, aut foueas compellunt, astu magis quam armis ac viribus: quæ sine dubio mens est S. Hieronymi. XXIX. Sine prælio, non sine vulnerib.

Et hactenus de Iosia, & Ioachaz, qui celeres suæ impietatis, crudelitatis, & ambitionis pœnas dedit: intra tres menses regno, & libertate priuatus, quibus mensibus Iosephus, iuuenem miseratus, decem dies adiecit de suo, quos Ioachino eius nepoti oportuit reseruasse.



## ANNVS MVNDI 3426. QVINTÆ ÆTATIS 487.

FVNDATI TEMPLI 404. IOAKIM SIVE ELIAKIM
REGIS IVDÆ 1. AZARIÆ PONTIF. 1. IEREMIAE 20.
NABOLASSARIS 19. QVI ET 27. IMPERII
BABYLONICI 93. OLYMP. XXXVIII.
AN. 1. ANCI MARCII 12.
VRBIS CONDITÆ 125.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 627.

TRIGESIMA octaua Olympiade Olyntheus Lacon in stadio victor fuit, in qua etiam pueri ad quintuplex certamen admissi sunt; vicitque Eutelidas Lacedæmonius puer, sed hac tantum vice ita certarunt. Laërtius hanc Olympiadem in Periandri vita, notat, in qua ille claruerit: quem ait primum armatis circumseptum incessisse, & magistratum ad tyrannidem transtulisse, eámque ad 40. annos exercuisse. Verum supra ex Pausania diximus eum habuisse patrem, & socerum quos ea in re imitaretur. Armatos autem circa se Romulus iam ante centum annos habuerat, idque optimis principibus in more positum, siue ad securitatem personæ, in cuius salute omnium vertitur salus, siue ad reuerentiam maiestatis. I. Olymp. 38. Periander. Regum satellites.

II. *Initium Ioachim, & ratio temporis.*

SVB initium huius anni [a] exautorato Ioachaz, beneficio regis Aegypti regnare cœpit Eliacim: sub initium inquam anni sacri, qui ab æquinoctio verno inchoatur. Nam cum ex scriptura constet Sedeciam, non solum vndecim annis regnasse, sed ipsos etiam consummasse, [b] eosque mense quarto, nona mẽsis, quando capta fuit ciuitas, & Rex ipse, terminari; [c] oportet eosdem annos mense quarto fuisse inchoatos; eodem etiam mense, tres menses & decem dies Ioachini fuisse finitos. Ergo primus anni mensis ad Ioacim pertinuit, eoque regnare desiit: qui idem primus mensis fuit initium anni eius vndecimi, vt infra docebimus: [c] at quo tempore incepit vndecimus, incepit & primus. Primus ergo annus Ioacim primo mense anni sacri inchoatus est: cum annum ætatis 2.. adiret, à septimo enim Iosiæ hic 26. numeratur.

[a] 4. Reg. 23. 33
[b] Ierem. 1. 3.
[c] Ierem. 52. 6.
can. Sedeciæ 1. n. 2.

III. *Initium Azariæ pontificis.*

NOVVM pontificem cum nouo rege produnt Hebræi chronologi, & chronicum Alexandrinum, quem Azariam vocant. Eum Helciæ filium fuisse, & patrem Saraiæ, ex 1. Paral. c. 6. [d] perspicuum est: hunc Iosephus [e] negligenter prætermisit, qui tamen etiam ab Esdra recensetur; [f] & rursus legitur initio 4. Esdræ. Eumque Genebrardus & alii merito retinuerunt.

[d] v. 13. 14
[e] l. 10. ant. c. 11.
[f] l. 1. c. 7. 1.

Cœpit porro regnare Eliacim, sed precario magis, quam proprio iure: sic enim rex factus est, vt superiorem tamẽ regem Aegypti agnosceret. In cuius rei argumentum, graue ei tributum ille imposuit, & nomen eius commutauit; sicque amicus, aut potius cliens regis Aegypti factus, Chaldæorum, quibus Aegyptius erat inimicus, factus est hostis; quorum etiam deinde arma in se magno suo malo conuertit.

IV. *Fit vectigalis Pharaoni.*

QVOD ad tributum attinet, mulctam vocat scriptura; quod in pœnam imponeretur: sed cuius peccati? An quod regem, iniussu suo sibi populus constituisset? Ex quo enim occidit Iosiam, se pro rege Hebræorum haberi voluit, qui illic regem arbitratu suo constituere, & exautorare posset, vt putat Abulensis. [g] Crediderim, potius quod eum Iosias vltro cum exercitu inuasisset, nec transitũ permittere voluisset: hoc enim crimen non leue visum est ei, licet in eo facto Iosias culpa caruisset. Ea igitur siue mulcta, siue tributum fuit, centum talentorum argenti, & vnius talenti auri fuit. [h] Cum autem talentũ argenti, vt sæpe diximus, sit 4. millium centum & viginti quinque francorum, centum talenta conficient summam quadringentarum & duodecim millium librarum, & insuper quingentas. Talentum autem auri fuit duodecim millium & quingentorum aureorum. Tota summa ascendebat ad centum & quinquaginta millia aureorum, siue quadringenta quinquaginta millia francorum.

[g] q. 45. in c. 23. 4. Reg.
[h] vt dicitur 4. Reg. 23. 33 2. Paral. 36. 3. 1. Esdr. 1. 36. Ioseph. l. 10. c. 6.
4125 talentum vnum arg.
412500 talenta centum.
12 00. talentum vnum auri.
vt dicitur 4. Reg. 23.

V. *Et quam ob causam.*

QVOD aurum & argentum dedit Ioachim Pharaoni, cum indixisset terræ per singulos, vt conferretur iuxta præceptum Pharaonis, & vnumquemque iuxta vires suas exegit, tam argentum, quam aurum de populo terræ, vt daret Pharaoni Nechao. [i] Quæ scriptura subobscure videtur significare, ad huius regis aduentum, & institutionem regis Eliacim, illum eam summam quasi mulctã ex populo corrasisse, propter eam quam dixi culpam à Iosia, & populo eius aduersum se admissam: aut etiam propter iniuriam regi suo legitimo factam, fratrem eius minorem natu in eius locum constituendo; tum etiam statuisse, vt quotannis deinceps eadem summa ipsi tributi nomine persolueretur, quod à toto populo, & præsertim à potentioribus exigeretur, vt pridem fecerat Manahem, cum factus fuisset Phulis regis Assyriorum vectigalis.

VI. *Mutatio nominis in signum dominii, & clientelæ.*

IN huius quoque dominii signum Pharao noui regis nomen commutauit, vt se eius perpetuo clientem meminisset, à quo regnum cum nouo nomine accepisset. Quod eodem modo post annos aliquot aduersus Sedeciam à magno Nabuchodonosore factum est: & apud Romanos serui & liberti nomina ab heris suis accipiebant, & noui ciues ab iis, quorum beneficio ciuitate donabantur. [k] Notat autem Genebrardus Hebræos promiscue nomine Ioacim & Eliacim vti solitos, quod vtriusque nominis eadem vis esset, altero surrectionem, altero Dei surrectionem significante. Vnde Luc. 3. *Pater virginis*, inquit, *dicitur Eli, siue Heli, per apocopem syriacam pro Eliacim, qui ab aliis dicitur Ioachin.* At ibi pater Ioseph dicitur Eli, non autem pater virginis, qui inuenitur dictus Ioacim, non autem Eli, vel Eliacim: conuenientius exemplum dabit liber Iudith, in

4. Reg. 23. 19 20.
[k] vide Onuphr. de nom. Rom.

quo vnus idemque pontifex modo Ioacim, modo Eliacim appellatur.[a]

a c 4.5 & c. 15. 9.

VII. *Dat se Ioachim impietati.*

PORRO quod ad huius regis mores attinet, impium eum fuisse, & fecisse malũ coram Domino Scriptura testatur. Voluit nimirum nõ minus gratificari populo, quam Ioachaz eius frater, vt eum sibi beneuolum redderet: fuit etiam crudelis, fratrique simillimus. Ezechiel enim [b] cum de Ioachaz ipsius fratre dixisset, eum didicisse capere prædam, hominemque comedere, de Ioachim ita subdit. *Quæ* (nimirum leæna Ierusalem) *cum vidisset, quoniam infirmata est, & periit expectatio eius*, quam scilicet in Ioachaz collocarat, *tulit vnum*, id est alterum, *de leunculis suis, leonem constituit eum*, pro rege de manu Pharaonis cum acceptando, *Qui incedebat inter leones, & factus est leo, & didicit prædam capere, & homines deuorare.* Si hoc ipso primo anno suo cœpit esse crudelis, facile intelligitur eum in amicos, & fautores fratris crudelem vltionem exercuisse. Auaritiam quoque eius, & ambitionem, aliaque vitia exaggeret Ierem.[c] de quibus sequentibus annis, quibus ea se magis magisque prodiderunt, dicendum erit. Ea enim Ieremias non futura prædicit, sed tanquam præsentia narrat, & reprehendit, licet eam prophetiæ partem à Castro ad primum annum Ioacim retulerit.

b c. 19 v 5.

*Et crudelitati, alijsque vitiis.*

c c. 22. 13.

VIII. *Occidit Vriam prophetam.*

HOC nihilominus anno impietatis, & crudelitatis suæ nobile exemplum edidit Ioakim, quod à Ieremia [d] narratur, de Vria propheta iussu regis occiso, quod facinus sub hoc regni initium perpetratum fuisse perspicuum est, cum in capitali Ieremiæ iudicio, quod factum esse in principio regni Ioachim ibidem scriptura testatur, hæc Vriæ cædes iam perpetrata memoretur; quam ipsis prophetæ verbis referemus. *Fuit*, inquit, *vir prophetans in nomine Domini, Vrias filius Semei de Cariathiarim, & prophetauit aduersus ciuitatem istam, & aduersus terram hanc, iuxta omnia verba Ieremiæ. Et audiuit rex Ioachim, & omnes potentes, & principes eius, verba hæc. Et quæsiuit rex interficere eum. Et audiuit Vrias, & timuit, fugitque, & ingressus est Aegyptum. Et misit rex Ioachim viros in Aegyptum* Elnathan *filium Achobor, & viros cum eo in Aegyptum. Et eduxerunt Vriam de Aegypto; & adduxerunt eum ad regem Ioachim, & percussit eum gladio: & proiecit cadauer eius in sepulchris vulgi ignobilis.* Facile fuit Ioacimo extrahere de Ægypto fugitiuum, cum valeret gratia apud Pharaonem; & Vrias, vt assolet, calumniis apud regem barbarum, tanquam turbulentus, & seditiosus, ac falsus propheta peteretur.

d c. 26. 20

IX. *Ieremias de vita periclitatur.*

QVONIAM vero & Vriæ prædicatio, & fuga in Ægyptum, & retractio, & condemnatio, & cædes aliquot menses tenuisse videtur; hæc Ieremiæ prophetia, propter quam de vita periclitatus est, sub finem primi anni videtur contigisse, tametsi in principio regni Ioachim factam fuisse propheta ipse scribat. Nec mireris principium regni de fine primi anni dici: nam c. 28. 1. principium regni, etiam annus quartus Sedeciæ appellatur. *In principio*, inquit, *regni Ioacim filii Iosiæ regis Iuda factum est verbum istud à Domino, dicens, hæc dicit* Dominus, *sta in atrio domus* Domini, Israelitico scilicet, in quo cogebatur omnis Israel; quanquam potuit, vt sacerdos, & propheta ex atrio leuitico verba facere, ad circumfusam in atrio Israelitico multitudinem. *Et loqueris*, inquit, *ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt, vt adorent in domo* Domini. Innuit vtique Dominus festum aliquod, in quo de omnibus ciuitatibus Iuda veniebant Iudæi Hierosolymam, puta festum tabernaculorum, quod 7. mense celebrabatur: nam, vt dixi, plures iam huius primi anni menses abierant.

*Ob prophetiam editam.*

e c. 26 v. 2.

X. *Quæ ea fuerit.*

QVID autem iubet Dominus prophetam loqui. [e] *Vniuersos*, inquit, *sermones, quos ego mandaui tibi, vt loquaris ad eos. Noli subtrahere verbum, si forte audiant, & conuertantur vnusquisque à via sua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis, propter malitiam studiorum eorum.* Non ergo lata iam erat sententia irreuocabilis, vt dicebat Iosephus, sed poterant resipiscere, & non perire. Sciebat tamen Dominus, quid enim ille ignorat? eos pro sua obstinatione, & malitia, minime conuersum iri. Itaque illud, *forte*, non ad Dei scientiam, sed ad eorum libertatem referendum est, ad quam expugnandam minæ, terroresque adhiberi solent. Ideo subdit. *Et dices ad eos, hæc dicit* Dominus, *si non audieritis me, vt ambuletis in lege mea quam dedi vobis, vt audiatis sermones seruorum meorum prophetarum, quos ego misi ad vos, de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis, dabo domum istam sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ*, vt scilicet Ierusalem

*De templi, & vrbis clade.*

sit in exemplum imprecationis, & maledictionis dicentibus, Maledicta sis sicut Ierusalem.

XI. Eadem tẽpore Iosiæ edita. Hæc eadem pridem prophetauerat Ieremias. Nam c. 7. v. 12. *Ite*, inquit, *ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum a principio, & videte quæ fecerim ei, propter malitiam populi mei Israel, & nunc quia fecistis omnia opera hæc, faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco quem dedi vobis, & patribus vestris, sicut feci Silo, & proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros vniuersum semen Ephraim.* Erant hæc sine dubio non minus auditu aspera, & acerba perpessu, tempore Iosiæ, quo primum hæc dicta fuerant, quam tempore Ioachim, quando repetita, & auribus inculcata fuerunt: sed succedente impio principe in locum pii, sublata est piis hominibus loquendi libertas, & veritas, quæ tum odiosa tantum erat improbis, & Molesta, facta est criminosa, & capitalis.

XII. Similis à Michæa olim edita. Eadem etiam inclamabat Michæas Morasthites, vt in eius prophetiæ c. 3. fi. scriptum est, temporibus Ezechiæ, quibus auditis nemo eum mortis reum censuit; quin potius timuerunt omnes Dominum, & deprecati sunt faciem eius, & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat aduersum eos, vt dicitur dicto loco Ierem.[a] sed alius erat Ezechias à Ioakimo, & hic populus multum mutatus ab illo. a c. 26. 18.

Populus in Ieremiam furit. Cum ergo audissent sacerdotes, & prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem verba hæc in domo Domini, apprehenderunt eum, dicentes, *morte moriatur.* Cum ergo tumultuaretur omnis populus in templo, & præeuntibus sacrilegis sacerdotibus, & pseudoprophetis (quo etiam nomine improbi scribæ, & legis doctores accipi possunt) fureret aduersus Ieremiam, è regis palatio exauditus est clamor confusus turbarum, *& ascenderunt principes Iuda*, in quibus Ahicam filius Saphan, *de domo regis in domum Domini, & sedrnt in introitu portæ domus Domini nouæ* quam scilicet nuper Iosias renouauerat, vt ibi causam huius tumultus audirent, illumque sedarent.

XIII. Et accusat apud principes Iuda. Hic *locuti sunt sacerdotes, & prophetæ ad principes, & ad omnem populum dicentes, iudicium mortis est viro huic, quia prophetauit aduersum ciuitatem istam*; concitarunt isti primo populum, vt Ieremiam in tumultu impetu facto discerperent; quod cum diuina prouidentia parum successisset, superuenientibus principibus Iuda; eos volunt habere suæ sacrilegæ crudelitatis administros: & qui iam prophetarum sanguinem, occiso nuper Vria, degustarant, optabant etiam nunc Ieremiæ carnibus & cruore saginari, & cum inimicis S. Iob dicebant. c. 31. 31.

*Quis det de carnibus eius vt saturemur?*

XIV. Ieremias causam suã agit apud eosdem. Ieremias autem, quem Dominus ad maiora certamina reseruabat, nequaquam negligens sui ad omnes principes, qui concurrerant, & vniuersum populum qui astabat, *Dominus*, inquit, *misit me vt prophetarem ad domum istam*, & ad ciuitatem hanc omnia verba quæ audistis. Nunc ergo bonas facite vias vestras, & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri: & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersum vos. Ego autem ecce in manibus vestris sum, facite mihi quod bonum & rectum est in oculis vestris. Veruntamen scitote & cognoscite, quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmetipsos, & contra ciuitatem istam, & habitatores eius. In veritate enim misit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus vestris omnia verba hæc. Quæ illi volebant Ieremiam, metu ipsorum impeditum, tacere, vt liberius minusque reluctante conscientia, idola colerent, Deum floccifacerent, aut eius certe obliuiscerentur.

XV. A quibus absoluitur. Et dixerunt principes, & omnis populus ad sacerdotes & ad prophetas. Non est viro huic iudicium mortis, quia in nomine Domini Dei nostri locutus est ad nos. Itaque si qua culpa admissa est Dominum mittentem, si audetis accusate non obtemperantem famulum. Viden' lector plus esse clementiæ, & timoris Domini aliquando in Laicis, & secularibus hominibus, quam in sacerdotibus, & clericis, in quibus maior esse solet & debet. Sed iis merito aptari potest illa huius ipsius prophetæ visio [b] qua vidit ficus bonas, bonas valde, & rursum ficus malas, malas valde. Nam qui Deo dicati sunt, & virtuti seriam b c. 24. 1.

Mali clerici deterrimi.

operam nauant, mediocritatem vulgi longe multumque superare solent: & vice versa, qui in Dei famulatu ingratos sese diuinorum beneficiorum exhibent, omnem malitiæ mediocritatem transcendunt.

XVI. *Ex Augustino confirmatur.* HÆC vtique fuit sancti Augustini mens, cum de religiosis, tam serio, ac seuere pronunciat. *Simpliciter*, inquit, *fateor charitati vestræ*, & alloquitur clerum, & seniores Ecclesiæ Hipponensis, vide autem quam serio, *coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quã qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores, quam qui in monasteriis ciciderunt &c.* [a] Huiusmodi enim homines ad piorum hominum monita, tanquam trita iam, sæpiusque decantata nauseant, & ad diuina obsurdescunt, sicque insanabiles facti, ad omnem improbitatem præcipites ruunt; sed hæc obiter; redeamus ad prophetam, & ad principes, qui eum ex impiorum manibus eripuerunt. Nam eum exemplo Micheæ, quod paulo ante retulimus, texerunt, simulque cauendum censuerunt, ne sese iterum occisi prophetæ scelere macularent, qui hoc ipso anno cædis Vriæ participes fuerant.

a t. 2. ep. 137.

XVII *Ieremias liberatur ab Ahicham.* ITAQVE Ahicam filius Saphan, vir inter Iudæos primariæ authoritatis, suscipiens curam salutis Ieremiæ, dedit operam ne istorum sacerdotum, & prophetarum furori interficiendus traderetur. Istos enim nomine populi intelligendos arbitror cum dicitur, [b] *vt non traderetur in manus populi, & interficerent eum.* Erat enim eorum turba non modica, quæ etiam vili plebeculæ probitate cedebat. Nam paulo ante non solum principes, sed omnis etiam populus dixerat ad sacerdotes & prophetas. *Non est viro huic iudicium mortis*; quem ergo innocẽtem pronunciarant, non erant quasi mortis reum interfecturi. Sic igitur Ahicam imitatus est Dominum. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum, & pauperem à diripientibus eum.* [c]

b c. 26. fi.

c Psl. 34. 10.

XVIII. *An hoc tẽpore Ieremias fecerit sibi catenas.* DVBITATIO hoc loco existit ex initio capitis 27. vbi hæc leguntur. *In principio regni Ioacim filii Iosiæ regis Iuda, factum est verbum istud ad Ieremiam à Domino dicens, Hæc dicit Dominus ad me, fac tibi vincula & catenas &c.* Iubetur enim sibi facere catenas, & vincula, & inserere collo suo, & vicinorum regum legatis ad Sedeciam venientibus mittere: quæ legatio cum anno quarto Sedeciæ contigerit, ad illud etiam tempus hæc catenarum confectio videtur differenda. Itáque sentit Diuus Hieronymus, qui vult illa prima verba huius cap. 27. esse conclusionem historiæ, quæ 26. cap. narrata est, & illi capiti annectenda: sicque cap. 27. initium ab illis verbis sumere. *Hæc dicit Dominus ad me, fac tibi vincula & cat.* pro qua sententia etiam faciunt Septuag. vt idem notauit, qui ea verba tanquam superflua antecedentibus, & sequentibus parum consentientia, prætermiserunt: & reuera nunc in bibliis Xisti non reperiuntur. Illa ergo verba priori capiti adiungunt Diuus Hieronymus, & qui eum secuti sunt Glos. ord. Lyranus, Dionysius, Sà, Torniellus anno quintæ ætatis 417. numero quarto. Rabanus, Hugo, Capella, Maldonatus, Sanctius.

*Negat Hieronymus cũ multis.*

XIX. *Qui affirment.* ALII autem ea hoc loco retinenda putant, quia habentur in Hebræo, Chaldæa paraphrasi, & plerisque græcis, & maxime in vulgatis emendatis. In qua sententia est Lyranus, & Rabbini aliqui, & eorum discipuli; Christophorus quoque à Castro, qui propter illam maximè particulam, *dicens*, qua prior sententia posteriori nectitur, vult vtramque ad eandem narrationis seriem pertinere. Et quoniam perspicuum est vincula hæc & catenas ad quartum annum Sedeciæ pertinere, dicit Ieremiam mandatum accepisse à Domino, hoc principio regni Ioacim, conficiendi sibi catenas; idque quam primum executioni mandasse, easque annos circiter quindecim gestasse, vel continenter, vel quando spiritus Domini adigebat, donec venerunt legati ad Sedeciam. Sed hoc durum, & difficile creditu putat Sanctius, & Torniellus, velletque ad conseruandum textum Vulgatæ, dici principio regni Ioacim datum diuinitus præceptum, quod suo tempore executioni mandaretur: [d] quæ est sententia Abulensis, & aliorum.

*Easq. multis annis tulisse putent*

d q. 39. in c. 13. 4. Reg.

XX. *Improbatur.* VERVM videtur non nihil violenta hæc expositio. Nam in præsenti dicitur, *fac tibi vincula, & catenas, & pones eas in collo tuo, & mittes eas ad reges in manu nunciorum qui venerunt*, siue qui veniunt, vt est in Hebræo, & Græco, ad Sede-

ciam; & quidem post quatuordecim, aut quindecim annos. Etsi enim non est absurdum prophetam hunc iussu Dei catenatum per vrbem iter facere, vt eo prodigio populus imminentes sibi catenas, & vincula captiuitatis apprehenderet, & propheta tam duro, atque ignominioso labore multiplicaret incrementa frugum iustitiæ suæ; tamen vel pauci menses, aut etiam hebdomadæ sufficiunt, ad populum timore, & apprehensione afficiendum; quæ consuetudine tollitur, & vilescit. Sanctius autem qui prædicta verba transfert ad caput 26. ait distinctionem capitum non esse ab authore canonico, & illud, *dicens*, idem valere, quod, ad dicendum, in hanc sententiam. Hoc est verbum Ieremiæ dictum, vt illud ipse postea ad alios transmitteret; præsertim cum verba proxime sequentia, sint Ieremiæ, non Domini.


XXI. *Alia expositio.* Existimarem cum bona doctiorum venia, difficultatem, & perturbationem textus, & temporum, quam plerique agnoscunt in huius 27. cap. initio ex vna vocula pendere, & eiusdem commutatione tolli posse, si videlicet pro *Ioacim* substituamus *Sedeciam*, hoc modo. *In principio regni* Sedeciæ *filii Iosiæ regis Iuda &c.* Sic enim omnia recte consentiunt. Et ad ita legendum propemodum cogit historiæ veritas, & plana simplexque narratio, sed inuitat etiam initium cap. seq. vbi legimus. *Et factum est in anno illo, in principio regni Sedeciæ regis Iudæ &c.* annum illum vocat eundem ipsum annum, in quo præceptum datum est de catenis conficiendis, & portandis, & mittendis, de quibus est totum illud cap. nec absurdius est fateri plura verba è sua sede transposita, quam proprium vnum vocabulum pro altero positum: cum in nominibus filiorum Iosiæ multa sit vbique variatio, atque diuersitas. Hæc ergo vincula, & catenas ad quartum Sedeciæ annum differamus.

XXII. *Ortus Danielis.* Hoc porro anno regni Ioakim primo, valde probabiliter cum Torniello [a] existimamus natum esse Danielem, quem sanctus Epiphanius abductum ait in captiuitatem, pusionem adhuc & infantem. Ea contigit anno Ioakim tertio, vt dicemus, quando Daniel tertium circiter annum agebat ætatis, cui nomen pusionis, & infantis rectius conuenit, quam puero decenni, vt Perer. existimauit: quanquam is non negat fuisse minorem. Sulpitius init. l. 2. sacr. hist. non solum puerum, sed etiam paruum admodum puerum appellat. Nec absurdum est infantem delatum in eam captiuitatem, quoniam ibi non tam captiuus, quã obses futurus erat, vt qui erat regii sanguinis, vt tuto Ioakim remitti posset in regnum suum. Sed & Susannæ iudicium, quod plerique sancti patres anno eius duodecimo contigisse dicunt, cum hac positione nostra recte conuenit, cum altera conuenire non potest, vt dicetur. Verum de hac ætate iterum anno Ioakimi octauo sermo recurret.

XXIII. *E tribu Iuda.* Fvisse vero illum de tribu Iuda, aperte traditur [b] sicut erant & tres eius socii, Ananias, Azarias, & Misael; ex quo etiam loco colligitur eos fuisse de semine regio, & tyrannorum, siue dinastarum, & optimatum Iudaicæ gentis. Istiusmodi enim pueros rex Nabuchodonosor ad se introduci præceperat. Refert autem Diuus Hieronymus in comment. in eum locum, arbitrati Hebræos eos fuisse Eunuchos, & in iis impletum illud Esaiæ [c] *de filiis tuis erunt Eunuchi in palatio regis Babylonis*, quamuis mentio filiorum Danielis apud Ezechielem fieri videatur.[d] Sed hac de re satis diximus circa 16. Ezechiæ annum.

a anno quintæ ætatis 404.
b c. 1. Daniele. v. 6.
c 39. 7. nu. 38. & seq.
d Ezech. 14. 20.

ANNVS



# ANNVS MVNDI 3427. QVINTÆ AETATIS 488. FVNDATI TEMPLI 405. IOAKIM REGIS IVDÆ 2. AZARIÆ PONTIFICIS 2. IEREMIÆ 21. NABOLASSARIS 20. QVI ET 28. IMPERII BABYL. 94. OLYMPIAD. XXXVIII. AN. 2 ANCI MARCII 13. VRB. COND. 126.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 626.



SECVNDO regni sui anno Ioachim [a] assumpsit sibi regni socium Ioachinum filium, qui sæpius Iechonias appellatur, qui hoc anno, vitæ suæ octauum annum expleuerat; & ita communiter dicitur ab Hebræis, Tostato, [b] & aliis interpretibus ad conciliandam repugnantiam, quæ videtur esse inter duo scripturæ loca. Nam 2. Paral. [c] dicitur Ioachinus octo annorum fuisse, cum regnare cœpit, 4. autem Reg. [d] ille idem Ioachinus dicitur decem & octo annorum fuisse cum regnare cœpit Vtrumque enim verum est, quia bis regnare cœpit, semel quidem hoc anno cum patre, & rursum post eius mortem, & nihilominus tribus tantum mensibus cum triente regnasse dicitur, quia decem illi anni, patri eius tribuuntur. Cur autem tam cito Ioachim puerulum filium cooptarit in regnum, ea videtur ratio afferri posse, quod vereretur, ne si quid ei humanitus accidisset, frater eius Sedecias, imitatus alterum fratrem Ioachaz, debitum puero Ioachino regnum occuparet motu aliquo populari: quod facilius confici poterat eo nondum ad regnum initiato, quam eodem dudum iam, & viuo adhuc patre, regni gubernaculis admoto. I. *Ioachim assumit filium in socium regni.* *Et quam ob causam.*

[a] Ezech. 19. 7. Ier. 22. 13. [b] in 4. Reg 24. q. 8. [c] 36. 9. [d] 24. 8.

NVNC autem, vt ad Ioacimi mores ex anno superiore redeamus, præter impietatem, & cultum idolorum, in quo ad mortem vsque perseuerauit infelix: eius crudelitatem, quam primo iam anno Vriæ prophetæ cædes ab ipso imperata patefecit, Ezechiel quoque, paucis licet verbis, valde exaggerat. *Qui incedebat*, inquit, [e] *inter leones, & factus est leo, & didicit prædam capere, & homines deuorare, didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere, & desolata est terra, & plenitudo eius, à voce rugitus illius*; quæ verba in tres primos illius annos quadrare videntur. Nam quarto superuenit Nabuchodonosor, cum multis copiis, de quo subdit Ezechiel. *Et conuenerunt aduersus eum gentes vndique de prouinciis &c.* Tam crudelis igitur & cruentus, etiam ipsis primis regni sui annis fuit Ioacim, vt cædibus viduis, atque orphanis ciuitates repleret; ciuibus autem, virisque fortibus viduaret: & quidem, vt quisque erat auitæ pietatis retinentissimus; Id enim principem, & religione impium, & moribus barbarum, ac crudelem decebat. Multi autem vel iussi, vel sponte solum verterunt, adeo vt terra desolata videretur. II. *Ioachimus tyrannice regnat. Eius crudelitas ex Ezechiele.*

[e] Ezech. 19. 6. v. 8.

DE eiusdem crudelitate est illud Ierem. [f] cum eum nominatim alloquitur, instituta inter ipsum & patrem eius Iosiam antithesi, *Pater tuus*, inquit, *nunquid non comedit, & bibit, & fecit iudicium & iustitiam cum bene erat ei? Iudicauit causam pauperis, & egeni in bonum suum*, & non suis duntaxat commodis, quod tyranni faciunt, seruiebat. *Nunquid non ideo, quia cognouit me, dicit Dominus*, cui talia opera grata esse nouerat, & exequendæ voluntati meæ se totum addixerat. *Tui vero oculi, & cor ad auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis*, qui laxatis ad omnem prauitatem habenis, contento, atque incitato cursu ruis. III. *Et Ieremia, & antithesis cum Iosia.*

[f] 22. 17. 18.

QVÆ verba nos ad alterum eius crimen manu ducunt. Auaritiam videlicet de qua eodem loco Ieremias. *Væ*, inquit, *qui ædificat domum suam in iniustitia, & cæ* IV. *Ioachimi auaritia.*

v. 13.

*nacula sua non in iudicio, amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei.* Est autem merces operariorum defraudata vnum ex peccatis in cœlum clamantibus, & proprium tyrannorum; sicut & oppressio pauperum, dum in ædificiis regiis, ædibusque magnificis extruendis, eos aut gratis seruire cogunt, aut pacta mercede defraudant. Quo pertinet etiam illud Habacuc,[a] *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit: Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate;* sanguinem vocat substantiam pauperum, iuxta illud,[b] *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Ita sapiens, & per eum Spiritus sanctus. a 2. 11. b Eccl. 34 24.

V. Eiusdem superbia. Quantum ambitionis, siue superbiæ crimen illis verbis significat Ieremias.[c] *Qui dicit, ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque sinopide.* Hæc autem ex insigni superbia suscepta fuisse ex eo patet, quod iis magnificentiora in Salomone non sunt reprehensa. Quod non obscure notat Diuus Hieronymus, qui dicit prophetam plangere supradictum regem, quod confidat in iniustitia, & putet esse perpetuam regiam dignitatem, & æternam palatii sui ædificationem arbitretur. Hæc autem ædificiorum amplitudo facile ostendit, non pertinere hanc obiurgationem Ieremiæ ad Sellum, siue Ioachaz, quem paulo ante dixerat egressum Hierosolymis, nunquam eò reuersurum, qui tribus tantum mensibus regnauit: sed ad Ioachimum, qui ad vndecimum annum regnum produxit; qui consequenter nominatur, cum horum scelerum quam amara, luctuosaque sit futura merces[d] deinceps traditur. c c. 22. v. 14. d v. 18.

VI. Eius interitus prædicitur. Propterea *hæc dicit Dominus ad Ioachim filium Iosiæ regem Iuda, non plangent eum væ frater, & væ soror; non concrepabunt ei, væ Domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem.* Putauit Abulensis, quæst. vlt. in librum 4. Reg. pœnam Ioacimo intentatam sub extremos eius annos. At rectius à Castro, sub hæc regni eius initia prædictam putat, vt tam ignominiosum vitæ finem veritus, à sceleribus perpetrandis auocaretur: si quam tamen prophetæ, homo profanus, aut ei à quo mittebatur, adhibebat fidem. Sed de morte eius suo loco dicetur.

VII. Res ab Anco cum Veientibus gesta. Secundus Ioachimi annus est decimus tertius Anci Marcii Romanorum regis, in quem cadit bellum ab eo gestum contra Veientes. Nam bellum Sabinum nono Anci anno gestum est, vt ibi ex Dionysio, & Gellio, Licinioque, anno octauo diximus. Deinde quarto fere post hoc bellum anno, qui est Anci decimus tertius, Marcius rex præter vrbanas legiones excito maximo sociorum numero, Veientes aggressus, agrum eorum longe lateque populatus est. Ipsi enim superiore anno irruptione in agrum Romanum facta magnas prædas abegerant, multasque cædes perpetrauerant. Veientibus deinde cum magno exercitu profectus obuiam, castris trans Tyberim positis, vias eis in regionem interclusit, quod esset equitatu superior: deinde in aciem prodire coactos, vicit egregie, ita vt castris etiam eorum potitus sit, & triumphans in vrbem reuersus. Hæc ferme Dionysius.



## ANNVS MVNDI 3428. QVINTÆ ÆTATIS 489. TEMPLI FVNDATI 406. IOAKIMI REGIS IVDÆ 3. AZARIÆ PONTIFICIS 3. IEREMIÆ 22. NABOLASSARIS 21. QVI ET 29. & VLT. IMP. BABYL. 95. OLYMPI. XXXVIII. AN. 3. ANCI MARCII 14. VRBIS CONDITÆ 127.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 625.



VIGESIMVM iam & secundum annum propheta Ieremias diuinas intentabat minas, virgam vigilantem, & ollam succensam à facie Aquilonis: cum cœpit hoc anno virga vigilans primos vibrare ictus, qui post aliquot annos repetentur; donec olla succensa ciuitatis regiæ deflagrationem, & regni totius vastitatem, & desolationem afferat. Hoc enim *tertio anno regni Ioacim regis Iuda, venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam*, vt ait Daniel. [a] Nec obsedit tantum, etiam cœpit, *tradidit* enim *Dominus in manu eius Ioachim regem Iuda, & partem vasorum domus Dei, & asportauit ea in terram Sennaar, in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui.* — I. *Res anni huius.* (4. Reg. 24. 1. 2. Par. 36. 6. Dan. 1. 1. a c. 1. v. 1.)

QVÆ vt explicemus, primo de tempore huius cladis agendum est, videtur enim Daniel à Ieremia dissentire, qui initio c. 25. ita scribit. *Verbum quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iuda, in anno 4. Ioachim filii Iosiæ regis Iuda, ipse est annus primus Nabuch. regis Babylonis.* Hæc ibi. Quomodo quartus Ioacim est primus Nabuchod. vt vult Ieremias: si anno tertio rex erat, & occupata Ierusalem cepit Regem Ioachim, eumque in captiuitatem abduxit? Deinde Iosephus, [b] primam expeditionem Nabuchodonosoris factam scribit quarto Ioacimi anno, & quidem non contra Iudæos, sed contra regem Ægypti Pharaonem Nechao: & ne Iosephum contemnamus, idem affirmat Ieremias: [c] contra Iudæos, autem octauo Ioacimi anno, & eiusdem Nabuchod. 4. Si ergo octauo Ioacimi, vt vult Iosephus, quomodo 3 vt ait Daniel? Vatablus, Sà, Genebrardus, Perer. alii ad conciliationem vtriusque prophetæ, dicunt primum annum regni Nabuchodonosoris attigisse tertium Ioacimi exeuntem, & quartum inchoantem, & progredientem. Verum sequenti anno docebimus primum Nabuchodonosoris annum nullo modo tertium Ioacimi attingere, sed quartum, & partem quinti. — II. *Ratio temporis.* *Quo anno Nabuch. Ioachimum ceperit.* (b l. 10. c. 7. c c. 46. n. 2.)

ALIA ergo quærenda est solutio, quam ex Beroso petemus: vnde etiam de Nabolassaris morte, quæ in hunc annum cadit, docebimur. Is ergo lib. 3 rerum Chaldaicarum, apud Iosephum, [d] sic scribit. *Pater autem Nabuchodonosorus audito, quod Satrapa, quem Ægypto, & Cœlesyriæ, Phœniciæque præfecerat, à se defecisset, cum non posset amplius fere labores militiæ, tradita iuniori Nabuchodonosoro copiarum parte, iussit eum contra illum proficisci, qui collatis signis cum desertore congressus, & ipsum deuicit, & regiones eius ad suum imperium retraxit. Interea pater Nabuchodonosorus apud Babylonem morbo absumptus est, cum regnasset annos viginti & vnum.* — III. *Nabolassar mittit filiũ in Iudæã. Et moritur.* (d l. 10 ant. c. 11 versus finem.)

NABVCHODONOSORVS *vero non multo post, patris morte cognita, & constitutis Ægypti, ac reliquarum regionum negotiis, demandataque amicis cura captiuorum Iudæorum, Syrorum, Phœnicum, & Ægyptiorum traducendorum in Babyloniam cum exercitu, & impedimentis, ipse cum paucis per desertum Babylonem properauit. Et cum assumpsisset regni administrationem, quæ interim penes Chaldæos fuerat, & ab eorum primo seruata erat in eius reditum, factus est totius imperij paterni Dominus. Ac primum omnium captiuos recens adductos per opportuna Babyloniæ loca in colonias distribuit;* — IV. *Nabuchodonosor regno succedit.*

*deinde spoliis bello partis Beli templum, & alia quædam magnificè exornauit.* Hæc ibi, quæ totidem pene verbis repetuntur, l. 1. contra Appionem, paulo ante medium: nisi quod ibi Senior Nabuchodonosor dicitur Nabulassar, & anni regni ei viginti nouem attribuuntur: vt anno quoque trigesimo nono Manassis diximus.

V. *Explicatur ex Beroso Daniel.*

EX his porro Berosi verbis, quæ instar commentarii esse possunt, primis illis Danielis verbis, intelligimus primò, anno vno antequam Rex esset iunior Nabuchodonosor, expeditionem in Syriam, & contra Iudæos suscepisse, qui fuit annus, tertius Ioacim, vt ait Daniel. Secundò non statim à morte Patris regno eius successisse, quod Babylone abesset, eique illud ab vno optimatum Proregem agente conseruatum, ideoque non nisi quarto anno Ioacim regnare cœpisse. Quod autem non solos Iudæos captiuos ponit, sed Syros etiam, Phænices, & Aegyptios, non leuem confusionis temporum suspicionem parit: ne scilicet quæ primis monarchiæ annis conueniunt, initio regni tribuantur. Sed externo homini, & in historia Iudaica peregrino, atque hospiti, id condonari potest, Iosepho certe non potest: qui loco citato contra Appionem vtrumque tempus videtur permiscere.

VI. *Iosephus miscet diuersas Nabuchodonosoris expeditiones.*

CVM enim summatim Berosi referret narrationem, sic ait. *Vsque ad Nabolassarum peruenit Babyloniorum & Chaldæorum regem, & huius actiones exponens narrat, quemadmodum misit in Aegyptum, & ad nostram terram filium suum Nabuchodonosorem, cum multa potentia: qui dum rebellantes eos inuenisset, omnes suo subiecit imperio, & templum in Hierosolymis concremauit, cunctumque generis nostri populum auferens, migrauit in Babylonem. vnde ciuitatem contigit desolari annis septuaginta, vsque ad Cyrum regem Persarum.* Sic ipse, huius epitomes postrema pars Iosephi est, non Berosi, vt ex eius verbis paulo ante recitatis perspicuum est. Ex his autem illud quoque perspicuum est, primam Nabuchodonosoris profectionem cum vltima esse confusam, & vt de Syris, Phœnicibusq; dissimulemus, quo nomine intelligere potuit incolas regni decem tribuum, qui regi Babylonis Assyriorum domino, iam inde à sexto Ezechielis anno parebant, eorumque plerique tempore Iosiæ se regno Iudæ, regis pietate & benignitate commoti, adiunxerant. De Aegyptiis certe constat ex Ieremia, * & ex ipso Iosepho, quem paulo ante retulimus, eos non fuisse nisi anno sequenti superatos. Si quos ergo hoc anno tertio Nabuchodonosor præter Iudæos captiuos abduxit, præsertim Aegyptios, eos latrunculorum more potius interceptos, quam legitimo prælio superatos affirmare possumus.

*Et Ieremias.*

*ac. 46. v. 2*

VII. *Causa expeditionis in Iudæos primæ.*

SED nec in belli causa Beroso assentiri facile possumus. Quomodo enim Aegyptii defecerant, qui nondum fuerant à Babyloniis deuicti, vsque ad annum sequentem, nisi leui prælio ad Euphratem, quando mortuus est Iosias: quo anno mox rediit ad Iudæos Nechao, & constituto ibi Ioacimo rege, Ioachaz in Aegyptum abduxit. Et voluit persequi Pharaonem Nabolassar, sed infirmior, rem tardius aliquanto filio commisit, qui facta in Iudæam excursione, in patriam, patris morte superueniente, regredi coactus est. Quin ne anno quidem sequenti Aegyptum Babylonii attigerunt, sed Pelusium vsque duntaxat progressi sunt, tota vero Aegypto non nisi post multos annos potiti sunt. Eadem est etiam ratio Iudæorum: non enim illi rebellârant Babyloniis, quibus nondum subditi fuerant, sed illos potius, Aegyptiorum subnixi viribus, contemnebant. Ioacimus enim Pharaonem Nechao, cui erat tributarius, & cliens, protectorem habebat.

VIII. *Vera causa eiusdem.*

CAVSA igitur huius contra Iudæos primæ expeditionis Babyloniorum, omissa diuina vltione impietatis, reliquorumque scelerum Ioacimi, non alia fuisse videtur, quam illa ipsa quam dixi Ioacimi cum Pharaone societas, & armorum animorumque coniunctio. Cum enim Nabuchodonosor Pharaoni hostis esset, vt patet ex iis, quæ anno 31. Iosiæ contigerunt, etiam contra Ioacimum Pharaonis amicum hostilia arma conuertit, hostiliterque tractauit, cum is nihil in eum deliquisset; sed fauorem potius à Babylonio rege promereretur, cum pater ipsius Iosias, in prohibendo hostis eius ad eum transitu, vitam fortiter profudisset.

IN hunc tertium Ioachimi annum refert Christ. à Castro cap. 17. Ieremiæ, vbi ait *peccatum Iuda scriptum esse stylo ferreo, in vngue adamantino; exaratum est super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.* Cum enim auditum esset Hierosolymis, quod toties inclamarat Ieremias, Nabuchodonosorem in Syriam, siue in regnum Israel expeditionem parare, Ierosolymitæ patrocinio Aegyptiorum confidentes, vt ait Theodoretus, Hugo, & alii, nihil admodum pensi habuerunt, vt vel mores corrigerent, vel se se ad bellum pararent, forte etiam senioris Nabuchodonosoris infirmitatem, quam ex Beroso diximus, non ignorantes. Ideoque Ieremias eo loco inuehitur in indurata corda Iudæorum, quæ essent instar lapidearum tabularum, in quibus tanquam stylo ferreo, vel vnque adamantino exarata impietas, abradi & deleri non posset. IX. *Ieremias arguit hoc tempore obstinatiōnē Iudæorum.*

LONGE aliam sententiam tradit hoc loco Sanctius. *Eo progressa est*, inquit, *impudens Iudæorum idolomania, vt palam gestent suæ impietatis monimenta. Nam deorum imagines in annulorum gemmis incidant, & adamante duro: in latis quoque laminis, quas de more ad pectus è collo demittunt, in ipsis etiam publice cornibus ararum.* Vtraque expositio huic tempori satis aptari potest. Addit autem pœnam quam subinde inculcat, dum subdit, *fortitudinem tuam, & omnes thesauros tuos in direptionem dabo;* moxque addit priuandum hæreditate sua, quam ei dederat Dominus, extorrem, seruum, & captiuum; *& seruire te faciam*, inquit, *inimicis tuis, in terra quam ignoras, quoniam ignem succendisti in furore meo, vsque in æternum ardebit*, id est donec consumaris: omnes enim qui tum male viuebant ante finem captiuitatis cōsumpti sunt. Quod ad illam autem inanem fiduciam in Aegyptiorum auxilio, sic in eam inuehitur v. 4. hæc dicit Dominus. *Maledictus est homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius*, & quæ sequuntur. X. *Vel impudentiam circa idola.*

CVM ergo propheticæ, imo diuinæ comminationes nihil proficerent, ad verbera, vt dicebamus, ventum est: venit insperatus Nabuchodonosor, obsedit ciuitatem, & breui tempore, vt pote minime ad obsidionem ferendam paratam, eam cepit, seu vi, seu fraude, seu terrore, neque enim id Scriptura explicauit, neque super ea re, quod sciam, Rabini diuinare conati sunt. Cepit & regem eius Ioacim. An autem traduxerit eum in Babylonem, in Daniele subobscurum est. Clarius aliquanto apud Ezechielem, [a] vbi de Ioacimo agens, vt recte ibi probat Hieronymus Pradus, Theodoretus, Lyranus, Dionysius, Maldonatus: Sanctius tamen de Ioachino quoque, qui vna cum patre regnabat, explicat. *Conuenerunt*, inquit propheta, *aduersus eum gentes vndique de prouinciis*, Chaldæorum videlicet, & Babyloniorum, *& expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est.* Pertexit quidem allegoriam propheta, & ad leonum venationem alludit: Ea tamen verba non prohibent, quo minus dici queat vim aliquam à rege adhibitam, ne caperetur, captum tamen fuisse. Ad id autem quod quærimus subdit; *& miserunt eum in foueam; & in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis, miseruntque eum in carcerem, ne audiretur vox eius vltra super montes Israel*, quia scilicet ad Babylonios longe ab Israel, & Iuda translatus esset. Sed res apertissima est 2. Paral. [b] *Contra hunc*, inquit, *ascendit Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem, ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo.* XI. *Venit Nabuchodonosor in Iudæam.* *Et regem Ioacimum capit.*

a c. 19. 8.

b 36. 6.

QVONIAM vero prædixerat Ieremias eum proiectum iri extra portas Hierusalem, & sepultura asini sepeliendum, quomodo id impletum est, si in Babylonem abductus fuit, ibique mortuus? vt putat Pradus in prædictum Ezechielis locum, secutus Hieronymum in c. 22. Ierem. [c] At violenta est eius interpretatio, vt extra portas Ierusalem, quo proiiciendum ipsum dixit Ieremias, abiectus dicatur, qui in carcere Babylonio mortuus, extra Babylonis muros proiectus sit. Lyranus & Caietanus in secundo Paralip. 36. & Perer. init. in Daniel. aiunt vinctum quidem fuisse vt duceretur, sed mutato deinde consilio ex itinere retractum, & interfectum, & bestiis, volucribusque proiectum. Sed hæc vltimo quidem anno Iacimi contingere potuerunt, at nos de tertio agimus, cui non conueniunt; nisi contra Scripturam dicamus, eum triennio tantum, & non vndecim annis regnasse. XII. *An in Babylonem abductus.*

c c. 22. 19.

DICIMVS ergo Ioacimum hoc tertio anno suo captum fuisse à Nabuch. XIII. *Abductū, sed breui in patriam reuersum.*

vt ait Daniel, & abductum in Babylonem, vt dicitur 2. Paral. 36. & consentit Abulensis,[a] ibi tamen parum mansisse, quia 4. Reg. 24. dicitur tribus annis seruiuisse Nabuchodonosori, & omnino regnasse ad vndecim annos, ergo oportet eum breui Hierosolymam sub certis conditionibus reuertisse; quod affirmat à Castro in præfat. l. 2. comment. in Ierem. & Sanctius in c. 19. eiusdem.[b] Pererr. etiam init. com. in Dan refert, nec improbat sententiam aliquorum, in quibus Genebrardus, imo author Mirab. scr.[c] qui dicunt Danielem, qui cum rege Babylonem fuerat abductus, obsidem pro eo cum sociis, vt qui nobilissimi essent, &, vt communis est sententia, regii sanguinis, Babylone fuisse retentum. Confirmaturque hæc sententia ex eo quod Ieremias[d] memorans tres populi translationes à Nabuchodonosore factas, huius non meminit.

a 4. Reg. 24. q. 6.

b v. q. n. 22.

c l. 2. c. 29. & 30.

d c. 52. 28

XIV. Relictis Babylone obsidibus, Daniele & sociis.

CAPTIVVS cum rege ductus est in Babylonem Daniel cum sociis. Propterea enim initio prophetiæ suæ memorauit captum Ioacim, anno regni sui tertio, vt simul doceret quo tempore, & qua occasione Babylonem ipse transmigrasset. Idem affirmat Torniellus.[e] Diuus Hieronymus init. com. in Ezechiel. ait Danielem cum sociis, & Ezechiele ductos in captiuitatem, cum rege Ioachino, cognomento Iechonia. Sed vel memoria lapsus est, vt vult Pererius, vel ex aliorum sententia locutus est, vt ait ibidem Torniellus. Eum tamen secuti sunt Comestor, Lyranus, & Chartus. sed pluris est ipsum Danielis testimonium. Quin Eusebius quoque in chronic. ait octauo regni Ioacim Danielem cum sociis in Babylone claros habitos fuisse: ergo abducti fuerant ante vndecimum, quo Ioachin eius filius transmigrationem cœpit. Longe autem grauius impegit Iosephus, qui hos pueros de genere Sedeciæ cum ipso captos significat, annis vtique octodecim serius, quam veritas patiatur.

e anno quintæ ætatis 406. num. 4.

XV. Res cum Veientibus Volscisque gesta.

INTEREA Romæ iterum contra Veientes à Marcio hoc anno pugnatum est. Sic enim scribit Dionysius. *Altero post hac anno Veientibus rursum violantibus inducias, & repetentibus castella, quibus sub Romulo ex pacto excesserant, maiore quam ante prælio cum eis ad Salinas conflixit, & victoriam adeptus, cætera oppida sine controuersia retinuit. Magnam fortitudinis gloriam in ea pugna consecutus est Tarquinius equitum ductor, ipsius regis iudicio, à quo tum aliis honoribus identidem affectus est, tum patriciorum & senatorum numero adscriptus.* Hoc quoque anno Volscorum temeritas compressa videtur, qui cum in agro Romano prædas agerent; vicissim Marcio prædæ fuerunt: & vrbe eorũ Velitris obsessa, grandæui ex oppido progressi, & regi supplices facti, pollicitique se ad eius æstimationem damna persoluturos, & sontes dedituros ad supplicium, rebus recuperatis, in fœdus & amicitiam recepti sunt.

XVI. Portus Ostiensis.

REFERT Onuphrius in hunc decimum quartum Anci annum præclarum eius institutum, quod Vrbem omnibus vitæ commodis locupletauit, & ad maiora capessenda incendit. Ad ostia enim Tyberis, vbi is se in mare Tyrrhenum exonerat, nauale condidit, & qua inter flumen & maré prominens littus curuatur in cubiti speciem, oppidum Ancus muniit, quod ex re Ostiam appellauit. Effecitque vt Roma, non mediterraneis tantum hominibus, sed marinis quoque patens, transmarina bona degustaret. Coloniam eò rex deduxit, & vicinam syluam condendis nauibus publicauit. Salinas quoque, teste Liuio, ibi fieri curauit. Vide pluribus hac de re Dionysium.



## ANNVS MVNDI 3429. QVINTÆ ÆTATIS 490. FVNDATI TEMPLI 407. IOAKIMI REGIS IVDÆ 4. AZARIÆ PONTIF. 4. IEREMIAE 23. MAGNI NABVCHODONOSORIS 1. IMPERII BABYLONIORVM 96. OLYMP. XXXVIII. AN. 4. ANCI MARCII 15. VRBIS CONDITÆ 123.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 624.



CELEBERRIMVS est hic annus aliquot Ieremiæ prophetiis, [a] ea præsertim, qua annorum 70. captiuitatem Babylonicam denunciauit; sicut & reditu Ioacimi in regnum suum, & initio Magni Nabuchodonosoris, illustrique eius contra Ægyptios victoria; aliisque nonnullis. I. *Reditus Ioachimi in Iudaeam*

[a] Ierem. 25. & 46. 2.

Non videtur autem, vt hinc ducamus initium, remissus in Iudæam è Babylone Ioakim, retentis, vt paulo ante dicebamus, Daniele & sociis obsidibus, nisi sub medium anni huius; postquam magnus Nabuchodonosor, mortuo iam patre, regni gubernacula suscepit, quod sub Iulium mensem contigit, vt ex seqq. patebit, conditiones autem non alias intelligo, quam tributi soluendi; ne meliore esset conditione sub Chaldæis, quam sub Ægyptiis fuerat.

SOLVIT autem id tributum tribus annis, vt ex 4. Regum 24. initio clarum est. Sed non ita clarum est qui fuerint hi anni. Iosephus [b] significat eos fuisse Ioacimi octauum, nonum & 10. consentit à Castro in præf. l. 2. commentar. Sed id fieri nō potest, quia ipsomet decimo venit Nabuchod cōtra eum, vt dicetur: at si decimo illo anno tributum soluerat, nihil erat causæ cur infestis Iudæam armis inuaderet. Torniel. anno 5. ætatis 413. putat persolutum tributum anno 7. 8. & 9. in 10. autem negatum, in cuius propterea fine venit Nabuch. Verum quid probabilitatis habet tam liberalis remissio, eius præsertim regis, qui hosti suo Ægyptio tributa iamdudum pendebat? aut quid causæ afferri potest, cur potius anno 7. tributum exegerint Chaldæi, quam 4. vel quinto? II. *Quibus annis soluerit tributum.*

[b] L. 10. c. 7.

Vatablus ait persolutum tributum anno sexto. 7. & 8. quia putat quinto tantum anno, aut etiam initio sexti captum Ioacimum, & statim restitutum pacto tributo. Sed fundamentum ponit Vatabl. quod Danielis assertioni refragatur.

EXISTIMO igitur anno 3. sub finem captum Ioacimum, & abductum Babylonē; ibi plures menses versatum, retentis obsidibus cum promissione tributi quarto anno remissum; idque cum fide persoluisse post vnum à conuentione annum, videlicet anno 5. & item 6. & 7. octauo autem non soluisse, vana spe ab Ægypto adductum; & vana etiam spe, & procrastinationibus lactando Chaldæum. Cum autem ne nono quidem soluisset, venit denique contra eum anno decimo, quantumuis Tyri obsidione retardatus, ac detentus, & initio anni eius vndecimi eum in suam potestatem redegit. III. *Propria sententia.*

SEQVITVR vt de Babylonica Iudæorū captiuitate pro instituto differamus. In qua explicāda iampridem multorum interpretum, & Chronologorū desudauit industria. Cum autem tam de initio eius, quam de fine suscipi possit disputatio, satisque constet ex fine 2. Paral. & initio libri Esdræ septuaginta istos annos, primo anno imperij Cyri regis Persarum esse terminatos, quo Chaldæorum Monarchia, occiso Balthazare concidit, quod nos suo loco Deo fauente, plenius demonstrabimus, de initio inquirendum est, in quem annum cadat. Neque enim constituto licet fine, de initio certo constare potest; propterea quod regum Babylonicorum numerus, & anni valde controuersi sunt, & prout quisque IV. *Captiuitas Iudæorum in quem annum cadat.*

citius, tardiusue inchoat illos 70. annos, ita plures, paucioresue Chaldæos reges, eorumque annos assignat.

VI *Prima opinio de eius initio.*

QUATUOR ergo præcipuæ sunt de hoc principio opiniones. Prima eorum qui hanc captiuitatem vnà cum prophetia Ieremiæ, id est anno 13. Iosiæ inchoari putant. Ita sentit Samerius in sua Chronol. Nec video qua is ratione niti possit, aut quicumque aliquo alio Iosiæ anno, 70. annos captiuitatis inchoant; cuius totum regnum pacificum fuit, & nescium seruitutis.

*Altera opinio.*

Secundo alij hanc septuagenariam seruitutem in Ioachini transmigratione inchoant, qui fuit octauus Nabuchod. ita Caiet. in c. vlt. 2. Paral. & Rabi Salomon apud Lyra. initio Esdræ. Genebrar. in fi. li. 1. Chron. Azor to. 1. Moral. [a] quam dicit esse Iosephi: sed aliam eius esse sententiam, ex his ipsius verbis [b] satis patet. *Rex Babylonius*, inquit, *pro abductis duabus tribubus, nullam gentem in eam regionem reposuit; quo factum est vt Iudæa, cum Hierosolymis, ac templo, per septuaginta annos deserta maneret.* At templum à Ioachini transmigratione desertum non fuit, sicut nec ciuitas; cum in ea totos adhuc vndecim annos Sedecias regnauerit. Sed habet hæc sententia potentiorem etiam aduersariũ Ieremiam, [c] eadem cum Iosepho sentientem, cuius testimonium, ad confirmationem sententiæ, quam iudicamus verissimam, differemus. Nihilominus habet hæc sententia probabilitatem ex 29. Ierem. Vbi scribens ad eos, qui cum Iechonia ad seruitutem Chaldæorum abierant, ait eos visitatum iri libertate recuperata, cum cœperint impleri in Babylone 70 anni; nimirum seruitutis eorum, quos alloquitur. Sed hæc expositio, de qua est tota controuersia, non debet assumi sine probatione ab huius sententiæ fautoribus. Nam alij dicunt istos Septuaginta annos, sumendos esse eos, qui c. 25 ante aliquot annos pronunciati fuerant, ad quorum initium nondum ventum erat.

VI. *Tertia opinio de initio captiuitatis.*

TERTIO alij seruitutem hanc in hunc primum Nabuchodonosoris annum referunt. Ita sentit Christoph. à Castro, qui hanc quæst. ex professo tractat in cap. 29. Ierem. Idem Ribera in ca. 1 Zachar. [d] Gordonus in sua Chronol. [e] Barrad. [f] & si qui alij, [g] qui probant hanc sententiam, tum quia Monarchia Chaldæorum suppar fuit huic captiuitati. At illa incipit anno 1. Nabuchod. tum quia Olympiades à primo anno Cyri retrocedendo ad primum Nabuchodonosoris, eundem numerum produnt; tum quia post Nabuchodonosorem duo tantum reges fuerunt, Euilmerodach, & Balthazar, vt significat Ierem. [h] quibus 26. tantum annos plerique authores tribuunt, oportet ergo 44. Nabudonosoris 70. annos impleri; & consequenter primo ipsius inchoari.

VII. *Improbatur. Nabuchod. & Cyri, aliud regni initium, aliud imperij.*

VERUM Monarchia Babyloniorum non incepit 1. anno regni Nabuchod. Nam pater eius imperium Asiæ & Syriæ obtinuisse dicitur à Beroso. Sed eo quoque antiquius esse, satis opinor à nobis suo loco probatum est. Quoniam vero Nabuchodonosor illud vehementer auxit, propterea illud incepisse creditus est. Auxit autem non primo regni sui anno, sed 24. qui fuit eius imperij primus, post deuictas regiones omnes, quas prædixerat Ieremias [i] illi seruituras: quando & Magni cognomen videtur consecutus. Sic nec Persarum Monarchia cum primo Cyri anno cœpit, sed, vt fatetur Ribera & Torniel. multis annis Cyrus regnauit in Perside, antequam Babylone capta, Monarchiam Persarum stabiliret. Et quamuis à 1. anno regni Cyri, qui omnium consensu, fuit primus Olympiadis 55. vsque ad 1. annum Nabuchod. qui cadit in annum quartum Olymp. 38. inuenirentur 70. anni, (qui tantum reperiuntur 66.) nihil inde concluderetur, quia initium imperij vtriusque, non regni accipiendum est, vt patet ex c. 25. Ierem. & c. 1. Esdræ, vt infra dicetur.

VIII. *Reges Babylonis parum probãt hoc initiũ.*

CÆTERUM quod ad reges Babylonis Nabuchodonosoris posteros, magna est inter scriptores omnes disceptatio, vix vt duo inueniantur, qui de eis eadem sentiant, vt videre est apud Azorem, [k] quia licet duo tantum à scriptura memorentur, filius scilicet Nabuchodonosoris, qui est Euilmerodach, & nepos qui Balthazar, & in eo dicat imperium Babylonicum concidisse; tamen quot illi annis regnauerint non tradit: nec negat aliquos interuenisse reges, qui id imperium ad annos aliquot occuparint, quos scriptores antiquissimi prodiderunt; Berosus apud Iosephum l. 1. contra Appionem, Alexander Polystor, Metasthe-

[a] l. 6. c. 56.
[b] 10. ant. c. 11.
[c] c. 25. v. 10. & 11.
[d] nu. 21. & seqq.
[e] c. 13. n. 6.
[f] t. 1. l. 5. c. 17 medio.
[g] Capellus, Beroaldus, &c.
[h] c. 27. 7.
[i] c. 25.
[k] t. 1. l. 6. c. 56.

a l. 9. de præparat. c. 4.

nes, & Alphæus apud Eusebium, [a] & eos iisdem locis sequuntur Iosephus, Eusebius, & D. Hierony. in c. 5. Danielis, Beda l. de 6. ætat. Comestor; quibus multi ex recentioribus subscribunt, licet annos aliter atque aliter disponant, Lucidus, Annius, Azor, Torniel. Perer. in Daniel. l. 6. & 10.

IX. *Quarta opinio 70. annos inchoat à morte Sedeciæ*

QVARTA sententia omnium longe optima, maximéque probabilis est, 70. annos ab vltima clade Hierosolymitana, Vrbis, Templique conflagratione inchoandos esse. Cuius expositionem licet ad vltimum Sedeciæ annum differre possemus; ne res tamen natura coniunctas tractatione separemus, eam hoc loco tractabimus; præsertim cum eius prædictio hoc anno facta sit.

*Probatur ex Ieremia. 1.*

Dicimus igitur prædictos à Ieremia 70 annos, à morte Sedeciæ, & Iudaici regni interitu esse auspicandos. Ea profecto mihi videtur Ieremiæ ipsius clarissima sententia. c. 25. quæ exactius ab ipso initio explicanda est, quoniam in eius recta intelligentia tota res posita est *Verbum*, inquit, *quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iuda, in anno quarto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchod. regis Babylonis.* In hoc titulo prophetiæ huius, duo obseruanda sunt, quæ non parum ad rem faciant. Primum est captiuitatem hac prophetia mox prædicendam, esse de omni populo, non de parte populi; qualis fuit, quæ 3. Ioacimi, & quæ primo Iechoniæ contigit.

X. *Altera ex eodem probatio.*

ALTERVM, hanc prophetiam editam anno quarto Ioacim; quæ cum prophetia sit, & in futurum tradatur natura sua, & propheta ipse futuro tempore semper vtatur, vt mox patebit, non oportet 70. annos inchoatos esse antequam prædicantur; quod tamen continget, si, vt vult 3. sententia, in captiuitate Ioacimi incipiantur, quæ contigit anno eiusdem 3 vt testatur Daniel, & non quarto, cum iam Ioacim, cum Daniele & sociis, Babylonem trãsmigrassent Sententia iudicis executioni mandari non solet, antequam feratur & promulgetur, præsertim si ad multos illa pertineat. Redeamus ad Ieremiam, qui antequam latam à Deo de 70. annorum calamitate sententiam denunciet, exprobrat populo 23 annos in eo admonendo frustra consumptos.

b c. 25. 3.

XI. Exprobratio Ieremiæ, & accusatio.

A TERTIO *decimo anno*, inquit, [b] *Iosiæ filij Amon regis Iuda, vsque ad diem hanc, iste tertius & vigesimus annus, factum est verbum Domini ad me, & locutus sum ad vos de nocte consurgens, & loquens*, id est magno studio, ac diligentia adhibita, *& non audistis*, quia nimirum perinde se gesserant ac si non audissent; quo etiam modo se erga alios prophetas gesserant, ideoque addit. *Et misit Dominus ad vos omnes seruos suos prophetas consurgens diluculo, mittensque: & non audistis, neque inclinastis aures vestras, vt audiretis*; ne simulastis quidem vos audire velle, sed corpore proterui, animo peruicaces monita Domini respuistis, *cum diceret. Reuertimini vnusquisque à via sua mala, & à pessimis cogitationibus vestris & habitabitis in terra, quam dedit Dominus vobis, & patribus vestris, à seculo, & vsque in seculum.* Merito meminit promissæ habitationis perpetuæ in terra Israël, sub conditione Deo religiosè seruiendi, cum denunciare vult eos illa priuatum iri, propter conditionem non seruatam. *Et non audistis me, dicit Dominus, vt me ad iracundiam prouocaretis, in operibus manuum vestrarum in malum vestrum.* Hoc crimen est, & culpa populi, sequitur nunc pœna, & Iudicis sententia.

XII. Sententia Iudicis in Hebræos.

PROPTEREA *hæc dicit Dominus exercituum. Pro eo quod non audistis verba mea, Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & super omnes nationes, quæ in circuitu illius sunt, & interficiam eos, & ponam eos in stuporem, & in sibilum, & in solitudines sempiternas.* Tria hic iterum contra tertiam sententiam faciunt. Prædicitur enim venturus Nabuch. qui tamen iam venerat, & prædicitur inuecturus calamitatem, quæ Iudæis communis futura esset cum circumpositis nationibus, quod non contigit nisi post mortem Sedeciæ, 3. prædicitur calamitas cum duabus circunstantiis, quarum vtraque pluribus inculcatur verbis, vt altius mentibus insideat.

*Ex qua impugnatur 3. opinio.*

XIII. *Circunstãtia captiuitatis probant quartam opin.*

PRIOR est, fore talem calamitatem quæ desolationem, & solitudinem perpetuam inuehat, quod soli captiuitati à morte Sedeciæ conuenit: eámque confirmat subdens, *perdamque ex eis vocem gaudij & vocem lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ, vocem molæ & lumen lucernæ, & erit vniuersa terra hæc in solitudinem, & in stuporem.*

Quomodo solitudo fuit in hac terra à tertio, vel 4. anno Ioacim, in qua is septem adhuc regnauit annis, Ioachinus tribus mensibus, Sedecias vndecim annis? Posterior circunstantia huius magni mali est diuturnitas eius, de qua subditur, *& seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam dicit Dominus.* Videtur certe hæc denunciatio captiuitatis, cum suis circunstantiis, eodem orationis filo pronunciata, tam perspicuam reddere huius sententiæ veritatem, vt nulla tergiuersatione celari possit.

*Reiicitur responsio: confirmatur veritas. Ex Iosepho.*

OMNINOQVE vim facit huic prædictioni, qui cæteris concessis, vnam eius circunstantiam, cum aliò detorquet, negat. Ait enim captiuitatem fore 70. annorum, illius autem partem fore desolationem, & terræ solitudinem, quæ multo paucioribus annis duratura sit. At istam ipsam solitudinem qualem descripsit fore 70. annorum perspicuè affirmat ipse propheta. Affirmat & Iosephus, vt sane mirum sit eum ab aliquibus in aliam aliquarum prædictarum opinionum, vel inuitum trahi. Is ergo [a] *Rex vero Babylonius*, inquit, *pro abductis duabus tribubus nullam gentem in ea regione reposuit, quo factum est vt Iudæa, cum Hierosolymis, & templo, per septuaginta annos deserta maneret.* Quo modo & in Græco habetur. Et iterum l. 1. contra Apionem. *Omnes*, inquit *suo subiecit imperio, & templum in Hierosolymis concremauit, cunctumque generis nostri populum auferens, migrauit in Babylonem, vnde ciuitatem contigit desolari annis septuaginta vsque ad Cyrum regem Persarum.* Ecce annos 70. à templo concremato, & totius populi, non partis alicuius captiuitate.

[a] l. 10. ant. c. 11.

*Rursum ex Iosepho. Irinæo Clemente Eusebio Leontio.*

IOSEPHVS idem [b] ait Esaiam 210. annis prophetasse de Cyro, antequam is solueret captiuitatem, & mox addit eandem prophetiam factam annis 140. antequam templum deuastatum est. Ergo necessario ab euerso templo ad Cyrum 70. annos numerat. Et iterum eodem 1. contra Appionem. *Hæc*, inquit, *concordant cum nostris. Scriptum namque in iis est. quod Nabuchod. 18. regni sui anno templum nostrum ad desolationem vsque perduxit, & fuit exterminatum annis 7.* (legendum est 70. vt patet ex dictis.) *Secundo vero anno Cyri fundamentis depositis, rursus 2. regni Darij anno perfectum est.*

[b] l. 11. c. 1.

XV. *Quæ accipienda desolatio.*

CERTVM tamen est à principio huius desolationis non fuisse in Iudæa omnimodam solitudinem. Nam 4. Reg 25. 12. dicitur Nabuzardam de pauperibus terræ reliquisse vinitores, & agricolas, idque repetitur à Ierem. [c] qui videntur permansisse in Iudæa vsque ad 23. Nabuchodonosoris, quando deuicta Ægypto profugos Iudæos ibi repertos partim occidit, partim cum reliquis Iudææ quisquiliis, captiuos Babylonem transtulit, numero 745. vt asserit Ieremias. [d] Sed pauculi illi agricolæ non impediunt quo minus terra desolata esset cum mox fugitiui in Ægypto, non in Iudæa morarentur. Eodemque modo ne rationibus quas dixit Ieremias Nabuchodonosori seruituras dicendum est, non omnes statim eodem anno & mense subiectas fuisse Chaldæis, & seruisse 70 annis; sed intra breue tempus subiectæ sunt omnes. Id autem tempus, vt modicum ad 70. annos, trium scilicet aut 4. annorum, neglectum est, & de integro 70. annorum numero pronunciatum. At tertiæ illius sententiæ fautores de 70. annis totos octodecim annos detrahunt. Sicque firma remanet, & insoluta ratio, quam ipsi se soluisse arbitrabantur.

[c] ca. 52. 16.
[d] c 52. 30.

*Et cæterarum gentium.*

XVI. *Confirmatur ex Daniele tempus desolationis. Hieronymo. Iosepho iterum.*

SED eam nos etiam magis roboremus, imo propheta Daniel Ieremiam interpretetur. [e] *Ego Daniel intellexi in libris* (sacris) *numerum annorum de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni*: non dicit captiuitatis, sed desolationis, quo modo in Hebræo, Græco, & Chaldæo legitur; alludit quippe ad ipsamet verba Ieremiæ, quæ illam solitudinem, ac desolationem inculcant. Vbi D. Hieronymus. *Prædixerat Ieremias 70. annos desolationis templi, post quos rursus veniret populus in Iudæam, vt ædificaretur templum*, & Ierusalem, primo scilicet anno Cyri. Idem etiam sentit Iosephus [f] ex eodem Ierem. loco. ideoque nomine transmigrationis intellexit desolationem, quam Ieremias expressit, sicut & locis iam citatis. Idem alibi [g] ex Ieremia ait Babylonium ex Ægypto reducem, in vrbem simul & templum ferro ac flammis sæuiturum; indeque ei, & posteris eius per 70. annos Iudæos seruituros.

[e] Daniel. 9. 2.
[f] l. 11. ant. c. 1.
[g] l. 10. ant. c. 10.

a 2. Par. 36. v. 20.

XVII. *Ex libro Paralipom.*

ACCEDAT alius sacer historicus [a] qui postquam dixit hostes incendisse domum Dei, & destruxisse murum Ierusalem, & vniuersas turres combussisse, subdit. *Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem seruiuit regi, & filiis eius.* Quod si quæramus, quamdiu seruituri erant, qui ab incenso templo, & euersis muris Ierusalem, euaserant gladium, respondet, *donec imperaret rex Persarum* Cyrus vtique, qui eos primo imperij sui anno dimisit, vt statim subdit. Si rursum quæramus, quot annorum futura erat illa seruitus, iterum respondet, & vocat eam desolationem 70. annorum à Ieremia prophetatam, ait enim. *Et compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra sabbata sua*, quo tempore Iudæis neque serere, neque metere licebat, tam die 7. quam anno 7. pergit. *Cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni*, quæ libro quoque 3. Esdræ [b] leguntur, & ex [c] Leuitico confirmantur.

b ca. 1. fin. c 26. 34. 35.

XVIII. *Ex Isaia quoque.*

CONFIRMATVR iterum ex Isaia c. 23. vbi de ciuitate Tyri à Chaldæis deuastanda locutus, v. 15. sic ait. *In obliuione eris ô Tyre 70. annis, sicut dies regis vnius*, id est quantum solet homo viuere, cuius vita, etiam si rex fit, fere 70. annis terminatur, vt Dauidis. *Post 70. autem annos erit Tyro quasi canticū meretricis*, quæ scilicet cantu suo ad se allicit amatores. *Et erit post 70. annos visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad merces suas.* Atqui constat Tyrum anno proximo à deleta Hierosolyma euersam fuisse, vt infra ex Iosepho, D. Hierony. aliisque docebimus; ergo ab eo etiam tempore anni Hierusalem numerandi videntur. Et Ierem. illos 70. annos tam Iudæis, quam Tyriis, & Sidoniis, & Palæstinis, & cunctis regibus Arabiæ, & occidentis communes facit, qui omnes eodem prope tempore iugum Babyloniorum subiere. [b]

b Vide Pradum in ca. 26. Eze. v. 8.

XIX. *Iam vero Irenæo, Leontio.*

IAM vero eadem est antiquorum patrum, scriptorumque sententia, nam præter Iosephum & D. Hierony. quorum apertissima verba citauimus, accedit Clemens Alex. [c] *Nabuchodonosor, inquit, excæcatum Sedeciam abduxit Babylonem, totumque populum commigrare iussit, paucis exceptis qui confugerunt in Ægyptum*, sic enim legendum est ex Ierem. [d] *Durauit autem hæc captiuitas septuaginta annis.* Hæc Clemens. S. Irenæus [e] numerat 70. annos ab ea captiuitate Iudæorum, qua corruptis à Nabuchodonosore, id est concrematis, vnà cum templo sacris scripturis, in patriam illi rediere. Quæ totidem verbis laudat Eusebius, [f] Leontius Bizantinus lib. de sectis act. 2. (habetur to. 4. biblioth. patrum,) *Sciendum vero*, inquit, *regem Assyriorum Nabuchodonosorem cum regnante Sedecia cum copiis Hierosolyma venisset, Iudæos in captiuitatem abduxisse*, & mox. *Post annos 70. regnante Cyro, rursum Hierosolyma profecti sunt.* Atqui regnante Sedecia non sunt abducti, nisi postremo eius anno.

c l. 1. Strom. med.
d 43. 7.
e l. 3. c. 25.
f l. 5. histor. c. 8.

XX. *Et aliis patribus. Clemente, Eusebio, Nicephoro & recent.*

ADDO Eusebium l. 10. de præparat. c. vlt. *Vrbe deinde ab Assyriis euersa, temploque cremato, in Babylonem populus abducitur, vbi Daniel & Ezechiel prophetarunt, & post annos 70. Cyrus Persarum rex regnauit, qui Iudæos libertate donauit.* Nicephorus Callixti. [f] *Cum Babylonius Nabuchod. bellicam contra Iudæos expeditionem sumpsisset, vna cum vrbe templum est euersum, & populus Babylonem captiuus ductus ad annos septuaginta, &c.* Freculphus [g] *Babyloniorum vero rex cum duas tribus captiuas duxisset, neque gentem aliam in eorum fecisset habitare prouincia; propterea desolata omnis Iudæa, Hierosolyma, & templum annis LXX. permansit.* Quæ sunt fere verba Iosephi. Nec aliter sensit Lactantius. [h] Eadem est sententia multorum recentiorum, vt Pererij, [i] Villalp. [k] Torniel. [l] Serar. in fine quarti Regum. Caroli Sigonij cum Sulpitio Seuero initio l. 2. sacræ historiæ. Turcellin in sua Chronolog. Accedit Verronius, Adrichomius, Mercator, vt omittam Functium, Phrygionem, aliosque sectarios.

f l. 1. c. 6.
g to. 1. l. 3. c. 17.
h li. 4. c. 5.
i l. 10. in Daniel.
k to. 3. l. p. l. 3. c. 1.
l 5. ætat. an. 407. n. 9. & 6. æta. an. 1.

XXI. *Concursus annorum Nabuchod. cū Ioacim.*

QVOD ad primum Nabuchodonosoris annum attinet, nulla dubitatio esse potest, quin is in quartum Ioacimi annum cadat, Ieremia id aperte asseuerante. [m] Sed dubium tamen est an is tertio quoque Ioacimi anno respondeat, vt plerique ex initio prophetiæ Danielis asseruerunt: an potius eiusdem quarto & quinto anno Quæ est sine dubio Iosephi sententia, [n] vt bene notauit Torniel. [o] vbi dicit Nabuchodonosorē regno potitum anno 4. Ioacim, & mox subdit. *Quarto deinde regni Nabuchodonosoris anno, Ioacimi vero octauo, Babylonij Iudæis bellum inferunt*, &c. Si octauus Ioacimi respōdet 4. Nabuch. vt ait Iosephus, nullo modo tertius primo respondere potest, sed partim quartus & quintus. Deinde cum Ieremias

m ca. 25. 1.
n l. 10. ant. c. 7.
o an. 5. ætat. 407.

dicat. [a] *Iste est populus quem transtulit Nabuchod. in anno 7. Iudæos tria millia, & viginti tres.* Certe hæc est transmigratio Ioachini, facta 11. anno Ioacim patris sui, quæ non respondebit septimo Nabuchodonosoris, nisi primus respondeat quarto & quinto, & secundus quinto & sexto, & ita deinceps. — a c. 52. v. 28.

XXII. *Et annis Sedeciæ.* PERGIT ibid. Ierem. *In octauo decimo Nabuchod.* transtulit *de Ierusalem animas octingentas triginta duas*, quæ fuit captiuitas in Sedeciæ regni fine. Vt autem Nabuchodonosoris decimus octauus concurrat cum vndecimo Sedeciæ, oportet primum Sedeciæ concurrere pro maiori parte cum vndecimo Ioakim, & respondere consequenter 7. & octauo Nabuchodonosoris, & secundus Sedeciæ octauo & nono Nabuch. & ita deinceps, vsque ad 11. qui respondebit decimo septimo & decimo octauo vt schemate seorsim ostenditur. 2 Quod autem attinet ad tertium Ioacim, iam supra diximus ex Iosepho & Beroso, illo quidem anno venisse Nabuchod. in Iudæam iussu patris, non fuisse tamen regem nisi anno sequenti, quando mortuus est pater eius Nabolassar, siue senior Nabuchodonosor. — 2. ex.

XXIII. *Obiect. de 19. Nabuchod.* AT quid est, inquies, quod 4. Reg. 25. 8. & Ierem. 52. 12. dicitur. *In mense quinto decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosoris regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militiæ*, &c. Certe ille mensis quintus est anni vndecimi Sedeciæ, sicut & mensis quartus, vt apertum est ex verbis Ierem. [b] *Et fuit*, inquit, *ciuitas obsessa vsque ad vndecimum annum regis Sedeciæ, Mense autem quarto* nimirum eiusdem anni *nona mensis dirupta est ciuitas*, &c. Si ergo quintus mensis anni vndecimi Sedeciæ respondet anno 19. Nabuch. quomodo idem 11. respondet 17. & 18. Impossibile enim est vt vnus annus respondeat tribus; præsertim cum vndecim anni Sedeciæ completi & consummati fuerint, vt habetur ex c. 1. Ieremiæ. — b c. 52. 5.

XXIV. *Nabuchod. 19. non respondet 11. Sedeciæ.* RESPONDEO grauem esse difficultatem; cui tamen breuiter responderi potest, decimum nonum annum Nabuchod. non respondere 11. Sedeciæ, sed tantum 12. si is vltra vndecimum regnasset: quia anni singuli Sedeciæ & Nabuchod. eundem fere habebant exitum, & idem initium, qui erat mensis quintus anni sacri currentis. Idque clare de Nabuch. probatur ex Ierem. c. 52. vbi v. 12. ait mense quinto venisse Nabuzardan, qui est annus 19. at ille idem v. 29. dicit Iudæos translatos in Babylonem, anno 18. Nabuch. ergo annus decimus octauus Nabuchodonosoris terminabatur illo mense quarto, & 19. inchoabatur mense quinto, vt recte notauit Caiet. in vlt. 4. Reg. & post eum Torniel. anno 407. quintæ ætatis. Idem etiam de Sedecia probatur; quia mense quarto anni currentis impleuit sui regni annum vndecimum, quando Nabuchod. terminauit suum decimum octauum.

XXV. *Explicatio difficultatis.* PRO totius rei explicatione, notandum est annos regum ordinariè incipere, vt fors tulerit eos regni administrationem suscipere, siue in principio, siue in fine, siue in medio anni currentis. Annus autem currens, est tum sacer, incipiens circa æquinoctium veris, tum profanus, siue communis, incipiens circa æquinoctium autumni. Sedecias igitur si compleuit 11 annos regni sui, [c] & eos finiuit mense quarto, nona die mensis, [d] impossibile est mensem quartum, & mensem quintum, qui citatis locis memorantur, esse menses anni vndecimi Sedeciæ, sed anni currentis sacri: quod eorum etiam assertione firmatur, qui expugnationem ciuitatis aiunt nostro mense Iulio contigisse. Rursum si anni vndecim Sedeciæ finiti sunt quarto mense anni sacri, oportet etiam eodem tempore primum illius annum inchoasse. Similiter & primum Nabuchodonosoris quinto mense anni 4. Ioacim inceptum esse. Quibus positis necesse est primum Sedeciæ annum cum vndecimo Ioacimi concurrere, & in illo ipso etiam tres menses Ioachini includi, alioqui vndecimus Sedeciæ finietur non cum 18. sed cum 19. Nabuchod. quod repugnat scripturę, vt diximus. Rem facile tabella seorsim repræsentabit, quæ simul erit index annorum sequentium. 3 Et de Nabuchodonosoris, & annorum 70. ordinatione hactenus, quæ maximum toti huic Chronologiæ momentum afferunt. — c Ierem. 1. d Ierem. 52. 6. — 3. ex.

XXVI. *Bellum inter Babylonios, & Ægyptios.* HOC ipso anno primo Nabuchodonosoris, & quarto Ioacim gestum est bellum inter Babylonios & Ægyptios, cuius exitus Ægyptiis luctuosus, paulo ante à Ieremia prænunciatus est, vt habetur c. 46. prophetiæ eius. Ea vt melius

intelli-

intelligātur, repete memoria lector, Pharaonem Nechao vltimo anno Iosiæ, eo occiso, quò intenderat ad Euphratem peruenisse, ibiq; tam ciuitate Charcamis, quam tota Syria potitum fuisse, Iudæos in potestate habuisse, sic vt alterum regem exautoraret, & in captiuitatem abduceret, alterum constitueret regem, & graui tributo oneraret; Qua rerum perturbatione animaduersa Nabolassar pater Nabuchodonosoris misit filium in Syriam & Iudæam, vt ex Beroso dicebamus, qui rem tam fœliciter gessit, vt non solum Syros, & Israëlitas in suam iterum redigeret potestatem, sed ciuitatem etiam Ierusalem improuisus oppugnaret, & caperet, & regem ipsum, cum plerisque aliis, in quibus Daniel, & socij, Babylonem abduceret. Inde autem, relictis obsidibus è semine regio, rex cum certis conditionibus in patriam, sicut olim Manasses, cito remissus est. *Res hactenus inter eos gesta.*

Interea Nabuchodonosor patre mortuo rex Babylone constitutus, ægre ferens Ægyptium vicinam Euphrati & Babyloni regionem tenere, eam enim regionem in eius fide ac potestate mansisse dicendum est, eum inde expellere statuit, vt sic libere tota Syria, & Iudæa potiretur. Ideóque, vt ait Ioseph. [a] *Cum instructissimo exercitu Carchabesam*, scriptura vocat Carchamis, *ad Euphratem sitam petijt, bellum inferens Ægyptio Nechao, qui tum toti Syriæ dominabatur*, (aut potius dominatus erat triennio, vsque ad tertium annum Ioakim proxime præteritum.) *At ille cognito Babylonij conatu, non contempsit hostem, sed cum validis, & numerosis copiis ad Euphratem ei se opposuit.* Hoc in statu res erat cum Dominus reuelauit auriculam Ieremiæ, eique Babyloniorum de Ægyptiis, qui se ad bellum parabant, victoriam reuelauit. *Quod factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam contra gentes*, quæ nimirum sub Pharaone militabant, quod explicans subdit, *ad Ægyptum aduersus exercitum Pharaonis Nechao regis Ægypti*, in quo scilicet præter Ægyptios erant Afri, Nomades, Lybij, Æthiopes, Arabes &c. *qui erat iuxta fluuium Euphratem in Carchamis, quem percussit Nabuchodonosor Rex Babylonis, in quarto anno Ioakim filij Iosiæ regis Iuda.* Hæc vltima verba non ad tempus editæ prophetiæ pertinent, sed ad tempus quo scripta est, vt ex iis constat, quæ initio ca. 36. huius prophetiæ leguntur, quando iam eius veritatem euentus ipse comprobarat. XXVII. *Babylonius inuadit Ægyptiū.*

[a] l.10. c.7.

Ipsa autem prophetia sic habet. *Preparate scutum, & clypeum, & procedite ad bellum, iungite equos, & ascendite equites, state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis;* Hæc per quandam ironiam dicuntur exercitui Ægyptio, vt declarant quæ sequuntur. *Quid igitur? vidi*, prophetico scilicet spiritu, *ipsos pauidos, & terga vertentes, fortes eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexerunt, terror vndique, ait Dominus. Non fugiat velox*, id est non speret se fuga elabi posse, *nec saluari se putet fortis. Ad Aquilonem iuxta flumen Euphratem victi sunt, & ruerunt*, id est iamiam vincentur & corruent. Inde autem irridens eos, frustra magno apparatu militum prælium meditantes subdit; *quis est iste qui quasi flumen ascendit?* videtur alludere ad statos Nili ascensus; *& veluti fluuiorum intumescunt gurgites? Ægyptus fluminis instar ascendit, & velut flumina mouebuntur fluctus eius, & dicet, ascendens operiam terram: perdam ciuitatem, & habitatores eius.* Hæc illi gloriabundi; propheta vero contra, *Ascendite equos, & exultate in curribus, & procedant fortes, Æthiopia & Libyes tenentes scutum, & Lydij arripientes, & iacientes iacula. Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis. deuorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in terra Aquilonis, iuxta flumen Euphratem:* quasi dicat, interficientur quasi pecudes Domino mactandæ, per Chaldæorum manus. Insultat etiam quasi insanabiles plagas accepturis, quibus opobalsamum non afferat sanitatem. *Ascende in Galaad, & tolle resinam. Virgo filia Ægypti, frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. Audierunt gentes ignominiam tuam, & vlulatus tuus repleuit terram, quia fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.* XXVIII. *Ieremiæ de hoc bello prophetia.*

Videntur hæc postrema verba significare, vtrunque exercitum mutuis se vulneribus confecisse, & ita intellexit Theodoretus, Rabanus, Isidorus. Verum satis ostendit hactenus propheta Chaldæos victores fore, & Ægypti duntaxat fore vlulatum, & plagas. Idq; aperte tradit Iosephus. [b] *Collatis signis*, inquit, *cum Babylonio congressus Ægyptius, amissis multis millibus coactus est cedere. Babylonius autem superato Euphrate totam Syriam Pelusium vsque subegit, Iudæa sola excepta.* Sic ipse. Sed nec Iudæam opus erat excipere, vt Ioacimi præteriti anni captiuitas satis XXIX. *Exitus belli. Chaldæorum victoria.*

[b] l.10. c.7.

VATICINIVM CONTRA ÆGYPTUM.

docet, itaque verborum prophetæ sententia est, Ægyptios milites in fuga mutuo sese impulsuros, simulque ruituros. Vt explicat Lyran. Sanctius, Castrius &c. Hæc ipsa Chaldæorum victoria in 4. Reg. [a] quamuis alieno loco, puta post Ioacimi mortem, refertu. *Et vltra*, inquit, *non addidit Rex Ægypti vt egrederetur de terra sua*, viuo scilicet Ioakimo. Nam cum postremo obsessa est Ierusalem sub Sedechia, egressus est ad ei opem ferendam, vt scribit Ieremias cap.37. 4. *Tulerat enim Rex Babylonis à riuo Ægypti vsque ad fluuium Euphratem, omnia quæ fuerant regis Ægypti.* Quæ ille scilicet paulo ante in Iosiæ morte vel acquisierat, vel acquisita retinuerat. Cæterum videtur Iosephus riuum Ægypti interpretar Pelusium, quæ tamen multum differunt. Est enim Pelusium ciuitas Ægypti, ad quam se Nilus primo ostio Iudæam versus, in mare mediterraneum exonerat; riuus autem Ægypti, qui aliter dicitur torrens Ægypti, ad Rinocoruram oppidum in mare influẽs, vicinior est Iudçæ, tridui ferme itinere, iuxta Adrichomij tabulas.

a 247.

XXX. *Prædictio ruinæ Ægypti.* SEQVITVR deinceps in eodem c.46. Ieremiæ, prædictio ruinæ Ægypti, quæ ab eodem quidem Nabuchodonosore inferenda erat, sed post annos tres & viginti, id est quinto ab excidio Hierosolymorum: qua Ægyptus ipsa, & non solum regiones ad eam pertinentes, vastata est, & Iudæi, qui eo confugerant, inde extracti, ad communem cum sociis seruitutem Babylonem abducti sunt. Hoc autem anno quarto Ioacim editam putat à Castro in eum locum, & Lyran. non autem quando Ieremias erat in Ægypto, cum Iudæis fugitiuis, ad quos extermінandos venturus erat Nabuchod. Illa enim prophetia, quæ maxime pertinebat ad Iudæos, c.44. eiusdem Ieremiæ continetur. At in ea prophetia de qua agimus, nullum verbum fit contra Iudæos; sed occasione deuicti exercitus apud Euphratem, Ieremias quasi fugienti insultans, hanc contra Ægyptum edidit prophetiam, vt recte animaduertit noster à Castro.

XXXXI. *Ieremias iubetur scribere sua vaticinia, & cur.* HOC eodem anno quarto iussus est Ieremias scribere sermones, quos ad hãc diem Dominus per eum locutus fuerat. Id habetur c. 36. [b] *Factum est*, inquit, *in anno quarto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, factum est verbum hoc ad Ieremiam à Domino dicens, Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi aduersus Israel & Iudam, & aduersum omnes gentes, à die qua locutus sum ad te, ex diebus Iosiæ, vsque ad diem hanc.* Inuentus sub Iosia liber legis, & lectus, mirum in modum regis animum, populique concusserat; indéque sumpta à rege renouati fœderis occasio, & multorum sine dubio emendatio est subsecuta. Voluit quoque Dominus experiri num lectio libri, quo tot terrores, & minæ malorum vulgò maxime formidabilium continentur; & quidem non generales, sed propriæ, non longinquæ, sed iam iam futuræ, non exigui sed longissimi temporis, momentum aliquod ad perditissimorum hominum conuersionem esset habitura, proposita præsertim spe veniæ quantumuis immerentibus. *Si forte*, inquit, *audiente domo Iuda vniuersa mala, quæ ego cogito facere eis, reuertatur vnusquisque à via sua pessima, & propitius ero iniquitati, & peccato eorum.* Exemplum vtique incomparabilis bonitatis, ad puniendos impios inuitissimè descendentis, & qui verbera, quæ inflicturus sit, æquè sensurus videatur, atque illi ipsi qui sunt passuri.

b c.36.v.1.

*Dei clementia.*

XXXII. *Rechabitarum commigratio in vrbem.* EXISTIMO etiam hoc tempore Rechabitarum commigrationem, è campestri in tabernaculis commoratione, in vrbanam Hierosolymorum habitationem contigisse. Cum enim breuissimo tempore triplicem quasi torrentem bellicum in Iudæam inundantem vidissent, Nabuchodonosoris, cum Ioacimum anno eius tertio captiuum abduxit, Ægyptiorum, capto rege in Ægyptũ redeuntium, & Chaldæorum eos persequentium: & insuper audirent Ieremiam quotidie bellorum turbines intentantem, statuerunt in sanctam ciuitatem commigrare, vel illi præsidio futuri, vel cum ea perituri. Erant hi de posteris Ionadabi filij Rechab. qui vixit regnante in Israël Iehu, à quo domus Achab funditus excisa est, ante annos 278.[c]

3151 / 2-8 / 1417 / c 4 Reg. 10.15.

XXXIII. *Eorum institutum.* RECHABITÆ porro religiosi cuiuspiam instituti nõnullam formam habebãt, vt eos Hieron. epist.13. ad S. Paulinum, in monachis numerare non dubitet. Monachus enim ad monachum scribens. *Noster princeps Helias, noster Helisæus, nostri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis, de his sunt & illi filij Rechab, qui vinum & siceram non bibe-*

*bant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Ieremiam voce laudantur.* Sic ipse: quæ ex oratione Ieremiæ perspicue intelligentur c.35.6. *Ionadab*, inquiunt ipsi, *filius Rechab pater noster præcepit nobis dicens, non bibetis vinum vos, & filii vestri, vsque in sempiternum. Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis, super faciem terræ, in qua vos peregrinamini*, & paulo post. *Cum autem ascendisset Nabuchodonosor Rex Babylonis ad terram nostram diximus, venite, & ingrediamur Ierusalem, à facie exercitus Chaldæorum, & à facie exercitus Syriæ, & mansimus in Ierusalem.* Anteuertunt obiectionem, cur nunc in vrbe habitent, præter institutum; & causam in necessitatem referunt.

XXXIV. *Quo anno migrarint in vrbem.*

ID contigisse anno 3. Ioacim putat Torniel. anno quintæ ætatis 406. num. 6. Christophorus autem à Castro [a] post annum eius quartum, cum timerent ne redeunte Chaldæo opprimerētur. In re non certa certum est mihi mediam viam vt certiorem sequi, & annum hunc eorum transmigrationi assignare, eodem à Castro consentiente. Hic enim annus turbulentus Rechabitas ad hoc consilium videtur impulisse, cum & Syri nuper subditi Ægyptiis, & Chaldæi eos persequentes, totam late regionem terrore complerent. Sermo autem de illis à Domino ad Ieremiam factus posterior est. Indicat enim eos iam dudum factos incolas ciuitatis. Itaque eam prophetiam, cum Isidoro, & à Castro, ad annum sextum Ioacim differemus.

[a] in ca. 35. Ierem.

XXXV *Baruchi metus in arguendo populo.*

ACCIDIT & alia hoc tempore Domino causa molestiæ, ex parte Baruch famuli Ieremiæ. Is enim cum scriberet ex ore Ieremiæ verba Domini, querelas, terrores, minas, improperia, famem, pestem, gladium, vastitatem; eáq; populo, ad omnem audaciam æquè, ac malitiam proiecto, renunciare, ac recitare iuberetur; verebatur ne excitato tumultu populari comprehenderetur, vt nuper Ieremias, aut etiam occideretur, vt Vrias Itaque perinuitus suscipiebat hoc munus, & ab eo subducere sese cupiebat: quem propterea reprehendit Ieremias Dei iussu, monens ne salutem suam eorum saluti anteferat, qui ex ea lectione spiritualem vtilitatem essent accepturi. Certum huius prophetiæ tempus facit ipse Ieremias c.45. *Verbum*, inquit, *quod locutus est Ieremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Ieremiæ, anno quarto Ioakim filij Iosiæ regis Iuda, dicens. Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch. Dixisti væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, laboraui in gemitu meo & requiem non inueni.*

XXXVI. *Non ambierat prophetiam.*

NVLLA est hic occasio suspicandi doluisse Baruch, quod spiritu prophetiæ donatus non esset, vt Hebræi, & cum eis Vatablus suspicantur: nec erat nunc prophetiæ ambiendæ tempus, quo nihil nisi infaustum, & calamitosum prædici poterat. Nec est cur vir sanctus temere ambitionis accusetur, sed cum Theodoreto, aliisque interpretibus, ex adhibita consolatione colligendum est, quæ fuerit causa, & occasio tristitiæ *Hæc dicit Dominus, si dices ad eum, ecce quos ædificaui ego destruo, & quos plantaui ego euello, & vniuersam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia?* Grande enim priuilegium est, regibus, & principibus, & sacerdotibus, & prophetis, & ciuitatibus, populisq; pereuntibus, vnum aliquem prophetæ famulum à communi sorte eximi, requiem habere in mediis procellis, & omnibus præ dolore vociferantibus, non gemere. *Noli quærere*, inquit, *quia ecce ego adducam malum super omnem carnem ait Dominus*; & nihilominus ei salutem, & incolumitatem pollicetur, *& dabo tibi*, inquit, *animam tuam in salutem, in omnibus locis ad quæcunque perrexeris*. Vnde postea Babylone incolumis, etiam exulibus consolationi fuit.

*Et aliquā quietem Dominus promittit.*

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3429.

1. σχ. N. XVIII.

Quamquam D. Hierony. alicubi desolationem templi non in 1. anno Cyri, sed in 2. Darij filij Histaspis asserit terminari: & in prologo Aggæi, & in c. 4. Ezechielis primum Cyri annum dicit esse trigesimum desolationis templi, quæ est fere sententia Eusebij in Chron. propter non distinctum initium regni Cyri ab initio imperij eius.


2. σχ. N. XXII.

| Ioacim. | Nabuch. |
|---|---|
| 1 | |
| 2 | |
| 3 | |
| 4 | |
| 5 | 1 |
| 6 | 2 |
| 7 | 3 |
| 8 | 4 |

| | Ioacim. | Sedeciæ. | Nabuch. | |
|---|---|---|---|---|
| | 9 | | 5 | |
| | 10 | | 6 | |
| Ioachin. 3. m. ⅓ | 11 | | 7 | Iere. 52. 28. |
| | | 1 | 8 | |
| | | 2 | 9 | |
| | | 3 | 10 | |
| | | 4 | 11 | |
| | | 5 | 12 | |
| | | 6 | 13 | |
| | | 7 | 14 | |
| | | 8 | 15 | |
| | | 9 | 16 | |
| | | 10 | 17 | |
| | | 11 | 18 | Iere. 52. 29. |
| | | | 19 | |

3. σχ.

| | Sedeciæ. | Ioakim. | Desolat. 70. annorum. | Nabuch. | |
|---|---|---|---|---|---|
| | | 1 | | | Nascitur Daniel. |
| | | 2 | | | |
| | | 3 | | | Venit Nabuch. in Iudæam. |
| | | 4 | | 1 | Nabuch. Ierem. 25. 1. |
| | | 5 | | 2 | |
| | | 6 | | 3 | Soluit tributum Ioakim. |
| | | 7 | | 4 | |
| | | 8 | | 5 | |
| | | 9 | | 6 | |
| | | 10 | | 7 | Venit contra eum Nabuch. |
| Ioachinus 3. m. ⅓ | 1 | 11 | | 8 | Anni vndecimi primus tantum men- |
| & transmigrat. | 2 | | | 9 | sis pertinet ad Ioacim, tres menses |
| Daniel prophet. | 3 | | | 10 | cum triente ad Ioachinum, reliqui ad |
| | 4 | | | 11 | Sedeciam. |
| | 5 | | | 12 | Incipit prophetare Ezechiel. |
| | 6 | | | 13 | |
| | 7 | | | 14 | |
| | 8 | | | 15 | |
| | 9 | | | 16 | Obsidetur Hierusalem. |
| | 10 | | | 17 | |
| Transmigr. Ioa- | 11 | | | 18 | Concidit Hierusalem. |
| chini. | 12 | | 1 | 19 | |
| | 13 | | 2 | 20 | Mors Ieremiæ, 42. prophetiæ. |
| | 14 | | 3 | 21 | |
| | 15 | | 4 | 22 | |
| | 16 | | 5 | 23 | Ca. 1 Baruch, Clades Ægypti. |
| | 17 | | 6 | 24 | Qui est 1. Monarchiæ Nabuchod. |
| | 18 | | 7 | 25 | |
| | 19 | | 8 | 26 | |
| | 20 | | 9 | 27 | |
| | 21 | | 10 | 28 | |
| | 22 | | 11 | 29 | |
| | 23 | | 12 | 30 | |
| | 24 | | 13 | 31 | |
| | 25 | | 14 | 32 | Ezech. 40. 1. |
| | 26 | | 15 | 33 | |
| | 27 | | 16 | 34 | |
| | 28 | | 17 | 35 | |
| | 29 | | 18 | 36 | |
| | 30 | | 19 | 37 | |
| | 31 | | 20 | 38 | |
| | 32 | | 21 | 39 | |
| | 33 | | 22 | 40 | Bestiam agit Nabuchod. |
| | 34 | | 23 | 41 | |
| | 35 | | 24 | 42 | |
| | 36 | | 25 | 43 | |
| | 37 | | 26 | 44 | Qui est 1. Euilm. Iere. 52. 31. |



# ANNVS MVNDI 3430. QVINTÆ ÆTATIS 491.
FVNDATI TEMPLI 408. IOAKIMI REGIS IVDÆ 5.
AZARIÆ PONTIF. 5. IEREMIAE 24. MAGNI NABV-
CHODONOSORIS 2. IMPERII BABYLO-
NIORVM 97. OLYMP. XXXIX.
AN. 1. ANCI MARCII 16.
VRBIS CONDITÆ 129.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 623.



OLYMPIAS 39. Ripsolcum in stadio victorem coronauit, quo tempore celebratus est apud Iudæos annus sabbaticus 121. quando & Draco Atheniensibus leges tulit. *Draco autem, qui & ipse fuit legislator,* ait Clemens Alex. [a] *inuenitur fuisse circa tricesimam nonam Olympiadem.* Quod ipsum scripserat ante eum Tatianus, referente Eusebio, [b] quamuis in Latino legatur Olymp. 36. vt ante monuimus. Eas autem leges Solon postea magna ex parte antiquauit, vt dicemus Olympiade 46. I. *Draco legislator.*

a l. 1. p. 126. Græ. Lat.

b l. 10. de præpar. p. 198 6.

Primus est hic annus tributi à Ioacimo Chaldæis persoluti, anno regni sui quinto, iuxta ea quæ anno superiore diximus: quantum autem id fuerit affirmare certo non possumus. Non inanis tamen est coniectura, vt clementer cum eo actum fuerit, redditum obnoxium pari ponderi auri & argenti, quod hactenus Ægyptio regi pependerat.

c c 36. v 9.

HVIVS quinti anni nominatim fit mentio apud Ieremiam. [c] Cum enim superiore anno Ieremias multa ex præcedentibus vaticiniis, & comminationibus dictasset, & Baruch, eius scriba & discipulus, ea in librum ex eius ore contulisset, præcepit Ieremias Baruch dicens. *Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini: ingredere ergo tu, & lege de volumine, in quo scripsisti ex ore meo, verba Domini audiente populo in domo Domini, in die ieiunij; insuper & audiente vniuerso Iuda, qui veniunt de ciuitatibus suis, leges eis. Si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini, & reuertatur vnusquisque à via sua pessima; quoniam magnus furor & indignatio est, quam locutus est Dominus aduersus populum hunc.* Hæc dicta sunt à Ieremia anno quinto Ioacim, vt mox patebit, sub mensem nonum, cum iam scripta essent omnia, quæ iusserat Dominus. Cæterum dubium est quæ sit excusatio prophetæ dicentis se clausum esse, ideoque iubentis Baruchum adire templum, & librum legere, præsertim cum, ex paulo ante dictis, satis constet Baruchum à Deo electum fuisse ad huiusmodi lectionem; alioqui nihil erat causæ, cur se ille excusaret. II. *Baruch mittitur vt legat vaticinia Ieremiæ.*

d Anno 5. æt 407. n. 7.

TORNIELLVS [d] secutus Theodoretum, D. Thomam, Rabanum, Dionysium, Lyranum, Vatabl. putat Ieremiam anno 1. Nabuch. cum prædixisset illam 70. annorum desolationem, & quæcunque c. 25. prophetiæ eius continentur, missum fuisse in carcerem, aut certo quopiam loco iussum continere se, ne populum suis vaticiniis perturbaret: permisso tamen Barucho famulo eius ei ministrare, ideóque & ipso dictante scribere potuisse. Et certe clausum fuisse in carcere merito negant Maldonatus, & Sanctius, voluntque iussum domi se, aut alio quopiam priuato si mallet loco, continere. A Castro autem refert Isidorum affirmantem Ieremiam hoc tempore non fuisse clausum in carcere, sed detentum, & cohibitum spiritu diuino, ne scilicet ibi ab impiis occideretur. Idemq; sentit idem à Castro, & probat ex eo quod postquam Baruch irato rege librum legit, iusserunt principes vt abirent ambo, & absconderentur, ne scilicet Rex eos ad mortem rapi iuberet; erat ergo tum liber Ieremias, & tamen clausus erat, id est detentus prohibitione diuina, cædem prophetæ sui præuidente, & prohibente. Non erat autem par in Barucho periculum, qui aliena iussus recitabat III. *An Ieremias nunc esset in carcere.* *Et à quo retineretur.*

non sua: quamquam etiam Ieremias non sua, sed diuina prædicabat. Hanc tamen prohibitionem diuini spiritus non admodum probat Sanctius, quod eam, vt honestissimam propheta non fuisset taciturus. Fuit ergo potius ea regis prohibitio, aut sacerdotum, vt aliqui putant, qui eum a sua communione secluserant, & templo sacrisque rebus arcebant.

IV. *Cur nunc indictum ieiunium.* FACTVM *est ergo in anno quinto Ioacim filij Iosiæ regis Iuda: in mense nono prædicauerunt ieiunium in conspectu Domini, omni populo in Ierusalem, & vniuersæ multitudini, quæ confluxerat de ciuitatibus Iuda in Ierusalem.* Scio plerosque existimare hoc ieiunium præter legem, & consuetudinem indictum ad placandum Deum, eo quod Nabuchodonosoris timeretur aduentus; sed nulla timendi hoc tempore Chaldæum causa erat, cum Ioacim ab eo liber recens dimissus esset, & illi pactum tributum persolueret: Torniel. qui sine necessitate, vt videtur, iam ab anno superiore indictum putat in hunc annum, existimat impium regem non permisisse, placandi Dei causa prædicari ieiunium. *Num à rege prohibitū.* At num erat Ioacim magis impius quam olim Achab, qui tamen terrore perculsus, auditis Eliæ sermonibus, [a] *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite?* Quanto ergo facilius erat permittere indici, ac celebrari ieiunium à populo? [a 3 Reg. 21. 27.]

V. *Dei cultus nunc permissus.* PRÆSERTIM cum Dei cultus non esset plane desertus, aut prohibitus; licet publicè à rege, & populo idolorum cultus frequentaretur. Nam veniebatur in templum Domini, & orabatur, & sacrificabatur à plerique piis, vt par est credere, Deo sibi etiam in Iuda reseruante 7. millia, quæ non curuarent genua ante Baal. Nec si irascebantur Iudæorum reges prophetis, Deum propterea non timebant, vt mali ingenij mancipia dominos suos. Verum cum, vt dixi, hoc tempore Nabuchodonosor non timeretur, aliam ieiunij causam quærendam puto. *Quæ videatur causa ieiunij huius.* Fuisse autem illam generalem ad auertendas calamitates, quę regno Iudæ à prophetis superuenturæ dicebantur, illis prophetæ verbis innuitur. [b] *Si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini, & reuertatur vnusquisque à via sua pessima.* Vt oratio sit hoc loco petitio, ieiunij, aliorumque piorum operum septa comitatu, quibus Deo nihil est acceptius *Bona quippe est oratio, cum ieiunio, & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere.* [c] Nominatim tamen factam mentionem Nabuchodonosoris patet infra v. 19. [b v. 7.] [c Tob. 12. 8.]

VI. *Legit Baruch sermones Ieremiæ apud populum.* MENSE ergo nono, & in die ieiunij, *legit Baruch ex volumine sermones Ieremiæ, in domo Domini, in gazophylacio Gamariæ filij Saphan scribæ.* Memoratur alibi hic Saphan scriba, [d] inter eos qui à Iosia missi fuerant ad Holdam prophetidem. Eiusdem etiam filius videtur esse, qui anno primo Ioachimi eripuit Ieremiam de manu sacerdotum. [e] *Legit autem librum Baruch in vestibulo superiori, in introitu portæ nouæ domus Domini, audiente omni populo.* In eodem loco verba faciebat etiam Ieremias, [f] cum in discrimen capitis adductus est. Vestibulum autem superius intelligo porticum, qua ibatur ad atrium Leuitarum: quod erat vicinius ipsi templo, & altius reliquo populi, & gentium atrio, vbi portam nouam Iosias extruxerat. Chald. vocat portam orientalem templi. [d 4. Reg. 22. & 2. Par 34 20.] [e c. 26. fi.] [f c 26. 2. 10.]

VII. *Legit & apud optimates.* INTERFVIT huic recitationi Michæas quidam filius Gamariæ vir nobilis, qui venit inde ad gazophylacium, in quo viri aliquot primarij congregati erant, quibus & nunciauit quæ audisset; qui iusserunt accersiri Baruchum, vt ex eo ipsi quoque audirent, quæ fuerant publice pronunciata. Legit, audierunt, & obstupuerunt, sese inuicem circunspectantes. *Et dixerunt ad Baruch. Nunciare debemus regi omnes sermones istos.* Non petunt à Baruch, an renunciare debeant regi, quæ audierunt, sed affirmant ad eum referenda esse, si forte is patrem Iosiam imitatus, corruptissimo omnibus sceleribus populo autoritate sua remedium aliquod afferat. Sed amiserat Iosiam respublica, qui, quamuis leo de tribu Iuda, hunc genuerat scarabæum: cui frustra boni principes aderant, à quibus in glorioso opere auxilium præberi potuisset.

VIII. *A quibus interrogatur, mox que regem adeunt.* HI ergo rursum Baruch interrogant dicentes. *Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore eius*, quibus respondit Baruch. *Ex ore suo loquebatur, quasi legens ad me omnes sermones istos.* Ex quo intelligebatur eum non præmeditata dictasse, vel examinasse quæ occurrebant, selegisse, protulisse, sed

quasi aliena legisse duntaxat, quæ Deus in eius imaginatione descripserat. At illi *vade*, inquiunt, *& abscondere tu, & Ieremias, & nemo sciat vbi sitis.* Agnoscebant principes Regis sui mores, & crudelitatem; nec dubitabant iussu regis interfectum iri vtrumque, vt dudum Vriam prophetam.[a] Ipsi nihilominus constanter ingressi sunt ad regem in atrium, commendato prophetico volumine Elisamæ scribæ, moxque rem omnem regi nunciarunt; qui iussit ad se afferri librum, & coram se ac circunstantes optimates legi.

a Ier 26.22.

IX. *Is iubet librum legi coram se.*

Rex autem sedebat in domo hyemali in mense nono, & posita erat arula coram eo plena prunis. Recte notant Sanctius & à Castro habuisse Ioacimum regem domos pro temporum diuersitate diuersas; quarum aliæ paterent aquiloni, aliæ austro, vt pro varietate temporum frigoris & coloris, cœlique temperiem sibi prouideret. Æstiuæ autem domus iam supra[c] facta est mentio, vbi eum propheta obiurgat, quod eam magnificam, & ventis perflatilem, sed cum iniustitia, & mercede pauperum detraudata ædificasset. Nec nouum erat hoc institutum. Nam Amos qui ante 182. annos floruit.[d] *Et percutiam*, inquit, *domum hyemalem cum domo æstiua, & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ dicit Dominus.* Vt non mirum sit tanto potentiores Persarum reges, diuersas vrbes diuersis anni temporibus destinasse. Cum autem mense nono dicitur habuisse rex foculum ante se, de anno sacro intelligendum est eiꝰ sermonem, vt sit is qui nostro Nouembri magna ex parte respondet. Nam mensis nonus anni vulgaris esset Maius, quo tempore non esset opus arula, in quam impius hic rex discissum libellum proiecit, Sequitur enim.

c c. 22. 13 an.m. 3248.

d c. 3. 15.

X. *Quem mox discindit, ac comburit.*

Cvmqve *legisset Iudi tres pagellas vel quatuor, scidit illud scalpello scribæ, & proiecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula.* Ignem istum non frigus, sed ira impij regis accenderat, dæmonis anhelitu prunas incendente, ne conuerteretur rex in saniorem mentem, & non periret. Cæterum quomodo in volumine intelligantur pagellæ subobscurum est: vnica enim videtur fuisse pagina interior, & altera exterior voluminis, quod circa rotundum axem conuoluebatur, vnde & nomen habet. Verum dicendum est ita circumuolutam membranam, cui plures aliæ assutæ erant, pro multitudine rerum in eo volumine scribendarum, vt certis interuallis retinacula quædam ad axem annexa adhiberentur, vt tantum è volumine euolueretur, quantum placeret legenti. Has ergo circumuolutiones hic interpres vocat pagellas, accommodatè ad hodiernum librorum vsum, vt notauit à Castro.[e] Non putat tamen improbabile Sanctius librum illum aliam habuisse formam, nempe quadratam, ita vt in ea distinctæ apparerent pagellæ.

*Voluminis forma, & paginæ.*

e ca 36. n. 2.

XI. *Absconditur propheta cum socio.*

Et *non timuerunt*, ait propheta, *neque sciderunt vestimenta sua rex, & omnes serui eius, qui audierunt vniuersos sermones istos*, tres tamen de optimatibus suaserunt regi, ne combureret librum, *& non audiuit eos.* Quin potius præcepit tribus de aulicis suis vt comprehenderunt Baruch scribam, & Ieremiam prophetam: *abscondit autem eos Dominus.* Iam absconderant se ipsi, vt paulo antedictum est, sed dedit operam Dominus, ne qui eos iussu regis quærebant, inuenire possent. Implens illud Dauidicum. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à conturbatione hominum.*[f] Quod à diuina sapientia infinitis modis fieri potuit. Et vt omittam cæteros, Potuit eos vt olim Sodomitas, percutere cæcitate, ita eos vt ostium domus, in qua illi latebant, inuenire non possent:[g] aut efficere vt cum illum ipsum alloquerentur quem quærebant, agnoscere tamen non possent; vt Syriæ militibus Elisæum quærentibus vsu venit.[h] Sic tot iam seculis Enochum abscondit, & Eliam, vt illum aquæ, omnia late loca, præter vnam arcam, à qua ille aberat, peruadentes, inuenire non possent; & hic omnem Achabi, & Iezabelis industriam quæsitus eluderet. Et vtrumque nunc ita occultauit, quamuis in terris positos, & necdum fato functos, vt non solum quinquaginta virorum fortium in quærendo diligentiam irritam facere, sed omnium mortalium conspirantem solertiam reddere possit inutilem.

f Psal. 30. 21.

g Gen 19. 11. Sapien. 19. 10

h 4. Reg. 6 18.

XII. *Deus iubet volumen iterum describi.* SED qui profecit impietas? *factum est*, inquit propheta. [a] *verbum* Domini *ad Ieremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen, & sermones, quos scripserat Baruch ex ore Ieremiæ dicens, rursum tolle volumen aliud, & scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combusit Ioachim rex Iuda. Et ad Ioachim regem Iuda dices. Hæc dicit* Dominus. *tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuncians, festinus veniet Rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex illa hominem, & iumentum?* Iumenti fuit hæc querela non hominis, qui de imminenti periculo præmonenti gratias ageret. Nam si culpa fuit hæc scripsisse scriptoris culpa non fuit, sed Dei illa per Ieremiam dictantis, & verbis emendare te, non ferro & flamma perdere cupientis. (a v. 27.)

XIII. *Et iterat vaticinia contra Ioachim.* ERAT autem festinus aduentus regis Babylonis, quia intra quinque annos, sub finem scilicet anni decimi Ioacimi futurus erat. Contra quem præteritæ comminationes iterantur, atque augentur. *Propterea*, inquit, *hæc dicit Dominus contra Ioachim regem Iuda, Non erit ex eo qui sedeat super solium Dauid.* Etsi enim Ioachinus, qui & Iechonias, filius eius tres menses post patrem regnarit, id tamen tempus propter breuitatem pro nihilo computatur. *Et cadauer eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.* Hæc est sepultura asini c. 22. ab ipso primo eius anno prænunciata, & extremo completa. Et visitabo *contra eum, & contra semen eius, & contra seruos eius iniquitates suas. Et adducam super eos, & super habitatores Ierusalem, & super viros Iuda omne malum, quod locutus sum ad eos, & non audierunt.*

XIV. *Quæ rursum scribuntur à Ieremia.* IEREMIAS *autem* non immemor diuinæ iussionis, *tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ: qui scripsit in eo ex ore Ieremiæ omnes sermones libri quem combusserat Ioachim rex Iuda igni, & insuper additi sunt sermones multo plures quam antea fuerant*: vel vt est in Hebræo, alia multa his similia: quæ autem illa fuerint ex antedictis coniicere licet. Hanc prophetiam attingit Iosephus, [b] sed cum ea fere permiscet, quam anno primo Ioacimi, cum prophetæ ipsius assertione, diximus contigisse. (b l. 10. ant. c. 7.)

---

## ANNVS MVNDI. 3431 QVINTAE AETATIS 492
### FVNDATI TEMPLI 409. IOAKIM REGIS IVDÆ 6.
AZARIÆ PONTIFICIS 6. IEREMIAE 25. NABVCHODONOSORIS 3. IMPERII BABYL. 98.
OLYMP. XXXIX. AN. 2. ANCI MARTII 17. VRBIS CONDITÆ 130.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 622.

I. *Ratio temporis.* SEXTO aut septimo anno Ioachim, qui est tertius vel quartus Nabuchodonosoris, putat à Castro factum esse verbum Domini ad Ieremiam de adeundis Rechabitis, & inuitandis ad vinum bibendum, contra ipsorum institutum, quoniam, vt supra diximus, apparet eos iam ab aliquo tempore factos fuisse incolas, & ciues Hierosolymorum, licet Ieremias, qui in diebus Ioacim ait factum hoc verbum Domini, annum distincte non protulerit. In eadem sententia est Isidorus, cum ait ante annos quatuordecim, à nono videlicet Sedeciæ, hanc prophetiam reuelatam fuisse Ieremiæ, licet Hugo differat ad annos duos.

II. *Dominus profert exemplum Rechabitarum.* DIXIT ergo Dominus ad Ieremiam, *vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini*, nō in locum sacrificiis, aut orationi destinatum, sed *in vnam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Sic Ieremias Dei man-

dato obsecutus, adiuit tabernacula Rechabitarum. Neque enim contra institutum suum domum habuerunt, contenti se, suaque intra septa mænium, in tuto collocasse ab hostium incursibus, rati nihil sibi à ciuibus imminere periculi. Ergo assumpto Iezonia cum vniuersa familia Rechabitarum deduxit eos ad exedram filiorum Hanan, ibique porrexit eis scyphos vino plenos, & ad bibendum inuitauit. At illi *non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens, Non bibetis vinum vos & filii vestri vsque in sempiternum*, & quæ sequuntur de eorum instituto, quæ iam supra attigimus.

XVI. *Vnde arguit populum suum.* Noluit Dominus eorum abstinentiæ propositum labefactare, sed inde argumentum sumere reprehendendi populum diuiniora, magisque veneranda Dei præcepta violantem. Vnde sequitur populi obiurgatio, cum laude & remuneratione Rechabitarum. Ait enim fore, vt populus Hebræus omnibus subiaceat calamitatibus, quas iampridem ingerit, atque inculcat dies noctesque, per ora prophetarum suorum, & plane eiiciatur à facie Domini in regionem longinquam: viri autem Rechabitæ semper habituri sint è familia sua, *qui ministret in conspectu Domini*. Etsi enim ad tribum Leui, nisi per affinitates, non pertinebant, potuerunt tamen addici cultui diuino sicut Samuel, qui pertinebat ad tribum Ephraim.

Fuit hic secundus annus tributi Chaldæis persoluti à Ioachimo rege.



## ANNVS MVNDI 3432 QVINTAE AETATIS 493.

FVNDATI TEMPLI 410. IOAKIMI REGIS IVDÆ 7.
Azariæ Pontificis 7. Ieremiæ 26. Nabuchodonosoris 4. Imperii Babyl. 99.
Olympiadis XXXIX. an. 3. Anci Marcii 18.
Vrb. cond. 131.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 621.



HOC quoque anno pendit tributum Ioacim, qui cum tertius sit, à Torniello tamen primus ponitur, anno quintæ ætatis 410. Verum ea res iam definita est à nobis anno primo Nabuchodonosoris.

I. *Tertius tributi annus.* Eodem anno sub Hieroglyphicis lumbaris, & lagunculæ ostendit Dominus regnum Iuda, quasi lumbare putridum, & quasi lagunculam confractam redditum iri: & homines omnis conditionis, quasi vino redundantes, & mentis impotes, & quo se vertant ignorantes, huc illucque dispersum iri: & fratres à fratribus, filios à parentibus, parentes a filiis distrahendos atque diuellendos; vt scilicet collibitum fuerit victori, qui eos in seruitutem abduxerit, eosque diuersis heris diuenditurus sit. *Hieroglyphicum lumbaris, & lagunculæ.*

II. *Ratio temporis.* Contigisse autem hanc prophetiam hoc fere anno colligit Christophorus à Castro in cap. 13. Ierem. Nam non contigisse sub Sedeciæ vltima tempora, vt putauit Diuus Hieronymus in proœmio Oseæ, illud satis ostendit, quod v. 13. dicitur, *hæc dicit Dominus, Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & reges qui sedent de stirpe Dauid super thronum eius, & sacerdotes, & prophetas, & omnes habitatores Hierusalem ebrietate &c.* Nam tempore Sedeciæ, neque plures reges sedebant super thronum Dauid, vt hoc tempore Ioachim, & filius eius cum eo, quem sibi regni socium anno secundo regni sui Ioachim assumpserat; neque plures deinceps sessuri erant, cum ipse esset vltimus. In Ioachini autem regnum breuissimum, & valde turbulentum, historia lumbaris quadrare non potest, quæ longum tempus desiderat, vt ex prophetæ verbis patet. Non potest

autem conuenire tempori, quo Ioachimus à Babylonio rege defecit: non enim tuta fuisset gemina illa ad Euphratem prophetæ peregrinatio. Recte igitur in hunc annum cadit, quo, persoluente adhuc tributum Ioachimo, impune ad Euphratem adire licebat: sicque habuit singulis annis populus hic nouum aliquod ad resipiscendum incitamentum. Vsque adeo Dominus ad postremam illam, longéque seuerissimam animaduersionem descendebat inuitus.

III. *Num fuerit hæc visio imaginaria.*

PORRO Diuus Hieronymus in prooemio in Osæam putat hanc lumbaris possessionem, & translationem ad Euphratem non reipsa, sed in visione tantum contigisse: cui Vatablus, & Lyranus consentiunt; quod obsessa, tum Hierosolyma, tam longam peregrinationem propheta suscipere non posset, vt qui cum semel ad vicinum vicum Anatoth ire vellet, male mulctatus coniectus fuerit in carcerem. Verum vt omittam communem in contrario esse sententiam, Theodoreti, S. Thomæ, Isidori, Dionysii, Hugonis, Castrii, Sanctii, certe hæc Diui Hieronymi probatio non ostendit hæc in visione tantum imaginaria contigisse, sed illo turbulentissimo tempore non contigisse. Præsertim cum ipsemet Hieronymus [a] scribat velle scripturam diuinam, non solum auribus doceri populum, sed & oculis, quia magis mente retinetur quod visu, quam quod auditu ad animum peruenit. (a init. c. 19 in Ierem.)

IV. *Propheta verbis, & factis docebant.*

RERVM enim quæ à prophetis viris in primis grauibus, & sapientibus, totique populo cognitis, agebantur nouitas inexpectata, populum ad causam quærendam impellebat; & res ipsa per insolentem huiusmodi actionem mentibus hominum imprimebatur. Nudus enim, & discalceatus per vrbem obambulans Esaias, longe vehementius afficiebat populum illum intuentem, quam si pro concione audisset similitudinem hominis deposita veste per vrbem incedentis. Sic dum Ieremias deposito lumbari, in omnium oculis ad Euphratem profectus est, rediit deinde, & multo tempore discinctus incessit, rursumque ad Euphratem rediit, indeque putrefactum lumbare retulit, & populo ad rei nouitatem congregato, quid eo facto Dominus docere vellet, ostendit, maiorem longe animi motum populis attulit, quam si visionem putrefacti lumbaris sibi diuinitus demonstratum dixisset.

V. *Ieremias iubetur accipere lumbare.*

SED ipsum prophetam audiamus, [b] hæc dicit Dominus ad me, *vade & posside tibi*, eme scilicet *lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos.* Lumbare alii vertunt cingulum, alii baltheum, Septuag. περίζωμα, alii cinctorium, aut zonam lineam, qua lumbi præcinguntur, aut renes, quam milites scorteam habẽt, vt ex ea ensis pendeat. Pergit Dominus loqui ad prophetam; *& in aquam non inferes illud*, vt scilicet sordes contrahat, & non emundatum facilius putrescat: vel quod non sit maceratum, aut candefactum aqua, sed crudum, quale ex textrina prodit, vt significat Hieronymus, & Sanctius. *Et possedi*, inquit propheta, *lumbare iuxta verbum Domini, & posui circa lumbos meos*, & quidem, vt videtur ad carnem, vt ex sudore sordes contraheret. Nam supra vestem tarde omnino ex puluere & contactu sordes contraxisset, & nihil notabile, vel insigne habebat. Eo autem ad corpus appresso, etsi populus cingulum non videbat prophetæ, eum tamen non sine mysterio discinctum incedere notabat. (b c. 13. 1.)

VI. *Absconditur, putrescit, declaratur.*

ET factus est sermo Domini ad me secundò, dicens, *tolle lumbare quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, & surge, & vade ad Euphratem, & absconde ibi illud in foramine petræ.* Poterat & alibi abscondi, & computrescere; sed eadem opera exilii locus declarandus fuit: Ideo autem in foramine petræ absconditur, vt diuturnum fore ad Euphratem exilium ostendatur. Nam præterquam quod linum ægrè putrescit, præsertim crudum, nec aqua maceratum: tardius etiam putrescit, si non in loco humido, sed in arido petræ foramine abscondatur. Itaq; cum diuinam iussionẽ esset executus, eo rursum post dies plurimos redire iussus est, & inuenit lumbare ita situ corruptum, vt nulli vsui esse posset. Tum Dominus, *Sic putrescere faciam superbiam Iuda, & superbiam Ierusalem. Populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea, & ambulant in prauitate cordis sui:* & mox. *Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda dicit Dominus, vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam, non & audierunt.* Verbum illud adhærendi, & agglutinandi [c] satis in- (c [illegible])

dicat, quod ante dicebam, de cingulo ad corpus ipsum prophetæ intimè applicato.

Addit deinde Dominus similitudinem lagunculæ, quam alii vtrem alii craterem, lagenam alii, vas fictile, & terrenum alii interpretantur: & Dominus ad prophetam; *Dices*, inquit, *ad eos sermonem istum, hæc dicit Dominus Deus Israel. Omnis laguncula implebitur vino*: quod dictum cum populus risu & cachinnis exceperit, explicabis ei, quid portendat laguncula illa vino redundans, in hanc sententiam. *Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & reges, qui sedent de stirpe Dauid super thronum eius, & sacerdotes, & prophetas, & omnes habitatores Ierusalem, ebrietate &c.* Comparat Dominus vnumquemque de populo suo, à regibus ad sacerdotes, à prophetis ad singulos habitatores Hierusalem lagenis, duplici de causa. Primum vt intelligant se vino indignationis diuinæ replendos, & ingurgitandos, vt stupidi, & attoniti fiant, & mentis impotes, præ consilii incertitudine, sic vt neque alios offendere possint, neque seipsos defendere, quod magnitudine mali edomiti, & in terram prostrati iaceant, vt ebriis contingit Secundum, vt sibi persuadeant se tanquam vasa testea, vilia, & inania contractum, & dispersum iri. Ideoque in Hebræo est collisum iri inter se lagunculas istas, vt partes hac illacque dissiliant, quomodo habent Vatab. & Pagnin. & ipsa Vulgata. [a]

VII. *Similitudo lagunculæ.*

*Aptatur populo Iudæo.*

[a] Iac. 51. 20.

Non dissimilis, & explicatior etiam est illa similitudo calicis vino pleni, [b] vbi Dominus ad Ieremiam, *sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propina de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te, & bibent, & turbabuntur, & insaniant à facie gladii, quem ego mittam inter eos.* Lagunculæ etiam similitudo c. 19. iteratur.

[b] Ie. 25. 15.

*Iteratur alibi.*

Addit postremo propheta exhortationem ad populum, ne dicta sua, factáve superbè contemnant: sed Deo potius, à quo profecta sunt, gloriam propria humilitate, & pœnitentia tribuant, *antequam*, inquit, *contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos: expectabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem. Quod si hoc non audieritis in abscondito*, inquit propheta, *plorabit anima mea à facie superbiæ*, ante illum scilicet diem, quo exciso templo, atque vrbe, in conspectu omnium publicam deplorauit calamitatem. *Plorans plorabit, & deducet oculus meus lachrymam, quia captus est grex Domini*, id est, quod captus tum fuerit, vel iam certissime capiendus sit, Deo per humilitatem, & pœnitentiam non placato, & propitiato. Quæ autem deinceps
v. 18. ad fi. leguntur ad alium regem, tempusque pertinent.

*Prophetæ ad populũ adhortatio.*



ANNVS MVNDI 3433. QVINTÆ ÆTATIS 494
TEMPLI FVNDATI 411. IOAKIMI REGIS IVDÆ 8.
Azariæ Pontificis 8. Ieremiæ 27. Nabvchodonosoris 5. Imperii Babyloniorvm 100. Olympi. XXXIX. an. 4. Anci Marcii 19. Vrbis conditæ 132.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 620.



IOACHIMVS pertæsus soluendi tributi, inductusque vana spe Ægyptiacæ expeditionis contra Chaldæos, ab eis tributo negato defecit. Nec tamen credibile est eum superbe negasse, sed procrastinationibus vsum prolatasse tempus: ex quo etiam factum sit, vt existimo, vt tardius Chaldæus contra eum arma sumpserit. Causa deficiendi fuisse videtur Ægyptius, qui eum regem sibi vicinum, volebat habere quasi propugnaculum aduersus Chaldæos, & contra Iudæi existimabant satius esse habere

I. *Ioachim deficit à Nabuch.*

vicinum regem fœderatum & amicum, longinquum autem hostem, quam vice versa. Hæc perspicue à Iosepho confirmantur. [a] *Ioacimus*, inquit, *timore suadente pacem mercatus pecuniis, integro triennio imperata tributa persoluit. Inductus deinde ad vanas spes rumoribus expeditionis Aegyptiorum contra Babylonios, & negato tributo, expectatione sua, frustratus est. Nam Aegyptii bellum instaurare non ausi sunt, id quod propheta* Ieremias *quotidianis monitis prædicere non destitit, frustra eos spem in Aegyptiorum præsidio ponere.* Nullam tamen inuenio in Ieremia hac de re prophetiam, quæ in hoc tempus cadat. Quod autem rumoribus nixum regem rebellantem inducit, valde imprudentem facit, & longe verisimilius est, amicitiæ, quæ dixi, fœdera per certos nuncios fuisse tractata.

Hanc porro defectionem, quam Ieremias perniciosam fore videbat, admodum verisimile est improbasse; sed surdis canebat cantilenam.

II. *Danielis institutio Puerilis.* Existimamvs hoc circiter anno contigisse quæ Danielis 1. 3. de puerili Danielis, & sociorum eius institutione referuntur. Vbi Nabuchodonosor dat mandata Asphenez præposition Eunuchorum, vt introduceret pueros de filiis Israel, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum. Cum enim peregrinæ istæ literæ, & solidioris rudimenta doctrinæ, ingenuis, & liberaliter educatis pueris tradi soleant, sub 7 vel octauum fere annum, nihil planæ causæ video, cur in multos ab hinc annos, quod nonnulli faciunt, hanc eruditionem differamus. Scio Maldonatum, procemio in Danielem, illis verbis adductum, *eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina*, existimasse Danielem cum sociis cum ad regē introducti sunt, minimùm viginti annorum fuisse, aut etiam, si Isidori sententia vera est. circiter 40 quod alioqui omni sapientia eruditi esse non possent A qua sententia minime abest Sanctius in Prolegomenis n. 13. Sed eos arbitror doctiores facere voluisse pueros hosce, quam ferat consuetudo epheborum, qui in regum aulis versantur; quos videmus vbique literis leuiter tinctos esse, nisi vulgaribus Cui rei argumento est triennium omni isti sapientiæ destinatum, cum alioqui vel solæ mathematicæ, quæ magno in precio erant apud Chaldæos, ad perfectionem aliquam plurimos annos requirant.

III. *Vbi datum preceptum Asfenez.* Existimat Vatablus hoc mandatum à Nabuchodonosore datum Asphenez magistro palatii, siue regiæ aulæ non Babylone, sed Ierosolymis. Ideoque legit. *Rex autem præceperat vt adduceret*, supple in Babylonem, *pueros eximios, & omni vitio carentes.* Verum ei neque textus græcus fauet, neque hebræus, neque chaldæa paraphrasis: sed omnes cum vulgata consentiunt: factam scilicet iussionem Babylone, vt Alpheuez eligeret de filiis Israelitarum optimos quosq; & eximiis naturæ dotibus præditos, vt post triennium, postquam ad naturæ dotes, etiam doctrinæ præsidia accessissent, introducerentur ad regem, & coram eo starent ad omne obsequium parati, idque aperte ex v. 18. infra confirmatur. Sic ergo intelligendum videtur illud, *vt introduceret pueros, in quibus nulla essent macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina*, id est postquam eruditi essent omni sapientia, & scientia, & disciplina, quæ regios pueros, & regis ephebos honorarios deceret: non enim inueniuntur pueri præpropere omni sapiētia eruditi. Nam quod reperti sunt decuplo doctiores cunctis ariolis & magis, id non humanum, seu diuinum fuit: sicut & forma corporis non exiguum habuit cœlitus incrementum, vt dicemus.

IV. *Danielis abstinentia à cibis regiis.* Cvm autem constituisset eis Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse: statuit Daniel cū sociis suis abstinere huiusmodi cibis & potibus, *ne pollueretur*: quod contingere poterat, si vel idolis consecrata fuissent, vel propria lege prohibita, vel corporis animique puritatem amantibus parum opportuna.

*Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis Eunuchorum.* Significatur admodum crebras, & intentas fuisse Danielis preces ad hoc impetrandum, vt tandem misertus sit Asphenez puerorum, & sese ad eorum voluntatem accommodarit. Causa vero cur se difficilem, ac morosum præberet, subditur. *Timeo*, inquit, *Dominum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum, qui si viderit vultus vestros macilentiores, præ ceteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis*

*caput meum regi*, id est capitis me reum efficietis.

MALASSAR quoque, quem princeps Eunuchorum constituerat super Danielem, Ananiam, Misaelem, & Azariam, fortasse vt periculo se eximeret apud regem, & culpa esset Malassaris non sua, Malassar inquam sese difficilem quoque præbuisse videtur, cum Daniel ad decem dierum experientiam confugit. *Tenta*, inquit, *nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum: & contemplare vultus nostros, & vultus puerum, qui vescuntur cibo regio, & sicut videris facies cum seruis tuis. Qui audito sermone huiuscemodi*, ratus tam breui tempore nihil admodum esse periculi, *tentauit diebus decem. Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.* Diuinæ vtique hoc gratiæ fuit, vt dixi, & meriti abstinentiæ, vt parciori ac viliori cibo, corpus meliore solito habitu constitueretur, & iis decore & viribus anteiret, qui cibis regiis vescebantur. Quamquam etiam passim cernimus plerosque parcè, & tenuiter viuentes, meliore corporis constitutione gaudere, quam alios qui delicatæ vitæ sunt assueti: propter bonitatem corporei temperamenti, & vitæ ipsius moderationem, cœlique temperiem, aliasue causas. V. *Eam obtinet à præfectis suis.*

ALIAM quoque abstinentiæ mercedem, *dedit Dominus pueris istis, scientiam* scilicet, *& disciplinam in omni libro, & sapientia.* Etsi enim cibi potusque moderatio, natura sua valet ad comparandam sapientiam, Deus tamen magnum addidit incrementum, vt omnem Chaldæorum scientiam, præ cæteris omnibus percalleret, vt impleretur illud Isaiæ [a] prophetæ, qui cum condemnasset crapulam, & ciborum intemperantiam, subdit. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Ideoque & Salomon cum sapientiæ candidatus esset. *Cogitauit in corde suo abstrahere à vino carnem suam, vt animum suum transferret ad sapientiam, deuitaretque stultitiam.* Quod si quis miretur sanctos pueros prophanis istis, atque sacrilegiis Chaldæorum institui disciplinis. Respondeo cum S. Hierony. *discunt*, inquit, *non vt sequantur, sed vt iudicent, atque conuincant, & ea mente doctrinam Chaldæorum addiscunt, qua & Moyses omnem sapientiam Aegyptiorum didicerat.* Quamquam in Chaldæorum scientia non omnia superstitiosa fuisse credendum est, sed pleraque ad mathematicas disciplinas, & naturæ scientiam pertinuisse, vt ex omnium pene scriptorum libris constat. VI. *Merces abstinentiæ.*

a c. 28. 8.

NOMINATIM autem Deus dedit Danieli *intelligentiam omnium visionum, & somniorum. Completis itaque diebus, post quos dixerat rex vt introducerentur*, triennio videlicet, *introduxit eos præpositus Eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor. Cumque eis locutus fuisset rex, non sunt inuenti tales de vniuersis vt* Daniel, *Ananias, Misael, & Azarias, & steterunt in conspectu regis. Et omne verbum sapientiæ & intellectus, quod sciscitatus est ab eis Rex, inuenit decuplum super cunctos ariolos, & magos, qui erant in vniuerso regno eius.* Non solum ergo superiores fuerunt æqualibus condiscipulis, sed magistros etiam ipsos decuplo, id est longo interuallo superarunt. A meliore quippe magistro edocti fuerant. VII. *Scientia visionum Danielis.*

Cæterum centesimus hic imperii Babyloniorum annus, cadit in decimum septimum Mosaicum Iubilæum.

ANNVS MVNDI 3434. QVINTÆ AETATIS 495.
FVNDATI TEMPLI 412. IOAKIM REGIS IVDÆ 9.
AZARIÆ PONTIFICIS 9. IEREMIÆ 28. NABVCHODONOSORIS 6. IMPERII BABYLONIORVM 101. OLYMPIADIS XL.
AN. 1. ANCI MARCII 20.
VRB. COND. 133.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 619.

I. *Olymp. 40.*



OLYNTHEVS alteram hoc anno in Olympico stadio palmã retulisse memoratur in catalogo Olympionicarum. Vbi etiam habetur natum hoc anno Xenophanem Colophonium, quem Diogenes Laërtius floruisse ait circa sexagesimam Olympiadem. Neque mirum, cum nonagesimum annum viuendo superasse, ipse de se scripserit, septem videlicet ac 60. peregrinatum, (sic enim ex Græco legendum, non 77.) cœpisse autem peregrinari cum 25. esset annorum. Scribebat porro hæc aliquo à peregrinatione tempore. Refert in hanc ipsam Olympiadem Eusebius Ninum à Cyaxare Assyriis ereptam, anno eiusdem duodecimo. Verum quæ de Niniue nostra esset sententia explicauimus anno Manassis 40. [a]

II. *Ioachim bellum in Chaldæos parat. Quẽ Deus prædonibus vexat.*

QVAM solebat pecuniam Chaldæis [b] soluere Ioachimus, eam congregat ad bellum contra eum cum Aegyptio gerendum, &, vt ratio postulat, quæcumque ad bellicam expeditionem pertinerent studiose colligere conatur. Sed Deus, qui contra eum pro Chaldæis, bellum gerebat, suscitat in eum *latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon, & immisit eos in Iudam, vt disperderent eum.* Videntur hi Chaldæi in præsidiis fuisse pro rege Babylonis in regno Israel, cæteri autem ei à deuicto in Charchamis Aegyptio, parebant. Nec assentior iis, qui has excursiones in id tempus referunt, quo Hierosolyma ab exercitu Nabuchodonosoris obsidebatur. Violenta enim est illa vocis latrunculorum vsurpatio: cohortes enim & turmæ, & legiones, & manipuli dicuntur partes exercitus, quæ huc, illucque à principe exercitus mittuntur: latrunculi non dicuntur. Septuaginta vocant μονοζώνους siue accinctos, Hebr. autem & Chaldæus agmina, aut etiam exercitus; versio tamen Vatabli habet grassatores: quæ erant totidem flagella Dei, qui eis dabat cor vnum, vt ait Abul. [c] ad inuadendum vndique regnum Iuda.

III. *Quæ illorũ mens.*

HI ergo variis excursionibus regnum Iuda vexabant, & regis consilia cædibus, rapinisque disturbabant, vt vel eum ad tributum cogerent, vel irritam eius rebellionem tantisper redderent, dum ipse Rex cum iusto exercitu in Iudæam veniret. Hoc enim anno valde occupatum fuisse Nabuchodonosorem in cogendo contra Tyrum, & Ierosolymam exercitu, ad vtramque ciuitatem obsidione premendam, quæ anno sequenti facta sunt satis docebunt.

Pergebat interea Ieremias Dei iussu, regi, populoque extrema quæque minitari rege & populo in suis sceleribus perseuerante, simul etiam socia Aegypti arma frustra sollicitante.

[a] n. 3. 4. & seqq.
[b] 4. Reg. 24. 2.
[c] q. 4. in c. 24. 4. Reg.

ANNVS MVNDI 3435. QVINTÆ ÆTATIS 426
TEMPLI FVNDATI 413. IOAKIMI REGIS IVDÆ 10.
AZARIÆ PONTIFICIS 10. IEREMIÆ 29. NABVCHODONOSORIS 7. IMPERII BABYLONIORVM 102. OLYMPIAD. XL. AN. 2. ANCI MARCII 21. VRBIS CONDITÆ 134.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 618.



NNVS Ioachimi decimus, quem aliqui Iubilæum putarunt, non quietis, & lætitiæ Iudæis, sed maximi mœroris in Ierosolymorum obsidione fuit. Malum auxit quod cum imminens necessitas postularet, vt ad plures annos congregarent Iudæi terræ fructus, multiplices illi prædones, prædas toto regno agentes, tenuem omnino, & miseram messem Iudæis reliquerunt, potius tamen. I. *Nabuchod. Tyrum obsidet.*

Hoc anno Nabuchodonosoris 7. cœpit ipse obsidere Tyrum, vt ait Iosephus l. 1. contra Apionem, sub rege Tyriorum Ithobalo, eaque illum ipsos tredecim annos tenuit, vt iterum [a] idem affirmat ex Diocle l. 2 rerum Persicarum, & Philostrato, tam in Phœnicum, quam in Iudæorum historiis. Tam diuturna itaque obsidio facile ostendit, quàm esset ea ciuitas, & armis, & viris potens; & locorum, maris præsertim, opportunitate munita. Pradus tamen [b] mendose legit apud Iosephum, tres annos, & menses decem: cum apud eum in Græcis; & Latinis cod. tredecim numerentur anni. *Chronologia* etiam Hebræorum [c] habet Tyrum desolatam, & traditam in manibus Nabuchodon. anno 13. non regni eius, sed obsidionis; & anno proxime sequente vastitatem Ierosolymorum, vt ex eodem loco patet. Ab hoc autem anno vsque ad cladem Hierosolymorum 12. anni, Tyri vero 13. numerantur. Sed de Tyro postea.

a l. 10. ant. c. 11. in fin.
b in c. 26. Ezech. v. 8
c e 26. fi.

NABVCHODONOSOR igitur, etsi operosissimam Tyri obsidionem susceperat, Ioacimum nihilominus tributa non persoluentem, & cum hoste suo fœdera contrahentem, non diutius impunitum relinquendum ratus, contra eum venit infestus, & ciuitatem sub finem decimi anni Ioachimi obsedit. Initio autem vndecimi in vrbem admissus est, fide data nihil se hostiliter in vrbe acturum: sic enim vel intelligendus, vel corrigendus est Iosephus, [d] vbi de Ioacimo agens, *Non multo post*, inquit, *venientem cum exercitu Babylonium regem excipit in vrbe, territus prophetæ prædictionibus: quod enim ab eo sibi non timeret, neque exclusit, neque ad bellum se parauit. At ille receptus non seruauit fidem &c.* At quomodo sibi ab eo non timebat Ioachim, quem tute paulo ante affirmasti, tributum triennio persolutum negasse, & Ægyptiis adhæsisse? Exclusit ergo, & ad bellum se iamdudum parauit. Admisit tamen postea, eius promissis fidem adhibens, sed id initio sequentis anni: quoniam oportet Ioacimum saltem vndecimum regni sui annum contigisse. Prophetæ autem preces, & prædictiones non factæ fuerunt Ioachimo, vt Nabuchodonosorem admitteret, sed mox Ioachino, vt sese dederet, quod & perutiliter fecit. Sic enim & mortem euasit, vt ciuitatem eripuit vastitati, vt sequenti anno dicetur. At de Ioachimo nihil huiusmodi proferri ex scriptura potest, etsi id minime absurdum est.

II. *Et Hierosolymam ipsam.*
d l. 10. c. 8
*Corrigitur Iosephus.*

ANNVS MVNDI. 3436 QVINTAE AETATIS 497. FVNDATI TEMPLI 414. IOAKIMI II. ET VLT. IOACHINVS, & SEDECIÆ I. SARAIÆ PONTIF. I. IEREM. 30. NABVCH. & IMP. BABYL. 103. TRANSMIGRAT. I. OLYMP. XL. AN. 3. ANCI MARTII 22. VRBIS CONDITAE 155.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 617.



I. *Summa rerum anni huius.* TRES Iudææ reges vidit hic annus,[a] quorum vnus misere periit; Alter breui in perpetuam seruitutem, & 37. annorum carcerem in Chaldæam abreptus est. Tertius regnum infelix, ac prope desolatum administrare cepit. [a] 4. Reg. 24. 5. & seq. 2. Par. 36. 8. 9. 10. Ierem. 22. 24. 23. 24. 29 30. 31. &c.

Nouum etiam habet annus præsens de more pontificem, Saraiam nomine, Azariæ filium,[b] qui etiam[c] vocatur Sacerdos primus; a Chaldæo Sacerdos magnus; in Hebr. caput; qui tituli ad pōtificē omnino pertinent. Eundem pontificem refert Chronicum Hebr. & Iosephus,[d] cuius filius dicitur Esdras,[e] non fuit tamen primogenitus: nam Iosedech Saraiæ Babylone successit, vt dicemus. [b] vt est in 1 Paral. 6. 14. [c] 4 Reg. 25. 18. & Ierem. 52. 24. [d] l. 10 c 11. [e] 1 Esdr. 7. 1.

II. *Ratio temporis.* QVOD ad Ioacimi annos attinet, iam supra diximus ei à scriptura[f] vndecim annos tribui: quod nimirum decimum regnando prætergressus, etiam vndecimum attigit. Nam si eum 11. compleuisse dixerimus, fieri nō poterit, vt Sedecias 11. annos regnauerit, neque vt decimo octauo Nabuch. Ierusalem expugnarit; quod tamen affirmat scriptura, vt supra diximus. At, inquies, à Ieremia[g] dicitur Nabuchodonosorem in anno 7. Iudæorum tria millia, & viginti tres trāstulisse. Quomodo id potuit, si anno tantum octauo suo, Ioacimum, & ciuitatē habuit in potestate? Respondeo Ioacimi annos à primo anni sacri mense cœpisse decurrere, Nabuchodonosoris autem à mense quinto. Itaque inchoatus erat Ioachini, vndecimus per vnum mensem, eique successerat Ioachinus, imo & regnum suum trimestre compleuerat, cum septimus adhuc agebatur Nabuchodonosoris annus. Nam octauus mense tantum quinto inchoabatur, sicut supra in 1. eius anno, de primo & decimo nono ex scriptura[h] probauimus. quia tamen maior pars septimi decimo Ioacimi respondet, ita necessario fuerunt collocandi, vt septimus decimo, octauus vndecimo responderet. Ex quibus etiam perspicuum est primum Sedeciæ, & octauum Nabuchodonosoris eodem mense quinto incipere quotannis, atque desinere; donec ille vndecimum, iste decimum octauum expleuit. His de tempore iam secundo declaratis, atque stabilitis, exitum Ioacimi consideremus. [f] 4 Reg. 23 36. & 2. Paral. 36 5. [g] 52. 28. [h] Ierem. 52

III. *Tyri potentia hoc tempore.* NABVCHODONOSOR bello contra Tyrios longe difficillimo tenebatur, vt diximus anno præcedente, quod protracta in decimum tertium annum victoria aperte testatur. Et illa apud Ezechielem elogia.[i] *Vrbs inclyta, quæ fuisti fortis in mari, cum habitatoribus tuis, quos formidabant vniuersi.*[k] *O Tyre, tu dixisti perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita.*[l] *Quæ in exitu negotiationum tuarum de mari, impleßti populos multos: in multitudine diuitiarum tuarum, & populorum tuorum ditaßti reges terræ*, &[m] agens de propugnatoribus eius, *Persæ, & Lydii, & Libyes erant in exercitu tuo, viri bellatores tui, clypeum, & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo; filii Aradii cum exercitu tuo, erant super muros tuos in circuitu, sed & Pygmæi*, (70. custodes, Symmachus Medos, hebræam vocem gamadim interpretantur) *qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum, ipsi compleuerunt pulchritudinem tuam.* [i] c. 26. 17. [k] c. 27. 3. [l] v. 33. [m] v. 10.

IV. *Et superbia principis ius.* DENIQVE tanta erat potētia, diuitiæ, pulchritudo huius ciuitatis, vt toto pene mari mediterraneo lōge, lateq. dominaretur, sēq; ipsā præ superbia nō caperet. Adeo vt DOMINVS principi Tyri[n] ab Ezech. dici iusserit, *fili hominis dic principi Tyri*, [n] c. 28. 2.

*hæc dicit* Dominus Deus, *Eo quod eleuatum est cor tuũ, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris, cum sis homo & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei. Ecce sapientior es tu Daniele, omne secretum non est absconditum à te &c.* Quæ verba significant Danielem hoc tempore cepisse prodere sapientiam suam, vt notauit Diuus Hieronymus. Denique tot tantisque dotibus hic rex illustris fuit, vt principi Angelorum Lucifero, ex constanti patrum interpretatione, comparatus sit, illis verbis. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti, omnis lapis preciosus operimentum tuum &c.*

V. *Causæ belli contra Tyrum.* NABVCHODONOSOR igitur, qui ad imperium orientis aspirabat, non minus quam ille alter, qui Arphaxad Medum occiderat, & populi huius potentiam & superbiam ferre non poterat; aliqua etiam fortasse ab eo affectus iniuria, eam sibi ciuitatem expugnandam omni animi, corporisque contentione suscepit, Deo ipsius viribus eam superbiam deiicere, ac comprimere cupiente: etsi forte non ignoraret eam tempore Salmanasaris, & regis ipsorum Elulæi, per continuos quinque annos, obsidionem Assyriorum, dominorum Asiæ pertulisse, & contempsisse, vt Iosephus [a] ex Tyriis Menandri chronicis refert.

[a] l.9. ant. c. vlt. in fi.

*Et quoniam pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

vt est in prouerbio. Ideo cupiebat bello Hierosolymitano quoquo modo finem imponere, vt omnibus viribus in Tyri expugnationem incumberet.

VI. *Nabuchodonosor quo Ierusalem admissus.* CVM ergo superiore anno aliquot, vt videtur, menses in Hierosolymorum obsidione posuisset, eamque longius proferendam timeret, huius anni initio consilium cepit obtinendi in vrbem ingressum, interposita iurisiurandi religione, pacificum fore ingressum suum; iuxta ea quæ ex Iosepho [b] retulimus. Cui promissioni eò facilius assensum videtur præbuisse Ioachimus, quod male à commeatu instructus, se diu resistere non posse animaduertit; suasit etiam deditionem, quasi in fidem amici manum, experta tertio regni sui anno Chaldæi clementia, in se Babylonem abductum, remissumque. Denique Nabuchodonosorem cum exercitu suo mœnibus excepit.

[b] l. 10. c. 8.

*At ille receptus*, ait Iosephus, [c] *non seruauit fidem, sed florem iuuentutis Hierosolymitanæ*, vna cum ipso rege interfecit. Fœdifrago scilicet fidem frangendam ratus. Et sic qui Chaldæum in promisso tributo fefellerat, falsam Chaldæi fidem id promisso amico ingressu expertus est: & qui perhumaniter in regnum dimissus fuerat, merito in regno crudeliter est occisus.

[c] l. 10. c. 8.

VII. *Occidit Ioachimum. Variæ de eius morte sententiæ.* QVAMQVAM de eius morte variæ diuersorum sententiæ rem dubiam faciunt. Diuus Hieronymus in c. 22. Ierem. ait Ioachim interfectum à latrũculis Chaldæorum, Syriæ, Ammonitarum, & Moabitarum, idque ex Hebræa historia. [d] Sed ibi ab eis non dicitur occisus, sed latrociniis diuexatus, Et ibidem mox subditur v. 5. *Et dormiuit Ioacim cum patribus suis*, quæ verba violentæ morti non videtur satis conuenire. Propterea que Hugo ait intra vrbem interfectum, & proiectum extra vrbem, precibus Iudæorum tandem sepulturæ mandatum. Diuus autem Thomas ait eum sepultum, à latrunculis fuisse exhumatum, & iam putrefactum proiectum extra portas Hierusalem. Sunt etiam qui putant eum iterum abductum in Babylonem, ibique occisum, & foras proiectum, [e] alii in itinere periisse, nec Babylonem peruenisse, vt chron. Hebr. c. 25. vbi dicitur, Ioachim vinctum quidem fuisse, vt duceretur Babylonem, vt est in libro Paral. at mox in vinculis interiisse, indeque raptatum, & obiectum bestiis, ad implendum dictum Ieremiæ. Lyranus etiam, & Caietanus in 2. Paral. 36. aiunt vinctum quidem fuisse, vt duceretur Babylonem, sed mutato deinde consilio, ex itinere retractum, & interfectum, & bestiis volucribusque proiectum.

[d] 4. Reg. 24. 2.

[e] est Tostat. q. 6. in c. 24. 4. Reg. Pradus in 19. Ezech. v. 9 autor Mirab sa. l. 2. c. 29.

VIII. *Occisum Hierosolymis.* PLANISSIMA nihilominus videtur sententia, quam sequimur, quæ Sanctii quoque est, [f] vt abductus semel Babylonem anno tertio regni sui, moxque anno quarto, relictis ibi obsidibus, redditus sit regno suo: nunc autem à Nabuchodonosore Hierosolymis occisus, nec ad geminam eius traductionem in Chaldæam nos vllo modo Scriptura cogit; quæ sine dubio est Iosephi loco citato sententia, vbi cum dixisset Chaldæum vrbe receptum, ait florem iuuentutis Hierosolymitanæ vna cum ipso rege, interfectum; *quem etiam*

[f] in c. 21. Ierem. v. 18.

*insepultum*, inquit, *extra mœnia iussit proijci*, vtique mœnia Hierosolymorum. Vbi etiam pro eo Ioachinum filium, regem vrbis & regionis constituit. Sed quid ad hanc rem apertius verbis Ierem. [a] *sepultura asini sepelietur, putrifactus, & proiectus extra portas Ierusalem*. Et rursus. [b] *Cadauer eius proijcietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem*. (a c.22.19. b c.36.30.)

IX. *Confirmatur cadis locus.* Denique Hieronymus [c] Hierosolymis occisum fatetur, eamque Sanctius communem ait esse sententiam. Ideoque Perer. 1. lib. in Dan. initio, ait Ioachimum vndecimo anno à Nabuchod. dolo captum, atque occisum, extra vrbem proiici, & insepultum iacere iussum esse, quod illi Ieremias prædixerat euenturum. Idem habet à Castro [d] qui verius, & Scripturæ accommodatius arbitratur intra vrbem Ierusalem interfectum, à latrunculis, seu militibus, iussu Nabuchodonosoris. Inde per vrbem raptatum, & sanguine suo conspersum, proiectum esse extra vrbis mœnia, auibus & bestiis obiectum ad non paucos dies, nec sepultum fuisse, sicut nec asini solent. Vocem autem (putrefactus) ex Hebræo interpretatur raptatus, pertractus, &c. (c in c. 25. Ierem. init. d In præfat. in l. 2. com. in Ier. Et in ca. 22. n. 8.)

X. *Cadis, & sepulturæ modus.* Cui ego quidem cætera facile assentior, latrunculos autem illos non probo, cum ad aliud tempus pertineant, vt diximus anno 9. Ioakimi. Et scriptura ab iis interfectum Ioakimum nullo modo significet. Vocem autem (putrefactus) quam D. Hieronymus ex interpr. 70. amplexus est, facile per hysterologiam accipere possumus, vt proiectus primum extra vrbem, ibique insepultus putrescere iussus sit, volucribus & feris expositus: nemine omnino in tanto populo reperto, qui nocturnam pietatem regio cadaueri, Tobiæ exemplo, impenderet. [e] Sed nimirum oportebat diuinum oraculum impleri, cui regis ipsius præsentia cum suo exercitu seruiebat. Oportuit etiam Vriæ cadauer, proiectum super sepulchra ignobilis vulgi vindicari. Nihilominus dormisse dicitur cum patribus suis; quod vsurpatur aliquando etiam de iis, qui violenta morte decesserunt, vt Achab, [f] & Ioram. [g] (e Tob. 2.9. f 3. Reg. 22. 40. g 4. Reg. 8.24 &c.)

XI. *Idem stigmaticus dæmonis.* Quoniam vero in 2. Paral. [h] sic legitur. *Reliqua autem verborum Ioakim, & abominationum eius quas operatus est, & quæ inuenta sunt in eo, continentur in libro regum Iuda, & Israel*; Quæsiere interpretes quænam dicantur in eo inuenta fuisse. Ea de re ita Hieronym. in tradit. Hebraicis. [i] *Inter cætera mala quæ gessit, etiam hoc fecit in corpore suo, quod Dominus prohibuit, dum diceret. Non tondebitis capita vestra in rotundum, neque super mortuum, neque stigmata facietis in corporibus vestris. Quæ postquam mortuus est in corpore eius inuenta sunt, Nabo prophetia. Est enim nomen idoli, cui idem Nabo seruiebat. Chodanasar, capiens plasma vinum.* Hactenus Hieronym. cuius postrema verba valde deprauata sunt, nec idoneum sensum admittunt: ex quibus tamen Comestor, Lyran. Abulens. Vatabl. Perer. in Dan. Sanctius, & à Castro in cap. 22. Ieremiæ, colligunt regis corpori inusta fuisse stigmata, & notas literarum, quæ nomen Chodanasar referrent, quod ipsum nomen variè scriptum reperitur. Res à fide minime aliena est, cum legamus Baalis pseudoprophetas sese gladiolis, & cultris incidisse, iuxta ritum suum, donec perfunderentur sanguine; & in magis & maleficis quotidie diabolicæ notæ reperiantur; de quibus vide disquisitiones magicas Martini del Rio. (h 36.8. i 2. Par. 36.)

XII. *Iechoniæ siue Ioachimi regnum.* Eadem anno, & secundo anni mense in demortui patris locum substituit Nabuchodonosor Ioachinum eius filium, qui frequentius Iechonias, ad confusionem ex nominum similitudine vitandam, dici solet: Vel quod eodem redit, iam à decem annis cum patre regnantem, in regno perseuerare passus est. Sic enim intelligitur ille locus. [l] *Octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpisset, & tribus mensibus, & decem diebus regnauit in Ierusalem. Fecitque malum in conspectu Domini; iuxta omnia quæ fecerat pater eius*, vt addit quartus Regum. In quo & 10. illi dies prætermittuntur, & initium regni ponitur anno vitæ eius 18. quia nimirum, vt supra quoque monuimus, bis regnare cœpit. semel cum patre, & eo occiso, iterum solus ex Nabuchodonosoris indulgentia, & Dei patientia, expectantis vt complerentur peccata Amorrhæorum istorum. (*Impie agit.*) (l 2. Paral. 36.9.)

XIII. *Arguitur à Ieremia.* Qui tamen non est passus adolescentem diutius sequi paterna impietatis vestigia, sed regem Babyloniorum instigauit, vt regium beneficium, quod ei

nuper dederat, quam primum auferret. Imminentis tamen periculi hominem per Ieremiam admonuit. Ad illum enim illa [a] pertinent. *Viuo ego dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Charus est gestanti annulus aureus, siue eo inclusus sit preciosus aliquis lapis, siue amicæ rei imago, quæ sigilli instar sit: oportet ergo insignem esse offensionem, quæ illum cogat abiicere. Erat Iechonias ex regia familia Dauidis, & ab eo quoque proditurus erat nobilis ille lapis, ecclesiæ fundamentum Christus Dominus. Ipse enim in eius progenitoribus numeratur, eoque nomine Deo charus esse poterat, sed Deus vsque adeo peccatum detestatur, vt nihilominus eum à se proiecturus sit in exilium sempiternum. Pergit.

a exca.22. 24.

ET *dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchod. regis Babylonis, & in manu Chaldæorum.* Multiplicantur phrases idem significantes, si quo modo adolescens, apprehensa periculi sui magnitudine, se ipse respiciat, & Deum regno suo, vel certe sibi conciliet. De exilio autem hæc addit. *Et mittam te, & matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis: ibique moriemini*; putabant enim si in exilium deportarentur, se inde breui reduces fore, vt Ioacimo contigerat. Sed habebant alia ex parte exemplum Ioachaz, qui ante annos decem in Ægyptum, Pharaoni perpetuo seruiturus, abierat. Eam Iechoniæ quoque sortem fore propheta declarat, *& in terram*, inquit, *ad quam ipsi leuant animam suam, vt reuertantur illuc, non reuertentur*; in patriam scilicet suam, ad quam frustra aspirant: itaque ad perpetuum damnati exilium, in solo barbarico, in perpetuis vinculis consenescent.

HIC propheta super regis sui calamitate, & summo contemptu ingemiscens, *Nunquid*, ait, *vas fictile, atque contritum vir iste Iechonias? nunquid vas absque omni voluptate? Quare abiecti sunt, ipse & semen eius, & proiecti in terram quam ignorauerunt*, certissime videlicet postmodum abiiciendi, & deportandi in certam exilij sedem? Responsio quasi perspicua supprimitur, nimirum propter scelera sua. Sed mirum videatur quod subdit Dominus. *Hæc dicit Dominus, scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Neque enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda*: id tamen certum atque indubitatum est. Nam Sedecias, qui ei successit, non filius eius, sed patruus fuit. Sterilis ergo dicitur, non quia liberis caruerit, nam hoc ipso loco seminis eius semel iterumque fit mentio, sed quia neminem regni successorem genuerit. Certe in li. 1. Paral. [b] filij eius octo numerantur: in quibus est secundo loco Salathiel, à quo ad Christum vsque Dauidis familia deuoluta est.

b 3.17.

Ex his porro intelligitur vera causa cito deiecti de solio Iechoniæ ex parte Dei. At quid Nabuchodonosorem in eam voluntatem adduxerit non satis constat. *Babylonium*, inquit Iosephus. [c] *Statim dedisse regnum Ioachimo pœnituit*, legendum est Ioachino, sicut & deinceps aliquoties, vbi idem erratum iteratur. *Verebatur enim*, ait, *ne memor patris per iniuriam occisi, regionem ad defectionem perpelleret.* Non multum abest ab hac sententia Chron. Hebr. [d] *Obsignatur*, inquit, *iudicij sententia, vt abduceretur in captiuitatem, dicente Nabuchodonosor: E prauo cane catulus probus non nascitur.* Pergit Iosephus. *Misso igitur exercitu Hierosolymis eum obsedit; qui cum esset natura bonus, & iustus, non sustinuit periclitantem propter se vrbem despicere: sed matrem & cognatos, missis à rege ducibus, tradidit obsides, icto in hoc cum eis fœdere, quod nec vrbi mali aliquid inferrent, nec ciuibus. Sed tum quoque ne per integrum quidem annum, fides seruata est, Babylonio rege violante eam, & mandante per literas suis ducibus, vt omnem iuuentutem captiuam ex vrbe abducerent, & quidquid inesset artificum, & vinctos ad se adducerent: fueruntque hi omnem decem millia numero, & 832. & in his Ioacimus cum amicis ac matre, qui à rege in custodia sunt habiti.*

c l.10.c.9.

d c.25.med.

NONNVLLA hic in Iosepho merito improbare possumus, ac debemus. Quis enim probet vocari bonũ & iustum, quem scriptura impium fuisse testetur, & fecisse malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat pater eius? quem à Deo transfugam, idolorum mancipium, & stigmaticum omnes fuisse fatentur. D. Hierony. in c. 22. Ierem. *pro eo quod nos diximus, vas fictile atque contritum, Symmachus transtulit purgamentum, siue quisquiliæ viles, atque proiectæ*, & infra. *Iechonias interpretatur Domini præparatio, cui in præsenti loco prima syllaba, id est Domini*

*nomen auferitur, & dicitur Chonias, vt subaudiatur perditioni, & interitui præparatus.* Num ergo virum bonum, & iustum propheta vocet vas fictile, atque contritum, inutile, & inamabile? vel vt in Hebræo habetur, *idolum & sculptile contemptibile*, qualis erat is cui Zachar.[a] dicebat, *ô pastor & idolum, derelinquens gregem*, qui nihil habeat principis, præter externam quandam speciem. Num ergo Ieremias appellet simulachrum, & quasi parietem dealbatum, quem non ignoret esse Christum Domini, & in solio Dauidis sedere? Nequaquam sane principem populi Dei, & quasi annulum in dextera Dei collocatum, cum quodam conuicio terram ter tiò appellaret, & virum sterilem, nisi eius impietas eum coram Deo contemptibiliorem efficeret, quam summa dignitas venerabilem. [a] 11. 17.

XVIII. *Iuste fecit Ioachin, vir alioqui iniustus.*

AT maluit cum domesticis abire in exilium, quam cum vniuersa ciuitate perire, vt Sedecias. Non contemno quod Ieremiæ consilio acquieuerit. Nam id ex illius monitione factum plerique putant, & Dei voluntate id factum, clarissimum est ex cap. 24. Ierem. v. 5. *Sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum in bonum*, &c. Vide ibi D. Hieronym. Sed Herodes quoque audito Ioanne Baptista multa faciebat, nec iustus propterea & bonus à quoquã appellabitur. Et sicut necesse non est sceleratos homines perpetuo agere scelerate; ita nec ex vnica actione laudabili bonos & iustos audire par est. Iuste fecisse dicat, & assentiemur, iustum autem & bonum fuisse assentiri non possumus.

XIX. *Alia Iosephi culpa.*

ET recte quidem facere videtur Iosephus quod bis eodem anno captiuos abductos dicat in Babylonem, semel cum Babylonius vrbe potitus occidit Ioachimum, & abiici iussit insepultum: iterum autem cum sese ei dedidit Iechonias. Nam vtraque captiuitas in scriptura reperitur, prior quidem apud Ierem.[b] [b] 52. 28.
posterior in 4. Reg.[c] Sed illud non recte, quod vtrobique numerum mutauit. [c] 24. 14.
Nam Ieremias numerauit captiuorum tria millia & viginti tres: ipse autem[d] [d] l. 10. c. 8.
tria millia duntaxat. Et sacer historicus ponit decem millia transmigrantium cum Iechonia: Iosephus decem millia ponit ille quidem, sed adiecit de suo octingentos & triginta duos; imo inconsultè mutuatus est ex ea captiuitate, quæ post vndecim annos sub Sedecia contigit, vt patet ex Ieremia[e] in fine vaticinij sui. [e] 52. 29.

XX. *Tertia de gemina obsidione Iechoniæ.*

NON probandus quoque quod præter expeditionem contra Ioachimum, bis eodem anno venisse Chaldæos asserit contra Iechoniam, & semel quidem data fide, & acceptis obsidibus abiisse. Iterum autem violata fide rediisse, & vrbem cum rege eiusque matre cœpisse, & omnem iuuentutem captiuam abduxisse. Nam scriptura in 4. Reg.[f] vbi accurate Iechoniæ transmigrationem tradit, vnius duntaxat contra Iechoniam expeditionis Babyloniorum meminit. Quin etiam liber Paral. qui prætermissa supplet, vnicam tantum ponit. Quemadmodum autem ficta est prior illa obsidio, ita & fides à ducibus data, & obsides à Iechonia, quorum nullum est in sacra narratione vestigiũ; imo ne probabilitas quidem vlla. Quis enim dat hosti obsides, ne ciuibus inferat quicquam mali? Diceret potius, datos obsides fidei faciendæ causa, se ad Ægyptios non defecturum, veritum scilicet ne in matrem, aliosque sibi charissimos, Chaldæi regis defectionem vindicarent. Quamquam aliò possumus Iosephi mentem ex Græco traducere. Nimirum tradidisse Iechoniam Chaldæis ducibus matrem suam, & cognatos, quasi pignora fidelitatis, sed prius tamen accepto ab ipsis iureiurando, neque ipsos obsides quicquam passuros mali, neque ciuitatem. Manca nihilominus erit oratio, omissa causa datorum obsidum; verum, vt dixi, illa tota narrationis pars ficta, & adiectitia est. Id planum ex scripturæ narratione fiet. [f] 24. 10.

XXI. *Iechonias venit in potestatem Nabuch.*

IN *tempore illo*, inquit,[g] vtique septimo regni sui exeunte. *Ascenderunt serui* [g] 4. Reg. 24. 10.
*Nabuchodonosor regis Babylonis in Ierusalem, & circundata est vrbs munitionibus. Venitque* mox *Nabuch. rex Babylonis ad ciuitatem cum seruis suis, vt oppugnarent eam.* Clausa ergo fuit, nec in eam statim admissus est Chaldæus, sed per internuncios actum est, dataque fuit à Nabuchod. promissio nihil se mali illaturum ciuitati, velle tantum, sibi obsidibus cautum esse ne Iechonias à se deficiens, Tyriis, Ægyptiisue, hostibus suis iungeretur, vel tributum negaret. Itaque cum sic conuentum esset, & obsides se daturum promisisset.[h] *Egressus est Ioachin rex Iuda ad regem Babylonis,* [h] Vide Abul. q. 10 in c. 14.

*ipse, & mater eius, & serui eius, & principes eius, & eunuchi eius; Et suscepit eum rex Babylonis*, ad externam quidem speciem pacificè: præualens tamen viribus, eum in potestate habuit, nec ipsum deinceps liberum esse permisit, simulque cum exercitu in ciuitatem ingressus eam pro arbitrio viris thesaurisq. spoliauit, idque fieri contigit, *octauo anno regni sui*, inchoante scilicet: nam, vt diximus, singuli anni eius idem habebant initium, & finem cum annis Sedeciæ, qui mox constituetur Rex.

XXII. *Qui vrbem populatus est.*

ᵇ ET *protulit inde* Nabuchod. *omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regiæ, & concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini.* Non dubium est vasa aurea Salomonis iampridem prædæ patuisse, & sub ipsa initia regni Roboam, à Sesac rege Ægypti fuisse expilata, etsi aliter sentit Abulensis. Intelligit ergo vasa aurea, quæ nuper Iosias ad eorum similitudinem conflauerat, de quibus dictum est anno 18. regni eius. Sic libri Mosis dicuntur, qui ab Esdra iuxta multorum sententiam reparati, Esdræ dici possent. Sed nec illud caret hyperbole, quam gemitus in tanta iactura excussit (neque enim huiusmodi figuras Scriptura repudiat:) quod dicit concidisse vniuersa vasa aurea, & protulisse omnes thesauros. Nam aliquid relictum oportuit, quod altera vrbis expugnatione raperetur. Sed nec omnia fuisse concisa, ex c. 1. Esdræ perspicuum est, & ex Iere. ᵃ qui vasorum meminit, quæ in huius temporis sacrilegio derelicta sunt. Neque est credibile, Sedeciam impium idolorum cultorem, & tributis grauatum, & in hac transmigratione misere spoliatum, vasa aurea templo dare voluisse, aut potuisse. De vasis tamen argenteis ab eo factis mentio est in Baruch.ᵇ Itaque Abulensis illud *concidit* interpretatur *colligauit*, vt scilicet commode asportarentur in longinquam regionem. Atque in hanc sententiam cædere & concidere pignora, & authoritatem videtur dixisse M. Tullius. ᶜ Pergit.

*An & vasa Salomonis.*

ᵃ c. 27. 28. & seqq.

ᵇ 1. 8.

ᶜ 1. de orat. init.

XXIII. *Captiuos abduxit.*

ET *transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captiuitatem* Vt si libido ad defectionem impelleret, facultas ad deficiendum deesset. Facile est ex hoc loco intelligere captiuos ex sola vrbe regia, aut ad summum ex regno Iuda abductos esse. Sola enim Ierusalem obsessa hic dicitur, aliis videlicet quamprimum ad Chaldæorum aduentum aufugientibus, qui deinde, constituto rege Sedecia, ad eum aggregati sunt, vt dicemus. Ideoq; non assentior Chronico Hebræorum c. 25. dicenti de Iuda tria millia in captiuitatem ducta, de Benjamin, & reliquis tribubus septem millia. Nam reliquæ tribus iampridem Assyriis, nunc autem Babyloniis, præsertim præsentibus seruiebant: & scriptura eos non ex tribubus, sed ex officiis potius distinguit. Vnde subditur

XXIV. *Et in iis artifices, & inclusores.*

ET *omnem artificem, & elusorem.* Alij libri habent clusorem pro inclusore. Vereor ne elusus sit, qui inclusorem in elusorem ᵈ mutauit, si id de industria factum est. Nam in aliis vulgatis legitur inclusor, sicut etiam apud Ierem. ᵉ *faber & inclusor.* Agnoscunt etiam Hebræi, qui hos fabros, ᶠ & inclusores sensu mystico frigide interpretantur ᵍ D. Hieron. in ca. 24. Ieremiæ inclusores item agnoscit, & interpretatur inclusores auri, atque gemmarum, *quæ ars*, inquit, *apud barbaras nationes preciosissima est.* Inclusorem deniq; habent Græca, Hebræa, & Chaldæa: nec elusorem, si quis tandem est, hic video vllum habere locum; quamuis fortasse emendator ad illusas auro vestes alluserit, & eo nomine significare voluerit aurifices, acu pictores, & alios id genus artifices, quorum labor est in pretiosa materia. Inclusores vero Vatabl. & Sà interpretantur peritos castra metãdi, sicut & Christophorus à Castro. & Sanctius in Ieremiæ 24. & 29 caput. Chald. vertit Ianitores, quorum scilicet est includere & excludere. Pergit sacer historicus, *nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.* Ex quo intelligi potest quale fuerit sub Sedecia regnum, etsi alioqui potuerit esse numerosum.

ᵈ Hoc vers 14. & vetcrum 16.

ᵉ c. 29. 2.

ᶠ c. 24. 1.

ᵍ Chron. Hebr. c. 25.

XXV. *Regem ipsum, cum regia familia.*

TRANSTVLIT *quoque Ioachin in Babylonem, & matrem regis*, eam Nohestam paulo ante vocarat, *& vxores regis*, iam plures habebat vxores octodecim annorum adolescens, *& eunuchos eius*, ita hoc quoque loco vocantur cubicularij, & qui regi sunt ab intimis ministeriis. *Et iudices terræ duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem*, pro iudicibus Hebræi habent fortes, id est potentes vel principes, Chaldæus magnates, tales enim iudiciis præficiuntur. In his autem non imme-

rito quis dixerit fuisse nequissimos illos castæ Susannæ iudices: nisi malis eos 3. anno iam captiuos fuisse, idque probabilius est, vt infra patebit. Voluit etiam sacer historicus distinctius enumerare captiuos, subdens bellatorum quidem fuisse septem millia, artificum etiam & inclusorum, qui & ipsi bellatores essent, mille. Reliqua duo millia erant amici regis, & aulici omnes, totáque familia regia.

XXVI. *Multi quoque sacerdotes, & prophetæ. Quid de Ezechiele, & Mardochæo.* ADDE etiam multos sacerdotes, & prophetas, teste Ieremia. [a] Iosephus quoque Ezechielem puerum ductum fuisse ait in tribus millibus, qui capti sunt cum Ioakim occisus est. [b] Significat etiam lib. Esther [c] Mardochæum quoque in hoc fuisse numero, sed id tempus nullo modo patitur, & textus illi Artaxerxis Longimani an. 2. explicabuntur. Sed de hac Ezechielis pueritia merito dubitari potest. Nam cum ex initio prophetiæ ipsius constet eum tricesimo vitæ anno, vt suo loco pluribus disseruimus, prophetare cœpisse, ille autem annus trigesimus, sit quintus transmigrationis. vt ibidem [d] dicitur, certe hoc anno si puer fuit, viginti quinq; annorum puer fuit. Certum nihilominus est Ezechielem siue cum occisus est Ioakim, siue potius cum transmigratione Iechoniæ translatum in Babylonem. Nam ca. 40. prophetiæ suæ numerat 25. annum *transmigrationis nostræ*, inquit, qua scilicet nos quoque transmigrauimus, quem ait esse desolatæ ciuitatis decimum quartum. At illi duo anni non concurrunt, nisi Ezechielis transmigratio sit eadem, quæ Iechoniæ regis.

XXVII. *Nabuchodonosorem venisse Hierosolymam.* QVOD etiam ait Iosephus c. 9. non venisse ipsum Nabuchod. contra Iechoniam, sed rem totam per duces suos confecisse, contra scripturam est, [e] quæ ait quidem seruos Nabuch. ascendisse in Ierusalem, & circundedisse munitionibus ciuitatem, sed mox subdit. *Venitque Nabuch. rex Babylonis ad ciuitatem cum seruis suis, vt oppugnarent eam.* Præmisit videlicet partem aliquam copiarum, quæ maturè aditus omnes in vrbem præcluderent, moxque ipse secutus est. Hos autem captiuos non ipse per se, sed per milites suos Babylonem adduxit. [f] Nam Scriptura *Cumque*, inquit, *anni circulus volueretur*, finiretur scilicet 7. & inchoaretur octauus. Neque enim significatur interregnum aliquod intercessisse inter Iechoniam & Sedeciam, vt recte probat Torniel. [g] contra Caiet. Ex iisdem verbis inepte colligit Chronicon Hebr. in medio Iubilæi migrasse Iechoniam, anno quarto hebdomadæ, annalis videlicet; sed profecto in vtroque fallitur, si quid habet tota nostra Chronologia firmitatis. Est enim hic annus sextus à sabbatico 121. & tertius post Iubilæum decimum septimum: inchoatis sabbaticis ab ingressu in Chananitidem, & Iubilæis ab egressu ex Ægypto. Vide quæ diximus anno Mundi 2633. in Schol.

XXVIII. *Nec per se hos Babylonem traduxisse. Et cur.* ERGO cum anni circulus volueretur, *Misit Nabuch. Rex, qui adduxerunt eum in Babylonem*, Ioachinum videlicet, *asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini.* Causam autem cur ipsemet Nabuchod. cum hac captiuorum turba lectissima, quasi triumphator profectus non sit in Babylonem, arbitror fuisse, quod longius à Tyro, quam maximo studio oppugnabat, abesse nollet: sperans fortasse simul se de vtraque ciuitate, & regno triumphaturum. *Vbi tunc esset Nabuch.* Quamquam non nego Iosephum innuere Nabuchodonosorem tum Babylone fuisse, cum ait mandasse per literas ducibus suis, vt captiuos vinctos ad se adducerent: non aliò autem adducti sunt quam Babylonem. Sed contrarium videtur vero similius. Cæterum de vinculis captiuorum Iosepho consentit Chron. Hebræorum, aitque eos compedibus vinctos fuisse, & in vinculis positos. [h]

XXIX. *Væ malis pastoribus.* NON desunt, qui ad hoc tempus referant prophetiam Ierem. c. 23. *Væ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ.* Nam Theodoretus ait prophetã inuehi in prædictos reges Iuda, quod sceleribus suis causa fuerint dispersionis populi: quod recte in hoc tempus quadrat, quo iam semel, iterumque dispergi cœperat regnum Iuda. Quod valde confirmant illa prophetæ verba v. 2. *Vos dispersistis gregem meum, & eiecistis eos, & non visitastis eos, ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.* Dispersisse censentur prælati, & eiecisse gregem Domini, siue malo exemplo eis præcurrentes ad interitum, siue ignaua indulgentia eorum sceleribus conniuentes. Nauclerus enim non solum est causa naufragij si nauim perforet, sed etiam si absit à gubernaculo, aut si perinde se geret in naui, ac si abesset. Impunè autem id non fore, intentatum illud *væ* satis ostendit.

a 29. 1.
b l. 10. ant. c. 8.
c c. 1. & 4. & c. 2. 6.
d c. 1. v. 2.
e 4. Reg. 24. 10.
f 2. Par. 36. 10.
g an. 5. ætat. 413 n. 8.
h ca 15.

INTERIM vero dum Iechonias cum populo suo, regno & libertate amissa, vinctus Babylonem extruditur, & illustre palatium in tristem carcerem commutat, ad totos septem & triginta annos: Nabuchodonosor regnum infelix iam, & luctuosum patruo Iechoniæ tradit. [a] *Et constituit*, inquit, *Matthaniam patruum eius pro eo, imposuitque nomen ei Sedeciam.* Quæ nominis commutatio supremi in eum dominij signum erat, sicut etiam cum ante annos decem Ioakimi nomen commutauit. Sic deinde etiam Romani nomina seruis suis, & libertis pro arbitrio imponebant, vt ibi diximus.

a 4. Reg. 24.17.

SEDECIAM porro non solum noui nominis impositione docuit semper meminisse, à quo factus esset Sedecias, id est rex. qui extra spem regni erat, viuente nepote suo, posterisque eius; sed iureiurando etiam adegit, vt fidem ei seruaret, nihil in regno innouaret, Ægyptiorum societate abstineret, tributa cum fide penderet, & quæ sunt generis eiusdem. Colligitur id ex 2. Paral. [b] *A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adiurauerat eum per Deum*, vnde Iosephus. [c] *Pro Ioachino autem Sedeciam eius patruum regem constituit iureiurando adstrictum, quod nihil in ea regione esset nouaturus, nec iuuaturus Aegyptios.* Idem habet Ezechiel c. 17. 2 vbi tamen rem præteritam quasi futuram narrat. *Ecce venit*, inquit, *rex Babylonis in Ierusalem, & assumet regem, & principes eius, & adducet eos ad semetipsum in Babylonem.* Et tollet de semine regni, ferietque cum eo fœdus, & ab eo accipiet iusiurandum. *Sed & fortes terræ tollet, vt sit regnum humile, & non eleuetur, sed custodiat pactum eius, & seruet illud.* Sed de his in extremo regno Sedeciæ sermo recurret.

b 36. 13.
c l. 10 c. 10.

REBVS in Iudæa ex sententia constitutis, Nabuchodonosor ad vrgendam Tyri obsidionem, vt par est credere, profectus est. Sedecias vero, in eandem cum fratribus impietatis foueam præcipitem se dedit, vt ex eadem ipse quoque malorum cloaca, etiam pestilentiorem hauriret aquam. Sic enim de eo script. [d] *Et fecit malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ioachim. Irascebatur enim Dominus*, qui scilicet permittebat vt peccatum fieret pœna peccati, *contra Ierusalem, & contra Iudam, donec proijceret eos à facie sua.* In 2. Paral. [e] additur, *nec erubuit faciem Ieremiæ prophetæ loquentis ad se ex ore Domini*, vt scilicet erubuerat Iechonias, qui se suosque, Deo id sibi per Ieremiam denunciante, dediderat.

d 4. Reg. 24.19.
e 36.12.

QVÆ Iosephus [f] paulo ampliora facit cum ait. *Is erat annorum viginti & vnius cum principatum acciperet, natus eadem matre qua frater Ioacimus, sed iusti ac decori negligens, vt qui æquales quoque circa se haberet impios; quin & totus populus in eandem solutus est licentiam. Quamobrem sæpenumero Ieremias propheta illum adijt, obtestans vt omissis impietatibus iustitiæ curam gereret, neue aut ducibus mentem adhiberet, quod essent mali plerique, aut falsis prophetis crederet eum decipientibus*, & paulo post. *Sedecias vero tantisper dum audiebat prophetam, agnoscebat eum vera dicere, & in rem suam esse, si illi fidem adhiberet: sed per amicos rursum deprauabatur, & abducebatur à prophetæ consilijs in diuersum quocumque vellent.* Sic Iosephus, sed hanc animi inconstantiam, & leuitatem Sedeciæ, postea suis locis ex Ieremia trademus.

f L. 10. c. 10.

CVM autem Nabuchod. Hierosolymis abiisset, plerique eorum, quos Chaldæorum aduentus huc illucque fugitiuos disiecerat, in Ægyptum præsertim, vbi se propter vtriusque regis inimicitias, tutiores fore arbitrabantur, Hierosolymam reuersi sunt, & sese adiungentes Sedeciæ, regnum abiectum & humile, in quo soli pauperes terræ relicti fuerant, paulo splendidius reddidere. Nam deinceps Ieremias crebro ducum & principum mentionem faciet. Necdum porro illi redierant, cum de ipsis, simulque de iis, qui cum Iechonia transmigrarant, factum est verbum Domini ad Ieremiam, cum imaginaria visione, qua & transmigratis multam prosperitatem, & protectionem suam prænunciat, reliquis autem fugitiuis, & qui cum Sedecia in vrbe remanserant, omnia infelicia, atque luctuosa. Eam visionem ad hunc ipsum annum refert Christophorus à Castro, in sua Isagoge c. 4. Suspectam tamen hãc temporis rationem faciunt minæ, quæ hic intorquentur in eos, qui sine culpa videntur fugisse, nec abiisse cum cæteris in Babylonem, sed ad Sedeciam à fuga reuertisse. Dici tamen potest iræ causam esse non tam fugam, quam perseuerantiam in idololatria, à qua transmigrantes discedebant, vt mox dicetur.

OSTENDIT, inquit, *mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficis positi ante tem-*

*plum Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam filium Ioakim regem Iuda, & principes eius, & fabrum, & inclusorem de Ierusalem*, ne eorum opera copiam armorum habere possent, qui ad defectionem proni essent, *& adduxit eos*, opera ducum suorum, *in Babylonem. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt solent ficus esse primi temporis: & calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eo quod essent malæ.* Et paulo post. *Hæc dicit Dominus Deus Israel. Sicut ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum in bonum. Et ponam oculos meos super eos ad placandum*, benigno eos ac sereno vultu aspiciam, *& reducam eos in terram hanc. ædificabo eos, & non destruam, plantabo eos, & non euellam. Et dabo eis cor vt sciant me, quia ego sum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde suo.*

XXXVI. *Quales futuri Iudæi transmigrationis.* Ex his non obscure colligi potest Iudæos in transmigratione maxima ex parte idolis abstinuisse; huius autem diuinę in istos exules beneuolentiæ causam fuisse, ait D. Hierony. quia Iechonias se Ieremiæ consilio, & imperio Dei tradiderat regi Babylonis, cuius obedientiæ merito tam sibi gratum factum fuisse ait, quam gratæ sunt hominis palato ficus optimæ. Inde autem prouocata est Dei bonitas ad singulare illud beneficium, vt daret eis cor bene erga Deum affectum, quo & eum agnoscerent pro vero Deo suo, eumque syncerè diligerent, & colerent. Hinc factum est vt inuenirent gratiam in conspectu dominorum suorum, & acquirerent diuitias, & ædificarent domos, & plantarent vineas, & reliquis patriæ suæ commodis non carerent. Aliqui etiam miraculis, & dono prophetiæ, & magna vitæ sanctitate redderentur illustres, vt Daniel cum sociis suis, vt Ezechiel, vt Susanna, vt Esdras, Zorobabel, Iesus sacerdos magnus, Nehemias, Esther, Mardochæus, aliique non pauci. Sed alteram visionis partem audiamus.

XXXVII *Et quales reliqui.* Et *sicut ficus pessimæ*, [a] *quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ, hæc dicit Dominus. Sic dabo Sedeciam regem Iuda, & principes eius, & reliquos de Ierusalem, qui remanserunt in vrbe hac, & qui habitant in terra Ægypti*, qui ibi sunt, ex quo eò metu Chaldæorum profugerũt. Non agit autem de iis, qui eò sese inuito Domino, & propheta Ieremia, post casum Reipubl. contulere, quoniam hæc in recenti transmigratione contigere, illa vera post annos vndecim. Nihilominus fugitiuos istos tam ingratos sibi esse significat, ac ficus immaturas, quæ præ austeritate sua strangulant potius, quam delectant; ideoque & cum indignatione abiciuntur, quod ipsis quoque euenturum est. Vnde subdit. [b] *Et dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in maledictionem, in vniuersis locis, ad quæ eieci eos. Et mittam in eis gladium, & famem, & pestem donec consumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum.* Non ergo in Ægyptum tantum profugerant, sed ad Syros, Palæstinos, Arabes, Idumæos. Hæc porro ipsa comminatio repetitur infra [c] in epistola, quam misit Ieremias in Babylonem. In rem autem post vndecim annos redacta est, cum misit in eos gladium, & famem, & pestem, donec consumerentur de terra, quam voluit Dominus desolatam esse 70. annis, propter malitiam, & impietatem incolarum.

a c. 24. 8.

b v. 8. 9.

c ca. 29. 16.

XXXVIII *Epistola Ieremiæ.* Et quoniam intererat hæc nota esse transmigratis, misit ad eos hoc ipso anno, vt Castrio nostro placet, epistolam Ieremias, quæ habetur c. 29. prophetiæ eius, in cuius initio significatur à quo, vnde, & ad quos missa sit, quando item, & per quos. Mittit Ieremias vt captiuos consoletur, pro suo in eos amore, & ab imposturis falsorum prophetarum liberet, pro sua de eorundem salute sollicitudine. Misit autem de Ierusalem, vbi Dei nutu remanserat ad curandas reliquias populi: ideoque etiam post captam, & incensam ciuitatem, & templum, data optione abeundi Babylonem, [d] maluit cum reliquiis fugitiuorum remanere, vt illos, si quo modo posset, etiam hora nouissima faceret saluos: præsertim cum non ignoraret in Babylone esse Danielem, & Ezechielem, qui transmigratis adessent.

d Iere. 39. 11.

XXXIX *Ad quos missa.* Sed maior est difficultas de iis, ad quos missa sit. Ait enim propheta scribere se ad reliquias seniorum transmigrationis, & ad sacerdotes, & ad prophetas, & ad omnem populum, quem traduxerat Nabuchod. de Ierusalem in Babylonem. Mirum est enim non mitti ad regem ipsum: nam vt statim subditur, missa

est,

est, *postquam egressus est Iechonias rex, & Domina* (siue regina, mater scilicet regis, [a] Nam regina vxor nō fuit vna, sed plures, vt 4. Regum dicitur.) *Et Eunuchi, & principes Iuda, & Ierusalem, & faber & inclusor de Ierusalem.* Ideóque probabile fit aliquibus, in quibus Christophorus à Castro, mitti ad eos, qui iam illuc ab anno 3. Ioakimi translati fuerant, cum eo rege, & Daniele, & sociis, quibus iam exilium fastidientibus, prædicebant nonnulli impostores fore, vt breui Hierosolymam soluta captiuitate reuerterentur: quod non potest conuenire iis, qui vixdum eo peruenerant.

a vt dicitur 4. Reg. 24 11.15.

XL. *Ad vtrosque transmigratos.*

Sanctvs tamen Hierony. *Hæc epistola*, inquit, *imo libellus Ieremiæ prophetæ, per legatos Sedeciæ Elasam & Gamariam, mittitur in Babylonem ad eos, qui cum Iechonia, & matre eius translati fuerant à Nabuch. vt per occasionem legationis regiæ, suum quoque opus propheta compleret, & moneret populum transmigratum, quæ sibi à Domino fuerant imperata.* Sic S. Hierony. quem alij postea secuti sunt. Missa vero putatur legatio ad ferendum tributum nomine Sedeciæ regis. Ego sane existimauerim ad vtrosque missam, vt quæ vtrisque conueniat; nominatim vero ad eos, qui ea consolatione magis egebant, & quibus à pseudoprophetis plus imminebat periculi, idque illa verba Prophetæ, *omni transmigrationi*, haud obscurum relinquunt. Ad regem autem non missam, siue ex humilitate prophetæ, siue ex modica familiaritate cum ipso.

XLI. *Epistola sententia.*

Epistola autem sic habet. v 4. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtuli de Ierusalem in Babylonem*, anno scilicet 3. Ioacim, & in fine regni eius, & cum Iechonia. Quibus omnibus significat diuturnam fore captiuitatem; ideoque inquit. *Ædificate domos & habitate, & plantate hortos, & comedite fructum eorum. Accipite vxores, & generate filios & filias: & date filiis vestris vxores, & filias vestras date viris, & pariant filios & filias, & multiplicamini, & nolite esse pauci numero. Et quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* His per quam similia leguntur in Baruch. [b] Vbi pro 70 annis septem ponuntur generationes, sed quia ille locus ad aliud tempus pertinet, omittatur hoc loco.

*Longū fore exilium.*

b ...I. v. 11. & ...n & rursum c. 6. 2.

XLII. *Contra pseudoprophetarum promissa.*

Cæterum inter eos qui iam dudum captiui erant Babylone, nonnulli improbi ac profani homines, gloriæ prophetarum auidi, nomen prophetæ sibi vsurpabant, & quæ populo grata, & accepta fore animaduertebant, quasi iussi à Deo, futura nunciabant: quo fiebat vt illi facile apud populum prophetæ nomen acquirerent, eumque in fraudem inducerent. Propterea enim illi dicebant. [c] *Suscitauit nobis Dominus prophetas in Babylone.* Dici etiam potest nomine prophetæ intelligi doctores, qui populum erudiebant, & interdum captandæ beneuolentiæ, aut opinionis sanctitatis, & cognitionis futurorum gratia, vlterius dicendo progrediebantur, quam pateretur nudi doctoris munus. Contra quos generose decertauit Ieremias, tum alias sæpe, tum maxime temporibus Sedeciæ, vt sequentia planum facient, & hic ipse locus, vbi eos refellens ait.

c vt v. 15.

XLIII. *Declaratur diuinitus longitudo captiuitatis.*

Hæc dicit *Dominus exercituum Deus Israel. Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri, & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis, quia falso ipsi prophetant vobis in nomine meo; & non misi eos, dicit Dominus. Quia hæc dicit Dominus: Cum cœperint impleri in Babylone 70. anni visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum.*

*Eius initium ab hoc anno non censeri.*

Qui ex hoc loco contendunt probare 70. captiuitatis annos, à primo anno Sedeciæ, qui est primus transmigrationis annus, initium sumere, eò quod annunciet eis ad quos scribit longitudinem captiuitatis suæ, non rectè argumentantur; siue quia scribit quoque ad reliquias seniorum, quorum captiuitatis annus hic non primus erat, sed octauus, ideoque cum dicit, *& reducam captiuitatem vestram*, vniuersè captiuitatem Iudaicam intelligit, quæ tam primo, quam octauo, quam etiam decimonono Nabuchodonosoris anno inchoari potest, nullam vim textui afferendo. Denique quia textus de fine tantum captiuitatis loquitur, aut potius de duratione illius duntaxat, nihil definitè de initio vel fine statuendo.

XLIV. *Quæ sors parata non transmigratis.*

Qvoniam vero Transmigrati, siue id ex communi hominum vitio, alienam conditionem beatiorem propria existimantium, reputabant. siue à pseudopro-

phetis decepti, sibi persuadebat felices esse, qui hanc transmigrationem effugerant, quantumuis eam Dominus imperasset. Ieremias contra sortem eorum maxime deplorandam, & miserabilem ostendit.[a] *Hæc dicit Dominus*, inquit, *ad regem, qui sedet super solium Dauid, & ad omnem populum habitatorem vrbis huius* Hierusalem, *ad fratres vestros qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem. Hæc dicit Dominus exercituum. Ecce mittam in eos gladium, & famem, & pestem, & ponam eos quasi ficus malas, quæ comedi non possunt, eò quod pessimæ sint, & persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia: & dabo eos in vexationem vniuersis regnis terræ; in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ego eieci eos*, id est eiecturus sum eos post vndecim annos Sedeciæ. Hæc enim procella in id tempus parabatur. a Ier. 29. 16

XLV. *Vaticinium in duos pseudoprophetas.* In his autem pseudopropheris duo erant impostura & nequitia nobiles, contra quos stylum acuit Ieremias ex ore Domini, eisque supplicium crudele denunciat, quodque in exemplum maledictionis vsurpetur. *Vos ergo*, inquit ille,[b] *audite verbum Domini omnis transmigratio, quam emisi de Ierusalem in Babylonem. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter. Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis: & percutiet eos in oculis vestris. Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ est in Babylone*, qui hac imprecatione contra inimicos vsuri sunt. *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne: pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, & mœchati sunt in vxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter.* b 29. 20.

XLVI. *An ijdem accusatores Susannæ.* Refert hoc loco ex Hebræis D. Hierony. hos fuisse senes illos duos, qui à Daniele falsi testimonij conuicti, interfecti sunt, pro qua sententia idem in c. 13. Daniel. refert Origenem in decimo Stromatum suorum libro, eadem sentientem: inuenitur nunc in epistola eius ad Africanum, de historia Susannæ, quem secuti sunt Rabanus. D. Thomas, Lyran. Dionys. A Castro, Torniel.[c] Perer. l. 16. in Daniel. Adrichom. in sua Chronologia.[d] Capella. in 29. Ieremiæ: quibus nos libenter subscribimus, quamuis Sanctio, & Maldonato contra sentientibus. Omnia enim facile consentiunt tempus, personæ, locus, crimen, supplicium, & si qua sunt alia. c anno 5. ætat. 416. n. 4. & 5. d an. 33. 65

XLVII *Ita videri, conuenienti tempore.* Tempus est annus primus Sedeciæ, & Transmigrationis, quo datur vaticinium de istorum supplicio, quod deinde anno tertio eiusdem transmigrationis contigit, cum Daniel duodecim iam esset annorum, quando iudicem contra senes illos egit, vt diserte affirmat Sulpit. Seuerus init. l. 2. sacræ histor. *Qua cùm*, inquit, *secundum legem ad supplicium duceretur, Daniel tum annos natus 12. increpitis Iudæis, quod innocentem morti dedissent*, &c. & ante eum S. Ignatius ad Magnesianos, *Daniel*, inquit, *ille Sapiens cum duodecim esset annorum, spiritu Dei afflatus erat, & senes frustra canos ferentes, calumniatores, & alienæ formæ appetentes coarguit*, 70. vocant παιδάριον νεώτερον, id est puerulum iuniorem. D. August. serm. 242, de tempore dicit Danielem tunc non fuisse pubescentis ætatis, id est non attigisse 14. annum. Ideoque Perer.[e] in ea verba, *Cumque duceretur ad mortem*, ait eum in hoc Susannæ iudicio fuisse annorum circiter duodecim. Sed id congruere non potest cum eo, quod ibidem ait, fuisse Danielem decennem ductum Babylonem. Nam sic dicendum esset id iudicium contigisse anno quinto Ioakim, quia anno tertio eius abductus est: sicque contigerit sex annis antequam Ieremias illud prophetaret futurum, quod absurdum est. At posita eius natiuitate anno primo Ioakim, hoc anno peragebat Daniel annum vndecimum, cum missa est epistola, cum prædictione mortis pseudoprophetarum. Secutus est annus duodecimus, quo peracto historia Susannæ contigit.

*Ætas Danielis et congruit.* e l. 16.

XLVIII. *Conuenientibus etiam personis.* Qvod ad personas attinet, in nominibus nihil est difficultatis, quoniam à Daniele prætermissa fuerunt: & apud vtrunque prophetam vtrique Iudæi sunt, vtrique exules & transmigrati, vtrique in Babylone: ætas etiam conuenit. Nam Daniel eos senes appellat, & seniores, & inueteratos dierum malorum. Ierem. autem eos in reliquijs seniorum transmigrationis numerat. Apud Danielem iudices sunt Israëlitarum in Babylone. Idem apud Ierem. Dominus significat, cum hanc ipsam historiam concludens ait. *Ego sum iudex, & testis dicit Dominus.*


Quia ipsius est iustitias iudicare; & sedere in synagoga deorum, & in medio deos diiudicare, eos præsertim, qui non habent in terris à quibus iudicentur. Et in hoc maxime iudicio visus est iudicare Dominus, cum per puerulum iudicium exercuit, & vafros calumniatores apprehendit in astutia sua. Puer qui nobilissimam orationem recitat, non suam, sed magistri sapientiam prodit.

QVOD ad crimen, scribit Daniel eos abuti solitos filiabus Israël, eodémque modo castissimam Susannam corrumpere voluisse. Ieremias autem ait eos fecisse stultitiam in Israël, & mœchatos esse in vxoribus amicorum suorum. Apud Danielem falsi testes sunt, apud Ieremiam falsi prophetæ: alterum ad iniuriam proximi, alterum ad iniuriam Dei. Hebræi quoque apud D. Hierony. in 29. Ierem. illa verba Danielis. *Sic faciebatis filiabus Israel, & illæ metuentes loquebantur vobis;* respondere aiunt, verbis Ieremiæ. *Et locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis.* Quibus illud significari putant, quod miseras mulierculas, quæ circunferuntur omni vento doctrinæ, sic deceperint, quod dicerent eis, quia de tribu erant Iuda, Christum de suo semine esse generandum; quæ illectæ cupiditate præbebant corpora sua, quasi matres futuræ Christi. Sic nequissimi illi nebulones apud Hierony. etsi rabinica ista interpretatio pars fidei mereri videatur. Eadem leges apud Orig. in epistola ad Africanum.

AT supplicium differre videtur. Nam in Daniele à populo lapidantur, in Ieremia à Nabuchodonosore comburuntur. Respondent Origenes, & D. Hieronym. interpretantes illud, *interfecerunt eos*, id est regi Babylonis occidendos tradiderunt. *Sicut & nos dicimus*, inquit, *quod Iudæi interfecerunt Saluatorem, non quod ipsi percusserint, sed quod tradiderint occidendum, & succlamantes dixerint crucifige, crucifige eum.* Ita Hierony. D. autem August. q. 9. in Iosue, ait nomine ignis scripturam solere pœnam grauissimam significare: & lapidationem ipsam combustionem appellari. Nam cum iussisset Dominus Iosue, [a] vt quicunque in facinore anathematis fuisset deprehensus combureretur igni, cum omni substantia. Mox v. 25. subditur. *Lapidauit eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt.* Populus præsente Iosue interpretatus est lapidationem esse combustionem. Quamquam dici potest illum Achan semiustulatum primo, deinde etiam lapidibus obrutum fuisse. Eodemque modo istos senes iussu regis Nabuchodonosoris ambustos, & quasi assatos fuisse; & nihilominus populum in detestationem nequitiæ, & calumniæ, & periurij eos lapidibus obruisse, & pœna adulterorum, talionis nomine, afficere voluisse.

[a] c. 7. 15.

AD hunc quoque annum videtur referre D. Hieronym. prophetiam quæ 30. & 31. cap. Ieremiæ continetur, ait enim init. com. in c. 30. *Promittentibus in Babylone pseudoprophetis cito populum, qui cum Iechonia captus fuerat, reuersurum, & Hanania filio Azur in Ierusalem eadem prædicante, Ieremias propheta, & illud quidem futurum asseruit, non intra biennium, vt illi mentiebantur, sed finitis septuaginta annis. Et nunc iubetur in libro scribere, & memoriæ tradere, quæ Dominus ventura prænunciet, ex quo manifestum est nequaquam vicinum tempus esse vaticinij, sed multo post tempore hæc explenda*, quæ scilicet eo vaticinio continentur. Verum hæc cum parum ad historiam pertineant, interpretibus sunt relinquenda. Illud tantum monebo D. Hierony. ordinis capitum eo loco potius, quam temporum habuisse rationem. Nam quod de Hanania significat, & c. 28. traditur, non ad hunc primum Sedeciæ annum, sed ad quartum pertinet, vt ex initio eiusdem cap. constat.



## ANNVS MVNDI 3437. QVINTÆ ÆTATIS 498.

FVNDATI TEMPLI 415. SEDECIÆ REGIS IVDÆ 2.
SARAIÆ PONTIF. 2. IEREMIAE 31. TRANSMIGRATIONIS 2. NABVCHOD. 9. IMPERII BABYLONIORVM 104. OLYMP. XL.
AN. 4. ANCI MARCII 23.
VRBIS CONDITÆ 136.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 616.

I. *Alia Epistola Ieremiæ ad Transmigratos.*



ZELVS salutis animarum, quo flagrabat Ieremias, non poterat totius Iudææ finibus, nedum Ierosolymorum vrbe capi; sed crebro ad cognatos suos secundum carnem respectans, qui in transmigratione erant, frequentes ad eos litteras mittebat,[a] in quibus est quæ cap. decimo prophetiæ eius continetur. Id affirmat Chaldæus paraph. qui v. 11. illius cap. *Hoc est*, inquit, *exemplar epistolæ, quam misit Ieremias propheta ad reliquos seniores transmigrationis, qui erant in Babylonia.* Hunc quoque titulum habet prior illa epistola superioris anni, quæ cap. 29 descripta est; pergit Chaldæus Ionathan. *Si enim dixerint vobis populi, inter quos vos habitatis domus Israel, seruite idolis, sic respondebitis, & sic dicetis eis*, &c. Vt videatur Ieremias eadem opera præmunire ciues suos aduersus idololatriam, ad quam incredibili animi pruritu trahebantur; & ipsos Chaldæos insipientiæ suæ, in colendis idolis, commonefacere. Ideoque versus ille 11. eiusdem cap. 10. Chaldaico sermone solus scriptus est, vt notauit à Castro; vt haberent Iudæi quid responderent Chaldæis, patrio eorum sermone, vt melius intelligerentur. Idemque affirmat scriptum hunc sermonem sub Sedecia, paulo post quam Iechonias Babylonem adductus est, quam sententiam illa verba v. 20. confirmant. *Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei disrupti sunt, filij mei exierunt à me, & non subsistunt* (supple apud me.)

[a] Ierem. 29.28.

II. *Quæ illius esset sententia.*

EST autem ea epistola admonitio copiosior ad Iudæos, de vitandis ethnicorum, apud quos degebant, moribus, ritibus & superstitiosis obseruationibus; vano præsertim cultu simulachrorum, de quorum vanitate pluribus agit, & vice versa Dei maiestatem, & potentiam exaggerat. Postremo ab idolorum cultu eos, hoc maxime argumento, exterret, quod transmigratio hæc, & inchoata captiuitas, & quæ post aliquot annos luctuosior imminebat, nullo alio ex fonte, quam ex ea impietate manarit. *Vox*, inquit, *auditionis ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis, vt ponat ciuitates Iuda solitudinem, & habitaculum draconum*, quod à morte Sedeciæ completum est.

III. *Semeias scribit contra Ieremiam.*

HVC pertinet historia Semeiæ somniatoris, quam ad primum annum Sedeciæ refert à Castro. Torniel. ad 2. & forte rectius. Nam cum Sedecias regnare cœperit anni quinto mense, non videtur tam cito misisse legatos tributi causa, nec illi tam cito perueniisse, & rediisse videntur, vt ad transmigrationem iterum eodem anno Ieremias hoc vaticinium mittere potuerit.

Cum igitur supradictam epistolam misisset Ieremias Babylonem ad transmigratos, vnus eorum Semeias nomine, officio pseudopropheta, & Somniator, qui Deum sibi apparere, & per somnia loqui mentiebatur,[b] vnde & Nehelamites dictus est, quasi Mahlamites, nam מחלמים Machlemim significat Somniantes: fuit autem Nehela oppidum in tribu Zabulon teste Hieronymo. Hic ergo cum animaduertisset se à Ieremia illis maxime verbis peti.[c] *Ne attendatis ad somnia vestra, quia vos somniatis, quæ falso ipsi prophetant vobis in nomine meo.* Vehementer indignans scripsit Ierosolymam, per eosdem forte legatos, ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, qui in 4. Reg.[d] dicitur sacerdos secundus,

[b] Vt ait R. Kimhi.

[c] v. 8.

[d] 25.18.

sicut Saraias sacerdos primus, quod scilicet Saraiæ Pontificis vicarius esset, vt recte putat à Castro; & confirmatur ex iis, quæ de eius officio, & potestate mox traduntur.

IN ea epistola somniator hic suadebat Sophoniæ, vt Ieremiam increpitum, ob diuturnam captiuitatem populo falso denunciatam, in vincula coniiceret; imo & occideret, vt notat D. Hieronymus, imitando scilicet Ioiadam, qui interfecit Mathan sacerdotem Baal: [a] ad quod facinus eum, amplificatione adulatoria potestatis eius, alliciebat, ei tribuendo quæ pontificis, primique sacerdotis successoris Ioiadæ essent, non secundi. Sic enim scripserat. *Dominus dedit te Sacerdotem pro Ioiada sacerdote, vt sis dux in domo Domini, super omnem virum arreptitium, & prophetantem, vt mittas eum in neruum, & in carcerem. Et nunc quare non increpasti Ieremiam Anathotitem, qui prophetat vobis*, id est apud vos Hierosolymis, *quia super hoc*, (id est in eandem sententiam, qua isthic concionatur) *misit in Babylonem ad nos dicens: longum est*, (tempus exilij, & captiuitatis Israëlitarum, ideoque) *ædificate domos, & habitate, & plantate hortos, & comedite fructus eorum.* Quasi dicat non plantabitis arbores, quarum ipsi baccam nunquam visuri sitis, sed quarum fructus percipiatis ipsi. Non ædificabitis domos, quas continuo deserturi sitis, & aliis incolis tradituri, sed ipsimet labore manuum vestrarum fruemini.

LEGIT ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Ieremiæ prophetæ. *Et factum est verbum Domini ad Ieremiam*, responsionem ad epistolam Semeiæ dictantis. *Mitte*, inquit, *ad omnem transmigrationem dicens, hæc dicit Dominus ad Semeiam Nehelamitem. Pro eo quod prophetauit vobis Semeias, & ego non misi eum, & fecit vos confidere in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus. Ecce ego visitabo super Semeiam Nehelamitem, & super semen eius: non erit ei vir sedens in medio populi huius*, significat eum cum sua stirpe funditus periturum, nec fore quemquam eorum socium remigrantium suo tempore Hierosolymam. *Deleatur*, inquit, hoc loco Hieronym. *de sanctorum concilio stirps pessima, nec sedeat in medio quiescentium, qui cum stantibus stare non potuit.* Concludit propheta. *Et non videbit bonum, quod ego faciam populo meo, ait Dominus, quia præuaricationem locutus est aduersus Dominum.* Iustum sane supplicium, vt qui alieno tempore finxit terminatum iri captiuitatem, ipse cum suis eam perpetuam patiatur; & qui præpropera & inani spe patriæ lactauit populum, certa ipse desperatione repetendæ vnquam patriæ affligatur.

HOC tempore perstabat in obsidione Tyri Nabuchodonosor, & Sedecias in fide erga Nabuchodonosorem, & perfidia erga Deum.

[a] 2. Par. 23. 17 & 4. Regum 11. 18.

ca 29. 30.



## ANNVS MVNDI 3438. QVINTÆ ÆTATIS 499. FVNDATI TEMPLI 416. SEDECIÆ REGIS IVDÆ 3. SARAIÆ PONTIF. 3. IEREMIAE 32. TRANSMIGRATIONIS 3. NABVCHOD. 10. IMPERII BABYLONIORVM 105. OLYMP. XLI. AN. I. ANCI MARCII 24 ET VLT. VRBIS CONDITÆ 137.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 615.

I. *Susannæ historia.*



IN annum ante Christum sexcentesimum decimum quintum, & Sedeciæ tertium, qui erant Danielis decimus tertius, incidit præclarissima Susannæ historia, quæ illustrium eius virtutum, castitatis, fiduciæ in Deum, constantiæ, patientiæ, nobilissima documenta continet: sicut diuinæ prouidentiæ, atque iustitiæ erga probos, & improbos. i e huius iudicij tempore dictum est anno primo Sedeciæ, [a] vbi etiam apertè declarauimus quam rectè prophetia Ieremiæ, [b] cum hac tota historia consentiat. De tempore consentit nobiscum Sanctius, si principium captiuitatis intelligat principium transmigrationis. [c] Nunc quoniam hominum hostis dæmon, vilissimam historiam nobis à multis iam seculis inuidens, eius autoritatem infringere conatus est, ea pro viribus hoc loco propugnanda est, etsi id plerique post Origenem fecerint, quoniam id instituti nostri ratio à nobis videtur postulare.

[a] nu. 45. & seqq.
[b] c. 29. 21.
[c] proleg. 6. in Daniel. & in cap. 13 eiusdem.

II. *Qui eam impugnet, propugnentve.*

HANC historiam primus, quod sciamus labefacere conatus est Iulius Africanus, cuius extat epistola ad Origenem, cum eiusdem responsione. Scripsit in eandem Porphyrius lib. duodecimum sui operis, quod in Christianos euomuit; cui respondit Eusebius, Apollinaris, Methodius, vt constat ex prologo D. Hieronymi in Danielem. Impugnarunt deinde turmatim hæretici huius temporis, contra quos murum erexit aheneum Bellarminus l. 1. de verbo Dei c. 9. & Gretserus in eiusdem cap. defensione: vbi non solam historiam Susannæ, de qua vna nos hoc loco agimus, validè propugnant, sed quidquid illi ex libro Danielis vellicare, aut lancinare conantur. Pererius quoque in 13. Danielis. Torniel. anno 416. quintæ ætat. Christ. à Castro in c. 29. Ierem. n. 8.

III. *Veram esse Historiam.*

CVM quibus dicimus primo iudicium hoc Danielis, & narrationem de Susanna veram esse historiam. Nam quæ traduntur c. 29. Ierem. v. 21. non solum verissima sunt, & historica, sed etiam canonica; at historia Susannæ ibi traditur, vt supra [d] pluribus autoritatibus, & rationibus probatum est. Deinde nunquam fabulosæ, & parabolicæ narrationes omnibus temporum, locorum, & personarum circunstantiis communitæ sunt. *Erat*, inquit, *vir habitans in Babilone, & nomen eius Ioachim, & accepit vxorem nomine Susannam, filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem Deum.* Facilè adducerer vt crederem hunc Helciam fuisse summum pontificem Iosiæ tempore. Nam & nomen, & tempus, & conditio Susannæ, & mariti eius, probitas quoque, ac domesticæ disciplinæ laudabilis ratio huic sententiæ famulantur, vnde sequitur; *parentes enim illius cum essent iusti, erudierant filiam suam secundum legem Moysi.* Vnum tamen obstat, quod videtur his omnibus præponderare, quod scilicet pontificatus esset ad vitam: ab Helcia autem pontifice, nunc Saraias, & paulo ante Azarias sedebant in cathedra Aaronis; at Helcias tempore iudicij huius viuebat cum vxore sua, vt patet vers. 63.

[d] an. 1. Sedeciæ n. 45. 46. & seqq.

*Quis Susanna pater.*

Nec obstat historiæ veritati quod non nominentur illi senes; parcitum quippe voluit Daniel honori consanguineorum eius, quibus cum habitabat: prætertim cum eorum nomina apud Ieremiam iam extarent. Denique nihil est quod dubiam possit reddere huius historiæ veritatem, quod non facilem habeat responsionem. Iulius quidem Africanus hanc partem libri Danielis adulterinam esse dixit, quamuis lepide, & eleganter scriptam, 1. quidem quia Daniel non prophetat per subitam inspirationem Dei, vt hic v. 45. *Cumque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris*; sed per somnia, & visiones, & angelorum apparitiones. Respondetur spiritum Domini spirare vbi, & quando vult, nec ad vnum aliquem modum esse alligatum. IV. *Quæ dubiam facere videantur. Ex Iulio Africano.*

Secvndo fictam esse animi gratia illam vocum collusionem πρίνου arboris ad verbum πρίζειν quod est secare, & σχίνου plantæ ad σχίζειν quod est scindere, quæ ab Hebræo aliena sunt. Respōdemus Græcum interpretem adumbrasse in Græca lingua allusionem, quam inuenerat in Hebræa. *Cuius rei*, inquit D. Hieron ep. 120. *nos intelligentiam nostris hanc possumus dare, vt verbi gratia dicamus de arbore ilice, dixisse eum illico pereas; & à lentisco, in lentem te comminuat angelus, vel non lente pereas, aut lentus, id est flexibilis ducaris ad mortem.* Sic ipse. Nec sane video, quæ sit ista consecutio, vt propterea hæc libri pars siue historia Susannæ non videri debeat ex Hebræo translata, quamuis agnominatio in Hebræa lingua non reperiretur: neque enim *verbum verbo curabit reddere fidus interpres*, modo sententiæ vis eadem conseruetur. V. *Altera obiectio de allusione vocum.*

Negat tertio Africanus probabile, Iudæos, qui erant in Babylone captiui, vexebanturque, & in plateis proiiciebantur insepulti, vt narratur à Tobia in priori [a] captiuitate Israëlis: & tunc abstrahebantur eorum filij, vt fierent Eunuchi, & filiæ vt essent concubinæ, sicut à propheta fuerat prædictum, [b] tam elegantes & spaciosas habuisse domos, vel, vt alij addunt, suos habuisse iudices, & magistratus Responsio est Dominum per Ieremiam, [c] promisisse transmigratis prosperitatem, quam nunquam promiserat Israëlitis. *Hæc dicit Dominus Deus Israel, sicut ficus hæ bonæ, sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum in bonum. Et ponam oculos meos super eo ad placandum*, &c. [d] *Et ædificate domos, & habitate, & plantate hortos, & comedite fructus eorum, &c.* VI. *Tertia, de præsenti statu Iudæorum.*

a Tob c.1.
b [illegible] 9
Isa. 39. 7.
c c.24 5.
d c.29.5.

Nec est absurdum Iudæos etiam tunc habuisse annuos iudices suos, pro priuatis inter ipsos controuersiis, & causis: & nihilominus Chaldæis etiam magistratibus subditos fuisse, si quid ipsis cum Chaldæis litis incideret. Id enim etiam nunc passim cum Iudæis obseruari scimus. Idque fatetur Orig. etiam temporibus suis vsu receptum fuisse, Iudæis apud Romanos exulibus, & probat in priore captiuitate fuisse diuitem Tobiam, & Achiacharum fratrem eius gloriosis præfecturis ornatum, & in posteriore Mardochæum, Esdram, Nehemiam, &c. VII. *Magistratus Iudæorum in captiuitate.*

Obiicit quarto Africanus hanc partem libri non insertam esse in Daniele, quem recipiunt Hebræi. Respondeo nihil hoc facere ad historiæ veritatem, de qua nunc agimus, quod postea refellemus. Multo autem minus quod Daniel agens contra senes illos citet alium prophetam, id enim argumentum ineptum esse manifeste conuicit Orig. in fine libelli. VIII. *Quarta Hebraïs nō esse conditam.*

Iam quod D. Hieronymus non semel hanc historiam, fabulam appellet, quod Hæretici auide arripuerunt, multipliciter respondetur. 1. non semel etiam vocare historiam, vt in comm. cap. 13. versus finem, & ep. 110. semel atq; iterum, & alibi. 2. respondere ipsum etiam pro se Hieron. in fin. 2. apolog. aduersus Ruffinum. *Quod autem refero*, inquit, *quid aduersus Susannæ historiam, & hymnum trium puerorum, & Belis draconis fabulas, quæ in volumine Hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur stultum se sycophantam probat. Non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant explicaui.* Adde eundem Hieronymum non raro fabulæ nomen in rebus certissimis verissimisque vsurpare. Nam in epistola ad Castrutium. *Et ne veteres*, inquit, *replicando historias longum faciam, breuem tibi fabulam referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit.* Inde autem refert consolationem datam Dydimo à Sancto Antonio super illius cæcitate. Et epistola 24. ad Marcellam, narrans recens acceptum nuncium de Sanctæ Leæ, & Prætextati obitu, inter alia. *Denique in mediis fabulis*, id est colloquiis, *rursum* IX. *Hieronymus fabulam vocat.*

*didicimus reliquias eius iam Ostiam fuisse delatas.* Sic sæpe dicimus confabulari cum aliquo, id est colloqui, *& dum fabularentur discipuli*, euntes in Emaus, *& secum quærerent, Iesus appropinquans ibat cum illis.* [a] Fabulas denique poetæ vocant actiones, quæ sint theatralium dramatum solum ac fundamentum, siue actiones huiusmodi veræ sint, siue falsæ, siue ex vtroque mixtæ.

[a] Luc. 24. 15.

X. *Ecclesia semper vt historiam agnouit. Petrus & Paulus.*

DICIMVS secundo historiam Susannæ semper pro historia in Ecclesia fuisse habitam. nam Rufinus de historia Susannæ agens aduersus Hieronymum docet eam historiam, vt egregium castitatis exemplum, in Ecclesiis, iussu Apostolorum Petri & Pauli legi perpetuo solitam. *Petrus*, inquit, *Romanæ ecclesiæ per viginti & quatuor annos præfuit: dubitandum non est quin sicut cætera, quæ ad instructionem pertinent, & librorum instrumenta Ecclesiæ ipse tradiderit, quæ vtique iam tunc ipso sedente, & docente recitabantur. Quid ergo? Decepit Petrus Apostolus Christi Ecclesiam, & libros ei falsos, & nihil veritatis continentes tradidit: & cum sciret, quod verum est haberi apud Iudæos, apud Christianos volebat haberi quod falsum est.* Pergit ibid. de Paulo eadem disputare Rufinus.

XI. *S. Ignat.*

SANCTVS Ignatius cum Magnesianis suadet vt Damam episcopum suum ætate licet iuniorem non contemnant, sed omnem ei reuerentiam exhibeant, hoc primario argumento de Danielis duodenni sapientia in iudicio Susannæ vtitur. *Tertullian.* Tertullianus [b] exemplum Susannæ in iudicio reuelatæ commendat, homo vtique austerus, & dũ catholicus fuit, nihil æquè auersatus quàm fabulas. *Clemens Alex.* Clemens Alexandrinus [c] simul, & in eodem ordine ponit Susannam, & sororem Mosis, *quod hæc quidem*, ait, *vna duxit exercitum cum propheta, princeps omnium mulierum, quæ apud Hebræos erant insignes sapientia, illa vero per summam honestatem, vel ad mortem vsque procedens, cum ab intemperantibus condemnaretur amatoribus perstitit firma & constans testis pudicitiæ.* *S. Iren.* D. Iren. [d] in improbos presbyteros inuehens, Danielis prophetæ voces contra libidinosos Susannæ accusatores vsurpat, & inter alias scripturas, quasi diuinum testimonium profert. D Cyprian. [e] in eodem argumento. *Nec ætas vos eorum, nec autoritas fallat, qui ad duorũ presbyterorũ veterẽ nequitia respondentes, sicut illi Susannam pudicam corrũpere, & violare conati sunt; sic & hi adulterinis doctrinis Eccl. pudicitiã corrũpere, & veritatẽ euangelicam violare conantur.*

[b] l. de coron. mil. c. 4. [c] l. 4 Strom. [d] l. 4. c. 44. [e] ep 40. alias 25.

XII. *S. Cyprian. Clemens Roma. S. Ambrosius. S. August. S. Chrysost. S. Athan.*

CLEMENS Romanus [f] insistens vestigiis Apostolorũ, vt ex Rufino dicebamus, vtitur non semel hac historia, cum de iudiciis in Ecclesia agitandis leges ponit. Diuus Ambrosius [g] diuinitatem Spiritus sancti, ex hoc iudicio Danielis probat, quod arguat mundum de iudicio, [h] exemplum Susannæ in laudem taciturnitatis affert, & verecundiæ, & rursus [i] eiusdem exemplo probat, quòd honestatem semper sequatur vtilitas, & l. de fuga seculi c. vlt. fusius eius virtutem commendat. Et in Psal. 37. in ea verba, *& factus sum sicut homo non audiens &c. Quid de Domino omnium virtutum loquor? cum mulier Susanna nec sexus infirmitate turbata, cum se ad periculum mortis cognouit addictam, vocem emiserit? accusabatur, & tacebat, ducebatur ad mortem & silentio se tegebat, ne nudaret pudorem intra se tamen loquebatur Deo, qui eam magis audiuit tacentem &c.* [k] Diuus Athanasius in epistola ad Marcellinum Danielem historiam Susannæ referentem æquiparat Esaiæ scribenti Rabsacis & Sennacherib historiam, Imo in epistola ad Serapionem contra eos qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam, ad id refellendum ex hac historia c. 13. Dan. sicut ex reliquis scripturis profert testimonium. Et in lib. de communi essentia Patris & filii & Sp. sancti tit. *quod Spiritus sedeat* hanc proprietatem Sp. sancti probat ex hac historia. *In Daniele*, inquit, *cum Susanna ad mortem abduceretur ait scriptura, excitauit Deus Spiritum sanctum pueruli cui nomen Daniel &c.* vnde

[f] l. 2. constit apost. c 51 & 49. in edit. Turriani. alias 53. & 55. [g] l. 3. de SS. c. 7. [h] l. 1 de off c. 3. & 18. [i] l 3 c. 14. [k] Vide D. August. tract 36. in Ioan. & Serm. 242. de temp. Cyril. Alex l. 2. in Leuit. Crysost. Hom de S Susanna.

XIII. *Historia Susannæ scriptura canonica.*

DICIMVS 3 historiam Susannæ esse scripturam diuinam, & canonicam. Id definitum est à Concilio Tridentino sess. 4. vbi enumerato inter cæteros libros sacros Daniele subdit. *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgato latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit.* *Ex Athanasio.* Diuus Athanasius, ne à concil. Trid. primum canonicam factam putemus, præter prædicta loca in Synopsi, vbi de Daniele. *Et iste in captiuitate fuit*, inquit, *vsque ad Cyrum regem Persarum causam Susannæ ipse iudicauit, & seniores tanquam sycophantas condemnauit &c.* & paulo post

*Isti sunt libri canonici veteris Testamenti n. 22. ad numerum literarum Hebræarum computati &c.* Inde autem transire se ait ad alios, qui in canone non sunt. Nec obstat quod idem Athanasius, sub finem eiusdem synopsis, historiam Susannæ iis etiam libris sacris annumerat, quibus contradicitur. Nam suam ipse sententiam cum protulisset, voluit nihilominus nonnullorum diuersam sententiam non tacere, id est libros quos Hebræi in canone non numerarunt. Sed Christianos necesse est Ecclesiæ catholicæ, non synagogæ sententiam sequi; præsertim ipsi Ecclesiæ pene coæuam, vt ex Rufino ante retulimus.

XIV. *Autoritas codicum græcorum.* DOCET autem deinceps idem Rufinus, ea quæ in Græcis codicibus habebantur discrepantia ab Hebræis, aut pleniora, & cumulatiora, quam apud ipsos legerentur, ab ipsis Ecclesiæ coryphæis Petro & Paulo cognita, probata, & Ecclesiis tradita fuisse. Ac proinde non tam curandum quid nunc hebræa exemplaria prodant, quam quis fuerit Ecclesiarum ab ipsa Apostolorum ætate consensus, vt notauit Gretserus, & innuit Tridentinus sess. 4. (ain defens. Bellarm.)

XV. *Scripturæ ab Hebræis truncata ex Origene.* ADDAMVS Originem existimantem hanc historiam ab Hebræorum senioribus dolo malo è scripturis subtractam. Respondens enim Africano, sic ait. *Sed est verisimile te adhuc quærere, cur apud eos*, puta Hebræos, *in Daniele non habetur historia: si hæc vt dicis tradunt sapientes. Ad hæc dicendum, quod ex iis quæ presbyterorum, & magistratuum, & iudicum continebant vituperationem, quæcumque potuerunt, sustulerunt à cognitione populi: quæ quidem seruantur in arcanis.* Et post prolatas alias similes Iudæorum detruncationes, subdit. *Quamobrem non aliud procurasse existimo eos, qui existimabantur sapientes, & principes, & seniores populi, quam vt ea adimerent, quæ eorum continebant accusationem ad populum. Non est ergo mirum si veram historiam Susannæ, cui pararunt insidias impudici seniores, ii qui non longe aberant ab instituto illorum presbyterorum, suffurati sunt, & subtraxerunt à scripturis.* Sic ipse.

XVI. *Eadem ex eodem accusatio.* PAVLO etiam ante in eam sententiam, quam pluribus expressit Rufinus, ita loquitur. *Vide ne imprudentes, & inscientes abrogemus exemplaria, quæ habentur passim in Ecclesiis, & legem statuamus fraternitati, vt deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur libros, assententur autem Hebræis, & persuadeant, vt nos puris impertiant, & qui nihil habeant figmenti. Annon prouidentia* (diuina) *in sanctis scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis ædificationem? non curam gessit eorum, qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus?* Hæc ipse grauiter, & vere in Rabinorum discipulos, qui scripturas sacras non sanctæ Ecclesiæ catholicæ decretis, vsuque perpetuo, ab apostolis per manus tradito, sed ex impiorum Iudæorum regulis metiendas putant, quorum detruncationes, & imposturas præuenerunt 70 interpretes. Plura in hanc sententiam toto illo Origenis libello continentur.

XVII *Alia testimonia eius, & alioru.* ADDAM autem & alterum eius testimonium ex Homil. 1. in Leuit. *Tempus est*, inquit, *nos aduersus improbos presbyteros vti S. Susannæ vocibus, quas illi quidem repudiantes, historiam Susannæ de catalogo diuinorum voluminum desecarunt. Nos autem & suscipimus, & opportunè contra eos proferimus &c.* & tract. 31. in Matth. *Conuenit*, inquit, *recordari ea, quæ à Daniele sunt dicta contra presbyteros malos: Quomodo angelus Domini habens gladium scindet te medium, scindens autem diuidet. Ausi sumus vti in hoc loco Danielis exemplo, non ignorantes quoniam in Hebræo positum non est; sed quoniam in Ecclesiis tenetur.* Sic ipse, merito Hebræorum canones, præ Ecclesiarum traditione, & autoritate contemnens Lege his etiam assentientem Euseb. l. 6. histor. Eccles c. 23. vbi de epistola Africani, & Origenis responsione. Denique cum D. Athanasius, D. Ambrosius, aliique patres ante relati, fidei dogmata ex historia Susannæ confirmarint, Diuus etiam Augustinus ex aliis Danielis locis æque controuersis, atque historia Susannæ, vt notauit Bellarminus cap. 9. vsusq; sit pro Tractatu 36. in Ioannem, dubium esse non potest, quin eam pro scriptura sacra, & canonica cognouerint, reuerenterque susceperint, & ab aduersariis etiam, contra quos disputabant, susceptam fuisse senserint.

XVIII. *Obiectio ex S. Hieron.* NEC contra hanc sententiam, & assertionem nostram faciunt illa Hierony. præfat. in Daniel. *Et miror quosdam μεμψιμοίρους indignari mihi, quasi ego decurtauerim librum, cum & Orig. & Euseb. & Apollinaris, aliique ecclesiastici viri & doctores Græciæ, has, vt dixi, visiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere Porphyrio pro his, quæ nullam scripturæ sanctæ autoritatem præbeant.* Non inquam contra nos fa-

ciunt. Nam illæ voculæ duæ (apud Hebræos) in penultimo membro positæ, in vltimo subaudiuntur, vt sit sensus, eam historiam quæ apud Hebræos non habetur, non habere quoque apud eosdem Hebræos, si quis cum eis disputet, Scripturæ sanctæ autoritatem. Et Hieronymus ipse in eodem proœmio in com. Dan. fatetur omnes Christi Ecclesias, tam Græcorum, quam Latinorum, Syrorumque, & Ægyptiorum, hanc historiam, sicut & alia, quæ in Hebræis desiderantur, legere: nimirum in diuinis officiis.

XIX. *Quid sit legi sub obelis, & asteriscis.*

AT, inquies, ait legi sub obelis. & asteriscis. Respondeo istos obelos, & asteriscos, non esse notas apocryphæ scripturæ, & repudiandæ. Cur enim legerent in diuinis officiis si damnarent, sed esse illas notas duas, quibus docebatur lector, quæ in Hebræis, vel Græcis desiderarentur. Testis est earum notarum ipse inuentor Orig. in respons. ad Africanum, vbi enumeratis aliquibus locis, qui reperiuntur in codicibus Græcis, tamen non reperiuntur in Hebræo, addit, *quibus*, inquit, *signa adiecimus, quæ apud Græcos vocantur obeli, seu obelisci, vt id sit nobis notum: sicut rursus asteriscos eis, quæ sunt quidem in Hebræo, apud nos autem non inueniuntur.* Sic ipse, qui mox causam affert huiusmodi notarum inductarum; ne scilicet cum ex scripturis contra Iudæos esset disputandum, ipsi more suo contemnerent, & deriderent Christianos, tanquam veras, & germanas scripturas, quæ apud ipsos essent, ignorarent.

XX. *Historiam à Daniele propheta scriptam.*

DICIMVS quartò hanc Susannæ historiam, & Danielis iudicium non alterius Danielis esse, quam prophetæ. Id enim omnes sancti patres, & interpretes quos anno primo Sedeciæ, & paulo ante retulimus, pro confesso, & indubitato supponunt. Et id quod ex D. Hieron. in prologo com. in Danielē profertur Susannæ historiam nullo modo tangit: sed Belis tantum, & draconis, sic enim habet. *Cui*, puta Porphyrio, *Eusebius & Apollinaris pari sententia responderunt, Susanna, Belisque ac Draconis fabulas, non contineri in Hebraico, sed partem esse prophetiæ Habacuc filii* Iesu *de tribu Leui, sicut iuxta 70. interpretes in titulo eiusdem Beli fabulæ ponitur. Homo quidem erat sacerdos nomine Daniel, filius Abda, conuiua regis Babylonis, cum Danielem, & tres pueros de tribu Iuda fuisse, sancta scriptura testetur.* Sic Hieronymus. Cum igitur hæc probatio, si quid probat, tantum ad 14. caput impugnandum pertineat; decimum autem tertium, quod est de Susanna non attingat, certum est eam historiam non ad Habacuc, sed ad Danielem pertinere.

*Nec aliter sentire Hieronymum.*

XXI. *Sed Hebr. imperitos.*

DEINDE hæc oratio, quæ Hebræorum est, non Hieronymi, vt ipse fatetur, se ipsam profecto destruit. Si enim pars prophetiæ est, quomodo fabulæ nomen meretur? quomodo non pseudopropheta est, qui fabulas pro historiis vēditet? quomodo pseudoprophetæ scripta in Dei Eccles. legebātur? quomodo denique ad alium quempiam Danielem pertinent, quod istos probare oportuisset, si Habacuc habent authorem. At septuaginta Danielem sacerdotem appellant, propterea que de tribu Leui, cum Daniel de tribu Iuda fuerit. Respondeo cum plerisque viris eruditis Diuum Hieronymum in codices Græcos 70. interpretum valde corruptos incidisse. Ideoque aliqua sæpe aut abesse, aut adesse, aut mutata esse dicere, quæ nunc emendatissima queque exemplaria aliter habent. Nam exempli causa verba illa quæ ex init. cap. 14. protulit, nulla plane exemplaria nunc habēt. Et hæc videtur etiam fuisse causa cur Ecclesię omnes non iuxta Septuag. interpretes, sed iuxta Theodotionem Danielem legerent, vt fatetur ipse Hieronymus in eodem prologo.

*Septuag. Hieronymi corruptiores.*

Nec sepositæ fuerunt hæ historiæ, quasi ad aliquem alium authorem pertinerent, sed quia hebraicè non habentur, sicuti cætera. Quamquam 70. Xisti historiam Susannæ initio libri Danielis collocant.

XXII. *Retinendā, vt sacram Susannæ historiam.*

VT ergo hanc de historia Susannæ, & similibus Scripturæ locis velitationem concludamus, audiamus Origenem, eundem Africanum monentem bonum esse meminisse eius, quod in lege Domini scriptum est. *Non transpones terminos æternos, quos statuerunt patres tui*: vt scilicet eam Scripturam amplectamur, & pro diuina studiosè veneremur, quæ à patribus Ecclesiæ perpetuo credita, & recepta est: nec contemnamus eas Scripturæ partes, quæ hebraicè non habentur: quin potius chariores habeamus, hoc ipso quod diuina prouidentia fa-

ctum sit, in Ecclesiæ suæ vtilitatem, vt gypsatas, & sacrilegas Hebræorum manus euaderent. Præsertim cum nunc Ecclesiæ decretum omnem de iis dubitandi facultatem catholicis sustulerit.

NVNC ergo ipsam historiam sacram ex scriptura intrepide proferamus, sed compendiosa paraphrasi, non sine ope Sancti nostri, qui eum occupauit laborem: ne rem omnibus notissimam cum fastidio transcribamus, aut Annales nostros, tam nobili historia defraudemus, atque decurtemus. XXIII. *Narrationis fundamentum.*

Habitabat ergo Babylone vir Iudæus nomine IOAKIM, longe alius à Iudæorum captiuorum rege, quod Africanus reuocabat in dubium, qui Ioachinus vocabatur, & Iechanias, non Ioakim: quique nunc erat in carcere Babylonico, sed vir è prima nobilitate Iudæorum. Hic accepit vxorem nomine Susannam filiam Helciæ. Non fuit hic Helcias pontifex, vt ante probauimus, fieri tamen potest, vt esset pater Gamariæ, qui à Sedecia nuper missus est legatus in Babylonem, vt ait Ieremias[a] qui videndi patris sui causa iam à principio captiui, hanc legationem ambierit. Erat autem Ioakim, vt temporum & rerum conditio ferebat, diues valde, & erat ei pomarium vicinum domui suæ, & ad ipsum confluebant Iudæi, tanquam ad virum honestissimum, & suæ gentis facile principem: videnturque primùm obsidum loco abducti in Babylonē, deinde retenti, sicut Daniel & socii; maxime autem transmigratione superueniente. Et apparet Ioachimum generum cum vxore, socerum Helciam fuisse comitatos.

a c. 29. 3.

CONTIGIT autem hoc Transmigrationis anno tertio, vt eligerentur duo senes in iudices controuersiarum populi exulantis, homines iniqui atque impuri. Qui domum Ioachimi iudiciis opportunam, ac destinatam frequentabant, dimissoque populo, vt inter se conferrent de causis litigantium, videbant sub meridiem Susannam in pomario deambulantem, nihilque sibi ab illis metuentem, qui tamen illius capti pulchritudine, insano illam amore deperibant: qui cum in dies cresceret, & erubescerent illi suam inter se fateri cupiditatem, alterque alterum vitare cuperet, ac dimittere, tandem vterque ab altero deprehensus, crimenque confessus, in commune deliberant, de opportuno tempore exequendi facinoris, quod æstus, & solitudo, intentis in flagitium senibus, obtulit. XXIV. *Duo senes Susannæ insidiantur.*

CVM enim propter æstum lauari vellet, & duas à se puellas dimisisset, quæ domo peterent, ea quæ balneis vsui esse solent, illico eruperunt qui latebant senes, & accurrerunt, eamque ad flagitium, occasione solitudinis, & remoti ab arbitris loci, inuitarunt: addunt & violentam ab infamiæ timore machinam. Quod si nolueris, inquiunt, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum iuuenis adulter, nec deerit intentato crimini certa probatio, vt qui tuas à te puellas dimiseris, ne quem haberes adulterii testem. XXV. *Occasio tentati flagitii.*

Ingemuit Susanna & ait, Angustiæ sunt mihi vndique: si enim libidini vestræ succubuero, animus peccato, corpus adulterio mihi contaminandum est, quod mihi instar mortis est: sin autem restitero cupiditati vestræ, non effugiam paratam mihi à vobis mortem, infamia & crudelitate cumulatam. Sed præstat intaminatam mortis periculum adire, quam vt à me Domini vindex manus temerati coniugalis tori, & violatæ legis pœnas exposcat. *Recusatur.*

APPAREBAT successuram negationi vim. Itaque ne quid vnius castæ mulieris pudor, ab improba duorum senum petulantia pateretur. Exclamauit voce magna Susanna domesticorum auxilium implorando: exclamauerunt & flagitiosi senes, quasi turbam domesticam euocando ad comprehendendum adulterum; qui vt effugisse videretur, cucurrit vnus eorum ad ostia pomarii, & aperuit. Clamore interea acciti famuli irruerunt per posticum, occultiores videlicet horti fores, & statim occupata accusatione senes castissimam fœminam adulterii insimularunt: quæ accusatio tam inopinata atque insolens, familiam in ruborem ac stuporem dedit. Nec defuit repellendo crimini Susanna, cui anteacta vita patrocinabatur. Nunquam enim huiuscemodi sermo de Susanna auditus fuerat. Sed accusatorum conditio, & seminuda mulier, & solitudo loci, & fabulæ callidè compositæ probabilitas, non parum fidei faciebant. XXVI. *Proditur clamore scelus.*

XXVII. *Venitur ad iudicium.* ILLVXIT interea, & cum senum opera rumor de Susannæ flagitio spargeretur, frequens populus Ioachimum adiit, vt rei addisceret veritatem adfuerũt: & duo senes fraudulenta consilia meditati contra Susannam, vt illam ex lege populi manibus opprimerent. Ergo congregato populo, actores simul ac testes futuri, iusserunt Susannam accersiri: quæ venit cum parentibus & filiis, & vniuersis cognatis suis, vt si qua se via ad salutem aperiret, supplicium auerterent, vel saltem vt illam quasi iam damnatam & mortuam, ad sepulturam atrati prosequerentur. Flebant igitur omnes sui, ob tantam, tamque inopinatam calamitatem, quæ etiam ab alienorum oculis lachrimas extorquebat.

XXVIII. *Susanna accusatur.* ACCVSATORES autem imponunt manus capiti Susannæ, quasi id execrabile foret, admisso tanto flagitio, quod illi per calumniam, quanta maxima potuerant probabilitate confictũ, pertexunt, veris falsa miscentes, vt hæc ex illis fidem acciperent. Verum erat ingressam cum duabus puellis, iussisse claudi ostia pomarii sed falsum erat dimissas puellas, vt illis insciis peccaret, vt illi innuunt, sed vt afferrent lotioni necessaria: falsum quoque eos deambulasse in pomario, cum laterent in angulo absconditi contemplantes eam, vt ipsi mox fatentur. Verum est accurrisse eos ad eam, sed vt flagitium perpetrarent, non vt impedirent. Falsum autem quidquid de adolescente, aut peccante, aut excutiente se à senibus, aut aperiente ostia, aut foras exiliente fabulantur: ficta quoque de illo apud Susannam facta interrogatio, recusataque responsio. Et tamen impudenter, *huius rei*, inquiunt, *testes sumus*.

XXIX. *Damnata testem appellat innocẽtia Deũ.* CREDIDIT *eis multitudo quasi senibus, & iudicibus populi*, qui nihil auderent affingere veritati, in re præsertim tanta, *& condemnauerunt eam ad mortem*, tanquam adulterii conuictam, & supplicii adulterarum ream. *Hic exclamauit voce magna Susanna*, *Deus æterne*, inquit, *qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. Tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: Et ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiose composuerunt aduersum me.* Cum nihil opis speraret ab hominibus, apud eos causam suam agere noluit, sed ad vnum Deum occultæ innocentiæ vindicem confugit, sola criminis negatione contenta, eaque iureiurando firmata: & hoc modo silentium Susannæ ab Origene, & S. Ambrosio celebratum, interpretandum videtur. [a] *a in Psal. 37. & to. 5 serm. 46.*

XXX. *Suscitatur diuinitus Daniel.* SIVE clamantem autem, siue tacentem exaudiuit Dominus: & cum extra ciuitatem lapidibus de more obruenda duceretur, exsuscitauit Spiritum sanctum pueri iunioris, cui nomen Daniel, & exclamauit voce magna, quæ etiam in multo populi strepitu exaudiri posset, professus damnatam iniusto iudicio innocentiam. Quam ad vocẽ cum populus nõ inuitus substitisset, & causam interpellatæ profectionis exquireret, repeti postulat iudicium, in quo fraus innocentiam oppresserat De duodenni Danielis ætate iam supra pluribus actum est. Inhabitabat porro sanctam animam eius Spiritus sanctus, necdum tamẽ spiritu prophetiæ repletus fuerat, quo nunc reuelante totam rei veritatem agnouit, &, vt loquitur sanctus Ambrosius l. 3. de Spiritu sancto c. 7. *secundum accepti Spiritus sancti gratiam, vacillantia perfidorum testimonia deprehendit. Denique non alia nisi diuinæ fuit operatio potestatis, vt eos vox sua proderet, quorum latebat affectus.* Sic ipse. Daniel autem sic.

XXXI. *Qua restaurat iudiciũ.* REVERSVS est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes, *Veni, & sede in medio nostrũ, & indica nobis*, quî scilicet possit res melius explorari, quia tibi Deus dedit honorem senectutis. Sapiunt hæc verba ironiam senum, Danielem puerum contemnentium, & irridentium, à quo non credebant se conuictum iri falsi testimonii, & calumniæ: sed fefellit eos spes eorum, & perdidit ipsos nequitia ipsorum. Daniel autem zelo plenus, & diuina scientia, sardonico mox risu risuros intelligens, & contemptum contemnens, versus ad populum, separate, inquit, illos ab inuicem procul, & diiudicabo eos Sic factum oportuit, ne quid vltra inter se conferre possent, quod confictum scelus artificiosè celaret: vel commune responsum inter se fingerent.

XXXII *Conuincit vnum senũ.* ACCERSITO mox altero eorum, & exprobrata vita sceleribus assueta, diuinaque lege, cuius vindices esse debuerant, nefarie violata. Nunc, inquit, si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Apparet sanct,

pueri in loquendo verecundia prę libidinosorum senum procacitate verborum. De ista porro arborum, & sectionis collusione supra diximus, quæ satis esse videbantur, plura dicet Origen. ad Africanum, & Gretserus in defensione Bellar. Hic nihilominus addo Sanctium, [a] qui exemplum ponit in duabus notis arboribus, malo & pruno: tunc enim accommodate ad nominum communē sonum intulisset, dixissetque senum alteri *male peribis*: alteri vero *prunis concremaberis*. Cum ergo ille sub schino flagitium perpetratum diceret. *Recte*, inquit Daniel, *mentitus es in caput tuum, ecce enim Angelus* Dei, *accepta ab eo sententia, scindet te medium*, vt mortem fictæ à te arbori consentaneam sortiaris.

[a] in prolo. 1.

EODEM quoque modo obiurgatio altero, de arbore criminis conscia interrogat. *Qui ait sub prino. Dixit autem ei Daniel, recte mentitus es & tu, in caput tuum. Manet enim, Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.* Pertinuit autem ad diuinam prouidentiam, vt neuter se arborem notasse negaret, vt citius atque apertius pugnantia inter se loqui deprehenderentur. Quod cum populus animaduertisset, falsique testimonii conuictos vidisset, exclamauit voce magna, & benedixerunt Deum, qui ministerio pueri vsus improborum iudicum calumniam, & castissimæ matronæ innocentiam patefecisset. Neque eo contenti, consurrexerunt aduersus duos presbyteros, eisque supplicium quod Susannæ parauerunt inflixere. XXXIII. *Conuincit, & alterū.*

QVONIAM ergo ex lege lapidibus obruenda erat, vt ex Deuteronomio c. 22. colligitur, & accusatione quam apud Dominū instruxerant Pharisæi: [b] lapidibus quoque falsum testem lege talionis obrui necesse erat, ea pœna illico isti interempti sunt. Verum de horum supplicio dictum est iam à nobis anno 1. Sedeciæ. Helcias autem & vxor eius laudauerunt Deum pro filia sua Susanna, cum Ioachim marito eius, & cognatis omnibus, quia non esset inuenuenta in ea res turpis, (probrosum scilicet adulterii facinus. Daniel autem factus est magnus in conspectu populi à die illa, & deinceps. Imo & in conspectu regis Chaldæorum, vt sequentia docebunt. Quæ autem de Cyro & Astyage in eodem capite sequuntur, nihil habent cum hoc capite commune, & ad caput seq. referuntur apud biblia græca Xisti, & apud Vatab. Lyranum, Dionysium, Hugon. Quod verò putat Sà etiam ad tempus Astyagis pertinere historiam Susannæ, parum probabile est. Nam ab hoc anno Sedeciæ tertio ad primum Astyagis minimùm octodecim anni interiacent, vt infra docebimus. XXXIV. *Supplicio afficiuntur*

[b] Ioan. 8. 
n. 50.

CÆTERVM ne historiæ profanæ obliuiscamur, duabus rebus insignis est hic annus, altera Græca, Romana altera. Nam Græci nouam hoc anno proferunt Olympiadem à quadragesima primam, in eaque Cleonidam Thebanum stadio victorem: testis Halicarnassæus Dionysius, l. 3. qui addit principatum Athenis, tunc obtinuisse Heniochidem. Notat Pausanias [c] hac primùm Olympiade pueros in cestuum pugna fuisse commissos, in eaque Sybaritanum Philetam competitores superasse. Romana vero historia Ancum Marcium hoc ipso anno defunctum regno & vita caruisse passim tradit. Hæc iste rex, ait Dionysius, imperii sui tempore gessit memorabilia, vrbemque non paulo quam acceperat maiorem successoribus tradidit, & imperio per 24. annos administrato decessit, superstitibus duobus filiis; altero etiamnum puero, altero iam pubescente; qui deinde immani facinore admisso in exilium acti sunt. Solinus ca. 2. hac eum Olympiade obiisse, tradit post gestam 24. annis Rempub. quod affirmat & Liuius: addens eum cuilibet superiorum regum, tam belli, quam pacis artibus, gloria parem extitisse. XXXV. *Olymp.* XLI. *Anci Marcii mors.*

[c] l. 5. p. 155. græ.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3438.

1. N. XIII. INterest hac de re audire Rufinum in eius Apol. vbi post illa verba ante citata. Qui ergo: decepit Petrus Apostolus Christi Ecclesiam, & libros ei falsos, & nihil veritatis cōtinentes tradidit; & cum sciret quod verum est haberi apud Iudæos, apud Christianos volebat haberi quod falsum est? Pergit. Sed fortasse dicitur, quia sine literis erat Petrus, & sciebat quidem Iudæorum libros magis esse veros, quam istos qui erant in Ecclesia, sed interpretari non poterat, propter sermonis imperitiam. Et quid? nihil in isto agebat ignea lingua per Spiritum sanctum cœlitus data? non ergo omnibus linguis loquebantur Apostoli? & mox, Quid de Paulo dicimus? num & Paulus sine literis fuit: Hebræus ex Hebræis, secundū legem Pharisæus, edoctus ad pedes Gamalielis. Qui etiā & ipse Romæ positus, si quid Petro defuisset, putat non potuit adimplere? Quomodo ergo isti qui præcipiebant discipulis, vt attenderent lectioni, emendatas eis, & veras non dabant lectiones? Et qui præcipiunt, ne attendamus Iudaicis fabulis, & genealogiis, quę quęstiones magis præstant, quam ædificationem: & iterum cauere nos iubent & obseruare maxime eos, qui ex circumcisione sunt, quomodo non præuidebant per Spiritum, quod futurum esset tempus, post quadringentos fere annos, quādo Ecclesia, cognito quod ab Apostolis non sibi esset tradita veritas veteris instrumenti, legatos mitteret ad istos, quos illi tum circumcisionem vocabant, obsecrans, & exorans, vt sibi de veritate, quæ apud ipsos est, aliquid largirētur. Hæc & plura Rufinus.

1. N. XXV. Smigmata siue σμῆγμα vox græca est, à Plinio tamen vsurpata latine, significans id quo in abstergendo vtimur, fit enim a verbo σμήχω, quod est abstergere, smigma vocant medici siccum puluerem, qui cuti non vnctæ inspergitur ad eam detergendam, vt est in Aetio: estque generalis vox ad saponem, & alia id genus Qua de re vide thesaurum græcum, & Sanctium in hunc locum.



# ANNVS MVNDI. 3439 QVINTAE AETATIS 500

FVNDATI TEMPLI 417. SEDECIAE REGIS IVDÆ 4.
SARAIÆ PONTIFICIS 4. TRANSMIGRATIONIS 4.
IEREM. 33. NABVCHODONOSORIS 11. IMP.
BABYL. 106. OLYMPIADIS XLI.
AN. 2. L. TARQVIN. PRISCI
1. VRB. COND. 138.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 614.

I. Res huius anni.



HABET hic annus profectionem Sedeciæ Regis in Babylonē: & legationes vicinorum regum ad Sedeciam, vna cum amplis prophetiis de calamitatibus, quæ tam in Babylonem, quam in reliquas gentes casuræ erant. Sed prius videntur expedienda paucis, quæ ad nouum in repub. Romana principem pertinent. Hoc igitur ipso anno regnare cœpit L. Tarquinius Priscus. Nam Dionys. ait eum regnum auspicatum esse anno secundo quadragesimæ primæ Olympiadis, qua in stadio vicit Thebanus Cleonidas, vt paulo ante diximus. Scribit Liuius L. Tarquinium omnium primum ambiisse imperium: instit isse, vt quamprimum comitia regi creando fierent, quibus indictis sub eorum tempus pueros Anci regis filios venatum ablegauisse, orationem etiam ad conciliandos plebis animos habuisse. Neque frustra, Rex quippe creatus est, & regnum annos duo de quadraginta administrauit, vt Liuius, & Dionysius tradunt, Solinus, & alii 37. quia hunc quoque annum Anco

Marcio tribuerunt, sed nos Dionysium, non minus accuratum chronologum quam historicum sequimur, præsertim consentiente Liuio, & Fastis consular. Onuphrii.

II. *Genus eius.*

SCRIBIT Liuius, & Dionys. L. Tarquinium Priscum, sic enim dictus est, postquam alter Tarquinius regnare cœpit, filium fuisse Demarati Corinthii mercatoris, qui cum Corinthus in tyrannum Cypsellum, vt ait Dionysius, aut filium eius Periandrum, vt alii placet, incidisset, relicta patria in Hetruriam, quo sæpe mercaturæ causa ventitarat, profectum, domicilium Tarquiniis elegisse: ibi nobilem vxorem duxisse, ex eaque duos suscepisse liberos, Aruntem, & Lucumonem: quibus etiam vxores accepit summo loco natas. Nec ita multo post natu maior Aruns moritur, vxore grauida relicta: nec diu mansit superstes filio pater Demaratus, qui cum ignorans nurum ventrem ferre, nepotis immemor in testando decessisset, puero post aui mortem, in nullam sortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen, vt ait Liuius.

III. *Eius in vrbem emigratio.*

LUCUMO cum Tarquiniis, vt exul sperneretur, nec ad Rempublicam admitteretur, cum omnibus suis Romam transmigrauit, vt sub octauum Marcii annum diximus, vbi ab Anco rege libenter susceptus, & ciuis factus, Lucumonis Etruscum nomen, in Lucium Romanum vertit: addidit & Tarquinium, ab vrbe in qua natus, & educatus fuerat. Regisque, & totius populi amicitiam fortitudine, prudentia, liberalitate, omnique humanitate breui adeptus, etiam regnum, vt dixi, consecutus est. Quo confirmatum est augurium aquilæ, quæ ei Romam venienti, & ad Ianiculum in carpento cum vxore sedenti, pileum abstulerat, & supra carpentum magno clamore volitando, rursum apte capiti reposuerat, quod Tanaquil regnum ei portendere affirmarat. Sed de his hactenus. Adeundus enim Sedecias, & Babylonem deducendus.

IV. *Profectio Sedeciæ Babylonē.*

a sub fi. c. 51. 59.

PROFECTIO regis à Ieremia traditur[a], in hunc modum *Verbum quod præcepit Ieremias propheta Saraiæ filio Neriæ, filii Maasiæ, cum pergeret cum Sedecia rege in Babylonem. in anno quarto regni eius. Saraias autem erat princeps prophetiæ.* Hæc ibi. Verum dubiam hanc Sedeciæ profectionem faciunt septuag. Xisti, & regia, Basil. Vechel. quæ habent [illegible] loco [illegible], quæ significant non ipsum Sedeciam iuisse Babylonem, sed misisse Saraiam: habent enim *verbum quod mandauit Dominus Ieremiæ propheta, vt diceret Saraiæ quando ibat à Sedecia rege Iuda in Babylonem, in anno quarto regni eius.* Quo modo legit etiam Theodoretus, & intellexit Chaldæus paraphras. qui ait Saraiam perrexisse in legatione Sedeciæ. Fluxit diuersitas ab hebræa à particula את eth, quæ modo vertitur cū, modo, ab. Sed hoc loco Vulgatæ consentiunt etiam aliorum versiones, Pagnini, Montani, Vatab. itáque passim accipiunt omnes interpretes.

V. *Cum Saraia principe prophetiæ.*

IUIT ergo Rex ipse in Babylonem, iuit autem & Saraias, quem vulgatus vocat principem prophetiæ, quia, vt inquit à Castro in hunc locum, cantor erat egregius & poëta, qui hymnos psalmosque componeret, & eleganter interpretaretur, vt esset quasi primus hymnographus; quos Scriptura interdum prophetas vocat. Hunc ergo viæ comitem habere voluit Sedecias, quod hoc genere recreationis oblectaretur. Nec ab hoc sensu alienus est Vatablus, & Montanus, qui vocant Saraiam principem quietis, vel præfectum recreationis, quod eius commercio vti soleret rex, quoties animum remittere volebat, & recreare. Septuag. vocant principem donorum & munerum, variatis punctis vocis hebrææ, quod scilicet præpositus esset numeribus, quæ regi offerebantur, vel muneribus quæ Sedecias Regi Babylonis oblaturus erat. Posset prior expositio in eam etiā partem accipi, vt Saraias hic tanquā Chaldæi sermonis bene peritus. apud Nabuchodonosorem pro rege suo interpretis munere fungeretur; posterior vero, vt tributis regi Chaldæo deferendis præpositus esset. Miror autem Torniel.[b] dicere hunc Saraiam fuisse summum pontificem, & sacerdotem primum, at Pontifex Saraias filius fuit Azariæ, filii Helciæ, vt est in 1. Paral. non filius Neriæ, filii Maasiæ.

*Qui fuit alius à pontifice.*

b anno t. ætat. 417.
b 13. 14.

VI. *Quæ profectionis causa.*

CAUSA huius profectionis videtur fuisse, tum vt Iechoniam nepotem suum in Chaldæa in vinculis detentum, & reliquam transmigratorum multitudinem inuiseret, ac consolaretur. Regem Chaldæorum patronum suum salu-

taret, & Iudæis mitiorem redderet, Iechoniæ præsertim, quem fortasse postulauit vinculis solutum in libera custodia detineri; tum denique vt pactum ei tributum, aliaque munera promerendæ beneuolentiæ causa, largiretur. Ex quibus etiam intelligitur Nabuch. hoc tempore Babylone, non in Tyria obsidione fuisse: quam tamen per duces suos constanter vrgebat, ab anno regni sui 7. Addit etiam R. Salomon apud Lyranum, [a] eum aliorum regum tributa curasse Babylonem deferenda, quorum legati hoc ipso anno leguntur ad Sedeciam venisse c. 27. Ieremiæ; qua de re mox dicendum erit. a in c. 27. Ierem.

VII. *Mandatū Ieremiæ ad Saraiam.* CVM ergo Sedecias profectionem adornaret, scripsit Ieremias omne malū quod venturum erat super Babylonem in libro vno, quæ scilicet c. 50. & 51. continentur, & dixit Ieremias propheta ad Saraiam, *cum veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc*, coram captiuis Iudæis; inde profectus ad flumen Euphratem, qui mediam vrbem interfluit, hac imprecatione contra eam vteris, dicens, *Domine tu locutus es contra locum istum, vt disperderes eum: ne sit qui in eo habitet ab homine vsque ad pecus, & vt sit perpetua solitudo. Cumque compleueris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, & proiicies eum in medium Euphratem, & dices, sic submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissoluetur.* Hoc autem ideo fieri præceptum est, ait à Castro, annis 77. antequam executioni mandaretur, vt Babylonii tantum spatii haberent ad resipiscendum, quo minus eis esset, quo se excusarent &c. quibus verbis videtur discedere à sententia, quam ante studiose defenderat, de 70. annis inchoandis à primo anno Nabuchodonosoris, & ad nostram plane accedere, quæ hinc ad septuagenariam desolationem, Sedeciæ reliquos 7. annos numerat. Nam iuxta illam opinionem non 77. anni ab hoc reperientur, sed tantum 59. detractis scilicet 11. annis, quos iam regnauit Nabuchodon. Accedit quod Sanctius hæc coram Iudæis duntaxat recitata putat, ne Babylonii his exacerbati durius sæuirent in Iudæos.

*Confirmatur ratio temporis.*

VIII. *Prophetia contra Chaldæos.* SVMMA porro prophetiæ duorum illorum capitum est, denunciari Babyl. & terræ Chaldæorum interitum, extremamque desolationem, quæ ipsis à Persis & Medis imminebat. Nam nominatim Medorum meminit, [b] *Acuite*, inquit, *sagittas, implete pharetras, suscitauit Dominus spiritum regum Medorum, & contra Babylonem mens eius est, vt perdat eam, quoniam vltio Domini est, vltio templi sui.* Non fuit quidem Medorum vel Persarum mens, Domini iniurias, & templi eius deflagrationem vlcisci sed proprias iniurias, quas omnes circumquaque gentes ab imperantibus Babyloniis pertulerant. At Dominus nihilominus eorum manibus vtebatur ad intentionem suam, & eadē ruina sua Chaldæi factas quoq; Iudæis iniurias luebant, licet ipsi contra Chaldæos in acie armati non starent. b c. 51. 11.

IX. *Qui ab aquilonaribus perdendi.* QVIBVS constitutis dubium est, quomodo Ieremias dicat perditum iri Babylonem à gentibus aquilonaribus, cum Babylon magis ad septentriones sita sit, quam Persis, aut Media. Cum enim dixisset. *Annunciate in gentibus, leuate signum, prædicate, & nolite celare, dicite, Capta est Babylon, confusus est Bel*, hic primus conditor fuit Babel, siue Babylonis, *victus est Merodach*, hic primus Chaldæorum regnum restituit ab Assyriis distractum, *confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum*, subdit. *Quoniam ascendit contra eam gens ab Aquilone, quæ ponet terram eius in solitudinem*, &c. Et iterum. [c] *Ecce ego suscito, & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra Aquilonis, & præparabuntur aduersus eam, & inde capietur*, Et iterum vers. 41. c v. 9.

X. *Non ducibus, sed copiis.* RESPONDERI facile potest, ex hoc ipso loco solutionem peti. Non enim soli Persæ & Medi vastauere Babylonem, sed cum Darius Medus, & Cyrus Persa essent principes, præcipui in exercitu contra Chald. coniurato, sub iis nationes aquilonares pleræque, quæ Chaldæorum tyrannidē multis annis perpessæ fuerant, militabant; in quibus Armeni, Hircani Sacæ, Cadusii, aliique populi aquilonares. Innuitur id non obscure illis prophetæ verbis [d] *Annunciate contra illā regibus Ararat, Menni, & Ascenez, numerate contra eam Taphsar, adducite equum quasi bruchū aculeatum*: tangitur etiam causa pugnandi. *Calix autem Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes, & idcirco commotæ sunt.* Cæterū tota prædictio mirabili verborum, & sententiarum varietate constat, ad eandem d c. 51. 27. v. 27.

calamitatem exprimendam, in quo nihil est necesse nos diutius immorari.

Hoc ipso anno, sub eius initium, cum Sedecias pararet expeditionem suam, & vicini reges legatos ad eundem Sedeciam, factum est verbum Domini ad Ieremiam, quod c. 27. continetur; vbi iubetur propheta sibi facere vincula, & catenas, & ponere eas in collo suo, quæ Vatab. aliique iugum cum loris suis in-
a v. 13 & 14. terpretantur, vt ex cap. 28. [a] colligi potest, quæ iubetur Ieremias aptare ceruicibus suis, & ita per vrbem incedere: tum ea ad vicinos reges per ipsorũ legatos
b c. 27. 3 &c. mittere, in monimentum Babylonicæ seruitutis. *Et mittes ea*, inquit, [b] *ad regem Edom, & ad Regem Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidonis, in manu nunciorum, qui venerunt Ierusalem ad Sedeciam regem Iuda.* Omnes fere interpretes aiunt legatos istarum gentium missos ad Sedeciam, ad eum inuitandum ad defectionem à Chaldæis, quibus, iunctis inter se viribus, facile possent resistere. Idque credibile facit sequens huius vaticinii oratio.

Et *præcipies eis*, inquit, *vt ad dominos suos loquantur. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Hæc dicetis ad dominos vestros. Ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei, qui placuit oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuch. regis Babylonis serui mei; insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi. Et seruient ei omnes gentes, & filio eius, & filio filii eius.* Hi fuerunt sine controuersia Euilmerodach & Balthasar, qui in sacra historia memorantur. *Donec veniat tempus terræ eius, & ipsius.* Quo tam ipse rex, quam regnum eius, suorum scelerum pœnas luant. *Et seruient ei gentes multæ, & reges magni. Gens autem & regnum quod non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius.*

Nihilominus de causa aduentus horum legatorum non certo constat: cum Rabi Salomon, aliique probabile putent, missos eos tributi ad Chaldæum de-
c l. 10. c. 11. ferendi causa. Quod tamen de Tyris, (vt de aliis nihil hoc loco dicam, quos Iosephus, [c] quinto anno post cladem Ierosolymitanam subactos refert. Vnde videtur colligi posse eos, & cum Iudæis postea defecisse, & cum eis concidisse.) Vt ergo probabile est istos Chaldæis hoc tempore tributa pependisse, ita de Tyris videtur, dici non posse. Nam id vt sæpius iam dictum est, ipsi tamen nunc à Chaldæis obsidebantur, nec tributa pendebant. Crediderim potius ipsos ad Sedeciam legatos misisse, ad solicitandam defectionem, vt cogeretur Nabuchod. cœptum laboriosæ, & diuturnæ obsidionis Tyri negotium deserere. Sic apparet antithesis à Deo instituta, vt eo ipso tempore quo de libertate populi isti cogitant, eis Dominus longam denunciet seruitutem. Quod ipsum seruire potest coniecturę, de causa susceptæ legationis ab hisce populis ad Sedeciam.

Erat porro hoc vaticinium de conseruanda fide Chaldæis, commune Iudæis cum reliquis gentibus. Ideoque nominatim ad Sedeciam conuertit
d v. 12. orationem suam propheta [d] *Et ad Sedeciam*, inquit, *regem Iuda locutus sum, secundum omnia verba hæc, dicens, subiicite colla vestra sub iugo regis Babylonis. & seruite ei, & populo eius, & viuetis. Quare moriemini tu, & populus tuus gladio, & fame, & peste, sicut locutus est Dominus ad gentem quæ seruire noluerit regi Babylonis?* Quæ admonitio Iudæis in primis erat necessaria; tum quod inuitissime seruiebant, & id indignũ populo Dei iactabant, tum quod pseudoprophetæ hanc eis mentem perniciosissime instillabant. Quæ causa fuit Ieremiæ, vt diceret. *Vos ergo nolite audire prophetas vestros, & diuinos, & somniatores, & augures, & maleficos, qui dicunt vobis, non seruietis regi Babylonis. Quia mendacium prophetant vobis, vt longe vos faciant de terra vestra, & eiciant vos, & pereatis.* Hæc ibi, quæ aliquanto post iterantur à
v. 14. & 15. propheta.

Ad persuadendam vero hanc seruitutem, tam Sedeciæ, quam cæteris gentibus communem, & ipsis omnibus æque ingratam, validum affert argumentum ab necessitate petitum, cum alioqui peste, gladio, & fame, id est omnibus cladium generibus consumendi sint, & misera insuper, ac longinqua captiuita-
v. 11. te atterendi, addit è contrario vtilitatem. *Porro gens*, inquit, *quæ subiecerit seruicem*

*suam sub iugo regis Babylonis, & seruierit ei*, tributa pensitando videlicet, *dimittam eam in terra sua, dicit Dominus; & colet eam, & habitabit in ea*, pace videlicet, diuitiis, libertate fruetur. Sed isti omnes dum, contra imperium Domini, iugum ligneum excutere voluerunt, vt incederent erecta ceruice, ferreo mox in terram afflicti, & miserè oppressi sunt.

XVI. *Vasa non cito recuperatum iri.* ET hactenus quidem ad principes directa est prophetia, qui omnium inuitissimè seruiunt: deinceps autem ad sacerdotes, & populum refertur. quos etiam dementabant pseudoprophetæ inani spe recuperandi quamprimum vasa, quæ Nabuch. cum transmigratione transtulerat. Ad eos ergo ita Ieremias. *Nolite audire*, inquit, [a] *verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis dicentes. Ecce vasa Domini reuerentur de Babylone nunc cito, mendacium enim prophetant vobis*, & mox, *& si prophetæ sunt, & est verbum Domini in eis, occurrant Domino exercituum, vt non veniant vasa quæ derelicta fuerant in domo Domini, & in domo regis Iuda, & in Ierusalem, in Babylonem.* Quasi dicat tantum abest vt amissa cito recuperentur, vt conseruata cito amittenda sint. *In Babylonem*, inquit, *transferentur, & ibi erunt vsque ad diem visitationis suæ, dicit Dominus, & efferri faciam ea, & restitui in loco isto.* Id per Esdram sub Cyro factũ est, vt dicetur. Completa est autem prior prophetia de reliquis vasis amittendis statim ab vltimo anno Sedeciæ: Nabuchod. autem regni 19.

*Cõtra pseudoprophetas.* *Sed reliqua potius amittenda.* [a] v. 16.

XVII. *Alia huius temporis prophetia, contra Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Syros, Ælamitas.* AD hoc ipsum tempus videntur pertinere prophetiæ, quæ contra prædictas gentes à Ieremia annunciatæ sunt, contra Moabitas c. 48. contra Ammonitas c. 49. vsque ad fi. v. 6. contra Idumæos, à v. 7. ad fi. 22. contra Syros Damascenos, à v. 23. ad fi. 31. Inde vero vsque ad finem cap. 49. contra Ælamitas. Idque probatur ex eo, quod prædictio contra Ælamitas facta dicitur in principio regni Sedeciæ v. 34. quæ phrasis explicatur init. c. 28. eiusdem prophetæ, vbi annum quartum Sedeciæ vocat principium regni eius. *Et factum est*, inquit, *in anno illo*, id est in anno eodem, siue in anno ipso, vt est in Hebræo, quo scilicet fecit sibi Ieremias vincula & catenas, quod proxime præcedenti capite narratum fuit: pergit, *in principio regni Sedeciæ regis Iuda, in anno quarto, in mense quinto*, &c. Ergo annus quartus principium regni dicitur, & quod anno quarto factum est, in principio nihilominus regni factum dicitur, & certe cum vndecim totos annos Sedecias regnarit, 4. annus satis vicinus videtur principio regni. Itáque Hugo, & Dionys. interpretantur eum locum, probatque Sanctius. Et à Castro in sua Isagoge ad prophetias, cap. 4. secundum & tertium annum Sedeciæ vocat principium regni eius.

XVIII. *Ratio temporis confirmatur.* CVM ergo prædictæ omnes prophetiæ contra dictas nationes eodem tempore, eadémque de causa editæ videantur, vt sentit à Castro, [b] omnes quoque ad annum quartum pertinere dicendæ sunt: sicut & quæ mox sequetur in c. 28. vbi de confractis catenis agitur, cui tempus assignatur non solum principium regni, sed explicatius, annus quartus, & mensis quintus. Porro in prophetiis illis contra Moabitas, & cæteros, non videtur diutius immorandum: vna est enim earum omnium sententia, prædictio vastitatis, propter defectionem à Chaldæis, quibus Dominus dederat imperium in omnes eas gentes ad annos 70. Ea quoque de causa, quod Iudæis in captiuitatem euntibus insultabant.

*Quæ earũ sententia.* [b] in fi. c. 49. n. 38. & in fi. arg. c 48.

XIX. *Contentio Ieremiæ contra Hananiam.* VENIAMVS ergo ad cap. 28. quod ad historiam in primis pertinet, & cum 27. admodum cohæret. Cum enim in eo multum de Chaldaico iugo omnibus gentibus imponendo prophetasset, & de vasis templi non reducendis breui Hierosolymam, & sæpius pseudoprophetas mendacij arguisset; vnus eorum hanc ignominiam non ferens, audacius etiam in publicum prosiluit, & in conspectu Ieremiæ mendacia sua, de seruitute & vasis confirmauit. *Hæc dicit Dominus exercituum*, inquit, *contriui iugum regis Babylonis. Adhuc duo anni dierum*, pleni scilicet, & integris suis constantes diebus. *Et ego referri faciam ad locum istum omnia vasa domus Domini, quæ tulit Nabuchod. Rex Babylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem, & Iechoniam filium Ioakim regem Iuda, & omnem transmigrationem Iuda, qui ingressi sunt in Babylonem, ego conuertam ad locum istum, ait Dominus; conteram enim iugum regis Babylonis.*

*Falsa istius promissio.*

XX. *Ieremiæ responsio.* AD hæc Ieremias populi captui sese accommodans, etsi falsa nosset quæ dicebat Hananias, tamen quia reuera optabile erat quod promittebat. *Amen*, inquit, *sic faciat Dominus.* Poterat enim, propter pœnitentiam hominum, reuocare

sententiam, vt sæpe pollicitus est, & pro immensa bonitate sua, & ad misericordiam pronitate 70. annos in biennium commutare captiuitatis. Euentui tamen futuro committit tam suum, quam Hananiæ vaticinium. Cum enim hic intra biennium prosperitatem polliceretur, futurum erat vt breui verax deprehenderetur, aut mēdax; & Ieremias eodem modo. Nam vt dicitur in Deuteronomio.[a] *Quod in nomine Domini propheta prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit.*

[a] c. 18. 22.

QVONIAM autem Ieremias hac cum Hanania mansuetudine, & moderatione se gesserat, iste audacior factus, atque insolentior, ad confirmandam falsam promissionem suam, inuadit in Ieremiam, & iugum de collo eius ereptum confringit in totius populi conspectu: & simul posteriore impostura priorem confirmans ait. *Hæc dicit Dominus sic confringam iugum Nabuchod. regis Babylonis, post duos annos dierum, de collo omnium gentium.* Existimauit fortasse omnes istas gentes, quæ ad defectionem aspirabant, in eandem breui coniurationem consensuras, & propter multitudinem facile Nabuchodonosori, non solum pares, sed superiores etiam fore Demens qui humanam prouidentiam incertam, ac timidam, pro certissimis Dei promissionibus venditabat.

SED ecce factum est verbum Domini ad Ieremiam; *Vade*, inquit, *& dices Hananiæ, hæc dicit Dominus, catenas ligneas confregisti, & facies pro eis catenas ferreas*, causa eris vt populus ferreū iugum ferat. Fuerat quippe populus maioris pœnæ reus, qui Ieremiam iampridem notum prophetam, mendacem suspicabatur, & impostori sibi blādienti applaudebat.[b] Pergit autem. *Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, vt seruiant Nabuchodonosor regi Babylonis, & seruient ei, insuper & bestias terræ dedi ei.* Quasi dicat etiam syluestres feræ, indociles iugum pati, illi famulabuntur, quanto magis homines præstandi obsequij non insolentes?

[b] c. 28. 14.

ÆQVVM autem erat vt homo vanissimus, qui popularis seruitutis finem vsque adeo accelerabat, celerem etiam sui vaticinij mercedem ferret. Itaque Ieremias ad eum. *Audi*, inquit, *Hanania non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio.* Hæc culpa nebulonis huius, audi pœnam. *Idcirco hæc dicit Dominus, Ecce ego mittam te*, id est auferam *à facie terræ, hoc anno morieris, aduersum enim Dominum locutus es. Et mortuus est Hananias propheta in anno illo mense septimo.* An 7. mensis numerandus à prophetæ comminatione, vt putat Theodoretus? an potius, vt fere consentiunt interpres, intra spatium bimestre, mense scilicet septimo anni currentis. Mortuus est ergo miser intra menses duos: & sic qui intra biennium toti populo libertatem pollicebatur, intra duos menses ad furuæ raptus regna Proserpinæ, æternis suppliciis mancipatus est; & qui S prophetam mendacij arguebat, ad populo blandiendum; cum iusto populi terrore, & Ieremiæ purgatione, mendacij conuictus est.

AD hunc ipsum annum quartum Sedeciæ refert Abulensis[c] prophetias, quæ Ieremiæ capite decimonono & vigesimo continentur: quas tamen ad regnum quoque Ioakim referri posse putat à Castro.[d] Idque confirmari potest, ex eo quod Ieremias alloquatur hic non regem, puta Sedeciam, sed reges Iuda, Ioacimum scilicet, & Ioachinum filium eius, quem ille regni socium sibi assumpserat. Sed quoniam D. Tho. Lyran. à Castro, Dionys. explicant consilium, de quo agit c. 19. 7. de inita deliberatione ad rebellandum Nabuchodonosori, quæ consentanea sunt iis, quæ de aduentu legatorum dicta sunt superius: ideo Abulensi assentiemur, regesque Iuda, pro rege positos dicemus: quomodo solent concionatores primarios viros sub nomine multitudinis reprehendere.

[c] q. vlt. in 4. Reg.

[d] in argumento c. 19

PRÆCIPIT ergo Dominus Ieremiæ vt accipiat à figulo laguncula testeam, & secum assumat aliquos de senioribus populi, & de senioribus sacerdotum, & cum iis egrediatur ad vallem filiorum Ennon. *Quæ est*, inquit, *iuxta introitum portæ fictilis.* Hanc portam Villalp.[e] constituit in orientali muro Hierusalem, inter flexum & angulum, quem recessus notatoriæ Siloë constituit, de cuius nominis ratione pluribus ibidem agit, & à Castro[f] qui eam ad meridiem sitam fuisse putat, & eandem cum porta sterquilinij, quam Villalp ad occidentem, iuxta montem Caluariæ collocat. Verum porta fictilis cum respiceret

[e] to. 3. p. 1. l. 3 c. 23.

[f] in c. 19. Ierem. n. 3

vallem filiorum Ennon, & torrentem Cedron, non potuit non esse ad orientem vrbis, iuxta portam aquarum: dicitur autem fuisse ad meridiem, quia cum torrens Cedron in parte orientali vrbis, ab Aquilone in meridiem decurreret, Tophet meridiem versus erat situs.

XXVI. *Prædicatio Ieremiæ in valle Ennō. Sacrilegia parricid. o cumulata.*

In ea ergo valle *prædicabis*, inquit Dominus, *verba, quæ ego loquar ad te.*[a] *Et dices, Audite verbum Domini reges Iuda, & habitatores Ierusalem, hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita vt omnis qui audierit illam, tinniant aures eius.* Cuius calamitatis causam ponit duo grauissima scelera, idololatriam, & immania parricidia filiorum per manus parentum ipsorum. *Eo quod,* inquit, *dereliquerint me, & alienum fecerint locum istum,* cum scilicet consecrando diis alienis, sicut locus sacer dicitur à rebus sacris, quæ ibi frequentantur; ideo subdit. *Et libauerunt in eo diis alienis, & repleuerunt locum istum sanguine innocentum. Et ædificauerunt excelsa Baalim, ad comburendos filios suos igni, in holocaustum Baalim.* Et mox. *Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus. Et non vocabitur amplius locus iste Topheth,* id est tympanum, quia ibi dum comburerentur pueruli ab idolo, tympana personabant, vt alibi dictum est; aut etiam quia ibi choreæ, & ludi cum tympanis & fistulis agitabantur, vt innuunt verba sequentia, quæ videntur antithesin postulare. *Non vocabitur,* inquit, *Topheth, & vallis filij Ennon, sed vallis occisionis,* quasi dicat non ibi ludetur, sed plorabitur, non erit locus saltationis sed occisionis, nec ibi festiua carmina, sed Threni resonabunt.

[a] c.19.3.

XXVII. *Quam horribilis Hierosolymorū clades sub Nabuchod.*

Et *dissipabo consilium Iuda & Ierusalem in loco isto,* de defectione videlicet à tributaria seruitute Chaldæorum, vt D. Thom. aliique exposuerunt, *& subuertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, & in manu quærentium animas eorum,* neque enim fortunis tantum eorum inhiabunt, sed vitam cum tormentis, more inimicorum eripient. *Et dabo cadauera eorum escam volatilibus cœli, & bestiis terræ. Et ponam ciuitatem hanc in stuporem, & in sibilum; omnis qui præterierit per eam obstupescet, & sibilabit super vniuersa plaga eius,* vel dolendo, vel insultando. Neque hic finis. *Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum,* in pœnam scilicet eorundem sacrificatorum in Topheth idolo Moloch: & quia amici amicos ad huiusmodi flagitia pellexerunt, vt prædictum olim fuerat a Mose.[b] *Vnusquisque carnem amici sui comedet in obsidione, & in angustia, in qua concludent eos inimici eorum.*

[b] Deut.13.6

XXVIII. *An ad Romana tempora pertineat hoc vaticiniū.*

Ex his intelligitur qualis fuerit Hierosolymorum in Babylonica obsidione status; vtique plane horribilis, & vndequaque funestus, quem tamen sacer historicus vix attigit. Nec est necesse hęc ad Romanorū obsidionem referre, quod tunc his similia scribat Iosephus contigisse, & quod populus deinceps, nō magis quam vas figuli excoctū & confractum, restaurari non potuit, quod hic futurum dicitur. Nam hæc denunciantur in pœnam idololatriæ, & cædis puerulorum in Topheth, quæ Romanorum temporibus non erant in vsu apud Iudæos. Nec quæ Iosephus, multo cum apparatu verborum, eo tempore cōtigisse scribit, noua fuerunt apud Iudæos, vt patet ex obsidione Samariæ,[b] & ex prædictione Moysis.[c] *Et comedes, ait, fructum ventri tui & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum,* &c. fuse. Eadem autem in proxima obsidione contigisse, præter hunc locum perspicue id tradentem, & Ezechielis c.5.10. accedit & c.2. lament.[d] vbi id contigisse propheta significat, & deplorat. Nęc obstat quod fractus hac calamitate populus, restauratus sit post annos 70. Nam vix vllus superfuit, qui ex captiuitate redierit, sed filij exulum duntaxat; sicut in peregrinatione 40. annorum in deserto.

[b] 4. Reg. 6. 28
[c] Deut. 28. 53.
[d] v.20.

XXIX. *Conteritur laguncula in signum eorum.*

Pergit vero. *Et conteres laguncu̇lam in oculis virorum, qui ibunt tecum. Et dices ad eos, hæc dicit Dominus exercituum. Sic conteram populum istum, & ciuitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest vltra instaurari. Et in Topheth sepelientur,* loco scilicet immundo, & profano, quod graue erat Iudæis, qui magnam semper curam gesserunt sepulturæ. *Eo quod non sit alius locus ad sepeliendum, sic faciam loco huic,* & habitatoribus eius, & ponam ciuitatem istam sicut Topheth, & erunt domus Ierusalem, & domus regum Iuda, sicut locis Topheth immundæ, &c. Hic deinceps intelligendum est, prædicta omnia propheram executioni mandasse, prout diuinitus iussus fuerat. Nam de reditu subdit. *Venit autem Ieremias de Topheth, quo miserat eum Dominus ad prophetandum, & stetit in atrio domus Domini, & dixit ad omnem*

*populum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Ecce ego inducam super ciuitatem hanc, & super omnes vrbes eius in vniuersa mala, quæ locutus sum aduersus eam: quoniam indurauerunt ceruicem suam, vt non audirent sermones meos.* Non dicit Scriptura an Propheta eadem ipsa dixerit in templo, quæ dixerat paulo ante in Topheth: sed credibile est eos, quos secum ipse deduxerat, rem omnem ad sacerdotes, & populum detulisse.

Quæ cum audisset *Phassur filius Emmer sacerdos, qui constitutus erat princeps in domo Domini* S. Hierony. hunc pontificem templi appellat, cui plerique assentiuntur. Certum tamen est hoc tempore Saraiam fuisse pontificem, vsque ad vndecimum annum Sedeciæ: imo ne ab ipso quidem Aarone, vllus pontifex fuit, qui hoc nomine appellaretur. Videtur potius fuisse vnus aliquis de principibus 24. qui totidem vicibus præpositi erant; aut alius quispiam de templi præpositis in certo quopiam ministerio, vt hic fusius disputat à Castro, cui subscribit Sanctius; Torniel. ait fuisse absentis pontificis vicarium: recte ille quidem nisi in legatione pontificis deceptus fuisset, vt ante diximus. Illud autem non male, quod ex absentia regis hanc isti audaciam creuisse arbitratur. Quamquam etiam postea præsente rege non minus acerbe vexatus est, cum iam pene de salute ciuitatis conclamatum esset. XXX. *Phassur aduersarius Ieremiæ quis fuerit.*

Hæc ergo cum audisset Phassur, *Percussit Ieremiam, & misit eum in neruum*, siue carcerem, *qui erat in porta Beniamin superiori, in domo Domini.* Non explicatur quæ fuerit ista percussio, fustiúmne, an palmarum potius pugnorúmve, vt cum Sedecias percussit Michæam in maxilla.[a] Percussum ergo prophetam misit Phassur in carcerem, siue vt 70. habent in cataractem. Quo nomine subterraneam quandam fossam intelligit Theodoretus, quales sunt eæ in quas valde criminosi coniiciuntur quas vocamus, *basses fosses*. Vt autem intelligeretur, non solum in locum ærumnosum missum fuisse prophetam, sed tormento etiam applicitum, D. Hierony. neruum vocauit, instrumentum torquendis hominibus idoneum, pro quo Symmachus habet βασανιστήριον siue στρεβλωτήριον, vt ait D. Hieron. Cippum Vatablus, cum R. Kimhi interpretatur; vulgo *ceps*, quod constabat duobus lignis ex aduerso coëuntibus, triáque foramina conficientibus, quibus collum, & vtraque manus intercipiebatur. Ieremias igitur in carcere subterraneo templi, in tormento noctem transegit. Villalp.[b] agens de duplici porta Benjamin superiore, & inferiore, de hoc carcere agit, negatque in templo fuisse, sed ad murum, qui Sionem à templo diuidebat. Templi tamen dictum, siue propter vicinitatem, siue propter ius sacerdotum in illum; qui illuc coniiciebant eos, qui aliquid in domo Domini contra ius fasque deliquissent. XXXI. *Percutit Ieremiam.* *Et mittit in neruum.*

a 3. Reg. 22. 24.

b to. 3. l. 5. c. 14.

Cvmqve *illuxisset in crastinum, eduxit Phassur Ieremiam de neruo.* Qui nihilominus forti animo ei, suisque omnibus ista ex Dei ore denunciat. *Ecce ego dabo te in pauorem, te & omnes amicos tuos, & corruent gladio inimicorum suorum, & oculi tui videbunt, & omnem Iuda dabo in manum regis Babylonis & traducet eos in Babylonem, & percutiet eos gladio.* Confirmat hic locus ea, quæ superius de tempore huius prophetiæ statuimus. Nam transmigrationem Ioachini hic non prædici, sed Sedeciæ calamitatem, ex eo patet, quod tunc non omnis Iuda, sed pars tantum abiit in seruitutem. nec cædibus grassatus est in Ierosolymitas, sed in vnum Ioakim duntaxat: quæ cum hic denuncientur, & Sedeciæ tempore completa constet, de ea Ieremiam hic agere perspicuum est, & consequenter videtur hęc prædictio eam antecessisse, non autem vtramque, ne ambiguus esset prophetæ sermo. XXXII. *Qui educitur, & iterat vaticinia supremæ cladis.* *Ratio temporis.*


Sed fit etiam in sequentibus apertius Sedeciæ tempus, cum subditur. *Et dabo vniuersam substantiam ciuitatis huius, & omnem laborem eius, omnéque pretium, & cunctos thesauros regum Iuda dabo in manu inimicorum eorum, & diripient eos, & tollent, & ducent in Babylonem.* Nominatim in ipsum Phassur pseudoprophetam, quem pro Phassur vocat Maghor, id est pauorem. *Tu autem*, inquit, *& omnes habitatores domus tuæ ibitis in captiuitatem, & in Babylonem venies, & ibi morieris, ibique sepelieris, tu & omnes amici tui, quibus prophetasti mendacium.*

Deinceps autem lamentatur Ieremias infelicem conditionem suam, in exercendo tam luctuosis temporibus prophetæ munus, quo ita affligebatur, vt tæderet eum etiam viuere, vt ex c. 20. à v. 7. ad finem cap. liquet. Ei lamentationi XXXIII. *Et contra ipsum Phassur.*

impius Phassur occasionem dedit, dum prophetam percussum, & in carcerem, & neruum cõiectum etiam irridet, & subsannat, vt probabiliter ex textu colligi potest. Neque enim sine verborum contumeliis, ad alapas, pugnósue deuenitur. Et ipsemet Ieremias hoc loco ait factum se, & sermonem Domini omnibus in derisum & subsannationem tota die.

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3439.

1. N. xvij. Idem tamen à Castro initium ca. 28. transfert in finem cap. 27. vultque principium regni dici de primo anno, & eo quo cœpit catenas gestare Ieremias, quas ad quartum vsque annum tulerit, qua de re in fi. primi anni Ioacim diximus. non videri probabile tamdiu gestatas has catenas & lora, & cum de aduentu legatorum in anno 4. satis apud omnes constet, ad eundem etiam referendum videtur præceptum de iugo, & loro conficiendo. Præsertim cum illud dicat legatos vel venisse, vt est in vulgata, vel certe venire, vt in Hebræo, & Græco textu legitur.



## ANNVS MVNDI 3440. QVINTÆ ÆTATIS 501. FVNDATI TEMPLI 418. SEDECIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 5. SARAIÆ PONTIF. 5. IEREMIAE 34. NABVCHODONOSORIS 12. IMPERII BABYLONIORVM 107. OLYMP. XLI. AN. 3. TARQVINII PRISCI 2. VRBIS COND. 159.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 613.

I. *Tarquinius contra Latinos feliciter pugnat.*



ETSI Ezechiel propheta hoc primum anno nos ad se non parua in re vocat, pauca tamen de Romanis rebus prius degustanda sunt, quę hoc initio regni Tarquinij cœpta, in plures annos propagata sunt. Latini enim Anci obitu solutas esse fœderis conditiones arbitrati, latrociniis & excursionibus Romanum agrum infestabant. In his Apiolani, Crustumini, Nomentani, Collatini, Corniculani, Fidenates, & si qui alij, qui à Rege prope oppidatim victi, expugnatique sunt. Et de iis ab eodem rege Tarquinio magna gloria Romæ triumphatum. Vt propterea Eutropius & Florus scribant eum Romæ primum quatuor equis, & curru aureo triumphasse qua de inferius aliquid dicemus. [a] Rem Dionysius fuse persequitur, quē nos singulis fere annis deinceps conueniemus. *a an. vr. c. 150.*

II. *Prima visio Ezechielis.* NOBILITATVR hic annus initio nobilissimæ prophetiæ Ezechielis, & mirabili illa visione, quæ primo eius capite continetur. Quoniam vero de tempore ipsius iam satis initio anni 17. Iosiæ disputatum est, [b] nunc rem ipsam breui compendio ex fusis Hieronymi Pradi commentariis, lectori vt arbitror gratificaturi, perstringamus: præsertim cum ea quæ contra eam expositionem afferuntur ab Alcazare & Sanctio, non difficilem habeant apud ipsummet Pradum respõsionem. Addam tamen, quod ad tempus attinet, vocari hunc annum à Theodoreto in præfat. in Ezechielem, duodecimum prophetiæ Danielis, cum reuera sit tantum tertius, quoniam primum annum prophetiæ eius, & captiuitatis eundem facit, scilicet tertium Ioakim, cum reuera diuersos esse ex dictis constet. Vocatur etiam à D. Hieronymo initio comm. in Ieremiam, 35. prophetiæ Ieremiæ, eo quod annos Ioachin, sicut & annos Sedeciæ, integros ponit. cum tamen ex supradictis perspicuum sit Ioachinum vndecimi tantum mensem vnum attigisse. Itaque 34. prophetiæ annus dicendus est. Nunc ad Ezechielem, eiusque visionem admirabilem, aures oculosque conuertamus. *b n. 1. & 3.*

III. *Tempus, locus, & apparatus ad eam.* ET *factum est*, inquit Ezechiel, *in trigesimo anno* vitæ, siue ætatis meæ, *in quarto*

mense, *in quinta (die) mensis. Cum essem in medio captiuorum, iuxta fluuium Chobar* Nam Iudæi super flumina Babylonis, illic sederunt, & fleuerunt dum recordarentur tui Sion. Est autem fluuius Euphrates, qui dicitur Chobar, siue Chebar, id est copiosus & abundans, ab Assyriis, & Chaldæis Almarcar Plinio, [a] vel potius Nehaimalcha, id est regium flumen. *Aperti sunt cœli*, fulgura emicuerunt: hoc enim est *medium discedere cœlum*. Virg. & Statius apertius,

*--abrupta tremiscunt*
*Fulgura, & attritus subita face rumpitur æther,*

Quod planius dixit Dauid. Ps. 76. *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Sensus ergo est, vate spectante totum aërem crebris fulguribus irridiatum esse, sed media sui parte tam splendenti luce completum, vt cœlum discissum videretur. *Et vidi visiones Dei*, id est admirandas, & vere diuinas. *In quinta* inquam *mensis* die *ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachin*, & quintus pariter exilij ipsius prophetæ, vtpote qui cum rege translatus est Babylonem. Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Busi sacerdotem in terra Chaldæorum: verbum vocat visionem.

[a] l.6.c.26.

IV. *Turbo, nubes ignea. Et similitudo 4. animalium.*

Primum ergo vidit ventum turbinis venientem ab Aquilone, vnde vindicta diuina in Iudæam effundenda erat: vidit & nubem magnam, & flammarum volumina sese per totam nubem insinuantia, & foras crebris fulgetris erumpentia, denique tota splendore quasi iridis radiabat, & de medio ignis rutilum quid & lucens quasi electrum, quod metallum ex auro, & quinta argenti portione conflatur, emicabat. *Et in medio illius* ignis erat *similitudo 4. animalium*, similitudo, inquam, non natura. Erant enim Angeli, siue Archangeli Ecclesiæ protectores, Deo assistentes, ipsiusque triumphi stipatores. Cap. c.10. eos vocat Cherubinos, sed à principio conturbatus propheta, non comprehendens quale esset hoc spectrum, generica voce animalis est vsus.

V. *Eorum externa species, humana. Vno capite*

Eorum aspectus, siue externa species apparens erat hominis; habebant enim dicta animalia effigiem humanam totius corporis recta dispositione, tam etsi aliorum animalium insignibus essent vestita. Vnicuique eorum *facies*, id est formæ quatuor erant. Quamuis enim vnico tantum capite, & vultu singula hæc animalia prædita essent, quaternis tamen formis, siue figuris animalium insignita erant. Facies hominis videbatur in vultu iuuenili, manibus, cruribus, & totius corporis erecti habitu; facies leonis apparebat in ceruicibus, armis, atque pectore iubatis: facies aquilæ in alis, facies vituli in vngulis pedum bifidis: & in vnoquoque eorum erant 4. alæ.

*Statura recta.*

*Pedes eorum pedes recti*, non enim habebant recuruos poplites, quasi quadrupedia, sed rectas tibias, & crura homini similia. Habebant enim speciem perfectissimi hominis, & membra omnia conuenientia homini, nisi quod alas aquilæ, thoracem leonis, calceos vituli gestabant: nec aliud per faciem vituli intelligitur, quam vngulæ bifidæ, pedibus iuuenis insertæ.

VI. *Fulgor ex nube. Brachia, alæ.*

Et scintillæ, quas vibrabat interior nubes, quasi fornax accensa, in animalibus ipsis repercussæ coruscabant, quasi æs, aut calybs candescens, aut fulgurans; & singula animalia, quæ erant in quaternis lateribus currus, habebant sub alis bina brachia, & binas manus, ad instar hominum, & nihilominus formas multiplices, & multiplices alas, quarum duabus tegebant medium humani corporis, vt mox dicetur, & duabus volabant, quæ cum explicatæ erant ad volandum sese decussatim tangebant alæ duorum vicinæ.

Porro non retrocedebat hæc quadriga, sed antrorsum semper progrediebatur, quia vnumquodque animalium ante faciem suam gradiebatur.

VII. *Quorum animalium essent hæ facies.*

Versu autem decimo explicat simul quæ essent istæ 4. facies quas dixit, quarum duas tantum attigerat adhuc, atq; quaternas hasce facies, quas referebant hæc animalia, esse hominis, leonis, bouis, & aquilæ. Vox autem dextræ & sinistræ non sumitur rigidè, pro dextro & sinistro latere, quod etiam significat Hierony. sed idē est *à dextris, & à sinistris*, ac si dixisset, *hac & illac*; vt singula hæc 4 animalia variis formis referrent hinc hominem, nempe ore, inde leonem, scilicet pectore; hac vitulum, videlicet extremis pedibus, illac aquilam scilicet pennis, quæ super reliqua eminebant, vt quæ super capita singulorum eleuabantur.

Duæ pennæ singulorum iungebantur, quæ nimirum in altum erant erectæ, sese, vt dixi, decussatim contingebant. Reliquis autem duabus singuli velabant femora sua: significantes etiam coram Deo indecentem esse nuditatem: Vnumquodque, vt supra dictum est, recta progrediebatur, prout vi & impulsu diuino agitabantur, qui instar flagelli & habenarum erat animalibus, ad progrediendum, vel consistendum.

VIII. *Fulgor animalium.* Animalia hæc igneo fulgore rutilabant, instar carbonum ignitorum, & instar lampadum accensarum. Illis autem verbis, *hec* (quæ sequitur) *erat visio discurrens in medio animalium*, significat propheta se animaduertisse in medio Cherubim prunarium,[a] ex quo diffundebatur ignis, qui aërem ambientem splendore, & fulgetris replebat.

[a] vt aperte c.10.v.2.

*Et motus.* Nam quod dicit *animalia ibant & reuertebantur*, non dicit oppositum eius quod v. 9. illic enim reuerti est retrocedere, hic autem significat reflectere cursum, & quasi remetiri idem iter iam emensum, quod tanta celeritate & facilitate faciebant, quantam obseruamus in fulgure coruscante.

IX. *Rotæ huius quadrigæ.* Transit deinde ad explicandas rotas diuini currus, aitque se dum aspiceret animalia prædicta, vidisse rotam vnam iuxta singula animalia, erant enim quatuor, vt in curru, sed sibi persimiles, vt vna eadémque videri posset. Earum species & color erat ceruleus, qualis solet esse maris: opus autem earum, id est factura *rotæ*. & figura erat circularis. Iam rotam in medio rotæ vocat ipsum modiolum, qui est in medio radiorum, & canthorum, per quem modiolum transit axis, qui dicitur rota, quia est rotundus ad modum rotæ. In quatuor vehiculi lateribus 4. rotæ motu concitatissimo mouebantur, & non reuertebantur, siue retrocedebant, sicut nec animalia: similis enim debet esse motus rotarum & animalium.

X. *Earum curuatura.* Canthi & summæ rotæ curuatura stupenda erat, magnæ scilicet crassitudinis, & altitudinis, quæ responderet magnitudini quadrigæ, & magnificentiæ solij; sed eo maxime quod totum corpus canthorum, quæ Hebræi, & Græci dorsa rotarum vocant, plena erant oculis, id est similitudine oculorum ad ornatum, quales in caudis pauonum videmus, ex varia lucis & colorum attemperatione plumis efformatos. *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea, & cum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ.* Contingebat scilicet hic quod curribus aliis, dum equis trahuntur, contingit. Trahens enim & tractum motibus, & quiete consentiunt: *quocumque ibat spiritus*, id est virtus & potestas præsidentis Dei, ad cuius nutum quadriga mouebatur, *illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum: spiritus enim vitæ erat in rotis*, non vt eo animalium more viuerent, sed erat in eis spiritus assistentium Cherubinorum, qui eis motum & impetum Dei nutu imprimebant, quo extrinsecus perinde mouebantur, ac si spiritu vitæ intus regente mouerentur: quomodo philosophus cœlos viuere dixit, quomodo & aquæ viuæ dicuntur, quia cursum habent ac motum quasi viuerent, & ab intrinseco mouerentur.

*Motus animalium, & quadrigæ.*

XI. *Similitudo firmamenti.* Vidit etiam vates super Cherubinos expansum aërem, splendescentem quasi cristallum, coloris autem cærulei, siue cœlestis, vt verum firmamentum videri posset: propterea enim dicitur similitudo firmamenti, cui pro stellis erant oculi, vt vers. 18. Duplicem quoque motum in Cherubinis obseruauit Ezechiel, volatum instar auium, & progressum sicut animalium terrestrium; & vtrumque horrisonum fuisse declarat: cum autem stabant demittebant pennas suas, vt iacerent super humeros eorum, more auium, stabant enim aliquando. Nam cum diuinus auriga signum daret vt sisterent, extemplo summissis alis consistebant.

XII. *Thronus regius.* Et super cœlum illud expansum videbatur thronus regius excitatus, candoris insignis & splendoris admirandi. Nam saphirus aërei coloris est, aureis punctis micans, centroq; christallino, vt ait Plin. In huiusmodi throno visus est videre speciem hominis, vel regis in solio sedentis. cuius externa species erat fulgore aureo, siue electri, aut candore igneo. Videbatur autem intrinsecus, id est sub extremum currum vltra Angelos; & quæ pars corporis eminebat super thronum, id est à lumbis sursum, quasi ignea videbatur, & item inferior à lumbis

deorsum.

deorsum. Denique dicit se vidisse in circuitu throni quasi speciem ignis splendentis, ex cuius radiorum reflectione, in obiecta circum nube rorante Iris versicolor efformabatur. *Iris.*

CONCLVDAM hanc digressionem eleganti expositione D. Gregorij, electrum hoc loco Christo Domino comparantis. *In electro*, inquit, *dum aurum argento miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum vero à suo fulgore pallescit. Quia igitur in vnigenito Dei filio, natura diuinitatis vnita est natura nostra, in qua adunatione humanitas ad maiestatis gloriam excreuit, diuinitas vero à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit, quasi electrum factum est, & electrum in igne est Deus factus homo in persecutione.* Addam & Hieronymi Pradi ex quo præcedens expositio desumpta est, comparationem quadriformis Cherubini cum Christo. *Quaternas facies*, inquit, *vnus in se Christus ostendit. Ipse aquila, quia verbum Dei, ipse verus homo, ipse leo vtpote Rex, ipse denique vitulus, quia sacrificium & sacerdos. Ipse cherub quadriformis, in quo latet multiformis sapientia Dei. Cherub effigiem habebat iuuenis, totiusque corporis dispositione hominem referebat, vt Christus tota vita habitu iuuentus vt homo, sub qua figura cætera occultabantur suo tempore proferenda. Nam vituli formam in calce vitæ detexit, cum se hostiam obtulit patri: leonis, & regis effigiem in resurrectione, [a] aquilæ denique pennas detexit, ascendens in cælum.*

XIII. *Electrum Christi typus.*

*Et quadriformis Cherubinus.*

a Gen. 49. 9.

AD historicum autem sensum quod attinet, communem video esse sententiam Hieronymi, Theodoreti, Ruperti, Comestoris, Pradi, Maldonati, Alcazaris, Sanctij, bellicum hic aliquid, & hostile portendi, ad excidium spectans Hierosolymæ. Id enim ratio præsentis temporis exigit, quo Hierosolymitanum excidium, cum totius regni suprema clade, ac desolatione imminebat, ac pene erat in ianuis. Putat autem Sanctius currum bellicum potius esse, quam triumphalem, quo exercitus Babylonicus designetur, qui in vrbem Hierosolymam diuinam inuehat indignationem, & vltricem manum, proptereáque ignem in eo curru portari, denique quatuor animalia quæ currum trahebant, Chaldæorum mores repræsentare, ipsumque Nabuchodonosorem, qui & aquilæ, & leoni comparetur, & turbo diuinæ indignationis appelletur, & tempestas erumpens.[b]

XIV. *Visionem hanc ad cladem Hierosolymorum pertinere.*

b Ier. 23. 19.

AD hunc ipsum annum pertinet. c. 2. & 3. Ezechielis, in quibus mittitur à Domino ad transmigrationem Israëliticam, vt ei denunciet quæ à Domino iussus fuerit, sed prius in visione librum ad se diuinitus missum comedit. Qualis autem fuerit hic populus in transmigratione, non difficile est æstimare non solum ex nequitia senum illorum, quos condemnauit Daniel, quos merito, & vere appellauit inueteratos dierum malorum, semen Chanaan & non Iuda, innocentum oppressores & noxiorum dimissores: sed ex eo quod totum populum vocat Gentem apostatricem, filios dura facie, & indomabili corde, domum exasperantem, & Deum ad iracundiam prouocantem. Nec id satis, *increduli*, inquit, *& subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Ad hos igitur Dei missu cum venisset, mansit 7. diebus mœrens in medio eorum, & iniecta sunt ei à familiaribus vincula, quod versus putaretur in furorem, quod ei prænunciauit Dominus. [c] *Ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis, & non egredieris de medio eorum, & linguam tuā adhærere faciam palato tuo, & eris mutus*, &c. Cum ergo familiares viderent prophetam vno loco hærentem, cogitabundum, nullum verbum edentem; & in stupore mentis diuina iudicia, & visa versantem, amentem factum esse crediderunt, & in omnem euētum vinculis non repugnantem, forte & requirentem constrinxerunt, vt rebus ipsis obsidionem, qua ciues mœnibus, quasi vinculis colligandi erant, repræsentaret.

XV. *Quales Iudæi in trāsmigratione.*

c c. 3. 25.

PERTINET & cap 4. ad hunc annum, in quo appropinquante Iudaici regni & Hierosolymorum euersione, quæ post sextum annum contigit, eam verbis factisque, quæ admirationem excitarent, iubetur prophetare, describere ciuitatem in laterculo, ordinare aduersus eam obsidionem, ædificare munitionem, comportare aggerem, dare contra eam castra, & ponere arietes in gyro. Sumere sartaginem ferream, & ponere eam quasi murum ferreum inter se & ciuitatem, obfirmare faciem in signum seueritatis & latæ sententiæ immutabilis contra eam: quæ fortasse illi, qui mos improborum est, risu, & cachinnis excipiebant.

XVI. *Ezechiel obsidionem ciuitatis repræsentat.*

XVII. Dormit super latus 390. dies, &c.

IVBETVR præterea recumbere super sinistrum latus 390. dies, propter iniquitates domus Israël; & requiescere super latus dexterum 40. dies, propter iniquitatem domus Iuda, & parare sibi trecentos nonaginta panes afflictionis, quorum singuli in dies singulos essent 20. staterum siue siclorum, id est decem vnciarum, quo traheretur magis anima, vt ait Hieronymus, quam sustentaretur, significans, vt putat Hieronymus Pradus, obsidionem Hierosolymorum 390. diebus duraturam, 40. autem diebus, ipsum ciuitatis excidium, & templi deflagrationem. Et de annis quidem, quibus hi dies creduntur respondere alibi disseruimus. Hic tantum dico historiam 4. Reg. 25. & Ierem. 52. non exhibere nobis 390. dies obsidionis, sed multo plures quocumque tandem modo placeat annos numerare. Nam à decima die mensis decimi anni noni, ad finem anni, sunt duo menses, & dies viginti, accedit totus annus decimus; & tres menses, & octo dies anni vndecimi. Quod si 30. dies singulis mẽsibus tribuamus, inueniemus hos 17. menses efficere quingentos & 10. dies, quibus etiam 28. addendi sunt, & fient omnino non 390. sed 538. quæ est centum & quadraginta octo dierum differentia. Itaque alia istius mysterij expositio quærenda est. Et forte dicendum est arctam obsidionem, (ex quo tempore nemo plane ex vrbe egredi potuit, nemo in eam ingredi) fuisse 390. dierum: ab initio tamen laxioris obsidionis 538. fluxisse dies.

Qui explicari possint.

| Men. | Dies. |
|---|---|
| 2 | 20. |
| 12 | |
| 1 | 8. |
| 17 | 28 |
| 30 | |
| 510 | |
| 28 | |
| 538 | |

XVIII. Iudas tripliti genere cladis consumendus.

EODEM tempore mandauit Dominus Ezechieli, vt cap. 5. habetur, vt post impletos illos dies recubitus ad dexteram & sinistram, acuta tonsorum nouacula sibi raderet pilos, eosque tripertito diuideret, & partem vnam igne combureret, alteram gladio concideret, tertiam in ventum spargeret; quæ Iudæis post obsidionem euentura erant, vt v. 12. clare explicatur.

Desolatio montium Iuda.

Cap. 6. seorsim vaticinatur desolationem vniuersæ terræ Israël, montium præsertim mentionem faciens, in quibus impij Iudæi idolis sacrificarant, sed præsertim c. 7. quodammodo classicum sonat super iam imminente obsidione. Id enim significant illa verba, *Hæc dicit Dominus Deus afflictio vna*, id est extrema vel singularis, *afflictio ecce venit, finis venit, venit finis, euigilauit aduersum te*, id est festinauit, accelerauit, vt diximus de virga vigilante, anno 13. Iosiæ. *Ecce venit, venit contritio super te, qui habitas in terra*, Iuda scilicet: nam Ezechiel Babylone habitabat, & concaptiuis denunciabat, quæ imminebant iis, qui erant in Iudæa. Pergit *venit tempus, prope est dies occisionis, & non gloriæ montium*, id est lætitiæ voces quibus montes resultent, sed voces vlulantium, quæ tollantur in cœlum. Denique, *nunc de propinquo*, inquit, *effundam iram meam super te*, & cætera, quæ plenam affectuum, & dirissimarum comminationum orationem continent.

Proclamatio imminentis vastitatis.

## SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3440.

1. N. XVII. Quod autem iubetur operire subcinericios illos panes humano stercore, idem est quod in Hebræo loquitur, & coques eos in stercore hominis. Nam idem prorsus est, vt ait Pradus, in hac re coquere & operire, nam solent rustici, si quando lignis carent, boum stercoribus exsiccatis vti pro lignis, & placentam cinere coopertam huiusmodi stercoribus operire, & incensis coquere. Volẽs autem Dominus significare etiam huiusmodi fimum defuturum, iubet humano desiccato vti pro prunis, idque significatur, vers. 15. cum dicitur vt faciat panem suum in fimo boum.

# ANNVS MVNDI 3441. QVINTÆ ÆTATIS 502. FVNDATI TEMPLI 419. SEDECIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 6. SARAIÆ PONTIF. 6. IEREMIAE 35. NABVCHODONOSORIS 13. IMPERII BABYLONIORVM 108. OLYMP. XLI. AN. 4. TARQVINII PRISCI 3. VRBIS COND. 140.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 612.



SEQVENTI anno, ait Dionys. Tarquinius in Sabinos duxit exercitum, qui obuiam progressi, cum eo acerrime pugnarunt. Deinde neutram in partem inclinante victoria, ad sua quiq; redierunt, eo proposito vt ineunte vere vtrique maioribus copiis bellum redintegrarent. I. *Romana res.*

Multa superiore anno prædixerat Ezechiel funesta atque horribilia contra Ierusalem, ob quæ, si ei denunciata fuerunt, vt merito creditur factum, ambæ illi aures tinniebant. Ne forte autem propheta ipse tantam Domini seueritatem admiretur, & in tentationem inducatur, hoc anno in Ierusalem spiritu rapitur, & videt nefarias abominationes, quæ circa idola in templo Domini perpetrabantur: ex quibus facile intelliget, quam iustas illi meritasque luituri sint pœnas. Eas visiones nos more nostro decurremus. *Ezechiel spiritu rapitur Hierosolymam.*

Men. Dies. 8. 25. 5. 5. — 14. | 390 40 7 6 — 443.

CAPITE ergo octauo ait diuinam sibi visionem Babylone contigisse, in anno sexto transmigrationis, in sexto mense, in quinta mensis die: quæ Chronologia dubitationem nobis non leuem ingerit. Nam ab anno quinto, & mense quarto, & quinta mensis, vsque ad proxime dictum tempus, inueniuntur I. octo menses & 25. dies. Ex anno autem sexto, quinque menses, & quinque dies, id est quatuordecim omnino menses; quorum duodecim continent 365. dies, reliqui duo 60. qui efficiunt 425. dies. Quomodo ergo inter vtrumque terminum inueniri possent 390. dies decubitus sinistri, & 40. dextri, & insuper septem dies, qui tertio ca. v. 15. memorantur, quibus mansit propheta cum transmigratione, quæ habitabat ad fluuium Chobar, quod totum tempus præteriisse oportet, ante tempus hoc capite octauo memoratum, imo & aliquot insuper dies, ad conficiendos 390. panes, quos diximus, puta 5. vel sex. II. *Ratio temporis.*

RESPONDEO cum Prado [a] hinc recte posse colligi annum hunc fuisse intercalarem, qui tredecim mensibus constabat. Certum enim est, quod alibi quoque declaratum est, [b] Iudæos crebro duodecimum mensem, nomine Adar intercalasse, scilicet anno tertio, sexto, octauo, vndecimo, decimo quarto, decimo septimo, & decimo nono; quo pertinebat memorialis ille canon, *ter, ter, bis, ter, ter, ter, bis*. Itaque intra nouemdecim annos septies mensis vnus inserebatur. III. *Annus intercalaris.*

[a] in cap. 4. Ezech. si.
[b] a m. 3544. num. 93. & schol. 7.

383 60 — 443.

Si ergo hic annus de quo agimus erat Embolimicus, constabat minimùm 383. diebus, quibus si addantur duo menses, id est 59. vel 60. dies, fient 443. dies, itaque non deerunt vlli dies prophetico spatio, sed exactissimè inter se congruent. Nam res gestæ requirunt 443. dies, & annus embolimicus, cum duobus mensibus, suggerunt nobis 443. dies.

ANNO igitur sexto transmigrationis, & regni Sedeciæ, sexto mense, & quinta die mensis, sedebat in domo sua Ezechiel, solutus scilicet vinculis, quibus alligatus fuerat diebus decubitus vtriusque, cum ad eum conuenerunt aliqui de senioribus Iudæ, noui aliquid à propheta, post tot prodigia, cognituri. Et ecce cecidit in eum spiritus prophetiæ, quasi repentinus fulguris radius, prophetam excitans & illuminans, statimq; apparet ei Dominus in splendore igneo, à lumbis deorsum, sursum autem aureo fulgore electri, sicut in prima visione. *Et emissa similitudo manus*, inquit, *apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter* IV. *Imaginaria translatio Prophetæ.*

*cælum & terram*, vt scilicet instar volucris medium aërem secantis videretur sibi sublimis vehi, vt ait Pradus, & deduci in Ierusalem, ipsumque templum.

V. *Videt in templo idolum.* Cvm ergo eò sibi peruenisse videretur, iuxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, vidit collocatum idolum Baal, à Ioacim, vel Sedecia: & quidem vt Deum ad æmulationem prouocaret, dum haberet populum eius, & sacerdotes, & principes eo derelicto sibi famulantes. Nam non solum Ioakim, & Sedecias, *sed vniuersi etiam principes sacerdotum, & populus præuaricati sunt iniquè, iuxta vniuersas abominationes Gentium, & polluerunt domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Ierusalem*, vt scriptum est 2. Paral.[a] Ibi Dominus quoque ei in visione apparens, ostendit Israëlitas idolum adorantes, vel illi sacrificantes, hoc enim significat illis verbis, *vides quid isti faciunt? Abominationes magnas, quas domus Israel facit hîc, vt procul recedam à sanctuario meo.* Quasi impatientia victus, & ferre non valens, quæ in oculis meis, in contemptum mei fiant, qui in lege mea dixi tam serio. *Non habebis deos alienos coram me.*[b]

VI. *Videt 70. adorantes simulachra depicta.* Inde vt videat scelera, quæ ab Israëlitis in secreto fiebant, introducitur *ad ostium atrij*, vestibulum scilicet portæ Aquilonaris, in quo terna erant vtrinque cubicula, seu thalami, in quorum vno vidit foramen in pariete, & iussus est fodere parietem: quo significatur ostium obstructum fuisse, atque aliunde patuisse aditum secretiorem ad gazophylacium, quo idololatræ clanculum subibant, cultum exhibituri abominandis animalium simulachris, in pariete vndique depictis. Ita quidem Pradus, sed cum hæc cubicula fuerint admodum parua, scilicet calami vnius, siue sex cubitorum & palmi, mirum est eo loco 70. viros includi potuisse.

VII. *Et quo in loco.* Dicitvr enim. *Et septuaginta viri de senioribus domus Israel*, quos oportebat exemplo esse iunioribus; quique sanctissimi Iosiæ pietatem, religionémque meminerant. Eos Sanctius[c] ait fuisse magnum Concilium 70. virorum, à quo numero aliqui abesse poterant; neque enim verisimile est omnes 70. ad vnum à Deo defecisse, *& Iezonias filius Saphan stabat*, quasi antistes, *in medio eorum, stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua.* (Ex quo intelligitur sacerdotes fuisse, aut certe, quod omnis disciplina profligata iaceret, sacerdotum sibi officium vsurpasse,) *& vapor nebulæ de thure consurgebat.* Videnter certe isti 70. vno eodemq; loco cõgregati fuisse, vt in medio eorum esset ille Iezonias, qui locus esset tantæ multitudinis satis capax. Is forte subterraneus fuit, quoniam hæc tota impietas principi tenebrarum in occulto exercebatur, non Dei, aut legum metu, sed propter ingenitum hominibus pudorem, qui nequitiæ arbitros auersatur, sicut & illæ voces, quas isti in abscondito cubiculi sui vsurpabant, tenebrarum erant. *Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.*[d]

VIII. *Mulieres plangentes Adonidem.* Tertio introducitur propheta ad atrij interioris initium, & portam eius aquilonarem, vbi vidit mulieres sedentes, & plangentes Adonim Veneris amasium. Ita Pradus, quem magis probamus quam Sanctium, qui has mulieres etiã intra ipsam ædem sanctam introducit. At cum abominationes maiores sequantur, eæque ex sanctiore loco etiam æstimentur, dicendum videtur domum Domini latius hic sumi pro atrio Leuitico. quod septo quodam cinctum, & clausum erat, & habebat in medio sui ædem. Hinc autem progressio fit ad ipsum

*Viri dorsa vertentes sanctuario.* atrium. Quarto ergo inducitur in atrij sacerdotalis intima, vbi *in ostio templi Domini*, vltra altare holocaustorum, *inter vestibulum & altare*, inuenit quasi 25. viros, *dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, qui adorabant ad ortum Solis.* Vnde concludit oratione ecliptica, quæ irato conueniat *Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor, & cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.*

IX. *Cædes Hierosolymis perpetrãda monstratur Ezechieli.* Capite nono ostenditur prophetæ, cædes Hierosolymis perpetranda, propter ante dicta, & id genus alia scelera, per sex præcipuos Nabuchodonosoris principes, quos repræsentant sex viri habitu militari, armati securibus, qui Ezechieli ostenduntur: quos antecedit alius linea sacerdotali tunica inductus, qui signet in fronte litera Thau eos, qui morti eripiẽdi sint: de cæteris autem dicitur. *Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulũ, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsq. ad internecionẽ,*

[a] 36. 14.
[b] Exo. 20 3.
[c] c. 8. n. 40
[d] Vide Eccli. 23 26.

*omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis. Antiquis Hebræorum literis*, inquit Hieronym. *quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* Sic ipse. Quæ fusius habet Orig. & innuit Tertul. Vide Pradum hoc loco, vbi plura hac de re congerit, & rursum Lipsium, & Gretserum de cruce.

X. *Excepti cruce signatis.* Signum ergo salutis est crux Christi, qui eam imprimit iis, quibus merita passionis suæ communicat, qui soli morti eripiuntur; cæteri internecione delentur, initio sumpta à sanctuario. Dumque implentur templi atria interfectis, & ciuitas inundat sanguine, & cadaueribus interfectorum, ruit propheta in faciem suam, & lamentationis voces ingeminans, à Deo veniam impetrare conatur.

*Incendium ciuitatis præmonstratur.* Quoniam vero non solus gladius bacchaturus erat per ciuitatem & templum, sed flamma quoque vtrique interitum erat allatura, videt cap. 10. Ezechiel in templo Domini visionem 1. capite positam, sed è prunario, quod erat in extremo curru, iubetur implere manum suam prunis, & effundere super ciuitatem, tanquam omen incendij, quo deflagratura erat.

XI. *Vaticiniũ in principes populi.* Capite vndecimo iterum introducitur Ezechiel ad portam domus Domini orientalem, vbi inuenit 25. viros principes populi. Putat Pradus fuisse 24. duces, præpositos viginti quatuor vrbis regionibus, vigesimum autem quintum fuisse totius vrbis moderatorem; aliquem de domo Iuda, qui eorum conuentibus præerat: quibus iniqua cogitantibus, & pessima consilia in vrbe tractantibus, propheta interitum & captiuitatem vaticinatur. Quæ autem essent ista consilia, ex horum temporum statu colligendum est. Diximus, ex communi interpretum sententia in ca. 27. Ieremiæ, actum fuisse à legatis vicinorum regum cum Sedecia, de defectione à Nabuchod. multum id improbante propheta. Ea nunc etiam agitasse videntur in perniciem suam, timentes gladium eius, nisi simul coniurantes resisterent.

XII. *Eorum consilia.* Nam quod Pradus existimat verba illa principum, *nonne dudum ædificata sunt domus?* esse responsionem eorum, ad verba Ieremiæ suadentis deditionem Chaldæis, ca. 38. non potest congruere tempori. Nam illa suasio in an. 11. Sedeciæ incidit, cum prope conclamata erant omnia, hæc autem visio Ezechielis ad eiusdem annum sextum, eodem propheta teste, pertinet. Denique dispersis & exulibus Iudæis reditum promittit in patriam, in eaque vitam ab omnium idolorum sordibus alienam, & in figuram Christianorum, cor carneum pro lapideo. Sicque currus gloriæ Domini ascendit de ciuitate, stetitque supra montem oliuarum. Et rursum visus est sibi propheta transferri in Chaldæam, & sublata est ab ipso visio quam viderat, & locutus est ad transmigrationem quæcumque Deus ei in ea visione patefecerat. *Finis visionis Ezechielis.*

XIII. *Repræsentatur fuga regis, & comprehensio vrbe capta.* Ca. 12. altera ænigmatica similitudine repræsentat Ezechiel transmigratis Iudæis Sedeciam regem Iuda, & principes eius capta vrbe, fuga sibi effracto muro consulentes; quæ tam perspicue à propheta declarantur, vt historia ipsa clariora videantur. *Tu ergo fili hominis*, inquit, *fac tibi vasa transmigrationis, & transmigrabis per diem coram eis*, te videlicet geres instar hominum sedes mutantium, qui vasa sua foras efferunt. Illud autem singulare. *Ante oculos eorum perfode tibi parietem, & egredieris per eum. In conspectu eorum in humeris portaberis, in caligine efferreris: faciem tuam velabis, & non videbis terram*, vt ea specie Sedeciæ calamitatem repræsentes. Nam cum hæc executus esset Propheta, iussus est à Domino dicere. *Super ducem, qui est in Ierusalem, onus istud, & super omnem domum Israel, quæ est in medio eorum, ego portentum vestrum, quomodo feci, sic fiet illis. In transmigrationem, & in captiuitatem ibunt. Et dux qui est in medio eorum in humeris portabitur, in caligine egredietur, parietem perfodient vt educant eum, facies eius operietur, vt non videat oculo terram. Et extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibique morietur.* Quomodo autem hisce promissis euenta responsura sint anno 11. videbimus.

XIV. *Iosephus inducit duo vaticinia, ad speciem pugnantia.* Ex hoc loco videtur occasionem sumpsisse Iosephus hæc scribendi. [a] *Apud Babylonem*, inquit, *Ezechiel eodem tempore vastationem templi prædicebat*, quo scili-

[a] l. 10 c. 10

maleficiis & superstitionibus se populum suum erepturum pollicetur.

cap.14. RVRSVM contra hypocritas dolose verbum Domini requirentes, c.14. vaticinatur, quibus se quoque responsurum dicit, prout eorum improbitas exigebat, imo & decepturum prophetam in eorum perniciem, vt exemplo paucorum qui decipientur, reliqui discant prophetas syncere consulere. Moxque seueritatē diuinæ iustitiæ exaggerat in peccatores, dicens se grauissimis plagis affecturum ipsos, neque adeo ab vltione reuocatum iri precibus amicorum suorum, etiam pro filiis suis orationem fundentium. Exemplum autem ponit Noë, Danielis, & Iobi: Ex quo intelligitur Danielem opinione sanctitatis iam apud Babylonios floruisse, ex quo diuino afflatus spiritu, nobile illud iudicium pro Susanna exercuerat; etsi is nunc vix 17. annum ageret: vnde ei non attribuit filios aut filias Ezechiel, sed tātum ex hypothesi loquitur. Nam eum Eunuchum fuisse quidam putauerunt; cum tamen eum caste & continenter vixisse dicendum sit, non necessitate, sed voluntate; vt alibi ex Dorothei synopsi diximus, vbi ait propter castitatem spadonem à Iudæis existimatum.

XIX. *Contra hypocritas.*

vers. 13.

*Pœnam nō reuocatum iri sustoriū precibus. Danielis sanctitas, an liberos habuerit.*

CA. 18. refutat Dominus prouerbium illud Israëlitarum, quo se pro patrum suorum delictis punitum iri iactabant. *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Quasi ipsi non essent peiores patribus suis. Affirmat autem Dominus omnes animas suas esse, & vnamquamque scelerum suorum pœnas luituram, & impium conuersum saluatum iri, & pium à sua pietate deficientem perditum iri. Verum cum circa eam sententiam multa opinionum, & distinctionum, & rationum varietate certetur, illud tamen in summa communioris video esse doctrinæ; nunquam filios, posteros, vel subditos, pro peccatis patrum, maiorum, principum pœna æterna, vel spirituali punitum iri, quia animæ Dei sunt tantum, & non parentum, corpora vero aliquid sunt parentum; & pars alicuius corporis, pro eiusdem altera parte pœnas ferre potest. Quod ad pœnas vero alterius vitæ nimium bonus est Deus, vt iis quemquam pro altero affici patiatur, præsertim cum eæ non minus animorum sint, quam corporum.

XX. *An & quatenus filij pro patribus pœnas luant.*

CA. 19. Iubetur Ezechiel assumere planctum, & lugere filios Iosiæ principes Israël, quorum omnium misera plane conditio fuit. Nam primus præpropere mortuus, nullam sui memoriam reliquit: is fuit Iohanan. Secundus Ioacim primùm regno priuatus, deinde rex factus, impiam vitam funesta morte conclusit. 3. Ioachaz post tertium mensem regno ambitiose occupato deturbatus est, & in perpetuam seruitutem abductus. 4. Sedecias etiam miserabiliorem sortem, vt dicemus, expertus est. Quin & secundi filius, Iosiæ nepos Ioachinus, post tertium ipse quoque mensem in longinquam captiuitatem, & 37. annorum carcerem exportatus est. Sed illud his omnibus luctuosius est, quod nihil ex scripturis habemus, quo possimus existimare, aut dicere, eos non æterno quoque interitu periisse. Cæterum bona pars huius capitis, suis supra locis de hisce regis Iosiæ filiis explicata est, vt non sit necesse hic diutius immorari. In fine aliquid de Godolia tangit, quod suo etiam loco attingetur. Et hæc ad annum sextum transmigrationis pertinent, nimirum à cap. 8. ad vigesimum.

XXI. *Misera cōditio omnium filiorum Iosiæ.*

## *SCHOLIA IN ANNVM MVNDI* 3441.

1. N. XIX. C. 17. proponere iubetur Propheta ænigma & obscuram parabolam, quam ad hunc annum pertinere non putamus, sed ad id tempus, quo Sedecias iureiurādo neglecto, quod præstiterat Nabuchodonosori, confugit ad Ægyptum: quod non sexto anno Sedeciæ, de quo agimus, sed octauo contigit. Nec est quod miremur ordinem capitum esse turbatum, etiam in Ezechiele. Nam infra cap. 26. habet gesta anno vndecimo transmigrationis, cap. autem 29. quæ gesta fuerunt anno decimo.



ANNVS MVNDI 3442. QVINTÆ ÆTATIS 503.
TEMPLI FVNDATI 420. SEDEC. ET TRANSMIG. 7.
SARAIÆ PONTIFICIS 7. IEREMIÆ 36. NABVCHODONOSORIS 14. IMPERII BABYLONIORVM 109. OLYMPIAD. XLII. AN. 1.
TARQVINII PRISCI 4.
VRB. COND. 141.

ANNVS ANTE CHRISTVM 611.



I Olymp. 42 Res græcæ. QVADRAGESIMA secunda Olympiade Lycotas Lacedæmonius in stadio Olympico palmam tulit. Meminit huius Olympiadis Plinius,[a] cum ait circa eam Pythagoram Samium Luciferi naturam deprehendisse, anno vrbis Romæ 142. ergo secundo huius Olympiadis. Meminit & Cyrillus Alexandrinus, [b] aitque circa eam floruisse Alcmæonem, & Pittacum Mitylenæum vnum de 7. Sapiētibus. Addit & poëtam Stesichorum Eusebii chronicon secutus, sicut de Pittaco Laërtium. Hoc nimirum tempore, vt est in Olympionicarum catalogo, Melanchrum Lesbi tyrannum vna cum Alcæi fratribus profligauit, authore eodem Laërtio: qui anno huius Olympiadis tertio natum refert Anaximandrum Milesium, vt infra dicetur. Refert denique in hanc Olympiadem Sappho & Erinnam poëtrias, Catal. Olymp. quod hoc tempore florere cœperint.

a l. 2. c. 8.
b l. 1. contra Iul.

II. Romanaq; TARQVINIVS autem Priscus finito Latino bello, ineunte vere contra Sabinos arte atque incendio pugnauit, eos geminis castris exuit, & magna clade fregit, & coëgit vt inducias peterent in sexcennium. Dionysius rem pluribus executus est. Illud nihilominus admonuerim, admodum difficile factu esse, ac ne fieri quidem fortasse potest, vt Tarquinii Prisci annos, cum rebus ab eo gestis sigillatim componamus, Quamuis apud Dionysium, qui cæteris historiæ Romanæ scriptoribus antiquis diligentiæ palmam præripuit, sæpe bellorum & induciarum annos memoratos reperiamus. Nam etsi primum à Tarquinio bellum contra Apiolanos gestum legamus, non propterea quoto id regni anno contigerit constare potest. Deinde cum scribat idem Dionysius, absoluto Sabino bello, Tarquinium quadriennio tantum superuixisse, oportet pacem cum Sabinis anno regni eius 33. vel 34. contigisse: cum tamen omnia bella à Dionysio memorata, quamuis laxè expansa, ægrè ad 25. annos pertingant, vt merito dubitari possit, quam vere dictum à plerisque fuerit, à Numa ad Augustum semper Romæ Iani portas bellorum causa patuisse: aut dicendum certe non omnia bella in commentarios fuisse relata.

c p. 201. med.

III. Prophetia Ezechielis anni septimi. FACTVM *est in anno septimo*, inquit Ezechiel, transmigrationis videlicet, vt ipsemet Ezechiel ab initio prophetiæ suæ numerare cœpit, & consentiunt interpretes, nominatimque Pradus, Sanctius. Mariana, *in quinto mense*, qui Hebræis, Ab, nobis est Iulius, *in decima die mensis, venerunt viri de senioribus Israel, vt interrogarent Dominum*, quibus Dominus negat se responsurum, sed eis exprobrat impietatem, & idololatriam patrum ipsorum in medio terræ Aegypti, in deserto, in terra Chanaã, quos ipsi sacrilegè vsque in hanc diē imitarentur, ait enim. [d] *Certe in via patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini, & in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris vsque hodie, & ego respondebo vobis domus Israel? Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia non respondebo vobis.*

IV. Hierosolymita de Deo penitus deserendo cogitant. d c. 20. v. 30.

NEGAT tamen Diuus Hieronymus hasce impietates à senioribus in captiui-

uitate patrari, sed ab iis qui Hierosolymis morabantur, & quibus captiuitas imminebat: quorum etiam ea cogitatio fuit, vt penitus à Domino deficerent, & ritu cæterarum gentium viuerent, quas videbant multa in pace, & rerum abundantia viuere. Ad quam respondet Deus, iuratque per semetipsum, & dicit. Non vos relinquam, neque contemnam, vt fugaces seruos Domini negligentes solent contemnere; sed ad meum retraham imperium, & brachio extento & percutiente, ac furore effuso in pristinam vos redigam seruitutem, & regnabo super vos, vt velitis nolitis, me habeatis regem, & sentiatis regem iratum, cuius clementiam neglexistis. Hæc fere Diuus Hieronymus. Hinc quoque suspicari licet Hierosolymis Dei cultum, quamuis perfunctorie & oscitanter, vsurpatum tamen fuisse, cum de ipso plane deserendo cogitent, dicentes, *Erimus sicut gentes, & cognationes terræ, vt colamus ligna & lapides.* Et videlicet Deus nos sicut illas deseret, & pacifice nos agere sinet. Ipse quoque gentes, ad quas eiecti fuerimus, mitius tractabunt nos, eiusdem religionis fœdere copulatos.

SEQVITVR extremo capite prophetia ænigmatica de conflagratione syluæ ad austum, & africum sitæ, in qua omne lignum viride atque aridum comburendum sit: ad significandam vastitatem Iudææ, & Hierosolymorum, quæ apertius c. 21. proponitur, vbi dicitur occidendos, non solum impios, & peccatores, sed etiam iustos. Pro quo cum ingemisceret propheta, iubet Dominus, vt etiam vehementius ingemiscat, suspiria & eiulatus ingeminet, quales solent esse parturientium. Quod præceptum, vt Pradus ait, non fuit inane, sed efficax, quòd statim correptus sit tam acerbo lumborum dolore, vt quæ iubebatur, vel inuitus exequeretur. Quamquam is libenter hoc pro salute populi patiebatur, sicut iam vincula, & decubitum, & ieiunium, tam durum, tamque diuturnum perpessus erat. Inde autem de multitudine interfectorum plenam affectibus orationem ingeminat. V. *Prophetia de conflagratione Ierusalem.*

DEINDE Dominus reuelat Ezechieli Nabuchodonosorem, cum egressurus esset Babylone, ad præliandum contra Ammonitas, & Iudæos, in via substiturũ in biuio, quod partim ad dexteram tendebat versus Hierosolymam, partim ad sinistram versus Rabbath metropolim Ammonitarum, quæ postea dicta Philadelphia; ibique diuinationem quæsiturum commiscendo sagittas, interrogando idola sua, exta consulendo. Hanc porro *βελομαντίαν*, siue diuinationem per sagittas D. Hieron. sic explicat, vt Chaldæus sagittas diuersas coniecerit in pharetram, inscriptas vel notatas nominibus singulorum, vt videat, cuius sagitta exeat, & quam prius ciuitatem debeat oppugnare. Vatablus duas alias diuinandi per tela rationes affert, vt scilicet expoliretur ferrum telorum, vt in eorum splendore cernerent diuinatores, vt aspicere solent, inquit, in vngue pollicis manus splendente: vel vt in altum sagittæ proiicerentur, & versus quam partem caderent, in eam exercitum dirigerent: sed Deo sortes temperante, versus Ierusalem casuræ erant. VI. *Aduent Nabuchod. & sortitio eius.* *per sagittas.*

SVBDIT propheta. *Ad dexteram eius facta est diuinatio super Hierusalem, vt ponat arietes, vt aperiatos in cæde, vt eleuet vocem in vlulatu &c.* & scilicet prophanum & impium Sedeciam de throno deiiciat, & cidarim pontificiam & coronam regiam pessundet cæcato, & catenis vincto rege Sedecia, & Saraia pontifice interfecto, iuxta interpretationem Hieronymi, & Theodoreti. Pradus tamen, & Sanctius, tam cidarim, quam coronam referunt ad regem, quem quasi de gradu iam deiectum, & sacro regis honore spoliatum, hæc prophetæ lacerat, ac plane cruentat oratio. *Tu autem profane, impie dux Israel, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita*, id est cui imminet tempus animaduersionis à me definitum. *Hæc dicit* Dominus *Deus, aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est quæ humilem sublevauit, & sublimem humiliauit?* tanto scilicet abiectiorem reddit, quanto te altius extulerat, *iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*, id est, in grauissimum iniquitatis tuæ supplicium eam conuertam: culpa pœnæ loco, figurata oratione vsurpata. VII. *Inuehitur Dominus in Sedeciã.* a c. 21. 25.

AMMONITÆ autem, qui ad sinistram in biuio relicti fuerant, cum non solum gauderent se intactos à Chaldæis, sed Hierosolymorum etiam vastitati in VIII. *Vaticiniũ contra Ammonitas.*

sultarent, & in Deum ipsorum blasphemarent, quasi imbellem ad resistendum Babyloniis, accipiunt & ipsi vaticinium de vicina sua vastitate, quæ mox à Hierosolymorum ruina contigit. Eius prophetiæ hæc est Sanctii paraphrasis. *Nunc autem fili hominis ad Ammonitas vaticinium conuerte, & ad conuitia, quibus alienis incommodis exultantes, Iudæorum populum insectati sunt: & eundem gladium contra illos aduoca, qui contra Iudæos prius districtus est, cui dices meo nomine, ô mucro exime te à vagina, exime te, & lima & terge, vt occidas, & fulgeas. Vanos ô mucro putant Ammonitæ tibi futuros esse conatus, & futiles impetus, quia diuinationes de te, ac de sua clade vanas esse credunt: at tu cum tempus illorum stragi definitum aduenerit, in illorum collum, qui nihil sibi tale metuebant, aduolabis.* Hæc ibi, cui vaticinio respondet illud Sophoniæ. [a] *Audiui opprobrium Moab*, & blasphemias filiorum Ammon &c. & rursum alterum Ezechielis, [b] quod ad nonum Sedeciæ annum pertinet, cuius initium est, *Pro eo quod dixisti: Euge, euge super sanctuariũ meum, quia pollutũ est &c.* a 2.8. b 25.3.

IX. *Vaticiniũ de Hierosolymitanorũ sceleribus, & pœna.*

RECENSET deinde [c] varia Hierosolymitarum scelera, homicidia, Idololatriam, impietatem in parentes, inhumanitatem in pauperes, neglectum diuini cultus, adulteria, incœstus multiplices: proditiones, vsuram, & auaritiam, calumnias, & id genus alia scelera, ob quæ ait Israelitas versos esse in scoriam in fornace, & propter quæ se eos dicit in nationes dispersurum; quod de reliquiis belli intelligendum est. Nam de bello ipso, & obsidione ita loquitur Dominus, *Eò quod versi estis omnes in scoriam propterea ecce ego congregabo vos in medio Ierusalem, congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis, vt succendam in ea ignem ad conflandum: sic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requiescam: & conflabo vos, &c.* pluribus enim persequitur propheta eandem allegoriam. c c.22.5. c.22.19.

X. *Parabola in Samariã & Ierusalem.*

CAPITE denique vigesimo tertio, quod vltimum est eorum, quæ ad hunc annũ pertinet, sub parabola duarum meretricum, conqueritur Dominus de Samariæ, & Hierusalem impietate, & idololatria, spondetque fore, vt sicut Samaria sectata idola Assyriorum, ab eis in seruitutem abducta est, ita Hierusalem imitata Chaldæorum superstitiones, ab ipsis quoque omnibus suppliciis, & contumeliis affecta, in seruiturem rapiatur. v. 19.

REFERT Torniellus ad hunc, & aliquot sequentes annos, institutionem Danielis, & sociorum eius, sed admodum tarda visa est isthæc institutio. Nec vltra annos pueritiæ differenda, quibus & lingua, & literæ peregrinæ addiscuntur. Itaque eam supra ad octauum eius annum, qui cum octauo Ioacim concurrit, retulimus.



ANNVS MVNDI. 3443 QVINTAE AETATIS 504.
FVNDATI TEMPLI 421. SEDECIAE ET TRANSMIGRATIONIS 8. SARAIÆ PONTIFICIS 8. IEREMIAE. 37. NABVCHODONOSORIS 15. IMP. BABYL. 110. OLYMPIADIS XLII. AN. 2. L. TARQVIN. PRISCI 5. VRB. COND. 142.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 610.

I. *Sabini bellum parãt.*



ETRVSCI perpetua Romanorum felicitate, continentibusque victoriis, nuperque Sabinorum cladibus nihil humiliores, aut prudẽtiores effecti. Iniquo potius animo ferebant se toties à Romanis victos; ac tum irati quod Tarquinius legatis captiuos non reddiderat (nam in clade Sabinorum captos magno numero Etruscos in arcta custodia tenebat quasi obsides, vt amicos eorum in officio contineret, veritos ne ipsorum temeritatem isti capite

suo luerent. Decreuerunt omnes communibus auspiciis Romanis bellum inferre. Ea lege, vt si qua ciuitas se huic expeditioni subduceret, fœdere excluderetur. Quo decreto confirmato eduxerunt copias, & traiecto Tyberi prope Fidenas castra posuerunt: quo oppido ab eis dissentiente per proditionem potiti, illud contra Romanos præsidio firmarunt, ipsi multis captiuis, & præda à Romano agro abducta, domum se receperunt: contra quos eamob causam Tarquinius proximo vere ineunte duxit exercitum.

II. *Prophetia Ieremiæ ad regem & dominatricem, & quæ illa.*

ac. 3. v. 18. PROPHETIA Ieremiæ, quæ [a] hoc anno ad Regem, & dominatricem dirigitur, etsi nonnullis videatur ad Ioachinum, eiusque matrem pertinere, in quibus est Diuus Hieronymus in primis: melius tamen videtur de Sedecia, & vxore eius accipi posse, vt à Castro quoque censuit; qui eam ad hunc Sedeciæ annum octauum retulit. Nec dissentit Lyranus & Dionysius. Chaldæus etiam consentit, nam dominatricem non matrem regis interpretatur, sed vxorem: ex qua scilicet suscepit liberos, quos in oculis patris postea Nabuchodonosor occidit. Neutram interpretationem improbat Sanctius; duas tamen alias expositiones adiungit; prior est, vt rex & dominatrix non proprie, sed appellatiue sumantur de viris potentibus & lautis, quocunque illi in gradu & honore sint. Posterior vt de sponso & sponsa, quibus sæpe in sacris literis nomen regis & reginæ in epithalamiis tribui solet, vt ipse pluribus explicat non improbabiliter.

III. *Num Iechonias cũ matre.*

CÆTERVM in Iechoniam satis quadrare nõ possunt illa verba, *translata est omnis Iuda transmigratione perfecta*, quoniam cum Iechonia non omnis Iudæ tribus
b 24. 14. translata est, sed tantum Ierusalem, vt dicitur 4. Reg. [b] *Et transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos principes*, qui scilicet cum rege erant, *& omnes fortes exercitus &c.* & paulo post. *Transtulit quoque Ioachin in Babylonem, & matrem regis, & eunuchos eius, & iudices terræ duxit in captiuitatem*, & ne quis putaret eum dicere de tota terra Iuda, subdit *de Ierusalem in Babylonem*. Sed nec fuit perfecta transmigratio, etiam Hierosolymorum. Cum enim ibi regem constituisset Sedeciam Nabuch. oportuit etiam ei relinquere subditos, quibus imperare posset.

IV. *Aut potius Sedecias cũ vxore.*

AT capto Sedecia, & exciso regno, eiusque deiecta metropoli, merito perfecta migratio appellata est. Sed nec corona gloriæ Iudæorum in Ioachino defecit, sed in Sedecia, in quo regium nomen, & insigne prorsus extinctum est. Itaque illa verba, *dic regi & dominatrici, humiliamini, sedete, quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ vestræ*: recte per illa eiusdem Ieremiæ verba explicantur, Thren. 55. 16. *Cecidit corona capitis nostri, væ nobis quia peccauimus.* Et quoniam nulla fit hoc loco mentio defectionis, quæ mox subsecuta est, non videtur posse vltra hunc annum differri, hæc denunciatio calamitatis imminentis. *Ciuitates austri clausæ sunt, & non est qui aperiat*, ciuitates Iuda intelligit, quia hæc tribus sortem suam acceperat ad meridianam plagam: nam fere omnes alias tribus habuit Iudas ad Septentrionem. Ciuitates autem Iuda obsidione Chaldæorum clausæ sunt, quod sub Iechonia non contigit, sed sub eius patre tantum, & patruo, Ioacimo, & Sedecia.

V. *Admonitio prophetæ ad Sedeciam.*

MONET ergo propheta Regem ac Reginam, vt imminente tanta calamitate sua, deiiciant elatæ mentis superbiam, eoque modo sese ad misericordiam Dei impetrandam idoneos reddant alioqui omnem Iudam transmigratione perfecta è suis sedibus excutiendum esse. Præteritum enim pro futuro more prophetarum vsurpat, vnde mox futuro etiam vtitur, *Disseminabo eos quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto, hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ à me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confusa es in mendacio* idolorum.

*Obstinatio populi.*

Fuisse autem hoc tempore mirum in modum moribus perditos, atque in suis sceleribus obstinatos, nulla vt spes emendationis esset, illa verba aperte significant *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum*, & infra, *væ tibi Ierusalem non mundaberis post me, vsque quo adhuc*, id est interprete Hieronymus, quandiu te expectabo, quandiu feram.

VI. *Defectionẽ molitur Sedecias.*

CÆTERVM cum Sedecias septem annis cliens Babyloniorum, & vectigalis fuisset, ad libertatem aspirare cœpit; idque permisit Dominus in pœnam, & in-

teritum deprauatissimæ ciuitatis, & regni vniuersi. Itaque intelligens immortales Aegyptiorum cum Chaldæis inimicitias, sperauit, si cum illis vires coniungeret, facile se Babylonios superaturum. Tyrio præsertim bello distentos, & vicinis populis, qui nuper ad eum legatos miserant, simul conspirantibus. Spem quoque faciebant falsorum prophetarum promissa, Sedeciæ cupiditati famulantia, quibus cum plurimi essent, vnus resistebat Ieremias. [a] Itaque fidei immemor & iurisiurandi, à Chaldæis deficiens societatem cum Aegyptiis init. Id facinus vno verbo attigit Regum lib. 4. [b] *Irascebatur Dominus contra Ierusalem, & contra Iudam, donec proyceret eos à facie sua, recessitque Sedecias à rege Babylonis. Et,* [c] *a rege quoque Nabuchodonosore recessit, qui adiurauerat eum per Deum, & indurauit ceruicem suam & cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Israel.* Iosephus quoque. [d] *Cum per octo annos*, inquit, *socius Babyloniorum fuisset, violato fœdere ad Aegyptios defecit, sperans, si cum illis vires coniungeret, Babylonium necessario succumbere.* Quod dicit annis octo socium fuisse Chaldæorum, de inchoatis intelligendum est. Nam in octauo defecit, & nono fatale bellum inchoatum est.

a vid. Abul. q. 2 in 25. 4. Reg.
b 24. 20.
c & 2 Par. 36. 13.
d l. 10. c. 10

VII. *Quam explicat Ezechiel.*

HANC defectionē fusius persecutus est Ezechiel c. 17. vbi proposuit ænigma de *aquila grandi magnarum alarum*, id est potenti rege Babylonis, vt ipsemet Dominus mox interpretatur: aquila enim regina auium, imperii symbolum gerit. Diuus Gregorius [e] magnitudinem alarum de immensitate exercitus interpretatur, idque præsertim cadit in equites, quorum turmas alas vocant, quod tegant, & quasi obumbrent pedites: sic vsurpat etiam Isaias [f] de Assyriorum exercitu. *Erit*, inquit, *extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ ô Emanuel.* Dicitur eadem aquila prædita, *longo membrorum ductu*, propter multitudinem, & firmitatem imperii Babylonici, *plena plumis, & varietate*, id est plumis variis, & diuersorum colorum, propter exercitum ex diuersis nationibus conflatum. *Venit* autem *ad Libanum*, id est Ierusalem, *& tulit medullam cedri*, id est, Iechoniam, & principes eius, & adduxit eos ad meipsum in Babylonem. Et tulit de semine regni, Sedeciam scilicet filium Iosiæ regis Iuda, feriitque cum eo fœdus, & ab eo accepit iusiurandum, & ne ille viribus & potentia subditorum fretus ad defectionem inuitaretur, fortes & optimates regni secum in transmigrationem abstulit, vt esset regnum humile, & non eleuaretur, sed custodiret pactum initum cum Chaldæo, & seruaret illud.

e l. 31. Moral. c. 19.
f c. 8. 8.

VIII. *Frustra quæri auxilium ab Aegypto.*

CVM autem creuisset nihilominus hoc regnum, & quasi vinea lætior emisisset palmites suos atque propagines, ad alteram aquilam grandem, regem scilicet Aegypti, extendit palmites suos, vt ab ea irrigaretur, & roborata eius auxilio, vinea grandis, id est regnum potens euaderet. Quæ explicans clarius, de Sedecia subdit. *Qui recedens ab eo misit nuncios ad Aegyptum, vt daret sibi equos, & populum multum.* Recedens, id est cum statuisset recedere, non enim tam insipiens fuit, vt priusquam sibi de Aegyptiorum præsidio constaret, præ se ferret defectionem. *Nunquid prosperabitur, vel consequetur salutem qui fecit hæc? & qui dissoluit pactum nunquid effugiet? Viuo ego*, dicit Dominus Deus, *quoniam in loco regis, qui constituit eum regem*, id est Babylone, *cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.*

IX. *Quæ pœna maneat Sedeciam.*

PRÆDICIT etiam irritum fore Pharaonis pro Sedecia conatum contra Nabuchod. in vltionem spreti iurisiurandi, & soluti fœderis, quod data manu firmarat, & pœnam huius facinoris in periuri regis caput deuolutum iri. *Et expandam*, inquit, *super eum rete meū, & comprehendetur in sagena mea, & adducam eum in Babyl. & iudicabo eum ibi, in præuaricatione qua despexit me*, quem testem assumpserat fœderis, ac promissi. *Et omnes profugi eius*, comites fugæ ipsius, *cum vniuerso agmine suo, gladio cadent*, in Reblatha iubente Nabuchod. eos coram se interfici. *Residui autem in omnem ventum dispergentur, & scietis, quia ego Dominus locutus sum.* Addit postremo prophetiam de restitutione posterorum Ioachini in patriam suam, quod in Zorobabele nepote Iechoniæ impletum est.



# ANNVS MVNDI 3444. QVINTÆ ÆTATIS 505. TEMPLI FVNDATI 422. SEDEC. ET TRANSMIG. 9. SARAIÆ PONTIFICIS 9. IEREMIÆ 38. NABVCHODONOSORIS 16. IMPERII BABYLONIORVM III. OLYMPIAD. XLII. AN. 3. TARQVINII PRISCI 6. VRB. COND. 143.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 609.



NATVS est hoc anno Anaximander Milesius philosophus Praxiade patre. Cum enim, vt est apud Diogenem Laërtium, [a] scribat Apollodorus Atheniensis in chronicis, illum anno secundo Olympiadis 58. annum egisse ætatis sexagesimum quartum, ac paulo post diem obiisse, necesse est eum anno tertio præsentis Olympiadis in lucem editum. Tot enim ad illud tempus anni numerantur, idque in Olympionicarum catalogo nominatim affirmatur. I. *Ortus Anaximandri.*

[a] *in init. l. 2.*

TARQVINIVS vero suopte ingenio, & Etruscorum coniuratione aduersus Romanum nomen prouocatus ad bellum, quanto maximo potuit exercitu, tam ex domesticis legionibus, quam ex sociorum auxiliis collecto, ineunte vere in Etruscos mouit. Et exercitu bifariam diuiso, socios, quorum pars maxima Latini erant, Egerio cognato suo commisit, iusso Fidenas petere. Is cum iuxta oppidum loco parum tuto castra posuisset, propter contemptum hostium, pene totus deletus est. Qui enim in præsidio erant, accitis nouis ex Etruria auxiliis, improuisi castra Egerii occuparunt, & eorum qui prædatum exierant, magnam edidere stragem: ea clade Deo inuisam sibi superbiam castigante. II. *Tarquinii gesta.*

Ipse autem Tarquinius ductis contra Veios legionibus, eorum agro vastato commissoque prælio victor effectus, cum magna præda, magnoque captiuorum numero, extrema iam æstate domum repetiit.

PONVNT hoc anno fasti consulares Onuphrii ludos maximos, siue circensos, quos hic Tarquinius instituit in circo maximo, quem ille ex hostium manubiis extruxit inter montes Auentinum & Palatinum: quod opus, inquit Dionysius, procedente tempore vnum e pulchris, & admirandis Vrbis operibus futurum erat. Longitudo eius Circi erat trium stadiorum cum dimidio, latitudo 4. iugerum: (πλέθρων) sed fusiorem eius descriptionem vide apud eundem. Hæc autem amplitudo non prioris huius temporis, sed posterioris fuit. III. *Origo ludorum circensium.*

Quod ad historiam sacram attinet intellecta à Chald. defectione Sedeciæ, [b] celeriter instructis copiis, hoc anno in Iudæã armatus intrauit, & Hierosolymorũ obsidionem inchoauit. Sed mox aduentante Pharaone, & auxilium ferente Sedeciæ, obsidione ad tempus soluta, contra Aegyptios descendit, quibus facile repulsis ad obsidionem regressus, tandiu Ierusalem oppugnauit, donec plane expugnaret, atque opprimeret. Hæc summa rei, quæ plenius ex scripturis ipsis explananda est.

[b] *4. Reg. 25 1. 2. Paral 36. 17 Ierem 34. 1. 37 4. 39 1. 47. 52 4. Ezechielis 21 19. 24. 1. c c. 34 1.*

ET primum testis est nobis Ieremias [c] Nabuchodonosorem maximas omnino copias contraxisse, & cum iis in Iudæam venisse. Ait enim ei adfuisse *omnem exercitum eius*, ordinarias scilicet legiones ex Babyloniis, & Chaldæis; deinde addit *vniuersa regna terræ, quæ erant sub potestate manus eius, & omnes populos* bellasse cum ipso. Secundo impleuit Nabuchod. quæ Ezechiel de hac eius expeditione vaticinatus erat, [d] vbi iubetur Ezechiel sibi animo proponere viam vnam Babylone profectam, duas tamen in partes postea diuisam. In huius ergo biuii prin- IV. *Ordo rei gestæ. Copiæ Nabuchod.*

[d] *c. 21. 19.*

VNDATI EMPLI 21. | PRIOR OBSIDIO IERVSALEM.

cipio, quod partim ad Ammonitas, partim ad Iudæã ferebat, substitit Nabuch. & iaculorum sortitione, quam supra diximus, facta, dimissa tantisper Ammonitarum obsidione, in Iudæam venit.

V. *Plures simul vrbes cum Hierosolymis oppugnant.* TERTIO habemus ex Ieremia [a] exercitum regis Babylonis bello simul aggressum esse Ierusalem, & alias vrbes Iuda munitas; sic enim ait. *Omnes populi eius bellabant contra Ierusalem, & contra omnes vrbes eius*, & mox plenius. *Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Ierusalem, & contra omnes ciuitates Iuda, quæ reliquæ erant, contra Lachis, & contra Azecha: hæ enim supererant de ciuitatibus Iuda vrbes munitæ.* Nimirum primo belli impetu, quasi torrens inundans, omnes reliquas aut vi subita, aut deditione in suam potestatem redegit. Iosephus autem [b] dicit vastata prius regione, & occupatis arcibus ad ipsa Hierosolyma oppugnanda accessisse. Numerosissimus enim exercitus satis militum ad plura simul oppida sollicitanda, vrgenda, occuppanda suggerebat; simul etiam impediebat Iudæos, ne alii aliis opem ferre possent. Quarto satis ex Script. constat hanc obsidionẽ, quæ interrupta postmodum fuit, circa initiũ anni noni fuisse inchoatam sic enim necessarium videtur; vt ad posteriorem, quæ mense decimo, & die decima mensis incepta, ad extremum vndecimum Sedeciæ annum perdurauit, satis sit temporis, vt Nabuchodonosor possit, soluta ad tempus obsidione, contra Pharaonem properare, eumque victum ad suum regnum compellere, & pari celeritate obsidionem redintegrare.

a c. 34. v. 1. & 7.

b l. 10. c. 10

VI. *Prior obsidio Hierosolyma.* PRIORE hac obsidione inchoata percul sus timore Sedecias, (quomodo enim, non timeret mens sibi male conscia, præsente supplicio, tot criminum in Deum hominesque rea?) misit ad Ieremiam, *Iuchal filium Selemiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem*, vt scriptum est à Ieremia. [c] Hic est ille Sophonias secundus à Saraia pontifice, cuius est crebra apud Ieremiã mentio. Hunc ergo cum socio *misit Sedecias ad Ieremiam, dicens. Ora pro nobis Dominũ Deum nostrum.* Hoc in more positum est quantumuis impiis ac scelestis hominibus, vt vehementi concussi timore, ad Deum, quantumuis antea derelictum, confugiant, & eum cõtra quem, rebus ad nutum fluentibus, bella gesserunt, pro anticipata opinione de illius immensa bonitate & clementiã, in aduersis etiam protectorem sperent. Hæc autem in priore obsidione contigisse, significant, quæ ibidem propheta subdit. *Ieremias autem libere ambulabat in medio populi: non enim miserant eum in custodiam carceris*, quod scilicet posteriore obsidione fecerunt.

c c. 37. n. 3.

VII. *Dei ad Sedeciam nuncius.* EODEM ipso tempore [d] factum est ad Ierem. verbũ à Domino, dicens, *vade & loquere ad Sedeciam regem Iuda, & dices ad eũ. Hæc dicit Dominus. Ecce ego tradam ciuitatem hanc in manu regis Babylonis, & succendet eam igni, & tu non effugies de manu eius*, cum scilicet te in fugam dederis, *sed comprehensione capieris, & in manu eius traderis, & oculi tui oculos regis Babylonis videbunt*, iratos scilicet, & pœnam nunciantes imminentem, *& os eius cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis.* Plura subticet consultò propheta, ne regem ad desperationem de Dei erga se misericordia adducat. Quin etiam ad eum consolandum addit. *Hæc dicit Dominus ad te, non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustionem patrum tuorum, regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te, & væ Domine plangent te*, contra quam scilicet contigit fratri tuo.

d c. est in 34. 1. Ierem.

VIII. *Terretur præsenti rerum statu.* TERRITVS est hac denunciatione Sedecias, quamuis iam sæpius in eum non dissimiles intentatę essent minæ: sed nũc eo efficaciores erant, quo propiores, & humanitus probabiliores aderant ipsæ plagæ. Videbat enim Sedecias totã bello ardentem Iudæam, plurimas iam ciuitates bello captas, reliquas spe subsidii destitutas, primo quoque tẽpore Babylonii regis imperata facturas. Ægyptiũ autẽ cunctantem nusquam apparere. Itaq; ad placandum aliqua ex parte Deũ, & ad libertatem nutantem iam recuperandã, Ieremiæ, vt par est credere, hortatu, anno præsertim sabbatico inuitante is enim (in hunc annũ cadit, ordine 123. ex quo nõ parum chronologiam nostram confirmari putamus:) Ieremiæ igitur hortatu, Deique iussu dimiserũt in libertatem seruos, atque ancillas Iudæos, quos videlicet contra Mosaicæ legis præscripta retinebant: omnia quippe iura, moralia, iudicia, ceremonialia violauerant. Cõuocauit ergo Sedecias, in tẽplũ, vt res quasi Deo teste, & authore fieret, optimates, & potẽtiores ciuitatis, ab eisq; obtinuit, vt dimitterẽt liberos Iudæos, quos sibi subiecerant seruituti, fœdus etiã cũ iis iniit,

*Annus Sabbaticus 23.*

adhibitis solennibus ceremoniis, ne deinceps hoc se peccato contaminaret.

HÆC autem dum fierent. *Exercitus Pharaonis egressus est de Ægypto.* [a] *Et audientes Chaldæi, qui obsidebant Ierusalem huiuscemodi nuncium, recesserunt ab Ierusalem,* ne simul cum gemino sibi hoste pugnandum esset Aegyptio, atque Iudæo. Quod videntes Ierosolymitæ, timore simul & religione soluti, & cupiditate sua victi, *retraxerunt seruos & ancillas suas,* [b] *quos dimiserant liberos, & subiugauerunt in famulos & famulas.* Id facinus quantum Domino displicuerit, & qua id pœna se sponderit puniturum, Ieremias suis ipse verbis aperte, dilucideque docebit: lege enim contra quam peccatum fuerat recitata, & egregio nuper opere ab eis patrato, crimen ipsum, fœdifrago periurio cumulatum, auribus ingerit. *Et conuersi estis,* inquit, *& commaculastis nomen meum, & reduxistis vnusquisque seruum suum, & vnusquisque ancillam suam, quos dimiseratis, vt essent liberi & suæ potestatis: & subiugastis eos, vt sint vobis serui & ancillæ.*

VIII. *Aegyptii aduentant. Chaldæi occurrit Iudæi seruos recipiunt.*

a vt dicitur c.37.4.

b vt dicitur c.34.11.

AVDI nunc vltionē. *Propterea hæc dicit Dominus, Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem vnusquisque amico suo,* denunciaretis videlicet ipsos deinceps liberos fore. *Ecce ego prædico vobis libertatem,* quam daturus sum hostibus vestris contra vos, *ad gladium, ad pestem, & ad famem, ego dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ, & dabo viros qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus ascēsi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius, Principes Iuda, & principes Ierusalem, Eunuchi & sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transierunt inter diuisiones vituli. Et dabo eos in manus inimicorum suorū, & in manus quærentium animam eorum. Et erit morticinum eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ.*

IX. *Quod facinus Deus spondet vlturum.*

IDEM de Sedecia ipso nominatim subdit, & aulicis eius, quos ait se traditurum in manus exercituum regis Babylonis, *qui recesserunt,* inquit, *à vobis. Ecce ego præcipio dicit Dominus, & reducam eos in ciuitatem hanc, & præliabuntur aduersus eam, & capient eam, & incendent igni. Et ciuitates Iuda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.* Hæc est desolatio quæ post biennium cœpta est. Vide autem rectitudinem diuini iudicii: liberarant isti seruos suos innocentes, Deus ipsos, quamuis nocentissimos seruos, obsidione liberarat; retraxerunt illi in seruitutem liberos, retraxit Dominus hostem, qui eos dira obsidione maceratos, quasi flagris seruilē in morē contusos, Chaldæorum mancipet seruituti.

X. *Etiam in rege.*

POSTREMA hæc oratio satis aperte docet, quo tempore ista contigerint. simul etiam monet, vt quæ c. 37. habentur, huc transferantur; *factum est,* inquit, *verbum Domini ad Ieremiam prophetam, dicens. Hæc dicit Dominus Deus Israel, Sic dicetis regi Iuda, qui misit vos ad me interrogandum,* de discessu videlicet Chaldæorum, quos aliqui iactabant non reuersuros. *Ecce exercitus Pharaonis,* inquit propheta, *qui egressus est vobis in auxilium, reuertetur in terram suam in Ægyptum. Et redient Chaldæi, & bellabunt contra ciuitatem hanc, & capient eam, & succendent eam,* & mox. *Sed et si percusseritis omnem exercitum Chaldæorum, qui præliantur aduersum vos, & derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tentorio suo consurgent, & incendent ciuitatem hanc igni.* Quanto ergo minus victi vitaturi estis incendium?

XI *Rediturus Chaldæos.*

HOC prophetæ responsum cum percrebuisset Hierosolymis, & impiis ex discessu Chaldæorum creuisset audacia, odium quod in seipsos, suáque scelera exercere debuissent, in sanctum prophetam conuerterunt, quasi eis ex odio, tam infausta, tamque ingrata responderet. Id odium hoc tempore sese vehementer prodidit. Nam, vt ipsemet Ieremias narrat. [c] *Cum recessisset exercitus Chaldæorum ab Ierusalem, propter exercitum Pharaonis. Egressus est,* id statuit egredi, vel conatus est exire *Ieremias de Ierusalem, vt iret in terram Beniamin,* puta in pagum Anatoth, tertio ab Ierusalem milliario, 20. stadiis, vt ait Iosephus, [d] vnde erat ipse oriundus, *vt ibi diuideret possessionem in conspectu ciuium,* vel vt interpretatur Vatablus, voluit se ex vrbe proripere. Cum enim, inquit, soluta obsidione multi proficiscerentur rus, conatus est Ieremias turbæ egredienti permixtus, elabi, seseque per mediam turbam ex vrbe subducere. Verum Chaldæa paraphrasis editionem vulgatam confirmat: Iosephus autem nullam profectionis causam affert, quam quod libuisset ei natale solum reuisere.

XII. *Ieremias abit in patriam.*

c 37.10.

d l.10 c.10.

CVMQVE *peruenisset ad portam Beniamin,* qua scilicet ibatur ad tribū Beniamin, quæ erat Hierosolymis ad septentrionem. Eam fuisse eandem cum porta anguli

XIII. *Retinetur in porta Beniamin.*

si peccare est hominem præmonere, vt foueam imminentem defugiat, peccaui fateor, veridicum tamen fuisse vatem, & à Deo afflatum negare non potes. Vice autem versa *vbi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, & dicebant. Non veniet*, id est non reuertetur, *Rex Babylonis super vos, & super terram hanc.* Alludit enim ad ea verba, quæ hoc ipso capite propheta retulit, eorum qui abituros penitus Chaldæos, & non reuersuros iactabant, populum, seque ipsos vltro fallentes.

PERGIT autem. *Nunc ergo*, quoniam me veridicum & innocentem agnoscis, *audi obsecro Domine mi Rex. Valeat deprecatio mea in conspectu tuo, & ne me remittas in domum Ionathan scribæ, ne moriar ibi.* Erat & alia causa cur eum carcerem deprecaretur, vt scilicet positus in liberiore custodia, à pluribus adiri posset, eisque, in hisce rerum angustiis, monita salutis dare. Erat autem hic publicus carcer iuxta palatium regis, vt constat ex c. 32. 2. Acquiescens ergo Rex Sedecias precibus Ieremiæ, *præcepit vt traderetur in vestibulo*, siue in atrio *carceris*, vt sic grauissimus ille carceris pœdor vitaretur, & tamen, quod verebantur optimates, fugæ & proditionis periculum abesset. Iussit quoque vt *daretur ei torta panis quotidie*, siue frustum panis, vt habet Chaldæus præter obsonia, donec consumerentur omnes panes de ciuitate. Et mansit Ieremias in vestibulo carceris. XIX. *Exorat mutationē carceris.*

AD hoc tempus refert à Castro prophetiam c. 47. Ieremiæ, quæ est de proxima Palæstinorum per Chaldæos ruina. Quo ipso tempore dicitur Pharao percussisse Gazam, quæ licet vicina esset Aegyptiis, Chaldæis tamen fauebat, ideoque hoc tempore ab Aegyptiis in Iudæam venientibus, graui aliqua clade affecta est; vel, vt aliis placet, in reditu, cum à Chaldæis repulsi, ad sua frementes redirent. Cum enim Gaza, euntibus ex Iudæa in Aegyptum, in itinere sit posita, non absurdum est Aegyptios eam eiusue agrum ex itinere diripuisse. XX. *Pharao Gazā percussit.*

a l. 10 c 10. Chaldæorum contra Aegyptios pugnam paucis quidem verbis Iosephus [a] complexus est, nec tamen satis fidelibus. Ait enim, *Aegyptius autem audito, in quibus angustiis esset Sedecias socius, assumpto valido exercitu Iudæam petiit, volens obsidionem soluere. At Babylonius intermissa obsidione obuiam illi profectus, vno prælio victum tota Syria expulit.* At oblitus est Iosephus, iam Syria expulsum fuisse Aegyptium à Nabuchodonosore, anno regni eiusdē Nabuchod. primo, vt scriptura docet, & [b] ipsemet testatum reliquit, [c] id est decimo sexto ab hinc anno: ex quo tempore nullum vsquam indicium est recuperatæ Syriæ ab Aegyptiis, vt nunc iterum ea expulsi vere dici possint. *Et Pharaonem Chaldæus. Iosephi lapsus.*

b 4. Reg. 24. 7.
c l. 10. c. 7.

VICTOR igitur Chaldæorum exercitus Hierosolymam rediit, eamque vltima obsidione cinxit. *Factum est autem anno nono*, ait sacer histor. [d] *regni* Sedeciæ *mense decimo, decima die mensis, venit Nabuch. rex Babylonis, ipse & omnis exercitus eius in Ierusalem*, Annus nonus Sedeciæ dicitur, & mensis decimus relatus ad annum sacrum, scilicet à verno æquinoctio, vt mensis eius decimus sit December, cum tamen anni Sedeciæ, vt supra diximus, sicut & Nabuchod. à quinto mense anni sacri inchoëntur. Sicque idem mensis decimus erat quintus Sedeciæ. *& circumdederunt eam, & extruxerunt in circuitu eius munitiones, & clausa est ciuitas, atque vallata*, quæ totidem fere verbis recitantur à Ieremia, qui præsens aderat. [e] Quo ipso die eam obsidionem Dominus Ezechieli Babylone reuelauit, vt habetur c. 24. eiusdem prophetæ, *factum est*, inquit, *verbum Domini ad me, in anno nono, in mense decimo, decima die mensis, dicens, fili hominis scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est rex Babylonis aduersum Ierusalem hodie*, alii corroborauit se; quod significat restitutam, & restauratam obsidionem, quam infirmarat atque interruperat paulo ante Pharao. Notauit & hunc diem Iosephus, omnesque deinceps Iudæi, qui eum stato, & solenni ieiunio miseri consecrarunt, vt in eorum Calendario notatum est. XXI. *Postrema obsidio Ierusalem.* *Eiusque tempus.*

d 4 Reg. 25. 1.
e c. 39. & 52.

SVB idem tempus aliam etiam viam excogitauit Dominus, ad ostendendum Iudæis confusionem ipsorum, in multitudine funerum, vt non liceat in eis facere, quæ fert vsus, & natura ipsa postulat. In eam rem exemplum ab vxore prophetæ ductum est, quoniam ea cum admodum viro suo dilecta esset, & violenta quapiam morte sublata fuisset, is tamen audit à Domino. *Non planges, neque plorabis, neque fluent lachrymæ tuæ. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata sit tibi*, id est ornamenta capitis tui non depones, ne- XXII. *Præmonstratur frequentia funerum.*

Ezechiel 24. v. 16.

dum cæsariem de more detondebis, *& calceamenta tua erunt in pedibus tuis*, deponi ergo solebant in luctu, sicut & obtegi facies, vnde subdit, *nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes*, in ferali scilicet conuiuio. *Locutus sum ergo*, inquit propheta, post acceptum scilicet mandatum, *ad populum mane, & mortua est vxor mea vespere, fecique mane*, id est postridie, *sicut præceperat mihi*. Cumque populus ab eo quæsiuisset quid ista significarent, respondit, ita à Iudæis in funeribus charissimorum suorum factum iri, quoniam funerum frequentia redditura esset funebrium rituum contemptores.

## *SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI. 3444.*

1. N. xxi. Hanc ergo diem, & inchoantem calamitatem eius repræsentauit Ezechiel ænigmatice in Babylone,[a] in hæc verba, *hæc dicit Dominus Pone ollam, pone inquam, & mitte in eam aquam. Congere frusta eius in eam, omnem partem bonam femur, & armum electa, & ossibus plena. Pinguissimum pecus assume, compone quoque strues ossium sub ea*, id est sub carnibus in fundo eius. Nam sequitur. *Efferbuit coctio eius, & discocta sunt ossa illius in medio eius*, vbi mox ollam Ierusalem interpretatur, quam vocat ciuitatem sanguinum, quæ etiam postquam vacuata fuerit ciuibus, imponenda est flammis, vt incalescat, & liqueat æs eius, & dispereat. Eius rubiginem impietatem intelligit: & effusionem innocentis sanguinis. Aquam in ollam infusam interprete Theodoreto, & Prado, intelligit obsidionem, & omnis generis calamitates, quæ vrbi, & ciuibus circunfusæ sunt. Pecus pingue est respub. lasciuiens, quasi vitulus indomitus, qui incrassatus recalcitrat, cum tamen macello destinatus sit. Carnes pecoris pinguissimi vocat indigenas, membra scilicet Reip. vtpote caput Regem; cor Pontificem, viscera sacerdotes, armos magnates, dextrum & sinistrum, Leuitas & nobilitatem, femora quæ musculosa sunt; viros bellatores, robur militiæ, vrbisq; præsidium; pedes, infimos artifices, atque agricolas, ossa opulentissimos quosque & robustissimos in vnoquoque genere. Ignis significat oppugnationẽ, famem, & pestem: frusta carnium extracta ex lebete, & temere proiecta in omnem ventum, designant ciues qui vel in excursionibus, vel in transfugio misere vexati, excruciati captiuitate oppressi sunt. Deniq; ipsa rubigo, quatenus consumi non potest, est peccatum obstinationis, quod etiam in obsidione perseuerauit in cordibus Iudæorum. Hæc fere Pradus. In eam obstinationem indignatur Dominus, cum ait positam eam ciuitatem super prunas vacuam, vt incalescat, inquit, & liqueliat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius, & consumatur rubigo eius. Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis; sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te, id est effuso furore te perdam.

a c. 24. 3. &c.

## ANNVS MVNDI 3445. QVINTÆ ÆTATIS 506.

FVNDATI TEMPLI 423. SEDECIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 10. SARAIÆ PONTIF. 10. IEREMIAE 39. NABVCHODONOSORIS 17. IMPERII BABYLONIORVM 112. OLYMP. XLII. AN. 4. TARQVINII PRISCI 7. VRBIS COND. 144.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 608.

I. Res à Tarquinio gesta contra Etruscos.



Hoc & sequentibus aliquot annis Tarquinius contra Veios pugnauit, qui ad infestam sibi tunc Etruscorum gentem pertinebant. Nam Dionysius autor est Tarquinium tribus eruptionibus, ita eorum agrum in ipsorum oculis deuastasse, vt toto triennio nihil fructuum suis ex agris, maxima ex parte desertis perciperent. Inde ad Cere olim dum à Pelasgis teneretur Agyllam dictam feliciter pugnasse. Hostem denique Fidenis hærentem oppugnasse,

post illum in acie acriter pugnantem deuictum, oppidum vi cœpisse, præsidiarios, reliquosque Etruscos in vincula cõiecisse, defectionis autoribus partim securi percussis, partim in perpetuum exilium eiectis. Et hæc fere gesta cum Etruscis vsque ad annum, quo victoriam pax & triumphus Tarquinij de Etruscis consecuta sunt; de quibus cum Pighio anno V.C. 150. dicemus. Nunc Hierosolymam modico ex interuallo reuocamur.

a 4. Reg. 25. Ierem. 21 52 35. Ezech 29. b l.10.c.10. TOTVS hic annus Hierosolymis [a] in magnis animorum, & corporum angustiis actus est à Iudæis, non solum foris cum gladiis & telis Chaldæorum, sed intus etiam cum peste & fame confligentibus. Testis est Iosephus.[b] *Anno*, inquit, *nono regni Sedeciæ, decima die mensis decimi, Babylonius Rex iterum exercitum admouit Ierosolymis, & continuata per octodecim menses obsidione, modis omnibus expugnare vrbem conatus est. Præter externam autem oppugnationem duobus grauibus malis intus oppugnabatur ciuitas, fame scilicet, & pestilentia vehementer grassantibus.* Hactenus Ioseph. Quod autem duodeuiginti mensibus durasse ait obsidionem, verum quidem videtur, prima fronte rem intuentibus. Nam à die decima mensis decimi ad finem anni, reliqui sunt duo menses, & 20. dies, quibus addendi sunt 12. menses anni decimi, & tres menses & quinque dies anni vndecimi, qui simul iuncti efficiunt 17. menses & 25. dies. — II. *Hierosolymita obsessi. fame & peste laborant.*

| | |
|---|---|
| 2. | 20. |
| 12 | |
| 3 | 5. |
| 17 | 25 |

VERVM tempus aliter distribuendum est, iuxta ea quæ initio regni Nabuchod. diximus. Nam cum Sedecias totos vndecim annos regnarit, vt sæpe ex 1. Ierem. cap. diximus, illiusque annus vndecimus cadat in 4. mensem anni sacri currentis, & obsidio cœperit mense 10. anni 9. currentis, qui erat quintus mensis anni noni Sedeciæ, & desierit anni eiusdem vndecimo exeunte, sequitur obsidionem durasse an. 2. & menses 6. — III. *Quam diuturna fuerit obsidio.*

| Men. | Dies. |
|---|---|
| 2. | 20. |
| 12 | |
| 12 | |
| 3. 9. Ier 52 | |
| 29. | 29. |

Quod hoc modo fit clarius, tam habita ratione annorum currentium, quam annorum Sedeciæ. Nam à mense decimo, & decimo die anni 9. currentis, vsque ad finem eiusdem anni, reliqui sunt 20. dies, & menses duo, inde sequitur totus annus 10. & 11. & insuper 3. menses, & 9. dies 4. mensis, quibus inchoatur annus 12. currens, & finitur vndecimus Sedeciæ, fiuntque 30. menses præter vnum diem. Eodem modo à sexto mense anni 9. Sedeciæ, quo cœpta est obsidio, ad finem vndecimi anni eiusdem, 30. menses numerantur. Fallitur autem Iosephus, dum tam initium quam finem obsidionis sumit ab anno currenti: & Sedeciæ tres tantum menses anni sui vndecimi tribuit.

IAM vero quod ad calamitates in obsidione toleratas, prædictiones prophetarum de ipsis, instar narrationum accipiendæ sunt. Ieremias ergo c.14. denunciat populo sterilitatem, siccitatem, famem obsidionis tempore futuram, iuxta D. Hierony. Rabani, Lyrani, & aliorum in eum locum interpretationem. *Putandum est*, inquit Hierony. *obsidionis tempore pluuias non fuisse, vt sterilitatem obsessi sustinerent aquæ: vno quippe fonte Siloe, & hoc non perpetuo vtitur ciuitas, & vsque in præsentem diem sterilitas pluuiarum non solum frugum, sed & bibendi inopiam facit.* Sic ipse. Ieremias autem de ea siccitate, hæc inter alia, v. 3. *Maiores miserunt minores suos ad aquam, venerunt ad hauriendum, non inuenerunt aquam, reportauerunt vasa sua vacua: confusi sunt, & afflicti, & operuerunt capita sua, propter terræ vastitatem, quia non venit pluuia in terram.* Nimirum cisternæ exaruerant. — IV. *Mala obsessorum: situ.*

c c.14.v.15. 16.18. ET rursum de fame, & gladio simul.[c] *In gladio, & fame consumentur prophetæ illi. Et populi quibus prophetant erunt proiecti in viis Ierusalem præ fame, & gladio, & non erit qui sepeliat eos: ipsi & vxores eorum, filij & filiæ eorum, & effundam super eos malum suum*, eorum videlicet sceleribus debitum, eisque ex æquo respondens. Et iterum. *Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio. & si introiero in ciuitatem, ecce attenuati fame*, & rursum.[d] *Hæc dicit Dominus super filios, & filias, qui generantur in loco isto, & super matres eorum, quæ genuerunt eos, & super patres eorum, de quorum stirpe sunt nati in terra hac. Mortibus ægrotationum morientur*, id est variis & mortiferis ægrotationibus, ex fame omniumque vitæ commodorum penuria profectis. *Non plangentur, & non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt: & gladio & fame consumentur, & erit cadauer eorum in escam volatilibus cœli, & bestiis terræ*, &c. Pluribus persequitur neglectum rituum funebrium, propter multitudinem funerum; quibus non dissimilia sunt, quæ iussus est facere Ezechiel in funere vxoris suæ, vt in fine anni — V. *Fames & gladius.* *Neglectus funerum.*

d c.16.v.5.

præcedentis dictum est.

VI. *Idem confirmatur ex Ieremia.* HVC quoque pertinent illa verba epistolæ Ieremiæ ad transmigratos. [a] *Hæc dicit Dominus ad regem, qui sedet super solium Dauid,* Sedeciam videlicet, *& ad omnem populum habitatorem vrbis huius,* scribebat Hierosolymis, *ad fratres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem. Ecce mittam in eos gladium, & famem & pestem* Et paulo post [b] persequar eos in gladio & in fame & in pestilentia, & dabo eos in vexationem vniuersis regnis terræ: in maledictionem & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis Gentibus, ad quas ego eieci eos, id est eiecturus sum, vel eiecerim eos.

*Et Ezechiæ* Ezechielis quoque vaticinium instar certissimæ narrationis accipiendum est. Is ergo. [c] *Tertia pars tui,* inquit, *peste morietur, & fame consumetur in medio tui, & tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo,* tertiam vero partem tuam in omnem ventum dispergam, & gladium euaginabo post eos. Et paulo post. [d] *Quando misero sagittas famis pessimas in eos,* sic vocat locustas inquit Pradus, erucas, bruchos, & alia insecta, messium & horreorum exitia, *quæ erunt mortiferæ, & quas mittam vt disperdam vos, & conteram in vobis baculum panis.*

VII. *Afflicti sunt à bestiis.* ET *immittam in vos famem, & bestias pessimas, vsque ad internecionem, & pestilentia, & sanguis transibunt per te, & gladium inducam super te. Ego Dominus locutus sum.* Bestiarum quoque meminit Ierem. [e] *Visitabo super eos 4. species, dicit Dominus, Gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & bestias terræ ad deuorandum, & dissipandum, & dabo eos in feruorem vniuersis regnis terræ,* id est faciam vt trementes, & angustiati, vagentur per vniuersa regna terræ.

*Fugientiũ pauor.* Et rursum de iis qui fuga saluti suæ consuluerint. *Erunt in montibus quasi columbæ conuallium omnes trepidi, vnusquisque in iniquitate sua, Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis.* Hierony. pauoris magnitudine vrina polluet genua, nec valebit profluentes aquas vesica cohibere. Sic ipse. Quod si tanto pauore concutiendi sunt etiam qui elapsi fuerint, quid de inclusis pœnam expectantibus æstimandum est?

VIII. *Et obsessorum, rursumque de' eoris fame.* PERGIT Propheta. *Et accingent se ciliciis, & operiet eos formido, & in omni facie confusio, & in vniuersis capitibus eorum caluitium.* Hæc ad obsessos videntur pertinere, sicut & quæ sequuntur. *Argentum eorum foras proyicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit.* Etsi enim D. Hierony. ita interpretetur, *Fuga & captiuitate cogente, diuitias, & auri argentique pondera proycient in plateis, suas tantum animas seruare cupientes, ne sint ponderi, quæ prius fuere luxuriæ.* Theodoretus tamen, & Polychronius, hæc ad famem obsessorum referunt. *Quam, inquiunt, vtilitatem afferet ipsis aurum & argentum bellante fame, & victus vrgente inopia, propter quam vacui a cibo ventres, & animæ cibos expetunt.* Quam expositionem sequens oratio probabiliorem

*Irrito auro argẽtoque.* reddit subdit enim propheta. *Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos, in die furoris Domini. Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur.* Consentit etiam deinceps huic expositioni Hieronymus ipse. Subdit enim. *Nulli dubium quin obsidionis & famis tempore, aurum argentumque esurientes non liberet, & illisi pretiosissimo metallo dentes instar durissimi lapidis retundantur.* Et iterum. *Præsentibus malis didicimus multos diuites inter sericum gemmas, & auri argentique pondera egestate confectos habuisse exitum mendicantium.* Hæc ergo, & his similia, quæ pluribus non est necesse hoc loco persequi, passi sunt miseri Iudæi in obsidione sua: sed hæc fuerunt tantum initia dolorum. Nam sequenti anno conuersi videbimus his maiora, & miserabiliora.

IX. *Complexio horum malorum.* HACTENVS autem habemus siccitatem, & squalorem terræ, hominum ac iumentorum sitim, cœlo ad pluuiam facto æreo desuper, & terra deorsum ferrea. Iuxta illud Deuteron. 28. 23. Sit cœlum quod super te est æneum, & terra quam calcas ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo descendat super te cinis donec conteraris. Siccitatem secuta est sterilitas, sterilitatem, annonæ caritas, & caritatem fames, quæ cum ex hostium inundatione, tum ex animalculorum populatione maximum incrementum cœpit: habemus pestilentiam & funerum aceruos ad volucrum & ferarum saturitatem. Habemus imbelles, infractosque obsessorum animos: obsidentium feroces atque pugnaces, quorum gladius duplicatur & triplicatur ad cædes, & ad dextram sini-

[a] c. 29. 16.
[b] v. 18.
[c] c. 5. v. 12.
[d] v. 16.
[e] 15. 3.

stramque nullo resistente bacchatur, sed hæc ipsa ex sequentibus illustrabuntur magis.

X. Sedecias consulit Ieremiam.

SEQVITVR ergo vt prophetias hoc anno editas persequamur, & in primis c. 32. Ieremiæ prætert in titulo hunc annum decimum Sedeciæ. Videntur tamen ei anteponenda quæ cap. 21. continentur. In quo Sedecias ab hoste conclusus Hierosolymis, consulit Dominum per Ieremiam prophetam, sicut & præcedente anno in obsidionis initio. Misit ergo ad Ieremiam Rex Sedecias Phassur filium Melchiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, qui & ipse nuper hoc officio missu regis functus fuerat, vt habetur cap. 37. eiusdem. *Interroga*, inquiunt, *pro nobis Dominum, quia Nabuchod. Rex Babylonis præliatur aduersum nos, si forte faciat Dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, & recedat à nobis.* His verbis videtur Sedecias non tam consulere Dominum de futuris, quam orare pro auxilio & liberatione obtinenda.

XI. Responsio Ieremiæ nuncia malorum in regem.

IEREMIAS tamen nulla precum mentione facta, planissime tristem rerum euentum nunciat. *Sic dicetis*, inquit, *Sedeciæ, hæc dicit Dominus Deus Israel. Ecce ego conuertam vasa belli, quæ in manibus vestris sunt, & quibus vos pugnatis aduersum regem Babylonis & Chaldæos, qui obsident vos in circuitu murorum.* Et congregabo ea in medio ciuitatis huius. Et debellabo ego vos in manu extenta & in brachio forti, & in furore, & in indignatione, *& in ira grandi.* Itaque non pugnabunt Chaldæi contra vos sed ego ipse gladiis eorum vtar in pestem vestram atque perniciem. Et percutiam habitatores ciuitatis huius; homines & bestiæ pestilentia magna morientur. Et post hæc ait Dominus, dabo Sedeciam regem Iuda, & seruos eius, & populum eius. Et qui derelicti sunt in ciuitate hac à peste & gladio & fame, in manu Nabuchodonosoris regis Babylonis, &c. & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur, neque parcet, nec miserebitur.

XII. Et populo deditionem suadet.

ET *ad populum hunc dices. Hæc dicit Dominus, Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Qui habitauerit in vrbe hac morietur gladio, & fame, & peste: qui autem egressus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos qui obsident vos, viuet & erit ei anima sua quasi spolium. Posui enim faciem meam super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum ait Dominus; in manu regis Babylonis dabitur, & exuret eam igni.* Magno plane animo Ieremiam esse oportuit, qui tam tristi denunciatione afflictis afflictionem augeat; sed apud ipsum etiam regem, deditionem vniuerso populo suadeat, salute proposita; defensionem ciuitatis dissuadeat, sub pestilentiæ, famis, gladiique interminatione; licet satis meminisset se anno præterito, ab suspicionem perfugij, in teterrimum carcerem coniectum fuisse: indéque ægre ereptum, nunc quoque in atrio carceris detineri. Ideoque etiam, vt patebit ex sequentibus, rursum ob huiusmodi orationem, ab inimicis in altissimam foueam deuolutus est.

XIII. Retinetur in carcere.

SED nec ipse rex in bonam partem hoc vaticinium accepit. Nam qui sibi demereri obsequio prophetam debuerat, ipsumque libertate donare, vt eo beneficio affectus, pro Republ. intentius oraret Dominum, eum in carcere detinuit: sic enim intelligendum est init. c. 32. huius prophetæ. *Tunc*, inquit, *exercitus regis Babylonis obsidebat Hierusalem, & Ieremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda*, ex quo scilicet eductus fuerat è profundo lacu. Vnde quod sequitur. *Clauserat enim eum Sedecias Rex Iuda, dicens, Quare vaticinaris*, &c. Idem est ac si diceret, tenebat eum clausum in atrio carceris: non enim cõiectus fuerat pro pter hoc vaticinium, sed propter accusationem perfugij. Nunc ergo cum dicitur clausus in carcere propter hoc vaticinium, intelligendum est confirmatam hac occasione fuisse eius custodiam.

XIV. Sedeciæ in Ieremiam querela.

HOC autem vaticinium refertur cum querela Sedeciæ. *Quare*, inquit, *vaticinaris dicens, hæc dicit Dominus. Ecce ego dabo ciuitatem istam in manus regis Babylonis, & capiet eam. Et Sedecias non effugiet de manu Chaldæorum, sed tradetur in manus regis Babylonis; & loquetur os eius cum ore illius, & oculi illius oculos eius videbunt. Et in Babylonem ducet Sedeciam, & ibi erit donec visitem eum, ait Dominus.* Videtur Sedecias hæc postrema verba adiecisse de suo. Non enim dixerat Dominus eum Babylone visitatum iri, id est libertate, aut consolatione aliqua afficiendum, sed ibi moriturum, vt patet ex c. 34. v. 3. ad quem locum, hoc cap. 32. perspicue alluditur.

Hæc porro quæ hoc c. 32. initio continentur, de causa detenti in carcere Iere-

miç obiter præmissa sunt. & quasi parenthesi inclusa, ad notandum tempus quo sequens iussio facta Ieremiæ contigit. In qua tamen parenthesi non dissimulandum est dubium, quod nobis ex Chronologia ingeritur. Sic enim habet.

XV. *Annorum Sedeciæ, & Nabuchod. concursus.* VERBVM *quod factum est ad Ieremiam à Domino, in anno decimo Sedeciæ regis Iuda, ipse est annus decimus octauus regis Nabuchodonosor.* At nos in huius anni titulo habemus decimum septimum respondentem decimo Sedeciæ. Respondeo cum Torniello. [a] Hæc contigisse sub finem anni decimi Sedeciæ, cuius aliquot postremi dies concurrebant, cum prioribus anni decimi octaui regni Nabuchodonosoris. Nam regni Sedeciæ annus primus cœpit anno octauo regni Nabuchod. per aliquot dies inchoato, & illius 2 & 3. huius nono & decimo inchoatis, & 10 Sedeciæ consequenter incepto decimo septimo Chaldæi. Ex quo consequens est vt anni Nabuchod. finiantur per aliquot dies, ante quam anni Sedeciæ. Ideoque vere dictum est hoc c 32. annum decimum Sedeciæ respondere decimo octauo Nabuchodonosoris, quia iam inchoatus erat 18. Nabuchod. cum nondum plane effluxisset Sedeciæ decimus. Et tamen recte coniungimus annum Sedeciæ decimum cum 17. Nabuch. quia totis propemodum duodecim mensibus concurrerunt.

[a] Anno 5. ætatis 423. n. 8.

XVI. *Ieremias Dei iussu agrũ emit.* QVOD ad iussionem vero Domini prophetæ factam, cuius causa ista init. c. 32. notata sunt, hoc breuiter dicere sufficit, iussisse Dominum vt Ieremias prædium emeret Hanameelis patruelis sui, filij Sellum patrui sui, quod erat in Anathoth, iure propinquitatis, idque factum à propheta, intelligente eam esse Domini voluntatem. *Et emi,* inquit, *agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui est in Anathoth, & appendi ei argentum 7. stateres, & decem argenteos,* id est decem & septem argenteos stateres, siue siclos, vt ibid. explicat Hierony. Cum ergo siclus sit dimidium vnciæ, & vncia sit 55. assium, siue solidorum nostratium, fit vt 17. sicli valeant, viginti tribus Francis, septem solidis cum dimidio. [b] Exiguum fuisse prædium oportet: agri enim Leuitarum in suburbiis modici erant, quamquam & possessiones viles efficiebat status rerum perturbatissimus, imminensque captiuitas.

[b] 23. lin. 7. s. ½

XVII. *Cui vsui, aut fini?* QVOD ipsum rapuit in admirationem Ieremiam cogitantem. Quid sibi vellet Dominus cum iuberet prophetam eum agrum emere, omni ritu emptionũ diligentissime seruato; & tamen aliunde eidem præciperet omnibus denunciare iamiamque imminere Reip. desolationem, vastitatem, & omnium, qui fami, pesti, & gladio superessent, transmigrationem. *In spem restaurationis.* Intellexit autem Dominum hoc facto adducere velle populum in spem reuersionis è captiuitate Babylonica, cum iterum agros possessuri erant, & in patria sua iterum pacifice victuri. Ea tamen occasione delabitur Dominus ad spirituales Israëlitas, de quibus subdit v. 38. *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersi diebus, & bene sit eis, & filiis eorum post eos.*

XVIII. *Quam diligentius cõfirmat.* CAP. quoque 3. & 38. ad hunc annum pertinent, sed prius 33. quoniam eius capitis prophetia contigit cum Ieremias esset adhuc in atrio carceris: at capite 38. inde tollitur, vt in profundam foueam mittatur. Quod autem dicitur factus sermo Domini ad Ieremiam secundò, cum adhuc esset clausus in atrio carceris, respicit prophetiam c. 21. datam Sedeciæ, Dominum per Ieremiam consulenti. Recta porro est, & idonea 32. capitis cum 33. connexio. Cum enim, vt notauit à Castro, factis, id est solenni illa prædij acquisitione, apertisque etiam verbis, [c] spem populo Iudaico de restauratione dedisset, post decursam hanc, quæ erat in ianuis, ciuitatis, & templi, totiusque regni desolationem. Nunc illam ipsam spem & consolationem inde exurgentem plenius confirmat, data fide de populo primum in Iudæam reducendo; quo illa pertinent v. 10. *Hæc dicit Dominus. Adhuc audietur in loco isto, (quem vos dicitis esse desertum, eo quod non sit homo nec iumentum, in ciuitatibus Iuda, & foris Ierusalem, quæ desolatæ sunt absque homine, & absque habitatore, & absque pecore,) vox gaudij & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ, vox dicentium confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia eius.*

[c] c. 32. v. 44.

XIX. *Et spem Christi venturi.* QVA occasione Propheta certissimam etiam spem affert de Christo venturo ex semine Dauid, per quem salus mundo superuentura sit. [d] *Ecce dies veniunt dicit*

[d] v. 14.

*Dominus, & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel, & ad domum Iuda.* Vtraque enim in Christi regno in vnum coalescent. *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen iustitiæ, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus, iustus noster.* Nec Christum duntaxat promittit; sed eius etiam Apostolos & discipulos, Leuitarum ac sacerdotum nomine; sese ad captum præsentis populi accommodando, sicut & in sacrificiorum mentione: licet hæc omnia in melius essent commutanda. *Et de sacerdotibus, & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus.*

Cvm autem dicat omnibus diebus hæc perseueratura: imo addat, *si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non sit dies & nox in tempore suo, & pactum meum irritum esse poterit cum David seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ & sacerdotes ministri mei.* Si ergo hæc tam diuturna esse debent, quam dies & nox, & omnium seculorum decursus, vsque ad mundi finem: apparet hæc non ad carnalia Iudæorum sacrificia, & regnum Dauidis temporale pertinere, quæ à tam multis iam seculis funditùs interiere, sine vlla spe restaurationis, sed ad spirituale regnum Christi in Ecclesia: in qua diuina sacramenta, & diuinissimum sacrificium perseuerabunt vsque ad consummationem seculi. Alioqui quomodo verbum Domini manet in æternum? XX. *Quod ex ipsa duratione demõstratur.*


Idem confirmat multitudo infinita seminis Dauid, id est Christianorum, qui à Christo Domino, per fidem & sacramenta, spiritualiter propagati sunt; cum Iudæi deinceps semper pauci, & quidem viles & contempti, & infidelibus subditi fuerint. *Sicuti enumerari non possunt*, inquit, *stellæ cæli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas ministros meos.* Nam pro vno Leuita, aut sacerdote Iudaico, facile 50. millia ministrorum Christi reperiuntur, & pro vno viro Iudaicæ fœcis, mille millia Christianorum. XXI. *Et promissa, exhibitaque multitudine.*

Hæc sunt grandia illa, de quibus præfatur Dominus init. cap. dicens, *hæc dicit Dominus, qui facturus est, & formaturus illud*, quod scilicet proximo cap. dictum est, de restauranda post captiuitatem, Iudæorum Rep. & feriendo pacto sempiterno cum spiritualibus Israëlitis, quibus cor vnum, & viam vnam, per vnum Spiritum sanctum daturus erat.

Vatabl. cap. [illegible] 3. Clama, inquit Dominus ad Ieremiam, *ad me, & exaudiam te*, qui scilicet dudum negauerat se eum exauditurum, pro non adducendis Babyloniis ad ruinam Iudaicæ gentis, & prohibuerat ne frustra Deum super ea re exorare conaretur; nunc vltro se exauditurum ait, & ad orandum inuitat. *Clama ad me, & exaudiam te, & annunciabo tibi grandia, & firma quæ nescis.* Grandia sunt, quæ ad vniuersum terrarum orbem pertinent grandia, quæ Deum opt. max. in sua ipsius natura, ac persona contingunt; grandia quæ ad salutem, & fœlicitatem electorum spectant sempiternam; firma sunt & stabilia ipso Dei iureiurando firmata; firma sunt, quæ ex diuino ipso decreto pendent, & non ex hominum mutabili voluntate; firma sunt, quoniam euangelicæ legi, quæ ad summam perfectiorum ducit, nulla alia successura est à qua perficiatur, sed cum seculi consummatione, æternum & immortale regnum in cœlis. XXII. *[illegible] modo loquendi Domini.*

Ad hunc ipsum annum decimum pertinet Ezechielis vaticinium cap. 29. vbi contra Pharaonẽ qui Israëlitas spe auxilij frustratos, Chaldæis præbuerat deuorandos, magna clade ab eisdem afficiendum prædicit, atque adeo regnum eius ad annos 40. subuertendum. *Factum est* autem hoc *verbum Domini* ad Ezechielem *anno decimo* Sedeciæ & transmigrationis, *decimo mense, vndecima die mensis, dicens: fili hominis pone faciem tuam contra Pharaonem regem Aegypti, & prophetabis de eo, & de Aegypto vniuersa.* Loquere & dices. Hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ad te Pharao rex Ægypti Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum; & quæ sequuntur, magno verborum apparatu atque emphasi, exponens tragice supplicium ipsum Ægyptiorum, causámque supplicij, *pro eo quod fuisti*, inquit, *baculus arundineus domui Israel.* Quando apprehenderunt te manu, confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum, &c. quæ rursum mox sine vllis metaphoris fusius explicat, quoniam hanc sentiebat esse Iudæis consolationem, cum viderent Dominum iudicia exercentem in aduersarios suos. De supplicij autem XXIII. *Ezechielis vaticiniũ huius temporis contra Ægyptios.*

diuturnitate subdit v. 12. Daboque terram Ægypti desertam in medio terrarum desertarum, & ciuitates eius in medio vrbium subuersarum, & erunt desolatæ 40. annis, & dispergam Ægyptios in nationes, & ventilabo eos in terras, &c.



## ANNVS MVNDI 3446. QVINTÆ ÆTATIS 507. TEMPLI 424. SEDECIÆ II. ET VLT. TRANSMIGRATIONIS II. SARAIÆ PONT. II. ET VL. IEREM. 40. NABVCHODONOSORIS 18. IMPERII BABYLONIORVM 113. OLYMP. XLIII. AN. I. TARQVINII PRISCI 8. VRBIS COND. 145.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 607.

I. *Olympias 43. Pittacus.*



LYMPIAS quadragesima tertia victorem habuit in Olympico stadio Cleonem Epidaurium. Ad eam Olympionicarum Catalogus refert singulare certamen Pittaci Mitylenæi contra Phrynonem ducem Atheniensium, quem rete, quod clypeo occultabat, implicatum, interfecit, vt refert Laërtius, meminit Eusebius in Chronico, eamque victoriam ad hãc ipsam Olympiadem refert; meminit & Strabo libro 13. & Plutarchus libello de Herodoti malignitate: attigimus supra Olympiade trigesima secunda, qua natus perhibetur; erat ergo hoc tempore quadragenarius. Hæc pauca de Græcis; pauciora de Romanis, quod ea per annos singulos hoc tempore distingui non possint. Plura suggeret sacra historia.

II. *Res anni huius.*

HABET enim hic annus luctuosissimum Iudaicæ reip. occasum, [a] eam quotidie fame, peste, ac bello ad interitum perurgentibus: dum Sedecias Nabuchodonosori, Ieremiæ, ac Deo ipsi inconsulta temeritate, ac fatali obstinatione resistit. Nam quæ de tribus illis Dei flagellis Ierosolymam immissis anno superiore dicta sunt, tanto incremento amplificata sunt hoc anno, vt tragœdiam omnem superare videantur. Id facile ex aliquot Ieremiæ, & Ezechielis prædictionibus intelligetur, quas cum in rem ipsam deductas necessario fatendum sit, tanquam rerum gestarum narrationes accipiendæ erunt. Quamquam etiam loca è lamentationibus petita germanas narrationes continent, licet poëtica potius forma, quam historica describantur.

III. *Prævalet fames in ciuitate.*

FACTAM igitur hoc anno famem intolerabilem docet primum ipsum obsidionis tempus, vt quæ decimum nonum iam mensem perseuerabat; docet antegressa sterilitas, & sitis, docent innumerabilia insectorum examina, segetem in herba, herbamque ipsam præpropere demetentia, atque insaturabili fame deuorantia. Docent denique illa verba scripturæ. [b] *Præualuitque fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ*, quasi dicat: multis modis contra famẽ certatum est, multa præter morem, & consuetudinem omnem, præter decorum, & vtilitatem in cibum versa sunt, vt quoquo modo intolerabilis euinceretur fames; præualuit ipsa nihilominus, vsque adeo, vt non paucis aliquibus tenuioribus, sed vniuerso populo terræ nihil superesset ad cibum. Panis enim nomine cibum omnem scripturæ more intelligendum esse nemo dubitat, præsertim cum Ieremias de hac ipsa fame dicat. [c] *Mense autem 4. nona mensis obtinuit fames ciuitatem, & non erant alimenta populo terræ.* Abdemelech quoque Æthiops dum hoc anno, vt postea dicemus, regem Sedeciam pro Ieremia, è cænoso puteo extrahendo oraret, cum dixit fame moriturum, *quod non essent vltra panes in ciuitate.* Quod si Ieremias quoque omnibus bonis carissimus, omnibus ciuibus notissimus, de omnibus tot annis prædicando consumptis benemeritus (erat enim hic annus prophetiæ eius 40.) de vita propter famem periclitabatur, facilis est de reliquo populo coniectura.

[a] 4. Reg. c. 24. ad 25. 7. & v. 25. &c. 2 Par 36. 17. Ierem. 38. 39. 52. Thren. Ezech. 26. 11.

[b] 4. Reg. 25. 3.

[c] c. 52. 6.

IV. Quod ostenditur ex Ieremia lamentis.

Sed mittamus coniecturas, testem audiemus omni exceptione maiorem, qui narret quæ, -- *ipse miserrima vidit, & quorum pars magna fuit.*

a Thren. 1. 11. [a] *Omnis populus eius gemens, & quærens panē, dederunt pretiosa quæmq. pro cibo ad refocillandā* vel retinendam *animam.*

b Thr. 2. 11. [b] *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meum super contritione filiæ populi mei, cum deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi,* vtiq; fame deficeret, nam sequitur. *Matribus suis dixerunt, vbi est triticum & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* (Fames paruulorum.)

c v. 19. Et rursus. [c] *Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, qui defecerunt in fame, in capite omnium compitorum.*

d Thr. 4. 4. [d] *Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti, paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

V. Diuitū ac nobilium.

Qui *vescebantur voluptuose interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora,* & paulo post. *Candidiores Nazaræi eius vino, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores,* vel vt alij vertunt qui rubebant specie præ margaritis, politi erāt ac si essent excisi ex saphiro. Nihilominus *denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus, &c.*

Excurrisse etiam foras rabida fame stimulante, omni metu & periculo ab hostibus superato, significat cap. 5. cum ait. *In animabus nostris afferebamus panem nobis à facie gladij in deserto. Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* (Fames ex trudebat foras.)

VI. Et ad humanas carnes compulit, ex Ieremia.

Sed quid moramur, lector, quid verecundamur supremum huius tempestatis impetum, actúmq; istius tragœdiæ luctuosissimū referre? Referat Dominus futurum, quod nos fateri necesse est fuisse factum.

e Iere. 19. 9. [e] *Et cibabo eos carnibus filiorum suorum, & carnibus filiarum suarum, & vnusquisq; carnem amici sui comedet in obsidione; & in angustia, in qua concludent eos inimici eorum, & qui quærunt animas eorum.* Vbi D. Hieron. Quamquā hæc & in Babylonia captiuitate accidisse populo nouerimus, tamen plenius referuntur ad tempora Saluatoris, quando obsessi sunt à Vesp. & Tito, & ciuitas eorū Hadriani tēporib. in æternos cineres collapsa est, vt qui obtulerant filios suos idolis, ipsi eos postea famis necessitate compulsi, in ciborū vsum verterent, carnesque omnium darentur volatilibus cœli & bestiis terræ, vt qui Dei muneribus abusi fuerant ad impietatem, & propria viscera idolis immolarant,

f Ezech. 5. 9 ventres suos sepulchra facerent liberorum. [f]

VII. Et Ezechiele.

Faciam *in te,* ait Dominus per Ezechielem, *quod non feci, & quibus similia vltra non faciam, propter omnes abominaciones tuas,* nimirum inter populos infideliū, quos ibidem cōqueritur Dominus à Iudæis impietate superatos. Nā & antea in obsidione Samariæ, & postea sub Tito & Vesp. Iudæi ad vorandas suorum carnes compulsi sunt. Pergit. *Ideo patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos, & faciam in te iudicia, & ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum.* Vbi Theod. hoc accidit in obsidione Babyloniorum, & Romanorum, incredibili vi famis ad hoc nefarium facinus, & impium impellēte. Sed prodeat ipse Ieremias amaro animo suspirans & eiulans, & quo modo poterit infusus lachrymis rem non futurā, sed

g Thr. 4 10 iam perpetratam lamentans dicat. *Manus mulierum misericordium coxerūt filios suos.* [g] *Facti sunt cibus earum, in contritione filiæ populi mei.* Si misericordes coxerūt filios suos, quid fecerunt crudeles? an etiā viuos palpitantes adhuc, & fluentes tetro cruore

h v. 3. artus, ipsis feris immaniores rabidæ & furiosæ deuorarunt? Nā sequitur. [h] *Lamiæ,* siue dracones, & quæcunq; immanes feræ, *nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto,* qui pullorum suorum curam negligit, imo longe crudelior, quæ etiam deuorat, illi non dissimilis, de quo scriptum legimus. *Vidi egomet duo de numero cum corpora nostro, Prensa manu magna medio resupinus in antro, Frangeret ad saxum, sanieque aspersa natarent, Limina: vidi atro cum membra fluentia tabo, Manderat, & tepidi tremerent sub dentibus artus.*

VIII. Et rursum ex Ieremia.

i Thr. 2. 20. Ergo stupore attonitus propheta ita cum Deo lamentatur. [i] *Vide Domine, & considera, quem vindemiaueris ita. Ergo ne comedent mulieres fructum suum paruulos ad mensuram palmæ?* id est nondum plane formatos in vulua, sed per aborsum effusos. Vt

k Deuter. 28 56. impleretur illa maledictio. [k] *Inuidebit viro suo, qui cubat in sinu eius, super filij & filiæ carnibus & illuuie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum eius, & super liberis, qui eadem hora nati sunt, comedent enim eos clam, propter rerum omnium penuriam in obsidione, & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus.*

l c. 2. 2. Hæc impleta nunc fuisse Hierosolymis testatur Baruch. [l] *Vt adduceret Dominus,* (Et Baruch.)

inquit, *super nos mala magna, quæ nõ sunt facta sub cœlo, quemadmodũ facta sunt in Ierusalẽ; secundum quæ scripta sunt in lege Moysi, vt manducaret homo carnes filij sui, & carnes filiæ suæ.*

IX. *Pestilentia effusius grassatur.* PESTILENTIA quoque hoc tempore effusius grassabatur; præsertim sub obsidionis finem, quæ in mensem quartum anni currentis incidit, id est mensem Iunium, quãdo in ea regione valde æstuosi sunt iam dies. Cum enim fœdis mortalium cadaueribus domus, & vici, & plateæ redundarent, quos pestis, & fames, & tela hostium prostrauerant, nec essent qui sepelirent, pestis in dies corrupto inualescebat aëre. Sed minus erat luctuosum suppliciũ eorum, qui ferro aut peste cito interibant, & malo prius propemodum opprimebantur, quam illud formidarent, quam eorum qui fame extabescebant, qui centies imminentem mortem exhorruerant, aut tardantem implorarant, centies denique ab ea lancinati tandem extinguebantur, vt propterea dixerit Ierem. [a] *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt, consumpti à sterilitate terræ*, & v. 6. *Maior facta est iniquitas*, id est pœna iniquitatis, *filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento*, nec longa videlicet obsidione consumpta est. *Sed mitius quam fames.* a Thr. 4. 9.

X. *Denique hostilis gladius in irruptione* HOSTILIS denique gladij furor maxime bacchatus est in irruptione hostilis exercitus in vrbem: ad quam omnino pertinent horrisonæ illæ Sophoniæ voces. [b] *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est & velox nimis, vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris, super ciuitates munitas, & super angulos excelsos. Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum, sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.* Sed prius quæ illam catastrophem antecesserunt exponenda sunt. b c. 1. 14.

XI. *Ieremias in puteum cœnosum demergitur. Accusatus à principibus.* CONTIGIT hoc anno, vt paulo post intelligetur, vt sanctus propheta crudeliter ab impiis in profundum, & cœnosum puteũ demergeretur. Nam responsum nuper à Ieremia, consulenti regi datum, quod c. 21. continetur, vel ab internunciis, vel à Rege ipso dissipatum est: aut etiam ab ipso Ieremia crebrius pluribus inculcatum, dum esset in atrio carceris, & à populo, qui eum iampridem prophetam agnoscebat, visitaretur, vt ex init. c 38. satis patet. Indignati primarij aliquot viri, qui ibid. nominantur, regem adierunt. Is tum sedebat *ad portam Beniamin*, [c] superiorem scilicet, quæ domo, & palatio vicina erat, iuxta ea quæ supra dixi. *Rogamus*, inquiunt, *vt occidatur homo iste: de industria enim dissoluit manus virorum bellantium, qui remanserunt in ciuitate hac, & manus vniuersi populi, loquens ad eos iuxta verba hæc*, quæ scilicet paulo ante relata sunt. *Quicunque manserit in ciuitate hac morietur gladio, & fame, & peste: qui autem profugerit ad Chaldæos, viuet, & erit anima eius sospes, & viuens.* Et, *Tradendo tradetur*, id est sine vlla dubitatione tradetur, *ciuitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, & capiet eam*. Propter hæc ergo, & his similia verba, dicebant isti Regi. *Homo iste non quærit pacem populo huic, sed malum.* c Vt dicitur v. 7.

XII. *Quibus rex acquiescit.* ET *dixit Rex Sedecias: Ecce ipse in manibus vestris est: neque enim fas est Regem vobis quicquam negare*. Non quidem si impius sit, & omnis ęquitatis iurisque violator, & tyrannum potius quam regem agat, sed verum Regem, & summum populi iudicem fas est, imo necesse est iuste iudicare, & non in manus impiorum, & profanorum hominum innocentes dedere. Itaque hoc quoque peccatum addidit rex prioribus sceleribus suis, etsi ea in re non tam malitia, quam timiditate peccarit, quod Ioseph. quoq. sensit. *Rex*, inquit ille. [d] *Suopte quidẽ ingenio nõ exacerbabatur: sed ne in principũ inuidiam tali tempore incurreret, voluntati eorum resistẽs, permisit eis vt de propheta quidquid liberet facerent*, vt prorex Pilatus Christũ tradidit voluntati Iudęorũ. d L. 10. c. 10.

XIII. *Ab iis demittitur in lacum.* TVLERVNT *ergo Ieremiam, & proiecerunt eum in lacum Melchiæ filij Amelech, qui erat in vestibulo carceris*. suasit vicinitas loci vt illuc Ieremias demitteretur, non ad custodiam, & prohibendum cum hominibus colloquium, sed ad supplicium, mortémque citissimam. *Submiserunt ergo Ieremiam funibus in lacum*: ex quo intelligitur profunditas, & ex profunditate tenebræ, frigus, stridor dentium. Hunc enim lacum intelligi putat Sanctius in Euangelio nomine tenebrarum exteriorum, in quas sontes dicuntur coniiciendi, ibiq; [e] fletu, & dentium stridore affligendi, lacum inquam siue cisternam veterem & dissipatam, siue puteum, *in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaque Ieremias in cœnum*. Rem ita explicat Iosephus l. c. *Quo impetrato, confestim carcerem petentes exemptum inde in quendam cœnosum puteũ per funem* e Matth. 8. 12. & ca 22. 13.

*demiserunt, vt ibi præfocatus moreretur: Ille vero vsque ad collum mersus ibi manebat.* Sed redeamus ad Ieremiam, ex quo in nonnullis corrigendus erit Iosephus.

XIV. *Satagit pro eo liberando Abdemelech.*

Avdivit autẽ *Abdemelech Æthiops vir Eunuchus*, id est de primariis seruis, siue aulicis & cubiculariis regis, quod ex familiari ad regem colloquio, & accusatione prædictorum principum nõ obscure colligitur. Hic ergo cum esset *in domo regis*, forte etiam audisset strepitum, & clamorem demittentium per funem prophetã in puteum, quod carcer domo regis esset contiguus: venit ad regem, qui tum forte, *sedebat ad portam Beniamin, & locutus est ad eum dicens; Domine mi rex male fecerunt viri isti omnia, quæcunque perpetrarunt contra Ieremiam prophetam, mittentes eum in lacum, vt moriatur ibi fame: non sunt enim panes vltra in ciuitate.* Quasi dicat, quid opus fuit eum in cœnosum puteum coniicere, vt ibi moriatur; cum alioqui cito fame moriturus sit? cum non sint vltra panes in ciuitate, sicque, seclusa hac in sanctum virum crudelitate, voluntati virorum istorum, qui eum mortuum volunt, fiet satis. Id confirmatur ex verbis regis, qui mox præcipiens inde prophetam extrahi, non dicit ne moriatur ibi fame, sed tantum, antequam moriatur. Ex hoc autem loco intelligitur hæc vltimo Sedeciæ anno contigisse. Quamuis enim dici possit, hæc quæ de panum defectu dicuntur, per quandam amplificationem esse dicta ab Æthiope, vt facilius regem ad misericordiam erga Ieremiam flecteret, necesse tamen est dicere, cum hæc contigerunt, famem iam vehementissime vrsisse, vt sine improbabili mendacio dici posset, non esse vltra panes in ciuitate.

*Quando hæc contigerint.*

XV. *Iubet rex Ieremiam extrahi.*

Præcepit *itaque Rex Abdemelech Æthiopi dicens; tolle tecum hinc triginta viros, & leua Ieremiam prophetam de lacu, antequam moriatur.* Non erant tam multi necessarij ad extrahendum Ieremiam, sed ad arcendam illorum vim, si forte impedire vellent ne extraheretur. Vides regem non fuisse pessimũ, nisi ab aulicis deprauatus esset.

XVI. *Abstrahitur ab Abdemelech.*

Assvmptis ergo Abdemelech secum viris, *ingressus est domum regis, quæ erat sub cellario, & tulit inde veteres pannos, & antiqua quæ computruerant*, vestimenta scilicet, quæ illuc à seruili turba proiici solebant; & submisit ea ad Ieremiam in lacũ per funiculos. Dixitque Abdemelech Æthiops ad Ieremiam. *Pone veteres pannos, & hæc scissa, & putrida sub cubitu*, siue vt est in Hebræo, sub axillis quæ prope cubitum brachiorum tuorum, *& super funes*, ne scilicet ab eorum asperitate læderetur. Ex quo recte colligunt Sanctius, & à Castro prophetam nudum, aut seminudum in lutulentam foueam fuisse demersum, quod alioqui vestes, sine illis detritis pannis, sufficiebant ne à funibus læderetur. De hac porro fouea mentio est apud Niceph. [a] vbi Helena dicitur mirifica opera construxisse. [b] Vide porro in crudelitate domesticorum, humanitatem hominis alienigenæ, quam mox Dominus remuneratus est.

a l. 8. c. 30.
b Vide Adrich. in topogr. Hierusal. nu. 224.

XVII. *Et restituitur vestibulo carceris.*

Et *extraxerunt Ieremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu: mansit autem Ieremias in vestibulo carceris*, in quo scilicet iamdiu fuerat, antequam demitteretur in puteum. Ex quo corrigendus est Iosephus, qui nimium misericors extractum cœno permisit abire liberum; sed hæc interpretis fortasse culpa est, nam Iosephus, ἀφῆκεν ἀπολύσας, volens tantum solutum vinculis, non è carcere plane dimissum. Dimissum tamen reuera significat infra, dum ait, dixisse Ieremiam illis principibus, petiisse ipsum à rege, ne posthac amplius haberetur in vinculis, & custodia, μὴ ἐν δεσμῷ τηρεῖσθαι ἐν φυλακῇ, cum scriptura dicat petiisse ne reduceretur in carcerem Ionathan; & mansisse in vestibulo carceris, vsque ad diem, quo capta est Hierusalem.

*Contra Iosephum.*

Illud etiam improbandum, quod ponit Ieremiam non aliam ob causam detentum in vinculis, quam ad supplicium mortis expectãdum. Ait enim conquestum Æthiopem apud regem, *quod vatem in cœnum demerserint, & grauiorem, quam quæ in vinculis erat expectanda, mortem homini excogitauerint.* At ex Scriptura non habet Iosephus Ieremiæ mortem in vinculis destinatam fuisse.

XVIII. *Dominus remuneratur Æthiopem.*

Hoc ipso tempore factus est sermo Domini ad Ieremiam, quo demonstrauit Dominus, quam sibi grata esset misericordia huius Æthiopis erga prophetam suum. Nam, [c] qui fecit misericordiam, misericordiam & ipse apud Chaldæos cõsecutus est, aut potius effugit eorum manus, Domino eum protegente, vt Scriptura significat. *Vade*, inquit Dominus, id est age, agedum, detinebatur enim in carcere, quamuis sine vinculis, *& dic Abdemelech Æthiopi*, cum scilicet inuiserit te, pro humanitate erga te sua. *Ecce ego inducam sermones meos super ciuitatem hanc in ma-*

c Vt cõstat ex c. 39. 15.

*lum, & non in bonum, & erunt in conspectu tuo, in die illa. Et liberabo te in die illa, ait Dominus & non traderis in manus virorum, quos tu formidas. Sed eruens liberabo te, & gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.* Quo autem id modo contigerit, non inuenio distinctius explicatum.

XIX. Sedecias interrogat Ieremiam. SVB hæc dum esset rex ad portam Beniamin, id enim significat tertij ostij mentio, quæ sequitur, *& tulit*, id est vocauit, *ad se Ieremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini.* Nam, vt supra diximus, per superiorem portam Beniamin à templo in montem Sion, indéque ad palatium, & vice versa adibatur. *Et dixit Rex ad Ieremiam. Interogo ego te sermonem*, quem scilicet de me, & de ciuitate diuinitus accepisti: *ne abscondas à me aliquid.* Quo autem consilio hæc quæsierit Sedecias non apparet: illud certe constat, quamuis forte acquieuerit in animo suo prophetæ consilio, pudore tamen vel metu prohibitum, illud minime executum esse. Ieremiæ porro hæc fuit responsio. *Si annunciauero tibi, nunquid non interficies me? & si consilium dedero tibi, non me audies.* Qui cunctatur respondere. Præmunit vaticinium suum, quod molestum fore intelligebat, ne forte iratus eum male acciperet; simul etiam vt sciendi desiderium acueret si forte consilium amplecteretur.

XX. Et iureiurando regis firmatus respondet. Et suadet deditionẽ. IVRAVIT ergo *Rex Sedecias Ieremiæ clam dicens: Viuit Dominus qui fecit nobis animam hanc, si occidero te, & si tradidero te, in manus virorum istorum, qui quærunt animam tuam:* perinde enim erat, si rex prophetam occideret ipse per sese, siue per alium. *Et dixit Ieremias ad Sedeciam. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Si profectus exieris ad principes regis Babylonis.* Eadem paulo post phrasis vsurpatur, vt non regis, sed principum Chaldæorum fiat mentio. Significatur enim abfuisse hoc tempore regem ipsum: Tyrum forte, quam duodecimum iam annum obsidebat, aut etiam Babylonem excurrerat, dum protrahitur obsidio. Si ergo exieris, inquit, ad principes regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non succendetur igni; & saluus eris tu, & domus tua. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni, & tu non effugies de manu eorum.

XXI. Rex timet illudi. NON liberabat his verbis propheta Sedeciam regem metu confusionis, & pudoris, quæ solent principib. viris esse acerbissima: quippe quibus honor & gloria instar est bonorum omnium, pudor autẽ & dedecus instar omniũ cruciatuum. Hic erat olim Saulis metus in montibus Gelboë, qui miserum ad voluntarium adegit interitum. Ideoque *dixit Rex Sedecias ad Ieremiam. Solicitus sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi.* Multi ergo iam transfugerãt, siue proprio metu incitati, siue Ieremię verbis adducti, siue ex priuata quadam in regem offensione: non enim alioqui apparet cur ab illis timeret illudi. Principis enim calamitas subditorum commiserationem potius meretur, & obtinet, quam irrisionem. Hic nutantem iam regem propheta hoc metu soluere conatur, & ad deditionem, quã Dominus ab eo exigebat, impellere.

XXII. Quem Ieremias confirmat. RESPONDIT ergo *Ieremias, non te tradent, audi quæso vocem Domini, quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & viuet anima tua.* Quoniam vero animaduertit pudoris metũ eius animum labefactare; pro confusione, quam frustra formidat à viris, multo maiorem à mulieribus, & quidem domesticis, & calamitatem suam ex probrantibus ait subiturum. Earum enim irrisio multo acutiorẽ infigit aculeum, in animo nobili, ac generoso: quem etiam sensit S. Dauid, Michole saltationem illudente. Quod vtique videtur contigisse, quando excæcatus ductus est cum eis in triumphum Babylonicum. *Quod si nolueris egredi*, ait Ieremias, *iste est sermo quẽ ostendit mihi Dominus. Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Iuda*, significat plerasque iam peste, vel fame periisse, *educentur ad principes regis Babylonis, & ipsæ dicent; Seduxerunt te, & præualuerunt aduersum te viri pacifici tui, demerserunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & recesserunt à te.* Et terret nisi pareat. Vim habent hæc verba cantiunculæ irrisoriæ, contra Sedeciam, qui tam ab Ægyptiis, quam à suis desertus sit in luto defectionis, in quod ab ipsis fuerat impulsus.

XXIII. Pergit suadere deditionem. PERGIT propheta. *Et omnes vxores tuæ, & filij tui educentur ad Chaldæos, & nõ effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris, & ciuitatem hanc comburet igni. Dixit ergo Sedecias ad Ieremiã. Nullus sciat verba hæc, & non morieris. Si autem audierint principes quia locutus sum tecum, & venerint ad te, & dixerint tibi: Indica nobis quid locutus sis cum rege, ne*

*celes nos & non te interficiemus: & quid locutus est tecum rex, dices ad eos: Prostraui ego preces meas coram rege, ne me reduci iuberet in domum Ionathan, & ibi morerer.* Remisitq; rex Prophetam, non in domum suam, sed ad vestibulum carceris: illuc enim venerunt ad ipsum omnes principes, & interrogauerunt eum, *& locutus est eis iuxta omnia verba, quæ præceperat ei Rex,* nec tamen mentitus est, sed tacuit veritatem, quæ damnum sine vlla vtilitate erat allatura, *& cessauerunt ab eo, nihil enim fuerat auditū.* Remissum vero prophetam in carcerem, contra quā Iosephus asseruit, probat quod sequitur; *Mãsit vero Ieremias in vestibulo carceris, vsque ad diẽquo capta est Ierusalẽ.*

XXIV. *Ieremias vnde charus Nabuchodon.*

CÆTERVM non est prætermittendum hoc loco, quo de fugitiuis Iudæis fit mentio, certum omnino videri plerosque illorum, dum regem Chaldæum adirent, & causam defectionis suæ in diuinam voluntatem, & Ieremiæ suasionem referrent, etiam pluribus retulisse, non tantum viri virtutem, sanctitatem, & futurorum ex diuina reuelatione scientiam: sed etiam quàm ille videretur bene erga eum affectus, qui regi, totique populo deditionem suaderet; propterea que multis malis iam affectus, etiam carcere detineretur. Qua relatione factum est, vt Nabuchodonosor propensiore in eum animo esset, vsque adeo, vt is iam nunc Nabuzardano magistro militum mandata dederit, vt cum ciuitas in eorum potestatẽ redacta esset, omni eum humanitatis officio prosequeretur. Hæc a c.39.11. scilicet illis verbis [a] significata sunt. *Præcepit Nabuch. Rex Babylonis de Ieremia Nabuzardan magistro militum, dicens. Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias, sed vt voluerit, sic facias ei.*

XXV. *Prophetia contra Tyrum quado edita.*

SVB huius anni initium, prima die mensis primi, vt putat Chartus. Torniel. & Adrichom. Sanctius mensem quartum subintelligi vult, quemadmodum & 4. Reg.25.& à propheta, sacroque historico præteritũ, vt funestum & fatalẽ patriæ suæ: quem tamen Ieremias expressit. [b] Itaq; prædictio hæc nouem diebus ante b c.39. v.2 cladem Ierusalem edita fuerit. Verum eodem modo poterat annus vndecimus, diesque nonus subiceri. Pradus cum Rab Dauid putat intelligendum mensem quintum, ab Hebr. Ab, à nostris Iulium dictum; & illius prima die accepto intra 20. dies ab expugnatione Hierusalem nuncio, hostem de ruina vrbis exultasse, Verum cum ille mensis quintus pertineat ad annum duodecimum currentem & sit extra annum vndecimum Sedeciæ, prior expositio de primo, aut quarto mense ineunte magis placet.

XXVI. *Et qua de causa.*

CVM ergo iam de Hierosolymis actum esse putaretur, Tyrus quæ eius gloriæ semper æmula fuerat, vt Romæ Carthago, & Niniue Babylonis, & Lacedæmon Athenarum, & se eius spoliis locupletatum iri sperabat, lætata est, vt re- c c.26. v.1 fert Ezechiel. [c] Demens quæ non videbat se tanto facilius expugnatum iri à Chaldæis, quo magis illi vires suas in vnum, ad eam debellandam coëgissent. Id illi exprobrat Dominus loquens cum propheta. *Fili hominis,* ait Dominus, *pro eo quod dixit Tyrus de Ierusalem. Euge confractæ sunt portæ populorum,* ad quas scilicet confluebant omnes populi, religionis, & negotiorum & commercii causa, *conuersa est ad me,* tota scilicet negotiatio, *implebor, deserta est. Propterea hæc dicit Dominus. Ecce ego super te Tyre, & ascendere faciam ad te gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans: Et dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, & radam puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidissimam petram,* ita vt nihil reliquum ex ea supersit, præter saxum supra quod fundata est.

XXVII. *Quis eius castigator.*

PER quem autem hæc facienda essent, subdit. *Quia hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab Aquilone, regem regum, cum equis & curribus, & equitibus, & cœtu populoque magno.* Verum non caret difficultate quod tempus, quisue autor fuerit expugnationis Tyri, de qua an. seq. dicendum erit: nunc hæc de vaticinio suo tempore dicta sunto. Ad hunc porro annum imo & mensem, forte etiam & diem pertinet, tam c. 27. sequens Ezechielis, quod est de ciuitate ipsa Tyri, quam 28. quod de principe Tyri. Nam in c. 30. v.20. in primo mense, & septima die mensis vaticinatur Ezechiel iterum contra Pharaonem. *Fili hominis brachium Pharaonis regis Ægypti confregi, & ecce non est obuolutum &c.* Et paulo post. *Et confortabo brachia regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident, & scient, quia ego Dominus, cum dedero gladium meum in manu regis Babylonis, & extenderit eum super terram Ægypti.* Hæc autem tum quinto ab hinc anno, 23. Na-

buchodonosoris, tum rursus eiusdem 34. contigerunt.

*Alia huius temporis prophetia.*

Plures aliæ deinceps prophetiæ contra Ægyptum factæ sunt, vt proxime sequentes anni docebunt, sed hoc ipso etiam anno vndecimo in mense tertio in vna, id est prima die mensis contra Pharaonem iterum prophetauit Ezechiel c. 31. toto. Vbi Pharaonem regi Assyriorum comparat, istiusque potentiam & magnificentiam copiose exaggerat, quæ tamen Chaldæorum imperio tandem subiugata fuit: eodemq; modo Ægyptium, quantumuis inclytum atque sublimem, inter ligna voluptatis, affirmat breui eidem Babylonio regi mancipatum iri.

XXVIII. *Arca fœderis, altare incensi &c. erepta cladi.*

VALDE autem assentior Torniello, [a] qui existimat sub huius anni finem quosdam de primariis Sacerdotibus, & Leuitis, Ieremia non solum conscio, sed autore etiam, & hortatore, arcam fœderis, & altare incensi, ignem perpetuum, nonnulláque alia, quæ facile asportari poterant, abstulisse, & subterraneo quopiam in loco maximo studio abscondisse. Quoniam videbant de regno & ciuitate actum esse, iamiamque in Chaldæorum potestatem non ciuitatem modo, sed templum quoque ipsum deuenturum, & vtraque Chaldæorum flammis sine vlla dubitatione conflagratura. Quod si, vt supra anno 18. Iosiæ diximus, [b] non raro, etiam à templo condito, arca è loco suo educta est, alioque translata, quis dubitet hos, quantumuis pios ac religiosos viros, imo vt sapientes, ac religiosos viros, minime religione prohibitos, quin temporis commoda occasione captata, in oraculum templi, siue sanctum sanctorū ingrederentur, & cum omni veneratione arcam acceptam, & altare aureum cum igne, è templi adytis efferrent, & in destinatum locum transferrent. Temerarium enim videbatur expectare vt vrbe capta, per Chaldæos liceret res auro, gemmisque fulgurantes impunè transferre, & occultare, præsertim cum Ieremias, qui hæc, vt sacerdos & proheta, curare poterat in primis, ad vltimum vsq; obsidionis diem in vinculis futurus esset.

a Anno 5. ætatis 424. n. 4.

b n. 27. & seqq.

XXIX. *An candelabra quoque, & mensa. Non videri.*

IDEM sentit Torniellus de candelabro cum lucernis suis, & mensa propositionis abductis, ea coniectura ductus, quod eorum nulla fit mentio in enumeratione spoliorum templi. Verum minus id videtur probabile, tum quia liber Paral. qui supplet quæ in libris regum prætermissa sunt, vniuerse pronunciat, [c] vniuersa vasa domus Domini tam maiora quam minora, trāslata in Babylonem. Oporteret autem ostendere hæc non comprehendi, vt de arca, & altari thymiamatis demonstratur, tum quia non vnum erat candelabrum, vnáue mensa, sed dena, [d] tum denique quia Iosephus, [e] nominatim ait mensas aureas, atque candelabra, cum columnis æneis, à Chaldæis fuisse sublata. Quamquam nec ea quidem vt videtur aurea erant, ex quo ea primum Sesac rex Ægypti, quinto anno Roboami, cum scutis aureis, & reliquis tēpli thesauris deprædatus est. [f] Nec credibile est templum tam à suis, quam ab externis regib. toties spoliatum, ad hanc vsque diem, tot mensas aureas, & candelabra tanti pretij conseruare potuisse.

c c. 36. 18.

d ex 2. Par. 4. 7. & 8.

e l. 10. c. 11.

f Vt patet ex 3 Reg. 14. 25.

XXX. *Num quæ Iudæorum obsessorum eruptiones.*

DE rebus porro à Iudæis toto tempore obsidionis gestis contra Chaldæos, mirum est in scriptura silentium. Dederat enim illis Dominus cor pauidum, & animam deficientem, vt hostem vix intueri, nedum in aciem prodire, & cum eo congredi auderent. Credibile tamen est aliquot excursionibus hostem fatigasse, tum vt interim aliquo modo fami suæ suorumque consulerent, vt supra dicebamus ex Threnis, [g] tum vt ad Assyrios, siue Chaldæos, & ad Ægyptios confugerent, vt saturarentur pane. [h] Sed & nunc Deo protegente, & hostes ab eis auertente, viri illi religiosi, arcam & altare cladi eripuerunt.

g 5. 9.

h Vt ibid. v. 6. legitur.

XXXI. *Quid hac de re Josephus.*

AT Iosephus suorum gloriæ zelator, hæc copiose pro suo arbitratu suppleuit, quæ non incongruum erit agnoscere. [i] Sic ergo scribit. *Interea Babylonius pergebat in oppugnandis acriter Hierosolymis, extructis aggeribus, & erectis turribus, è quibus arcebat propugnatores stantes in mænibus: multos enim aggeres circumquaque excitauerat vrbis muro altitudine pares.* Tota scilicet ea parte qua ciuitatem oppugnabat. Nam nec totam vndique huiusmodi machinis impetebat, & variis in locis, præsertim circa montem Sion, qui totam ciuitatis meridianam partem occupabat, maior erat montis altitudo, quam vt machinæ possent ad murorum, & turrium illis impositarum altitudinem assurgere: sed redeamus ad Iosephum.

i c. 11. l. 10.

NEC *segniter interim*, ait, *defendebatur vrbs, ciuibus nec fami nec pesti succumbentibus; sed obduratis animis omnia mala perferentibus. Ac ne machinis quidem hostium territi, alias contra machinas excogitabant, vt inter se vtrique non viribus solum certarent, verum etiam artibus*, & mox. *Atque id certamen durauit per menses decem & octo*. Imo iam superius per triginta durasse probatum est. *Donec tandem succubuere, partim inedia victi, partim supernè è turribus telorum multitudine oppressi*. Hactenus Iosephus. Et sane pro viribus restitisse minime dubium est, eoque magis, quod impij, & dictis Ieremiæ increduli, nullam à Chaldæis aut veniam, aut misericordiam expectabant: minimèque omnium Sedecias, qui crudelem Ioacimi interitum, & raptationem, & sepulturam asini meminisset; & simillimam culpam in Chaldæos suam non ignoraret. XXXII. *Propugnatio Hierosolymitanorum.*

SED quid possunt homines non fauente numine? imo resistente, & eorum aduersariis obsecundante? anno vndecimo Sedeciæ Ierusalem in potestatem Chaldæorum venire cœpit. De tempore, id est anno, & mense, nulla est dubitatio, diem tamen Ieremias [a] dubium facit. Ibi enim quintus dies mensis ponitur cũ in 4. Reg. [b] & Ieremiæ 52. [c] in omnibus linguis constanter legatur, *nona mensis*, sicut & apud Iosephum. [d] Quin etiam Ierem. 39 in Hebræo, Græco, & Chald. habetur nona mensis, quomodo etiam legit Theodoretus; imo & in aliquibus vulgatæ edit. & in ipsis regiis, quinta dies in nonam commutata est: idque probant Sà. Torniellus, à Castro, nec iniuria; nam facilis est lapsus in numeris; & locus vnus mendi potius damnandus est, quam duo. Præsertim cum ille vnus ab aliis linguis non fulciatur. XXXIII. *Tempus captæ vrbis.* *Quintóne die an nono mensis.*

a c. 39. v. 2. b 25. 3. c 52. 6. d l. 10. c. 11.

NISI quis malit cum Torniello suspicari murum aperiri cœptum die quinta, nec plane apertum fuisse, nisi die nona; aut potius, vt Tostato placuit, [e] die quinta potiti sint Chaldæi exteriore muro; nona vero, etiam interiore. Cui fauet expositio Theodoreti, in illa verba Sophoniæ. [f] *Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à Secunda, & contritio magna à collibus. Propter has*, inquit, *vestras iniquitates, cum hostes murum perruperint, & portas aperuerint, clamorem edentes, & vociferantes, ad secundum murum confugietis, sed tamen nihilo secius & illius porta hostibus patefacta, vlulantes interficiemini, & tametsi quidam ex vobis montium fastigia occupauerint, in domósue altas ascenderint, tamen perdentur.* XXXIV. *An potius vtroque.* *Ex Theodoreto.*

e q. 5. in c. 25 4. Reg. f 1. 10.

IN quibus verbis etiam habetur modus occupatæ à Chaldæis ciuitatis, vt scilicet aut vi, & aperto marte, vel occultè apertus sit murus, per quem aliqui Chaldæi ingressi, portam piscium occuparint, & toti exercitui aperuerint: sicque concilientur scripturæ loca, quorum vnus dicit apertam fuisse ciuitatem, alius interruptam, alius diruptam: diruptus enim fuit murus, sed ianuæ reclusæ sunt. Indéque ad secundum murum transierint, in quo erat porta, quæ Secunda dicitur, iuxta D. Hierony. quæ videtur à Ieremia, [g] porta media appellari, cum ait. *Aperta est ciuitas, & ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media*. Itáque sentiunt Ribera, & à Castro, ille in Sophoniam, hic in 39. Ierem. & cum iis Villalp. [h] Consentiuntque omnes, Chaldæos per portam piscium, quæ septentrionalis erat, in vrbem inuasisse, quod ea ex parte vrbs esset expugnatu facilior. Inde etiam facilius ad templum, arcemque occupandam, quod illi in primis ambiebant, aditus patebat. Nã occupata porta illa media, siue Secunda, quæ erat in muro Bezetæ, cingente Templum à Septentrione, nihil erat quod eos à Templo posset excludere Inde autem ad regiam, & arcem, facillimus, & ordinarius erat regis transitus, & palatinorum eius. XXXV. *Modus occupatæ vrbis.* *Ingressus per portam piscium.*

g c. 39. 3. h t. 3. l. 2. c. 13. & 18. & l. 3. c. 9.

CVM ergo vidisset Sedecias, & omnes bellatores eius Chaldæos in vrbem irrumpentes, non dixerunt. *Moriamur, & in media arma ruamus*. Sed, *fugerunt*, [i] *& egressi sunt nocte de ciuitate per viam horti regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & egressi sunt ad viam deserti*. Ita Ierem. c. 39. 4. c autem 52. *Dirupta*, inquit, *est ciuitas & omnes viri bellatores eius fugerunt, exieruntque de ciuitate nocte, per viam portæ, quæ est inter duos muros, & ducit ad hortum regis, Chaldæis obsidentibus vrbem in gyro, & abierunt per viam quæ ducit in eremum*; quæ totidem fere verbis. 4. Reg. 25. recitantur. XXXVI. *Sedecias cum suis fugiunt.*

i Iere. 39 4.

VERVM quæ sit ista porta inter duos muros, qua egressus est Rex, non facile dictu est, Villalp. [k] videtur sentire egressum esse per portam illam, quam Secundam siue mediam appellatã diximus; sed id absurdum esset. Nã eam iam hostes XXXVII. *Porta quæ inter duos muros.*

k l. 2. c. 13.

occuparant, vt ea plurimum distabat à Regia. Lyranus ex R. Salomone existimauit hanc viam fuisse subterraneam, iamdudum ad fugam præparatam, quæ longius ab vrbe exitum haberet: eum secutus est Adrichomius, [a] à qua non longe abest Vatablus, qui egressum vult fuisse cuniculum quendam fornicatum, cuius orificium ne omnibus pateret, esset in horto regis. Sed repugnat Rabinus Ieremiæ, qui perspicue affirmat egressum per portam, quæ erat inter duos muros, vtique muros ciuitatis. Ezechiel autem [b] sic de hac regis egressione loquitur, *Et dux qui est in medio eorum, in humeris portabitur, in caligine egredietur, parietem perfodient, vt educant eum, facies eius operietur, vt non videat oculo terram*: quæ fuit Iosepho causa vt diceret regem Sedeciam per fauces quasdam angustas fugam arripuisse in desertum. [illegible]

a in chron. an. 3373.
b c. 12. 12.

XXXVIII. *Propria expositio.* I■ re obscura existimo dicendum regem aufugientem non egressum ex vrbe inferiore, in qua medius ille murus erat, portaque media; nam id fuisset fugisse in manibus hostium, ciuiumque oculis, cum tamen is quam maxime occultam, & tutam vellet fugam suam, ideoque & nocte aufugeret. Sed egressum arbitror ex palatio suo, & monte Sion, quò nondum hostis peruenerat; Inde autem quærenda fuit via, quæ quam occultissime duceret ad hortum regis qui erat in valle Hennon, ad torrentem Cedron. Erant autem duæ portæ ciuitatis, vicinæ palatio regis, quæ eo ducebant, porta scilicet equorum, & aquarum, quarum prior erat in angulo muri ciuitatis, & muri Ophel, vt est in Villalp. imagine Ierusalem, vt propterea merito inter duos muros dicatur, quæ porta omniũ erat occultissima, & in ima valle Tyropœõ, [c] ideoque fugæ opportunissima. Videtur autem hoc tempore obsidionis muro clausa fuisse huiusmodi porta, noctúque ad egressum regis, perfossum fuisse illum murum, vt Ezechielis prophetia impleretur. Sicque recte vniuersa conuenient.

c Iosep. l. 6. de Bel. c. 6.

XXXIX. *Fugæ modus.* SED quid causæ dixerimus, cur operta facie, & in humeris portatus dicatur ab Ezechiele Sedecias? propter periculum nocturni, & trepidi, & decliuis descensus, in sella gestatoria à fortibus, & industriis famulis delatus est ad imam vallem Tyropœon, in qua erat porta equorum orientalis, qua exeundum erat ad hortum regis, indéque orientem versus, trans Iordanem arripiendum iter, vt certo probat locus in quo captus est, qui orientalis est Ierosolymæ. Facies autem operta fuit, ne à quoquam agnosceretur siue ciuium, siue hostium. De hac porro regis fuga sic Iosephus. *Vrbe autem capta circa mediam noctem, & ducibus ac reliquis hostibus in templum ingressis, Sedecias rex vbi hoc sensit, assumptis vxoribus, liberis, ducibus, & amicis, fugam arripuit per fauces quasdam angustas in desertum.* Captam vrbem circa mediam noctem scriptura non tradit, potuit id Iosephus ex traditione didicisse. sicut & de templo ex insperato occupato, quod tamen diutissime poterat hostilem impetum eludere.

XL. *Hostis eum persequitur & comprehendit.* FVGIENTEM noctu regem senserunt excubitores Chaldæi, qui in circuitu ciuitatis erant, vt innuitur 4. Reg. [b] aut, vt Iosephus ait, *res ad Chaldæos indicio transfugiturarum Iudæorum delata est, qui sub auroram aggressi eos persequi, assecuti eos non procul à Ierichunte circumuenerunt. Amici vero & duces, fugæ comites, visi è propinquo hostibus, relicto Sedecia dissipati sunt, qua quemque tulit spes effugii. Ipse vero desertus cum vxoribus, ac liberis, & paucis amicis in hostium potestatem deuenit, & mox ad regem perductus est.* Sic Iosephus, quibus simillima habet Ieremias, & sacer historicus, locis sæpe citatis; nisi quod vxorum eius nulla fit mentio. Nec sane admodum probabile est, hoc rerum statu, Sedeciam vxorum se, plurium præsertim, impedimento onerare voluisse, sed Dauidis fugientis exemplo, in palatio ad regiæ custodiam reliquisse: quibus hostes postea exemplo Absalonis abusi sint; quo videtur allusisse Ierem. *Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda*, qui etiam de hac regis fuga, & comprehensione [c] ita loquitur. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus in vmbra tua viuemus in gentibus*, quæ tam de Sedecia, quam de Christo filio Dei plerique patrum vsurparunt, vt in eum locum fuse docet à Castro.

b 25. 4.
c Thren. 5. 21.

XLI. *Clades parata Hierosolymis.* VERVM omisso tantisper rege, qui cum suis ex fuga retractis ad Nabuchodo-

nosorem deducitur, qui tum erat in Reblatha ciuitate tribus Nephtalim, ad fontes Iordanis, reuertamur ad vrbem, in qua si media nocte capta est, vt ex Iosepho diximus, videtur ipso diluculo impletum illud Ezechielis 9. de Hierosolymitarum cæde. *Et clamauit*, inquit, *in auribus meis voce magna, dicens. Appropinquauerunt visitationes vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua, & ecce sex viri veniebant de via portæ superioris* (templi, in quo tota visio facta est) *quæ respicit ad aquilonem, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius.* Isti sex viri fuerunt de primariis ducibus Nabuch. quorum etiam nomina Ierem.[a] recensuit, & Iosephus,[b] sed multa cum diuersitate, vt prope alii videantur.

ex Ezechiele.

a c. 39. 3.
b l. 10. c. 11.

CVM autem scriptura de eo egisset, qui signabat Thau in fronte gementium, & dolentium super cunctis abominationibus ciuitatis, subdit propheta, *& dixit illis, audiente me. Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulum & mulieres interficite, vsque ad internecionem. Omnem autem super quem videritis Thau ne occidatis.* Quo significatur in effusa hac cæde, plerosque diuina prouidentia fuisse seruatos, ne furenti tunc hosti occurrerent, sed latebris clausi, seruituti sei psos reseruarent, pergit. *Et à sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus, qui erant ante faciem domus. Et dixit ad eos, contaminate domum, & implete atria interfectis*, qui eò scilicet, tanquam ad asylum, salutis causa confugerant; & quidem maximo numero interfectos oportet, si atria infiniti populi capacia impleri debuerunt.

XLII. Aliqui seruati.

Cædes in templo.

HOC cædium exordio sumpto, audiunt. *Egredimini. Et egressi sunt, & percutiebant eos, qui erant in ciuitate. Et cæde completa, remansi ego*, inquit propheta, [c] *ruique super faciem meam, & clamans aio, heu, heu, heu Domine Deus, ergo ne disperdes omnes reliquias Israel, effundens furorem tuum super Ierusalem?* Ad hoc ipsum tempus altera prophetia Ezechielis c. 21. pertinet, in qua illa sunt plane tragica. *Tu ergo fili hominis propheta, & percute manu ad manum, & duplicetur gladius, ac triplicetur, gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, & corde tabescere, & multiplicat minas.* Intelligit Pradus cadauera quibus obstruuntur viæ, & offensio creatur dimicantibus, pergit propheta. *In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladii acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad cædem. Exacuere, vade ad dexteram, siue ad sinistram, quocunque faciei tuæ est appetitus.* Huic vtrique prophetiæ historia 2. Paralipom.[d] aperte concinit. *Adduxit*, inquit, *super eos regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio in domo sanctuarii sui. Non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus eius*, siue occidendos, siue in captiuitatem trahendos. In hac porro cæde non soli impii interfecti sunt, sed iusti quoque cum impiis. Testatur id Ezechiel.[d] *Et dices terræ Israel, hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ad te, & eijciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te iustum & impium &c.* Hæc enim de hac cæde à Babylonis perpetrata, D. Hierony. interpretatur, & alii passim.

XLIII. Et in ciuitate.

c 8. 9.

d c. 36. 17.

d 21. 3.

CÆTERVM non fuerunt contenti cædibus Chaldæi, rapinis de more, tam in templo, quam in tota vrbe grassati sunt. Id enim deplorat Ieremias.[e] *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.* Quamuis autem ipsi Chaldæi, satis auidi essent ad prædam, eos tamen etiam exacuebant Idumæi, dicentes. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea*, vt est in Psal. 136. 7. Vim etiam castis matronibus, ac virginis intulisse, tam Ierosolymis, & in monte Sion, quam in cunctis ciuitatibus Iuda, idem propheta testatur. [f] *Mulieres in Sion humiliauerunt*, id est oppresserunt, *& virgines in ciuitatibus Iuda.* Nec ea iniuria contenti, quæ ad regis quoque ipsius, & principum vxores, & concubinas pertinuit: abominabile etiam facinus in masculos perpetrarunt. Testis est idem propheta. [g] *Adolescentibus impudice abusi sunt*, pro quo Hebræi legunt. *Adolescentes tulerunt vt molerent.* Verum, vt recte notarunt à Castro, & Sanctius. Solet scriptura obscenam rem tectis verbis explicare, vt paulo ante humiliauerunt, dixit pro constuprarunt, & hic molere fecerunt, pro præposteram libidinem pati coëgerunt.

XLIV. Rapina, & pudor.

e Thre. 1. 10.

f Thren. 5. 11.

g Thre. 5. 13.

ACCESSIT ad miseræ gentis infelicitatem, vt cum illi præ mortibus omni-

XLV. Suspendia.

bus suspendium execrarentur, *maledictus* quippe *qui pendet in ligno*, non solum de vulgo plerique suspensi sunt, quomodo explicant illa verba, *& pueri in ligno corruerunt*, Chaldæus, Hugo, Lyranus & Dionysius, sed ipsi quoque principes, tam dignitate, quam ætate venerabiles. *Principes*, inquit, *manu suspensi sunt, & facies senum non erubuerunt*, quod Lyranus nominatim intelligit de principibus, qui cum Sedecia effugerant, qui à Nabuchodonosore morte addicti, suspendio periisse videntur.

*Subsannationes.* Nec nullo numero habendæ sunt irrisiones hostiles, quibus tam serio propheta lamentatur. [a] *percusserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilauerunt, & mouerunt caput suum super filiam Hierusalem: hæc cine est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gladium vniuersæ terræ? Aperuerunt super te os suum inimici tui, sibilauerunt & fremerunt dentibus, & dixerunt, deuorabimus, en ista est dies quam expectabamus; inuenimus, vidimus.* [a Thre. 2. 15.]

XLVI *Sedecias adducitur ad Nabuchod.* HÆC dum Hierosolymis à Chaldæis impune perpetrantur: militares cohortes, quæ Sedeciam cum suis comprehenderant, peruenerunt in Reblatha, quæ erat in terra Emath, non longe à Libano, quatuor fere dierum itinere à campestribus Iericho vel Ierusalem, vbi Nabuchodonosor, tamquam in loco amœnissimo commorabatur, expectans euentum obsidionis Hierosolymorum, & Tyri, à qua etiam bidui fere itinere distabat, iuxta Adrichomii topographicam imaginem terræ sanctæ. Cum ergo Sedecias metu, pudore, ac confusione plenissimus, oblatus esset Nabuchodonosori, *locutus est*, ait scriptura, *cum eo iudicium*, quod sic explicat Iosephus. [b] *Quem postquam in conspectu habuit Nabuchodonosorus, impium & fœdifragum vocare cœpit, promissionum immemorem, quod regi seruare illam regionem esset pollicitus: exprobrabat etiam ingratitudinem, quod cum à se accepisset regnum Ioacimo fratri debitum, accepta potestate abusus esset in autorem beneficii. Sed magnus est*, inquit, *qui te propter mores tuos pessimos in manus meas tradidit: his verbis cum Sedeciam increpuisset, è vestigio iussit, ipso, & aliis captiuis inspectantibus, filios eius*, quamuis puerulos & innocentes, *& amicos trucidari*, sed id redundabat in supplicium patris; *deinde ipsum excæcauit Babylonem secum abducendum*, neque occidit, ne is malis suis cito finem imponeret, sed excæcauit, & diuturnam vitam omnis delectationis expertem, vt longæ morti supparem apud infestissimum hostem duceret. [b l. 10. c. 11.]

*Qui ab eo excipitur.*

*Occisis filiis excæcatur.*

XLVII. *Catenis vincitur.* OMITTIT Iosephus, quod Ieremias semel iterumque notauerat [c] iussu regis vinctum fuisse compedibus, vel vt in 4. Reg. legitur [d] catenis, & Chaldæus addit æreis, vbique tamen in Hebræo eadem vox est, compedes significans. Sed fuerit illud alicuius oscitantiæ, hoc certe grauiorem meretur notam, cum ibidem subdit, hic eminere humanæ inscitiæ, & incredulitatis insigne exemplum, per quam non licuit Iudæis futuram calamitatem euitare, & effugere fatum ineuitabile, ἀμήχανον αὐτοῖς εἶναι ... Verum impium hoc fatum tota Ieremiæ prophetia ab ipso capite refellit, quæ totis capitibus suadet conuersionem animorum, & emendationem vitæ alioqui Chaldæum quam primum esse venturum, qui ea perpetraret, quæ nunc lamentati sunt. [c c. 39. & 52] [d c. 25. 7.]

*Iosephi factum.*

XLVIII. *A scriptura refellitur.* SED instar omnium sit illa Domini iussu, à Ieremia edita vox, sub extremam obsidionem. [d] *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non succendetur igni, & saluus eris tu, & domus tua. Si autem non exieris ad principes Regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni, & tu non effugies de manu eorum.* Vbi est ego fatum ineluctabile, cum tota res ex Sedeciæ voluntate penderet, vt si vellet se dedere, salua essent omnia. Nimirum non intellexit Iosephus decretum illud diuinum nullam rebus necessitatem afferre: eo quod res futura, tamque iam facta, diuinæ scientiæ, quæ vocatur visionis, obiicitur. [d Ierem. 38. 17.]

XLIX. *Falsa eiusdem chronologia.* SED nec alius eiusdem Iosephi chronologicus dissimilandus est error, de regum Israelitarum duratione, sic enim ait, *Atque hic fuit Dauidici generis rerum exitus, qui vnus & viginti regnauerunt deinceps: idque temporis spatium quingentos, & quindecim annos continet, & menses insuper sex, cum diebus*

*decem, annumeratis viginti annis primi regis Saulis, qui fuit tribus alterius.* Sic ipse. Verum non fallitur ille quidem quod vnum & viginti Dauidici generis reges constituit, duos tamen & viginti reges scriptura recenseat, qui in Dauidis solio regnarunt. Prætermisit Iosephus Athaliam, sed prætermitti non debet: cum alioqui falsum annorum numerum esse oporteat, quibus regnatum est super solium Dauidis. Dum enim impia illa regnauit, nemo alius rex fuit; aut certe dicendum erit regem Ioas non 40. vt ait scriptura, sed 6. & 40. annis regnasse. Sunt autem hi 22 reges præter Saulem. Fallitur etiam in ipso

424 annorum numero. Nam ii per singulos non negligenter recensiti, reperiun-
3. tur, duntaxat quinque & octoginta supra quadringentos. 424. à iactis tem-
40. pli fundamentis, quibus tres Salomonis, 40. Dauidis, & 18. Saulis addendi
18. 485. sunt, iuxta ea quæ primo Saulis anno statuimus. Illi autem sex menses, & dies decem, ad captandam diligentiæ in numerando opinionem additi sunt. Supponit enim illa assertio reliquos omnes annos fuisse integros, quod nemo, vt opinor, mortalium affirmare potest; imo ex scriptura certissime constat multos fuisse diminutos, atque imperfectos; vt vndecimum Ioacim, primum Achaz, & vltimum Ioathan, extremos item Iosaphat, & primos Ioram. Abiæ quoque tertius cum primo Asæ concurrit, itaque Iosephi chronologia triginta redundat annis.

L. Exitus vtriusque regni Hebræorum.

ADDAM hoc loco quasi auctuarium, ex chronico Hebræorum cap. 26. vtriusque regni Hebræorum finientis comparationem non ineptam. Hic obserua, inquit, omnia in Israele, siue decem tribubus, & Iuda, siue duabus tribubus paria reperiri. Illi societatem cum Aegyptiis regibus iniisse leguntur, isti similiter. Illi tribus diuersis exiliis exportati è sua terra, isti totidem exiliis abacti in alienam. Illi triennium obsidionem Assyriorum sustinuerunt, antequam caperentur: isti tribus annis à Babyloniis circumsessi sunt, donec expugnaretur ciuitas. Illi esitarunt carnem filiorum suorum, & filiarum, isti explere famem eodem nefando cibi genere coacti sunt. Eiusmodi profecto est, quod Propheta prædixerat, [a] *In via sororis tuæ ambulasti, & dabo calicem eius in manu tua. Hac dicit Dominus Deus; calicem sororis tuæ bibes profundum & latum: eris in derisum, & subsannationem, quæ est capacissima. Ebrietate, & dolore repleberis, calice mæroris, & tristitia, calice sororis tuæ Samariæ.* Hæc ibi.

[a] Ezech. 23. v. 31. 32.

## SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI. 3446.

N. XLIV.

ITa Iob. 31. 10. explicatius dixit vulg. *Scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alii*, Quod Hebraicè tectiu habetur. *Molat alteri vxor mea, & subigant eam alii*, quod fœmina viro, vt mola molæ in pristino, subiiciatur Eandem metaphoram vsurpasse Romanos docet illud Horat. *Huc iuuenes equum est descendere, non alienas Permolere vxores.*

uis poneremus omnes annos, quorum Scriptura meminit, ex quo templum inchoatum est, esse integros atque perfectos (quod falsum est, & Scripturæ plurimis in locis manifeste contrarium) sublatis tamen annis Saulis & Dauidis, & tribus annis Salomonis 430. anni duntaxat, non 470. superessent.

IV. *In qua secum pugnat.*

SED sibi quoque ipsi repugnat in hac re Iosephus. Nam cum paulo ante ipse dixerit, tempus Regum Iudæorum fuisse quingentorum & quindecim annorum, si ab ea summa detraxeris 20. annos Saulis, 40. Dauidis, & tres Salomonis, quibus nondum templum inchoatum erat; ex ipsius sententia steterit templum annis 452. non 470. Dicendum igitur totum templi tempus, à quo fundari cœpit, ad diem qua cœpit incendi esse 424. annorum, & trium fere mensium.

*Fallitur quoque Eusebius.*

Scimus Eusebium scribere in chron. templum stetisse annis 442. sed ipse vel sponte, vel imprudenter auxit octodecim annis sacram chronologiam, dum vbique annos integros ponit, & alicubi annorum numerum auget, vt in Amone annis decem, in Iosia anno vno; annum item vnum tribuit Ochosiæ, & alterum Ioachino, qui tamen non augent sacram chronologiam. Tres quoque anni Iorami cum Iosaphati annis concurrunt, quos ipse separat, & alia id genus, vt non mirum sit Olympiadem nobis diuersam nunc decurrere. Peccat hic quoque Scaliger cum alia, tum illud quod transmigrationem cum desolatione confundit, abutiturque authoritate Ieremiæ capite 29. 10. qua de re dictum est supra, nos ad Iosephum redimus.

V. *Hallucinatur in annis ab exitu*

CORRIGENDVS quinto quod mille & sexaginta duos annos ab exitu ad hunc annum exactos dicat, illos autem sex menses, & dies decem, quos toties inculcat omitto, tanquam in istis annis comprehensos; tres quippe menses Ioachaz ad trigesimum primum Iosiæ annum pertinent, tres vero menses, & dies decem Iechoniæ ad annum Ioachimi patris eius vndecimum. Inueniuntur autem anni ab exitu, primum 480. ex tertio Regum 6. Inde autem fluxerunt 423. (ne octogesimum bis numeremus) & duo, tresue menses, qui simul iuncti efficiunt nongentos & tres annos, & menses tres. Ex quo etiam patet corrigendum esse chronicum breue Hebræorum, dum ait Iudam abductum esse è patriis sedibus anno octingentesimo nono ingressus in terram, octingentesimo autem & quinquagesimo exitus de Aegypto, sic enim legendum est in illo loco, eo quod inuersus sit ordo verborum.

480.
423.m.3.
903.

*Et à diluuio.*

6. Corrigendus quod à diluuio numeret 1950. At Torniellus longe probabilius & exactius singulos annos examinans 1790. tantum ponit, quæ nostra quoque est chronologia. Ab Adamo denique non 3513. sed 3446. itaque in hoc vltimo numero 67. anni redundant, in præcedenti vero 160. [a] hac de tempore.

[a] Chron. Hebræorū ponit 3338.

VI. *Deflagratio vrbis, & templi*

ABIIT mensis vnus in cædibus, & populatione ciuitatis; quo interim tempore principes exercitus consuluerunt Regem Nabuchodon. quid Hierosolymis fieri placeret. *Ille autem*, vt ait Iosephus, *NabuZardanen ducem misit Hierosolymam cum mandatis, vt templum spoliatum incenderet, regia quoque similiter cremata, vrbem à fundamentis dirueret, populum in Babylonem traduceret.* Quæ accurate executioni mandata sunt: sic enim refert sacer historicus, *& succendit domum Domini, & domum regis*, prius tamen spoliatas, nam sacra ipsa supellex mox recensetur, *& domos Ierusalem, omnemque domum* magnam, addit Hierem. cap. 52. *combussit igni.* Et secundo Paralippomenon [b] id clarius etiam exprimitur. *Vniuersaque vasa domus Domini, tam maiora, quam minora, & thesauros templi & regis, & principum transtulit in Babylonem. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Ierusalem, vniuersas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat demoliti sunt.*

[b] 36. 18.

VII. *Murorum euersio.*

INDE ergo ad muros Ierusalem transitum est. *Et muros* [c] *Ierusalem*, ait alia Scriptura *in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum.* Ieremias 52. *& totum murum Ierusalem per circuitum destruxit.* Vt intelligamus non vnum murum ex aliqua parte violatum, sed omnes quot-

[c] 4. Reg. 25. 10.

quot erant omni ex parte subuersos. Ideoque Ieremias lamentans ait, [a] *factus est Dominus, velut inimicus, praecipitauit Israel, praecipitauit omnia moenia eius, dissipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam*, id est plurimis, & maximis repletam malis prostrauit in terram: & paulo post. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiae Sion, tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione, luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est. Defixae sunt in terra portae eius, perdidit, & contriuit vectes eius.* Suffossus est, inquit Sanctius, & collapsus murus interior, & antemurale, murus nimirum qui illi ab exteriori parte praetenditur. Cumque muri turresque corruerent, earum ruente mole, atque rudenibus obtritae sunt, & obrutae portae cum vectibus suis. a Thre. 2. 6.

VIII. Euersio tēpli post incendium. DE templi autem euersione, quae eius incendium secuta est (stabant enim post incendium plurima murorum, reliquique operis quae iucundissimam habuerunt firmitatem) Hanc ergo euersionem his prosequitur lamentis Ieremias. [b] *Et dissipauit quasi hortum tentorium suum*, vt scilicet tota eius facies squalida esset, sicut horti subuersi, imo in aceruum lapidum commutatus *Demolitus est tabernaculum suum, obliuioni tradidit Dominus in Sion festiuitatem, & Sabbatum*, & mox, *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae, tradidit in manu inimici muros turrium eius*, & cap. 4. 1. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum.* Quo in opere, vtique longo, & laborioso, facile suspicor Iudaeorum, quasi vilium mancipiorum opera vsos, & repugnantes diris verberibus adactos. Quantum autem haec cum Iudaeorum dolore fierent, testantur quae propheta subdit. [c] *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Ierusalem? Magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* & alibi. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.* b Ib. v. 18. c c. 2. v. 13.

IX. Dei prouidentia erga eius suppellectilem. NEC continuit tamen Dominus in hac ira sua vehementi, & à quadringentis prope iam annis collecta, misericordiam suam. Nam praeuidens futuram Iudaeorum paupertatem post finitos desolationis annos, multam templi suppellectilem pretiosam conseruari voluit, & adduci in Babylonem, vt cum reliqua, quae prius translata fuerat, asseruaretur. De his ita Ieremias. [d] *Columnas quoque areas, quae erant in domo Domini, & bases, & mare aereum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldaei, & tulerunt omne aes eorum in Babylonem. Et lebetes, & creagras, & psalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vasa aerea, quae in ministerio fuerant, tulerunt, & hydrias. & thymiamateria, & vrceos, & pelues, & candelabra, & mortaria, & cyathos, quotquot aurea, aurea, & quotquot argentea, argentea tulit magister militiae*, tam aurea videlicet, quam argentea, nullo discrimine accepit. Quae autem de dimensione harum columnarum, & ornamentorum ipsorum sequuntur, satis pro instituto, [e] alio iamdudum loco explicata sunt. d Hierem. 52. e a m. 3044. n. 48. 66. & sequ.

X. An libri sacri hoc tempore perierint. SED existit hoc loco non negligenda quaestio, num libri omnes sacri in hac templi & vrbis conflagratione perierint. Hac de re disputant Perer. praefat. in Genes n. 7. Bellar. to 1. l. 2. c. 1. & ibidem Gretserus. Torniellus 6. an 1. num. 4. & 5. Leo Castrius praefat. in Esaiam c. 4. Tangit Genebrardus l. 2. chronol. sub initia.

Qui ita senserint. S. Basilius. Dicendum est primo aientem sententiam videri probabilem, quia nonnulli ex antiquis patribus ita sensisse videntur: praesertim Diuus Basilius in epistola ad Chilonem, vbi solitudinem, in qua degebat Chilon, illi campo comparat, in quo secessu facto, Esdras omnes diuinos libros ex mandato Dei eructauit. Tertulian. Tertul. l. de habitu [f] muliebri ait. *Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne instrumentum Iudaicae literaturae per Esdram constat restauratum.* f c. 5. 6.

XI. Sanctus Irenaeus. D. Iren. l. 3. c. 25. vbi de miraculi consensu 70. interpretum. *Non est mirabile*, inquit, *Deum hoc in eis operatum, quando in ea captiuitate populi, quae facta est à Nabuchodon. corruptis scripturis, & post 70. annos, Iudaeis descendentibus in regionem suam: & post deinde temporibus Artaxerxis regis Persarum, inspirauit Hesdrae sacerdoti tribus Leui, praeteritorum prophetarum omnes rememorare sermones, & restituere populo eam legem, quae data esset per Moysem.* Haec ibi; quae totidem verbis recitat Eusebius. S. Hieronymus. Eusebius, [g] vnde fortasse D. Hieronym. contra Heluid. *Siue Moysem dicere* g 3 l. 5 hist. c. 8.

*volueris auctorem Pentateuchi, siue Esdram eiusdem instauratorem operis non recuso.*

Clemens Alexand. l. primo Strom. *Zorobabel*, inquit, *cum aduersarios vicisset sapientia, emit à Dario renouationem Hierusalem, & cum Esdra rediit in patriam, per quem facta est populi redemptio, & diuinitus inspiratorum eloquiorum recensio, & renouatio: καὶ ὁ τῶν θεοπνεύστων γίνεται ἀναγνωρισμὸς, καὶ ἀνακαινισμὸς λογίων, & Pascha salutare celebratum est,* quæ infra eodem libro repetit. Clemens Alex.

XII. Isidorus Leontius. EADEM est Isidori sententia Rabanus l. 6. Etymol. cap. 3 & l. 1. de offic. Eccles. c. 12. Cum eo sentit Rabanus de institutione clericorum c. 54. Leontius Græcus contra sectas, actione 2. in fi. & habetur t. 4. bibliothecæ patrum. *Hunc reditum*, inquit, *descripsit Esdras, qui cum Ierosolyma venisset, omnesque libros id temporis quo in captiuitatem abducti fuerant, reperiisset exustos, ex memoria depromptos illos 22. libros, quos supra recensuimus in literas retulisse perhibetur.* Theodoretus præfat. in psal. *Admirandus Esdras*, inquit, 150. *annis ante interpretationem 70. virorum, plenus cœlesti gratia sacros libros descripsit, præ Iudæorum incuria, & ob Babyloniorum impietatem iam olim corruptos & deprauatos. Si igitur ille instinctu Spiritus sancti horum librorum renouauit memoriam &c.* Theodoret.

XIII. Leo Castr. HVNC locum confirmat Leo Castrius lo. cit. ex secundo Esdræ cap. 8. 8. Nam vbi nos legimus. *Et legerunt in libro legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum: & intellexerunt cum legeretur*, Septuag. legunt. *Et legerunt in libro legis Dei, & docuit Esdras, & distinxit in scientia Domini, & intellexit populus in lectione. Quæ verba*, inquit, *aperte præferunt sententiam veterum: Si enim quæ ibi scripta essent legisset, nunquam diceretur legisse scientia Domini. Humana namque scientia legitur ab eo, qui literas nouit, qui diuina scientia legit, & distinguit, suggesta diuinitus verba legit.* Confirmatur eadem sententia ex eo quod 18. Iosiæ pene pro miraculo affertur inuentio libri legis, ab Helcia pontifice; & tamen nondum fuerat capta ciuitas à Chaldæis. Confirmatur denique ex quarto Esdræ, quem librum Diuus Ambrosius libro de bono mortis c. 10. semel iterumque scripturam sacram agnoscit; & l. de obitu fratris Satyri, quæ eo libro sumpta sunt propheticum sermonem appellat.

XIV. Non vid. ti perisse libros sacros. Vt toto orbe sparsos. DICENDVM nihilominus secundò, negantem sententiam esse probabiliorem, quæ cum prædictis scriptoribus multis rationibus probari potest. Primo prædicta sententia supponit nusquā gentiū libros legis apud Iud habitos fuisse, præterquam Hierosolymis, vt ab incendio eriperentur. Secundo ponit eos à Chaldæis fuisse succensos, quorum vtrumque difficillime probari potest. Nam sacra volumina, & nominatim librum Esaiæ, Babylone fuisse, & Cyro Persarum regi prophetiam, quæ de eo est monstratam fuisse, testis locuples est Iosephus[a] *Hoc*, inquit, *Cyrus cognouit ex lectione libri, qui Esaiæ prophetias continet, ducentis & decem annis ante ipsius ætatem conscriptas;* Huc etiam allusit Leontius ille Bisantinus. Ait enim Cyrum dimisisse Iudæos, quod ei pleraque per ipsum gerenda prædixissent, id est prædicta monstrassent. Theodoretus in fine commentar in Danielem, vbi dicitur Danielem fuisse regis Cyri conuiuam, ait hac familiaritate, & loquendi libertate vsum, quæ ipsum à Deo per Esaiam prophetam prædicta fuerant, ostendisse: & ei dimittendi populi autorem fuisse. Quid quod ipsemet Daniel cap. 9 stante adhuc imperio Chaldæorum anno primo Darii, ait se intellexisse in libris numerum annorum, de quo factus fuerat sermo Domini ad Ieremiam prophetam. Eos ergo libros habebat, quos legeret, & intelligeret, sacros vtique libros intelligit, in quibus prophetia Ieremiæ.

a l. 11. c. 1.

XV. Vt in synagogis legerentur. DEINDE constat ex Actor 13. [b] libros sanctos, & voces prophetarum per omne sabbatum legi solitas in synagogis. Et Christus [c] *sabbatis ingressus in Synagogam docebat eos, quasi potestatem habens, & non sicut scribæ*, [d] & [e] *Venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere: & traditus est ei liber Isaiæ, & cæt.* Erat ergo ea consuetudo & Christi, & scribarum: & ne quis eam recentem fuisse dicat. Iacobus in concilio Apostolorum, *Moyses*, inquit, *à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicentin synagogis, vbi per omne sabbatum legitur:* quæ phrasis non dubiū est, quin multa secula cōprehendat: Nā Ionathas[f] scribens ad

Quæ consuetudo viguit à temporibus antiquis.

b 14 15. 27. 42. 43
d Marc. 1. 21.
e Luc 4. 16.
f 1. Machab. 8.

Spartiatas. *Nos*, inquit, *cum nullo horum indigeremus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris &c.*

XVI. *Ex Hebraeorum traditione.* Tradvnt Hebraei, vt notat Lorinus [a] in Act. Apost. legem siue scripturam Pentateuchi, pro numero fere hebdomadarum anni distributam fuisse in sectiones 53. quas vocant Perasoth, quarum singulae constarent centum & 36. versibus. Verum postquam libros Antiochus combussisset [a] earum partium loco, totidem de propheticis libris decerpsisse, quae priori lectioni sensu congruerent Ergo ante Antiochum Epiphanem ea consuetudo inueterauerat. Imo ab ipso Moyse lectionem eam introductam satis ex c 31. Deuter. colligitur: vbi Dominus iubet 7. quoque anno solenniter coram omni populo, in festo Tabernaculorum legi verba legis Idque fieri solitum singulis annis ibi Caietan. scribit, sed non fuisse omnes obligatos interesse, nisi 7 quoque anno: vt in eum locum notauimus. [b] Iosephus à summo sacerdote legi solitam dicit. Vide quae ibi dixi de 13. exemplaribus ex Hebraeis, quorsum autem tot exemplaria, nisi vt vbique eorum memoria, lectione congruis temporibus renouaretur? Verum cum eadem esset causa, ac necessitas renouandae huius memoriae, non solum Hierosolymis, quo populus confluebat, sed in caeteris etiam vrbibus, id quoque ab illo etiam tempore factitatum, ratio ipsa persuadet.

a in Act. 13. 15.

a 1. Machab. c. 1. 59.

b Vide an. m 3544. n. 691 & a m. 3581. n 290. & 293. & schol 11.

XVII *Non probari combustos.* Iam vero quomodo probatur hos libros Hierosolymis fuisse cōbustos? Certe sacer historicus id nusquam tradit, Ieremias eam iacturam, maxime in primis deplorandam, neque describit in prophetia, neque lamentatur in Threnis, qui tamen tam multa alia quae combusta, quae fracta, quae asportata minutatim describit. Neque minus curae fuisset Spiritui sancto id Ieremiae dictare, atque suggerere, ad futuri miraculi magnitudinem celebrandam, quam cum Machabaeorum tempore scribi voluit iussu Antiochi libros legis Dei igne combustos, atque discissos; & apud quemcumque inuenirentur fuisse trucidatum. Ex quo loco habetur primo non publice tantum seruatos diuinos libros, sed priuatim à plerisque. Id autem à sanctis viris hoc tempore vel maxime factum fuisse, Daniele, Ezechiele, Ieremia, Baruch. quis poterit dubitare? 2. quantauis adhibita ab impio illo rege diligentia non potuisse tamen fieri, vt scriptura penitus interiret. Nam vt notauit Perer. post eam iussionem & inquisitionem, congregatos legimus [c] Iudaeos in Maspha, & ibi cum multo luctu, & moerore expandisse libros legis coram Domino. Ionathas quoque, vt ante dixi, multis post annis se eos habere gloriatur.

*Non potuisse omnes in Chaldaeorum potestatem venire.*

c l. 1 Machab. c. 3. 46.

XVIII. *Sicut neque postea in manus Antiochi.* Qvod si vt ait idē Perer. tempore Machabaeorū, cum iussu regis Antiochi, qui crudelissimo dominatu omnem Iudaeam oppressam tenebat, sacri libri summa cum diligentia conquirebantur, omnibusque vestigiis indigabantur, & apud quoscumque inuenti essent, discindebantur, comburebantur, & qui eos occultarant trucidabantur; multi tamen ab illo incendio seruati sunt, quanto minus credibile est fuisse eos à Chaldaeis omnes combustos, cum neque Chaldaeos combussisse aliquos libros, neque comburere voluisse, vsquam scriptura testetur. Quod si Ieremias [d] inter has turbas arcam foederis, & tabernaculum, & altare Thymiamatis, cum igne perpetuo, eripere potuit incendio, quanto facilius eam diligentiam in conseruandis libris sacris adhibuisse credendus est?

*Videri seruatos à Ieremia.*

d l. 2. Machab. c. 2. 4.

XIX. *Contrariū ex libro Esdrae non probari.* Iam vero locus ille 2. Esdr. 8. quem vrget à Castro, aperte contra eum facit, vt notauit Bellarminus. Nam init. eiusdem cap. legitur congregatum fuisse omnem populum ad plateam quae erat ante portam aquarum, & dixerūt, inquit, *Esdrae scribae vt afferret librum legis Moysi, quam praeceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine, & legit in eo aperte, de mane vsque ad mediam diem*: quomodo iubetur afferre librum, qui nullus erat? & quomodo nullus erat, si eum attulit? quomodo denique vere dicitur in eo legisse, & aperuisse eum coram omni populo, si ex memoria sua omnia eructabat? nonne id erat auditorum oculis illudere?

XX. *Ac ne apocrypho quidem Esdrae.* Postremo, vt idem obseruauit, contraria opinio non alio scripturarum fundamento nititur, quam libri 4. Esdrae, qui apud Hebraeos, Graecos, ac Latinos semper apocryphus habitus est. Vbi tamen nihil scribitur de sacris

Moysis, aut prophetarum libris restauratis, sed tantum per 40. dies à quinque viris ducentos, & quatuor libros fuisse descriptos, quorum 70. seruandi essent, & tradendi sapientibus, reliqui autem palam proponendi, vt à dignis & indignis legerentur: quæ cum libris de quibus agimus nihil habent commune. Vide de eo lib. Hierony. præfat. supra Esdram, & contra Vigilantium.

Porro fatetur ipse Leo Castrius Esdram diuina ope adiutum distinxisse, & distincte legisse omnia, quamuis vitiata & corrupta essent; at hoc longe aliud est, quam à Chaldæis combusta, de integro restaurasse: & huiusmodi vitia & corruptio non Chaldæis, sed descriptoribus imperitis tribuenda sunt. Postremo quasi præuaricando concludit, *& quamuis non omnia intercidissent captiuitate Babylonica, quod ibi commentarentur quoque legem Domini, interciderant plurima tanta ruina, & pro miraculo apponitur, quod etiam vitiata & mutila Esdras diuino afflatu legerit.* *Esdras correxit, ac distinxit libros sacros*

ADDIMVS etiam eum collegisse, & ordinasse scripturas in vnum corpus, rerum & temporum habita ratione: quæ maxima ex parte fuisse videtur prædictorum patrum sententia, ipsorum expositore Hieronymo, quibus addimus Athanas. in Synopsi. *Narratur & hoc de Esdra. Cum libri sacri per incuriam populi, & diuturnam captiuitatem perirent, ipsum cum esset vir industrius, & lector perdiligens, verique ac recti studiosissimus, eos omnes libros apud se custodiuisse, & postea eos in commune protulisse, atque ita quodammodo ab interitu vindicatos, conseruasse.* Sic Diuus Athanasius, explicans historiam supra modum figuris amplificatam: & huc quoque videtur Hieronymus contra Heluidium respexisse, dum eum vocat instauratorem operis à Moyse conscripti. Quæ dispositio & ordo aliis postea temporum perturbationibus, confusa rursum in plerisque, & perturbata est, vt in prophetia Ieremiæ in omnibus linguis vel maxime cernitur. XXI. *Quæ mens prædictorũ patrum in hac re. Ex Athanasio.*

QVOD ad locum illum Esdræ attinet, cum totum caput repugnet illi sententiæ, non est quod verbum vnum eò per vim trahatur, præsertim ei neque Hebraica, neque Vulgata fauente, & vix etiam Græca. Quid enim vetat interpretari Esdram docuisse, & distinxisse *in scientia Domini*, id est in lege Domini? iuxta illud Deuteronomii.[a] *Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis; vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant, En populus sapiens, & intelligens, gens magna.* Aut etiam distinxisse in scientia Domini, id est iuxta scientiam sibi à Domino datam, Deo ei peculiariter fauente ad bene docendum, & populo ad bene intelligendum: vt propterea dicatur non lectionem, sed in lectione intellexisse. Quod autem dicitur quasi pro miraculo inuentus liber sub Iosia; iam suo loco responsum est. Significat Genebrardus, vt 2. tom. notauimus, fuisse illud exemplar, quod à Moyse, vel eo viuo scriptum fuerat, & in sanctuario positum, à quo plus octingentis annis iam abierat, vt propterea maiore deuotione & fructu lectus fuerit. XXII. *Exponitur locus Esdræ*

a c. 4. v. 6.

VERVM de hac quæstione iam satis, ad captiuos transeamus. Ex quibus cum aliquos serius interfectos legamus, alios non interfectos, sed in vinculis habitos, vt transmigrarent, dubium est quid causæ fuerit, cur Chaldæi in omnes pari clementia, aut sæuitia non sint vsi. In qua dubitatione sic mihi dicendum videtur. Dum templum, & Hierosolymitanorum domos Chaldæi sollicite scrutantur, atque diripiunt, maxime autem dum eas subiectis facibus incendunt, exierunt mures à cauernis suis, & qui mortis, aut suppliciorum metu latebras occultissimas petierant, sese in conspectum dederunt. De his ita scriptum est.[b] *Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum*, id est pontificem, *& Sophoniam sacerdotem secundum*, id est eius gerentem vices, *& tres ianitores*, hi cum essent de genere Leuitico, videntur in templo delituisse: pergit, *Et de ciuitate Eunuchum vnum*, id est cubicularium, qui erat magister militum, *& præfectus super bellatores viros, & quinque viros de iis qui steterant coram rege*, dum scilicet regnum staret aulici fuerant, *quos reperit in ciuitate, & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrone de populo terræ*, qui scilicet conscribebat exercitum, & eos qui nomina militiæ dabant. Hi de primariis viris reperti sunt, & insuper *sexaginta viri è vulgo inuenti fuerunt in ciuitate.* XXIII. *Quæ ratio in interficiendo seruata.* *Qui in vrbe latuerint de primariis viris.* *Et vulgaribus.* XXIV. *Quare hi videantur occisi.*

b 4. Reg. 25. 18.

QVOS *tollens Nabuzardan princeps militum duxit ad regem Babylonis in Reblatha,*

*Percußitque eos Rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath*, quæ narratio c. 52. refertur; vbi tamen pro Saulicis 7. ponuntur. [a] Cum ergo tardius isti interfecti sint, & lóge plures in ciuitate capti fuerint, nec tamen occisi, [b] dicitur enim in 4. Reg. (*quinque reliquam populi partē, quæ remanserat in ciuitate; & perfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquū vulgus transtulisse Nabuzardan*) aliquid istos præ reliquis peccasse oportuit. Forte postquam primus furor cædendi deferbuit, iussi sunt omnes sese dedere ad seruitutem, & captiuitatem Babylonicam, idque pœna mortis proposita, si quis intra certum tempus imperata facere cunctaretur. Isti ergo cum suis confisi latebris non paruissent, capitali supplicio affecti sunt. Reliqui cum transfugis solum verterunt.

a Vide Abul. q. 15 in c. 25. 4. Reg.
b 4. Reg. 25. 11.

XXV. *Cur relicti vinitores, & agricolæ.*

QVID est autem quod de pauperibus terræ dicitur vinitores, & agricolas reliquisse. [c] *Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant dimisit Nabuzardan magister militum in terra Iuda, & dedit eis vineas, & cisternas in die illa.* Existimo istos de industria relictos in Iudæa, vt terram non suo, sed Chaldæorum nomine colerent, tanquam famuli, ne terra fructifera, imo lacte & melle manans, nouis dominis esset inutilis. *His imperauit*, ait Ioseph. [d] *vt pro agris quos ad culturam acceperant, certum tributum regi penderent.* Sed quoniam necessarius erat aliquis, qui rudem hanc, & imbellem plebeculam contineret, ac regeret, elegit Nabuchodonosor Godoliam filium Ahicam. Iosephus eum ait hominis nobilis filium, virum æquum, & bonum, qui videtur fuisse aliquis de Iudæis transfugis, quem sibi fidelem fore Chaldæus credidit; eique commendauit viros, ac mulieres, & paruulos de pauperibus terræ, qui non translati fuerant in Babylonem. [e] Quoniam vero Nabuchod. Iudæos non semel periuros ac fœdifragos expertus fuerat, ita regionem recens acquisitam fidei Iudæi Godoliæ commisit, vt prudenter tamen ei socios Chaldæos adiungeret, qui cum eo morarentur in Masphath. [f] Sed Dominus, qui hanc regionem plane desolatam volebat, permisit hoc consilium quamprimum disiici, ac disturbari, vt postea dicetur.

*Sub cura Godoliæ.*

c 4 Reg. 25. 12. & Ier. 40. 7. & 39. 10. c. 52. 16.
d l. 10. c. 11.
e Ier. 40. 7.
f vt patet ex 4. Reg. 25. 25.

XXVI. *Quid factum Ieremiæ.*

VERVM quid factum est Ieremiæ? Narrat ipsemet satis copiose c. 40. sed tamen paulo obscurius, cum enim [g] paulo ante dixisset Nabuzardan, & omnes optimates regis Babylonis misisse, & tulisse Ieremiam de vestibulo carceris, & tradidisse eum Godoliæ, vt intraret in domum, & habitaret in populo. Mox init. ca. 40. dicitur dimissus, non de vestibulo carceris, sed de Rama, quò profectus erat vinctus catenis, cum cæteris, qui migrabant in Babylonem. R. Salomon, quem Lyra. sequitur, & Dionys. dicunt liberum quidem dimissum fuisse, vt dicitur c. 39. sed cum videret ciues suos vinctos catenis, eandem sortem subire voluisse. Itaque venisse vsque Rama, ibique iterum à Nabuzardan dimissum. At scriptura dicit Nabuzardan tulisse eum vinctum catenis in medio omnium. Torniel. dicit factam quidem iussionem à principe, sed ministrorum incuria neglectam: sed id non satis quadrat textui, vbi dicitur non solum iussus educi, sed eductus è custodia, & traditus Godoliæ. Aliam responsionem idem subdit; liberatum illum quidem primò, & solutum vinculis, postea tamen rursum per militarem licentiam in vincula cum cæteris coniectum. At quomodo id credibile est cum c. 39. dicatur Ieremias traditus Godoliæ, quem omnes Chaldæi norant, & vt Regi charum honorabant, quique Ieremiam apud se magno habebat in pretio, vt sanctum Dei prophetam.

g c. 39. 13. 14

*Varia sententia de eius vinculis, & libertate.*

XXVII. *Quo modo res gesta fuerit.*

DICIMVS ergo cum à Castro, quæ dicta sunt de liberatione Ieremiæ c. 39. obiter & summatim dicta fuisse, eadémque cap. 40. fusius, & distinctius explicari: res autē gesta est hoc modo. Cum accepisset Nabuzardan mandatum à Nabuchodonosor benignè tractandi Ieremiam, misit is præfectos, qui captiuos in Babylonem transferendos, in Rama deducerent, vt inde Babylonem versus iter capesserent, nominatimque Ieremiæ, qui in vestibulo carceris esse dicebatur, curam gererent. Illi iussis obtemperant, & inuentum in carcere Ieremiam, catenis vinctum cum cæteris in Rama adducunt, quod autem ab istis ministris Nabuzardan factum est, ab ipsomet factum fuisse dicitur. Ibi ergo agnitum Ieremiam, & exemptum catenis, & ad se vocatum sic allocutus est Nabuzardan.

DOMINVS *Deus tuus locutus eſt malum hoc ſuper locum iſtum, & adduxit, & fecit Dominus ſicut locutus eſt, quia peccaſtis Domino, & non audiſtis vocem eius; & factus eſt vobis ſermo hic. Nunc ergo ecce ſolui te hodie de catenis, quæ ſunt in manibus tuis; ſi placet tibi vt venias mecum in Babylonem, veni, & ponam oculos meos ſuper te: ſi autem diſplicet tibi venire mecum in Babylonem, reſide. Ecce omnis terra in conſpectu tuo eſt, quod elegeris, & quò placuerit tibi vt vadas, illuc perge.* Cum autem ex vultu ipſo, aut geſtu aliquo agnoſceret princeps militiæ Ieremiam non libenter iturum in Chaldæam; vt qui intelligeret Dei eſſe voluntatem, vt in terra Iuda remaneret, & curaret ſalutem eorum, qui ex fuga & diſperſione congregandi erant, addit Nabuzardan. XXVIII *Nabuzardan dat optionem Ieremiæ.*

MECVM *noli venire, ſed habita apud Godoliam filium Ahican, quem præpoſuit Rex Babylonis ciuitatibus Iuda*, (vel ciuitatum potius parietinis, & ruinis) *habita ergo cum eo in medio populi*, populum vocat plebem illam pauperculam, quæ nihil penitus habebat, *vel quocunque placuerit tibi vt vadas, vade. Dedit quoque ei magiſter militiæ cibaria*, id eſt viaticum, ſiue commeatum, cibo enim maxime egebat, qui inedia in obſidione propemodum enectus fuerat: dedit *& munuſcula & dimiſit eum.* Hac de re ſic Ioſephus. *Propheta*, inquit, *neque ducem ſequi voluit, neque aliò ad habitandum ire, contentus habitare in ruinis patriæ; & eius miſeras reliquias colere. At dux voluntate eius cognita, Godoliæ, quem ibi relinquebat, commendauit hominem, mandans ne quid ei deeſſe pateretur; donatóque vate magni pretij muneribus, ipſe quoque domum profectus eſt.* XXIX. *Permittit vt maneat cum Godolia.*

a l. 10. c. 11. ADDIT Ioſephus [a] Ieremiam poſtulaſſe à Nabuzardan dari ſibi Baruchum, quo hactenus familiariter vſus fuerat, qui ſecum vinctus eò deductus fuerat, quique adhuc cum cæteris vinctus erat, idque ab eo impetraſſe. Sed Ioſephum non recte videtur intellexiſſe interpres, dum ait Ieremiam domicilium elegiſſe apud oppidum Maſphath, impetrata prius à Nabuzardane gratia, vt ſecum è carcere dimitteretur & Baruchus Neri filius, inſigni familia natus, & in patria lingua egregie doctus. Videtur enim ſignificare Baruchum in carcere fuiſſe cum Ieremia, & cum eo ſimul eductum, cum fuerit tantum vinculorum in itinere ſocius; nec Ioſephus carceris meminit, habet enim tantum, *ἵν' αὐτῷ συναπολύσῃ τὸν μαθητήν*. Vt diſcipulum ſuum quoque vinculis ſoluat. XXX. *Petit Ieremias Baruch.*

HOC ergo ſcriba atque adiutore ſuo recuperato Ieremias, miſeratus non ſolum ſortem captiuorum, ſed etiam periculum, quod in cohabitatione Babyloniorum adituri erant, ſcripſit epiſtolam, quam illi ſecum deferrent, & ea quaſi antidoto, aduerſus cultum ſimulachrorum vterentur. Nam hoc ipſo tempore ſcriptam eſſe ſentit Torniellus, & à Caſtro. Ea extat cap. 6. libri Baruch: cuius hic erat titulus. *Exemplar epiſtolæ, quam miſit Ieremias ad abducendos captiuos in Babyloniam à rege Babyloniorum, vt annunciaret illis, ſecundum quod præceptum eſt illi à Deo.* Eius porro initium quo de captiuitatis huius diuturnitate agitur, multorum quotidie interpretum ingenia vehementer exercet. [b] Ait autem, *Propter peccata quæ peccaſtis ante Deum, abducemini in Babyloniam captiui à Nabuchod. rege Babyloniorum. Ingreſſi itaque in Babylonem eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, vſque ad generationes ſeptem. Poſt hoc autem educam vos inde cum pace.* Quomodo enim 7. generationibus definitur captiuitas, quam 70. tantum annorum fore, tam ſæpe aliæ ſcripturæ teſtantur? 7. autem generationes ſi ſingulis annos 20. vt contingere ſolent, attribuamus, fient anni 140. Nam 10. annorum generationes fingere ridiculum videtur, & à ſimplici narratione prophetæ alieniſſimum. XXXI. *Scribit Babylonem Ieremias in vſum captiuorum.*

b Perer. in c. 9 Daniel à Caſtro in eum locum Baruch Villalp. t. 3. l. 3. c. 1 Torniel. an. 1. text. ætat. n. 7 præter antiquiores.

Ex omnibus autem expoſitionibus, ea mihi maxime probatur quam etiam Torniellus amplectitur, eſtque tertia Pererij ad hanc difficultatem reſponſio, ſeptem has generationes non in primo anno Cyri terminari, quo deſolationis anni ſeptuaginta finiuntur, ſed longe poſt, cum tempore Artaxerxis Eſdras, cum multis aliis, in Iudæam dimiſſus eſt. Sicut enim per partes Iudæi in captiuitatem abducti ſunt, ita & inde per partes redierunt, vt ſuis dicetur locis. Epiſtola ipſa longior eſt, nec obſcura; de qua conſule à Caſtro, ne longius ab inſtituto recedamus. XXXII. *7. Generationes Baruch quî accipienda.*

DESOLAT. I.

CAPTIVI ABDVCANTVR BABYLONEM.

XXXIII. *Captiui quomodo abducti Babylonē.* CÆTERVM ex his quæ paulo ante dicebamus, de captiuis Ierosolyma deductis in Rama, intelligi potest quo illi modo Babylonem commigrarint: longo scilicet agmine, bini, terniue colligati, seu potius catenis, manicisue ferreis constricti, adstante cum loro, aut scipione barbaro, qui tristi, miserabilique spectaculo, dorsum pro libidine, lateráque tunderet, quemadmodum vsuuenire cernimus ad triremes damnatis reis. In quorum numero, atque agmine Rex ipse Sedechias fortasse fuit, nullo alio priuilegio cætera turba felicior, nisi quod suam ipse miseriam, suorumque, effossis nuper oculis, non videbat. Verum tam luctuosum fuit postremum iugulatorum liberorum, cum ipso nobilitatis flore, spectaculum, vt multis aliis obiectis tristissimis præponderaret.

XXXIV. *Sedecias in cauea: filiæ eidem ereptæ.* QVAMQVAM de Sedecia nominatim sic Hierony. in com. in 13. Isaiæ. *Sedeciam captum duxit Antiochiam, quæ tūc vocabatur Reblatha, ibique coram patre filiis interfectis, oculos Sedeciæ iussit auferri, excæcatumque misit in caueam, & in ritum ferarum traxit in Babylonem, completo vaticinio quod canebat Ieremias, intrabis in Babylonem, & non videbis eam.* Sed id vaticinium Ezechielis fuit, non Ieremiæ, vt supra diximus. Idem Hieron. in c.17. Ezechiel Sedeciam instar feræ in cauea clausum repetit. Accessit etiam ad cumulum malorum Sedeciæ, vt filiæ, quæ ei reliquæ erant, à patre, tam longo interuallo periculosè auellerentur: qui posset earum curam in captiuitate gerere, & vicissim ab iis aliquid solatij reliqua ætate, in oculorum, ac liberorum, regni atque libertatis orbitate, accipere: & Godoliæ nescio cui, potius quam patri, aut matri permitterentur. Nam à Ieremia [a] mentio fit filiarum regis, quas etiam Ismaël, occiso Godolia, in Ægyptum captiuas abstraxit. Vt à Chaldæorum elapsæ manibus, Ægyptiorum petulantiæ periculum adirent. a 41.10.

XXXV. *Ieremiæ in captiuo lamenta.* HVC videtur allusisse Ieremias cum diceret. [b] *Vox in excelso*, [c] *Audita est lamentationis, luctus, & fletus, Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.* Vbi interprete D. Tho. Chald. Vatabl. A Castro, & aliis, prædicitur ploratus, & vlulatus matronarum, filios suos, adde etiam fratres, & maritos lamentantium, quos videbant quasi vilia mancipia in seruitutem abduci, sub quarum persona inducitur Rachel, quæ ibi sepulta fuerat, plorans, quod scilicet tanta esset futura illa mulierum comploratio, vt si fieri posset, etiam mortui ad plorandum incitarentur. Sed & ipse Ieremias non minore sensu flens, & lamentans dicebat. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo.* Et *Egressus est à filia Sion omnis decor eius, facti sunt principes eius velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis*, vt pecora ante abactores. *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo; quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* b c.31.15. c id est in Rama, sic enim redditur.

XXXVI. *Numerus captiuorū.* HORVM captiuorum numerus à Ieremia ponitur. [d] *In anno octauodecimo Nabuchodonosor*, in illo quippe anno captiui facti sunt, initio tamen 19. amandati, *cum transtulit de Ierusalem animas octingentas triginta duas.* Quod addit de Ierusalem, videtur innuere etiam de aliis ciuitatibus multos abductos fuisse, quorum non est initus numerus. In his autem in primis fuit Iosedec filius Saraiæ pontificis, paulo ante occisi, cuique in nudo titulo pontificatus successit. [e] *Saraias genuit Iosedec, porro Iosedec egressus est, quando transtulit Dominus Iudam & Ierusalem per manus Nabuchodonosor.* Iosephus quoque. [f] *Iosadocum etiam pontificem vinctum secum duxit, Sareæ pontificis filium, quem modo Reblathis affectum supplicio diximus.* d c.52.29. e 1. Par. 6. 14. f l.10.c.11.

XXXVII. *Numerus Pontificum templi Salomonis.* PERSIMILIA his alibi scribit, [g] vbi numerum etiam pontificum templi Salomonici recenset. *Post tredecim illos pontifices, alij octodecim secuti sunt, à tempore Salomonis regis sibi succedentes, vsque dum Nabuchodonosor Babyloniorum Rex, contra nostram vrbem expeditione facta, templum incendit, & translata tota gente Babylonem, Iosedecum quoque pontificem illò abduxit. Horum pontificatus tempus quadringentorum sexaginta sex annorum fuit, mensium sex, dierum decem, Rempub. Iudæorum gubernantibus regibus.* Hæc ibi. Sed iam hoc tempus supra correximus. Hoc autem loco pontificum corrigendus est numerus. Nam nouendecim hactenus numerauimus, & suis quemque locis confirmauimus, quorum hæc sunt nomina, tam ex scriptura, quam ex Chronico Hebræorum, & ipsomet Iosepho petita. Sadoc, Achimaas, Azarias, Iohanan, Azarias II. Amarias II. Ioiadas, Peiadas, Sedecias, Ioël, qui & Azarias III. Ioathan, Vrias, Nerias, qui & Azarias IV. Osaias, Ioacim, qui & Eliachim, Helcias, Azarias V. Saraias, Iosedec. Oportet autem in pontificum g l. 20. c.8.

a L. 10. c. 11. numero hic decipi, si recte alio in loco [a] septemdecim tantum pontifices templi Salomonis numerat: alterutro certe loco falli necesse est.

DVM illi abeunt Ieremias de sacro deposito sollicitus, diuino monitu locum adit, in quo ista abdiderat, eáque inde trans Iordanem vsque transfert, in montem, in quo Moyses terram Chanaan sub mortem contemplatus fuerat. Sic enim legitur 2. Machab. 2. ex quibusdam Ieremiæ descriptionibus, quæ non extant. *Erat autem*, inquit, *in ipsa scriptura quomodo tabernaculum, & arcam iussit propheta diuino responso ad se facto comitari secum, vsquequo exijt in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit hereditatem Dei.* Intelligit sine dubio montem Nebo, de quo in 34. Deuter. Quid est autem quod ait; *iussit arcam comitari secum?* Interpretatur Lyranus & Torniel. [b] Ieremiam plures assumpsisse socios, qui sacram hanc supellectilem deferrent. Et certe paulo post legitur, aliquos qui sequebantur locum notare voluisse. XXXVIII *Ieremias arcam abscondit.*

b An. 1. fer. æt num. 8 de hac re vide etiam Gretl. to. 1. in defens. Bellar.

SERRAR. q. 18. in secundum Machab. dici posse putat angelorum opera delatam fuisse, præsertim cum Ieremias nullos videatur eius loci, in quo hæc reconderentur, conscios habere voluisse (quo modo multis post seculis ædes Lauretana, ab ipsa vsque Palæstina ad Italiam translata creditur) id tamen miraculum ab aliquibus visum, qui propterea fuerint ad sequendum incitati. Pergit autem scriptura. *Et veniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ, & tabernaculum & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit, & accesserunt quidam simul qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Ieremias, culpans illos dixit, Quod ignotus erit locus, donec Deus congreget congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit*, &c. XXXIX *Qui arcam detulerint.*

c l. 1. c. 17. IOSEPHVS Gorionis [c] ait hoc tabernaculum fuisse, non quod Dauid extruxerat in Sion, sed quod Moyses in deserto; eos autem qui Ieremiam sequebantur, fuisse sacerdotes. *Arca non aderat*, inquit, *quia abstulerat eam Ieremias propheta, vna cum omnibus cortinis, quas fecerat Moyses seruus Domini in deserto, & posuit eas in monte Nebo, vbi inuenit speluncam, in cuius concauitate posuit eas. Cumque sequerentur sacerdotes, qui fuerant in diebus istis, prophetam, vt aduerterent locum, respiciens post se Ieremias iratus est*, &c. Hæc autem quæ describuntur ex illis Ieremiæ descriptionibus, quam habeant autoritatem non facile dixerim. Certe Eman. Sà non putat habere autoritatē scripturæ: ille enim descriptionum liber non fuit canonicus, imo nec totam illam Iudæorum epistolam, sicut nec reliquas, quæ in libris Machabæorum recitantur, Antiochi, Spartiatarum, Romanorum, quoniam Scriptura duntaxat refert illos ita scripsisse, [quod de fide est; sed hac de re alibi iterum. XL. *Quod tabernaculū absconditum. Et qui Ieremiam secuti. Quæ autoritas descriptionū Ieremiæ, &c.*

REDEO ad Ieremiam, qui hoc pio perfunctus ministerio, ad desertam Ierusalem rediit: ibique per otium contemplatus est, non vltra vrbem perfecti decoris, dominam gentium, principem prouinciarum, gaudium vniuersæ terræ, Non vltra templum illud Salomonicum Hebraicæ gentis gloriam, mundi miraculum, exemplar diuinæ architecturæ: sed disiectorum murorum aceruos, diffractarum domorum cumulos, omnia rudera, atque parietinas afflatas fumo, fuligine nigricantes. Vidit ibi iam impleri illud Esaiæ. [d] *Et extendetur super eam mensura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem. Nobiles eius non erunt ibi, regem potius inuocabunt, & omnes principes eius erunt in nihilum. Et orientur in domibus eius spina, & vrtica & paliurus in munitionibus eius, & erit cubile draconum, pascua struthionum*, &c. Quæ licet Sancti patres ad vltimam illam vastitatem Romanam magna ex parte referant, ad hanc tamen priorem Chaldaicam non male accommodantur. XLI. *Ieremias deplorat euersam vrbem.* *Quam Esaias quoque præuiderat.*

d c. 34. 11.

e c. 9. 10. HOC est illud tempus, quod Ieremias multo ante prædixerat. [e] *Super montes assumam fletum, ac lamentum, & super speciosa deserti planctum*; montes intelligit Sion, & Moria præcipue, in quibus templum, ciuitas Dei, & regia palatia, quæ fuerant in loco nunc deserto longe speciosissima sed pergit. *Quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens, & non audierunt vocem possidentis*, siue pecoris depascentis, iuxta Hebræum, vnde sequitur, *à volucre cœli, vsque ad pecora transmigrauerunt, & recesserunt. Et dabo Ierusalem in aceruos arenæ, & cubilia draconum, & ciuitates Iuda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator.* XLII. *Et ipse Ieremias.*

XLIII. *Tempus Threnorum, & eorũ exordium.*

HOC ipsum tempus lamentationum Ieremiæ, quasi intento digito demonstrant illa verba, quæ sub initium lamentationum habentur. *Et factum est postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit,* &c. Quæ verba quasi titulum Threnorum addiderunt 70. ad indicandum tempus, quo editi sunt, eumque titulum quamuis multi prætermiserint interpretes, agnoscit tamen Orig. & exponit, & in omnibus Græcis, Latinisque codicibus reperitur, sed in Latinis additum est, *& amaro animo suspirans, & eiulans.*

Quoniam ergo illa verba, licet scripturæ autoritatem non habeant, vt D. Bonad. Lyran. à Castro asserunt, quia 70. non sacrorum scriptorum munere, sed interpretum duntaxat functi sunt, quia tamen magnam autoritatem habent, vtpote non vnius, vel alterius, sed 70. doctorum; quibus plerique antiqui, recentioresque consentiunt, & ipsamet scriptura idem aperte clamat, plurima enim dicit, quæ nisi postremæ calamitati conuenire non possunt: Ideo de tempore harum lamentationum minime dubitandum videtur, licet multas ea de re opiniones inueniamus, quas apud Christophorum à Castro leges, in Isagoge ad has lament. [a] Tertium tamen lamentationum caput propriè ad ipsum Ieremiam pertinet, vt vult Orig. Eusebius, Rupertus, Hebræi, & à Castro, qui tamen interdum assumit personam populi; mystice autem Christi patientis personam sustinet. Postrema est oratio Ieremiæ cap. 5. vbi per epitomem recensitis malis, quibus afflicti sunt Iudæi, propter parentum suorum, & sua ipsorum peccata, veniam à Deo, & misericordiam, & restitutionem in statum pristinum, postulat. *a c. 3 & 4.*

XLIV. *Dudum ad lamenta conuocabat propheta.*

FVNCTVS est ergo hoc tempore Ieremias officio lamentatricum, quas iam tempore Iosiæ ad hæc lamenta vocauerat. [a] *Contemplamini,* inquit, *& vocate lamentatrices, & veniant, & ad eas quæ sapientes sunt mittite, & properent, festinent & assumant super nos lamentum; deducant oculi nostri lachrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis, quia vox lamentationis audita est,* id est breui audietur de Sion: *Quomodo vastati sumus, & confusi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam deiecta sunt tabernacula nostra,* &c. Nunc autem ipse per se. Quomodo inquit *sedet sola ciuitas,* dudum ciuibus frequens, ac *plena populo. Facta est quasi vidua Domina gentium,* à rege suo repudiata, & gradu deiecta, *princeps prouinciarum,* quæ ab eis exigebat tributum, *facta est sub tributo. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius; non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius. Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici. Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis,* &c. *a c. 9. 17.*

XLV. *Ieremias venit ad Godoliam. In Masphata.*

SEQVITVR vt de noua Iudæorum collectione, & fuga dicamus. Ieremias lachrymis iam exhaustus atque suspiriis, desertæ plebeculæ curam spiritualem gesturus, *ad Godoliam venit in Masphath.* [b] Erat ea ciuitas, vt putat Adrichom. in confinio tribuum Iuda, & Beniamin, quoniam aliquando in tribu Beniamin esse dicitur, alias autem in tribu Iuda, iuxta Hierony. imo iuxta Ierem. [c] eratque in monte conspicua, inter Nobe & Azeca, ad occidentem Ierosolymorum sita, ab eaque quinque fere horarum itinere distans, vbi tempore Samuelis, oratum publice ac sacrificandum est: ideoque etiam posterioribus seculis dicta est Maspha locus orationis. Et quoniam Maspha quoque trans-Iordanem in tribu Gad reperitur, [d] ciuitas Leuitica, quam Gedeon celebrem reddidit, non autem ad radices montis Hermon, vt putat Torniellus, [e] ibi enim non vrbs, sed terra Maspha memoratur, peculiari hanc nota designat Ieremias cum ait, [f] fossam ab Asa rege Iuda factam, cum bellum gereret contra Baasa regem Israël. Illuc ergo Ieremias cum muneribus, & literis commendatitiis Nabuzardan venit ad Godoliam, *& habitauit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra Iuda.* *b Ier. 40 6.* *c 40. 12.* *d Vide an. m. 2960. n. 4 & 8.* *e an. 1. 6. ætat. n 9.* *f c. 41 9.*

XLVI. *Veniunt & alij viri primarij ex fuga.*

CVMQVE *audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones, ipsi & socij eorum, quod præfecisset Rex Babylonis Godoliam filium Ahican terræ, & quod commendasset ei viros ac mulieres,* in his erant filiæ regis Sedeciæ, vt ex cap. seq. constat, eæque vix nubiles. Nam hoc anno earum pater Sedecias trigesimum tertium duntaxat agebat annum, cum primo ac vigesimo regnare cœpisset. [g] Pergit propheta. *Et paruulos, & de pauperibus terræ, qui non fuerant translati in Babylonem, venerunt ad Godoliam in Masphath & Ismael filius Nathaniæ, & Iohanan & Ionathan filij Caree;* & aliquot alij cum suis: qui cum vidissent cum Godolia Chaldæos, timuerunt *g 4. Reg. 24. 18.*

ne illis per fraudem traderentur, quasi eam ob causam hic à rege Babylonis relicti essent, vt Iudæorum fugitiuos comprehenderent, & in exilium deportarent.

XLVII. Quos confirmat Godolias.

VERVM Godolias eis fidem & securitatem spopondit, imo & iureiurando firmauit: sic enim scribit Ieremias. [a] *Et iurauit eis Godolias, & comitibus eorum dicens, Nolite timere seruire Chaldæis, habitate in terra, & seruite Regi Babylonis, & bene erit vobis.* Securitatem pollicebatur tam ex parte sua, qui eos potuisset occidere, & ita gratificari Chaldæis, qui noluissent istos in Iudæa manere, tanquam viros idoneos ad turbas concitandas, sed pauperes tantum terræ cultores; quam ex parte Chaldæorum, qui ea in re Godoliæ, pro ipsis fidem suam obligante, cõfidere, ac gratificari voluissent. Pergit. *Ecce ego habito in Masphath vt respondeam præcepto Chaldæorum*, rationem reddam rerum gestarum præfectis Chaldæorum, eosque excipiam venientes, *qui* subinde *mittuntur ad nos, vos autem colligite vindemiam, & messem, & oleum, & cõdite in vasis vestris, & manete in vrbibus vestris, quas tenetis. Consuluit*, inquit Iosephus, [b] *vt vnusquisque habitaret in quo vellet oppido, dicẽs missurum se vna aliquot è suis, & daturum operam vt diruta instaurarentur, & habitentur denuo. Illos vero debere, donec tempestiuum est, curare ne frumentum, & vinum, & oleum desit in futuram hyemem, qua sustententur.*

a 40. 9.

b l. 10. c. 11.

XLVIII. Quæ in eius oratione dubia.

ERAT hic sextus anni mensis, id est fere Augustus, ex quo duplex nascitur dubitatio; altera, quomodo messis adhuc tempus esset, quæ longe iam videtur præcessisse. Deinde quomodo in tanta, tamque diuturna peregrinorum militum commoratione, & colluuie, vindemia, & messis, & oleum conseruari potuissent. Respondeo cum à Castro ea verba non ad præsentem tantum annũ, sed ad omnes consequentes referri. Respondet etiam Vatablus nomine messis fructus & fruges intelligi, quæ extrema æstate colliguntur, arborum præsertim fructus, qui eo tempore maturi sunt. Hinc autem vel maxime disciplina militaris Chaldæorum agnoscitur. Quamquam illi prudẽter non Iudæis, sed sibi ista seruabant; ignorantes quam diuturna futura esset obsidio, quam experti erant ad 30. vsque mensem protractam fuisse: nec dubitabant sibi terram omnem, & fructus eius esse acquisitos; itaque dum illa seruabant sua ipsi conseruabant. Conseruassent tamen Iudæis, nisi eos dementissima ambitio iterum perdidisset.

Confluunt alii quoque fugitiui ad Godoliam.

Cæterum non prædicti tantum principes exercitus venerunt ad Godoliam, *sed & omnes Iudæi, qui erant in Moab, & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in vniuersis regionibus, audito quod dedisset*, id est dimisisset *rex Babylonis reliquias in Iudæa, & quod præposuisset super eos Godoliam, reuersi sunt* inquam, *omnes Iudæi de vniuersis locis, ad quæ profugerant, & venerunt in terram Iuda, ad Godoliam in Masphath, & collegerunt vinum, & messem multam nimis*. Hæc ex Ierem. c. 40. 11. 12.

XLIX. Consilia de nece Godoliæ.

NONDVM erant desiccatæ miserorum Iudæorum lachrymæ, cum noua lugendi materies superuenit: proditoria videlicet Godoliæ cædes, cuius industria, atque prudentia poterant Iudæi quoquo modo coalescere. Sed decreuerat Dominus, sicut per prophetas Ieremiam, Sophoniam, Ezechielem prædixerat, terram Iuda desolatam, & 70. annos sabbata sua agentem derelinquere. Itaque scelestissimum, plenumque perfidia & periurio facinus, permisit ab Ismaële alienissimo, atque importunissimo tempore perpetrari. De quo D. Hierony. & Theodoretus interpretantur illud Ezech. 19. fi. *Et egressus est ignis de virga ramorum eius*, vineę videlicet Iuda, quia Ismael erat de semine regio, *qui fructum eius comedit,* occidendo videlicet Godoliam, & reliquias Iuda.

L. Causa suscepti facinoris. Ismaelis inuidia.

CAVSAM suscepti, perfectique sceleris, non ægre ex scriptura suspicari possumus. Ismael enim *cum esset de semine regali* [c] inuidit hanc dignitatem Godoliæ, quamuis eam se assecuturum non speraret; sed in eo fructum sui sceleris ponebat, si quo ipse bono carebat, alterum se inferiorem frui non pateretur: quæ fuit etiam suspicio Iosephi, vt mox dicemus. [d] Et communicato cum rege Ammonitarum consilio, qui hostis erat Chaldæorum, facile ab eo inductus est, vt Godoliam Chaldæorum clientem, & Chaldæos, qui cum eo erant, mactandos susciperet. Res venit in notitiam Iohanan, & cæterorum optimatum, qui cum eo erant; quos forte Ismael ad huius criminis societatem allicere conatus fuerat: qui eam ob causam *venerunt ad Godoliam in Masphath. Et dixerunt ei. Scito quod Baalis Rex filiorum Ammon misit Ismael filium Nathaniæ percutere animam tuam: Et non*

c vt dicitur Ierem. 41. 1

d Vide Abul. q. 24 in c. 25. 4. Reg.

Defertur ad Godoliã

*credidit eis Godolias.* Vir enim bonus, ac vitæ integer alios ex seipso metiebatur.

LI. *Iohanan cupit Ismaelem interficere.* HIC Iohanam cum plane perspiceret, vt res ipsa docuit, in Godoliæ capite omnium Iudæorum, qui ex tanto naufragio euaserant, verti salutem, ratus forte non satis esse animi Godoliæ ad inuadendum Ismaëlem, aut sibi si id faceret à rege Ammonitarum timere, vltrò se obtulit ad perficiendum negotium. Sic enim pergit Ieremias. *Iohanan filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Maspbath. Ibo, & percutiam Ismahel filium Nathaniæ nullo sciente, ne interficiat animam tuam: & dissipentur omnes Iudæi, qui congregati sunt ad te, & peribunt reliquiæ Iuda. Noli*, inquit Godolias, *facere verbum hoc: falsum enim tu loqueris de Ismael.* Verum operæpretium est hac de re audire Iosephum.[a] [a] L.10.c.11.

LII. *Ex Iosepho.* IOANNES, inquit, *cum aliis principibus videntes regionem coli, multum amauerunt Godoliam, propter bonitatem eius, & humanitatem; Admonueruntque eum quod Bathales,* sic enim Baalim vocat, *Ammonitarum Rex, ideo misisset Ismaelem, vt ipsum clam dolo interficeret, & principatum inter Israelitas occuparet, cum sit è genere regio: securum autem fore ab insidiis, si eis permittat Ismaelem clam occidere. Vereri enim se, ne si ipse insidiis præoccupatus fuerit, reliquiæ Israelitarum in totum pereant. Ille vero respondit se non dissimulaturum tales insidias aduersum hominem,* Ismahelem scilicet, *affectum à se beneficio. Non enim esse verisimile eum qui in tanta inopiæ necessitate nihil mali fecerit,* videlicet contra Godoliam, *Nunc contra omne fas, erga benefactorem tam ingratum esse, vt cui circumuento insidiis non posset sine scelere non succurrere, eum sua manu interimere conetur. Attamen etiam si vera essent quæ deferrent, emori esse satius, quam hominem, qui salutem suæ fidei commisisset, opprimere.* Non erat vtique opprimendus, sed priuato publicóque bono cauendus, quod perniciosa fiducia, vel negligentia factum non est. Cæterum *Qui corrigitur.* hæc à Iosepho parum fideliter, & caute amplificata sunt. Neq; enim Godolias dixit se Ismaheli manifestaturum insidias, neque iactauit beneficium, neque probabile est Ismaëlem, ortum regio sanguine, apud Regem peregrinantem ad magnam inopiæ necessitatem deuenisse.

LIII. *Cædes Godoliæ quando contigerit.* CÆDEM porro ipsam ita describit Ieremias.[b] *Et factum est in mense septimo.* [b] c.41. Anni scilicet huius duodecimi, qui erat tertius decimi noni anni Nabuchodonosoris, & trigesimo, vt Iosephus ait, à patefacta coniuratione die, & tertio die mensis, vt ait Chald.[c] & constat ex Hebræorum calendario. *Venit Ismahel filius Nathaniæ, filij Elisama de semine regali, & optimates regis,* Ammonitarum videlicet, [c] Vide an. m. 3544. n. 708. qui honoris causa, & gratulationis, se à rege suo missos mentiebantur, *& decem viri cum eo ad Godoliam filium Ahicam in Masphath, & comederunt ibi panes simul in Masphath. Surrexit autem Ismahel filius Nathaniæ, & decem viri qui cum eo erant, & percusserunt Godoliam filium Ahicam gladio, & interfecerunt eum, quem præfecerat rex Babylonis terræ.*

LIV. *Modus cædis ex Iosepho.* MODVM cædis sic tradit Iosephus. *Inter hospitales epulas, dum se comiter poculis inuitant, hospitem mero grauem, & somnolentum aduertens, cum decem illis sociis adortus interfecit. Nec difficile fuit cæteros conuiuas, similiter affectos confodere: quibus necatis, adiuuante nocturno tempore, per totum oppidum grassati sunt promiscuis cædibus, tam in Iudæos, quam in Babylonios milites securos, & passim dormientes.* Recte explicat Iosephus, quod videbatur ambiguum, an scilicet interfecisset tantum qui erant in conuiuio, an etiam qui erant in oppido, & ait toto in oppido grassatam cædem, non in plebem imbellem, de qua mox, sed in militares viros Chaldæos, atque Iudæos.

LV. *Octoginta viri veniunt ad Godoliam.* POSTRIDIE autem commissi facinoris, eóque nondum euulgato, quod scilicet, vt ait Iosephus nocte intempesta perpetratum esset. *Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri rasi barba & scissis vestibus, & squalentes,* id est ore lurido, puluere, lachrymis, vnguibusque fœdato, templi, & regiæ ciuitatis deplorantes casum, *& munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini,* dicentes videlicet cum Dauide. *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Neque enim propter vicinitatem ignorabant quid templo, quod exustum atque excisum lugebant, à duobus iam mensibus contigisset. Eas tres vrbes Adrichom. ponit in tribu Ephraim, & quidem recta via Hierosolymorum, vt potuerint Samaritæ in via Sichimitis coniungi, & vtrique Siloitis. Et iuxta eiusdem topographicam tabulam distabant Hierosolymis, Silo quidem duarum horarum itinere, Sichem 14. Samaria quindecim aut sedecim. E Silo vero si nō inconsultè,

certe infeliciter, diuerterunt ad salutandum Godoliam in Masphath. Nam si rectà ad templi rudera profecti, illic religioso cultu perfuncti fuissent, euulgata tum Godoliæ cæde, facile sibi consuluissent: sed hoc ipsum ad destinatam diuinitus terræ desolationem pertinuit.

HOS ergo venientes eminus contemplatus Ismahel, venit in occursum eorum de Masphath. *Plorans*, & tristitiam simulans super omnes Iudæorum calamitates. *Cum autem occurrisset eis, dixit ad eos, venite ad Godoliam filium Ahicam. Qui cum venissent ad medium ciuitatis, interfecit eos Ismahel circa medium laci, ipse & viri, qui erant cum eo.* Causam huius tam barbaræ ac proditoriæ cædis innuit propheta, cum ait paulo post, interfectos esse ab Ismahele, *propter Godoliam*. Amicos enim Godoliæ, quem ipse oderat, suos quoque inimicos existimauit, timénsque eius cædis vltores, eos mature de medio sustulit, exceptis paucis, qui vitam suam pretio redemerunt. LVI. *Ab Ismahele interficiuntur.* *Et cur.*

Decem enim viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismahel. *Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti, & hordei, & olei & mellis. Et cessauit, & non interfecit eos cum fratribus suis.* Lacus autem in quem proiecerat Ismahel cadauera virorum, quos ipse percussit propter Godoliam, ipse est quem fecit rex Asa propter Baasa regem Israël, ipsum repleuit Ismahel occisis.

NEC contentus hic scelestus, ciues suos crudeliter interficere, qui barbarorum gladios effugerant, etiam in imbellem multitudinem sæuus fuit, cui Chaldæorum pepercerat furor; non ferro quidem vltra desæuiens, sed eripiens, quam præter opinionem consecuti fuerant, libertatem, vt miseri Iudæi tot tantorumque scelerum rei, hostes suos præ ciuibus clementes experirentur. *Captiuas* enim vt ait Ierem. *Duxit Ismahel omnes reliquias populi, qui erant in Masphath, filias regis, & vniuersum populum, qui remanserat in Masphath, quos commendauerat Nabuzardan princeps militiæ Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Ismahel, & abijt, vt transiret ad filios Ammon*, illis fortasse pro mancipiis vsurus, vel Ammonitis mancipaturus. LVII *A quo & alij captiui fiunt.*

CÆTERVM tam perniciosam, tamque lugubrem iudicarunt Iudæi hanc Godoliæ cædem, vt propterea ieiunium septimo mense in totam posteritatem indixerint. Nam D. Hierony. & Cyrillus, & alij recentiores, illa verba Zachariæ, [a] *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium, & in lætitiam, & in solennitates præclaras.* Interpretantur de ieiunio indicto quarto mense, quando Chaldæi fracto muro irruperunt in ciuitatem; quinto, quando vrbs euersa est, & templum inflammatum; septimo, quando Godolias occisus est, & Iudæa penitus deserta. Decimo denique, quia eo mense Nabuchodonosor Hierosolymam obsidere cœpit. LVIII *Ieiunia Iudæorum propter has clades.*

a c.8.19.

HANC historiam referens Iosephus, videtur existimasse prophetam inconsulte scripsisse, hos 80. viros dona ad templum Dei euersum iam & incensum detulisse: ideoque ea ad Godoliam delata scribit, templi mentione prætermissa. Nec scribit Ismahelem ad fallendum, cum simulatione tristitiæ venientibus occurrisse, sed ex domo Godoliæ, intrò eos ad Godoliam vocasse: nec ait circa lacum, aut foueam Asæ occisos, sed introgressos clauso palatio trucidasse. Denique hordeum, & oleum, & mel, in vestes & supellectilem commutauit, in solita pridem scribendi licentia strenue perseuerans. LIX. *Iosephus hanc historiam Ismahelis deprauat.*

IN hoc cædium, & captiuorum tumultu, fieri non potuit quin elaberetur aliquis, qui Iohanan filium Caree, in quem mortuo Godolia omnium oculi intuebantur, reliquosque viros militares eius socios, de hac tota Masphathentium clade doceret. Qui propere assumptis quisque militibus suis, contra Ismahelem venerunt, & excussa de manibus præda, non sine sanguine in fugam ad Ammonitas compulerunt: sed audiendus est nobis ipsemet Propheta. *Audiuit autem Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo omne malum, quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ. Et assumptis vniuersis viris, profecti sunt vt bellarent aduersus Ismahel, & inuenerunt eum ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon.* Dionysius, & à Castro hic memorari existimant piscinã Gabaon [b] siue agrum robustorum. Erat enim Gabaon in via Masphath ad Ammonitas. Rectius multo quam Iosephus, quem à Castro iure miratur fontem hic, aut piscinam potius Hebronẽsem com- LX. *Eripitur Ismaheli præda.*

b de qua 2. Reg. 2.13.

minisci, cuius est mentio 2. Reg. 4. 12. Nam Hebron in montanis Iudææ ad Meridiem sita, multis milliaribus distabat à suscepto itinere, quod latrones fugitiui quam breuissimum eligunt capta præda.

LXI. *Fugit Ismahel, redit Iohanan cum captiuis.* PERGIT Ieremias. *Cumque vidisset omnis populus* (captiuorum) *qui erat cum Ismahel Iohanan filium Caree, & vniuersos principes bellatorum, qui cum eo erant, lætati sunt.* Agnouerunt enim eos adesse suæ vindices libertatis. Et dum Ismahel cum suis arma ad resistendum expedit, eo deserto, conuersa facie *reuersus est omnis populus, quem ceperat Ismahel, in Masphath, reuersusque abijt ad Iohanan filium Caree. Ismahel autem fugit cum octo viris à facie Iohanan*, reliquis, vt apparet, in pugna desideratis: nam cum decem viris venerat, præter optimates regis Ammonitarum, [a] *& abijt ad filios Ammon.* Iohanan autem cum suis & reduce populo, relicta Masphath abierunt, & sederunt peregrinātes in Chamaam, Iosephus vocat Mandra. Chaldæus autem hunc locum sic explicat. *Abierunt & sederunt in peregrinatione, quam dederat Dauid Chamaam filio Berselai Galaaditæ, quæ est iuxta Bethlehem*, Dauidicam in tribu Iuda, *vt pergerent, & introirent Ægyptum à facie Chaldæorum; timebant enim eos, quia percusserat Ismahel Godoliam, quem præposuerat Rex Babylonis in terra Iuda.*

*Qui cupit in Ægyptum fugere.* Rati Chaldæum nullo discrimine in Iudæos omnes, quasi Godoliæ, & Chaldæorum necis authores, vltorem exercitum quamprimum missurum. At hæc eorum fuga reos erat factura necis, cuius erant innocentes.

LXII. *Consulunt prius Dominum.* NEQVE tamen prius sese in fugam dederunt, quam Dominum super ea re per Ieremiam consulerent, non obtemperandi voluntate, vt res ipsa docuit, sed ambientes Deum habere suæ voluntatis approbatorem. *Cadat*, inquiunt, *oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro vniuersis reliquiis istis.* Blandior vtique quam fidelior oratio. (Iere. 42. a.)

*Promissaque obedientia.* Cumque Ieremias sponderet se consulturum Dominum, & cum fide renunciaturum quid ei fieri placeret. Illi sponte iureiurando se obstringunt se ei parituros. *Sit Dominus*, inquiunt, *inter nos testis veritatis & fidei, si non iuxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus. Siue bonum est siue malum voci Domini Dei nostri, ad quem mittimus te obediemus.* Honesta oratio est, si quod verbis promittitur factis impleatur.

LXIII. *Consulit Ieremias Dominum.* HIC se Ieremias totum orationi dedit, Deum etiam atque etiam orans, vt suam hac de re voluntatem aperire dignaretur. Cunctatus est Dominus diu responsum dare, quod videbat fore rebellibus istis in perniciem, propter expressam contra Dei prohibitionem peruicaciam, & inobedientiam, victus tamen prophetæ constantia, *Cum completi essent decem dies factum est verbum Domini ad Ieremiam vocauitque Iohanan filium Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, & vniuersum populum à minimo vsque ad magnum. Et dixit ad eos: Hæc dicit Dominus Deus Israel ad quem misistis me, vt prosternerem preces vestras in conspectu eius. Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos & non destruam, plantabo, & non euellam: iam enim placatus sum super malo quod feci vobis.* Ne scilicet nouis vos afficiam cladibus, quæ tamen erant inchoatæ, suum cursum & definitam à Deo durationem tenere debuerunt.

LXIV. *Confirmat à metu Chaldæorum.* QVONIAM vero illi Chaldæos timebant, vltores iniuriæ, & cædium ab Ismahele patratarum, in sua, id est immerentium capita; eos propheta, aut Deus ipse potius, ab eo metu securos esse iubet. *Nolite*, inquit, *timere à facie Regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis, nolite metuere eum, dicit Dominus, quia vobiscum sum ego, vt saluos faciam vos, & eruam de manu eius.* Efficiam videlicet vt ei innocentia vestra innotescat, simulque in eius animum instillabo humanitatem, ac placabilitatem aduersum vos, vt suam erga Godoliam fidem ac beneuolentiam transferat in vos. Nam sequitur. *Et dabo vobis misericordias, & miserebor vestri, & habitare vos faciam in terra vestra.* Significat textus Hebræus Nabuchodonosorem laxaturum quamprimum captiuitatem: habet enim, *etiam miserebitur vestri, & reducet vos in terram vestram.*

LXV. *Qui promittat habitationem in Iudæa.* RESPONDET Sanctius Deum de se in tertia persona loqui, & interpretem non verba reddidisse sed sensum, quod nō sit probabile septuagenarium exiliū breui finitum iri, si isti diuino oraculo parere voluissent. Videtur nihilominus ista quæ mittitur habitatio, repugnare iā sępius pręnūciatę desolationi. Quomodo enim

author est Dominus isti populo vt habitet in terra Iuda, eique pacem & quietem pollicetur, cum statuisset eam ad 70. annos desertam, & habitatoribus vacuam reddere? Respondeo Deum in prædicenda illa desolatione, prius etiam præuidisse horum Iudæorum contumaciam, & obstinationem in repugnando Ieremiæ, & oraculo diuino: eàque præuisa simpliciter de septuagenaria desolatione pronunciasse. Quod si hos præuidisset fore obsequentes, etiam exceptionem de istis reliquiis addidisset.

LXVI. *Dissuadet Ægypti profectionẽ.* QVONIAM vero viderat propheta, interim dum diuinum expectatur oraculum, populum non in ea qua par erat æquabilitate stetisse, sed sese mutuo ad Ægyptiacam peregrinationem incitasse, dicentes. Pergamus in Ægyptum, *vbi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non sustinebimus, & ibi habitabimus.* Propter hoc ait Ieremias, nunc audite verbum Domini reliquiæ Iuda. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, si posueritis faciem vestram vt ingrediamini Aegyptum, & intraueritis vt ibi habitetis, gladius quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Aegypti, & fames pro qua estis solliciti adhærebit vobis in Aegypto, & ibi moriemini,* &c. Plura congerit propheta in eam sententiam, vt eos à suscepto consilio deterreat, & eis promissionem suam in mentem reuocat.

LXVII *Illi nihilo minus abeunt.* AT illi contra non solum contumaces & perfidi, sed contumeliosi etiam in sanctum prophetam, *Mendacium, inquiunt,* [a] *Tu loqueris, non misit te Dominus Deus noster dicen. Ne ingrediamini Aegyptum vt habitetis illic.* Addunt etiam calumniam. Sed Baruch filius Neriæ incitat te aduersum nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum, vt interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem: id est vt nos partim gladio, partim captiuitate perdat. Et habebat aliquem locum illa suspicio, quod Baruch vna cum Ieremia à Chaldæis liber dimissus esset, & in eorum gratiam deditionem suadendo sæpe locutus fuisset, atque adeo Babylone fuisset vt ex eius libro intelligitur. Itaque nitentes in vetitum, cupientesque negata, proficiscuntur in Ægyptum, cum omnibus reliquiis Iuda vndecunque collectis: & in iis se cum etiam abducunt Ieremiam prophetam, & Baruch filium Neriç. Et sic regio Iudæorum plane deserta, ac desolata fuit. Fuitque hic primus septuagenariæ desolationis annus. *Et abducũt Ieremiam.*

[a] Cap. 43. 2.

LXVIII *Vaticiniũ de Chaldæ. Ægypti victore.* VIX in Ægyptum peruenerunt, quod octauo minimùm huius anni mense contigit, cum *factus est sermo Domini ad Ieremiam in Taphnis.* Ea erat primaria in Ægypto ciuitas, quę & Tanis non raro in scriptura dicitur, & quæ cum antiquissimis quibusque de antiquitate certabat. [b] Ibi dicitur Rex Ægypti regni sedem ordinariam collocasse, vt sequens prophetia docet. *Sume,* inquit Dominus, *lapides grandes in manu tua & abscondes eos in crypta, quæ est sub muro lateritio, in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Iudæis.* Quasi sint futuri vsui fundando palatio regis Babylonis dominatoris Ægypti. Nam sequitur. *Ecce ego mittam* euocabo scilicet, aut nuncio, aut inspiratione, *& assumam Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum,* qui nimirum mihi in castigandis hominibus famulatur, *& ponam thronum eius super lapides istos quos abscondi, & statuet solium suum super eos.*

[b] Vt patet ex Nu. 13. 23.

LXIX. *Ægyptiorum, Iudæorumq; vastatore.* VENIENSQVE *percutiet terram Aegypti, quos in mortem in mortem, & quos in captiuitatem, in captiuitatem,* id est quos destinauit Dominus violentæ morti, morientur gladio Chaldæorum; & quos captiuitati, in exilium deportabuntur. Nec hominibus tantum erit infestus, *succendet* etiam *ignem in delubris deorum Aegypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos* aureos videlicet atque argenteos deos, *& amicietur terra Aegypti, sicut amicitur pastor pallio suo, & egredietur inde in pace.* Quæ minæ non in longum tempus abierunt, Anno enim decimo quinto transmigrationis, qui fuit Nabuchod. 22. Ægyptus his omnibus malis affecta est. Cæterum per lapides istos absconditos in muro lateritio, repræsentantur Iudæi, qui se in Ægypto lateritia tutos, atque absconditos à facie Nabuchodonosoris arbitrantur: quibus prædicit Dominus fore vt eos omnium primos in suam potestatem redigat, & pro arbitrio iugulet, captiuet, & perdat.

LXX. *Nunciatur Ezechieli ciuitatis clades.* AD hunc ipsum annum pertinet prophetia, quæ habetur c. 33. Ezechielis. [c] *Et factum est,* inquit, *in duodecimo anno, in decimo mense, in quinta mensis transmigrationis nostræ, venit ad me qui fugerat de Ierusalem, dicens, vastata est ciuitas.* Mirum sane videtur Babylone nõ fuisse cognitam vastitatem Hierosolymorum ante mensem

[c] v. 21.

quintum ab eius ruina: imo, vt ait D. Hierony. non nisi post vnum annum quatuor menses, & 25. dies, cum potuerit non solum vnus aliquis fugitiuus, sed tota captiuorum turba, intra duos tresue menses Babylonem peruenisse. Et omnino videtur erratum aliquod in numerum mensis irrepsisse; nam in 70. varius inuenitur, in quibusdam enim codicibus legitur duodecimo, in aliis decimo: quin etiam Theodoretus, Syrum secutus, legit anno vndecimo.

LXXI. *Ratio temporis.* ET quod ad annum quidem attinet, perinde est siue legatur vndecimus, & intelligatur Sedeciæ vltimus, siue 12. qui sit annus sacer tum currens; sed tota difficultas in mense est. Et si decimum mensem, in sextum vel septimum mutare non placet, dicendum erit hunc non statim à capta ciuitate, sed potius occiso Godolia fugisse, facinus hoc Babyloniis nunciaturum, & suis, quia propheta mox de iis qui habitabant in ruinosis prophetat, licet autem ciuitatem proprie accipere, cum dicitur; *vastata est ciuitas.* Vt sit concilium, cœtusue hominum iure sociatus, vt eam Tullius describit, siue vno, siue pluribus ciues habitent locis: neque enim omnes ciues Romani Romæ habitabant. Itaque omnes Iudæorum reliquiæ, quæ in Iudæa remanserant, eodem iure viuentes vnam efficiebant ciuitatem, quæ nunc ab Ismaële vastata erat, & insuper à Iohanan in Ægyptum translata. Adde quod, vt ait D. Hieronym. manus Domini Ezechielem prius edocet, quidquid erat ille dicturus: igitur nunciaturus erat non solum vastitatem vrbis, sed habitationem in ruinosis, iam ergo in ruinis habitabatur, cum ille aufugit.

LXXII. *Consilium habitantiũ in ruinosis.* MANVS ergo *Domini facta fuerat* [a] ad Ezechielem *vespere antequam veniret qui fugerat, aperuitque os* eius reuelans ei omnia, quæ ille erat nunciaturus. *Et factum est*, inquit, *verbum Domini ad me dicens fili hominis, qui habitant in ruinosis his super humum Israel, loquentes aiunt: vnus erat Abraham & hereditate possidit terram, nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem.* Consolabantur se illi spe replendi terram nunc desertam habitatoribus, cum id vnus Abraham potuerit, atque adeo plures alij populi ex eo prodiderint. Responsio autem Domini non damnat eorum spem, nec ingratam habet habitationem ipsorum in ruinosis, quippe omni studio retinere voluit eos per Ieremiam, vt paulo ante diximus, sed damnat sceleratam eorum vitam, quos nondum tantæ clades emendarant, propter quæ scelera ait eos non solum ex terra illa, sed etiam è viuis exterminatum iri. a c.33 v.12.

LXXIII. *Alia prophetiæ huius temporis.* ADDIT Ezechiel eodem c.33. extremo repræhensionem Iudæorum, qui curiositate ducti prophetam adibant, consulebant, audiebant; sed nullo fructu, nulla emendatione vitæ, sola audiendi verbi Dei, quasi carminis alicuius musici delectatione contenti, quibus prædicit fore vt experientia ipsa doceantur vera fuisse, quæ propheta eis fuerat comminatus.

*Cõtra Pharaonem.* Sub extremum hunc annum mense nimirum duodecimo, semel atque iterum factus est sermo Domini ad Ezechielem, vt habetur c.3 . eiusdem prophetæ, prior quidem prima die mensis, posterior decima quinta mensis eiusdem, vt putat Hierony. In illa iubetur assumere lamentum super Pharaonem, id est lamentabilem ruinam illi prædicere, qui quasi leo inter feras, aut cetus inter pisces, vicinos sibi populos terra marique perturbet; contra quem cœlum terramque coniuratura denunciat, vt qui multos populos bellis turbauerat, à multis quoque populis, ad eorum vsque stuporem affligatur.[b] *Et stupescere faciam*, inquit, *super te populos multos*, &c. Addit etiam aperte à quibus hæc passurus sit. *Gladius regis Babylonis*, inquit, *veniet tibi, in gladiis fortium deyciam multitudinem tuam*, &c. Posterior eiusdem fere argumenti est, quam breuitatis causa prætermittimus. b c.32.10.

LXXIV. *Nabuchon. Tyro potitur & Sidone.* SVPEREST vt de Tyri expugnatione dicamus, quam anno 19. Nabuchodonosoris, 13. obsidionis, & vno anno à vastata Ierusalem, contigisse passim omnes consentiunt. Posset tamen victoria ista de Tyriis in fine anni eius 19. qui sub initia sequentis cadit, accidisse, quod video Torniello placuisse. Hoc porro tempore Tyro potitum esse Nabuch. probari potest ex Ierem. c. 25. vbi non solum Iudæos, sed omnes etiam gentes, quas enumerat ibidem, regi Babylonis septuaginta annis seruituras affirmat, in quibus v. 22. cunctos reges Tyri, & vniuersos reges Sidonis annumerat. Significans non plane vastandam Tyrum hoc tempore, sed Babylonio regi subiugandam, ita vt spatio illo 70. annorum Tyrij, &

Sidonij reges Chaldæorum clientes essent & vectigales. Idem iam pridem fuerat Esaiæ [a] vaticinium contra Tyrum. *Vlulate naues maris, quia deuastata est fortitudo vestra. Et erit in die illa; In obliuione eris ô Tyre 70. annis, sicut dies regis vnius. Post 70. autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis*, id est alliciet iterum ad se negotiatores suos, sicut meretrix solet amatores suos. Verum his contraria videtur habere Ezechiel, [b] qui à Nabuchodonosore penitus exterminandam ait, vt ne puluis quidem remaneat, nec vltra ædificatum iri. [c]

a c.23 14.
b c. 26.& 27.
c c.26.v.7. 12 14.

LXXV. *Quo id modo videatur contigisse.*

QVÆ vt conciliemus dicendum videtur Nabuchodonosorem & Tyrios hoc anno diuturnæ obsidionis pertæsos, ad certas pacis conditiones descendisse. Nã cum Tyrus hoc tempore esset insula, [d] præalto mari septingentis passibus diuisa, & Tyrij maris imperium classibus tenerent, vt ait Arrianus, [e] parum erat spei Nabuchodonosori eam vel terrestri, vel maritimo, exercitu ad deditionem cogere, vel impetu violento inuadere. Nihilominus cum à Chaldæis multis malis terra marique decimum tertium iam annum afficerentur Tyrij, & à negotiatione, qua maxime præstabant multum impedirentur, nec tam gloriæ quam vtilitatis, vt mercatores solent, rationem haberent, existimarunt minore damno tributum Chaldæis persolui posse, eoque obsidionis molestias, & detrimenta esse redimenda.

d Vt scribit Esaias c. 23. Ezechiel c. 26.& 27. Plin. l. 5.c. 19
e l 2 de exped. Alexandri.

LXXVI. *Explicatur Esaias, & Ezechiel in eam sententiam.*

QVOD autem dixit Esaias c.23. robustos eius in captiuitatem traducendos, de obsidibus datis Nabuchodonosori, & in Chaldæam abductis accipi potest. Non nego tamen in eodem capite nonnulla contineri, quæ ad posteriora Tyri tempora pertineant. Non enim infrequens est prophetis de vna re in aliam propter similitudinem transitio, de captiuitate Hierosolymæ prima ad secundam, de primo aduentu Christi ad 2. Sic de 1. Tyri calamitate ad secundam, nihil monito lectore gradatio facta sit. In hanc sententiam nos adducit Ezechiel, qui [f] ait exercitum Chaldæorum multis incommodis in hac obsidione affectum, neque tamen ei mercedem redditam; quod dici non posset, si vi expugnatam vrbem diripuissent. *Fili hominis*, inquit Dominus, *Nabuchod. Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum, omne caput decaluatum*, [g] &c. *& omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei*, &c.

f c. 29.18.
g ad fi.v.20

LXXVII. *Opinio Hebræorum de Tyro iuncta continenti ab Nabuchod.*

D Hierony. in hunc Ezechielis locum, ex Hebræis rem aliter narrat. *Nabuchodonosor*, inquit, *cum oppugnaret Tyrum, & arietes, machinas, vineasque, eo quod cincta esset mari, muris non posset adiungere, infinitam exercitus multitudinem iussit saxa, & aggeres comportare, & expleto medio mari, imo freto angustissimo, vicinum littus insulæ fecit continuum. Quod cum viderent Tyrij iam iamque perfectum, & percussione arietum, murorum fundamenta quaterentur; quidquid pretiosum in auro, argento, vestibusque, & varia supellectili nobilitas habuit, impositum nauibus ad insulas asportauit; ita vt capta vrbe, nihil dignum labore suo inueniret Nabuchodonosor. Et quia Dei in hac parte obedierat voluntati, post aliquot Tyriæ captiuitatis annos, datur ei Aegyptus.* Ita D. Hieronym.

LXXVIII *Non videtur Hieron.*

QVEM ex Hebræorum potius, quam sua hæc sententia recitasse, illud perspicue ostendit, quod ipsemet in eodem comment. dubitat vtrum Nabuchodonosori, an Alexandro hæc tribuenda sint. Nam c. 26. *Tyrum*, inquit, *fuisse insulam, & nullum habuisse de terra introitum, in Græcis, Latinisque, & barbaris historiis legimus*, sed postea à Nabuchod. rege Chaldæorum, vel, vt nonnulli affirmant, ab Alexandro rege Macedonum iactos esse aggeres, &c. Et rursus in c. 27. *Per quem significat vrbis Tyriæ euersionem à rege Nabuchodonosor, siue vt multi putant, ab Alexandro rege Macedonum, qui sex mensibus ipsam vrbem obsedisse, & cepisse narratur, postquam Darium vicit in Lycia.* Hæc ibi S Hieronymus.

LXXIX. *Factum id ab Alexandro Macedone. Ex profanis script.*

VERVM non videntur Hebræi maiore fide digni plerisque Græcis, Latinisque scriptoribus antiquis, in quibus Plinius, [h] qui ait Tyrum olim insulam circuitus 19 Mil. passuum Alexandri oppugnantis operibus continentem esse factam: idémque affirmat Strabo l. 16. cum ait Tyrum totam insulam esse, nisi quod aggere continenti connectitur, *quem Alexander construxit dum eam obsideret.* Arrianus l.2. de expedit. Alexandri, & Curtius l. 4 & Diodorus Siculus l. 17. non solum aggerem ex continenti ad vrbem ductum scribunt, sed quo id modo perfecerit, quaque animorum contentione circa ipsum à Tyriis, Macedoni-

h l 5.c.19.

busque pugnatum sit fusius explicant. Diodorus etiam ait longitudinem eius aggeris fuisse 4. stadiorum, quantum scilicet erat interuallum, vrbem inter & continentem, latitudinem vero ducem plethrorum, siue 200. pedum; sed hac de re diligentius suo tempore dicendum erit.

LXXX. *Confirmatur ex sacris,* PRÆTEREA cum Tyrus, teste Ieremia, bis 70. annis, reges suos habuerit, sicut & Sidon, non videtur eius euersio huic tempori adscribi posse. Polychronius in c. 26. Ezechiel. animaduertens ea omnia, quæ à propheta de Tyri malis, à Nabuchodonosore inferendis, dicuntur, rebus ipsis gestis aptari non posse. *Considerandum*, inquit, *Deum magna nonnunquam minari, non quod inferre velit, sed terrere. Quapropter cum pœnas ab incolis moderate repetijsset, non inuidit posteris eorum loci habitationem. Non enim terram ipsam puniebat, sed incolarum superbiam deprimebat; quod fecisse videmus in Niniuitis.* Theodoretus ait euersionem Tyri factam fuisse in moribus, & pristina impietate destructa, sanctam Domino factam fuisse, plurimum ibi vigente pietate. Verum negari non potest, neque debet, quæ de Tyro à prophetis dicta sunt, ad literam impleta fuisse; quandoquidem cernimus prophetiis historias admodum consonare, sed tempora caute distinguenda sunt.

LXXXI. *Expositio Leonis Castrii in eandem sententiam.* LEO Castrius in c. 23. Esaiæ, ait Nabuchodonosorem Tyrum oppugnasse quidem, non tamen expugnasse, idque ex prædicto quoque Ezech. 29. probat. Quod autem dicitur c. 26. eiusdem prophetæ v. 7. *Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis, regem regum cum equis, & curribus, & equitibus, & cœtu, populóque magno*, &c. Mutata interpunctione distinguit vt sit sensus. Ego adducam contra Tyrum Nabuchod. regem Babylonis, qui scilicet oppugnabit te, & multis afficiet malis, deinde nouo initio, Ab Aquilone regem regum, cum equis & curribus, subaudi ego adducam, per zeugma à superiori. Regem regum Alexandrum magnum &c.

LXXXII. *Alia probabilior.* AT rectius fortasse fuerit, nulla facta mutatione in textu, dicere Ezechielem, prophetico more, iuxta ea quæ paulo ante dicebamus, * de vtraque Tyri oppugnatione continenter egisse, & sub nomine Nabuchodonosoris tam ipsummet Nabuchodonosorem, quam Alexandrum magnum, ei potentia, & rebus gestis persimilem, comprehendisse: ideoque in illa eius narratione quædam ad priorem principem, quædam ad posteriorem pertinere. Et certe passim ipsemet Leo Castrius iuxta multorum patrum interpretationem, nomine principum, tempore Esaiæ, & aliorum prophetarum existentium, Titum, Vespasianum, Adrianum, Neronem, aliosue principes, tam Iudæorum, quam Christianorum hostes intelligit, atque interpretatur. Verum hac de re iterum anno quinto Alexandri magni dicemus, & historiam profanam sacræ prophetiæ conciliare conabimur.

* n. 79.

## SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 3447.

1. N.xxii. DEnique Talmudici, vt refert Genebr. in Chron. eam distinctionem interpretantur de commatum incisionibus, & interuallorum distantiis, adhibitis ab Esdra, & viris Synagogæ, siue synodi magnæ, vbi dicuntur scripturas afflati diuino spiritu in pesuchim, id est versus distinxisse. Vnde & codices Iudæorum per sententias, membra, & versus diuisi, & interuallis quibusdam distincti fuerunt, qui antea velut vnicus erant versus. Vnde Hierony. in præfat. Paralip. & Esaiæ ait se ad vtilitatem legentium huiusmodi distinctionem in sua translatione seruasse. Et infra ait eo tempore Scribas ab Esdra primo scriba institutos, vt sui instar legem ad literam interpretarentur, legis difficultates explicarent, librosque eius intactos conseruarent, ne denuo corrumperentur. Vnde & 18. locos emendarunt, qui aliter legebantur, & a Masoretis numerantur, quos appellant Ticcum Sophetim, id est correctiones scribarum. Et huic correctioni præfuisse dicitur Esdras, ideoque & Ticcum Esdræ etiam dicitur: sed hæc vide pluribus apud eundem.

2. N. LXXII. Diuina contra eos sententia in hæc verba profertur. Hæc dicit Dominus Deus. Qui in sanguine comeditis &c. vsque ad fi. v. 26. hæc est culpa, quæ sex peccatorum genera comprehendit, esum animalium suffocatorum, quorum sanguis non esset effusus, cultum & adorationem idolorum, hominum cædes quales Ismahel nuper exercuit, cruentas exercere inimicitias, & libidinum turpitudines, denique adulteria frequentare. Sequitur pœna. Viuo ego quia, qui in ruinosis habitant gladio cadent &c. vsque ad fi. v. 29. At, inquies, quomodo minatur fore, quod iam factum fuerat? Nam post cædem Godoliæ, vt narrat Ierem. c. 43. 5. Iohanan filius Caree cum suis tulerunt vniuersas reliquias Iuda, qui reuersi fuerant de cunctis gentibus ad quas fuerant ante dispersi, vt habitarent in terra Iuda. Dicendum videtur non omnes fuisse statim reuersos, sed alios aliis, vt assolet, in hac tentanda alea fuisse timidiores, atque tardiores. Priores ergo, qui euersam patriam adiere, partim cum Godolia occisi, partim cum Iohanan in Ægyptum abducti sunt. Qui autem tardius rediecũt ad rudera, & parietinas Ierusalem, in iis aliquandiu substiterunt vt patet ex c. 1. Baruch. 7. & ad eos hæ minæ in primis referuntur. Potuerunt etiam aliqui ab Ægypto, monitis & precibus Ieremiæ incitati, in Iudæam rediisse, ibidémque ad pristinæ vitæ vomitum reuertisse.

Eam sic D. Hierony. breuiter explicat Dicitur, inquit, ad regem Ægypti. Quo melior es, vt mortem merearis euadere? Cum enim Assur & Ælam, id est Persæ, & Mosoch qui interpretantur Cappadoces, & Thubal, quos alij Iberos, alij Italos intelligi volunt, Idumæi quoque, ac principes Aquilonis, ac Sidonij cum vniuersis exercitibus suis, quorum auxilio horrorem cunctis gentibus præbuerunt, mortui sint & interfecti gladio, tu solus poteris non eadem sustinere? Quin potius cum videris tãtam tecum apud inferos multitudinem dormientium, & sepulchrũ tuum fortissimorum quondam principum circundari memoriis, habebis consolationem, leuiora tormenta æstimans consortio plurimorum Sic Hierony & scriptura ipsa ad captum, & sensum viuentium, quibus hæc annunciantur. Nam reuera mortuis impiis ne minima quidem vnquam adest consolatio, sed omnis eorum cogitatio luctum eis, & mœrorem, & tormentum accumulat: sicut in beatis, nullus esse potest, ne minimus quidem, tristitiæ locus. 3. LXXIII.

# ANNVS MVNDI. 3448 QVINTAE AETATIS 509. IOSEDECI. PONT. 2. IOACHINI ET TRANSMIG. 13. DESOLATIONIS 2. IEREMIAE 42. ET VLT. NABVCHODONOSORIS 20. IMPERII BABYL. 115. OLYMPIADIS XLIII. ANNO 3. L. TARQVINII PRISCI 10. VRB. COND. 147.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 605.

I. *Mors Ieremiæ quando contigerit.*



CONTINET hic annus vltimam Ieremiæ prophetiam, eiúsque mortem, gloriose in Ægypto pro Dei causa obitam. Eam in hunc annū refert Torniel. an. 2. sextæ ætat. n. 7. & Christoph. à Castro in Isagoge ad Ierem. c. 1. Maldon. præfat. in Ieremiam. Nam ille ait, anno 13. transmigrat. iste 42. prophetiæ à suis fuisse interemptum. At 20. Nabuchodonosoris annus, idem est transmigrationis 13 & 42. à Iosiæ 13. quo primum anno Ieremias prophetare cœpit. D. Hieronym. init comment. in Ierem. ait prophetasse annis quadraginta, & vno, præter illud tempus, quando ductus est in Ægyptum, id autem tempus vnius circiter anni fuit: cui subscribit Sanctius Prolegomeno tertio in Ieremiam. Sed prius quæ sunt huic morti anteriora videamus.

II. *Mores Iudæorum in Ægypto.*

IVDÆI inuito Deo eiusque propheta in Ægyptum profecti, vitam impiam, atque vtrisque inuisam ibi traducere cœperunt; & ad prophetæ voces, querelas & comminationes, quas iam tam sæpe magno suo malo senserant adimpletas, non solum obsurdescere, sed etiam sese coram de sua impietate iactare: voluntatem, in proposito idola colendi, quasi facta publica omnium coniuratione, obfirmare: calamitates suas non peccatis suis, sed Dei cultui tribuere: pacem autem & felicitatem, si quam vnquam degustassent, cultui idolorum, ingratissimo animo, execrandaque lingua ascribere. Hæc aliáque id genus continet c. 44. Ieremiæ, quæ satis docent has populi Iudaici quisquilias, & furfures, ad extremum impietatis & desperationis barathrum descendisse, nihilque aliud desiderari potuisse, quam vt scelestissimi apostata vtriusque mortis rei, vtraque propediem plecterentur.

III. *In plures fuerunt dispersi vrbes. Magdalum.*

Ex quo autem in Ægyptum descenderunt Iudæi, qui primum in Taphnis subsederant, deinde in tres alias vrbes dispersi sunt, Magdalo, Memphis, & Phatures, quod non videtur præcedenti anno contingere potuisse, ideóq, hæc prophetia meritò, in secundo desolationis anno collocatur. Magdalus vrbs erat in Ægypti finibus, ad mare rubrum, iuxta quam castra metati sunt olim Israëlitæ, ante quam mare traijcerent [a] licet Adrichom. in Pharam [b] diuersa fuisse loca arbitretur, & 70. volentes significare extremos Aegypti fines, vbi vulgata habet [c] *à Turre Syenes gladio cadent*, ipsi habent, *à Magdolo vsque Syenem*, vt ibi notauit Hieronym. Nobilitatus est is locus victoria Pharaonis Nechao contra Syros, vt scripsit Herodot. l. 2. quamquam ibi Magdolo pro Mageddo positum esse in Iosiæ morte diximus.

IV. *Taphnim, & quæ ea fuerit.*

TAPHNIS fuisse regiā Pharaonis satis indicauit Ierem. [d] vt anno superiore dicebamus, quæ & Tanis à Dauide in Psalm. non semel dicitur, vnde & vnum de Nili ostiis Taniticum est appellatum. Ibi Dominus iussit Ieremiam abscondere lapides in crypta, quæ erat sub muro lateritio in porta domus Pharaonis in Tephnis: quamquam, potuit Pharao pluribus in vrbibus habere palatia. Nā Memphis quæ nunc Alcayrus, siue Cayrus dicitur, & in Hebræo appellatur Noph. illustrior etiam fuit, & in media Aegypto sita, superiorem ab inferiore diuidit. Nam quæ supra Memphim ad meridiem est, Aegyptus superior dicitur, & The-

*Memphim. Aegypti partes.*

a Vt patet Exod. 14. 2. & Numer. 33. 7.
b Ezechiel. 30. 6.
c c. 43. 9.
d c. 2. 16.

bais, & ad Syenem vsque Aethiopasque protenditur. Aegyptus autem infra Memphim, vbi Nilus delta efficit, & se plura in flumina diuidit, vsque ad mare Mediterraneum, dicitur Aegyptus inferior. Cum vtraque harum vrbium Israëlitas multum habuisse commercij, multamque didicisse idololatriam, testis est Ieremias,[a] & D. Hieronymus in c.30. Ezechielis, ait Memphim fuisse Metropolim Aegyptiæ superstitionis. Superest Phatures, quæ minus nota est cæteris, cuius soli Ieremias, & Ezechiel meminerunt, Adrichom. incerta delineatione, eam inter Nili alueos ponit. Hebraïcè dicitur Patros, 70. habent sicut Vulgata; vocatur & ipsa à D. Hieronym.[b] Aegypti Metropolis.

*Aegypti partes.* *Phatures.*

a in c.2.16. b in c 29.

V. *Ibi postrema Ieremiæ conciones.*

In ea huius capitis 44. prophetia edita est, vt patet v.15. quem ad locũ videtur etiam reliqui Iudæi à propheta, Dei iussu ad audiendum verbum Domini, congregati. Id enim supponunt prima ipsa verba prophetiæ.

Verbum, inquit, *quod factum est per Ieremiam ad omnes Iudæos, qui habitabant in terra Aegypti, habitantes in Magdalo, & in Taphnis, & in Memphis, & in terra Phatures, dicens, hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Ierusalem, & super omnes vrbes Iuda, & ecce desertæ sunt hodie, & non est in eis habitator:* etsi enim, vt supra dictum est [c] aliqui eò rediisse, aut aliunde confuxisse potuerunt; parum tamen, vt vulgo dicitur, pro nihilo reputatur. Nemo enim in foro esse dicitur, in quo cum plurimi esse soleant pauculi visuntur; sicut nudus dicitur, ait Sãctius, qui male, aut indecore vestitus est, & ieiunus qui parce comedit.

c Schol. 1. n.72.

VI. *Causa desolationis.*

CAVSAM desolationis, vt vltimũ hoc sancti prophetæ vaticinium laxius paulo, cum bona lectoris venia referamus, subdit v.3. *Propter malitiam quam fecerunt, vt me ad iracundiam prouocarent, & irent vt sacrificarent, & colerent deos alienos, quos nesciebant, & illi, & vos, & patres vestri,* neque enim sciuerunt, aut crediderunt eos esse dæmones, Dei & hominum perduelles, & omnis diuinitatis expertes, quos execrari, dirisque deuouere, non colere oporteat. *Et misi ad vos omnes seruos meos prophetas de nocte consurgens,* mature videlicet atque sollicite, *mittensque & dicens, Nolite facere verbum abominationis huiusmodi quam odiui. Et non audierunt, neque inclinauerunt aurem suam, vt conuerterentur à malis suis, & non sacrificarent dijs alienis.* Sed non impune, *nam conflata est indignatio mea, & furor meus, & succensa est in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem, & versæ sunt in solitudinem, & vastitatem secundum diem hanc,* vt præsens docet experientia. Sed hanc causam præposterè vsurpant sacrilegi Iudæi in responsione sua, vt mox patebit.

VII. *Expostulatio de nouis Iudæorum peccatis.*

ET hæc quidem noua querela est de præteritis, & veteribus culpis; sequitur de nouis expostulatio. *Et nunc hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras, vt intereat ex vobis vir & mulier, paruulus & lactens de medio Iudæ?* id est de tribu Iuda, *nec relinquatur vobis quicquam residuum. Prouocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando dijs alienis in terra Aegypti in quam ingressi estis, vt habitetis ibi, & dispereatis, & sitis in maledictionem, & in opprobrium cunctis gentibus terræ? Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, & mala regum Iuda, & mala vxorum eius,* eius ad verbum ex Hebræo pro eorum, vel vt habeat Pagninus, & Sanctius, cuiusque. sic *obstupescite cœli, super hoc, & portæ eius,* i. eorum, *desolamini vehementer,* quamquã in Hebræo & Græco non est mentio portarum. Pergit Ierem. *& mala vestra & mala vxorum vestrarum, quæ fecerunt in terra Iuda, & in regionibus Ierusalem;* regiones hoc loco sumuntur, quomodo dicuntur plures vrbis regiones, de populosis ciuitatibus *i.*

d c.2 v.12.

VIII. *Denuntiantur malorum vaticinia.*

NON *sunt mandati vsque ad diem hanc,* Pagninus ad verbũ vertit humiliati: humilitas enim via est ad purganda scelera, sed impij Iudæi humiliati, & attriti malis, in desperationem & contemptum acti etiam peiores euaserunt (*& non timuerunt, & non ambulauerunt in lege* Domini) & mox. *Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum, & disperdam omnem Iudam. Et assumam reliquias Iudæ, qui posuerunt facies suas, vt ingrederentur terram Aegypti, & habitarent ibi: & consumentur omnes in terra Aegypti, & cadent in gladio, & in fame morientur, & erunt in iusiurandum, & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium.* Id est tam infelix erit sors eorum, vt qui eos norint in stuporem adigantur, & Iudæorum nomen in exemplum execrationis, & conuitij vsurpent. Excipit tamen paulo post pauculos fugitiuos.

i. 70.

IX. *Contra Iudæos nouo Aegypti aduenas.*

ET *visitabo super habitatores terræ Aegypti,* i. Iudæos qui nunc in Aegypto habi-

tant, *sicut visitaui super Ierusalem in gladio, & fame & peste. Et non erit qui effugiat & sit residuus de reliquiis* Iud*æorum, qui vadunt vt peregrinentur in terra Aegypti*, id est qui ingressi sunt in Aegyptum, ad aliquod tempus, vt peregrini solent, vt postea *reuertantur in terram Iuda, ad quam ipsi eleuant animas suas vt reuertantur, & habitent ibi; non reuertentur nisi qui fugerint*: At paulo ante dixerat, *& non erit, qui effugiat.* At prior locus significat neminem impetraturum veniam redeundi, ex iis qui in hostium manus inciderint; sed vel gladium, vel captiuitatem Babylonicam subituros; hoc tamen non impedit, quin aliqui fuga manus hostiles anteuertant.

X. *Pernicax Iudæorum responsio.* RESPONDERVNT *autem Ieremiæ omnes viri, scientes quod sacrificarent vxores eorum diis*, id est qui conscii, & participes erant sacrilegii, & prophani sacrificii, quod eorum vxores idolis offerebant. *Et vniuersæ mulieres, quarum stabat grandis multitudo.* Innuit tempus illud quod Ieremias [a] lamentatur. *Filii colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam prouocent.* pergit. [b] *Et omnis populus habitantium in terra Aegypti in Phatures, dicentes, Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, reges nostri, & principes nostri, in vrbibus Iuda, & in plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus.*

XI. *Et impudentes in Deum calumnia.* SIMILIS porro est sacrilega illa vox, *& saturati sumus panibus, & bene nobis erat*, antiquæ illi obmurmurantium, & frementium in deserto contra Moysem. [b] *Vtinam mortui essemus per manum* Domini *in terra Aegypti: quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate &c.* At neutris impune cessit, tam cæca ingratitudo aduersus Dominum: sed isti excæcati magis, qui subdunt. *Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare reginæ cæli*, id est Lunæ, *& libare ei libamina indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus.* Geminum est, & vtrumque impudentissimum mendacium, tum quia è contrario omnibus malis affecti sunt, quia libauerunt ei, deserto Dei cultu: tum quia à morte Iosiæ, toto quatuor Regum tempore, nunquam desierant sacrificare idolis, sicut & reges ipsorum, nisi forte obsidionis tempore, & tamen omnia illa regna omnium calamitosissima fuerunt.

XII. *Tam virorum, quam mulierum.* ET hæc quidem procaces illæ, & perfrictæ frontis mulieres, nondum satis subactæ tot malis; sed ne solæ arguantur à propheta, maritos suos in partem sceleris trahunt. [c] *Quod si nos sacrificamus reginæ cæli, & libamus ei libamina, nunquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, & libandum ei libamina?* Ideoque propheta ad vniuersos orationem conuertit, affirmans hæc ipsa sacrificia eos ex patria exturbasse, ipsamque funditus euertisse, *quia non poterat Dominus*, inquit, *vltra portare*, impium scilicet illum cultum idolorum, *propter malitiam studiorum vestrorum, & propter abominationes quas fecistis, & facta est terra vestra in desolationem, & in stuporem, & in maledictum, eo quod non sit habitator, sicut est dies hæc*,

*Responsio Ieremiæ.* id est vt testatur hæc dies, vel, vt præsens rerum status ostendit; quem sydera-ti isti non agnoscebant infelicissimum.

XIII. *Iurat Dominus in ruinam obstinati populi.* RESVMENS autem iterum orationem cum maiore efficacia, *hæc*, inquit Dominus, *exercituum Deus Israel, dicens, vos & vxores vestræ locuti estis ore vestro, & manibus vestris implestis, dicentes: faciamus vota nostra quæ vouimus, vt sacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina, implestis vota vestra, & opere perpetrastis ea.* Videtur explicare verba illa, *facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro.* Etsi enim ea verba recte explicari possunt, certum est nobis & constitutum facere quidquid nobis placuerit, tamen vox Dauar non solum verbum, & rem, sed & votum quod ore concipitur, significat, vt Maldon. & à Castro, & Vatablus notarunt.

Ideo audite, vt profano vestro voto sanctum iusiurandum opponam, *Ecce ego iuraui in nomine meo magno ait Dominus, quia nequaquam vltra vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Iudæi*, nunquam me in terra sua testem inuocabunt, sed in sua obstinata perfidia morientur. Nomen suum magnum vocat Iehoua, quod maxime reuerebantur Iudæi: negat autem vllum Iudæum in Aegypto supersti-

a c. 7. 18.
b c. 44. 15.
b Exod. 16. 3.
c v. 19.

tem fore, qui Deum inuocare possit.

ET ne Iudæi se sub vmbra regis Aegypti tutos fore dictitent, illum ipsum in manus regis Chaldæorum deuenturum prædicit, sicut nuper Sedeciæ contigit. Id autem manifestum est signum perditionis populi, si ipsi reges extrema patiantur, quos fortuna blandiens extra teli iactum collocasse videtur. *Et hoc vobis signum, ait Dominus, quod visitem ego super vos in loco isto, vt sciatis, quia vere complebuntur sermones mei contra vos in malum. Hæc dicit* Dominus. *Ecce ego tradam Pharaonem Ephrem regem Aegypti in manu inimicorum eius, & in manu quærentium animam illius: sicut tradidi Sedeciam regem Iuda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui, & quærentis animam eius.* Hoc ergo sit vobis signum supremæ calamitatis. XIV. Et regis Aegypti.

IN hunc etiam annum referimus, aliam quandam Ieremiæ prophetiam in Aegypto habitam. In hunc enim annum potius, quam in præcedentem conuenire existimamus. Ea non est in sacris literis, sed apud Epiphanium in vita Ieremiæ, & Dorotheum in Synopsi. sic autem habet. *Id in propheta sacerdotibus Aegypti signum exhibuit, dicens, Oportere olim cuncta eorum simulachra concidere, simulque manufacta omnia præcipitari, vbi Aegyptum ascenderit cum suo infante virgo enixa,* Deo *similis. Id quod tandem vsu venit illis.* Quæ paulo plenius Dorotheus. Ieremias iste signum dedit sacerdotibus Aegyptiacis, quod oporteat simulachra eorum concuti, & decidere per Seruatorem puerum ex virgine nasciturum, & in præcepi iaciturum. Propterea etiam nunc virginem in lecto, & infantem in præsepio collocant & adorant. Et cum causam olim Ptolemæus rex percontaretur, responderunt mysterium esse ipsis à maioribus traditum, quod illi à sancto propheta acceperant. Ita Dorotheus: sed hoc mysterium multo ante Ieremiam prænunciatum est ab Isaia c. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulachra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabescet in medio eius.* Id autem in Christi in Aegyptum aduentu contigisse, fuse contra Iudæos disputat S. Athan. l. 1. de in carn. verbi: sed ad Ieremiam reuertamur. XV. Alia Ieremiæ prophetia.

CVM Iudæi sese idolorum cultui in Aegypto impudenter dederent, & ad omnes Ieremiæ minas, & obiurgationes obsurdescerent, denique in arcum prauum in ipsum conuersi sunt. Et cum diuturna prophetæ obiurgatio, cum diuturna popularium eius malitia certaret, rati illi si eum è medio sustulissent, quietos fore, & molestissimo monitore carituros, insani populi furor erupit aliquando, & lapidibus crudeles eorum armauit manus in illum, qui diuinam in ipsos iram perpetuo mitigare conabatur. Hoc eum mortis genere occubuisse testis est Epiphanius in eius vita. *Ieremias*, inquit, *propheta Anathotites apud Taphnas in Aegypto à plebe lapidibus obrutus occubuit. Iacet vero in eo loco sepultus, quo dudum Pharao rex habitauerat.* Illum videtur locum Epiphan. innuere, qui cap. 43. 9. memoratur, vbi lapides grandes iussus est propheta abscondere, sub muro lateritio domus Pharaonis in Taphnis. XVI Mors Ieremiæ, & causa eius. Ex Epiphanio.

IBI enim fortasse, quasi in loco ipsius vaticinio sanctificato, pii aliqui eum sepeliendum putarunt, siue de Iudæis ipsis, quod de Baruch eius discipulo, antequam inde se in Iudæam, ac Babylonem proriperet, merito quis suspicetur, siue vt scribit Dorotheus de ipsis Aegyptiis. *Hic Ieremias*, inquit, *erat ex Anatoth, & in Taphnis Aegyptiorum, lapidibus à populo obrutus est, ac mortuus sepultus est eo loco, quem inhabitauit Pharao, Nam Aegyptii beneficiis ab eo affecti, id honoris illi impenderunt;* quod de honoratiore & quasi regio, vt apparet sepulchro accipiendum videtur. Isidorus quoque lib. de ortu & obitu prophet. ait Ieremiam, in Aegypto pro liberatione à serpentibus Deum orasse, iisque sublatis, magno apud eos in honore fuisse, & impie à suis occisum, honorifice ab alienigenis, iuxta regis palatium, sepultum fuisse. XVII Sepulturæ locus. A quibus sepultus. Beneficus in Aegyptios.

DE genere mortis consentit etiam Hieronymus, l. 2. contra Iouinianum extremo. *Semper*, inquit, *pseudoprophetæ dulcia pollicentur, & ad modicum placent. Ieremias captiuitatem nuncians lapidatur à populo. Hananias filius Azur frangebat ad præsens ligneas torques, & in futurum ferreas præparabat.* Autor imperf. in Matth. hom. 41. *Quis Ieremiæ verba suscepit viuentis? si enim suscepissent verba eius, nunquam* XVIII. Genus mortis confirmatur.

*cum post multas iniurias lapidassent.* Meminit & Tertullianus in Scorpiaco. [a] Quibus omnibus subscripserunt Matyrologia omnia Græcorum, atque Latinorum, primo Die Maii. Romanum sic habet. *In Aegypto S. Ieremia propheta, qui à populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit, ibique sepultus est,* & consentiunt omnes recentiores. Ex quo intelligi potest Ieremiam septem fere mensibus in Aegypto vixisse. Cui æquissimum est à nobis quoque honoris causa parentari, ne Aegyptiis pietate cessisse videamur. a c. 8.

XIX. *Ieremiæ cũ Christo similitudo.* PRÆSERTIM cum dubitare non liceat virum fuisse Ieremiam sanctitate, rebus gestis, miraculis, prophetia, magnitudine animi, patientia, omnique virtute clarissimum; quibus Christum Dominum in vita, & morte, tam insigniter adumbrauit, vt ea in re nulli prophetarum cedere, imo cunctis anteire videatur.

Singularis fuit Dei prænotio, & prædestinatio Ierem. vt esset propheta Dei, ob quam dicit, *priusquã te formarem in vtero noui te.* Christus Dominus singulari prorsus modo electus, & à Patre prædestinatus est filius Dei. [b] Hic speciali priuilegio dicitur formatus in vtero propheta, quia illum repræsentabat, qui singulari modo à Spiritu sancto formatus est in Virginis vtero: & sicut illa diuinæ cognitionis prioritas ipsam respicit, atque amplectitur æternitatem, ita de Christo æterna Dei sapientia dicitur. [c] *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret,* & Psal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* b Rom. 1. 4. c Prouerb 8. 22.

XX. *In sanctificatione ex vtero.* IEREMIAS sanctificatus est antequam exiret de vulua, vt illum referret, qui per Dauidem dicit, Psal. 21. *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu:* & propheta quidem ea ibi sanctitate sanctificatus est, qua extremo iam tempore sanctificatus est Abraham, quando egressus est de terra sua, vt ait Orig. homil. 1. in Ierem. vbi etiam confert sanctitatẽ Ieremiæ ante natiuitatem, sanctitati Saluatoris ante omnia tempora, & Diuus Thomas [d] ait conueniens fuisse Ioannem Baptist. & Ieremiã, præ aliis plerisq; sanctis in vtero sanctificari, quod ei fuerint coniunctissimi, quantum ad expressam figuram sanctificationis ipsius per baptismum, & passionem eius: & Diuus Chrysostomus serm. de Ierem. ait eum sanctitatem illam consecutum, qua promereretur antequam nasceretur. Christus Dominus non solum in ipso instanti suæ incarnationis sanctissimus fuit, omnique gratia plenissimus, sed etiam Sanctus sanctorum fuit, omnes qui vnquam fuerant, futurique erant sancti, oblatione sua sanctificans, iuxta illud. [e] *In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel.* d 3. p. q. 27. ar. 6. e Hebr. 10. 10.

XXI. *Vterque propheta in gẽtibus.* DEDIT insuper Dominus Ieremiam prophetam in gentibus, *& à ventre matris consecratus est propheta,* vt ait Sapiens, [f] quoniam voluit eum obire prophetiæ munus, non solum apud Iudæos, idololatriæ Ethnicorum more deditos, sed in propinquas etiam, remotasque gentes Palæstinos, Syros, Idumæos, Ammonitas, Moabitas, Aegyptios, atque Chaldæos. Christus propheta in gentibus fuit; iuxta illud. *Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* [g] Dauid, *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & cæt.* Adeo vt Origenes illa verba Ieremiæ, putet non ipsi, sed Christo Domino conuenire. Ieremiæ tamen in Christi figura conuenire, affirmat ibi Diuus Hieronymus, Ambrosius l. de benedict. patriarchar. cap. 11. Isidor. l. 6. Originum cap. de prophetis. Vide & Augustinum epistola 57. ad Dardanum sub finem. f Eccl. 49. 6. g Esa. 49. 6.

XXII. *Vterque virgo.* IEREMIAS, vt ait Diuus Hieronymus, l. 1. contra Iouinianum, qui in vtero sanctificatus est, & cognitus in vulua matris, ideo hoc priuilegio fruitur, quia virginitatis erat beatitudini destinatus. Addamus etiam, quia Christum Dominum virginem, virginis filium, virginum sponsum, virginitatis, puritatisque doctorem, pascentem inter lilia fuerat adumbraturus.

*Vterque missus ad destruendũ & ædificandum.* De Ieremia dictum est, *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes,* quibus scilicet annunciet fore, vt euellantur, & destruantur, nisi resipuerint, & contra ædificatum iri

etiam destructos si resipuerint. Audiuit Christus. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel*, ruinam synagogæ, & resurrectionem Ecclesiæ, *& in signum cui contradicetur*, vt impleatur etiam illud Ierem. [a] *Væ mihi mater mea, quare genuisti me virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra.* Quin & Christus ipse, *Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum &c.* [b]

a 15. 10.

b Matth. 10 34.

IEREMIAS puer prophetare cœpit; & dedit Dominus verba sua in ore eius. Remansit puer Iesus in Ierusalem, & sedit in templo in medio doctorum, & stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius. Mira enim erant, ipsa per sese, & in tantula ætate mirabilia. XXIII. Vterque à puero docet.

Prædicit Ieremias ruinam atque interitum Reipublicæ Iudæorum, ipsos 40. annos antequam illa contingeret. Nam à 13. anno Iosiæ, quo prophetare cœpit, vsque ad vltimum Sedeciæ 40. anni numerantur. Christus alterum eiusdem Reipub. interitum 40. annis ante prædixit, dicens, *quia circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te.* [c] Et prophetat Iudæorum clade pari spatio.

c Luc. 19. 43.

IEREMIAS magna libertate, animique magnitudine prophetauit, & vitia regum, principum, sacerdotum, totiusque populi reprehendit. Iuxta illud, *Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & murum æreum super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ.* De Christo legimus, [d] *Admirabantur turbæ super doctrina eius: erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum, & Pharisæi.* Hinc illa toties inculcata, *væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ*, [e] qui & dicebant. [f] *Dic nobis in qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem?* XXIV. Vterque libere vitia reprehẽdit.

d Matth. 7. 28.

e Matth. 23.

f Matth. 21. 23.

IEREMIAS sub variis similitudinibus vaticinia suo populo patefecit, futuras clades prædicens, & eorum deprauatos mores corrigere studens. Hinc illa virga vigilans, & olla succensa, & calix furoris Domini propinatus omnibus gentibus; Hinc lumbare in Euphrate absconditum, & computrescens, lagunculæ vino plenæ, & calathi optimorum, pessimorumque ficuum. Hinc iugum & catenæ, laguncula testea, & agri coëmptio, & si qua sunt alia. Christus passim in parabolis populo loquebatur, & sine parabolis non loquebatur eis. XXV. Et per rerũ figuras, atque parabolas.

IEREMIAS summos habuit aduersarios summos sacerdotes, pseudoprophetas, & populi principes. Christus, scribas & Pharisæos, summos sacerdotes atque pontifices. Illi consilium inierunt aduersus Ieremiam, dicentes, *Venite, & cogitemus contra Ieremiam cogitationes; venite, & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius.* [g] Et iterum. [h] *Cogitauerunt super me consilia, dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Eodem spiritu [i] *Congregati sunt principes sacerdotum & seniores populi in atrium principis sacerdotum, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent.* Eodem liuore, ac maleuolentia concitati, ac tabescentes [k] *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? & ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum:* denique, eodem ipso die quo interficerent eum, mane facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent; imitati videlicet eos de quibus querebatur Ieremias, dicens, *Tu autem Domine, scis omne consilium eorum aduersum me in mortem.* [l] Vtrosque mouit inuidia sanctitatis, & vitæ inculpatæ, quæ impiam eorum vitam, non minus quam vtriusque oratio, perpetuo reprehendebat. Ieremias sæpe appetitus est insidiis inimicorum suorum, vt coram Deo gemens diceret. *Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ?* [l] Et iterum. [m] *Foderunt foueam, vt caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis: sic Christus in solutione tributi, in iudicio adulteræ, & aliàs sæpe impiorum Iudæorum fraudibus appetitus est.* XXVI. Vterque eosdem habuit aduersarios. Et vitæ insidiatores

g 18 18.

h 11. 19.

i Matth. 26. 3.

k Ioan. 11. 47.

l c. 18. fi.

l 18. 20.

m v 22.

DVM Ieremias prophetat coram Phassur sacerdote, & principe in domo Domini, percutitur ab eo, & mittitur in neruum & carcerem vbi tota nocte cruciatur. [n] Christus respondens pontifici, ab eius ministerio percutitur, & tota nocte crudelem in modum, illius vel iussu, vel permissu affligitur. [o] XXVII. Vterque prophetans cæditur.

n c. 2 1.

o Ioan. 18.

*Et prædicit impœnitentiam.*

Ieremias præuidens obstinatum impiorum illorum furorē, & præuidens impœnitentiam, non imprecando, sed prædicendo, apud Dominum dicebat, *Non propitieris*, id est non propitiaberis *iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non delebitur; fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abuteris eis.* Christus apud Patrem orans dicebat, *non pro mundo rogo*, Et ipsilmet, *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini*, Et iterum, *Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

XXVIII. *Vnus apud regem, alter apud proregem male accusatur. Maleque iudicatur vterque.*

DIXERVNT principes populi regi Sedeciæ, *Rogamus, vt occidatur homo iste; de industria enim dissoluit manus virorum bellantium, & manus vniuersi populi.* Dicebant principes sacerdotum proregi Pilato, *hunc inuenimus subuertentem gentem nostram. Et dixit rex Sedecias, Ecce ipse in manibus vestris est; neque enim fas est regem vobis quicquam negare*; timebat enim ne desertus ab eis, traderetur in manus regis Chaldæorum. Pilatus tradidit eum voluntati inimicorum suorum, & adiudicauit fieri petitionem ipsorum: timebat enim ne accusaretur apud Cæsarem, & ab eo male acciperetur. Sed vterque impius & iniustus iudex, prodita innocentia, incidit in timorem quem timebat, & vterque in exilio & carcere misere periit, vnus in Chaldæa, alter in Gallia.

XXIX. *Similes aliæ accusationes & verbera.*

Comprehensum Ieremiam, & falso accusatum apud principes, quasi fugeret ad Chaldæos, cæsum miserunt in carcerem, & quidem alapis, aut pugnis & calcibus cæsum, vel etiam flagellis, vt vult Rabanus. S. Thomas, Lyranus, Dionysius,[a] & Abulensis.[b] Christus apud principes populi, & Herodem, & Pilatum falso accusatus, alapis, & flagellis indignissime cæditur. [a in c. 37. n 14.] [b q. vlt in 4. Reg.]

Dixit Ieremias ad Sedeciam, cum iam traditus esset manibus impiorum, *Si annunciauero tibi, nunquid non interficies me? & si consilium dedero tibi, non me audies.* Cum Iudæi Christum comprehensum interrogarent, *si tu es Christus, dic nobis.* Ait illis, *si vobis dixero non credetis mihi, si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis* Ille accusatur quasi dissoluens manus virorum bellantium, & suadens defectionem ad Chaldæos: ideoque postulatur ad mortem apud regem Sedeciam. Christus quoque apud proregem Pilatum reus agitur mortis, quasi subuertens gētem Iudaicam, suadens defectionem à Cæsare, negando tributa.

XXX. *Vterque flet super ciuitatem. Abscondit se à persecutoribus.*

FLEVIT vterque super ciuitatem Hierosolymitanā, alter euersam, alter euertendam: sicut vterque eam, cum templo, & toto regno sæpius euertendam prædixerat.

Ieremias quæsitus ad mortem à rege Ioachimo, abscondit se cum discipulo suo Baruch.[c] Cum irati Iudæi tulissent lapides, vt iacerent in ieſum, ipse abscondit se, & exiuit de templo:[d] sicut & alibi, transiens per medium illorum ibat.[e] [c c. 36. 19 26.] [d Ioannis 8. 59] [e Lucæ 4. 30.]

*Fert iugū, aliisque offert.*

Iubetur Ieremias imponere collo suo vincula, & catenas,[f] easque, vt quibusdam placet, pluribus annis tulit, prænuncians Iudæorum, & aliarum gentium seruitutem. Iugum id interpretatur ipsemet. *Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum*: & Dauid vtrumque iungit; *dirumpamus*, inquit Psal 2. *vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum.* Rab. Dauid Kimhi affirmat fuisse lignum oblongum, quod transfigit iugum: catenæ autem ligneæ fiunt ab agricolis ex lentis salicibus, quæ siccatæ durescunt, & firmissime constringunt. Tulit Dominus iugum crucis suę, cum duceretur ad mortem, quam sibi præsentem habuit tota vita sua. omnibusque ferendam proposuit, *tollite*, ait, *iugum meum super vos*, &c, *qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.*[g] Et ipse sub ea prædixit deplorabilem casum, & seruitutem perpetuam Iudæorum. [f c. 27 c. 28. 14.] [g Luc 14. 27.]

XXXI. *Vterque occisus à suis.*

IEREMIAS *quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam*,[h] suorū factione populari occisus est; cum nec obiurgantē audire vellent, nec scelera sua emendare. Christus Dominus mansuetissimus agnus Dei, suorum & ipse factione damnatus ad sacrificium crucis, crudeli supplicio peremptus est. [h Ierem. 11. 19.]

*Et multis irrisionibus affectus.*

Ieremias inimicorum suorum irrisionibus exponitur, etsi nihil ageret dignum risu, ita vt gemens diceret Domino.[i] *Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me.* Et iterum ibidem. *Factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die.* Et Thren. 3. 14. *factus sum in derisum omni populo meo, canticum* [i c 10. 7. 8.]

*corum tota die.* Christus Dominus, tum in palatio Herodis, & prætorio Pilati, tum in cruce indignissimis, crudelissimisque modis irrisus, percussus, coronatus, sputis oblitus, alapis cæsus, & blasphemis vocibus affectus est; & impleuit ad literam, quæ Ieremias de amarissimo mœrore suo metaphorice deplorabat, *Repleuit me*, inquit, *amaritudinibus, inebriauit me absynthio*, &c. *Recordare pauper tatis, & transgressionis meæ, absynthii, & fellis*, id est recordare Domine quam grauiter affligar, & quam dure transgrediantur inimici mei, leges omnes humanitatis aduersum me, vt id mihi perinde sit, ac si amarissimo absynthio pascerer, ac felle potarer.

XXXII *Figura fuit Christi in sepulchro, & resurrectione.*

IEREMIAS missus in profundum laci, vnde eductus est viuus, sepulchrum Christi Domini, & resurrectionem præfigurat: & ille Adremelech, curam illius habens, Iosephum ab Arimathea. Idem suis inuisus, charus fuit Aegyptiis, Aethiopibus, & Chaldæis, sicut Christus à Iudæis non receptus, à gentilibus libentissimis animis acceptus est.

*Vtriusque sepulchrū gloriosum. Vtilis sepulchri puluis contra aspides & Basiliscos.*

Christi sepulchrum gloriosum fuit, & multis miraculis nobilitatum. Refert Epiphanius Aegyptios sepulchrum Ieremiæ magna religione coluisse, vbi *pluribus*, inquit, *officiis se ab illo adiuuari cognouerunt. Aspides enim, & vndarum beluæ, quas Nephod*, siue vt habet Dorotheus in synopsi *Menephod appellitatant Aegyptii, Græci vero* τὰς κροκοδείλους, *eos interimentes, postulationis Ieremiæ beneficio ex illis finibus sunt profligati, nec tam aspidum furor, quam ex flumine ratione pari bestiarum insidiæ. Quique vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco supplicare consueuerunt, & sumpto puluere morsibus aspidum medentur; feræ quoque aquarum inde aufugerunt.* Vel potius, vt habet Dorotheus, *Multi ex illis ipsas etiam bestias in aduersas aquas fugant.*

XXXIII. *Eius ipsana honorata.*

ADDIT etiam de prophetæ reliquiis Alexandriam translatis. *Nos vero*, inquit, *ex posteris Antigoni, & Ptolemæi, viris iam grandæuis audiuimus, quod Alexander rex Macedonum, cum ad eum Prophetæ locum venisset, mysteriaque illius cognouisset, reliquias illius in Alexandriam transtulerit, & cum gloria circumquaque ornatas collocarit, atque ita genus aspidum ab ea terra, & ipso quoque flumine similiter prohibitum sit, & serpentes hoc pacto reiecti, quos Argolaos, hoc est lacertas vocant.* Cuius translationis meminit Ioannes Moscus in prato spirit. c. 27. & locum iis reliquiis nobilitatum, vocat magnum Tetraphilum: meminit & Abulensis q. 91. in c. 2. Matth, & in fi. 4. Regum. Sic ille princeps solo naturæ lumine agnouit sanctorum reliquias præsidio esse, atque auxilio inuocantibus; & vicissim cultu ac veneratione dignas.

XXXIV. *Viuus & mortuus pro populo orauit.*

IEREMIAS & viuus & mortuus, pro populo de se pessime merito, orare non destitit, adeo vt à Domino prohiberetur orare dicente. [a] *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, non obsistas mihi, quia non exaudiam te*, & 2. Machab [b] dicitur apparuisse viræ tate, & gloria mirabilis, & magni decoris habitudine, de quo Onias. *Hic est*, inquit, *fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei.* Christus Dominus in cruce pendens pro suis crucifixoribus veniam, & misericordiam precatur, & mortuus non cessat patri merita sua offerre pro nobis, vnde Ioannes. [c] *Si quis peccauerit Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

a c. 7. 16.
b 15. 14.
c 1. Ioan, 2. 2.

XXXV. *Epitaphiū prophetæ.*

ADDAMVS etiam in sanctum prophetam, quamuis meritis impar Epitaphium, supplicesque preces, vt qui in alienos benignus fuit, in nos eiusdem fidei hæredes, doctrinæ sectatores, æmulos innocentiæ; patientiæ, fortitudinis, constantiæ admiratores, ac præcones, copiosam benedictionem diuinitus impertiatur.

## EPITAPHIVM IEREMIAE.

CLAVDIT HOC MAVSOLÆVM, VIATOR, NON LIPSANA, SED BALSAMVM LILIO VIRGINITATIS ODORATVM, NON OSSA ARENTIA, SED TERIACAM VENENIS, SED AMVLETVM FVGANDIS SERPENTIBVS, LACERTIS, ASPIDIBVS, CROCODILISQVE SALVTARE. HANC ILLI VIM DEDIT, QVI DVDVM CONTRA CACODÆMONES, TARTAREOS SERPENTES, ET EORVM CVLTVM, ILLISQ. ADDICTAS ISRAELITARVM FOECES VATEM INVICTVM REDDIDIT. DEDERAT QVIPPE EVM A PVERO IN CIVITATEM MVNITAM, ET IN COLVMNAM FERREAM, ET IN MVRVM ÆREVM SVPER OMNEM TERRAM, ADVERSVS REGES ET PRINCIPES, ET SACERDOTES, ET POPVLVM TERRÆ.

XXXVI. NIL MIRVM AVTEM POTENTEM FVISSE IEREMIAM ADVERSVS ASPIDEM ET BASILISCVM, ET CONCVLCASSE LEONEM ET DRACONEM, QVI EX IPSO SANCTIFICATVS VTERO, NIHIL ILLIS IN SE IVRIS IN ANIMO; NIHIL IN CORPORE INQVINATVM TOTO VITÆ DECVRSV ADMISIT: ILLI TOTA VITA SIMILLIMVS, QVI MORTALIVM NEMINEM, AVT ETIAM IMMORTALIVM HABVIT VNQVAM PAREM. PRO QVO, ET IN CVIVS TYPVM CALVMNIIS APPETITVS, IRRISIONIBVS VEXATVS, CIRCVMVENTVS INSIDIIS IVGVM SVBIIT ET CATENAS; ALAPAS ITEM ET FLAGELLA, TENEBRAS ET COENOSVM BARATHRVM EXPERTVS EST: ET POST DEPLORATAM MVLTIS ASSIDVISQVE LACHRYMIS CIVITATEM, AC REMPVBLICAM IVDÆORVM GEMINA CLADE PEREVNTEM, SAXORVM DENIQVE GRANDINE AB IMPIA FVGITIVORVM TVRBA OBRVTVS, IN SANCTI ABRAHÆ, CÆTERORVMQVE PATRIARCHARVM SINVM EVOLAVIT, MAII PRIMO, MENSE A DESCENSV IN ÆGYPTVM SEPTIMO; PROPHETICI MVNERIS ANNO XLII. ÆTATIS FERE LV.

Videbimur autem non parum officio nostro defuisse, si prophetarum illustrissimum Isaiam tantillo, quo paulo illustriores viros solemus honore prosequi, carere patiamur. Hoc ergo epitaphium venerando eius sepulchro appendamus. Pertinet ad pag. 536.

## EPITAPHIVM ISAIÆ.

DIVISVM SERRA CORPVS, DIVISVM CORPVS AB ANIMO CONTINET HÆC SPELVNCA ISAIÆ PROPHETÆ; SANGVINE, MERITIS, ÆTATE, VATICINIIS OMNIVM PROPHETARVM LONGE CLARISSIMI. QVANQVAM NE HOC QVIDEM ELOGIVM PAR EST LAVDIBVS VIRI IN MEDIA LEGE MOSAICA CHRISTIANI. IMO VIRI ANTE CHRISTI NATIVITATEM CHRISTI MARTYRIS: ANTE EXORTAM EVANGELII LVCEM EVANGELISTAE; QVI PLANGENS SVORVM ISRAELITARVM CAECITATEM, EXVLTAVIT AD LVCEM GENTIVM. VIDIT ILLE PRODIDITQVE MAGNI MESSIAE CONCEPTVM, ET INTEMERATAM NATIVITATEM. VIDIT REGIAM, ATQVE ADEO DIVINAM SERVA-

TORIS ORIGINEM, ET CVM EMANVELIS MAIESTATE PVERILES CIBOS. VIDIT INAVDITA SANITATVM PRODIGIA, ET DOCTRINAE DIVINITATEM. CELEBRAVIT MIRABILEM EIVSDEM PRINCIPIS NOSTRI VITÆ INNOCENTIAM, MORTIS ET TORMENTORVM ACERBITATEM, VNAQVE DE MORTE, PECCATO, ET HOSTE TARTAREO GLORIOSISSIMOS TRIVMPHOS; QVOS PENE SIGILLATIM ET HISTORICO MORE PERCENSVIT, ATQVE NVMERAVIT. DENIQVE DVM IN FILIORVM EIVS CHRISTIANORVM SANCTITATEM, ET PROFLIGATOS SVORVM MORES, ET IDOLOLATRIAM INTENTVS, SAEPIVS GENTEM PECCATRICEM, POPVLVM GRAVEM INIQVITATE, SEMEN NEQVAM, FILIO INTONAT SCELERATOS, BARBARI, EIVSDEMQVE COGNATI PRINCIPIS, VEL IVSSV, VEL CONSENSV, INAVDITO SVPPLICIO PEREMPTVS, IN SANCTORVM REQVIEM, POST EXANTLATAS CENTVM CIRCITER ANNIS HVIVS VITAE ÆRVMNAS EVOLAVIT, ANNIS ANTE CHRISTI ORTVM FERE SEPTINGENTIS.

XXXVII. Ieremiam reuera esse mortuum.

Ex his autem refutatur erronea illa opinio Ieremiam nondum esse defunctum. Nam Victorinus Afer Scriptor antiquus [a] qui habetur in bibliotheca Patrum, id ex eo colligebat, quod datus esset propheta in gentibus; ideoque venturus esset tempore Antichristi cum Helia, vt eo munere fungeretur, præsertim cum scriptura nihil de eius morte tradiderit: sed hæc improbata iampridem, & reiecta sunt à Diuo Hilario c. 20. in Matth. & ab omnibus recentioribus scriptoribus, in quibus Sixt. Senensis, [a] Pererius, [b] Suarez, [c] Torniellus, [d] Maldon. præfat. in Ierem. A Castro Isagoge in eundem prophetam, c. 1. Capella item præfatione in eundem Sanctius proleg. 6. in Ierem. Reiici quoque oportet ab omnibus, qui Eliam & Enoch venturos eo tempore fatentur, quos longe ordine recenset Viegas in cap. 11. Apocal. [e]

Interea vero dum Iudæi in Aegypto contra Ieremiam, & contra Deum ipsum insaniunt, Patruus, neposque, olim Iudæorum reges, Sedecias inquam & Iechonias, exautorati ambo, Babylone in carcere degebant.

[a] Com in c. 11 Apoc.

[a] l. 6. biblioth. annot. 146. [b] l. 15 in Daniel. [c] 3 p. t. 2. d. 55. s. 3. [d] sex. ætat. an. 2 n. 8. [e] Commét. 5. sect. 4. & 5.

## *SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI.* 3448.

1. N. VII. Supra v. 6. eandem dictionem Chuzoth Hierony. vertit plateas, & infra aliquoties, quia nimirum plateæ erant fere regionum vrbis termini.

2. N. XIV. Hic Pharao Ephree à 70. Eusebio, Theodoret. Clement. Alex. Vaphre, siue Vaphres dicitur, à Chaldæo paraph. cōfunditur cum Nechao, qui huius auus fuit, vt tradit Herodot. sub fin. l. 2. quem, vt alibi diximus, vocat Necum, cui 17 septēdecim imperii annos tribuit, eique successisse ait filium eius Psammim, ad sex annos, inde nepotem Apriem ad 25. sic enim vocat eum, quem nos Ephree, vt sentit Eusebius in chronico, in serie regum Aegyptiorum: Quamquam in eorum annis toto cœlo distat ab Herodoto, illi enim dat annos 50. Diodor. autē Siculus l. 1. duos & 20. S. Clem. Alexandrinus ait Secundum huius Vafrei annum concurrere cum 7. Nabuchod. vel potius 17. quia constat ex Scriptura, quartū Ioachim esse primum Nabuch. Itaque ex eius & Herodoti sententia ita anni a Pharaone Nechao essent ordinandi, vt in tabella subjicimus.


| | Iosiæ | Nechao | |
|---|---|---|---|
| | 27 | 1 | |
| | 28 | 2 | |
| | 29 | 3 | |
| | 30 | 4 | |
| | 31 | 5 | |
| Ioach | 1 | 6 | |
| | 2 | 7 | |
| | 3 | 8 | Nabuch. |
| | 4 | 9 | 1 |
| | 5 | 10 | 2 |
| | 6 | 11 | 3 |
| | 7 | 12 | 4 |
| | 8 | 13 | 5 |
| | 9 | 14 | 6 |
| | 10 | 15 | 7 |
| Sed. 1. | 11 | 16 | 8 |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 | | 17 | | 9 | | |
| 3 | Psámis. | 1 | | 10 | | |
| 4 | | 2 | | 11 | | |
| 5 | | 3 | | 12 | | |
| 6 | | 4 | | 13 | | |
| 7 | | 5 | | 14 | | |
| 8 | | 6 | | 15 | | |
| 9 | Vaphr. | 1 | | 16 | | |
| 10 | | 2 | Nabuch. | 17 | | |
| 11 | | 3 | | 18 | Olymp. | |
| Desol. 1 | | 4 | | 19 | 43. | 2 |
| 2 | | 5 | | 20 | | 3 |
| 3 | | 6 | | 21 | | 4 |
| 4 | | 7 | | 22 | 44. | 1 |
| 5 | | 8 | | 23 | | 2 |
| 6 | | 9 | | 24 | | 3 |
| 7 | | 10 | | 25 | | 4 |
| 8 | 10 | 11 | 10̄ | 26 | 45. | 1 |
| 18 | | 21 | | 36 | 47. | 3 |
| 19 | | 22 | | 37 | | 4 |
| 20 | | 23 | | 38 | 48. | 1 |
| 21 | | 24 | | 39 | | 2 |
| 22 | | 25 | | 40 | | 3 |
| 23 | | 26 | | 41 | | 4 |

2. N. xiv. Ex quibus dubium erit de huius Pharaonis Ephree morte. Nam ex vna parte constat anno 5. desolationis, qui est 23. Nabuchod. captam esse Ægyptum, & occisum Ægypti regem; sic enim ait Iosephus. a *Quinto*, inquit, *post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchod. 23. cum magnis copiis inuasit Cœlesyriam, qua subacta bellum gessit contra Ammonitas, & Moabitas, & his quoque perdomitis, Ægyptum hostiliter ingressus est; occisoque qui tum regnabat, & alio rege constituto, repertos ibi Iudæos rursum captiuos Babylonem abduxit.* Ex altera parte Herodotus huic Aprie, siue Ephree 25. annos tribuit, qui non ad 23. sed vsque ad 40. Nabuchod. protenduntur. Non ergo occisus fuit a Nabuchod. 23. quin etiam Herodotus ait eum ab Ægyptiis permissu Amasis strangulatum, & reuera scriptura non dicit occisum iri, sed tantum in eius potestatem venturum, sicut Sedechiam, vt dicitur in fi. c. 44. qui nec ipse à Nabuchod. occisus est, & c. 46. à v. 17. ad fi. vbi hæc Ægyptiorum clades memoratur, nihil de cæde regis dicitur, sed vasa potius transmigrationis memorantur, sicut & c. 29. Ezechielis, vbi hæc desolatio Ægypti ad annos 40. prædicitur. Verum historia profana, præsertim antiquior, ad modum infida, & incerta est. Potuit enim decipi Herodotus in assignando authore mortis huius Ephree regis Ægyptij, sicut deceptus videtur cum ait istum Apriem bellum nauale contra Tyrum & Sidonem hoc tempore intulisse. Quod Nabuchodonosori tot antiqui scriptores cum Iosepho tribuunt. Eligat ergo lector veritatis amicus, quod ei magis consentaneum statuerit.

a l.10 c.11.

Vbi inter alia *Quis iustorum, aut regum in Ægyptum descendit & eius descensu idola in Ægypto conciderunt? Abraham descendit, nihilominus tamen idololatria vbique viguit. Natus est ibi Moses, atque illic hæsit religionis error, &c.* Vide in eum Esaiæ locum Leonem Castr. & Baron. t. 1. an. 1. n. 44 vbi ex Euagrio refert id in ciuitate Hermopolis contigisse. 3. N. xv.



# ANNVS MVNDI 3449. & 50. QVINTAE AETATIS 510. & 511. IOSEDECI PONTIFICIS 3. & 4. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 14. & 15. DESOLATIONIS 3. & 4. NABVCHODONOSORIS 21. & 22. IMP. BABYL. 116. 117. OLYMP. XLIII. AN. 4. & XLIV. AN. 1. TARQVINII PRISCI 11. 12. VRBIS COND. 148. 149.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 604. & 603.

I. Olymp 44

DVOS annos coniungimus quod ij ægre in historia sacra disiungi possint, etsi posterior nouæ Olympiadi dedit initium, habuitque Gelonem Spartanum victorem.

*Baruch cogitat Babylonem.*

Mortuo porro in Ægypto, sepultóque Ieremia, Baruch propheta eiusdem scriba, ac discipulus, qui propter magistrum tantum in Ægypto residebat, videtur non multo post inde abiisse, præsertim cum vix vllam de Iudæorum salute spem haberet: non solum quia, quod Ieremias irrito conatu susceperat, non videbatur Baruch felicius aggressurus, qui multo minore erat apud omnes autoritate, & opinione sanctitatis: sed etiam quia peculiariter in eum erant offensi. Vnde a *Baruch*, inquiunt, *filius Neriæ incitat te aduersum nos, vt tradat nos in manus Chaldæorum, vt interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem*, vt mirum sit eum non eadem opera cũ Ieremia ab ipsis occisum.

*Et quare.*

a Iere. 43. 3.

II. *Transit per Iudæam.*

EGRESSVS ex Ægypto Babylonem profecturus, modico itineris flexu ruinas templi, & Hierosolymorum reuisit, vbi etiam videtur aliquandiu substitisse;

quoniam illic nonnulla iam Iudæorum manus collecta erat, vt patet ex ca. 1. Baruch 7. vbi anno quinto desolationis dicuntur Iudæi collegisse pecuniam aliquam, & misisse in Ierusalem ad Ioakim sacerdotem, aliosque tam sacerdotes quam laicos, qui cum eo erant, vt ibi Domino sacrificaretur pro salute Nabuchodonosoris, & filij eius. Oportet igitur eos illuc ex diuersis locis sensim adrepsisse, ex quo Ieremias cum reliquo populo, à Iohanan filio Caree in Ægyptum abducti fuerant. In his fuit Habacuch ille, qui in Babylonem ab angelo translatus est, vt affirmat Epiphan. in eius vita. *Vbi collecti aliqui.*

III. *Vbi & sacrificatur.* Barvch igitur, qui nonnihil de spiritu & virtute Ieremiæ participauerat, eius morte Ioakimo nunciata, cum eo etiam, non sine Dei numine, videtur egisse, vt iis in locis, in quibus altare holocaustorum, & altare thymiamatis stete rant, informe quodpiam altare excitaretur, ad aliquam Iudæorum consolationem. Sic enim ibi legitur. *Offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri,* quæ quia vilis admodum erat, si vel aurei vel æneí altaris, quod vtrumque fuerat magnificentissimum, ratio habeatur; & opere tumultuario excitata, pro nihilo ducebatur ab ipsimet Iudæis. Nam Azarias apud Danielem, [a] Deum orans fatetur non
a 3. 38.
esse hoc tempore holocaustum, id est locum holocausti, & sacrificij, neque oblationis & incensi, neque locum primitiarum coram Domino, vt possent inuenire misericordiam eius.

IV. *Quis hic Ioakim sacerdos.* Sed quis esset hic Ioakim inquirendum est. Eum Baruch ita describit. *Et miserunt,* inquit, *in Ierusalem ad Ioakim filium Helciæ, filij Salom Sacerdotem.* Et primo constat eum non fuisse summum sacerdotem, vt Lyranus quoque notauit. Ea enim dignitate tum quoquo modo apud Chaldæos Iosedec filius Saraiæ fungebatur. Hic autem dicitur filius Helciæ, qui scilicet tempore Iosiæ summum gesserat pontificatum, vt vult à Castro, sed quia is erat inter natu minores filios, Azarias in pontificatu patri successit. Nec repugnat tempus, quia potuit genitus esse in senectute patris, sed nec aui nomen, quia qui Sellum dicitur 1. Paral. 6. 13 Idem c. 9. 11. dicitur Mosollam, sicut & 2. Esdræ 11. 11. At 3. Esdræ 8. 1. dicitur filius Solome, hoc autem loco filius Salom, quod idem est: de eo aliquid primo Amonis anno diximus, sic autem ordinari potest ista familia.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Sellum qui & | Salom / Solome / Mosollã | genuit Helciam is | Azariam, qui Saraiam, ex quo | Iosedech, qui genuit Iosue 1. Esdr. 3. 2. Esdras 1. Esdr. 7. 1. |
| | | | Ioakim, Baruch. 1. 7. qui sacerdos Hierosolymis in desolatione fuit. | |

V. *Quidque in Iudæa ageret.* Hic ergo Ioakim filius Helciæ iam senex, alicunde ex fuga redux, in ruderibus Ierusalem sacerdotem agebat; cæteros enim dignitate facile anteibat, vt qui patruus esset nuper occisi pontificis: & reliquias populi consolabatur, sicut & Baruch, dum iter Babylonem adornat pro communi bono. Credibile enim est eum aliquid gratia valuisse apud Nabuzardan principem militiæ, propter Ieremiam cui erat quasi filius: & ab eo impetrasse, vt pauci illi fugitiui Iudæi in parietinis illis, non tam commorarentur, quam templi ac patriæ casum lamentarentur.

VI *Sedeciæ mors, ratio temporis.* Hoc ipso tempore mortuus videtur Rex Sedecias. Etsi enim non constat quo anno mortuus sit, satis tamen credibile est ad annum sequentem eum non peruenisse. Cum enim in eo cœtu, qui tum coactus est, vt dicemus, Ioachini fiat mentio, qui in carcere degebat, sicut & Sedecias, Sedeciæ autem nulla fiat, videtur sane iam fuisse defunctus. Adde quod præ animi mœrore, & oculorum cruciatu, orbitate liberorum, & templi, regnique interitu, carceris etiam fortasse duritia (erat enim propter ingratitudinem, & perfidiã inuisus regi Nabuchod.) non potuit diu esse superstes. Impletum enim videtur in eo illud Ieremiæ. [b] *Sic*
b 24. 9.
*dabo Sedeciam regem Iuda, & principes eius &c. in vexationem, afflictionémque omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ ieci eos.* Vt scilicet prouerbij loco dici posset, Sedecia miserior; & in imprecationibus vsurparetur. Accidat tibi quod accidit Sedeciæ, & principibus eius, vt notauit Maldon.

VII. *Traditio de mortis eius ignominia.* Ad opprobrium autem eius pertinet illa Iudæorum traditio, quã possumus

cum D. Hierony. [a] recitare. *Audiui, inquit, liddæ quendam de Hebræis qui sapiens apud illos, & δευτερωτὴς vocabatur, narrantem huiuscemodi fabulam. Sedecias, inquit, a Nabuchodonosore rege cæcatus in Reblata, hoc est Antiochiæ, variisque textis modis ductus est Babylonem, vbi cum quadam die Nabuchod. conuiuij festa celebraret, iussit ei dari potionem, qua hausta venter potantis solueretur in fluxum, ac subito introductum ante ora epulantium, compulsumque vi ventris, pollutum esse stercore; & hoc esse, quod Habacuc dicit; væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius, & ignominiam pro gloria. Quod scilicet ille, qui rex potentissimus fuerat, ad tale dedecus per eum sit deductus. Vnde & comminatur ei Deus, quod & ipse bibiturus sit huiuscemodi potionem, & passurus omnia quæ passus est Sedecias. Hoc quam ridiculum sit, me tacente cognoscitis.* — a in 2. Habacuc. v. 15.

VIII. *Non improbabilis.* SIC D. Hierony. qui potionem interpretatur calicem iræ Dei, quem Ieremias propinauit omnibus gentibus. [b] *Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos.* Vbi etiam Rex Sesac. id est Babylonis dicitur bibiturus post eos. Eandem traditionem referunt Comestor in [c] histor. schol. eamq; Tostat. [d] probabilem putat. Mauult tamen illum ebrietate dominante indecore sese denudasse, & toti principum & conuiuarum cœtui sese deridendum propinasse: adduntque Sedeciam tantum opprobrium & confusionem non ferentem, breui in carcere fuisse mortuum: & videtur rex eam ignominiam honorifica sepultura compensasse. Certe D. Hieronymus non tam ipsam narrationem irridet, quam ineptam scripturæ ad eam accommodationem à Rabino factam. — b c. 25. 27. c l. 14. c. 15. d 4. Reg. c. 25. q. 38.

IX. *Mortuus sine vi.* QVIDQVID sit, illud certo affirmandum est Sedeciam morte violenta non esse defunctum, vt impleretur illud Ieremiæ. [e] *Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum regum priorum qui fuerunt ante te sic côburent te, & væ Domine plangent te: quia verbum ego locutus sum dicit Dominus.* Iosephus quoque [f] ait Nabuchod. Babylonem reuersum Sedeciam in carcere quidem vsque ad mortem eius detinuisse, mortuum tamen regia funeris pompa elatum sepelisse. *Sed in carcere.* Ex quo refellitur, Rab. Dauid Kimhi, qui in c. 34 Iere. ait Sedeciam statim post obitum Nabuchodonosoris decessisse, eo quod à Ieremia [g] dicatur, *Posuit eum in domo carceris vsque ad diem mortis eius*, in Hebræo, vsque ad diem mori eum, retulit enim mortem ad Nabuchod. non ad Sedeciam, quo referenda fuit, sed ambiguitatem sustulit D. Hieronymus, cum vertit ad diem mortis eius, non suæ. — e 34. 5. f l. 10. c. 11. g 52. 11.

X. *Bius funus* QVOD autem dicitur, *comburent te*, quo modo habent 70. Chaldæus, Pagninus, Tigurina cum Vulgata, intelligitur reuera Sedeciæ cadauer Babylone ritu patrio fuisse combustum. Etsi Vatablus combusta duntaxat aromata super eum existimet, vt de Asa legimus, [h] eique consentit à Castro in 34. Ierem. & ibid. Maldon. quod in Hebræo legatur, *lec*, id est, *tibi*, aut ad honorem tuum. *An resipuerit.* Vtrum autem Sedecias tot obrutus malis ad sanam mentem redierit, & pœnitentiam egerit, nihil fere habeo vnde alterutram partem affirmare possim, etsi in mitiorem libens, melioremque propendeam; quia video plerosque è prioribus regibus hoc ipso nonnullā de sua salute spem reliquisse, quod à Deo in hac vita afflicti sunt, nec in flagranti, vt aiunt facinore ad diuini iudicij tribunal abrepti. *Ita videri, non plane improbabiliter.* Vnde prodigij pene loco notatum est de Asa, quod in sua infirmitate non quæsierit Dominum. [i] Suspicionem etiam auget, quod Baruch. 1. 8. legitur eum fecisse vasa argentea in templo Domini, loco aureorum, & argenteorum, quæ Nabuchodon. cum Iechonia Babylonem abduxerat. Accedit quod Ezechielem & Danielem habuit in captiuitate, à quibus iuuari potuit ad bene moriendum & futura mala præsentibus redimenda. — h 2. Par. 16. i 2 Paral. 16. 12.

XI. *Nabuchod. parat Ægypto bellū.* HOC ipso tempore Nabuchodonosor bellicam expeditionem in Aegyptum parat, ad dictā Ieremiæ & Ezechielis comprobanda, de qua anno sequenti, quo gestum est bellum, nobis dicendum erit. Prius tamen quam ex Chaldæa abiret videtur impleſſe illud, quod de eo scribit Iosephus relata Sedeciæ sepultura; vasa quibus Hierosolymitanum templum spoliauerat, suis consecrauit numinibus, populo in Babylonia sedes attribuit, Pontificem è vinculis exemit.

# ANNVS MVNDI 3451. QVINTÆ ÆTATIS 512. IOSEDECI PONTIF. 5. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 16. DESOLATIONIS 5. NABVCHODONOSORIS 23. IMPERII BABYLONIORVM 118. OLYMP. XLIV. AN. 2. TARQVINII PRISCI 13. VRBIS CONDITÆ 150.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 602.



HIC est annus maximarum victoriarum [a] Nabuchodonosoris, & amplificati imperij in omnes longe lateque regiones, de quibus Ieremias c. 25. prophetauerat. Quæ causa nonnullis fuit, vt Babyloniorum imperium hoc anno inchoandum putarint: alij ab inito Nabuchodonosoris regno, alij à parentis eius Nabopolassaris, siue Nabuchodonosoris senioris victoriis, à Iosepho, & Beroso celebratis, initium duxerint: quod nos duximus ab exciso Assyriorum imperio auspicandum: etsi id à principio modicum, in vtriusque Nabuchodonosoris regno magna ceperit incrementa. In hisce populis ac regionibus, Ægyptus facile primum locum tenet, siue Regis potentiam, siue prophetias contra Ægyptum editas consideremus. Quin etiam non temere affirmari potest Nabuchodonosorem primaria intentione hanc expeditionem, perdendæ Ægypti causa suscepisse, (erant enim antiquæ iam atq; inueteratæ inter vtrunque regem inimicitiæ:) Ægypto autem subiugata, torrentis instar in reliquas prouincias, & regna inundasse.

*[a] Iere 25. c. 46. 13 & seqq. 52. 30. Baruch. 1. 1. & c. 2. 3 4. 5. Ezechiel. 21. 35. 36. Sophon. 2.*

*I. Noua Nabuchodonosoris historia.* — *Et incrementum imperij.*

HVNC rerum gestarum ordinem Ieremias c. 25. confirmat. Cum enim ei dixisset Dominus. [b] *Sume calicem vini furoris huius de manu mea; & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Deinceps primo loco Hierosolymam, & regnum Iuda ponit, secundo autem Pharaonem cum omni populo eius, tum terram Ausitidem, & Palæstinam*, quarum ex Ægypto redeuntibus septentrionem versus, illa ad orientem sita est, hæc ad occidentem; illa occurrit ad dexteram, hæc ad sinistram: tum rursum Idumæa, Moab, & Ammon; ad occidentem Tyrus & Sidon, & aliæ deinceps, ideoq; possimus impune non assentiri Iosepho (etsi eum videtur secutus Hieronym.) qui primo Cœlesyriam subegisse ait, tum Ammonitas, & Moabitas & his perdomitis Ægyptum hostiliter esse ingressum. [d] Etsi enim Ægyptum adeunti primo isti occurrebant, prius tamen præcipuum aduersarium inuadendum censuit. Ergo Ægyptum primo adeamus.

*[b] v. 15.* *[c] in ca. 25. Esaiæ, & c. 2. Sophon.* *[d] l. 10. c. 11.*

*II. Victoriarum ordo.* — *Initium ab Ægypto.*

PRIMA huius Ægyptiacæ calamitatis prædictio habetur c. 46 Ierem. [e] quia ea facta est sub idem tempus, quo prænunciata est Ægyptiorum clades in Charcamis, iuxta fluuium Euphratem, sub rege Pharaone Nechao, vt supra anno 1. Nabuch. diximus. Ex iis autem quæ prædicta sunt olim, quænam suo tempore facta sint certo colligitur: decursu enim temporis prophetia in historiam vertitur. Denunciat porro Ieremias Magdalo, quæ vrbs prima occurrit adeuntibus Ægyptum, & Memphi & Taphnis, quæ erant primariæ Ægypti ciuitates, fore vt veniens Chaldæus agrum ipsarum, late circumquaque populetur, & incolæ alienigenæ ad sua quique diffugiant, indigenæ fortes animos ac robur amittant, Memphis ipsa capiatur ac desoletur, & tota Ægyptus deueniat in manus populi Aquilonis. Nominatim etiam Alexandria. [f] *Ecce ego visitabo super tumultum Alexandriæ, & super Pharaonem, & super Aegyptum, & super deos eius, & super reges eius*, id est principes, vel regulos clientes eius, vnde quasi explicans subdit, *& super eos qui confidunt in eo. Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchod. regis Babylonis, & in manus seruorum eius.*

*[e] v. 13.* *[f] de qua v. 25.*

*III. Ægypti clades ex Ieremia.* — *Et nominatim Alexandria.*

IV. *Ex Propheta Ezechiele, & Nahum.*

HABET hæc paulo distinctius Ezechiel. [a] *Et dabo terrorem in terra Ægypti, & disperdam terram Phatures, & dabo ignem in Taphnis, & faciam iudicia in Alexandria. Et effundam indignationem meam super Pelusium robur Aegypti.* Erat enim quasi propugnaculum venientibus ex Palæstina, & Iudæa, & Syria, ad primum Nili ostium situm, nunc Damiata dicitur. Hebræi vocant Sin, 70. Sain. Pergit. *Et interficiam multitudinem Alexandriæ,* &c. & dabo ignem in Ægypto, quasi parturiens dolebit Pelusium, & Alexandria erit dissipata, & in Memphis angustiæ quotidianæ, iuuenes Heliopoleos & Bupasti gladio cadent, & ipsæ captiuæ ducentur. [a c. 30. 13.]

Heliopolim istam celebrauit infantia Saluatoris, bubastem Dianæ cultus. Porro Alexandriæ ruinam nominatim deprædicat Nahum. [b] Nam alloquens Niniuem sic ait. *Nunquid tu melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus,* id est Nili ostiis, *aquæ in circuitu eius, cuius diuitiæ mare, aquæ muri eius, Aethiopia fortitudo eius, & Aegyptus, & non est finis: Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo. Sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captiuitatem: paruuli eius elisi sunt in capite omnium viarum, & super inclytos eius miserunt sortem, & omnes optimates eius confixi sunt in compedibus.* Hactenus Nahum de Alexandria. [b c. 3. 8.]

V. *Quomodo Alexandria nunc euersa. Sub alio nomine.*

AT dicat aliquis, quomodo hic scriptura Alexandriæ meminit, quæ eo tempore non fuit, vt quæ Alexandrum magnum habuerit conditorem, cuius extructio 270. annis hinc abest. Respondeo ex ipsomet D. Hierony. interprete in c. 30. Ezechielis, vbi eadem Alexandria memoratur. *Alexandria*, inquit, *hodie sic vocatur. Cæterum pristinum nomen habet No, quod Aquila, Symmachus, & Theodotio, sicut in Hebræo est transtulerunt, pro quo 70. dixere Diospolim, quæ Aegypti parua ciuitas est. Nos autem pro No Alexandriam posuimus, per anticipationem quæ Græcè πρόληψις appellatur. Iuxta illud Virgilianum, Lauinaque venit littora. Non quod eo tempore, quando venit Aeneas in latium, Lauinia dicerentur, sed quæ postea Lauinia nuncupata sunt,* &c. Chaldæus quoque paraph. Hebræum No in Alexandriam vertit, de qua denominatione, vide pluribus a Castro in c. 46. Ierem.

VI. *Ruina templorum.*

CÆTERVM Babylonij, sicut & cæteræ profanæ gentes, non solum in homines regionis alicuius, sed in deos quoque bellum agebant, vt eleganter disputat D. August. l. 1. de ciuit. ideoque & templum Hierosolymitanum nuper destruxerunt, & omnem eius supellectilē rapuerunt, & nunc Ægypti deos inuaserunt. Chaldæi iidem Chamos deum Moabitarum, & Melchon deum Ammonitarum captiuos quoque secum abstulerunt. [b] Sic Assyrij vitulos Israëlitarum, & Philisthæi Arcam fœderis, & Holofernes omnes deos terræ exterminare statuerat, & Sennacherib deum Emath & deum Arphad & deum Sepharuaim deleuerat in terris in quibus colebantur. [c] Sed de hac ipsa clade agens Ierem. [d] *Et succendam ignem in delubris deorum Aegypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos.* [e] Et Ezech. [f] *Disperdam simulachra, & cessare faciam idola de Memphis.* [b Iere. 48. 7. 49. 3.] [c Isaiæ 36. 18 & 37. 12.] [d c. 43. 12.] [e Et iterum v. 13. & cōteret &c.] [f 30. 13.]

VII. *Et regni Ægypti.*

VATICINATVR etiam contra ipsum regem. *Et dux*, inquit, *de terra Aegypti non erit amplius.* Pro duce Montanus habet prælatum, significat non vltra de sanguine regū Ægypti, ibi fore Regem. Et certe Herodotus post Apriæ, siue Ephree mortem, ait Amasim hominem de plebe fuisse factum regem. Quod confirmatur ab Ezech. [g] *Et in Taphnis nigrescet dies, cum contriuero ibi sceptra Aegypti, & defecerit in ea superbia potentiæ eius.* Ibi iam prædixerat Ieremias, [h] Nabuch. positurum thronum suum in porta domus Pharaonis supra lapides, quos propheta abiconderat. Eam ruinam, Ægypti, atque Ægyptiorum principum fastus promerebatur. [g 30 18.] [h c. 43. 10.]

VIII. *Crudelitas Chaldæi in Ægyptios.*

MAGNA ergo crudelitate vsum Nabuchodonosorem in Ægyptios, magna superbia cum suo rege Pharaone Ephree tumentes, ex c. 29. Ezechielis satis intelligitur. *Ecce ego ad te, ait Dominus, Pharao rex Aegypti Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Riuos Nili siue διώρυχας vocat flumina, vt notauit Hieronym. vel vt alij malunt aquæductus intelligit, quos ingeniose ad irrigandam totam Ægyptum deduxerat è Nilo. *Ponam*, inquit, *frenum in maxillis tuis, & agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, & extraham te de medio fluminum tuorum, & vniuersi pisces tui squamis tuis adhærebunt*, id est comprehendam te cum omnibus fœderatis, & subditis tuis, & *proyciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui; super faciem terræ cades, non colligeris neque congregaberis; bestiis terræ & volatilibus cæli dedi te ad*

*deuorandum*, perseuerans in allegoria, significat eum extra regnum suum cum suis in Chaldæam, quasi in desertum extrahendum, iuxta id quod dixerat Ieremias.[a] *Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Aegypti.* Ibi autem quasi pisces inutiles abiiciendos, neque mortuos sepulchris acceptum iri, sed prædæ fore volucribus & feris.

a 46.19.

X. *Videri nõnulla dicta per auxesim.*

Vtrvm autem quæ dicta sunt ipsimet regi contigerint, an ipsi dicantur contigisse, quæ populo eius contigerunt, vt clarius significatur in iis, quæ ex ca. 32. recitauimus, pro certo affirmare non ausim, iuxta ea quæ supra ex Herodot. de 25. annis regni Vaphres dicebamus: certe Ægypti desolatio valde aperte ab Ezechiele[b] denunciatur. *Dabo*, inquit, *terram Aegypti in solitudines, gladio dissipatam, à turre Syenes, vsque ad terminos Aethiopiæ. Non pertransibit eam pes hominis, neque pes iumenti gradietur in ea: & non habitabitur quadraginta annis*, &c. & hæc ipsa fere infra repetuntur; quæ possunt quasi per quandam *αὔξησιν* dicta explicari. Nam eadem & seueriora de Ierusalem dicta sunt; constat tamen ex dictis anno superiore, & hoc ipso dicendis, semper Ierusalem à nonnullis habitatam. Et aliquot in locis,[c] dicitur tantum auferenda multitudo eius:[d] quasi dicat paucos in Ægypto remansuros, & cessaturum omnem negotiationum concursum, vt explicat Chald. paraph. eodemque referri potest confractum Ægypti brachium, aliud enim per brachia confracta, aliud per mortem significatur. Adde quod non erat è re Chaldæorum plane desertam relinquere Ægyptum, ex qua maximum vectigal annuum colligere poterant; quamque Æthiopes, & reliqui Africæ populi facile, præsertim in tanta Chaldæorum distantia, occupare potuissent. Sed deserta erat, quia pauci ibi relicti Ægyptij, & quidem sub Babyloniorum tyrannide, quia rari aduenæ, qui eo ventitarent.

b c.29. v.11
c. 30. 7.
c c. 10. & 32.12. 31.16.
d v.4. & 10. 13.

*Ægyptum non plane desertam fuisse.*

XI. *Iudæi ex Ægypto abducti Babylonem.*

Cæterum cum Ægyptiis inuentas in Ægypto Iudæorum quisquilias Nabuchodonosor partim occidit, partim in Chaldæam abduxit, vt tam sæpe, tamque seuere eis denunciauerat Ierem. c 43. & 44. Consentit Iosephus,[e] & simul Chronologiam nostram confirmat. *Quo postquam peruentum est*, à Ieremia scilicet in Ægyptum, *Deus significauit prophetæ fore vt Babylonius exercitum ducat in Aegyptum, iussitque prædicere populo captum iri Aegyptum; & ibi partim interficiendos, partim captiuos Babylonem abducendos, id quod etiam factum est. Quinto enim post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosoris vigesimus tertius, cum magnis copiis inuasit Cœlem Syriam: qua subacta bellum gessit contra Ammanitas, & Moabitas: & his quoque perdomitis, Aegyptum hostiliter est ingressus, occisoque qui tum regnabat, & alio rege constituto, repertos ibi Iudæos rursum captiuos Babylonem abduxit.* Sic Iosephus.

e l.10. c. 11.

XII. *Quo numero, & an omnes.*

Qva in re eiusdem Nabuzardan opera vsus est Nabuch. Id enim testatur Ierem.[f] qui etiam numerum captiuorum recensuit. *In anno*, inquit, *23. Nabuch. transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Iudæorum septingentas 45.* In quo numero non fuerunt, qui in ruinis, & specubus Hierosolymorum latitabant. Nam ad eos hoc ipso anno scripserunt Babylone Iudæi, vt patet Baruch. 1. & ita sentit Christoph. à Castro in eum locum.[g] At Torniel putat hos ipsos Iudæos in fine huius anni abductos Babylonem à Nabuzardan.[h] Verum prior sententia mihi magis probatur; quæ videtur etiam Danielis.[i] *Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem.* Agebatur circiter Septuagesimus desolationis annus, cum hæc oraret Daniel; & tamen memorat habitatores Ierusalem eo ipso tempore, Septuag. habent *habitantibus* in præsenti.

f c.52.30.
g n.7.
h Vide cũ anno 5 sextæ ætat.
i c.9 7.

XIII. *Nabuch. subijcit Æthiopas.*

Svbivgata à Chaldæis Ægypto, cum multo circumquaque positarum regionum terrore, vt dictum est, etiam Aethiopas sibi creditur subiecisse. Nec id obscure significat Sophon. c. 2. vbi de his gentibus, quas hoc tempore deuicit Nabuchod. agens, post enumeratos Philisthæos, Moabitas, Ammonitas, subdit. *Sed & vos Aethiopes interfecti gladio meo eritis*, indéque transit ad Niniuem. Idque omnino sentit Ribera ibid. & pro certo habendum esse ait, & ex eo confirmat, quod Megasthenes[k] l 4. rerum Indicarum ait Nabuchodon. magnam Africæ partem subiugasse: in qua nimirum Æthiopes vltra Aegyptum commorantur.

XIV. *Et Ausitidem.*

Idem affirmat Theodoret. orat. 4. in Dan. init. & rursum paulo post His ergo vel deuictis, vel in deditionem acceptis, venit Nabuchod. ad terram Ausitidis, iuxta ordinem à Ieremia seruatum,[l] quæ vocatur alibi,[m] terra hus, iuxta He-

k Apud Iosephum l. 1 contra Apionem.
l c 25.10.
m Iob 1.

bræum, Ausitis autem à 70. dicta est, quam Adrichom. sitam fuisse ait trans Iordanem in Trachonitide regione, in ea terræ parte, quæ postea dimidiæ tribui Manassis obtigit, vbi olim Iob regnauit cum amicis suis. Iosephus, ac D. Hieron. volunt nomen accepisse ab Hus filio Aram filij Sem; qua de re alibi disputatum est. [a] Pineda in 1. Iob. putat ad Idumæam campestrem pertinuisse, & forte Ieremias distinguens Ausitidem ab Idumæa, de montosa, & in cauernis petrarum sita intelligendus est. Nam Thren. 4. 21. *Gaude*, ait, *& lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus*, & 70. in vlt. c. Iob dixerunt, *habitauit Iob in terra Ausitide, in finibus Idumææ, & Arabiæ.* [b] Non videtur hic traxisse moras Nabuchodonosor, sed eam prouinciam in deditionem in transitu accepisse, quomodo enim paucula vrbes victori Ægypti, clarissimarumque eius vrbium auderent resistere? communem tamen calamitatem participasse testatur Ieremias, [c] *Ad te quoque*, inquit, *perueniet calix; inebriaberis, atque nudaberis*, ciuibus videlicet atque diuitiis.

[a] an. mun. 931. n. 92.

[b] Vide à Castro in 15. Ier. n. 10.

[c] Thren. 4. 21.

XV. *Et Philisthæos.*

EA potius temeritas Philisthæorum fuit, qui quinq; Satrapiis, & regiis vrbibus superbiebant, Gaza, Accarone, Azoto, Ascalone, & Getha.

HOC ergo anno impletum est vaticinium Ieremiæ c. 47. *Ecce*, inquit, *aquæ ascendunt ab Aquilone*, id est Aquilonares populi, siue Chaldæi, aquæ enim multæ, populi multi, vt Ioannes ait, *& erunt quasi torrens inundans, & operient terram & plenitudinem eius, vrbem & habitatores eius, clamabunt homines, & vlulabunt omnes habitatores terræ*, Palæstinæ, *à strepitu pompæ armorum, & bellatorum eius, à commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis pro aduentu diei, in quo vastabuntur omnes Philistum*, id est, quasi paralysi dissoluentur parentum manus, vt filiorum suorum, in tam graui periculo, non recordētur. Et ne spem aliquam in populis fœderatis retineant. *Dissipabitur*, inquit, *Tyrus & Sidon, cum omnibus reliquis auxiliis suis. Depopulatus est enim Dominus Palæstinos, reliquias insulæ Cappadociæ* Qui scilicet à Cappadocia oriundi sunt. [d] Alloquitur hic Palæstinam se concidentem, & præ doloris impatientia vnguibus dilacerantem: sed vehementior est apostrophe ad gladium Domini per manus Chaldæorum sæuientem. *O muro Domini vsquequo non quiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile.* Et sibi ipse respondens, *Quomodo quiescet*, inquit, *cum Dominus præceperit ei aduersus Ascalonem, & aduersus maritimas eius regiones, ibique condixerit illi?*

Apoc. 7. 15.

[d] Vide an m 1931 nu. 67. & 68.

XVI. *Planctus super Philisthæos.*

HANC ipsam Philisthæorum ruinā prædixerat Sophonias, [e] *Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie eiicient, & Accaron eradicabitur, væ qui habitatis funiculum maris, &c.* Huius calamitatis magnitudine animaduersa propheta exclamat. *Venit caluitium super Gazam, conticuit Ascalon, & reliquiæ vallis earum, vsquequo concidêris?* Gazæ caluitium significat omnimodā expilationem, & opum eius direptionem; sicut Ascalonis silentium, solitudinem, & desolationem;

[e] c. 2. 4.

XVII. *Subiugat & Idumæos.*

SEQVVNTVR in catalogo Ieremiæ c. 25. Idumæi, quibus adiunguntur Dedan, & Thema, & Buz, contra quos sic prophetat Ieremias. Ad *Idumæam*, inquit, *hæc dicit Dominus exercituum, nunquid non vltra est sapientia in Theman? periit consilium à filiis, inutilis facta est sapientia eorum*, vt scilicet vim Chaldæorum effugere possint. Ab hac ciuitate oriundus erat Eliphas, quem liber Iob vocat Themanitem, ex quo etiam confirmatur terram Hus ad Idumæam, de qua agimus, pertinere, cuius ciuitas erat Theman, sicut & Dedan, de qua subditur, *fugite, & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan, &c.* & rursus. [f] *Quia per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quod in solitudinem, & in opprobrium, & in desertum, & in maledictionem erit Bosra*, ea erat metropolis Idumææ, & pro ipsa Idumæa non raro ponitur, *& omnes ciuitates eius erunt in solitudines sempiternas*, &c.

c. 49. 7.

[f] 13.

XVIII. *Idumæorum in Iudæos odiū, & inhumanitas.*

MVLTA in eandem sententiam fusius propheta persequitur, quoniam Idumæi hostili semper animo contra Iudæos fuerunt. Eorum ergo malitiam, & superbiā hoc anno Nabuchodonosor seuerissima animaduersione castigauit. De Idumæorum superbia totidem pene verbis prophetauit Amos, & amplificat eorum in Israëlitas inhumanitatem: pœnam etiam eandem, quam Ieremias, & Ezechiel denunciat; habetur enim hæc ipsa denunciatio solitudinis Idumææ c. 35. Ezechielis, sub nomine montis Seir, vbi multa simillima, & inter alia. *Extendam*, inquit, *manum meam super te, & dabo te desolatum, atque desertum vrbes tuas*

demo-

*demoliar & tu desertus eris; & scies quia ego Dominus.* Eo quod fueris inimicus sẽpiternus & cõcluseris filios Israël in manu gladij, in tẽpore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ, id est supræme calamitatis, iniquitas enim pro eius pœna ponitur, vt notauit Maldon. qui addit Idumæos cum ad ipsos confugerent Iudæi tempore obsidionis, & vastitatis Babylonicæ, ipsos interfecisse, ne dum misericorditer excepisse. id enim est concludere in manu gladij, quod clarius dixit Amos 14. *Neque stabis in exitibus, vt interficias eos qui fugerint, & non concludes reliquos eius in die tribulationis.*

XIX. *Moabitarũ clades.*

a c. 2. 8. INDE autem hic torrens inundans effusus est in Moabitas, contra quos longa est malorum denunciatio c. 48. Ieremiæ, breuior apud Sophoniam, [a] sed coniuncta cum clade Ammonitarum. Contra Moabitas stylum acuit, prænuncium huius cladis, etiam Isaias c. 15 vt ait D. Hierony. licet ad Assyrios quoque

b c. 16. 14. referri possit, quod ipsum de c. 16. dici potest. Nec obstat quod eodem loco, [b] tres anni dantur ei, intra quos gloria Moab auferatur. Nam a ruina Ierusalem, si extrema sustuleris, tres integri anni numerantur. Ieremias autem exultat quodammodo in clade singularum vrbium Moab denuncianda, & superbia totius

c v. 6. prouinciæ deprimenda. *Fugite*, inquit, [c] *saluate animas vestras: & eritis quasi myricæ in deserto. Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis & in thesauris tuis, tu quoque capieris; & ibit Chamos*, deus scilicet Moabitarum *in transmigrationem, sacerdotes eius, & principes eius simul. Et veniet prædo ad omnem vrbem, & nulla vrbs saluabitur, & peribunt valles, & dissipabuntur campestria.*

XX. *Et variis prophetiis nunc im[ple]tis.* *Q[u]i translati tot populi.*

RVRSVM v. 11. sumpta allegoria à doliis vini, *fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in fæcibus suis: nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abijt; idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus*, &c. Multa generis eiusdem congerit eodem cap. propheta, quæ vt longum esset sigillatim explicare, ita certum est hoc anno Chaldæorum armis impleta fuisse. Quod si quis miretur tot populos à Chaldæis Babylonem transferri, dici potest non omnes eundem in locum translatos; sed in alias, aliasque prouincias, quibus Nabuchodonosor imperabat. Plerosque etiam in suo exercitu retinebat, vt ei inseruirent instar lixarum, & calonum, terras egererent, aquas, & ligna comportarent, machinas circumferrent, & id genus alia exercerent opera mancipiorum.

XXI. *subiugatur Ammonita, ex Sophonia.*

ALIQVANTO vltra Moabitas, Septentrionem versus habitant Ammonitæ qui vna cum Moabitis, & Idumæis, de clade & vastitate Iudæorum exultarant,

d c. 35 & 36. imo & desertos eorum montes occuparant, vt fusius conqueritur Ezechiel, [d] &

e c. 2. 8. clarius Sophon. [e] *Audiui opprobrium Moab, vt blasphemias filiorum Ammon, quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum. Propterea viuo ego dicit Dominum exercituum Deus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & aceruì salis, & desertum vsque in æternum; reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos. Hoc eis eueniet pro superbia sua: quia blasphemauerunt, & magnificati sunt super populum Domini exercituum.*

XXII. *Et Ieremia*

IDEM argumentum tractat, eodem spiritu dictante Ierem. c. 49. *Ad filios Ammon*, inquit, *hæc dicit Dominus. Nunquid non filij sunt Israel, aut hæres non est ei? cur igitur hæreditate possedit Melchom*, id est deus Ammonitarum; *Gad*, id est fortem tribus Gad trans Iordanem, inter Rubem & Manassem: *& populus eius in vrbibus eius habitauit?* hanc ipsam disputandi rationem vsurpauit Iephte contra

*Occuparãt Israelitarum agros.*

f Iud. 11. 24 Regem Ammonitarum. [f] *Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus, tibi iure debentur*, &c. Pergit Ieremias. *Ideo ecce dies veniunt dicit Dominus, & auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon* (ea erat eorum Metropolis, quæ Amman quoque dicta est, & postea Philadelphia) *fremitum prælij, & erit in tumulum dissipata; filiæque eius igni succendentur, & possidebit Israel possessores suos ait Dominus. Vlula Hesebon, quoniã vastata est Hai, clamate filij Rabbath, accingite vos ciliciis: plangite, & circuite per sepes, quoniam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes eius, & principes eius simul.* Nimirum duxit Chaldæus in triumphum idolum primarium Ammonitarum cum

*Melchom idolum traducitur in triumphũ.*

sacrificulis suis. Apud Ammonitas quoque valde grassatos fuisse Chaldæos do-

g c. 21. 28. cet illa Ezechielis oratio. [g] *Hæc dicit Dominus Deus ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum*, id est exprobrationes, & irrisiones eorum, *& dices Mucro Mucro euagina te ad occidendum, lima te vt interficias & fulgeas, cum tibi viderentur vana, & diui-*

*Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehendit eam, angustia & dolores tenuerunt eam quasi parturientem. Quomodo dereliquerunt ciuitatem laudabilem, vrbem lætitiæ.* Sanctius, Qualem reliquerunt Babylonij ciuitatem, quam misere deformatam? alij quomodo deseruerunt Damasceni tam egregiam ciuitatẽ, quare eam non defenderunt, sic R. Salomon. In Hebræo Græco & Chaldæo additur negatio, cum qua sic locum interpretatur à Castro cum R. Dauid. Quare non ea tanget hostes commiseratio vt vrbem celeberrimam, vrbem iucundissimam intactam relinquant? imo propterea *iuuenes eius*, qui de ea gloriabantur, *in plateis eius* concident interfecti, & omnes viri eius bello strenui de medio tollentur in die illo. Nec in personas tantum Damascenorum sæuitum est à Chaldæis, sed in ipsa ædificia: quia enim confisi Syri vrbis magnificentia, & munitionibus, à Nabuchodonosore defecerant, Damasci mœnia iussit euerti, & ignem in turres eius iniici, & palatia à regibus Syriæ olim excitata, dissipari. Ex quo factum videtur, vt Emath & Arphad, & reliquæ Syriæ vrbes, Chaldæorum iugum sponte subirent, & quasuis conditiones pacis amplecterentur. XXXVII *Et Damascum in primis.* *Cuius mœnia, & turres, & palatia euersa.*

a c. 49. 28. AD *Cedar*, inquit Ierem.[a] *& ad regna Asor, quæ percussit Nabuchod. rex Babylonis, hæc dicit Dominus. Surgite*, Chaldæi, *& ascendite ad Cedar, & vastate filios orientis.* Cedareni, qui à Plinio Cedræi,[b] iidem sunt qui Agareni, sed hoc nomen à matre ancilla Abrahæ, illud à patre filio Ismaëlis sortiti sunt. Hi licet aliquas vrbes haberent, tamen maxima ex parte erant Amaxobij, & per deserta Arabiæ, sequentes lætiora pascua, vagabantur, omnia sua secum ferentes, quos propterea Strabo l. 16. Scenitas vocat. Σκηνὴ enim tabernaculum significat. Vnde *tabernacula Cedar* in scriptura celebrantur, quæ Chaldæi hoc tempore deprædati sunt. Subdit enim, *Tabernacula eorum, & greges eorum capient, pelles eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eorum tollent sibi, & vocabunt super eos formidinem in circuitu*, circumquaque eis occurrent, quæ formidentur. *Fugite, abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor ait Dominus. Iniit enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, & cogitauit aduersum vos cogitationes.* XXXVIII. *Subacti & Agareni.* *Inuitantur ad fugam.*

b l. 5. c. 11.

ERAT Asor vrbs primaria Cedarenorum, ad quam pertinebant aliquot Dynastiæ, iuxta Strabonem, quas regna hoc loco vocauit Ieremias, etsi à Castro aliò transferat Asor. Hæc porro per irrisionem, & quasi insultando dicta esse, ex eo apparet, quod vicissim Babylonios contra eos studiosè conuocat. Nam conuersa ad Chaldæos oratione.[c] *Consurgite, & ascendite ad gentem quietam & habitantem confidenter*, ideoque bello imparatam, *non ostia, nec vectes ei*, quibus hostem arceant, sed extra hominum cœtus vagi, atque in solitudine viuunt. Nec inutilis erit vester labor; *erunt cameli eorum in direptionem, & multitudo iumentorum in prædam, & dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam*, comam ritu patrio aliter quam cæteri circumtondent, *& ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus.* Meminit etiam alibi Ieremias attonsorum in comam,[d] id est circa aurem in orbem, vt nunc Poloni & Vngari faciunt, ait Maldonatus. Et quoniam isti maxima ex parte prædones erant, & rapto viuebant, cum omnium peregrinorum iniuria, crebrisq. cædibus, iusto Dei iudicio fortioribus prędonibus prædæ fuerunt, qui & regiam eorum vrbem desolauerunt: vnde postremo subditur. *Et erit Asor in habitaculum draconum, deserta vsque in æternum, non manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis.* XXXIX. *Chaldæi contra eosdem euocantur.*

c v. 31.

d c. 9. 26. & c. 25. 23.

NEC sane plures videtur hoc anno gentes sibi Nabuchodonosor subiicere potuisse: sed his peractis Babylonem ad hyberna concessisse: sequenti autem anno Elamitas, & Niniuitas, & Medos, aliasque nationes suis adiecisse triumphis. Hanc sententiam suadet, quod Elamitæ, Medi, & Niniuitæ trans Babylonem partim ad Orientem, partim ad Septentrionem erant. Itaque venienti ex Occidente, & Meridie, quasi ex itinere diuertendum erat Babylone: ibiq; nonnulla quiete reficiendę vires, & tot captiuis variæ assignandæ sedes. Sicque vides quanta celeritate Nabuchodonosor turbinis instar perflauerit, imo maximis exercitib. peruaserit, ac totum pene sibi subiecerit Orientem, Occidentem, Septentrionem atq; Meridiem. In Meridie enim erãt Æthiopes, Ægyptij, Arabes: in Occidente Arabes quoque, Ismaëlitæ, Idumæi, Palæstini, Moabitæ, Ammonitæ, Syri: in Oriente & Septentrione Elamitæ, & reges Medorum, & Aquilo- XL. *Complexio rerum hoc anno à Chaldæis gestarum.*

nis, de quibus anno sequenti dicendum erit. Nunc Babylonem nos quoq; cum Baruch profecti, transmigrationem inuisamus.

XLI. *Baruchi liber.*

SCRIPSIT Baruch librum dictante Ieremia, proptereáque sancti patres pleraque ex hoc libro sub Ieremiæ nomine recitant, vt fuse docet à Castro in c. 1. Baruch. D. Athanasius in synopsi. *Baruch*, inquit, *inscribitur liber*, sic enim vertendum esse. ἐπιγράφει, quasi ἐπιγράφεται, patet ex eo quod mox subditur, θρήνων ἐπιγράφεται τὸ βιβλίον. Threni inscribitur liber; quod recte dudum notauit Gretserus [a] noster. Non vt habet interpres, Baruch hunc librum scripsit. *Quandoquidem hic scripsit ex ore Ieremiæ in hoc libro sermones, & legit ijs, qui Babylone captiui erant, consolans eos, eisque spem à Deo annuncians.* Ex quo patet non solum illius libri argumentum, sed etiam author Ieremias Baruch autẽ scriptor. Et certe, vt recte notauit à Castro, nullus est author libri sacri, qui in sui libri inscriptione dicat se scripsisse librum, sed vidisse, vel audisse, quæ in libro suo continentur; vt cum dicitur visio Isaiæ, aut verba Ieremiæ, &c. Eadem est sententia Theodoreti: de Baruch enim sic loquitur. *Cum ergo* peruenisset Babylonem, recitauit D. Ieremiæ prophetiam cunctis captiuis, & potissimum Iechoniæ, qui cum regnasset modico tempore, factus est captiuus. Verum quamuis Baruch non solum scriptor, sed autor esset libri huius, non minus sacer esset, atque canonicus.

[a] to. 1. def. l. 1. c. 8.

XLII. *Quo anno Babylone recitatus.*

DE anno recitati huius libelli nonnulla est controuersia. Etsi enim clarè habetur in textu, id factum *anno quinto*, captæ scilicet vrbis, siue ex quo capta est vrbs, vt Theodoret. Lyra. Dionys. & alij passim accipiunt; Maldon. tamen quintum annum interpretatur, postquam Iechonias captus est, & sex annis antequam vrbs, & templum euerterentur. At sine dubio Scripturæ non conuenit ea expositio, non enim accipit propheta tempus à capta tantum vrbe, sed ab incensa, quod in tempus tantum Sedeciæ quadrat: nec verum est templum adhuc, & aram Hierosolymis stetisse. Nam textus nullam facit templi mentionem, sed aræ quam diximus tumultuario opere in ruderibus excitatam. Nec sacerdotes, qui Hierosolymis erant, illi assertioni fauent; alioqui non ad Ioakim missa fuissent munera, sed ad Saraiam, qui tunc erat summus pontifex. At inquit, adhuc erant Hierosolymis vasa, quæ fecerat Sedecias. Verum mox dicetur ea recens delata Hierosolymam ad nonnullum Dei cultum. Denique nec illud vim habet, quod liber lectus legitur in auribus Iechoniæ, cum potius Sedeciæ legendus fuisset; diximus enim eum fuisse defunctum. Qui autem tardius defunctum putant, existimant eum seueriori custodia detentum, quam Iechoniam, ob Nabuchodonosoris in eum odium, tanquam ingratum, & fœdifragum, quique tam diuturnam obsidionem ferre maluisset, quam se illi dedere, ideoque non potuisse impetrari, vt vel ad vnum diem è custodia educeretur.

XLIII. *Quoque mense. Quinto transmigr. an desolat.*

DE mense quoque nonnulla est quæstio. Quia cum is non exprimatur, aliqui primum, in quibus Lyran. Sà Dionys. Torniel. alij quintum intelligunt in istis verbis. *In anno quinto, in septimo die mensis, in tempore quo cœperunt Iudæi Ierusalem, & succenderunt eam igni.* Verum hæc non fuerunt gesta eodem mense. Nam capta est Ierusalem quarto mense, quinta, vel nona mensis. [a] Quando aperta est ciuitas, & ingressi sunt omnes principes regis Babylonis: & mox dicitur nocte fugisse Sedecias cum suis: quamuis à Castro dicat non fuisse captam ciuitatem vsque ad mensem quintum in 1. cap. Baruch. n. 4. Incensa vero est, [b] mense quinto, decima mensis. Nihilominus existimo vnum tantum mensem designari, dicitur enim *septima die mensis*, eumque quintum; vt illud, *cœperunt & succenderunt*, idem sit quod, captam succenderunt, quod quinto mense contigit.

[a] Vt dicitur Ierem. 39. 2. & 52. 6.

[b] Vt dicitur 6 52. 12.

XLIV. *Videri quinto, non primo, aliôve.*

VIDETVR autem allusisse ad mensem 4. Regum nominatum, vbi hæc clades describitur illata à Nabuzardan, *mense quinto, septima die mensis*, anno 19. Nabuchodonosoris ineunte, tanquam ad mensem percelebrem, & ab omnibus atro carbone notatum, & cum diserte referatur annus & dies, mensis autem significetur illa circumlocutione, *in tempore quo cœperunt Chaldæi Ierusalem, & succenderunt eam igni*, non de alio tempore intelligi debet, quam de eo, quo illa facta sunt, qui est quintus mensis, non primus. Eundémque videtur mensem ac diem Baruch ad scribendum hunc libellum elegisse, illumque aliquanto post recitasse.

c. 25. 8.

Locus etiam difficultate non caret, cum enim liber dicatur scriptus ex ore Ieremiæ, vt loquitur S. Athanasius, quomodo potuit is scribi Babylone, vbi nunquam fuit Ieremias, vt eum Barucho dictare posset? Accepit fortasse in Ægypto ab Ieremia huius libri argumentum, præcipuasque sententias, quas deinde Babylone digessit & descripsit, adsistente vtrique prophetæ vtroque in loco Spiritu sancto. Est autem illius initium quod habetur infra v. 15. *Domino Deo nostro iustitia*, &c.

XLV. *Qui auditores libri.*

LEGIT ergo *Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ filij Ioakim regis Iuda, & ad aures vniuersi populi venientis ad librũ, & ad aures potentium filiorum regum, & ad aures presbyterorum, & ad aures populi a minimo vsque ad maximum, eorum omnium habitantium in Babylonia ad flumen Sodi.* Filios regum intelligimus eos, qui erant de semine regio, Iechoniæ cognatos, & filios. Cur autem Sedeciæ, cuius filij initio desolationis interfecti fuerant, nulla fiat mentio, paulo ante diximus. An autem Iechonias è carcere ad tantulum tempus eductus sit, quo libri huius cum cæteris recitationi interesset, dubium est; puto certe facile concedi posse fuisse ita eductum, licet ex 4. Reg. [a] habeatur eum eductum fuisse in fine anni 37. transmigrat. cum nunc 16. tantum agatur annus; id enim de perfecta libertate intelligitur, non de breui hac, de qua agimus. Quanquam nil necesse fuit eum educi è carcere, & conuenire cum cæteris ad audiendum librum; eaque postulatio iure fuisset suspecta Chaldæis: potuit quippe Baruch adire eum in carcere, & librum primo coram eo legere, tum seorsim corã cæteris, sicut & factum arbitror.

a 25. 27.

XLVI. *Q[uo] fructu lectus.* *Populi lacryma.* *Et eleemosyna.*

QVO porro fructu lectus sit liber subditur. *Qui audientes plorabant, & ieiunabant, & orabant in conspectu Domini*, id est publice & palam, in cœlum & coram omni populo. Nec id vno tantum die factum videtur sed pluribus; sicut & ea collectio quæ sequitur, plures dies, & fortasse menses, videtur exigere. *Et collegerunt pecuniam secundum quod potuit vniuscuiusque manus.* Magna quippe videtur collecta pecunia, quæ sufficeret non solum victimis emendis ad sacrificia, sed quibusdam vasis argenteis redimendis à Chaldæis. Redemptam enim fuisse partem vasorum existimat Emanuel Sà in hunc locum, & à Castro n. 8. & Torniel. [b] Nec videntur etiam Chaldæi tam cito super hac re exorari potuisse. Itaque cum iam statuerimus mense quinto lectum fuisse librum, necesse videtur affirmare Mense Siuan (qui est mensis tertius mox memoratus) anni sequentis perlata esse Hierosolymam illa vasa, non autem præmissa esse ante lectionem libri, quia collectio pecuniæ secuta est lectionem libri, & antecessit redemptionem, & missionem vasorum.

b an. 5 sext. æt. n. 1.

XLVII. *A quo, & quando delata.*

QVÆRES à quo delata fuerint Hierosolymam hæc vasa. Quidam dicunt à Ioakim sacerdote, in quibus à Castro in sua paraphrasi, [c] sed textui magis consentaneum videtur, vt Ioakim cum sociis Hierosolymam non Babylone, sed è suis latebris ab vno, vel altero anno redierit, ad eúmque missa fuerint vasa, cum pecunia Babylone collecta, additis etiam literis & libello per certos nuncios, qui suo ea periculo deferrent, & redderent sacerdoti, coram populo qui illic erat. Et ea videtur mens huius loci, alioqui subobscuri. *Collegerunt*, inquit, *pecuniam, & miserunt in Ierusalem ad Ioakim filium Helciæ, filij Salom Sacerdotem, & ad sacerdotes, & ad omnem populum, qui inuenti sunt cum eo in Ierusalem, cum acciperet vasa templi Domini*, ad se nimirum Babylone missa, *quæ ablata fuerant de templo*, ante quinque annos, & redempta nunc fuerant, *reuocare*, id est vt reuocarentur, vel reducerentur *in terram Iuda*, quod contigit *die decima mensis Siuan.* Explicans autem quæ essent ista vasa, subdit, *Vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Iosiæ Rex Iuda, postquam cepisset Nabuchod. Rex Babylonis Iechoniam, & principes, & cunctos potentes, & populum terræ ab Ierusalem, & duxit eos vinctos in Babylonem*, id est interiecto tempore inter Transmigrationem, & Desolationem.

c Et iterum n. 8.

LXVIII. *Litera captiuorum ad reliquias Iudæorum.*

MISERVNT etiam literas in hanc sententiam. *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna*, sic habent 70. pro Hebræo minhah, quod significat munus, siue cibarium sacrificium, quæ vox Ierem. 17. 26. à Vulgato, & Pagnino vertitur *oblatio*, & D. Hierony. in eum locum ex 70. legit manaa, *ex quo pessima consuetudine*, inquit, *imo scriptorum negligentia, manna in nostris libris legitur*; Pergit epistola, *& offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri; & orate pro*

*vita Nabuchodonosor regis Babylonis. Et pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies eorum sicut dies cæli super terram: & vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthasar filij eius, & seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum.*

XLIX. *Quis filius Nabuchodonosoris.*

OCCVRRIT hoc loco circa hunc Nabuchodonosoris filium nonnulla dubitatio. Nam certum est non Balthasarem, sed Euilmerodachum Nabuchodonosori successisse, vt patet ex vltimo 4. Reg. & 52. Ieremiæ. Aliqui putant Balthasarem fuisse nomen priuati, cum autem suscepit imperium accepisse nomen Euilmerodach, sic Hugo, & Dionys. alij putant Balthazarem hunc fuisse primogenitum Nabuchod. & ante patrem mortuum. Itáque sentit Maldon. à Castro, Perer. liberum est vtionis modo sentire, modo ne hunc cum Balthazare Danielis, qui ne natus quidem nunc erat, vt alibi docebimus, confundamus.

L. *Summa libelli Baruch.*

INDE sequitur liber ipse, qui exorsus à confessione diuinæ iustitiæ, & agnitione culpæ populi totius, ex qua in præsentes calamitates inciderant, Deum ad misericordiam variis rationibus conatur inflectere. [b] Inde autem conuerso ad populum sermone, docet causam malorum quibus subiaceant, esse derelictionem diuinæ sapientiæ, quam relictis cæteris populis Deus Israëli dignatus fuerat manifestare, quando in monte Sinai Israëlitis apparuit, & totis 40. annis in deserto cum ipsis conuersatus est, quando eum circumduxit, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. In typum & figuram illius temporis, quo assumpta humana natura in Iudæa visendus erat, & cum hominibus totis 33. annis conuersaturus. Itaq; exhortatur populum ad obseruationem diuinæ sapientiæ, lege Dei comprehensæ, quandoquidem ea sit eius gloria; id si fecerit, mala præsentia ad correptionem, non ad perditionem fore. Qua malorum occasione inducit Ierusalem lamentantem orbitatem suam, mox etiam de spe futurorum bonorum, & impiorum punitione suos consolantem.

[a] c. 1 v. 15. 16. & seqq.

[b] c. 2. v. 11. & deinceps vsque ad v. 5. c. 3.

*An rursum abduct. Iudæi ad Chaldæos.*

Putat Torniel. in fine huius anni Nabuzardan abduxisse etiam eos, qui in ruinis Hierosolymorum manebant, quæ est etiam Perer. sententia l. 3. in ea verba, *& non est in tempore hoc propheta.* At oratio Baruch, & redemptio vasorum a Iudæis facta, & tempus missionis eorum, aliud videtur exigere.

LI. *Postremum cum Etruscis prælium.*

RESVMENDA nobis est hoc loco, aliquanto iam ex interuallo, Romana historia, hoc eius anno centesimo quinquagesimo, quo possumus initam cum Etruscis pacem post nouennale bellum referre. Is enim hoc anno triumphasse perhibetur. Refert ergo Dionysius vltimum Romanorum cum Etruscis conflictum in agro Sabino ad Eretum oppidum fuisse, quod sperarent Etrusci Sabinos, exacto iam induciarum sexcennio, se ipsis expeditionis socios adiuncturos, quod minime contigit. Nihilominus commissum est prælium superiorum omnium longe maximum. In eo cum præclaram victoriam Romani reportassent, res illorum admiranda ceperunt incrementa. Quare à senatu populoque decretum est vt triumphalis à rege pompa deduceretur.

Vide Pigh. ann. p. 194. 195. gt lat.

LII. *Pacem per legatos potunt.*

ETRVSCIS contra collapsi sunt animi, quod cum omnes ex omnibus oppidis in eam expeditionem copias emisissent, paucos è tanto numero incolumes recepissent. Itaque cum nouas in eos copias educeret Tarquinius, in communi gentis concilio decreuerunt de pace cum eo agere, eamque in rem honoratissimam legationem instruunt; Cumque legati regem ad clementiam hortarentur, & se suasque ciuitates ipsius potestati permitterent, quascumque pacis conditiones accepturi. Tum rex; Ego inquit neminem Etruscum occidere cupio, aut exilio, bonisve mulctare: ciuitates ipsas sine præsidiis, sine exactionibus suis legibus viuere permitto, singulasque pristinam Reipub. formam retinere sino. Pro quibus id postulo vt vestrarum me ciuitatum principem agnoscatis, quod etiam nolentibus vobis futurus sum, quandiu ero armis superior. Malo tamen id à volentibus quam ab inuitis consequi. Quæ dum ad suas referrent ciuitates inducias dedit.

*Atque impetrant.*

LIII. *Principatum Tarquinio deferunt, cum insignibus.*

ILLI post paucos reuersi dies, non nuda tantum verba referunt; sed etiam principatus insignia, quibus suos reges ornare consueuerant, coronam auream, & sellam eburneam, sceptrumque in summitate habens aquilam, & purpuream tunicam auro distinctam, purpureumque amiculum varium, qualia Lydorum

atque Persarum reges gestarunt. Sunt qui prodant allatas ei etiam XII. secures, singulas à singulis populis missas; quod Etruscorum mos fuerit quamque ciuitatem suo regi lictorem vnum addere, qui cum virgarum fasce securim illi præferret, quem etiam ritum Romulum ab Etruscis didicisse ac mutuatum fuisse memorat Dionysius. Ego autem diuinam obseruari velim prouidentiam, quæ omnes hosce populos adegerit, vt illum ipsum in principem assumerent, quem antea contemptum, ne in oppidulo quidem magistratum vllum attingere, peregrinitatis causa patiebantur: sed ad consilia vertendi soli, in tanto meliorem euentum compulerant.

Hos honores non statim admisit Tarquinius, sed cum bona venia S.P.Q.R. Itaque deinceps toto vitæ tempore, amictus tota picta purpurea, gestabat coronam auream, & cum eburneo sceptro, sella item sedebat eburnea, duodecim lictoribus cum securibus & virgis, iura reddenti astantibus & per vias eum præcedentibus. Qui ornatus ad eius quoque successores propagatus est, ipsosq; deinde consules, excepta corona, togaque picta, quæ inuidiosa ac libertati grauia viderentur; quæ tamen triumphantibus non negabantur. Eadem fere recenset Strabo l.5. sed addit phaleras, annulos, paludamentum, & trebeam curulem, eadem reliqui scriptores tradidere: nisi quod Macrobius hæc Etruscorum munera ad Tullum Hostilium referre maluerit. LIV. *Quæ rex cum populi consensu admittit.* 1. Satur.

## ANNVS MVNDI 3452. QVINTÆ ÆTATIS 513.

IOSEDECI PONTIF. 6. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 17. DESOLATIONIS 6. NABVCHODONOSORIS 24. QVI ET 1. IMPERII BABYL. 119. OLYMP. XLIV. AN. 3. TARQVINII PRISCI 14 VRBIS CONDITÆ 151.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 601.



TERMINAVIT hic annus Nabuchodonosoris pugnas contra sibi propinquas nationes,[a] sicut præcedens contra remotiores, simulq. imperium eius longè maximum, ac potentissimum reddidit, adeo vt ab hoc anno imperij annos numerare ceperit, vt ex 2. Danielis patebit anno sequenti. I. *Nabuchodonosor domat Ælamitas.*

[a] Ierem. 49. 34. 25. 15. Nahum c. 2. & 3. Sophon. 2. 13. & seqq.

Hoc ergo anno contra Elamitas pugnauit Nabuchod. iuxta ea, quæ præcedenti anno diximus, quorum calamitatem Ierem c. 49. sub finem vaticinatus est. Est porrò Elam, vt ait D. Hier[b] regio Persidis trans Babylonem, vnde Elamitæ dicti sunt, sed ipsa regio ab Elam filio Sem, nepote Noë nomen accepit.[c] Cæterum tota Persis fundatoris sui nomen non retinuit. Nam apud Strabonem,[d] Susis pars est Persidis, eiusque metropolis Susa. Ptolem. autem[e] Susianam separat à Perside, quæ sit illi ab oriente, sicut & Carmania est ab oriente Persidi. Daniel tamen c. 8. Castrum Susin in Ælam regione constituit; quod Castrum D. Hieron. metropolim regionis Elamitarum esse ait, vt consequenter Elam pro tota Perside Ieremias vsurpasse videatur, quomodo vsurpauit Isaias.[f] *Ascẽde Aelam, obside Mede,* vbi prædicit ruinam Babyl. à Persis & Medis inferendã.

[b] in ca. 25. Ierem. [c] Gen. 10. 22. [d] L. 15. [e] Asiæ tab. 5. [f] 21. 2.

Ecce ego, ait apud Ieremiam Dominus, *confringam arcum Aelam, & summam fortitudinem eorum.* erant enim sagittandi peritissimi; nec mirum. Nam vt ait Strabo l. 15. A quinto vsq. ad 24. discunt sagittare, iaculari, equitare, & vera dicere. Innuit Esaias.[g] *Aelam,* inquit, *sumpsit pharetram, currum hominis equitis,* &c. Pergit Ierem. *Et inducam super Aelam 4. ventos à 4. plagis cæli, & ventilabo eos in omnes ventos istos, & non erit gens ad quam non perueniant profugi Elam.* Sed quod ad rem præsentem attinet, significatur Nabuch. contra Elamitas pugnasse, eosq; fusos, fugatosque ad varias vndiq; regiones fugiendo peruenisse Chaldæum autem regnũ occupasse, vnde subditur, *& ponã solium meum in Aelam, & perdã inde reges & principes,* Soliũ Nabuch. vocet solium suum Dominus, quia ei omnia regna mundi concesserat ad tẽpus.[h] II. *Ex Ieremia vaticinio.*

[g] 22. 6. [h] Ier 25. 16

III. Domat & Medos.

BABYLONIORVM quoque iugum Medorum reges subiere, etsi Nabuchodonosor è Media haberet vxorem, vt scribit ex Beroso Iosephus. [a] qui ab euerso Assyriorum imperio quasi æmuli imperii totius Asiæ atque antagonistæ permanserant. Regnabat autem hoc tempore Cyaxares, cui ab Herodoto 14. anni regni tribuuntur, quem postremo secutus est Astyages, annis, vt idem ait, 35. Cum autem ex c. 25. Ieremiæ constet reges Medorum, sicut & Persarum, siue Elamitarum iræ dei calicem propinante Ieremia potauisse, dicendum videtur, quoniam nihil in particulari de clade Medorum à Chaldæis accepta scriptura commemorat, Cyaxarem Nabuchodonosoris clientem, ac tributarium fuisse, eandemque seruitutem, ab Astyage successore toleratam, eamque ad mortem Baltazaris, & imperium Cyri perdurasse, quando vice versa suscitauit Dominus spiritum Medorum contra Babylonem, vt eam perderet, vt dicitur Ieremiæ 51. 11.

a l. 10. c. 11. ß.

IV. Aliosque aquilonares

POSTREMVM locum in catalogo Ieremiæ obtinent *reges Aquilonis de prope & de longe*, in quibus præter Medos, qui viciniores sunt mari caspio, & septentrioni quam Chaldæi, propinqui sunt Assyrii; Remoti autem Armeni, atque Hircani, & qui habitant Mesopotamiam. Et de reliquis quidem nihil distincte reperio, Niniuem tamen hoc ipso tempore à Nabuchodonosore expugnatam, iam supra anno 40. Manassis diximus, de qua euersione, nonnulla apud Sophoniam, [b] vbi Speciosa vocatur, quæ in Hebræo, Græco, & Chaldæo dicitur Niniue, & apud Nahum reperiuntur nonnulla, quæ ad historiam pertinere possunt: vbi postquam eius scelera deplorauit, impetum Chaldæorum contra eam irruentium describit: vnde constat ad hoc tempus cladem hanc pertinere. Id clare docet propheta, cum subdit. *Nunquid melior es Alexandria populorum &c. sed & ipsa in transmigrationem ducta est in captiuitatem* (idque contigisse diximus in Aegypti ruina) *Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta.* Ducit ergo argumentum ex ruina Alexandriæ recens facta, ad ruinam *Niniue proxime secuturam.* Cum autem 23. Nabuchod. anno capta fuerit Aegyptus, vt ait Iosephus. [c] & cum ea Alexandria, recte in 24. eius annum Niniue casum referemus. Quæ opinio eorum quoque videtur, qui primo anno Nabuchodon. Niniuem captam dicunt, si primum annum non regni, sed imperii interpretemur. Ita sentit chron. Hebræorum [d] & Serar. q. 4. in c. vlt. Tobiæ, & fuse Riber. in c. 2. Nahum. [e]

b c. 2. 15. c. 2. & 3. c l. 10. c. 11. d c. 24 ß. e n. 21. & 22.

V. Et nominatim Niniuem.

CREDITVR porro hoc anno funditus euersa Niniue; nam nulla deinceps eius est mentio in sacris literis, aut profanis, quod quidem inuenerim. Si quid enim in ruinis postea, ob loci opportunitatem, ædificatum est, non vltra vel nomen, vel commendationem Niniues habuit. Cuius ruinæ causam suspicari possumus defectionem ad Medos. Erat enim ea vrbs Chaldæis & Medis optabilis ad imperii sedem, quam vtrique ambiebant, vt anno Manas. 40. dicebamus, & vtrique deinceps obtinuerunt. Nabuchodonosor autem Medis subactis Niniuem toties perfidam, toties que subactam deleuit, & quidquid in ea eximium fuit Babylonem transtulit, cum reliquis totius orientis opibus, vt esset totius imperii sui sedes, & mox gloriabundus diceret. [f] *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?*

f Dan. 4. 27

VI. Causa ruinæ eius superbia.

CAVSAM ruinæ eius ponit Sophonias [g] ipsius superbiam; nam enarrata eius euersione, sic ait. *Hæc est ciuitas gloriosa, habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo, Ego sum, & extra me non est alia amplius:* quæ exprobratio habetur totidem prope verbis apud Esaiam [h] contra Babylonem. *Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo, Ego sum, & non est præter me amplius, non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem.* Sic & Tyro Ezechiel ruinam prædixit propter intolerabilem eius, & principis ipsius superbiam; [i] idemque Ægypto minatur. [k] Vide & Ierem. [l] cōtra Babylonem, & Iudith, primò de Ecbatana & Arphaxad. vnde Eccli. 10. 17. *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus.* Sophonias quoque Moabitis & Ammonitis perniciem pro superbia sua illatam testatur. [m] Et vniuersè magnas vrbes, atque imperia superbia po-

Sicut & aliarum.

g c. 2. 15. h 47. 8. i c. 27 3. c. 28 2. k c. 29 3 l c. 50 31. m c. 2. 10.

tius, quam res vlla subuertit.

Alia quoque scelera in Niniue regnabant, quæ innuit Nahum c. 3 *Vacinitas sanguinum, vniuersa mendacii dilaceratione plena*, id est in qua nulla veritas, sed omne mendacium, plena rapina, & laceratione prædarum. Et hæc quoque causa ruinæ, iuxta illud Eccli.[a] *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos*, sed in sceleribus nullum est maius idololatria, de qua paulo post idem propheta v. 4. *propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis. Quia*, inquit Hieronymus, *cum multis gentibus fornicata est, & totius orbis, quem subiecerat sibi colebat idola*, quibus sunt illa similia S. Leonis in Natal. Apostolorum.[b] *Hæc ciuitas*, inquit, Romanam autem loquitur, *ignorans suæ prouectionis autorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Et rursum ibidem. *Hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, vbi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum*: sed de causis hactenus, ad effecta veniamus.

VII. Auaritia, & idololatria.

a Ec. 10. 8.

b Serm. 1.

Ex Nahum porro, & Sophonia multa particularia, de hac euersione Niniues colligi possunt. Primo aduentus hostium cum multa superbia, multisque copiis[c] *Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionē.* Nabuchodonosor scilicet, vt ibi Hieronymus & Ribera Sa, omnes. Et v. 3. *Clypeus fortium eius ignitus*, id est quasi ardens ex repercussione radiorum solis, *viri exercitus in coccineis* (vestibus) *ignea habenæ currus in die præparationis eius*, id est ephippia, & phaleræ, & fræna, & id genus alia rutilante metallo fulgurantia, *& agitatores consopiti sunt*, id est, quasi temulenti in arma ruent, nihil timentes. *In itineribus conturbati sunt*, præ multitudine conferta, *quadrigæ collisæ sunt in plateis, aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.*

VIII. Apparatus cladis.

c Nah. 2. 1.

2. Dispersio, & fuga populi in agris: sic enim hic Hieronymus. *Ad Niniuem*, inquit, *nunc sermo conuertitur, & dicitur ei, Ascendit ad te Nabuchodonosor qui te obsideat, qui ante os tuum vastet agros, persequatur agricolas, rura populetur, qui te quoque ipsam clausam teneat.*

Dispersio populi.

Tertio igitur est obsidio, quam breuem non fore significat, cum ait, *qui custodiat obsidionem*: imo longissimam fuisse, ait Hieronymus in illa verba *recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis, velociter ascendent muros eius, & præparabitur vmbraculum. Ascendet*, inquit, *velociter muros Niniue, ac propter obsidionem longissimam ad depellendos æstus præparabit vmbracula.* Ribera vero sic. Gemet rex Assyriorum & mirabitur deesse suis pristinam fortitudinem, qui cum properauerint, vt hostes repellant & feriant, in ipsa via occidentur. Alii muros ascendent, vt vicinos iam magis hostes arceant ab vrbe. Sed ita constanter Chaldæi obsidionem custodient, vt necesse sit Assyriis in ipsis muris vmbracula parare contra frigoris & æstus iniurias; semper enim necesse erit in muris manere Pro vmbraculis 70. habent, *præparabunt propugnacula sua.* Chal. *turres ædificabunt*, Hebr. *operimentum.* Eadem nimirum propugnacula erant, & vmbracula, vt à cœli & hostium iniuriis eadem opera arcerentur. Ad eandem diuturnitatem obsidionis pertinent illa.[a] *Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas, intra in lutum & calca, subigens tene laterem*, vt scilicet lateribus, tum extrueret, tum repararet munitiones vrbis.

IX. Obsidio diuturna.

a ex c. 3. 14.

Quarto videtur vnum aliquod, aut fortasse etiam plura commissa prælia, siue ante obsidionem, siue in eruptione aliqua, obsidione durante. Eo refertur ille[b] verborum apparatus, qui egregia hypotyposi rem non solum animis, sed oculis etiam, auribusque subiicit, *vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis, & micantis gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ*, grauem ruinam vocat amissum cum multa cæde prælium, iuxta illud Amalecitæ illius,[c] *sciebam enim quod viuere non poterat* (Saul) *post ruinam.*[d] Sed ipsum explicans idem propheta Nahum subdit, *Nec est finis cadauerum, & corruent in corporibus suis*, id est impingentes in cæsorum Assyriorum cadauera, corruent, & à superuenientibus conculcabuntur. *Tam pulchra*,

X. Commissa prælia.

b c. 3. 2.

c 4. Reg. 1. 10

d Sic 1. Reg. 4. 17. 2. Reg. 15. 14.

inquit Hieronymus in hunc locum, *iuxta Hebraicum, & pictura similis ad prælium se praeparantis exercitus descriptio est, vt omnis meus sermo sit vilior.*

XI. *Verberata mœnia.*

QVINTO varia arietum & machinarum verberatione concussæ turres, & munitiones, & mœnia prostrata sunt: eo pertinet illud, quod propheta similitudine expressit irridens. *Omnes munitiones tuae, sicut ficus cum grossis suis, si concussae fuerint, cadent in os comedentis.* [a] a c. 3. 12.

*Incensa ianuæ.*

Sexto applicitus est ignis ad ianuas, & portæ cum vectibus suis conflagrantes, aditum Chaldæis præbuerunt. *Ecce populus tuus* (quasi) *mulieres in medio tui inimicis tuis adapertione pandentur, portae terrae tuae*, vel, vt habent 70. aperiendo aperientur, id est, certissimo funestissimoque ciuitatis malo patefient, *deuorabit ignis vectes tuos.* [b] *Portae fluuiorum apertae sunt. Quid prodest*, ait Diuus Hieronymus, b c. 3. 13. & c. 2. 6. *Aedificare domum, nisi Dominus aedificauerit? quid iuuat claudere portas, quas Dominus reserat, apertae sunt portae Niniuae, quae ad instar fluminum habebat ciuium multitudinem.* Sic ipse, forte etiam non inepta esset expositio, portas fluminum interpretari, aditus vrbis per Tygrim, cui impositam fuisse Ninum scribit Plinius, [c] vt tam supra ipsam vrbem quam infra, secundo & aduerso flumine, in c l. 6. c. 13. vrbem Chaldæi penetrasse intelligantur.

XII. *Diffugiunt ciues.*

SEPTIMO apertam, & interruptam ciuitatem fuga ciuium, & incolarum secuta est; aliis terra, aqua aliis euadentibus, sicut piscina fracta aquæ vndique perfluunt. Vnde propheta [d] *Niniue quasi piscina aquarum aquae eius,* d c. 2. 8. *ipsi vero* populi aquarum nomine intellecti, *fugerunt: state, state*, ait in visione propheta, vel ipsi præpositi ciuitatis, *& non est qui reuertatur.* Et [e] rursum, *Custodes* e c. 3. 17. *tui quasi locustae, & paruuli tui quasi locustae locustarum, quae considunt in sepibus in die frigoris, sol ortus est*, irruit nimirum Chaldæus duce Nabuch. *& auolauerunt, & non est cognitus locus earum vbi fuerit.*

*Irrumpunt hostes.*

8. Nihilominus irrumpunt hostes, & optimos quosque, ac fortissimos milites & duces ciuitatem propugnantes, acriterque resistentes obtruncant, ac trucidant. Id verbis illis [f] significatur. *Dormitauerunt*, id est occisi sunt Hierony. f c. 3. 18. & Theodor. *pastores tui, Rex Assur*, qui dudum scilicet vrbi propositus fuerat à Chaldæis, aut Medis, *sepelientur principes tui: latitauit populus tuus in montibus, & non est qui congreget*, vt scilicet coacto raptim exercitu redintegretur prælium, & recuperetur ciuitas.

XIII. *Turba captiuorum.* הצב

NONO qui sese rerum desperatione dediderunt, turmatim congregati sunt ad captiuitatem. [g] *Et miles captiuus abductus est, & ancillae eius minabantur, gementes,* g c. 2. 7. *vt columbae murmurantes in cordibus suis.* Quidam vocem Hebræam, *Hussab*, non militem, sed reginam interpretantur, cui interpretationi fauet ancillarum mentio. [h] Sed qualis est species captiuorum? vt quibus est *cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum, sicut nigredo ollae.* Ibidem cap. 2. 10. h Vide Riberam in 2. Nahum. n. 52.

*Deprædatio vrbis.*

Decimo, sequitur vrbis deprædatio, atque direptio. [i] *Diripite argentum, di-* i c. 2. 9. *ripite aurum, & non est finis diuitiarum, ex omnibus vasis desiderabilibus*, vt scilicet quæ per summam ingluuiem tot annis deuorauerat, vno die euomere cogatur: & alienis permittere, quæ alienis abstulerat.

XIV. *Eiusdem euersio.*

VNDECIMO diruuntur ædes sacræ ac profanæ, & vniuersa ciuitas misere dilaceratur, [k] *templum ad solum dirutum*, templum scilicet Nesroch, in quo pri- k c. 2. 6. dem Sennacherib occisus fuerat. [k] Nec templum solum: nam de tota ciuitate subditur, *Dissipata est, & scissa, & dilacerata*, imo & contrita, vt restaurari non k 4. Reg. 19. 37. mox v. 10. possit. [l] *Non est obscura contritio tua, pessima plaga tua*, contritionem enim, siue fra- l c. 3. 19. cturam ad ipsas quoque ædes referunt interpretes sine vlla metaphora.

*Hostilis irrisio.*

Accedit duodecimo pro consolatione miserorum hostilis irrisio. [m] *Vbi est ha-* m c. 2. 11. *bitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam iuit leo, vt ingrederetur illuc, catulus leonis, & non est qui exterreat*: qui scilicet terrori erat omnibus, & ad nullius pauebat occursum. *Leo cœpit sufficienter catulis suis, & necauit leænis suis, & impleuit præda speluncas suas, & cubile suum rapina* Sed apertior est irrisio apud Sophon. [n] *Hæc* n 2. 15. *est ciuitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia amplius, quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? omnis qui transit per eam sibilabit, & mouebit manum suam.* Reliqua erat eiusdem ciuitatis integra desolatio,

Desolat. 6. ac. 2. 13.

ac vastitas, quam à Nahum prætermissam suppleuit Sophonias. *

Postrema est ergo desolatio, de qua ita Sophon. *Et extendet* (Dominus) *manum suam super Aquilonem, & perdet Assur, & ponet Speciosam* (id est Niniuem, vt supra dixi) *in solitudinem, & in inuium, & quasi desertum, & accubabunt in medio eius greges, omnes bestiæ gentium, & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur*, quæ sunt bestiæ, quæ in desertis locis, & parietinarum, speluncis habitant. Denique pro musica, quæ canebatur in fenestris, auditus est *coruus in superliminari*, domo scilicet ad eum vsque locum euersa. Sicque factus est Nabuchodonosor, sine vllo riuali, dominus Assyriorum, non secus ac Chaldæorum, sicut Medorum, & reliquarum regionum toto pene oriente sparsarum, præter Syriam vniuersam, Phœnicem, Palæstinam, omnemque Arabiam, Iudæam, Idumæam, Moabitas, & Ammonitas: Aegyptum atque Æthiopiam, & populos insulares in mediterraneo mari late dispersos; quos omnes vino furoris Domini inebriauit, iuxta prophetiam Ieremiæ; & factus est Imperator, & Monarcha toto terrarum orbe maximus. Quod non impedit, quo minus dicamus Babyloniorum imperium multo ante inchoatum, & sub regibus variis accessionibus amplificatum. Nam Assyriorum imperium huc vsque durasse probari non potest, nisi Chaldæi cum Assyriis confundantur.

Rvina Niniues.

XV. *Desolatio vrbis.*

*Magnitudo imperii Babylonici.*

Hoc fere tēpore Tarquinius feliciter absoluto bello, quod nouē ipsos annos contra Etruscos gesserat, Sabinos aggredi statuit. Illi enim soli supererant, qui cum Romanis de principatu contenderent: & regionem amplam colebant, nec longe ab vrbe dissitam, & erant alioqui viri bellicosi, qui si parere didicissent, magnum Romanæ rei momentum afferrent: nec deerat bello causa, cum Sabini suos populares, qui Etruscos ad bellum in Romanos incēderant, dedere noluissent Tarquinio. Indixit ergo bellum, quod Sabini animose occuparunt, facta in Romanum agrum irruptione. At rex assumptis Romanæ iuuentutis expeditissimis, prædones oppressit, cæsisque plurimis, & recepta omni præda, prope hostem castra posuit; & intra paucos dies, receptis ab vrbe copiis, auxiliisque sociorum, in campum progressus Sabinis pugnandi copiam fecit, locato prius in insidiis equitatu.

XVI. *Tarquinii bellum in Sabinos*

*Et quæ eius causa.*

Is cum inter pugnandum Sabinis à tergo apparuisset, illico animis fracti, quod vtrimque cædi formidarent se, in fugam dederunt. Tum vero ingens eorum strages edita est, persequente equite Romano, & obstante vndique ne se in vicina oppida fuga reciperent. Qui autem in castris relicti fuerant, irruentium in se hostium impetum propulsare, aut pugnam experiri non sunt ausi, sed insperato euentu perculsi, sine pugna & se, & munitionem dediderunt. Cum ergo equitum in primis opera hac victoria potitum Tarquinium Dionysius tradat, mirum est Liuium scribere hoc in prælio illum sensisse, equitem maxime suis deesse viribus; ideoque & equitum centurias duplicasse: prodesse potius dicendum fuerit quam deesse, proptereaque augendæ vtilitatis gratia, antiquo numero alterum tantum adiecisse.

XVII. *Victoria ab occulto equitatu.*

## ANNUS MUNDI. 3453 QUINTAE AETATIS 514.

IOSEDECI PONT. 7. IECHONIÆ ET TRANSMIG. 18.

Desolationis 7. Nabuchodonosoris 25. qui et 2. Imperii Babyloniorum 120.

Olympiadis XLIV. anno 4.

L. Tarquinii Prisci 15.

Urb. cond. 152.

## ANNUS ANTE CHRISTI ORTUM 600.

I. *Renouatũ bellum contra Sabinos*



EXCENTESIMUS annus ante Christi ortum habet redintegratas pugnas Romanos inter & Sabinos. Cum enim se proximo anno fraude potius circumuentos, quam virtute superatos censerent, nouas contraxere copias, eisque nouum Imperatorem bellicæ artis peritissimum præfecerunt. Quorum volũtate cognita, rex collectis celeriter copiis priusquã illi conuenirent vniuersi, Anienem transiit. Sabinus autem non longe ab eis, excelso in tumulo ac prærupto castra metatus est, nec pugnæ copiam fecit, donec reliquus exercitus conueniret. Dum autem ita bellum à Sabino ducitur, multis hinc & inde excursionibus à velitibus equitibusque pugnatum est. Tarquinius impatiens moræ aliquoties in hostium castra irrito conatu impetum fecit; tandemque omni prohibitos commeatu, ad fugam, intempesta, ac procellis turbida nocte, castris desertis, omnique bellico apparatu compulit. Quibus direptis Romanus, multa cum præda captiuisque, se in vrbem recepit.

II. *Somnium N.buch. quando contigerit.*

INCIDIT in hunc quoque annum mirabile somnium, eiusque admirabilior interpretatio Danielis, quæ secundo illius prophetiæ capite continetur, & *secundo regni* eius *anno* dicitur contigisse: etsi Iosephus eum exactum ponat, μετὰ τὸ ἔτος δεύτερον. quasi res non secundo, sed tertio anno ascribenda esset. *Exacto*, inquit Iosephus, [a] *biennio post Aegypti populationem, Nabuchodonosorus cum vidisset mirandam visionem &c.* satis nihilominus indicans secundum regni annum in verbis Danielis, non ab initio initi regni, post mortem patris accipiendum esse, sed ex quo tot deuictis nationibus totius Orientis Monarcha factus est. Id clare docet Diuus Hieronymus in eundem locum Danielis, vbi ex sententia Hebræorum ait secundum hic annum dici, regni eius omnium gentium barbarum. Non Iudææ tantum, & Chaldæorum, sed Assyriorum quoque, & Aegyptiorum, & Moabitarum, & reliquarum nationum, quas Domino concedente superarat. Quin & ipse Daniel hanc sententiam aperte confirmat, cum eum non simpliciter Regem, sed Regem regum appellat, [b] *tu rex regum es, & Deus cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum &c.* non potuit rex Chaldæorum duntaxat, nisi impudenti adulatione, Rex regum appellari, quod à sancto propheta alienissimum est. Deinde non solum regnum, sed etiam imperium datum illi esse diuinitus asserit, atque adeo loca *omnia, in quibus habitant filii hominum* [c]

*Non secundo regni, sed imperii.*

a l. 10 ant. c. 11.

b v. 37.

c eod. v. 38.

III. *Confirmatur eadem sententia.*

HANC sententiam passim recentiores omnes sequũtur, in quibus Perer. Torniel. Sanctius, Maldon. qui illam eò probabiliorem esse ait, quod & Daniel de Monarchiis, earumque aliarum in alias commutatione agere incipiat; & somnium ipsum Monarchiarum protenderet vicissitudinem. Quod autem Theodoret. putat hunc annum esse secundum, ex quo simpliciter regnare cœpit, ab omnibus deseritur. Nam, vt notauit Diuus Hieronymus, post tres annos pueri ingressi sunt in conspectu regis, cum primo anno Nabuchodonosoris Daniel ductus fuerit in Babylonem. Hũc non secundum, sed quartum aut quintum esse oporteret. Addo quod anno secundo regni Nabuchodon. cer-

tissimu n

tissimum est Danielem puerulum fuisse, cum anno primo abductus sit, & post aliquot annos, anno vitæ suæ duodecimo, Susannam liberauerit, ex consensu sanctorum patrum, vt suo loco docuimus, nunc autem plane vir fuit, sicut & socii eius, quibus præfecturas prouinciarum à rege impetrauit.

AGEBAT autem hoc anno Daniel, iuxta ea, quæ anno primo Nabuchodonosoris, & primo Ioakimi tradidimus, vitæ annum 28. tot enim à primo anno Ioakimi numerantur, quo eum natum esse existimamus, etsi Pererius alias coniecturas secutus, 35. ei hoc tempore tribuat. Ei autem datam fuisse diuinitus omnium visionum, & somniorum intelligentiam [a] hoc anno apertissimo experimento demonstratum est. *Vidit autem Rex impius somnium futurorum, vt interpretante sancto, quod viderat, Deus glorificaretur, & captiuorum, Deoque in captiuitate seruientium, esset grande solatium*, vt ait hoc loco Diuus Hieronymus. Non nunc primum prophani principes per somnium diuinitus edocti sunt, vt de Abimelecho, [b] Labano, Pharaone, eiusque præfectis ex Scriptura constat.

IV. *Aetas Danielis, & scientia.*

a vt dicitur c. 1. 17.

b Gen. 20.

VIDIT ergo *Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.* Ita oblitus est somnii, vt se tamen somniasse meminisset; & idem Hieronymus ait vmbram quandam, & quasi auram somnii, atque vestigium remansisse in corde regis, vt referentibus aliis posset reminisci eorum, quæ viderat, & nequaquam eum deciperent mentientes. Non remansit autem tantum vmbra somnii, sed pauor etiam ex horribili spectro ante conceptus, qui eum mire sollicitum reddebat reuocandi in mentem somnii, & addiscendi significationem eius. Decipit autem nos fortasse, aut seipsum Iosephus, cum ait Nabuchodonosorem non solum vidisse mirandam visionem, sed eius etiam euentum, id est interpretationem ἔκβασιν, Deum ei in somniis indicasse. Quod nullum habet in scriptura fundamentum: vbique enim somnii oblitus dicitur, & vidisse somnium, & nihil amplius. Et id proprium fuit priuilegium non profanorum regum Nabuchodonosoris, Pharaonis, sed prophetarum, iuxta illud. [c] *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*, id est declarabo quid somnio significare velim. Sic Ieremias creditur in somniis, & virgam vigilantem, & ollam succensam vidisse, & vtriusque interpretationem accepisse. Sic & hoc loco Danieli, nocte per visionem, tam somnium ipsum, quam eius expositio reuelata est.[d]

V. *Somnium Nabuch.*

*An tunc eius interpretationē didicerit.*

c Numer. 12. 6.

d vt dicitur. 19.

PRÆCEPIT ergo Rex, vt in pauca fusiorem narrationem conferam, vt somniorum coniectores conuocarentur, à quibus exquisiuit, vt tam somnium suum, quam eius interpretationem sibi enunciarent, aut præmium industriæ, aut pœnam inertiæ, seu potius fallaciæ accepturi, quod nimirum solerent, pro animi libidine, somniorum fingere interpretationes: ratus eos, qui cœlitus expositionem somniorum se accipere profiterētur, eodē beneficio ipsa etiam somnia cognoscere posse, & impostores esse, qui alterum tantum diuinitus se posse cognoscere mentirentur. Quod illi aut se, aut quemquam mortalium posse negarunt, affirmantes cœlitum id esse priuilegium, eiusque rei non ignaros principes non solere aliud à coniectoribus, quam somniorum interpretationem exquirere.

VI. *Rex exquirit à coniectoribus somnium, & interpretationē eius.*

QVO *audito* [d] *rex in furore, & in ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes Babylonis.* Hanc enim pœnam debitam credidit vafris illusoribus, ad quam inferendam acuebat dolor ex somnii cognoscendi desperatione conceptus. *Et egressa sententia sapientes interficiebantur, quærebanturque Daniel, & socii eius, vt perirent.* Cum Arioli isti pro se suisque omnibus eadem criminis & imposturæ confessione tenerentur, eadem omnes pœna plecti rex iubet, tanquam sacrilegii, malique doli conuictos. Mirum videtur Nabuchodonosorem, qui Danielem, & socios iam pridem explorauerat sapientiæ plenissimos, adeo vt in quauis quæstione, quam ab eis sciscitatus esset Rex, decuplum inueniret sapientiæ, & intellectus super cunctos ariolos, & magos, qui erant in vniuerso regno eius, nunc eorum plane oblitum fuisse. Re-

d v. 12.

VII. *Quos perire iubet.*

spondeo id non esse absurdum, si consideremus id experimentum ab octodecim fere annis captum fuisse, ex eoque tempore permultis annis abfuisse, Tyriæ obsidioni, & Hierosolymitanæ, & tot bellorum expeditionibus occupatum. Accedente præsertim diuina prouidentia, quæ volebat, ex opposita ariolorum & magorum ignorantia, tanto illustriorem fieri prophetæ sui sapientiam. Itaque qui excussit à rege memoriam recentissimi somnii, sustulit etiam antiquam iam memoriam famuli sui Danielis.

VIII. *Cur, & quorum opera quæsitus ad mortem.*

AT mirum est nihil de eo, sociisque suggestum regi, ab istis ariolis, & magis. Respondent Hebræi apud Diuum Hieronymum, quandiu illi sperarunt se posse regis petitioni satisfacere, & propositorum præmiorum, & honorum compotes fieri; non quæsiuisse quos sapientiores seipsis esse non dubitabant, ne ab speratis præmiis eorum opera priuarentur; gloriæ eorum & scientiæ inuidentes. At vbi se tantum pœnæ obnoxios esse viderunt, voluerunt eos in periculo habere consortes. At hæc sententia supponit Danielem, & socios à Chaldæorum diuinatoribus esse delatos; quod ex scriptura non habetur. Dixerim potius cum Maldonato, quæsitos eos à præfectis, ariolis nihil de iis suggerentibus, quia vulgus eos, propter opinionem excellentis doctrinæ, cum superstitiosis ariolis numerabat, qui soli sapientes habebantur. Ideoque qui Regis de interficiendis sapientibus mandatum acceperant, in eadem eos causa cum cæteris inuoluebant.

IX. *Impetrat à rege dilationem.*

CVM ergo Daniel ab Ariocho principe militiæ regis didicisset, quo statu res esset, *rogauit regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam.* Iosephus ait non ipsum per se Danielem adiisse regem, sed præfectum ipsum totius negotii fuisse interpretem, atque administrum. *Impetrauit*, inquit, *vt præfectus vnius noctis dilationem Magis à rege peteret: spem enim sibi esse Deum, ea ipsa nocte exoratum, indicaturum esse id somnium. Quæ Danielis postulata, cum per Ariochum regi essent renunciata, iussit eadem magorum differri tantisper, dum huius promissi fidem experiretur.*

Verum textus ipse sacer satis docet, ipsum per se prophetam adiisse regem: inchoatam quoque iam fuisse istorum magorum cædem; ait enim. *Et egressa sententia sapientes interficiebantur*, itaque non dilata, sed intermissa, atque interrupta est. Nisi potius placet cum Sanctio explicare illud *interficiebantur*, rapiebantur ad necem. De nocte autem recte coniecit Iosephus ex sequentibus, id tempus fuisse postulatum & impetratum.

X. *Orat cum sociis, & impetrat reuelationē.*

ITAQVE ingressus est domum suam, Ananiæque & Misaeli, & Azariæ sociis suis indicauit negotium, vt quærerent misericordiam *à facie Dei cœli super sacramento isto*, somnii scilicet occulta interpretatione, ipsoque somnio, *& non perirent Daniel, & socii eius cum cæteris sapientibus Babylonis.* Ergo cum se in preces magna animi contentione, dedidissent, vt magnitudo periculi postulabat, *Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est. Et benedixit Daniel Deum cœli*; ita illum crebro appellat, ad differentiam deorum qui Babylone colebantur. *Et locutus ait. Sit nomen Domini benedictum à seculo, & vsque in seculum, quia sapientia & fortitudo eius sunt.* Sapientiam laudat propter vtriusque secreti manifestationem: fortitudinem autem propter potentiam perficiendi ea, quæ illo somnio prænunciabantur, vnde sequitur, *& ipse mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit, dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam.*

XI. *Introducitur ad regē.*

DENIQVE gratiis Deo actis de accepto in tempore tam necessario beneficio, adiit quam primum Ariochum præfectum, petens ab eo ne perderet sapientes; sed *introduc me*, inquit, *in conspectu regis. & solutionem Regi indicabo.* Potuit ipse quidem per se adire Regem, vt pridie fecerat, sed petiit introduci, vt ille interim à cædibus temperaret, nec sibi callide verba dari à propheta suspicaretur.

*à quo interrogatus.*

*Tunc Arioch festinus introduxit* Danielem *ad regem, & dixit ei; Inueni hominem de filiis transmigrationis Iuda, qui solutionem regi annunciet.* At ille se vltro ipsi obtulerat: sed iuxta aulicorum ingenium agit, vt suæ diligentiæ hominis inuentionem tribuat, per quem Regis voluntati satisfiat.

Daniel interpretatur somnium.

Respondit Rex, & dixit Danieli, *cuius nomen erat Balthasar: Putasne vere potes mihi indicare somnium quod vidi, & interpretationem eius?* Prudenter seruat ordinem quæstionis, ait Hieronymus, vt primum somnium, quod se magi ignorare responderant, & postea interpretationem quærat somnii, quod ipsum naturæ ordo requirit.

XII. *Respondet sapientissime.*

Sed multo diuiniorem prudentiam Daniel in sua responsione indicauit. Nam primum Regem auertit à magis & ariolis, quos negat posse indicare mysterium propositum: deinde instillat ei admirationem, & venerationem veri Dei, cum ait. *Sed est Deus in cœlis reuelans mysteria*; quin & amorem, propter eius in eum prouidentiam ac propensam voluntatem, cum ait, *Qui indicauit tibi Rex Nabuchod. quæ ventura sunt in nouissimis temporibus*, quod ipsum vt diuinum aliquid, est vehementer optabile; atque adeò quod in eius gratiam eadem ipsa Danieli reuelarit. *Mihi quoque*, inquit, *non in sapientia, quae est in me plusquam in cunctis viuentibus sacramentum hoc reuelatum est, sed vt interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuae scires*, quæue species obiecta esset Phantasiæ tuæ.

XIII. *Renocat in memoriam somnium.*

Tv *Rex videbas*, id est inter dormiendum tibi videre videbaris, *& ecce quasi statua vna*, neque enim reuera erat statua, nec plures statuæ, sed vna. Licet enim quatuor, regna repræsentarentur, quia tamen illa nec eodem tempore, nec diuersis locis futura erant, sed eodem loco, diuersis temporibus alia ex aliis nascitura, ideo non 4. statuæ simul suis quæque in locis, sed vna eodem in loco ostensa est, vt notauit hoc loco Maldonat. sic vaccæ pingues, & macilentæ non simul, sed aliæ post alias demonstratæ sunt, sicut & futuræ erant. Visa est *statua magna*, propter magnitudinem potestatis, & late diffusam imperii amplitudinem: *statura* eius erat *sublimis*, siue vt alii ex Hebræo vertunt, splendor eius præstans, rutilabant enim omnia metalla, ex quibus erat conflata; multum enim gloriæ & fulgoris omnia illa imperia in orbe obtinuerunt. Denique intuitus eius erat terribilis, quia omnes hæc monarchiæ multum terroris suis quæque temporibus mortalibus intulere, præsertim cum confracta fuerunt singula.

In Genes.

XIV. *Reliqua eiusdem narratio.*

Sed reliquam descriptionem continenter ponamus; singula enim in somnii interpretatione intelligentur. *Huius statuae caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter & femora ex aere: tibiae autem ferreae. Pedum quoque pars erat ferrea, quaedam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areae, quae rapta sunt vento, nullusque locus inuentus est eis: lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram.* Hoc est somnium spectro constans, & actione mirabili circa illud, vt vtraque ex parte somnium fiat admirabile.

XV. *Interpretatio somnii.*

Et quidem, quod ad interpretationem attinet, dubitare non licet, quin capite aureo regnum Babylonicum, siue Chaldæorum imperium intelligatur; non quod reliquis præstantius fuerit, aut ditius; aut latius dominationem suam protenderit; nam iis omnibus potius cessit; sed quia primum capiti comparatum est, vt innuit Diuus Hieronymus, & affirmat Theodoretus, & postea recentiores. Quod enim, quis dixerit Assyriorum imperium fuisse primum tempore, nec infimum fortasse dignitate: respondetur Deum voluisse tantum ostendere Nabuchodonosori futura, sicut & ipse tantum sollicitus cogitabat, *quid esset futurum post hæc.* [a] Assyriorum autem imperium diuturnitate illustrius fuit, quam potentia, & multitudine regnorum subditorum. Aureum autem dicitur hoc imperium, sicut & calici aureo Ieremiæ c. 51. comparatur, vel comparatione eorum, quæ tunc erant, non autem subsequentium, vt vult Perer. vel opinione Chaldæorum, apud quos agebat Daniel, qui præsentia tantum videbant, & more hominum sua mirabantur, nihilque præstantius existere posse arbitrabantur. In quorum persona hæc dici possunt.

*Regnum Babylonis.*

a vt dicitur v. 29.

*Aureum.*

XVI. *Cur aureo capiti comparatum.*

Tv *Rex regnum es, & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in*

*manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit.* Et quamuis hæc nonnullam hyperbolem habeant, satis tamen consentanea sunt aliis scripturæ locis. Nam Ieremias c. 25. quindecim minimum reges Regi Nabuchodonosori subiectos enumerat. Habacuc,[a] *Iste*, inquit, *de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erũt*, vt pro arbitratu eos erigat, ac deiiciat, sceptrum & vincula manibus tradat, in carcere & throno collocet, oculis, vita, sepultura priuet. Quod autem Deus cœli, & reges, & regna ei dederit, magnificentius etiam habetur apud Ieremiam,[b] *Hæc dicetis*, inquit, *ad dominos vestros*, legatos diuersorum regum alloquitur, quos sibi erat subiecturus Nabuchod. *Ego feci terram, & homines, & iumenta, quæ sunt super faciem terræ in fortitudine mea magna, & brachio meo extento, & dedi eam ei qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque, ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis serui mei, &c.*

[a] c. 1. 10.

[b] 27. 4.

XVII. *Secundum imperium Persicum argẽteum.*

SECVNDVM imperium argenteo pectore & brachiis repręsentatur, non tam quod Persæ & Medi illud quasi brachia tenuerint, quam quod pectus & brachia proxime sequuntur caput. Ideoque illa verba. *Et post te consurget regnum aliud minus te*, id est secundum à te, recte explicatur à Maldonato, sed ordine ac tempore, non potentia, aut dignitate. Qui enim fieri potest aliter, cum Persæ subegerint Chaldæos, & Cyrus ad suum regnum etiam Babyloniorum imperium adiecerit? Nihilominus quia aurum argento præstat, ita necesse est imperium Babyloniorum Persico aliqua re præstitisse, sicut & hoc Græco, & Græcum Romano, vt ordo ac dignitas metallorum videtur exigere. Quid autem sit illud, non facile dictu est.

XVIII. *Tertium æreum Græcum.*

ET *regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.* Hoc fuisse regnum Græcorum, quod ab Alexandro magno partum fuit, & regno Persarum successit, sicut venter & femora succedunt pectori, fatetur omnes. *Hoc imperium recte dicitur æneum*, inquit Hieronymus hic. *Inter omnia enim metalla æs vocalius est, & tinnit clarius, & sonitus eius longe lateque diffunditur, vt non solum famam & potentiam regni, sed & eloquentiam Græci sermonis ostenderet.* Dicit autem nominatim hoc imperium dominaturum vniuersæ terræ, quod de Persarum regno non dixerat; partim quod Macedonum quam Persarum imperium maius fuit, partim accommodate ad futuram hominum opinionem loquitur, qui Alexandrum Macedonem totum terrarum orbem subiugasse crediderunt, vt notauit Maldonatus, & Sanctius.

XIX. *Quartum imperium ferreum Romanum.*

SVPEREST quartum imperium, quod *erit*, inquit Daniel, *velut ferrum: quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuit, & conteret omnia hæc*, quod perspicue pertinet ad Romanos, vt ait Diuus Hieronymus, qui non solum Græcorum imperium ad se transtulerunt, sed multo etiam latius plurimis in locis, præsertim in Europa, imperarunt, quæ Græci vix attigerunt. *Qua patet edomitis*, inquit ille, *Romana potentia terris.* Deinde Græcorum imperium pauculis duntaxat annis vnum habuit caput Alexandrum. Inde perpetuo in multa membra diuisum fuit. At Romana monarchia multis seculis, vel in vno principe, vel in legitimo senatu, ac magistratibus annuis, vnita fuit, à quibus, tanquam ab vno capite, ac principe omnis prouinciarum administratio pendebat; deinde aliquandiu diuisa, in vno rursum Imperatore coaluit, Iulio, Augusto, Tiberio &c.

XX. *Sed luto mixtum.*

HOC regnum propheta ex forti & fragili compositum ait, ferro scilicet & testa, proptereaque non fore perfecte solidum & perpetuum, sicut testa ferro recte agglutinari non potest. Quod cum de digitis pedum dicat, omnino videtur tempus illud respicere, quo Romani principes, qui rigorem disciplinæ militaris diu conseruarant, postremis temporibus deliciis elanguerunt, in regnis ac prouinciis, quas suo imperio adiunxerunt, Asia, Græcia, Aegypto, quæ luteis digitis adumbrantur, vt Sanctius pluribus interpretatur hoc loco. Quo rerum statu venit in mundum, de monte sancto Dei, lapis ille excisus sine manibus, Christus Dominus, diuinitus ex virgine natus, qui regnum fundauit Christianorum, qui eum regem agnoscunt, & regni eius non erit finis. Cætera vero regna, vel iam contrita sunt, vel in fine temporum omnia contererentur, & quasi in fauillam æstiuæ areæ redigentur.

XXI. Interpretatio Danielis ex Iosepho.

ADIECIT nonnulla huic prophetæ expositioni Iosephus, quæ operæpretium est audire. *Et hoc quidem est*, inquit, *quod vidisti somnium, quod in hunc modum interpretari oportet. Aureum illud caput te significat, & alios reges ante te Babylonios: duæ vero manus & humeri duo, portendunt, quod à duobus regibus vestrum imperium delebitur. Illorum quoque imperium alius ab occidente veniens, tollet è medio, amictus armis æreis. Huius quoque vires debellabuntur ab alio ferro simili, cui propter naturam ferri nihil poterit resistere, quod ea sit auro, argento, ac ære validior. Adiecit & de saxo interpretationem Daniel, sed mihi hoc narrare non libuit, cuius propositum est præterita non etiam futura scribere.* Sic ipse; & ea scire volentem ad Danielis ipsius scripta remittit. Quæ dissimulatio, vel ad Iosephi metũ pertinet, Romanorũ principum, quibus seruiebat offensionẽ formidantis, vel Iosephi est Christi Domini, & Christianorum gloriæ inuidentis, vel de sua gente omnium aliquando victrice id prædictum existimantis, nec tamen audentis confiteri. Quo etiam alludit l. 7. de Bello cap. 12. Vide Egesippum l. 5. excidii Hierosolymitani,[a] Eusebium,[b] & Paulum Oros.[c]

a c. 44. b l. 3. hist. c. 8. c l. 7. c. 9.

XXII. Nabuchod. Danielem adorat.

HIS auditis *Nabuchod. cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias & incensum præcepit, vt sacrificarent ei.* Recenset quidem scriptura, quid fecerit Nabuchodonosor, quidque facere voluerit, quod falsum, atque absurdum putauit Porphyrius: quid autem vice versa Daniel fecerit, non recensuit. Quæ causa fuit hæreticis Danielem accusandi, dicendo eũ aulicis moribus fuisse corruptum; quod est in eo longe maius, quam falsi crimen agnoscere. Itaque Porphyrius præ Caluino in Danielem modestus fuit, quem symmystæ sui tacito nomine refellunt. Et adorationem quidem illam Daniel impedire non potuit, vt pote subito, & ex insperato exhibitam. Alterum autem qui putat admisisse, & non potius Deo offerri iussisse, nimis impudenter atrocissimi sacrilegii reum facit sanctissimum prophetam, virum, tot à Deo miraculis atque priuilegiis viuum, mortuumque nobilitatum, tot scripturæ præconiis viris sanctitate clarissimis annumeratum.[d]

d Ezechiel 14. 14 20 c. 28 3. 1. Machab 2. 60.

XXIII. Repugnãte propheta.

VERE ergo credendum est dixisse regi Danielem. *Vide ne feceris, conseruus tuus sum, Deum adora*, simulque eum excitasse de terra. Quibus recte consentiunt, quæ subdit idem rex. *Loquens ergo rex, ait Danieli*, quasi dicat, cum ergo videret Rex Danielem hunc honorem sibi vltro delatum non admittere, sed affirmare Deo cœli omnium domino tribui oportere, dixit ei *vere Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum, & reuelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.*

Tunc Rex Danielem in sublime extulit, *& munera multa & magna dedit ei, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.* Quæ non recusauit Daniel, non ambitione, sed eximia charitate in suos, vt eis in captiuitate præsidio apud regem, & Chaldæos esse posset: eamque etiam ob causam postulauit à rege, vt socii sui super opera prouinciæ Babylonis constituerentur, in quibus scilicet Iudæi, vt scripsit Iosephus, dispersi erant.

XXIV. Aliqua in Iosepho examinantur.

SED commodum se rursus Iosephus offert, vt nonnulla alia eius dicta in hac historia consideremus. Primum Puerum vocat Danielem hoc tempore, non tam laxitate significationis eius apud Hebræos (nam infra dicit Danielem pro se, & sociis gratias egisse Deo, quod eorum ætatem esset miseratus, vtique teneram, quæ miserationi esse solet) quam quod hanc historiam putet, cito post eius in Chaldæorum literis institutionem contigisse, cum illa sub initia captiuitatis eius facta sit, & initio regni Nabuchodonosoris, vt constat ex init. cap. 1. Danielis, quod ne ipse quidem diffitetur; hæc autem visio 25. regni anno, eodem ipso, vt ante diximus, assertore contigerit, biennio scilicet post populationem Aegypti, quam vigesimo tertio regni Nabuchodonosoris ait accidisse.[e]

Quod puerum nunc vocet.

e Lib. 10. c. 11.

XXV. Quod Magos laudat.

MVLTO etiam minus illud videtur tolerabile, quod fingit Danielem si superis placet, laudasse Magos apud Nabuchodonosorem, quasi bonos & honestos viros, καλοὺς κἀγαθούς: & ipsum etiam Nabuchodonosorem coram iniustitiæ, & crudelitatis accusasse. Quæ accusatio vt probabiliter caret, vt alieno loco

ac tempore suscepta, ita illa laudatio. Etsi enim id tanquam ex populari dictum opinione videri queat, non fuit tamen pietatis ac sapientiæ Danielis, testimonio suo, quod diuinum credebatur, cõmendare nequissimos præstigiarum, mẽdaciorum, ac maleficiorum architectos; quibus occasione tam idonea, in veri Dei gloriam, & populi ad eum cõuersionem, fides eripienda, autoritas deterenda esset. Cui officio reuera non defuit, cum palam cõtestatus est magos, ariolos, aruspices non posse hoc mysterium indicare regi. At Iosephus eo tantum intendebat animum, vt gentem suam ostenderet bene mereri solitam de infidelibus, & à Iudæorum religione alienis: vt scilicet illi nunc eis vicem rependerent, quos auulsos patria duro imperio, ac seruitute premebant.

XXVI. *Quod aureum caput non bene interpretatur, &c.*

QVOD aureo capite non ipsum tantum Nabuchodonosorem, sed alios quoque Babylonios reges, qui ante ipsum fuissent significari ait, aperte fallitur. Nam statua tantum ad futura pertinebat Nabuchodonosori demonstranda, sicut ipse cupiebat, qui in lecto suo cogitare cœperat quid futurum esset post hæc, quid scilicet futurum esset Imperio Babylonico, quod tunc ad supremæ fastigium magnitudinis, ac magnificentiæ euectum erat, quam id diuturnum futurum esset, & num qua rerum vicissitudine minuendum, aut commutandum foret. Didicit autem duntaxat illi alterum imperium successurum, sed ignobilius ac deterius suo; indéque etiam tertium, & quartúm suis temporibus ita nascitura, vt ipsius imperio, sicut auro reliqua metalla, cederent: at eius interpretatio, quam parum fideliter Danielis interpretationem reddat, nemo non videt. Nihil enim Daniel de duobus regibus imperium Babylonicum deleturis exposuit, nihil de altero ab occidente venturo, nihil de armis eius æneis.

XXVII. *Quod Christianorum imperium dissimulet.*

SAXI porro interpretationem callidè, vt dicebam, attingere noluit, ne imperio Romano, eiusque principibus, male ominari videretur: ad quorum se arbitrium nutumque, dicendo, tacendoque fingebat. Cum enim Hebræi omnes, & Christiani saxum illud de Christo Messia, eiusque amplificationem de amplitudine regni eius interpretarentur, noluit illud de Christianorum imperio, quod non credebat, neque Iudæorum, quod sperabat, explicare, ne sibi, suisque summam conflaret inuidiam: præsertim cum eo tempore vulgò nondum satis Christiani à Iudæis internoscerentur. In qua spe miseri Iudæi seipsos nunc quoque sustentant, expectantes lapidem illum, qui ex Abrahamo, aut Dauide, monte magno excisus, veniat aliquando, qui Iudæorum imperium super omnes constituat nationes: cum tamen quantumuis excæcati, videant quartum illud imperium iam à tot seculis, suo nõdum nato, defecisse. Sed malunt illi imperium Romanum cum Græco confundere, vt quartum Danielis imperium Turcis attribuant, & suum illud quintum chimericum fanatici præstolentur.

XXVIII. *Quod nũc Danielis nomen mutet.*

POSTREMO neque illud vere Iosephus adiecit, Nabuchodonosorem non contentum diuinis honoribus dignatum esse iuuenem, etiam illi Dei sui nomen imposuisse. Nã hoc nomen aliud non fuit quam Baltassar, siue Balsassar à Baal, siue Bel Chaldæorum Deo deriuatum, vt patet ex c. 4. Dan. v. 5. Verum id nomen neque hoc tempore Danieli impositum, neque à Nabuchodonosore, sed à præposito Eunuchorum ipso eius captiuitatis initio. Nam c. 1. v. 7. *Et imposuit*, inquit, *eis, præpositus Eunuchorum nomina, Danieli Baltassar, Ananiæ Sidrach, Misaeli, Misach, & Azariæ Abdenago.*

Ex quibus intelligitur quam vacua fidei, quam plena vanitatis sit illa Iosephi iactatio, [a] nihil se sacris literis affingere, nihil addere, nihil detrahere Nam [b] vbi egit de septennii Nabuchod. commoratione cum bestiis. *Nemo autem mihi vitio debet vertere, quod hæc, ita vt in antiquis libris inuenio, scriptis meis insero. Talibus enim criminationibus dudum occurri, in initiis huius historiæ: palam profitens me tantum Hebraicorum voluminum in Græcam linguam interpretem, & quæ illic continentur bona fide relaturum me promisi, nec addentem quidquam de meo, nec auferentem etiam.* Id autem etiam in præfatione dixerat; magis vtique memor promissionis, quam promissi.

[a] Vide l. 8. c. 2. sub initium.
[b] l. 10. ant. c. 11. sub fi.

# ANNVS MVNDI 3454. QVINTÆ ÆTATIS 515.

IOSEDECI PONTIF. 8. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 19. DESOLATIONIS 8. NABVCHODONOSORIS 26. QVI ET 3. IMPERII BABYL. 121. OLYMP. XLV. AN. 1. TARQVINII PRISCI 16. VRBIS CONDITÆ 153.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 599.



NOVA Olympiade ordine quadragesima quinta, Anticrates Epidaurius in Olympico stadio palmã tulit. Catalogus Olympionicarum refert in hunc annum Cylonium piaculum cuius meminit Herodotus in Terpsichore [a] Pausanias in Achaicis, [b] Plutarchus in Solone, & maxime Thucydides libro primo. Hi ergo referunt Chylonem quendam Atheniensem, qui in ludis Olympicis vicerat (Olympiade nimirum 35. in qua legitur eum duplicati stadij curriculi fuisse victorem) consulto Delphis oraculo arcem Athenarum vel occupare voluisse, vt ait Herodotus, vel reuera occupasse, vt affirmat Pausanias, & Thucydides, tyrannidẽ affectantẽ, adiutum copiis soceri sui Theagenis, Megarensium tyranni. Verum illico à populo Atheniensi obsidetur tandiu, dum rerum omnium inopia conficerentur. Et Chylon quidem cum fratre clam effugerũt, cæteri ad aram, quæ erat in arce Mineruæ sacra, supplices cõfugerunt. Magistratus autem qui eos obsidebant, exire iusserunt, fide data eos morte minime mulctatum iri: quos tamen mox interfecerunt: vnde tam ipsi quam eorum posteri impij ac scelerati habiti sunt, Athenisque in exilium semel iterumque pulsi. Hoc ergo Cylonium piaculum fuit & illorum sacrilegorum posteri piaculares dicti, siue Deæ Mineruæ obnoxij. — I. *Cylonium piaculum.*

*Marg.:* a l.5 p.137. gr. b l.7. p.232. gr. ἄγος. — ἐναγεῖς τῆς Θεοῦ.

HAC eadem Olympiade tum Camarina ciuitas in Sicilia, iuxta Camarinam paludem, condita memoratur apud Eusebium: tum maxime Massilia nobilis Viennensis Galliæ ciuitas, vt autor est Solinus, [c] & Eusebius. Consentit Timæus apud Marcianum, cum ait eam conditam 120. annis ante pugnam Salaminiam, quæ contigit initio Olympiadis quintæ supra septuagesimam: 30. videlicet integris ab hinc Olympiadibus. Rem tamen valde dubiam facit quod Ammianus Marcellinus [d] scribit à Phocæa Asiaticum populum, Harpali Cyri regis præfecti inclementiam vitantem, Italiam nauigio petiisse: eiusque populi partem vnam in Lucania Veliam, aliam in Gallia Viennensi Massiliam condidisse. Solinus quoque Phocenses ait Persarum aduentu fugatos, eam vrbem Olymp. 45. condidisse. At nunc ne natus quidem erat Cyrus, vt mox dicetur, nedum præfectum habebat Harpalum, siue Harpagum, vt eum vocat Herodotus in Clio, [e] & Pausanias in Phocensibus, qui Phocæenses ad fugam compulerit. — II. *Camarina condita.* — *An & Massilia.*

*Marg.:* c in Polist. c.8.fi. — d l.15. circa finem. — e l.2 p 19. gr.

ILLVD autem obseruandum, quod notauit Hermolaus Barbarus [f] in Plinium, Camertius in Solinũ, Pontacus in Eusebium, Vadianus in Melam, & post eos Scaliger in Eusebium, aliam esse Phocæã à Phocide: illa in Asia est, quam primam Ionum ciuitatem vocat Herodotus. At Phocis prouincia est Græciæ Ptolemæo teste, cuius metropolis Delphi. Ad hos nihil pertinent Massilienses, sed ad illos, vt ex Marcellino, Herodoto, & aliis perspicuum est: clare Pausanias. Οἱ δὲ Μασσαλιῶται Φωκαέων εἰσὶν ἄποικοι, τῆς ἐν Ἰωνίᾳ μοίρας, ἐκ τῶν ποτε Ἅρπαγον τὸν Μῆδον φυγόντων ἐκ Φωκαίας. Massilienses, inquit, Phocæensium quæ Ionum pars est sunt coloni, eorum scilicet, qui ex Phocæa Harpagum Medum fugere. Non dixit ex Phocide; & Horatius Phocæorum dixit ciuitatem, non Phocensium. Denique Strabo lib. 4. Κτίσμα δ' ἐστὶ Φωκαιέων ἡ Μασσαλία, Massilia à Phocæensibus est condita: quos ibidem Iones fuisse tradit, & Ephesiæ Dianæ vicinos, à qua coloni viæ ducem acceperint. Plerique tamen scriptores Phocenses pro Phocæensibus vsurparunt, — III. *Eius conditores Phocæa nõ Phocide orti.*

*Marg.:* f c.30. l.5. in Plin. c.8.fi. — Epod. od. 16.

& nominatim Lucanus,& Seneca. Plutarchus in Solone Massaliam mercatorem,eius ait conditorem fuisse, qui eam suo nomine insigniuerit. Eustathius in Dionysij commentar. aliam affert nominis notationem ex occursu piscatoris nauem religantis,quod μάσσειν Æolice sit religare, & ἁλιεύς piscatorem sonet.

IV. *Ortus Darij Medi.* NATVS est hoc anno Darius Medus, qui, vt scribit Daniel cap.5. extremo, Balthazari successit in regnum, nepoti magni Nabuchodonosoris, annos natus sexaginta duos. Ab hoc autem anno, ad finem desolationis, totidem numerantur. Ex quo plurimum falli constat Hebræos in suo maiore Chronico, [a] vbi aiunt, Nabuchodonosori, quo die inuasit in templum, diebus Iechoniæ, natum esse hostem Darium, sicut aiunt, quo die, vnctus est Iehu in Ramoth Galaad, inunctus est & Hazaël eius aduersarius. Verum in vtroque falluntur Hebræi. Eodem quidem tempore datum est Eliæ præceptum de vtroque vngendo, [b] sed nec eodem tempore, nec ab eodem vncti sunt. Nam Hazaël 24. post annos, 7. Iorami regis Iuda, ab Elisæo vnctus est; Iehu autem biennio post à discipulo Elisæi, vt suis locis dictum est. Sed absurdius est etiam quod de natiuitate Darij fabulantur. Nam cum natum dicant eo tempore, quo vasa templi abstulit Nabuchod. qui fuit octauus regni eius, [c] certe inde ad mortem Balthazaris, & regnum Darij non 62. sed 80. reperiuntur anni.

*In quo Hebræi falluntur.* [a] c.28. [b] vt patet 3 Reg.19.15 [c] vt patet 4.Reg. 24. 13.

V. *Num & Cyrus hoc anno natus.* HOC quoque anno natum esse oporteret Cyrum Imperij Persici fundatorem, si assentiremur Ciceroni [d] ex Dionysio Persico narranti, eum 70. annis vixisse. *Ad septuagesimum*, inquit, *peruenit, cum 40. natus annos regnare cœpisset.* Tot enim ab hoc anno, ad annum secundum 62. Olympiadis, quo mortuus est, numerantur. Sic autem fuisset ætate par Dario Medo, cui tamen, tanquam auunculo, & seniori Cyrum detulisse, D. Hieronymus in Danielem non semel asseruit. Adde quod Astyages eius auus nondum regnabat hoc tempore, at iam Rex erat, è somnium habuit erat de futuro Cyri regno, antequam Mandane Cyri mater in matrimonium daretur, sed hac de re iterum in Cyri morte dicendum erit. [d]

[d] 1.de Diu. 46.

VI *Darius Medus idemne cū Astyage.* QVIS porro fuerit hic Darius Medus, quem Daniel, [e] vocat filium Assueri de semine Medorum, non exigua est controuersia. Nam Pererius, [f] septem hac de re opiniones ponit. Quarum ea multis maxime probatur, quæ scripturæ ipsius esse videtur, vt scilicet hic Darius Medus idem cum Astyage vltimo Medorum rege esse dicatur. Nam omnium confessione constat Balthazaris morte imperium Chaldæorum extinctum, sub annum Iudaicæ desolationis 70. Constat 2. Balthazari Chaldæo successisse Darium Medum. Nam Daniel. [g] id diserte affirmat, non vno in loco. Constat 3. anno primo Cyri solutam esse captiuitatē Iudaicam. [h] Constat denique Astyage mortuo Cyrum Persem suscepisse regnum eius. [i] Ex quibus illa duo perspicue sequi videntur Darium Medum eundem esse cum Astyage, & Astyagem non totum annum super regnum Chaldæorum imperasse.

[d] Vide Torniel. in 6.nt.an.77. [e] ca.9. 1. [f] l.7.in Daniel.q.1. [g] 5.31.c.9.1. [h] 2.Paral. 36 22. 1 Esdr. 1.1. [i] Dan.13. 64.

VII. *Qui ita sentiant.* EADEM sensit Eusebius in Chron. Nam Astyagem vltimum regem Medorum ponit, eique ait successisse Cyrum: Scriptura vero ponit vltimum Darium Medum, vt iam diximus, eiusque Cyrum successorem. Diodorus Siculus l.2. Biblioth. ait Apandam, quem Græci Astyagem vocant, Cyri armis oppressum, sicque Medorum regnum ad Persas transiisse. Strabo l.15. ait Cyrum Pasargadis honorem habuisse, quod ibi Astyagem Medum vltimo prælio superasset, & Asiæ imperium in se transtulisset. Nec Herodotus historiæ parens vllum alium à Cyro Persa Astyagis successorem agnoscit, solus Xenophon in declamatoria sua Cyropædia Astyagi Cyaxarem filium dat successorem, cum Iustinus l.1. Herodot. item in Clio, Valer. Max. l. 1. c. de Somniis asserant eum prole mascula caruisse. Gordon. c.12. Chron. n. 18. ait Xenophontem in sua Pædia nihil minus quam res Chronologicas, aut etiam veras tractasse, & Cic. l. 1. ep. ad Quint. fratrem, negat eum ad fidem historiæ de Cyro scripsisse. Si ergo communi consensu historicorum, Cyrus successit Astyagi, successit autem, vt scriptura testatur, Dario Medo, certe non alius est Astyages à Dario Medo. Idipsum sensit Maldon. in c.9. Dan. n.1. & in c.13. fi. & alij ipsius Hieronymi tempore, vt ipse testatur init. c. 5.

*VII. Videtur filius Aſtyagis.* *Fratrem Mandanes auunculum Cyri.*

ALIA nihilominus eſt ſententia communior, & fortaſſe verior, hunc Darium Medum fuiſſe filium Aſtyagis, & auunculum Cyri. Ita ſentit Ioſephus l. 10. c. 12. *Darius autem*, inquit, *cum extingueret Babyloniorum imperium adiutus à Cyro cognato ſuo, annum agebat ſexageſimum ſecundum, qui fuit Aſtyagis filius, apud Græcos alio vocatus nomine.* D. Hieronym. in cap. 5. Daniel. init. & fine eum ſequitur, & hunc Darium regem Medorum, & Cyri auunculum nominat, quod ſcilicet ex Mandane filia Aſtyagis, & ſorore Darij natus eſſet. Et iterum cap. 8. v. 3. *Arietem*, inquit, *Darium vocat auunculum Cyri, qui poſt Aſtyagem patrem regnauit in Medis. Cornu autem ſuccreſcens ipſum Cyrum ſignificat, qui poſt Aſtyagem auum maternum, cum auunculo Dario quem Græci* Κυαξάρην *vocant, Medis imperauit, & Perſis*; intelligit autem Xenophontem. Idem ſentit autor Mirab. ſacræ ſcript. [a] Lyra. in 6. & 9. Daniel. Seuer. ſulpit. l. 2. qui vocat Cyrum Aſtyagis ex filia nepotem. Comeſtor c. 16. in Daniel. Perer. l. 7 in Dan. [b] Vatabl. in c. 5. Dan. in fi. vbi Artaxerxes more Græcorum pro Aſtyage ponitur: ſic Chaldæi Aſſuerum commune Medorum regum nomen, pro Aſtyage proprio vſurpant. Eadem opinatur Sà, [c] Gordon. [d] Adrichom. in Chron. Azor, [e] Sanctius in cap. 9. Daniel. Torniel. [f] Idem videtur ex parte ſentire Genebr. licet Darium Hiſtaſpem cum Dario Medo confundat, non animaduertens bis captam Babylonem, vt notauit Perer. [g] ſed ea de re poſtea.

a l. 2. c. 32.
b q. 1. in 7. opin.
c in fi. c. 5. & init. 9.
d c 12. Chr. n. 14.
e t 1. 16 c 56. q. 3.
f ſexta ætate an 8 n 2 & 47. n. 1 & 2
g l. c in ſectar. 4. opin.

*VIII. Confirmatur eadem ſententia.*

ESTQVE hæc ſententia admodum ſcripturæ conſentanea. Nec enim obſtat quod ea Cyrum Aſtyagi ſucceſſiſſe dicat: ſucceſſit enim, quia breue tempus regni Darij Medi pro nihilo computatur; nec dicit immediate ſucceſſiſſe: eodem autem anno tam Cyrus quam Darius, deleto Chaldæorum imperio, hic in Media, ille in Perſide regnarunt. Hunc porro Darium Medum Aſtyagem iuniorem dictum fuiſſe ait Gordon. cap. 12. nu. 15. ex Xenophonte, & Metaſthene, & Perer. l. c. quem & Artaxerxem à 70. vocatum ſcripſit D. Hierony. in cap. 6. Daniel. init. Nam quod ſcriptura vocat Darium Medum filium Aſſueri, [h] iam dictum eſt eam vocem appellatiuum eſſe nomen, non proprium, vt Cæſar, Pharao, Ptolemæus, Syluius, Arſaces &c. Vide Sanctium in 9. Danielis. Quod vero plurimi autores ſcribunt filio caruiſſe Aſtyagem, reſpondere poſſumus cum Perer. ex c. 16. hiſtor. ſchol. Cyaxarem non proprie filium fuiſſe Aſtyagis, ſed cognatum; adoptatum tamen in filium, & regni hæredem in odium Cyri, quem regnum à Medis ad Perſas tranſlaturum præuiderat, ex Herodoti ſententia, licet alia omnia Xenophon ſcribat: cui adoptioni etiam Darij ætas fauet, ſicque vera erit vtraque ſententia, tam quæ habuiſſe filium aſſerit, quam quæ negat.

*Cyaxares à Cyro adoptatus.*

h Dan. 9.

Et de Dario Medo hoc anno nato iam ſatis; cui cognomen Medi datum fuit ad differentiam Darij Hiſtaſpis. Darij Nothi, Darij filij Arſami, quem clades à magno Alexandro accepta fecit illuſtrem, quos memorat D. Hierony. in c. 7. Daniel. in reliquis Perſarum regibus.

*Cur dictus Medus.*

## ANNVS MVNDI 3455. & 56. QVINTAE AETATIS 516. & 517. IOSEDECI PONTIFICIS 9. & 10. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 20. & 21. DESOLATIONIS 9. & 10. NABVCH. 27. & 28. QVI & 4. & 5. IMP. BABYL. 122. 123. OLYMPIAD. XLV. AN. 2. & 3. TARQVINII PRISCI 17. & 18. VRBIS COND. 154. 155.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 598. & 597.

I. *Erectio statuæ Nabuch. & ratio temporis.*



REFERO ad hoc tempus erectionem statuæ Nabuchodonosoris, & mirabilia illa, quæ eius occasione contigerunt, quæ Daniel. 3. referuntur, quæ Torniel. ad fin. anni 34. Nabuchod. distulit, ducta ex Iosepho coniectura. Sequar potius Theodoretum, & D. Hierony. quorum ille agens de prædicta expositione somnij. *Admiratus est*, inquit, *propheta sapientiam, & eius Deum, authorem rerum omnium Deum esse confessus est, sed breui interiecto tempore ad ingenium suum redit, quemadmodum canis ad proprium vomitum, & constituit imaginem auream*, &c. & ca. seq. *Danieli Thus & libamina, præcepit offerri: sed rursus haud multo interiecto tempore imaginem illam erexit.* D. autem Hierony. *Velox*, inquit, *obliuio veritatis, vt qui dudum seruum Dei quasi Deum adorauerat, nunc statuam sibi fieri iubeat, vt ipse adoretur in statua.* Eosdem sequitur & Perer. in 3. Dan. & Funct.

II. *An 18. Nabuchod.*

At Theodoretus ipse, inquies, recitat textum 70. vbi habetur factam hanc statuam anno 18. quam lectionem agnoscit D. Ioan. Chrys. in homil. de his tribus pueris; & nunc quoque habetur in edit. Xisti. Respondeo certum videri quod affirmat Perer. mendum in eum numerum irrepsisse. Præcedens enim historia istam omnino antecedit; nam c. 3. v. 12. dicitur, viri Iudæi quos constituisti super regiones contempserũt decretum tuum: at constituti fuerant post declaratum à Daniele somnium. Quod si ea historia 25. regni Nabuchod. contigit, vt ibi probatum est, quomodo hæc quæ posterior est potuit anno 18. contigisse? Deinde hæc erectio statuæ facta est post desolationem Hierosolymorum, vt patet ex v. 38. vbi Azarias in medio ignis ait, *& non est in tempore hoc princeps, & dux & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque locus primitiarum.* Quod de anno 18. Nabuchod. dici non potest. Nam templum adhuc stabat, quod initio 19. euersum est: viuebat adhuc Sedecias & Saraias. De anno 18. Monarchiæ multo id minus dici potest, quia ferinam eo tempore vitam ducebat in syluis. Si ergo manifestum mendum coniectura corrigendum est, putarem pro 18. 28. substituendum esse. Sic enim sententia Theodoreti & D. Hierony. de breuitate temporis inter vtramque historiam confirmabitur. Nec videtur sane minus temporis ad tantæ molis constructionem requiri, præsertim cum materiæ excellentia, & finis operis exactissimam artificum diligentiam, & industriam requireret, certe Colossum Rhodium 12. annis effectum scribit Plinius 34. 7.

*Aut potius 28. ω. pro ιη.*

III. *Quæ causa excitandæ statuæ.*

De causa erigendæ statuæ, diuersi diuersa sentiunt, quos tamen omnes recte sentire arbitror. Pluribus enim de causis potuit eam erexisse, prima vt ipse adoraretur in statua, vt ex D. Hieron. retulimus. D. quoque August. tract. 11. in Ioan. ait Nabuch. se in statua pro Deo adorari voluisse. Autor item Mirab. sacræ scr.[a] Significat D. Ambros. l. de pœnit. c. 16. & Chrysost. hom. 4. in Matth. quod probant Pererius, Sanctius, & Maldon. quia audierat se per caput aureum significari, qui tamen addit se minime repugnare, quo minus aut Belo, aut cuipiam alteri deorum illorum excitata dicatur, fortasse vt Deos suos, eius in verum Deum religione ac propensione offensos, nouo honoris genere placaret. Putat etiam Perer. ab eo factam, quò suam opulentiam ac magnificentiam ostentaret. Theodoretus ait eum cum Deo quasi certamine inito, statuam magnificentiorem, &

[a] L. 2. c. 31.

magnitudine & nobilitate materiæ erigere voluisse ea, quam ei Dominus in somnis demonstrarat; vigente videlicet adhuc admirabilis somni memoria, quod ipsum facit ad confirmandam prædictam temporis, inter vtramque historiam, breuitatem.

SVSPICATVR etiam Maldon. leuem regem, & superstitioni deditum à Chaldæis persuasum, vt omen illud transferendorum regnorum, quod Daniel per statuam illam quadriformem portendi dixisset, statua alia contraria in contrariam partem auerteret: propterea non ex multis metallis, qualem viderat, sed ex auro tantum, eamque ingentis magnitudinis fabricasse, vt significaret se solum totius orbis Monarcham futurum esse. Denique declarare voluisse pœnitere se habitæ Danieli fidei; vt satisfaceret Chaldæis fortasse murmurantibus, quod Iudæus factus esse videretur. IV. *Videtur inductus à Chaldæis.*

ILLVD etiam non parum probabile videtur, Chaldæos regem ad hanc statuæ erectionem sua sponte propendentem incitasse, tum alias ob causas tum ob eam maxime, vt Sidrach, Misach & Abdenago, quos prouinciarum operibus præfectos esse dolebant, insidias pararent; vnde postea dicunt v. 12. *Sunt ergo viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis Sidrach, Misach & Abdenago, viri isti Rex contempserunt decretum tuum, deos tuos non colunt, & statuam auream quam erexisti non adorant.* Addit R. Saadias positam statuam in regione in qua Sidrach, Misach, & Abdenago habitabant. Sciebant enim eos non posse in alio crimine deprehendi, quam in Chaldaicæ superstitionis contemptu. Et huic opinioni fidem facit, quod postea iidem Chaldæi Danieli insidias generis eiusdem struxerunt, vt constat ex c. 6. & notarunt Maldon. & Sanctius. *In perniciem sociorum Danielis.*

FECIT ergo Nabuchod rex statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorũ sex, & statuit eam in campo Dura prouinciæ Babylonis. Fortasse hæc tanta altitudo comprehendit etiam basim aliquam, vel aram suppositam statuæ, ipsi debita proportione congruentem. Quod si præter altare, vt videtur probabilius, ipsa sola statua fuit altitudinis 60. cubitorum, id est nonaginta pedum, mirabilis fuit singularum partium magnitudo, & auri pondus incredibile: quamuis ex auro solido eam conflatam minime credibile videatur: sed vnius vel duorum fortasse crassitudine digitorum; alia lapidea statua, vel lignea potius ad operis firmitatem intus inclusa. Nam S. Chrysost.[a] *Nabuchodonosor*, inquit, *statuam quondam erexit è ligno, & mortua corporis imagine magnam scilicet famam aucupaturus, ac viuus à re non viua claritatem mutuaturus*, & eam videlicet crassis auri laminis obtexit, vt putant Pererius & Sanctius. V. *Magnitudo statuæ.* *Non fuit solida.*

a Hom. 4. in Matth.

DE partium magnitudine non ingratum erit lectori, si hîc quæ ea de re scripsit Pererius attexamus. Is ergo obseruata partium corporis ad totius magnitudinem proportione, ex idoneis scriptoribus, ita concludit. *Ex quo facile est intelligere quanta fuerit in illa statua principalium eius partium magnitudo. Etenim facies illius statuæ longa erat sex cubitos, paremque ambitus frontis magnitudinem habebat*, id est longitudo frontis, cum vtraque ad vtrumque tempus inflexione. *A mento ad nares duo cubiti, totidem hinc vsque ad supercilia, totidem item inde vsque summam frontem. Longitudo nasi erat duorum cubitorum, foramen eius tertiam partem vnius cubiti, seu dimidium pedem continebat; ambitus oris & cuiusque auris quatuor erat cubitorum; totidem & longitudo colli, Pectoris longitudo, & latitudo fere decem cubitorum. Longitudo femorum, & crurum circiter 29. longitudo pedis cubitorum decem, totidem fere longitudo brachij, itemque cubiti. manus vero longitudo, sex cubitorum.* Sic Perer. rudi tamen, vt ipse ait, & adumbrata descriptione. Potest & hoc modo designari Assurgat Cæsaries à fronte ad summum verticem cubitum vnum, sit facies sex cubitorum: longitudo colli 4. Pectoris vsque ad coxendicem 12. quæ ad genua vsque 20. cubitis protendatur: dentur inde tibiæ cubiti 15. talo autem duo, fient omnino cubiti sexaginta. VI. *Quæ partium magnitudo.*

1
6
4
12
20
15
2
60

QVOD si cubiti Babylonici, vt scribit Herod. in Clio, dum muros Babylonios metitur, tribus digitis mediocribus, & communibus maiores erant, cum Rhodius Colossus fuerit 70. cubitorum altitudinis, vt scribit Plin.[b] sexaginta cubiti Babylonici, illis adæquate respondebunt, assignando cuique cubito pedem vnum cum ⅙. At de Colosso illo sic scribit Plinius. *Ante omnes autem in ad-* VII. *Fuisse parem Rhodio Colosso.*

| | |
|---|---|
| 60 | 70 |
| 21 | 18 |
| 60 | 560 |
| 120 | 70 |
| 1260 | 1260 |

b l. 34. c. 7.

*miratione fuit Solis Colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius Lysippi discipulus, Septuaginta cubitorum altitudinis fuit, id est 105. pedum, vt Festus explicat. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum; sed iacens quoque miraculo est, pauci pollicem eius amplectuntur, maiores sunt digiti, quam pleraque statuæ*, &c. Quæ de statua quoque Nabuchodonosoris dicta sunto. Quod tamen dicit, pauci pollicem amplectuntur, nimiam habet hyperbolem. Nam si manus 10. pars est totius longitudinis corporis, vt Vitruuius, [a] aliique tradiderunt, certe tota manus non potuit, nisi sex cubitorum habere longitudinem, quanta est & longitudo faciei; latitudo autem manus, siue quinque digitorum, ad summum est dimidium longitudinis, ideoque erit trium cubitorum. Si ergo quinque digiti trium sunt cubitorum, quomodo verum esse potest pollicem Colossi Rhodij paucos amplecti potuisse? imo puto plerisque brachium amplecti licuisse.

*Quem Plinius nimis amplificat.*

*a l. 3. c. 1. & ibi silandes.*

VIII. *Conuocantur, & conueniunt omnes.*

CONSTRVCTA iam statua, congregauit Nabuchod. omnes satrapas & magistratus, & iudices & præfectos, omnesque principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuę, vt hi scilicet vniuersos populos ipsi subiectos repręsentarent: sed multo magis vt Hebræis, operum prępositis, quibus vel interitus, vel à vera religione defectio parabatur, abesse non liceret. Alioqui nihil opus erat, pręsertim sub tam graui pœna, adorationem statuæ aureæ præconis voce denunciari: *si quis*, inquit, *non procidens adorauerit, mittatur in fornacem ignis ardentis*, cum Babylonij, atque Iudæi ipsi plus satis ad cultum simulacrorum essent propensi. Babylone tamen huius flagitij abstinentiores fuerunt, vt supra ex Ieremia dicebamus. Quò pertinet illud Baruch. [b] *Populus*, inquit, *dura ceruice conuertetur ad cor suum in terra captiuitatis suæ: & scient quia ego sum Dominus Deus eorum, & dabo eis cor, & intelligent, aures & audient. Et laudabunt me in terra captiuitatis suæ, & memores erunt nominis mei, & auertent se à dorso suo duro, & à malignitatibus suis*, &c.

*b c. 2. v. 30.*

IX. *Etiam socij Danielis.*

CONVENERVNT cum reliquis Sidrach, Misach & Abdenago, non quidem adoraturi statuam, sed ne absentia sua regem offenderent, & ostenderent potius se, quatenus eis liceret, paratos esse regi obtemperare. Cumque timidiores aliqui Iudæorum idololatriæ isti manus darent, pleriq; etiã Danielis, Ezechielis, Baruchi vocibus incitati, essent pietatis retinendę studiosi, nec tamen satis ad cruciatus ferendos generosi, latebras quærerent, venerunt tres isti diuinæ gloriæ zelo succensi, qui se morti potius, quam impiæ obedientiæ paratos offerrent. Sed quid Daniel ipse? Certe vel non adfuit, vt putat Sanctius, vel vt alij malunt, cum rege fuit, vt qui summa cum eo familiaritate cõiunctus esset; qui cum suam ipse statuam non adoraret, Daniel eum honestis sermonibus detinebat. Nec tamen cum reliquis accusatus est, aut quia propter excellentem virtutem diligebatur ab omnibus, aut quia propter eminentem authoritatem, & gratiam apud regem, omnibus erat venerationi: aut certe cum prima die abfuisset (nam pluribus diebus adorationẽ durasse existimat Sanctius) magnitudine miraculi, quod in sociis eius accidit, mutatus est animus Nabuchodon. nec ipse posterioribus diebus, aut cæteri Iudæi ad eandem ceremoniam euocati sunt.

*Quid ipse Daniel.*

X. *Accusantur eius socij.*

PROMVLGATVM est edictum, insonuerunt tubæ, omniaque instrumenta musica, quæ ad magnificentiam dedicationis magno studio, numerò, varietate præparata fuerant; prociderunt in terram populi, & adorauerunt statuam aureã. *Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusauerunt Iudæos* Quod est manifestum indicium accusatores istos intentos fuisse in tres istos viros quos perditos cupiebant, cum non sit improbabile adfuisse quoque alios Iudæos, qui impiæ iussioni non obtemperarent: sed inuidia in istos peculariter exarserat, eo quod viderẽt ipsos in dignitate constitutos, vt tangit etiam D. Hier. Accusant autem apud regem contemptæ iussionis, & ad exaggerandum crimen, addunt etiam reorum ingratitudinem in regem ipsum, qui eos quamuis captiuos & alienigenas, imo etiam hostes, atque fœdifragos, in eximios dignitatum gradus extulisset, & ciuibus ipsis atque domesticis antetulisset. *Sunt*, inquiunt, *viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago, viri isti Rex contempserunt decretum tuum: deos tuos non colunt, & statuam auream quam erexisti non adorant.*

XI. *Vnde noti contemptores iussionis.*

FACILE fuit id animaduertere, cum cæteri in terram procumberent, ipsi

erectis corporibus starent, aut cõuerso etiam aliorsum vultu, profanum cultum auersarētur, aut fortasse ne à verbis quidem temperarent, quibus alienum ab ea impietate animum proderent. Cæterum sæpe in hoc capite, & à Chaldæis, & à Rege ipso viri appellantur, pueri nunquam; & reuera viri erant, & præfecturas gerebant, quæ pueris, aut adolescentibus non traduntur, & trigesimum circiter annum agebant, & minimum vigesimum septimum annum Babylone, vel in Chaldæa agebant; à primo scilicet anno Nabuchodonosoris, quo cum Ioakimo & Daniele abducti sunt obsides. Vulgo tamen, & sæpe à D. Hier. & Cypriano infra pueri appellantur, vt notat Perer. respectu habito ad eam ætatem, qua capti ductique fuerant in Babylonem. Cum autem dicunt, ait Maldon. *Deos tuos non colunt*, opprimunt eos non solum recenti, sed veteribus etiam criminibus. Et quod ante religionis causa ausi non erant obiicere, nunc occasione violati edicti regis obiiciunt; sciebant enim reges seuerius in suarum, quam in diuinarum legum violatores animaduertere solere.

XII. *Arguit eos rex, & graues intentat minas.*

AVDITA accusatione Rex ira succenditur, accersit reos, inquirit de crimine, terret propositi supplicij magnitudine, & graui in Deum blasphemia concludit orationem suam dicens.[a] *Et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea?* Demens qui eius non solum sapientiam in reuelatione secretorum expertus erat, sed potentiam à Daniele didicerat, in distributione, commutatione, & euersione regnorum, atque imperiorum.

*Iudæi constanter respondent regi.*

Respondent vice versa Iudæi, nihil esse opus consultatione ad quæstionem propositam, cum constet præcepto sacrilego principis, quod in Dei redundet iniuriam, minime obtemperandum esse: blasphemiam autem repellentes aiunt. *Ecce Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô Rex liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.* Rex Dei potentiam negauerat, Iudæi dubiam tantum voluntatem relinquunt: cui totos sese committunt: simul etiam Regi erroris occasionem præcidunt, si Deus eos ex incendio noluisset eripere, ne id ille tribueret infirmitati potius, quam prouidentiæ diuinæ, quæ nouit quando expediat gloriæ suæ, & hominum saluti naturæ legib. res ipsas inanimes soluere.

XIII. *Qui eos damnat incendio.*

TVNC Nabuchodonosor repletus est furore, *& aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, & Abdenago.* Indignissimè enim ferebat sibi in faciem resisti, totique populo regij contemptus exempla præberi; ad quem à talibus ausis absterrendum, *præcepit vt succenderetur fornax septuplum, quam succendi consueuerat.* Neque videbat factus impos animi præ iræ feruore, quo maius futurum erat incendium, eo promptius pœnis exemptum iri, quos vehementissime punitos, cruciatosque cupiebat. Sed diuina prouidentia permisit tantum incendium à rege imperari, vt tanto esset illustrius miraculum quod parabat. Significant autem hæc verba ordinarium apud Chaldæos supplicium reorum fuisse, vt in ardentem fornacem, viui proiicientur: quod Abrahamo quoque olim contigisse Hebræi sibi persuaserunt, quos suo loco refutauimus.[b]

XIV. *Mittuntur in fornacē.*

ET *viris fortissimis de exercitu suo iussit, vt ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentis. Et confestim viri illi vincti, cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis. Nam iussio regis vrgebat*, &c. quæ scilicet ne spatium quidem exiguum dabat carnificibus eos superioribus vestimentis exuendi. Nam braccarum nomine extimam vestem ornando magistratui destinatam, sicut & tiaram hoc loco intelligi putat Sanctius. Etsi alibi passim femoralia significent. *Porro viros illos*, ait propheta, *qui miserant, Sidrach, Misach, & Abdenago interfecit flamma ignis. Viri autem hi tres ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati.*

XV. *Et quæ in ea miracula.*

HIC iam cepit apparere diuina potentia, cui rex insultarat: cum in ministros regij furoris misit incendium; vt vel ipsa diuinæ celeritate vindictæ omnes intelligerent, Deo elementa seruire, siue ad puniendum impios, siue ad parcendum piis; etsi istos potius, qui in medium fornacis septuplum accensæ missi fuerant, exuri consentaneum fuisset, quam eos, qui ad oram tantum fornacis accesserant; & illi vincti essent, vt ab incendio euadere non possent; isti soluti, vt se quantocius periculo eriperent, & tamen isti puncto temporis flammarum globis inuo-

[a] c. 3. 15.

[b] an. mun. 2086 nu. 2. & 3.

luti conflagrarunt, illorum ne vestes quidem aut capilli vstulati sunt. Accessit etiam ad miraculi magnitudinem, vt cum ne capillus quidem esset adustus, vincula tamen vel combusta, vel dissoluta fuerint, vt videretur ignis ad eis seruiendum comparatus, non ad molestiam inferendam.

XVI. Ex Hieronymo, Chrysostomo, Theodoreto.

Grande *miraculum*, ait Hierony. *ligati mittuntur in fornacem, & cadunt in medium ignis præcipites, ardent vincula, quibus ligati sunt, & vinctorum corpora timens flamma non tangit.* Et iterum. *O quam sapiens ignis, quam inenarrabilis Dei potentia, vincula stricta sunt corpora, vruntur vincula, corpora non vruntur.* Copiosius D. Chrysost. hom. 4. ad pop. Ant. *Ignis murus illis factus est, & vestis flamma, & fons fornax, & ligatos capiens solutos reddit, mortalia excepit corpora, & tanquam ab immortalibus abstinuit: non agnouit naturam, sed pietati reuerentiam exhibuit: vinxit pedes tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt. O rem mirabilem vinctos soluit flamma, & ipsa à vinctis vincta est*, auget miraculum Theodoretus, qui ipsa vincula ferrea igne consumpta dicit. *Nam*, inquit, *circumiecta ipsis ferrea vincula vsitato more ignis natura dissoluit; indumenta autem, quæ admodum facilia ad comburendum essent, integra & illæsa conseruauit.*

XVII. Oratio Azariæ, & canticum esse Scripturam canonicam.

Seqvitvr deinceps oratio Azariæ, qui Chaldæis dicebatur Abdenago; & Canticum, quod hi tres quasi vno ore in fornace cecinerunt: de quibus litem intenderunt ecclesiæ Catholicæ hæretici, Iudæos secuti, quibus, quantumuis hostibus, de sacris voluminibus, quam ecclesiæ Christi credere maluerunt. Sed omnibus Christi fidelibus instar omnium rationum, & autoritatum esse debet Ecclesiæ, in œcumenica synodo cõgregatæ, definitio, quæ omnes ex æquo libri Danielis partes probat, & vt diuinam scripturam agnoscit atque amplectitur. Et sanctissimi atque antiquissimi patres, quorum plerosque Bellarm. [a] Iamdudum retulit, vir de religione Catholica præclare meritus, qui hunc hymnum, vt scripturam canonicam referunt, in quibus S. Cyprianus, S. Athan. & S. Augustinus, quorum præclara verba non pigebit adscribere. a l. 1. c. 9.

XVIII. Itáque à Patribus iudicatam, Cypriano.

Hanc *orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi, consonantes in prece, & spiritus consensione concordes. Quod declarat scripturæ diuinæ fides, & dum docet quomodo orauerint tales, dat exemplum quod imitari in precibus debeamus.* Audis trium puerorum orationem, à D. Cypriano scripturæ diuinæ fidem appellari? vbi pergit illam vnius oris orationem celebrare, & ex ea non secus institutum suum probare, quam ex Psal. & Act. Apostolorum. Et rursum serm. de lapsis. *Ananias*, inquit, *Azarias Misael, illustres ac nobiles pueri, quo minus exomologesin Deo facerent nec inter flammas, & camini exæstuantis incendia quieuerunt; bene sibi licet conscij, & Dominum fidei ac timoris obsequio sæpe promeriti, humilitatem tamen tenere, & Domino satisfacere nec inter ipsa gloriosa virtutum suarum martyria destiterunt, loquitur scriptura diuina. Stans, inquit, Azarias precatus est, & aperuit os suum, & exomologesin faciebat Deo simul cum sodalibus suis in medio ignis.* Nihil clarius ad Iudaizantium ora verberanda. Idem in lib. de laude Martyrij, eandem historiam tanquam sacram copiose persequitur, & eodem loco, quo reliquas scripturas recenset, vbi inter alia. *Sic in camino pueris constitutis, in se arsit incendium, dum ignes iusti tolerant, quod de gehenna Domino credendo metuebant*, &c.

XIX. Athanasio.

S. Athanas. in synopsi vbi de Daniele. *Narrat etiam*, idem scilicet Daniel, *de martyrio Sidrach, Misach, & Abdenago, déque illorum hymno, & quod ipsi quidem seruati in igne, succensores vero fornacis à flamma consumpti sint, & regem facti pœnituerit*, & paulo post. *Isti sunt libri canonici veteris testamenti, num. 22. ad numerum literarum Hebræarum computati.* Sic D. Athan.

Augustino.

D. Avgvst. in lib. de natura boni contra Manich. ex hymno trium puerorum probat dogma fidei, nullam naturam esse malam. *Vnde*, inquit, *& in hymno trium puerorum etiam lux & tenebræ laudant Deum, id est eius laudem in bene considerantium cordibus pariunt. Non ergo mala est, in quantum natura est, vlla natura*, &c. & l. 2. contra Petilil. [b] cum hoc loco vteretur Petilianus contra August. iste nihil excepit de libro, aut historia nõ canonica, sed ea ipsa ad eum refutandum vsus est. Vtitur & b c. 9.

Tertulliano.

Tertul. aduersus Hermogenem sub fi. vbi vide doctiss. Pamelium, & Perer. in 3. Dan. sicut & Maldon. qui totam orationem hanc pluribus Hebraismis scatere docet, vt dubium non sit eam à Daniele prius scriptam Hebraice, vt ait Athan. & amissam in Theodotionis translatione retentam, atque ab vniuersa ecclesia perpetuo fuisse vsurpatam: vide & Sanctium in Danielem. [c] c Proleg. 7. & 9.

Sed in ea oratione ac cantico non est quod diutius immoremur, ad historicam narrationem gradum facientes, si illud attigerimus, ea verba quæ ad rationem temporis pertinent; [a] *Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta*, &c de Ierusalem intelligenda esse. Nam Babylone Ioachinus erat Iudæorum legitimus princeps, & propheta Daniel, & Baruch, & Ezechiel, & summus sacerdos Iosedec, & post eum Iesus filius eius. Itáq; sentit Maldonatus, & Sanctius, qui hæc negari ait fuisse, quòd contempta iacerent, & nihili fierent.

[a] v. 38.

XX *An nullus hoc tempore princeps, propheta, & sacerdos.*

Interim autem dum orabat Azarias, [b] *non cessabant ministri regis succendere fornacem naphtha, & stuppa, & pice, & malleolis, & effundebatur flamma super fornacem cubitis 49. & erupit, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace*, secreuit videlicet ac separauit è medio, quæ in latera erumpens, vicinos Chaldæos spectantes, vel ministrantes succendit. Sequitur, *& fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem*, vt eum locum ventus rore madens perflare videretur; adeo vt ibi cum iucunditate manerent. Nam *non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, neque quicquam molestiæ intulit.* Apparuit autem specie visibili in fornace Angelus, vnde post hymnum decantatum intuens in fornacem *Nabuchod. Rex obstupuit, & surrexit propere, & ait optimatibus suis, nonne tres viros misimus in mediū ignis compeditos? qui respondentes regi dixerunt, Vere Rex: Respondit, & ait, Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.*

[b] c. 3. 46.

XXI. *Angelus in fornace apparet.*

Plerique è S. Patribus, quos recenset Perer. in hunc locum, hunc qui dicitur similis filio Dei, Christum Dominum esse putauerunt, qui ante carnem assumptam, quomodo angeli solebant, appareret, & se quodammodo ad futurum redemptoris officium exerceret Quod tamen hoc loco nō satis probat D. Hier. *Speciem autem quarti*, inquit, *quem similem dicit filio Dei, vel angelum debemus accipere, vt 70. transtulerunt, vel certe, vt plerique arbitrantur, Dominum Saluatorem. Sed nescio quomodo rex impius Dei filium videre mereatur*, &c. At dispensationis diuinæ fuit, non meriti, quod viderit eum in adumbrato corpore, quem in vero & proprio vidit Herodes, & Pilatus, & Annas, & Caiphas, nihilo Nabuchodonosore meliores. Quin & omni improbitate & indignitate maior diabolus ipse, qui eum etiam ex eremo in templum, & montem excelsum circumtulit.

XXII. *An filius Dei in igne apparuerit.*

Verum cum communior sit doctorum sententia, apparitiones quæ ante incarnationem Domini factæ sunt, per angelos fuisse factas, & quartus iste semel atque iterum vocetur angelus; & non filius Dei, sed similis filio Dei appelletur, recte affirmare possumus hunc quoq; sub humana specie angelum fuisse, quem propterea Nabuch filio Dei similem vocat, quod humanam pulchritudinem excederet, quales ipsi Heroes suos deorum filios fingebant. Hinc illa.

XXIII. *Aut Angelus potius.*

*Filij Dei Ethnicis, & Hebræis.*

*Restitit Aeneas, claraque in luce refulsit*
*Os humerosque Deo similis*, &c. Et rursum.
*O quam te memorem virgo, namque haud tibi vultus,*
*Mortalis, neque vox hominem sonat, ô dea certe.*

Eadémque Hebræorum sententia est, qui homines & angelos forma præstantes, filios Dei appellare solent, vt ex Rabb. notauit Maldonatus.

Tunc [c] *accessit Nabuchod. ad ostium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi, egredimini & venite.* Neque enim flamma, quam fornax euomebat, egredientibus magis nocitura erat, quam in media fornace inambulantibus. *Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis*, flamma eis vbique cedente. Non nocuit ignis appropinquanti regi, neq; egredientibus iuuenibus, quia etiam tunc ignis agnitioni miraculi, & solutioni sacræ huius fabulæ seruiebat. *Et congregati satrapæ, & magistratus, & iudices, & potentes regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitis eorum non esset adustus, & sarabala eorum*, vestis scilicet extima, Sanctio, aliis femoralia, *non fuissent immutata, & odor ignis non transisset per eos.* Hæc est agnitio mirabilium Dei, vbi vides gradationem, à corpore ad vestes, ad capillos, ad odorem vsque ignis: sequitur peripetia siue commutatio fortunæ.

[c] v. 93.

XXIV. *Educuntur viri de fornace.*

Dubium autem est an hoc miraculo Nabuchod. non solum Dei potentiam agnouerit, & prædicarit, sed etiam abiecto inanium deorum cultu, ad Deum

XXV. *An Nabuchod. vere ad Deum nunc fuerit conuersus.*

plane conuersus sit, & aientem partem sequitur Perer. qui hic describi ait subitam, sed miram regis huius conuersionem, ex superbia ad humilitatem, ex feritate ad mansuetudinem, ex impietate ad pietatem, denique ex insania ad saniorem mentem: aitque D. August. ac Hieron. aliosque patres hanc conuersionem tanquam ex animo syncero, pioque profectam, agnoscere, & commendare. Sed id ex hoc loco satis probari non potest. Nam honorifice ille quidem de Deo loquitur, sed tanquam de Deo alieno, non autem suo ait: enim. *Benedictus Deus eorum, qui misit angelum suum*, filium Dei ante vocauerat, *& eruit seruos suos, qui crediderunt in eum: & verbum regis immutauerunt*: non facientes videlicet quod ille iusserat, & regem ad decreti sui mutationem adducentes; *& tradiderunt corpora sua*, morti crudelissimæ, *ut seruirent, & ne adorarent omnem Deum*, id est vllum Deum, *excepto Deo suo.*

*Non videri ex Scriptura.*

XXVI. *Et patribus, Theodoreto.* Theodoretvs, hoc loco, *Cum furore insaniisset contra eos, qui se Deo dicarant, sensit & infinitam Dei virtutem, & ineffabilem illius longanimitatem, qui suos famulos integros, & illæsos conseruauit, & ab ipso interim nullas insaniæ pœnas exegit, sed in impietate degere perseuerantem, paulo post mediocriter puniuit; tum pœnitentem sua clementia dignatus est.* Ad hoc vtique tempus pertinet illa perseuerantia in impietate, punitio ad vitam ferinam, & clementia ad vitam æternam, qua de re postea dicendum erit.

*Hieronymo* D. Hierony. ait eum rursum Dei recipere confessionem, & damnatis idolis laudare tres pueros. Verum quemadmodum prior illa confessio non fuit perfecta conuersio, sed inchoata duntaxat, sic neque hæc; neutróque in loco idola abiecit, sed vero Deo postposuit, cum ait, *vere Deus vester Deus deorum est*: & nunc, *neque enim est alius Deus, qui possit ita saluare.* Nec aliud sensit Augustinus, cuius hæc est oratio. [a] *Cum ad fornacem tyrannus festinanter accederet, stupet laudem, miratur factum, veneratur Deum cum tribus pueris*, & mox, *quo visu territus, furori addit lenitatem, fit repente confessor, qui nuper fuerat persecutor, prædicat quem paulo ante negabat, venerari præcipit, quos venerantes damnauit. Exite, inquit, serui Dei excelsi, nunc me defensorem Dei profiteor, cuius inimicum fuisse constat, vt cuius seruos ignarus persequebar, eius inimicos vt defensor vlciscar.* Hæc August. quæ omnia citra repudiationem idololatriæ, ex vero in Deum affectu & veneratione dicta esse potuerunt.


*a Serm. de temp. 240. to. 10.*

XXVII. *Ratione confirmatur.* Maldon. quoque ex duobus colligit eum non omnino, sed ex parte tantum aliqua, ad veri Dei cognitionem traductum. Primum quod non iubeat populum Deum colere, aut saltem libere permittat; sed tantum pœna proposita edicat, ne quis in illum conuitia de more iactet, ait enim. *A me propositum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua, quæcunque locuta fuerit contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur*, id est publicetur, aut regio fisco addicatur: vel vt est in Chaldæo, in frusta fiat, siue dilaceratur membratim, & domus eius in sterquilinium, siue publicam latrinam conuertatur. Secundò quod non confiteatur nullum omnino alium præter illum esse Deum, sed tantum, miraculi magnitudine conuictus dicat nullum alium Deum esse, qui possit ita saluare, quam sententiam Sanctius quoque complectitur. Cæterum decreti verba, ad prohibendas in Deum blasphemias, non recitantur à propheta, qui sententiam illius posuisse satis esse duxit. Alterum autem decretum quod propter interpretationem somnij, quod cap. seq. habetur, à Nabuchodonosore factum est, inseruit in suam prophetiam Daniel, quod illo tota rei gestæ historia contineretur. Eiusque initium in extremo hoc capite continetur. De quo cum reliqua historia dicendum erit suo tempore.

XXVIII. *Conclusio historiæ.* Finis autem præcedentis historiæ illis verbis continetur. *Tunc rex promouit Sidrach, Misach, & Abdenago in prouincia Babylonis.* Vt scilicet qui præfecti tantum fuerant operum in prouincia, nunc fierent iudices, & præpositi prouinciarum, vt ait D. Hierony. In 70. Xisti additur, *& amplificauit eos, & dignos habuit ipsos, qui præessent omnibus Iudæis, qui in regno suo*: quæ verba etiam Theodoretus agnoscit. Sicque impiorum inuidia, artesque nefariæ ad perdendos innocentes, ad maiorem Dei, & ipsorum gloriam cesserunt: & rex ipse, qui Deum ante contempserat, magnificis eum verbis honorauit, & qui eius cultores flammis perdere voluerat, nunc eius contemptores statuit in frusta discerpere, & infamia notare sempiterna.

## SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 3456.

1. N. VII. Dicamus etiam aliquid de auri pondere. scribit Eupolemus apud Euseb. columnas duas templi, multum in scriptura celebres, auro vnius digiti crassitudine obtectas fuisse. quas 3. Reg. 7. 15. legimus fuisse 18. cubitorum altitudinis, & addita trabeatione sua 25. & sex cubitorum lineam singulas ambiuisse. Villap. ergo To. 2. p. 2. l. 5. c. 37. multa supputatione reperit in vtraque columna auro tegenda expensa fuisse auri talenta 5758. lib. 21. vnc. 10. quibus si addas vnam quintam partem, vt peruenias ad 60. cubitos, fient fere 6910. talenta auri, quibus singulis attribuendo 125. libras. & libras singulas centum aureis æstimando, euadet summa ad 86. miliones 375. millia aureorum. Sed quid hoc ad prædas Niniues, & Alexandriæ & Hierosolymorum, & tot aliarum clarissimarum vrbium, atque prouinciarum? quæ summa, minimum duplicanda esset, quia ambitus corporis Colossi non erat sex cubitorum, vt columna, sed diameter tantum. At linea ambiens medium corporis erit fere triplo maior, & gracilitatem reliqui corporis brachia compensant. Sed de his iam satis.



## ANNVS MVNDI 3457. QVINTAE AETATIS 518. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 22. DESOLAT. ET IOSEDEC. PONTIFICIS II. NABVCHODONOSORIS 29. QVI & 6. IMPERII BABYLONIORVM 124. OLYMPIAD. XLV. AN. 4. TARQVINII PRISCI 19. VRBIS CONDITÆ 156.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 596.



AD hunc circiter annum possumus reuocare Ezechielis prophetiam, quæ cap. 37. continetur, quæ nullam habet temporis notam, sicut nec quæ habetur c. 38. & 39. Nam cum mediæ sint in ter eas, de quarum temporibus satis constat, ad medium, interiectumque tempus non temerè referri possunt. In quibus tamen non est nobis immorandum, quod historiam gestæ rei non contineant. Nam 37. quod mysterium resurrectionis videtur continere, in spiritu prophetico, & in visione, non autem reipsa contigit, vt consentiunt interpretes. In quibus D. Hierony. contendit illam visionem de resurrectione scriptam non fuisse, sed per resurrectionis parabolam de restitutione Israël prophetari, qui hoc tempore captiuus erat in Babylone. *Totaque*, inquit, *illò tendit asserti o, quod quomodo videtur incredulum, vt ossibus aridis, & multa vetustate confectis, futura resurrectio promittatur, & tamen futurum est quod promittitur: sic & restitutio populi Israel, qui du ctus est in captiuitatem, & toto orbe dispersus, videtur quidem incredibilis iis, qui Dei potentiam non norunt, sed tamen futura est, quia ego, inquit Dominus, locutus sum, & faciam sicut pollicitus sum.* Sic D. Hierony. cui Vatabl. Sanctius & Maldon. consentiunt, id que ex applicatione ipsius prophetæ, * apertum est. Addit etiam sub duorum lignorum figura, futuram per Christum tribuum Iuda & Israel in populo Christiano reconciliationem, & vnionem. I. *Propheta Ezechielis capitis 37.*


a v. 11. & 12.

CAPITIS porro trigesimi octaui, & trigesimi noni vaticinium, vnum enim atque idem est vtriusque cap. argumentum, & nouissima tempora intuentur, vt fere inter interpretes constare video, Vatabl. Sà, Maldon. Sanctium. II. *Vaticiniũ Gog, & Magog.*

Nam, vt recte notauit Maldon. in c. 38. Ezech. quamuis prophetæ plerisque in locis de sola Ierusalem, déque solo populo Iudaico agere videantur: longius tamen ad Ecclesiam Catholicam spectare solent, & ad finem vsque mundi attingere; quod vel maxime in hac prophetia Gog & Magog contingit. Cum enim Ezechiel superiori capite, sub figura liberationis Iudæorum à captiuitate Baby-

*De Ecclesiæ damnis.* lonica, liberationem à captiuitate diaboli, & ecclesiæ Catholicæ constitutionem prædixisset, vaticinatur nunc de futuris ecclesiæ calamitatibus sub diuersis tyrannis, præsertim sub Antichristo, quos omnes vocat Gog, eorumque terram Magog. Non quod ita vocandi sint, aut ex regione Magog erupturi; sed quod Barbari, immanes, crudeles, sicut Gog futuri essent. Cuius postremo describit interitum cum omnibus agminibus suis. Theodoretus in fi. 14. sect. in Ezech. multum refragatur iis, qui hanc prophetiam nondum impletam putant, idque Iudaicum esse, & fidei Christianæ perfectioni repugnare contendit.

III. *Res Iudaica in Chaldæa.* Hoc ipso tempore florebat Daniel cum sociis suis apud Nabuchodonosor gratia; & authoritate apud populum vniuersum. Baruch quoque populum suum in media captiuitate consolabatur, & labentes, vt nuper in adoratione statuæ, ad pœnitentiam adducebat, & reconciliabat Deo, & in vnius veri Dei fide, & religione confirmabat; sicut ab Ieremia ipsi mandatum fuerat: quod non est dubium à Daniele quoque, & sociis factitatum. Interea vero Habacuc in ruinis Iudææ, vt supra ex Epiphan. diximus, commorabatur, sicut & Sacerdos Ioaxim, & aliqui alij de plebe, vt ex Baruch dictum est.



ANNVS MVNDI 3458. QVINTÆ ÆTATIS 519.
IOSEDECI PONTIF. 12. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 23. DESOLATIONIS 12. NABVCHODONOSORIS 30. QVI ET 7. IMPERII BABYL. 125. OLYMP. XLVI. AN. 1. TARQVINII PRISCI 20. VRBIS CONDITÆ 157.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 595.

I. *Olymp. 46.*



HRYSOMAXVS Lacon Olympiadi quadragesimæ sextæ ineunti nomen dedit. Polymnestor autem in stadio puerorum victor effectus est; qui cum caprarum pastor esset, cursu leporem comprehendit; vt est in catalogo Olympionic. Huius Olympiadis anno primo, ciuitate Athenarum multis incómodis, & pestilentiæ morbo affecta, Epimenides Phæstij filius è Creta accitus Athenas venit, & ciuitatem peste laborantem sacrificiis expiauit; contractáque cum Solone amicitia, multis eum in rebus adiuuit, & illi viam ad leges ferendas muniuit, Plutar. in Solone, Euseb. in Chron. Laërtius in Epimenide, quem ait totos 77. annos obdormisse. Sigon. de Atheniensium temporibus. Circa hanc Olympiadem maxime floruit Solon, de quo anno eius *Sabbat. 125* tertio commodius dicemus. Incidit quoque in eius initia Sabbaticus Iudæorum annus, ordine 125. Est enim hic annus ab ingressu in Chananitidem 875. qui conflatur ex 439. ante fundatum templum, 424. quibus stetit, & 12. à quibus euersum est. *439 424 12 / 875.*

II. *Postrema cum Sabinis prælia.* Hoc circiter anno existimamus Tarquinij Prisci bella contra Sabinos, quæ authore Dionysio totos quinque annos perdurarunt, esse terminata. quo toto tempore, agri vtrimque mutuis excursionibus vastati sunt, multaque identidem commissa maiora minoraque prælia, in quibus Sabini rarius, Romani sæpius prospera fortuna sunt vsi, donec vltimum prælium supremam belli manum imposuit. Sabini non vt ante per vices Romanorum vires carpere atque atterere studuerunt, cum isti perpetuo in armis essent, illi nonnulla quiete reficerentur; verum vniuersi quantum militaris ætatis fuit in expeditionem sunt profecti. Romanæ quoque legiones omnes, accitis etiam Latinorum, Etru- *Dionys. l. 3. p. 198. gr. lat.*

scorum, aliorumque sociorum auxiliis, obuiam hosti processerunt. Sabinus imperator in bina castra suas partitus est copias, Romanus in terna non longe à se dissita: Rex ipse Romanis legionibus præerat. Aruntem fratris filium præfecit Etruscis auxiliis; Latinis, & cæteris sociis Seruium Tullium, & qui eius postea gener ac regni successor fuit.

III. *Tarquinij victoria.* VENTVM est ad manus, læuum cornu Romani, dextrum Etrusci, mediam aciem Latini occuparunt, tota die magna animorum contentione vtrimque pugnatum est, quasi decretorium esset illud prælium, quo alteruter populus imperium in alterum esset obtenturus. Tandem Romanus vt cæteris rebus par esset, continenti certe exercitatione fortior, victor euasit, stratisque multis viris fortibus, cæteris actis in fugam, magnū eorum numerum in fuga cepit, & vtrisque potitus castris, spoliisque admodum locupletatus, nullo prohibente agris late vastitatem intulere, demumque æstate exeunte domum victores reuertere. *Et triumphus.* Tarquinius tertium de Sabinis triumphum reportauit. Scribit Macrobius l. 1. Saturnal. Tarquinium hoc bello filium suum aut nepotem potius, vt Dionysio placet, quatuordecim annos natum, quod hostem manu percusserat pro cōcione laudasse, & bulla aurea, prætextaq; ornauisse, quæ inde insignia ingenuorum puerorum esse cœpisse, scribit Autor, qui virorum illustrium vitas compendio tradidit.

IV. *Pax cum Sabinis inita.* SEQVENTI autem anno, quem Tarquinij putamus esse vigesimum, cum Rex nouam pararet expeditionē, & Sabinorum vrbes obsidione cingere, atque expugnare cogitaret, nemo se illi generoso animo opposuit, sed vno consensu, priusquam subuersionis & seruitutis periculum adirent, de bello dirimendo, & pace penitus componenda agere decreuerunt, itaque venerunt singularum ciuitatum optimates ad Tarquinium aduentantem iam cum omni exercitu, & illi tam se quam sua oppida dediderunt, orantes vt æquas pacis conditiones proponeret. Eius deditionis formulam apud Liuium reperies sub nomine Collatiæ, & populi Collatini. Ex quo non pigebit hic pauca exempli causa describere. *Deditos*, inquit, *Collatinos ita accipio, eamque deditionis formulam esse. Rex interrogauit, Estisne vos legati, oratoresque missi à populo Collatino, vt vos populumque Collatinum dederetis? Sumus. Estne populus Collatinus in sua potestate? Est. Deditisne vos, populum Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtensilia, diuina humanaque omnia, in meam, populique Romani ditionem? Dedimus. At ego recipio.* Hactenus formula, cui non dissimilem habes apud eundem l. 7. Vide Alciatum lib. 1. παρεργ. ca. 14.

Lætus ille sine periculo sibi oblatum gentis imperium; pace data in societatem, & amicitiam eos recepit, eisdem legibus quibus Etruscos ante receperat; eisque captiuos sine pretio restituit. Itaque finis præliis à Tarquinio impositus est, neque enim alia eius bella memoriæ prodita sunt.

# ANNVS MVNDI. 3459. QVINTAE AETATIS 520.
IECHONIÆ ET TRANSMIG. 24. DESOLATION. ET IOSEDECI PONT. 13. NABVCHODONOSORIS. 31. QVI ET 8. IMPERII BABYLONIORVM 116. OLYMPIADIS XLVI. ANNO 2. L. TARQVINII PRISCI 21. VRB. COND. 158.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 594.

I. *Initium regni Astiagis.*



HOC anno trigesimo primo Nabuchodonosoris regnare cœpit Astyages, Darii Medi, qui Xenophonti Cyaxares, non natura, sed adoptione pater. Cum enim 35. annis regnarit, vt affirmant Herodotus, & Diodorus Siculus, à trigesimo primo Nabuchod. vsque ad vigesimum secũdum Euilmerodachi, quo anno eum mortuum fuisse existimamus, triginta quinque anni numerantur. Eusebius ei 38. annos regni tribuit, eumque Torniellus secutus est: nos maluimus prædictos Scriptores sequi. Multa de Astyage prædicti, aliique complures, quem celebrem reddidit Cyrus ex filia nepos. Cyrum autem Astyagis timor, eiusque perdendi cupiditas, diuinaque in primis erga eum conseruandum prouidentia illustrem reddidit; quæ eum nasciturí imperii principem, & populi sui libertatis vindicem destinarat. Eius ortum, quando certo loco non possumus, hic paucis decurramus.

II. *Cyri ortus.*

NOTVM est ex Herodoto, ex quo cæteri mutuati sunt, geminum visum Astyagis Medorum regis, de vrina Ecbatanam regiam Medorum, & totam inde Asiam inundante; vite quoque eandem omnem regionem inumbrante, quas Mandane filia eius ex suo corpore funderet; quibus ex magorum interpretatione perterritus, non contentus filiam iam nubilem Cambysi cuidam Persæ, viro sedati ingenii, & mediocris fortunæ in matrimonium dare, filiam iam prægnantem, & partui vicinam ex Persis accersit, eique cum venisset custodiam apponit, volens quod illa peperisset interimere, ne ex coniectorum responsis, filiæ proles ipsius regnum occuparet. Ergo infantulum natum Harpago subditorum fidissimo, atque amantissimo occidendum dedit.

III. *Morti ab auo addictus seruatur.*

VERVM is veritus ne si regnum Medorum in Mandanes potestatem venisset, nam grandis natu iam erat Astyages, & virili prole carebat, interfecti filii pœnas daret, eum bubulco Astyagis exponendum dedit, vt in desertis montibus quamprimum aut fame moreretur, aut discerperetur à feris. At bubulcus ille nomine Mitradates ab vxore, quæ tum mortuum pepererat, persuadetur infantes commutare, & mortuum pro viuo fortunæ committere, & Astyagis nepotem pro filio quem illi fortuna sustulisset, alere. Itaque ad aliquot annos fecit, alio quopiam ei nomine indito.

IV. *Agnoscitur in ludo.*

POST annos autem decem cum contigisset Cyrum puerum à sodalibus regem creari, illeque in ludo regem ageret, nobilem quendam puerum minime sibi obtemperantem virgis cædi iussit à cæteris; quam ille iniuriam ad patrem, pater ad regem detulit. Is bubulcum accersit, & puerum ludi regem: qui cum alacriter facti rationem redderet, & indolem ostenderet generosam, specie quoque ipsa illum qui putabatur mortuus egregie repræsentaret, ætas denique mirifice congrueret, venit in suspicionem veritatis, & Cyri ab Harpago conseruati. Cumque rem omnem, tam ex Harpagi, quam Mitradatis confessione didicisset, Harpago quidem ad cœnam vocato filium eius nec opinanti deuorandum præbuit, & simul etiam ostenso capite, manibus, pedibusque reliquis, patri de talibus epulis insultauit. Cumque de Cyro deliberaret, à magis de


*Et nihilominus seruatur.*

voluntate mortis ipsi inferendæ abductus est, vt qui dicerent iam somnio & fatis satisfactum esse, quod is regem inter pueros egisset, ideoque nihil esse reformidandum. Gauisus Astyages Cyrum in Persidem ad parentes suos ablegat. Quæ autem deinceps, tam auo, quam nepoti contigerint, suis dicemus locis.

V. *Tarquinius mœnibus vrbem cingit.* CONFECTO Sabino bello, & pace circumquaque stabilita, Tarquinius Romæ præclara quædam opera aggressus est. Cum enim vrbis mœnia, quæ rudi atque extemporali opere condita fuerant, sectis ad regulam lapidibus excitare vellet, Sabinum bellum cœptis interuenit, quo feliciter confecto, opus susceptum magno studio ac conatu suscepit. Audi enim Liuium. Maiore inde animo pacis opera inchoata, quam quanta mole gesserat bella, vt non quietior populus domi esset, quam militiæ fuisset. Nam & muro lapideo, cuius exordium operis Sabino bello turbatum erat, vrbem quam nondum munierat, cingere parabat. Non erat vtique prius murus ligneus, aut testaceus, sed rudi (λίθοις ἀμαξιαίοις.) ex lapide & congestitio. Deinde verò prægrandibus saxis, quorum singula iustum plaustri onus conficerent, extruere instituit.

VI. *Et cloacas construit.* COEPIT & cloacas fodere, fossas videlicet quibus in Tiberim deriuatur, quidquid aquarum è viis confluit. Intima vrbis loca, inquit Liuius, circa forum, aliasque interiectas collibus conualles, quia ex planis locis haud facile euehebant aquas, cloacis è fastigio in Tiberim ductis siccat. Ego sane, ait Dionysius, in tribus magnificentissimis vrbis Romæ structuris, ex quibus maxime apparet amplitudo imperii, pono aquæductus, viarum straturam, & cloacarum fabricam, reputans non solum vtilitatem operum, verum etiam magnitudinem impensarum, quam vel ex hoc vno licet coniicere, quod, vt affirmat C. Aquilius, neglectas aliquando cloacas, nec amplius transmittentes aquam, censores mille talentis purgandas, & reparandas locauerint. Hæc Dionysius. Quæ Strabo quoque commemorat. Vide & Plinium, [a] & Iustum Lipsium [b] de Magnitudine Romana.

a l. 36. c. 15.
b l. 3. c. 11.



ANNVS MVNDI 3460. QVINTÆ ÆTATIS 521 IECHONIÆ ET TRANSMIG. 25. DESOLATION. ET IOSEDECI PONTIFICIS 14. 38. NABVCHODONOSORIS 32. QVI ET 9. IMPERII BABYLONIORVM 127. OLYMPIAD. XLVI. AN. 3. TARQVINII PRISCI 22. VRB. COND. 159.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 593.



I. *Ostenditur Ezechieli templum.* CADIT in hunc annum vltima, nobilissimaque visio Ezechielis, quæ à capite quadragesimo, ad finem vsque prophetiæ protenditur. In qua non est nobis diutius immorandum, quod de ea pleraque in Salomone cum Villalpando, & Pineda (to 2.) in Salomone præuio dicta fuerint. Porro chronologiam nostram Ezechiel pulchre confirmat, cum ait, hanc ei visionem fuisse demonstratam, *In vigesimo quinto anno transmigrationis*, qua ipse cum Iechonia Babylonem abductus est. (*Ratio temporis.*) Addit & decimum quartum desolationis annum, qui idem est 32. regni Nabuchodonosoris. Addit quoque mensem primum, (c. 52. n 12.) qui dictus est Nisan, cum exordium anni memorat, quomodo habet & Chaldæus paraphr. & explicatius 70. reg. & Xisti *in primo mense*, vt mirum sit in Theodoreto legi in quinto mense, quomodo habetur in Ieremia, putante non solum diem, sed etiam mensem incensi templi, cum die & mense visæ in

ſpiritu reſtaurationis omnino congruere. Addit poſtremo decimam diem, qua templi & ciuitatis Ieruſalem deflagratio inchoata eſt.

II. *An idea eadem quæ Salomonici.* ET quoniam cum de templo Salomonis egimus, Villalp. magna ex parte ſecuti ſumus, & cum eo ſuppoſuimus hoc ipſum templum Salomonicum euerſum, ei in viſione quaſi perfectum & integrum repræſentari, quod nouiſſime Sanct. quoq; in huius loci commentariis confirmauit, [a] id nunc breuiter inquirendum eſt. Non enim deſunt qui contra ſentiant, vt Torniellus [b] qui ait nonnihil inter ſe fuiſſe diuerſa, & eſſe credibilius Ezechieli in hac viſione monſtrata eſſe, non præciſe, quæ in templo à Salomone cõſtructo, & à Chaldæis deſtructo viſebãtur, ſed multa quoque eorum quæ facienda erant in illo templo, quod poſtea ſub Dario Hyſtaſpis reædificandum, & poſterioribus tẽporibus, primo ab Artaxerxe Longimano, mox à Simone iuſto, denique ab Herode muniendum, inſtaurandum, ampliandum, decorandum, ac perficiendum erat. Sic ipſe. *Non videri Torniello.* [a in c. 40. n. 1. & 12. b an. 1. quinta ætat. n. 8.]

III *Improbatur ex operis natura.* AT ſi id uerum eſſet, oporteret aut ideam templi huius, quam angelus tam accurate deſcribit, valde imperfectam fuiſſe, quæ proceſſu temporis variis adiectionibus perficeretur, ac corrigeretur: aut certe vſque ad Herodis tempora, per quingentos & amplius annos, nunquam fuiſſe hoc templum ſuis numeris abſolutum.

Nam magnorum ædificiorum Idea, vt templorum, palatiorum, ædium regiarum, ita partes omnes ſibi habet exactiſſima proportione reſpondentes, vt ſi quid vel addideris, vel detraxeris, tantum de totius operis perfectione ſuſtuleris.

IV. *Non defuiſſe artem.* NAM quod ait Torniellus non videri temporibus illis architecturæ artem tam elaboratam fuiſſe atque perfectam, quam elegantiſſimæ Villalpandi imagines repræſentant: neque tunc temporis eximios illos eiuſdem artis ordines, regulaſque in vſu fuiſſe apud Hebræos, quæ poſtea apud Græcos, & Romanos excellenter floruerunt, valde profecto mea ſententia fallitur. Nam ſi diuina ſapientia templum Salomonis, cum omnibus illius partibus architectata eſt, vt teſtatur ipſa ſcriptura, [c] vbi Dauid enumeratis pleriſque templi partibus ſubdit. [d] *Omnia*, inquit, *venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris.* Et ſi Angelus Domini de induſtria cœlitus mittitur, qui omnes partes huius ædificii longitudines, latitudines, altitudines, cum ſuis ornamentis, vſque ad palmũ vnum exactiſſima diligentia metiatur, num maiorem in terris poſt aliquot ſecula architecturæ peritiam, quam tunc in cœlo fuiſſe putamus? An Dominus in templi ſui fabrica artis elegantiam deſiderari voluerit, cuius præcepto ac voluntate etiam parietes ipſi, atque adeo tabulatum, tum precioſiſſimis lapidibus ſtratum, tum laminis etiam aureis erat conueſtitum? [e] Aut quæ à ſcriptura deſignantur infideliter explicata, vel ambitioſe amplificata ſunt, vel male ex artis principiis, & ratione ipſa deducta? quod qui contra ſentiunt demonſtrare non poſſunt. [c 1. Par. 28. d v. 19.] [e 3. Reg. 6. 30. 2. Par. 3 6.]

V. *Probatur idem fuiſſe cum Salomonico.* PROBAT autem Villalpandus [f] idem omnino eſſe Salomonis & Ezechielis templum, quod idem numero locus vtriuſque aſſumitur, idem mons excelſus, mons Moria, in quem iam ſecundo Ezechiel in viſione transfertur. Secundo quod duplex atrium vtrique templo ab Ezechiele, tam in priore ſua viſione, quam in poſteriore tribuitur: & tamen prior viſio templo adhuc ſtante monſtrata eſt, poſterior iam euerſo. Tertio in vtroque atria ſenis porticibus, & ſeptenis ſubdialibus areis diſtincta fuerunt, & ſingulæ porticus triplici contignatione in altum excitatæ. Quarto quod Ioſephus, qui templum Salomonis deſcribit, atria illius templi, eadem qua Ezechiel magnitudine ſui templi atria, definit. Quinto quod Sanctum, & Sanctum ſanctorum eiuſdem omnino menſuræ ſint in vtroque templo. Quod ſi principes ac primariæ templi partes, & illa ipſa domus, quæ maxime proprie templum dicitur, eadem prorſus eſt in vtroque templo, cætera quoque omnia, quæ ex ea ordinem, menſuram, diſpoſitionem accipiunt, eadem eſſe neceſſe eſt. Quod ſi angelus de parte vna illius Ideæ, quam Ezechieli oſtendebat, dicere vere potuit, *Hoc eſt Sanctum ſanctorum*, vtique templi Salomonis, cui ſpatium totum, & menſuræ ſingulæ reſpondebant, quomodo conſequenter non liceat nobis de reliquis partibus vere dice- [f t. 2. l. 1. c. 9. & ſeqq.] *multa in vtroque paria.*

re, hæc sunt atria templi Salomonis, hi gradus, hæ porticus, hæc vestibula, hæ portæ, hæc gazophylacia, & ita de reliquis omnibus.

VI. Et peritissimorum artificum, ac doctorũ
Postremo si quid fidei tribuendum est hominibus, ingenio & eruditione præstantibus, præsertim cum serio & ex animo de re pronunciant, in qua magnopere exercitati sunt, & magna cum fide diligentiaque versati, certe Hieronymo Prado, & Ioanni Baptistæ Villalpando non exigua fides adhiberi debet, qui hanc Ezechielis visionem explicandam aggressi, ad eam venerunt tot naturæ, virtutis, doctrinæque præsidiis instructi, tam multiplici linguarum, architecturæ, omnium mathematicarum, & politioris literaturæ cognitione ornati, tot denique librorum, sumptuum, artificum, & instrumentorum apparatu adiuti, quot opus ipsum immortalitate dignum merebatur, & plerique fide digni egregie testantur. Hi ergo affirmant, nominatim Villalpand. nullam reperiri apud sacros scriptores templi Salomonici mensuram, quæ vel eadem, vel ab eadem non discrepans, in Ezechielis descriptione non habeatur. Nullam contra apud Ezechielem inueniri posse, quæ vel in sacris historiis non referatur, vel certis architecturæ præceptionibus, ex iis quæ ibidem referuntur, non probetur. Et de his pro nostro instituto satis; plura apud authorem lo. cit. & alibi passim legi possunt.

Lo. cit.

VII. Solō legislator floret hoc tempore.
Ad hunc annum Solon ille Atheniensium legislator pertinet in primis. Idoneus est eius rei testis Laertius, qui in eius vita, *floruit*, inquit, *maxime circa quadragesimam sextam Olympiadem, cuius tertio anno princeps Atheniensium fuit, vt ait Sosicrates: quo etiam tempore leges eis dedit.* Sic ipse. De tempore consentit Clemens Alexandrinus, Eusebius in Chronico, & Cyrillus in Iulianum. Plutarchus in eius vita electum fuisse ait ciuitatis principem post Philombrotum, simulque & arbitrum, & legum conditorem, in eum tam diuitibus, quam pauperibus libenter consentientibus, illis quod locupletem nossent, istis quod mitem. At ipsemet Solon scripsit se ægre initio Rempub. attigisse, quod & horum cupiditatem, & illorum superbiam metueret. Phanias autem Lesbius narrat eum vtrisque imposuisse, quo saluti publicæ consuleret, clanculum pauperibus agrorum diuisionem, nouasque tabulas; diuitibus confirmationem contractuum pollicendo.

VIII. Causa latarum legum.
In Solone.
Latarum porro à Solone legum causam Plutarchus refert, ad perturbatissimum huius temporis Athenarum statum, cum totus populus ære alieno diuitibus esset obstrictus: qui partim colebat agros eisque sextantem fructuum pendere cogebatur, vnde & hectemorii dicebantur, partim corpora debitis opponentes, nexi erant eorum causa creditoribus; adducebanturque, vt vel in patria seruirent eis, vel in alias terras diuenderentur. Multi suos liberos vendere, aut ob inhumanitatem fœneratorum, ab vrbe profugere cogebantur. Maxima denique pars coitione facta mutuo se ad vim, ac seditionem adhortabantur. Itaque prudentissimi Atheniensium cernentes Solonem vnum ab vtroque vitio intactum, ac neque iniuriarum diuitibus, neque miseriarum pauperibus socium, orauerunt hominem, vt communis vtilitatis curam susciperet, & gliscentem cladem auerteret.

IX. Rogatur accipere principatũ.
Discrimen regni à tyrannide.
Quin etiam, vt plus in ipso autoritatis esset ac virium, qui primas gerebant in populo Tyrannidem Soloni offerebant, instantes, suadentesque, vt rebus omnibus in suam potestatem acceptis, ægrotanti Reipublicæ medicinam facere aggrederetur. Cumque ille ex animo reluctaretur, atque adeo Pisistratum eò aspirantem modis omnibus, quamuis propinquum, prohibere conaretur, à familiaribus suis obiurgabatur, quod propter nomen à tyrannide abhorreret, cum liceret ei qui eam inuasisset, virtute ac modestia sua, quamprimum tyrannidem in regnum commutare. Quasi regnum à Tyrannide sola gubernatione miti aut rigida, herili aut paterna differret; & non vel maxime legitimo gubernandi iure, quo Rex præditus est, tyrannus caret. Quod ius cum maxima, ac præcipua Reipublicæ pars Soloni vltro deferret, vtique Rex in ciuitate sua futurus erat, non tyrannus.

X. Quanta ei potestas permissa.
Populi enim multitudo Solonem Reipublicæ correctorem, legumque latorem declarauit, non aliis eius potestati permissis, aliis exemptis, sed libere

magistratus, conciones, iudicia, consilia; & horum singulorum dignitatẽ, preciũ numerum, tempus, vt eius arbitrio omnia, vel abrogarentur, vel seruarentur illi tradidit atque permisit. Ipse nihilominus monarchico imperio hominumque præsidio à se reiecto, omnia sapienter ad populi captum attemperauit, immotis relictis quæ sine magna Reipublicæ conturbatione moueri non poterant. (σεισάχθεια.) Ac primum Seisachthiam in Rempublicam inuexit, rem molestissimam vocis lenitate molliens, nouas tabulas onerum leuationem vacans. (Seisachthia quid.) Itaque lege lata æs omne alienum debitoribus remisit, vetuitque ne quis in posterum debita, corporis obligatione contraheret. Mollsiuit autem multo magis exemplo. Nam, vt notauit Laertius, septem talenta iure patrimonii sibi debita, remisit vltro, (sibi debita remittit.) Plutarchus de quinque talentis id asserit. Polyzelus autem Rhodius quindecim talenta in nominibus habuisse Solonem scripsit apud Plutarchum. Verum Androtion scripsit pauperes non nouis tabulis, sed fœnoris diminutione subleuatos.

XI. (Leges Draconis antiquat.) Ab hoc orsus initio omnes Draconis leges, præter eam quæ erat de cædibus, abrogauit, propter seueritatem, & magnitudinem suppliciorum. Nam vt ait Plutarchus, omnibus fere delictis capitalis pœna erat constituta, ita vt morte etiam mulctarentur, qui otii damnati essent: & olus aut poma furati, (Lex de otio) non alio quam sacrilegi, & homicidæ supplicio afficerentur. Itaque illud Demadis postea laudem inuenit, cum diceret Draconem non attramento, sed sanguine leges suas scripsisse. Harum quoque legum abrogatarum hoc tempore præter Plutarchum meminit Eusebius in Chronico, & eum secutus Cyrillus Alexand. Ælianus item in varia Historia. (L. 8. c. 10.) Verum quod de otii pœna scribit Plutarchus, longe aliter habet Laertius. Cum enim quasi Solonis legem recitasset. *Is qui sectatur otium, omnibus accusare volentibus obnoxius esto.* Addit, *Porro Lysias in oratione quam contra Niciam scripsit, Draconem asserit eam scripsisse legem, Solonemque tulisse.*

XII. (Et de reis à quocumque in iudiciũ trahendis.) Persimilem isti ac plane geminam Solonem scripsisse legem in gratiam tenuiorum tradit Plutarchus. Quo enim magis plebeiorum infirmitati opitularetur, iniuriam alicui illatam, vnicuique qui voluisset persequendi potestatem fecit. Itaque si cui plaga imposita, aut damnum datum, aut vis facta esset, licebat ei qui poterat & volebat, eum qui iniuriam intulisset in ius trahere. Quare ciues suos assuefecit, vt singuli cum singulis, tanquam vnius corporis partes, dolorem participarent. (Geminus Senatus.) Ad continendam autem multitudinem geminum Senatum constituit, alterum Areopagitarum, quos voluit esse iudices (Areopagus) legumque custodes, ac vindices: vnde & annui magistratus petebantur. Alterum qui collectum populum contineret, quem tu ex quatuor tribus collegit ex vnaquaque centenos: qui senatores antequam populus suffragia de re quapiam iniret, authores fierent, neque in concione de re vlla referri liceret, nisi autores ipsi facti fuissent: Existimans Rempublicam duobus senatibus, quasi duabus in Anchoris stantem, minus fluctuaturam, populumque quietiorem fore. Sed de his hactenus, plura apud Plutarchum leges, nominatimque de Areopagi antiquitate, de qua diximus aliquid an. Mosis 75. num. 4. & 5.

ANNVS MVNDI. 3461. QVINTAE AETATIS 522.
IECHONIÆ ET TRANSMIG. 26. DESOLATION. ET
IOSEDECI PONT. 15. NABVCHODONOSORIS. 33. QVI
ET 10. IMPERII BABYLONIORVM 128.
OLYMPIADIS XLVI. ANNO 4.
L. TARQVINII PRISCI 23.
VRB. COND. 160.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 591.

HOC Iechoniæ ætatis anno quadragesimo quarto putat Torniellus, genitum filium eius Salathielem, 44. inquam anno. Nam si 26. annis transmigrationis, quos ille adhuc traduxit in carcere, addideris 18 quot annos natus erat cum regnare cœpit, ᵃ & exulare, numerus ille quem dixi annorum existet. Eius deinceps posteris annos quinquaginta duos fere assignat, antequam genuerint eum, per quem Dauidis familia vsque ad sanctum Iosephum beatissimæ Virginis sponsum propagatur: quæ, quia plane incerta sunt, ideoque minuus idonea ad sequentem annorum seriem constituendam, duximus omittenda. Illud duntaxat certum est Salathielem in exilio, siue transmigratione Babylonica natum, teste Matthæo Euangelista, & Zorobabelem filium eius iuuenem, atque adeo adolescentem appellari in illa controuersia de re omnium fortissima, quæ apud Darium Hystaspis, in principio regni eius agitata est, quæ 3. Esdræ c. 3. & seq. fusius recitatur. Ipsius Nihilominus Salathielis annos, quibus mortuo patre in Babylone dux fuit, sigillatim postea, & per singulos annos suo loco digeremus; ne quid in sterili Hebræorum huius temporis historia negligamus. I. Ortus Salathielis.

ᵃ 4. Reg. 24. 8.

ANNVS MVNDI 3462. QVINTÆ ÆTATIS 523.
IECHONIÆ ET TRANSMIG. 27. DESOLATION. ET
IOSEDECI PONTIFICIS 16. NABVCHODONOSORIS 34. QVI ET 11. IMPERII BABYLONIORVM 129. OLYMPIAD. XLVII. AN. 1.
TARQVINII PRISCI 24.
VRB COND. 161.

ANNVS ANTE CHRISTVM 591.

IN vigesimo septimo anno transmigrationis in primo mense, in prima die mensis factum est verbum Domini ad Ezechielem, vt ipsemet refert ᵇ in hæc verba, *fili hominis Nabuchodon. Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum; omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neque exercitus eius de Tyro, pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam.* Si non fuit Nabuchodonosoris mens Domino Deo in ea expeditione seruire, sed propriam vlcisci iniuriam, aut explere cupiditatem, nullam ille mercedem promeritus est. Quoniam ergo fatetur Dominus reddendam illi esse mercedem suam, videtur is ab aliquo propheta diuinitus admonitus, vt contra Tyrum arma caperet; quod cum fecisset Dominus, illi mercedem dare voluit, quam ille I. Nabuchod. meretur obsidione Tyri.

ᵇ c. 29. 17.

c. 1 12.

potuit in cultu idolorũ perseuerans, huiusmodi obsequio promereri. Et alioqui qui vltro colit vineam meam, ratus suam, iusta mercede carere non debet.

II. Et Dominus mercedem promittit.

PROPTEREA *hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Aegypti*, vt scilicet ibi rex sit, & perinde atque Babylone dominetur; itaque pro arbitratu suo, in res, personasque eius exercebit imperium. *Accipiet*, enim *multitudinem eius*, quam in captiuitatem adducet, *& deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit* merces exercitui illius, & operi quo seruiuit aduersus eam: dabo ei terram Aegypti, pro eo quod laborauerit mihi, ait Dominus Deus. Nimirum magnus rex vniuersi orbis regna dat, transfertque de gente in gentem, earum peccata puniens, aut opera moraliter bona remunerãs, iuxta abstrusissimas, iustissimasque diuinæ prouidentiæ suæ rationes. Quod autem subditur. *In die illo pullulabit cornu domui Israel*, quod de educendo è vinculis Iechonia, sub hoc ipsum tempus, doctores interpretabantur, decem annorum tempus die illo comprehendunt. Nam vigesimo septimo anno transmigrationis editũ est hoc vaticinium, Iechonias autem è carcere anno tantum trigesimo septimo eductus est. [a]

III Ratio temporis hic obscurior.

HVIVS prophetiæ tempus non exiguam nobis dubitandi occasionem submi- [a 4. Reg. 25. 27.] nistrat. Cum enim Nabuchodonosor iam à 23. regni sui anno Aegyptum subiugarit, indeque initium victoriarum acceperit, quibus monarcha totius propemodum orientis factus est, quo modo nunc post vndecim annos, tradenda dicitur terra Aegypti Nabuchodonosori, & exercitui eius? Et cum eius exercitus innumera spolia, ex octodecim vel 20. regnis, intra vnum alterumue annum collegerit, quo modo nunc dicitur nullam pro labore suo aduersus Tyrum, accepisse mercedem? Dici quidẽ potest Amasim, quem post Pharaonem Aprie in Aegypto regem factum legimus, defectionem à Chaldæis fuisse meditatũ, eosq; ad eum comprimendum aduolasse, iterumque Aegyptum fuisse deprædatos, vt sentit Torniellus, [b] sed manet semper obscura & difficilis illa merces. [b an. 16. sextæ ætat.]

IV. Inquiritur in tempus mercedis illius.

NEC dici potest innumerabiles victorias ad hunc, aut sequentem annum esse transferendas. Nam sic falsum esset quod dixit Ieremias [c] nationes illas omnes Chaldæis ad septuaginta annos seruituras. Nam quatuor & quinquaginta [c c. 25.] duntaxat anni ab hoc ad finem imperii Chaldæorum numerantur. At, inquies, Ezechielis 29. 12. quadraginta tantum annorum Aegypti desolatio futura prædicitur. Verum vt eam nunc difficultatem omittamus, ne sic quidem numerus constabit: sic enim anni quatuordecim redundabunt. An cum Theodoreto existimandum est hos annos 27. à capta post longam obsidionem Tyro numerandos esse? at hic tantum decimus quintus annus est: & Tyrum ne captam quidem tunc fuisse censuimus. An dicendum est, tam multas illas prædas mercedis loco exercitui illi à Deo non fuisse datas? frigidior sane est ista responsio, & quæ ambigentis animo vix faciat satis. Non desunt qui suspicentur errorem in numerum irrepsisse, & decimum septimum annum pro vigesimo septimo legendum: & sic Aegypti ruinam in vigesimũ quartum Nabuchodonosoris annum referendam, & Aegyptum in fine catalogi deuictarum gentium ponendam, quam cum Ieremia posuimus in principio. At Alexandria ante Niniuem capta est, vt testatur propheta Nahum. Et præterea admodum durum est tam constantem omnium librorum, linguarumque consensionem commutare: præsertim cum eum numerum D. Hieronym. & Theodoretus agnoscant; licet in numeris erratum contigisse, facilius quam in aliis concedi possit. Itaque augustiæ sunt nobis vndique, & frigida illa responsio accipienda, dum melior quæpiam occurrat. [d c. 3. 9. 10.]

V. Iterata Aegypti vastatio.

PRÆSENTI ergo anno Chaldæus iterum in tumultuantem, & noua molientem Aegyptum arma conuertit, eamque attriuit, & deprædatus est; & quidem eodem ipso anno, quo editum est vaticinium. Cum enim omnium vndique regionum dominus esset, facile ei fuit missa Chaldæorum manu, multas copias ex Phœnice, Palæstina, Arabiaque contrahere, & Aegyptum iam cornua erigentem deiicere, atque prosternere. Assentior autem Torniello existimanti Chaldæos in reditu ab Aegypto, etiam reliquias illas, ad quas Baruch librũ cum pecuniis ad sacrificandum miserat, coactas esse Babylonem commigrare: sicque

Spicilegiũ Iudææ.

esse ad amussim, quod toties Ieremias prædixerat, terram Iuda penitus desertam ac desolatam fore.

IN eo tamen non assentior, quod ab hoc anno extremo, vel potius sequentis initio, vult illos septuaginta annos inchoari, quorum Zacharias a meminit, qui in secundo anno Darii Hystaspis terminantur. Quod aliud initium non occurrat; cum 70. annos desolationis non ab initio regni Nabuchodonosor, sed ab vltimo Sedeciæ incipiendos esse docuerimus: & eruditissimorum virorum consensu, in quibus Ribera, Theodoretus, & fuse à Castro b non vno loco constet alios esse 70. annos Zachariæ, alios Ieremiæ; cum illi in secundo Darii, isti in primo Cyri, sedecim annis prius terminentur, proptereaque oporteat etiam diuersa eorum initia constituere.

*VI. Septuag. anni Zachariæ.*

a c. 1. v. 12.

b in 29. Ierem. n. 4. fi. & rursum. in c. 1. Zachar.

VERVM cum hoc 70. annorum Zachariæ initium, quod eis dat Torniellus, nihil habeat firmitatis, existimo, cum plerisque doctrina præstantibus viris, eosdem esse 70. annos Ieremiæ, & Zachariæ; quamuis inter Cyrum & Darium, non 40, vt putauit Perer. sed 16. fere anni interiecti sint, vt ex sequentibus patebit. Et illa verba angeli apud Zachariam. d *Domine exercituum, vsque quo tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.* Illa inquam verba hunc habere sensum, quare differs restaurationem Ierusalem? Ecce iamdudum aduenit præfinitus terminus captiuitatis Iudæorum, iamdudum septuagesimus ille annus aduenit, vel cum interrogatione quam habet 70. Nonne 70. annus pridem præteriit? Et ita explicant Perer. l. 10. in illa verba. *Ego Daniel intellexi &c.* sub fi. Et Gordonus & ante eos Hugo Comestor, Lyranus, Dionysius. Loquitur Angelus ad captum Iudæorum, qui existimabant statim absolutis 70. annis totam Iudæorum rempubl. restauratum iri. Cum mens Domini esset, vt euentus docuit, ante 70. annos nullo modo soluere captiuitatem, sed statim absolutis 70. annis inchoare libertatem Iudaicam, eamque paulatim perficere, sicut paulatim, alii post alios in captiuitatem abducti fuerant. Fauet isti expositioni, quod textus Hebræus, & Chaldæa paraphr. dicunt tantum Deum iratum fuisse Israeli 70. annis; nec significant actum fuisse tunc annum septuagesimum, siue vltimum 70. annorum, vt vult Ribera, & Torniellus.

*VII. Eosdem esse cum 70. Ieremiæ.*

d c. 1. 12.

e c. 13. n. 10

In eo quoque non probatur nobis Torniellus, quod in hunc eundem annum referat erectionem statuæ Nabuchod. iuxta ea quæ supra anno Nabuchodon. 28. diximus, in quem potius eam referendam censemus.

NVLLA deinceps ab hoc anno Ezechielis prophetæ habetur mentio, proptereaque circa hæc tempora vita functus, aut potius occisus putatur. Ideoque ratio postulat vt virum sanctissimum non tacitum, sed cum aliquo funeris honore sepeliamus. Nam propheta, & sacerdos, & martyr, & typus Christi Domini, honorem eorum meretur, qui eius vaticiniis erudiuntur, precibus iuuantur, ac meritis.

*VIII. Mors Ezechielis, & encomium.*

Propheta vtique magnus, ac de maioribus ordine tertius, & rerum quas enūciat multitudine, magnitudine, atq; imperuia vulgo sublimitate magnus. Quid enim illo triumphali Dei curru terribilius, admirabilius, magnificentius? vbi turbines violēti, atque præcipites, nubes ingentes, non tam imbribus fœtæ, quam flammis sese introrsum conuoluentibus, atque complicantibus, & circumquaque fulgurantibus. Vbi quadruplici specie Cherubini quatuor, iubato pectore, dorsoque leones, quaternis alis aquilæ, bisulcis pedum plantis vituli: facie, totaque corporis celsa, atque erecta statura homines, vndique tanquam ferrum ab igne candens, aut accensæ lampades scintillabant. Vbi rotæ mira pernicitate volubiles, statura grandes, oculis toto ambitu distinctæ; & ad nutū Cherubinorum ita in omnem partem mobiles, vt spiritus vitæ rotis inesse videretur. Vbi firmamentum instar crystalli splendens, & Cherubinorum capitibus imminens: in quo thronus splendidus, ac varius, quasi è saphirino lapide fabricatus, & in throno humana species insidebat, quæ vsque ad renes flammantis electri similitudinem referebat, inde ad pedes vsque, ignis in omnem partem emicabat.

*Propheta magnus, ac sublimis in primo,*

*IX. Reliquisq; passim vaticiniis.*

QVALES eius illę in populum peruicacem querelæ, & esus cōplicati voluminis

in quo nihil nisi lamenta, & ferale carmen? qualis illa in laterculo ciuitatis descriptio, totusque ad obsidionem apparatus, qualis decubitus ad vtrumque latus, & variis seminibus commistus panis, fœde coctus parcè, certoque numero distributus? Accedit capitis ac barbæ abrasio, & pilorum adustio, concisio, dispersio. Inde mirifica illa in vrbem translatio, ac contemplatio scelerum, quæ vel in ipso templo patrabantur, & virorum militarium, quibus cædes in sanctuario, totaque vrbe permissæ, iis exceptis, quibus à viro linteato frontibus salutare signum erat inscriptum. Accipiuntur inde prunæ è quadriga Domini, & in ciuitatem effunduntur, & elixantur in lebete carnes, & reducitur in Chaldæam propheta, & captiuis Iudæis visa renunciat.

X. *Plurima ænigmatica, atque symbolica.* PLENA quoque mysteriis est illa prophetæ nocturna transmigratio, vasorum translatio, & velata facie per parietem perfossum transitus: & cibus cum pauore ac sollicitudine sumptus: vitis item aggrestis in cineres ac fauillas abitura. Quid ænigma aquilæ grandis, longo membrorum ductu, magnis alis plumisque conuestitæ, quæ ad Libanum euolat, auellit medullam cedri, & summitatem frondium eius, & transfert in Chananitidem? Quid leæna infelix leunculis ab infesto veneratore sublatis; aut fecũda vinea in sterilem regionem, ac siticulosam translata? Quid mulier quæ duro ac periculoso puerperii dolore conflictatur, percutit femur, collidit manus, aliaque mœrentis animi, ac subito horrore percussi edit indicia? cap. 12.

XI. *Maximéq; templi descriptio.* MITTO metalla varia in fornacem coniecta, & versa in scoriam, & rursum iterato incendio excoquenda. Oollam item & Oolibam perfectæ frontis ac prostituti pudoris mulieres; vxorem dilectam repente sublatam, & funeris honore priuatam. Magna ex parte obscuræ ac symbolicæ sunt minæ, atque oracula in circumfusas gentes Iudaico populo inimicas edita. Certe, vt cætera taceam, tota templi descriptio, ad quam spectandam, ac referendam Propheta in spiritu ducitur Hierosolymam, ibique à dimensore, atque architecto singulas sacrarum ædium partes edocetur, tot difficultatibus implicata est, vt accuratissimi quique interpretes, ne magno quidem excepto Hieronymo, post ingentem animi contentionem, modicum quid se intellexisse, magnam partem ignorasse fateantur. Nec dubitet Hieronymus, ei Labyrinthæos amphractus, & textum cæcis parietibus iter, dolumque mille viis ancipitem à nobili poëta descriptum comparare. Prœmio in c. 45.

XII. *Ezechielis miraculum diuisi fluminis.* VERVM præter hæc vaticinia sacro Bibliorum volumine comprehensa, aliæ quoque isti prophetæ ascribuntur, siue oracula, siue portenta, quæ pridem Sanctus Athanasius in Synopsi inter apocrypha numerauit: In quæ incidisse videtur Epiphanius, eumque secutus Dorotheus in vita Ezechielis, cuius hæc inter alia sunt verba. *Hic propheta portentum dedit populo, vt animaduerteret quando fluuius Chobar deficeret, tunc scirent falcem venire vastationis vsque ad fines terræ: Et quando inundaret ciuitatem Ierusalem, tunc instare reditum. Etenim ad fluuium illum habitabat, Sanctus propheta, & multi ad eum cougregabantur. Contigit autem ut cum multitudo populi apud eum esset, Hebræos formidarent Chaldæi ne turbarent eos: & cum irruerent in eos occidendi gratia, efficiebat propheta, vt aqua fluminis diuisa, locum daret in vlteriorem ripam transfugiendi, & qui ex Chaldæis audebant fugientes insequi, submergebantur*: renouato Iosue & Mosis ipsius miraculo.

XIII. *Impetrati populo cibi.* ALIVD quoque prodigium in populi sui fame laborantis subsidium, traditur edidisse; suis nimirum precibus ingentem vim piscium à Deo impetrasse, eoque cibo fugientes miseræ multitudinis animas ad vitam reuocasse; Addunt etiam eius in Danitas, Gaditasque seueritatem, qui cum à vero Dei cultu eos de Iudæis, qui in eo constantes erant abducere vellent, eamque ob causam illis infesti essent, insigni prodigio quam id Deo ingratum esset ostendit; ipso enim orante immisit Deus serpentes mortiferos, qui illorum infantes, & quidquid apud eos pecorum alebatur, interemerunt. Quæ vt à sanctis viris recitata, minime contemnenda sunt; neque enim aut Deus parum potens ad hæc, atque his multo maiora perpetranda: aut Ezechiel parum apud Deum gratiosus ad ea impetranda.

*Occisi à serpentibus suasores impietatis.*

XIV. *Eadem suspecta videri.* SVSPICIO tamen est multorum non improbabilis, hæc à Rabinis pro sua

in hoc genere temeritate ac licentia fuisse excogitata, à quibus Danitæ & Gaditæ à Persis & Medis ad Chaldæos & Babylonios, sine vlla probatione, aut probabilitate transferuntur. Iam mysterium Chobaris inundantis Ierusalem, à qua iamdudum excisa, longo terrarum interuallo distabat, aut deficientis in regione sua, Oedipum desiderat. Quomodo vero talia, ac tanta miracula nullus Daniel, nullus Baruch, nullus Esdras, nullus Iosephus aut Philo scripto prodidisset, aut vexatos à Chaldæis Iudæos verbo aliquo significasset? Et tamen in Epiphanio legimus, *Is est quoque vates ille, qui plebe iam depressa, ac pessundata ab hostibus, stetit contra faciem ducum illorum, & confundebat eos portentis ac miraculis ita vt territi milites cœpto desisterent.* Sed bene habet, quod plerique doctrina præstantes viri hunc librum negant Epiphanii, quod Hebraicis fabulis scatere videatur.

XV. Ezechielis mors, & sepultura.

CREDIBILIORA multo sunt, quæ de eius morte, ac sepultura ab Epiphanio, Dorotheo, Isidoro traduntur: non paruam enim fidem à Romano Martyrologio, à quo approbantur, accipiunt. Nam decimo Aprilis ita legitur, Ezechielis prophetæ, nimirũ obitus, aut natalis dies, qui à Iudice populi Israel, quod eũ de cultu idolorum argueret, apud Babyloniam interfectus, in sepulchro Sem, & Arphaxad progenitorum sepultus est, a ad quod orationis causa multi confluere consueuerunt. Additur apud Epiphanium, Chaldæos in tanta hominum frequentia ad eius monumentum confluentium, timentes ne corpus auferretur Prophetæ, solitos comitari, ac deducere egredientes. Ille porro dux non fuit Iechonias, qui adhuc agebat in vinculis, nec filius eius Salathiel, vt pote infantulus: & vt iam esset adolescens, eum tam improbum in Deum fuisse, aut ingratum in prophetam constare non potest. Fuerit fortasse vnus de Iudicibus populi, quales illi fuerant, qui Susannam capitali iudicio damnarant, quod Sanctius non temere suspicatur.

a Vide a. m 1096. n 1.

Proleg. 4.

XVI Martyriũ.

EZECHIEL, inquit Sanctus Athanasius in libro de incarnatione verbi, *passus est pro populo, sed quia populo ventura prædicabat:* pœnas videlicet idololatriæ, aliorumque scelerum vltrices. Nam non plane ab illa nequitia abstinuisse, docent ipsius Domini Ezechielem alloquentis verba, de senioribus Israel, quibus dici iubet: *Certe in via patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini, & in oblatione donorum vestrorum, cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idolis vestris vsque hodie.* Hæc ergo etiam nunc, vel palam, vel clanculum Babylone patrabantur: quæ cum diuino zelo accensus Ezechiel in ipsis senioribus Israelis, populique principibus constanter argueret, cæteros prophetas Eliam, Eliseum, & recentiores Esaiam, Ieremiam imitatus, parem cum eis populi, ac principum indignationem incurrit, pariterque interfectus, vitam in causa sanctissima pro religione profudit, similemque martyrii gloriam consecutus est. De mortis genere illud Autoris operis imperfecti apud Chrysostomum legimus. *Misi ad te Isaiam, & serrasti eum; misi ad te Ieremiam, & lapidasti eum: misi Ezechielem, & tractum super lapides excerebrasti eum. Quomodo sanaberis, quæ nullum ad te medicum venire permittis?*

c. 20. 30.

Et mortis genus.

In c. 23. Matth Hom. 46.

XXVI. Ezechiel typus Christi.

IAM quod ad typum Christi attinet, vnus Origenes satis esse potest, qui homil. 1. in Ezechielem. Non frustra, inquit, in tricesimo anno prophetat Ezechiel. Nam & nomen eius figura Christi est: interpretantur quippe Ezechiel Imperium Dei. Imperium autem Dei nullus est nisi Christus Iesus. Filius quoque Buzi scribitur, quod interpretatur contemptus. Si venias ad Hæreticos, & audias eos spernentes, & pro nihilo ducentes creatorem, & insuper etiam criminantes, videbis iuxta illos, contemptissimi creatoris filium Dominum nostrum Iesum Christum. Et paulo infra. Cur scriptum est in tricesimo anno vitæ Ezechielis apertos fuisse cœlos, & vidisse eum eas visiones, quæ in libro eius continentur? Quid mihi prodest annorum numerus nisi hoc, vt discam tricesimo anno & Saluatori, & prophetæ cœlos fuisse reseratos, & spiritualibus spiritualia comparans, cognoscam vniuersa quæ scripta sunt, eiusdem esse Dei sermones. Et rursum infra, dicit Ezechielem typum fuisse Christi, quod qui peccatis populi non tenebatur obstrictus, in medio tamen captiuitatis esset.

XVIII. *Olymp. 47.* ATTINGENDA nunc sunt nobis, quæ sunt exoticæ historiæ. Hic enim primus est annus Olympiadis quadragesimæ septimæ, in qua Spartanus Eurycles stadij palmam tulit, quem refert Pausanias gymnasium in Dromo Lacedæmone dedicasse. (*In Lacon. p. 96.*) Sosicrates apud Laërtium tradit Anacharsim Scytham Athenas hac Olympiade concessisse, Eucrate Athenis Prætore, vel principe. (*Anacharsis cum Solone colloquiū.*) Nec repugnat Plutarchus in Solone, vbi ait eum ad Solonem venisse, cum is maximè Rempub. Athenis legesque componeret; eiusque risisse institutum, qui speraret se ciues suos ab iniustitia, & cupiditatibus reuocaturum scriptis legibus, quæ telis aranearum similes, tenues retinerent, à potentibus perrumperentur. Respondit Solon, pactis conuentis facile stare homines, si neutri parti ea violari expediret. Leges quoque se ferre, quas pauperum diuitumque conseruare intersit.



## ANNVS MVNDI 3463. QVINTÆ ÆTATIS 524.

IOSEDECI PONTIF. 17. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 28. DESOLATIONIS 17. NABVCHODONOSORIS 35. QVI ET 12. IMPERII BABYL. 130. OLYMP. XLVII. AN. 2. TARQVINII PRISCI 25. VRBIS CONDITÆ 162.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 590.



I. *Visio arboris quando Nabuchod. contigerit.* OBIECTVM est hoc anno Nabuchodonosori somnium, & visio mirabilis arboris, quæ Danielis quarto continetur, vt Pererius quoque in eum locum, & Torniel. anno 17. sextæ ætat. affirmant, quibus accedit Gaspar Sanctius in expositione eiusdem loci. Et rectè. Nam is 44. anno regni sui mortuus est, vt constat ex Ieremia 52. 31. vbi dicitur Euilmerodach regnasse in Babyl. & extulisse Ioachinum ex carcere 37. anno transmigrat. qui est 44. Nabuchodon. Regnabat autem cum illum carcere liberauit, patre videlicet iam mortuo; & quidem non multo tempore postquam sibi restitutus est. Quod ex eo coniicit Perer. quod nihil legatur ab eo tempore fecisse pro Dei gloria, præter publicam illam confessionem, quam narrare instituimus. Possumus ergo in 43. eius anno tempus sanitatis eius collocare, furorem autem septennij ab anno 36. somnium denique & interpretationem eius 35. quam 12. mensium interuallum excepit.

II. *Exordium regiæ narrationis.* CÆTERVM tota somnij huius narratio, & omnium quæ ei adiuncta sunt, ipsiusmet Nabuchodonosoris verbis à Daniele recitantur. Is enim sanæ menti redditus decretum scripsit, siue testimonium solenne & autenticum, quod Hieron. epistolam vocat, sicut & Comestor, qua omnibus populis prædicare voluit Dei erga se virtutem, & prouidentiam. In qua quia tota historia accurate continetur, Daniel, ad maiorem rei gestæ fidem, voluit eam totidem eius verbis prophetiæ suæ inserere. Huius porro decreti exordium, siue præfatio quædam, extremo cap. 3. v. 98. continetur, quæ salutatione & generali propositione constat, hisce verbis. *Nabuchodonosor rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra pax vobis multiplicetur.* Non contentus est Dei mirabilia subditis suis, quamuis latissime imperaret, enunciare, vult ea omnibus omnino gentibus, quæ sub cœlo sunt, fieri manifesta; iuxta illud Angeli ad Tobiam. [a] *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam:* (*a 12. 6.*) quæ misericordia tanto fuit admirabilior, quanto minus profano huic regi, quam viro illi sancto debita videbatur, si res humano iudicio æstimetur; sed alia sunt iudicia Dei, alia hominum. Pergit Rex.

III. *Vnde petendum.* SIGNA *& mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius, quia magna sunt, & mirabilia eius quia fortia, & regnum eius regnum sempiternum, &*

*potestas eius in generationem, & generationem.* Quia hæc verba subiecta sunt historiæ liberationis trium virorum è fornace, aliqui existimarunt hæc signa de illo multiplici miraculo intelligi, & ad decretum v. 96. memoratum pertinere. Sed rectius opinor Maldon. Vatabl. Sà, non admodum repugnante Sanctio, existimant decretum illud summatim tãtum à Daniele relatum; & totam illam historiam illis verbis esse terminatam, quibus dicuntur Sidrach, Misach, & Abdenago præpositi prouinciis Babylonis. Deinceps autem hanc alteram historiam, in qua versamur inchoari. Quæ fuit omnino mens D. Hierony. & Theodoreti, & Comest. qui totam hanc historiam vocant epistolam Nabuchodon. vt diximus, & eius initium ponunt in illis verbis; *Nabuchodonosor Rex omnibus populis,* &c. Imo Theodoretus & Lyran. ex eo loco inchoant quartum caput.

IV. *Narratio somnij.* Incipit porro narrationem suam Rex quasi iuratus testis, vt notauit Theodoret. in hunc modum? *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo,* siue in throno meo, vt habet Theodotio, & Theodoretus. Tempus indicatur, ait Sanctius, in quo somnium istud oblatum est regi, cum videlicet consedissent bella, & subiecti populi nihil hostile molirentur. *Somniũ vidi quod perterruit me, & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitis mei conturbauerunt me. Et per me propositum est decretum, vt introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, vt solutionem somnij indicarent mihi.* Mirum est non statim aduocatum fuisse Danielem, cuius in hoc genere sapientia Regi explorata erat: sed consilio id fecisse videtur, vt in re, quam magni momenti esse persuasum habebat, plurium sententias, & rei obscuræ interpretationes acciperet. *Tunc ingrediebantur arioli magi, Chaldæi, & aruspices, & somnium narraui in conspectu eorum, & solutionem eius non indicauerunt mihi.*

V. *Coniectorum ignorantia.* Non est dubium hos somniorum coniectores multas commentos fuisse interpretationes; erant enim in iis excogitandis exercitatissimi, sed quæ veritatem nihil attingerent, & regi non probarentur, tanquam somnio parum conuenientes. Nam cum regi placentia loqui vellent, eoque inuitum somnium traherent, non erant conuenientia testimonia eorum.

a c. 4. v. 5. *Daniel collega regis.* Donec [a] *collega ingressus est in conspectu meo Daniel.* Collegæ nomen negant in Chaldæo textu reperiri, sed pro eo haberi vocem, demum, vel tandem, quomodo scilicet Vatab. Pagnin. Sà, Maldon. At Theodoretus habet ἕτερος, id est alius. Videtur D. Hierony. legisse ἑταῖρος, id est amicus, socius, contubernalis, quomodo Christus Iudam vocauit ἑταῖρε, & vulgo dicuntur ἑταῖροι τῶν βασιλέων. *Mignons des Roys,* qui primas in amicis regum obtinent. Collegam dixit Hieron. cum Aquila, Symmacho, & Theodotione: eo quod Nabuchod. eum quasi participem imperij sui fecerat, iuxta ea quæ supra leguntur.[b] *Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum magistratuum,* &c. quod est quasi Proregem constituisse, & Collegam regis.

b c. 2. 48.

VI. *Regis ad Danielem oratio.* Ingressvs est ergo, *Daniel,* inquit Rex, *in conspectu meo, cui nomen Baltassar, secundum nomen Dei mei,* Belis scilicet, quem iampridem colui, *qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso,* id est qui diuina scientia præditus est: vtitur autẽ plurali deorum nomine, iuxta captum, & opinionem populorũ ad quos scribebat, licet ipse nunc Deum excelsum vnicũ cœli regem coleret, vt sequentia clare docent. Forte autem nomine deorum intelligit angelos, qualem viderat in fornace cum tribus iuuenibus; qua de re à Daniele edoctus vtique fuerat, *& somnium coram ipso locutus sum. Baltassar princeps ariolorum,* sic eum vocat, non quod esset Daniel ariolus, sed quia præpositus esset super cunctos sapientes Babylonis, [c] quos hoc loco vocat ariolos; eos Hebræi vocant prophetas, quidam vertunt Chaldæam vocem genethliacos, Septuag. ἐπαοιδούς, id est incantatores. Pergit autem. *Quoniam ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te, & omne sacramentum,* patefacere, *non est impossibile tibi, visiones somniorum meorum quas vidi, & solutiones eorum narra.* Vnum quidem erat somnium, quòd ad idem referretur, sed rerum diuersitate multiplex. Habebat enim arborem, volucres, bestias, vigilem &c.

c vt dicitur c. 2. 48.

VII. *Et propositio somnij.* Ipsvm autem somnium sic enarrat. *Videbam,* inquit, *& ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aspectus*

*illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea. Subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Hæc est prior pars visionis, quæ felicem, & florentem regis statum repræsentat; amplitudinem imperij, multitudinem subditorum, diuitiarum abundantiam, quæ possent omnibus hominibus ad viuendum sufficere: cuius potentia diuites ac nobiles nixi, beatam ducebant vitam: cuius protectione tecti populi, nullius vim aut iniuriam formidabāt.

VIII. *Diuina in Nabuchod. sententia.* SEQVITVR posterior: Et ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit, vigilem angelum intelligit, corporis expertem, ideoque minime somno obnoxium, vt ait Theodoret. quod semper vigilant angeli, nullius somni vel quietis indigentes, vtpote laboris omnis & defatigationis expertes. semper ad Dei imperium parati, vt ait Hierony. qui virgam vigilantem manu tenent, *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationem in populis,* ad nutum eius, qui ait, *vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud.* [a] & iterum. [b] *Ecce ego vigilabo super eos in malum, & non in bonum.* Clamat hic vigil fortiter, & ait, *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius, fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius. Veruntamen germen radicum eius in terra sinite,* vnde arbor iterum pullulare possit; *& alligetur,* is qui per istam arborem significatur, *vinculo ferreo, & æreo,* instar belluarum, *in herbis, quæ foris sunt,* id est campis herbidis, *& rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ,* id est esca eius sit herba sicut pecoribus.

a Ierem. 1. b 44. 27.

IX. *Eiusque finis.* HÆC dicuntur quidem de arbore, sed alluditur ad rem significatam per eam, & apertius quoque cum subditur. *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eum.* Hoc est decretum, quod Dominus per angelum pronunciauit, cum postularent angeli quid futurum esset Nabuchodonosori. Nimirum fore vt ex deiecta atque succisa arbore, quæ paulo ante proceritatis erat & vbertatis eximiæ, omnes cognoscerent vnum esse Deum excelsum, & vniuersorum Dominum, quique cuicunque voluerit, quantumcunque sit abiectus, & ignobilis, regnum attribuet, & honoribus ornabit exquisitis. Sic explicat Sanctius illud. *Donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud, & humillimum hominem constituet super ipsum.*

X. *Turbatur Daniel intellecto somnio.* HOC *somnium vidi ego Nabuchodonosor Rex. Tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus, quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi; tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est.* Nec humana tantum scientia, sed diuina præditus es, qua sapientes illi carent. Significans hoc somnium diuinitus immissum, diuinitus quoque addiscendum esse. *Tunc Daniel cœpit intra semetipsum tacitus cogitare, quasi vna hora, & cogitationes eius conturbabant eum.* Huius moræ, & conturbationis causam sic tradit Hierony. *Tacitus intellexit Daniel somnium esse contra regem, & timorem cordis vultus pallore significabat; dolebatque, pro eo qui ei plurimum honoris detulerat.* Quibus verbis causæ duæ cōtinentur, metus & commiseratio; cui aliqui tertiam addunt aduentum spiritus prophetici, quo sæpe legimus prophetas conturbatos, & nominatim ipsum Danielem. [c] Adde admirationem ingentem, ex tam insolenti personæ, & fortunæ commutatione. c c. 10. v. 8.

XI. *Quod roganti regi exponit.* RESPONDENS *autem Rex ait, Balthassar, somnium, & interpretatio non conturbent te:* beneuole animat Danielem ad promendam veritatem, quam etiam Daniel vice versa deprompturum se ostendit, non insultantis animo, sed compatientis. Ideoque ait, *Domine mi somnium his te oderunt, & interpretatio eius hostibus tuis sit.* Auertat Dominus à te præuisam cladem, & in hostium tuorum caput conuertat. Et paulo post, *Hæc est interpretatio,* inquit, *sententia Altissimi, quæ peruenit super dominum meum regem.* Denique enunciata perspicuis verbis, sine vlla allegoria Dei sententia, ei dat consilium salubre: sententia sic habet. *Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cœli infunderis septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Et vice versa quem voluerit à regio solio, & maiestate deiiciat, atque adeo infra homines deturbet, & bestiis ipsis exæquet. *Quod autem præcepit vt relinqueretur germen radicum eius, id est arboris, regnum tuum tibi manebit,* conseruabitur videlicet ac restituetur, *postquam cognoueris potestatem esse*

*cælestem*: cui omnis creata potestas subesse debeat. Cæterum quomodo hæc impleta sint sequenti anno dicendum erit.

CONSILIVM autem est huiusmodi. *Quamobrem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis.* Sapiens omnino ac fructuosum consilium. Nam & Regi potentissimo accommodatum & facile, & tot deprædationib. aliquo modo emendandis conueniens, & Deo per preces pauperum propitiando valde opportunum. Existimauit autem Daniel fieri posse, si hæc esset duntaxat comminatoria sententia, qualis in Niniuitas olim lata fuerat, vt eleemosynis, & istiusmodi bonis operibus placatus Deus, tam acerbam pœnam vel minuere, vel commutare statuisset. Sententia ergo Danielis est. Si quod remedium adhiberi possit auertendæ iræ Dei, & pœnæ debitæ peccatis, id maxime positum esse in elargiendis eleemosynis, supposito peccatorum dolore, & vera conuersione ad Deum. *Cum Beatus Daniel*, inquit D. Hierony. *præscius futurorum de sententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt*, Caluinistæ, *qui audacter peccatoribus*, si credant duntaxat, *veniam pollicentur Et tamen sciendum quod si Nabuchod. bona opera facienti venia repromittitur, multo magis aliis promittitur, qui leuiora peccata commiserunt.* XII. Bique salutare dat consilium.

ANNVS MVNDI 3464. QVINTAE AETATIS 525. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 29. DESOLAT. ET IOSEDEC. PONTIFICIS 18. NABVCHODONOSORIS 36. QVI & 13. IMPERII BABYLONIORVM 151. OLYMP. XLVII. AN. 3. TARQVINII PRISCI 26. VRBIS CONDITÆ 163.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 589.

Dan. 4. 26.




ABIERE menses duodecim à somnio ad pœnam eo denunciatam, quibus Nabuchodonosor non satis strenue, & constanter Danielis consilium est executus. Sic enim scribit D. Hierony. *Fecit quidem Nabuchodonosor iuxta Danielis consilium misericordias in pauperes & idcirco vsque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia. Sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur, & dicit. Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria nominis mei? bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ*, & forte præsens felicitas incitauit eum ad abrogandam paulatim prophetæ fidem, de tam inaudito, atq; insuetato malo; aut certe ad metum vel temporis interuallo obliuione delendum, vel præsentium deliciarum dulcedine diluendum. Hieronymi sententiam sequitur S. Thomas, Lyranus, Dionysius, Hugo. I. Quid hoc tempore Nabuchod. ex Hieronymo.

ALITER tamen videtur sentire Theodoretus. Ait enim, *Propheta igitur hanc sententiam exposuit; ille vero cum se durum & inexorabilem prabuisset, scelerum præmia tulit; & quæ audiuerat tristia, hæc oculis conspicatus est*, & mox, *Cum duodecim menses effluxissent, prædictæ minæ certo rerum comprobatæ sunt euentu, & cum tantum temporis ei ad resipiscendum datum fuisset, male definitum pœnitentiæ tempus consumpsit*, &c. Pergit aggregare regem in numerum eorum, qui diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis Dei contemnunt, de quibus Apostolus, [b] & paulo superius. *Annum totum*, inquit, *longanimitate tolerat, expectans eius pœnitentiam, vbi vero nullum remedium ex illius lenitate, ac longa patientia decerpere voluit, quæ minatus fuerat infert*, &c. Eadem sentit S. Chrysost. in Psal. 95. & Cyprian. l. de opere & Eleemosynis, quos sequitur Sanctius. II. Et Theodoreto.

b Rom. 2.

NESCITVR quo anni tempore somnium vel apparuerit, vel explicatum fuerit, sicut nec quando isti menses duodecim vel incipiant vel finiantur. Non III. Ratio temporis.

possunt autem tardius quam initio sequentis inchoari, & in fine 43. terminari, vt partem anni 44. qua regnauit, eius sanitati tribuamus. Nam partem aliquam anni 44. regnauisse, ex eo colligitur, quod Euilmerodach, qui ei successit, & sub ipsum initium regni sui Iechoniam eduxit è carcere, id non nisi duodecimo mense, & 25. die mensis fecit, anni videlicet sacri, vt Torniellus interpretatur: vt non temere media pars anni Nabuchodonosori, altera filio eius tribui possit.



## ANNVS MVNDI 3465. QVINTÆ ÆTATIS 526. IOSEDECI PONTIF. 19. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 30. DESOLATIONIS 19. NABVCHODONOSORIS 37. QVI ET 14. IMPERII BABYL. 132. OLYMP. XLVII. AN. 4. TARQVINII PRISCI 27. VRBIS CONDITÆ 164.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 588.

I. *Dei in reges imperium, & prouidētia.* PRIMVS hic est annus septennij admirabilis Dei prouidentiæ super filios hominum. Hoc tempus quo supremus ille Dominus, & princeps regum terræ, non tam verbis, quam rebus ipsis Dauidicum illud intonat. *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram*, Et, *Scitote quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit det illud.* Si quando enim post hominum memoriam demonstrauit se regum dominatorem, atque principem, hoc ille maxime tempore demonstrauit, cum magnum illum Monarcham, de quo dixerat Habacuc.[a] *Ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Bestiarum in morem infatuatum, subditorum regulorum subsannationi, domesticorum cachinnis, amicorum commiserationi exposuit. Illum Imperatorem de quo dixerat Ieremias.[b] *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuch. regis Babyl. serui mei; insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi*, Et, *Gens autem, & regnum, quod non seruierit Nabuchod. regi Babylonis, & quicunque non curuauerit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus, donec consumam eos in manu eius.* Illum inquam imperatorem, omnium gentium dominum, dudum regum humili famulatu gloriantem, inaudita nunc insania dementatum, non subditum, non amicum, non seruulum habere, cuius ministerio vti possit; comparatum iumentis insipientibus, & similem factum illis.

*Exemplo magni Nabuchod.*

*a c. 1. 10.*

*b c. 27. 6.*

II. *Quantum mutatus ab illo, quamque iuste.* QVI regiones & ciuitates spoliauerat, regnis omnibus spoliatur; qui homines domo, patriaque pepulerat, patria, domoque pellitur; Qui reges exauctoratos in ordinem redegerat, mente captus redigitur in ordinem bestiarum. Qui purpura, qui sceptris priuauerat, & thiaris, ne vestes quidem suas probrosus, ac pudendus retinere potest. O prodigiosam rerum commutationem! Magnus ille Nabuchodonosor, re nomineque magnus, ad cuius nomen tot regna contremuerunt, cuius præsentia concussa sunt, cuius impetu prostrata iacuerunt, gemit ad minas agricolarum, ferre & ære vincitur, verberibus cæditur, *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Abigitur ad saltus, & inuia nemora, qui multos fuga lapsos ad deserta, & antra ferarum compulerat; herbam & fœnum comedit, qui fame vexauerat: & qui terras omnes iniuriis affecerat, omnibus subiacet iniuriis cœli. Et intellexit Nabuchod. quia omnia opera Dei excelsi *vera sunt, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* [c]

*c Dan. 4. 34*

III. *An hæc vere gesta. Opinio Origenis.* SED desipimus ipsi fortasse, si parabolam, aut visionem imaginariam pro veritate, & historia studio iactamus inani. Hoc ergo primo videndum est, tum de modo deformationis huius, & tempore pauca pro instituto dicemus.

*Nam, vt ait D. Hierony. quamuis historia manifesta sit, qui tamen volunt per Nabuch.*

*contrariam intelligere fortitudinem*,&c. Origenē intelligit,eiusq; sectatores,qui passim historica veritate neglecta,& tanquam absurda reiecta, aut crassioribus relicta mentibus,ad spirituales ipsi sensus, & anagogices transcendebant, & fœdis erroribus implicati,euanescebant in cogitationibus suis. *Isti ergo asserunt*, inquit idem,*nequaquam fieri potuisse vt fæno per septem annos vesceretur homo,qui nutritus erat in delicijs,& septem annis,absque vlla laceratione corporis sui inter bestias viueret.* Quærunt 1.
quo modo per 7. annos amenti homini imperium reseruatum sit, regnumque 2.
potentissimum absque rege tanto tempore fuerit. Aut si alius illi successerit in 3.
regnum, cuius vecordiæ æstimandus sit,vt cederet imperio, quod tanto tempore possidebat; præsertim cum historiæ Chaldæorum nihil tale contineant: nec 4.
potuisse fieri, vt qui de minoribus scripserant maiora reticerent. *Hæc autem omnia quærunt & replicant, vt cum historia non steterit, per Nabuchodonosor diabolus significetur.* Hæc fere Hierony.

IV. *Non posse per Nabuchod. intelligi dæmonem.*

PRIMVM facile est demonstrare per Nabuchodonosorem diabolum absurdissime intelligi: tum nihil esse in historica veritate absurdum, nihil impossibile. Nam, vt notauit Perer. dicitur Nabuchodon. habuisse somnium quoddam,eiusque intelligentiam de Chaldæis,aliisque sapientibus quæsiuisse; at nec somniat diabolus; nec quæ ignorat ipse,ab hominibus doceri potest, vt quibus sit ipse longe solertior, & sagacior. Vocatur Daniel collega regis Nabuchodonosor, eumque Daniel appellat regem suum & dominum suum: dicant igitur isti quomodo Daniel fuerit collega diaboli,aut quomodo eum regem, aut dominum suum appellarit. Daniel casum regis miseratus, dixit cupere se vt ea calamitas,quæ regi impendebat, à rege auerteretur, & in hostes ipsius transferretur. Hostes diaboli,vt constat,sunt boni, & sancti viri, quomodo ergo credibile est Danielem optasse,vt mala & supplicia,quibus diabolus iuste punitur,ab ipso transferrentur in seruos Dei?

V. *Multis cōuincitur.*

QVOMODO fœnum vt bos comedit,& rore cœli corpus eius infunditur, & capilli eius, & vngues eius excrescunt, qui caret corpore, qui cibo vti non potest? Quid quod Daniel suasit regi vt peccata sua eleemosynis redimeret, quod quemadmodum ad diabolum applicari queat, ne fingendo quidem reperiri potest. Denique post illos septem diuinæ vindictæ annos dicitur Nabuchod. oculos suos ad cœlum leuasse, sensum suum recuperasse,altissimo benedixisse, & viuentem in sempiternum laudasse,& glorificasse, & impetrata à Deo misericordia, pristinam imperij gloriam recuperasse. At fides Catholica profitetur nullam pœnitentiam, nullam veniam, nullum suppliciorum finem diabolo posse contingere. Quantumuis, ad hunc errorem stabiliendum, Origenistæ conati sint historiam hanc in phantasticam, aut fanaticam potius allegoriam conuertere.

VI. *Historiæ veritas cōfirmatur.*

HISTORIÆ porro veritas omnium Catholicorum, imo & hæreticorum passim, & Hebræorum interpretum consensu firmatur, & historia ipsa Nabuchodonosoris requirit, vt non minus huic parti quam præcedentibus fides historica tribuatur; ne, vt ait Hieronymus, *omnia quæ legimus vmbræ videantur & fabulæ*: nec est vllum fidei mysterium, quod chimericis istis anagogiis eludi non possit. Ideoque scriptura lectorem monet, si quando visio potius, quam res gesta narretur: vt Ezechiel.[a] *Adduxit me spiritus in Ierusalem, in visione Dei.*[b] & alibi, *Eduxit me in spiritu Domini, & dimisit me in medio campi.*[c] & rursum. *In visionibus Dei adduxit me in terram Israel.* Apoc. 4. 2. *Statim fui in spiritu, & ecce sedes posita erat in cælo*, &c. Quamuis autem princeps Tyri, & Rex Ægypti, & Assyriorum de lucifero explicentur à sanctis, nullus tamen eorum, occasione allegorici sensus, falsam, aut dubiam historiam facit. Denique, vt notauit idem Perer sequenti cap. Daniel Balthasarem reprehendit, quod patris sui tam prodigioso exemplo non fuerit effectus modestior, & reuerentior in Deum, sed aduersus dominatorem cœli eleuatus sit. Num parabolicus Nabuchodonosor Balthasaris pater fuit, aut etiam ipse Balthassar, & coniuiæ, & vasa, ad ineptas, & pueriles ineptias detorquenda sunt?

a c. 8. v. 3.
b c. 37. 1.
c ca. 40. 2.

VII. *Soluuntur obiecta.*

QVÆ autem in contrarium adducuntur, quamuis supra vires humanas esse concederentur, nunquid omnipotentiam superant conditoris? *Quid mirum est*,

inquit Hierony. *si ad ostendendam potentiam Dei, & humiliandam regum superbiam hoc Dei iudicio sit perpetratum?* Quamquam quid absurdum est herbis victitasse Nabuchodonosorem, tanta illius commutatione facta, quantam postea dicemus, cum sciamus tot eremitas & anachoretas rationis, & iudicij bene compotes, herbis, & radicibus ipsos sexaginta annos incolumes, valentesque victitasse: & vel nudos, vel arborum foliis indutos, sub dio, vel in antris, & speluncis perdurasse. *Proprium est desipientium*, ait Theodoretus, *non solum dicere ac facere ea, quæ ratione & ordine careant, sed omnia etiam in quæcunque inciderint comedere, quod cerni etiam nunc potest in iis, qui à dæmonibus vexantur, talia enim & faciunt, & patiuntur.* Sic Theod.

*Non absurdus victus eius.*

VIII. *Nec commoratio cū bestiis.* Qvod inter bestias sine vlla corporis laceratione vixerit, tribuamus diuinæ prouidentiæ, & angelicæ custodiæ quod anachoretarum tribuimus sanctitati. Nam vulgo quoque non temere dicitur, stultis & infantibus Deum peculiariter adesse: quanto id iustius de tanto rege credatur, quem volebat quasi signum erigere, in quod principes omnes intuentes, modestiam, diuinumque timorem addiscerent? Neque vero difficile fuit regnum ab Euilmerodacho filio interim suscipi, & administrari, & peracto septennij tempore, eidem restitui, consilio & autoritate Danielis, qui ab omnibus colebatur vt vir sanctissimus, & diuino spiritu plenus: qui vt hanc tantam metamorphosim multo ante præuiderat, atque prædixerat, ita & finem eius certo pronunciabat: & iure fidem faciebat indubitatam de futura sanitate, cuius de futuro morbo prædictionem, euenta ipsa tam perspicue confirmabant. Intus autem Deus in omnium cordibus operabatur, & mentes miraculi nouitate perculsas, quamcumque in partem vellet inclinabat: filij præsertim, qui natiua insuper in patrem reuerentia, & commiseratione, ac beneuolentia mouebatur. Itaque cum omnes ad finem septennij magna expectatione, & desiderio suspensi penderent: cum primum eo elapso, rex sibi, ac sanitati redditus est, libentissimis animis, summaque omnium ordinum gratulatione exceptus, regnóque restitutus est.

*Qui seruatum ei regnum.*

IX. *An, & cur Chaldæi ea de re non scripserint.* Qvod denique Chaldæi scriptores eius rei non meminerint, nihil admodum ad rem facit. Non enim si quid Ethnici non scripserunt, quod libris sacris continetur, iis deroganda est fides, cum diuina oracula humanis testimoniis neque egeant, neque nitantur. Nam forte scripserunt, quæ ad notitiam nostram, per tot Babylonis ruinas, direptiones, incendia non peruenerunt: vel metu aut pudore victi, regis & nationis suæ dedecus silentio obruere voluerunt: vel epistolam ipsam regiam toto terrarum orbe dispersam, & euulgatam, & Danielis libro insertam, instar omnium monimentorum, atque historiarum esse putauerunt. Quamquam nonnihil scriptum ab illis inuenitur, quod aliquam huic veritati præbeat suspicionem. Nam Eusebius sub finem l. 9. de præpar. ita scribit. *Sed Alphæus etiam de Assyriis, & Nabuchodonosore hoc modo scribit. Megasthenes vir priscus Nabuchodonosorem Hercule robustiorem dicit fuisse, vniuersamque Libyam, cæteramque Asiam vsque ad Armenios domuisse, quem Chaldæi dicunt, cum in regnum suum rediisset, furore diuinitus captum, magna exclamasse voce. Futuram ô Babilonij vobis ego calamitatem prænuncio, quam nec Belus ille, nec vlla vis deorum auertet. Veniet Persa semiasinus, qui vobis afferet seruitutem.* Hæc apud Euseb. Alphæus, & Megasthenes, quibus ad hanc historiam videntur allusisse, mutila quapiam per manus cognitione eius accepta, & cum nota Cyri historia copulata, qui semiasinus dicitur, quasi ex equa & asino genitus. Mandane videlicet Astyagis regis filia, & Cambyse Persa, longe inferioris ordinis, & nobilitatis, vt ait Herodotus l. 1.

*Vide Esa. 21. 7.*

X. *Nabuchodonosoris non transformatio facta est.* Iam vero quod ad ipsam deformationem potius, quam transformationem attinet, nemo, qui de summa Dei in vniuersam rerum naturam potestate non ambigat, dubitare potest, transformationem omnimodam vnius rei in alteram diuinitus fieri posse, qui quotidianam transsubstantiationem in diuinissimo Eucharistiæ sacramento fieri credat; & mulierem meminerit retro aspicientem in statuam salis puncto temporis esse conuersam. Sed hanc à nobis fidem circa Nabuchodonosorem scriptura non exigit, quæ non obscure significat ei tantum rationis vsum ad certum tempus fuisse sublatum. Nam ipse Nabuchodon. *& sensus meus redditus est mihi*, deinde ait capillos suos, & vngues instar auium creuisse; si qua in membris facta fuisset mutatio, vel forma corporis humani

perdita,

perdita, id quoque scriptura minime tacuisset.

ERGO neque interior forma corporis, quæ est anima rationalis, nec eiusdem forma, siuè figura exterior commutata est, sed diuinitus phantasia ipsius ita perturbata est: vt se in bestiam conuersum esse arbitraretur, vt aliquibus ex melancholici humoris intemperie, phrenesi, alióue morbo sæpe contingit: ex quo fiebat vt hominum consortia effugeret, & syluestribus se feris aggregaret, & in eorum more prono corpore quadrupes ambularet; (vnde postea oculos in cœlum leuasse dicitur, improbante licet Sanctio,) nec humano more articulatas voces proferret, sed ritu bestiarum vlulatus, aliosque sones inconditos sponte resonaret. *Lingua eius*, inquit Epiphan. *ligata hæserat, ne verba faceret, & vox bruti data est ei.* XI. *Sed phantasia perturbatio.* XII. *Temperies eius efferata.*

a v. 13. ADDIT Perer. diuina vi ac potestate temperamentum corporis eius fuisse efferatum, & factum simile temperamento bestiæ, quatenus in eo natura hominis conseruari posset. Idque illis verbis [a] significatur. *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei:* quo fiebat vt bestiarum cibum appeteret, eoque etiam vtiliter vteretur, & cute carnéque durescente æstus & hyemes, soles & pluuias in columi corpore pateretur. Ex quibus liquet quantum fidei tribuendum sit iis quæ apud Epiphanium & Dorotheum leguntur in lib. prophetarum, si tamen germana sunt illa opera, quæ stylum & fabulas rabinorum nonnunquam redolent; *Præferebat*, inquiunt, *anteriore parte pariter & capite bouem, pedibus vero & posterioribus membris leonem*, quæ tamen postea parabolice videntur interpretari.

QVANDIV porro durauit ista calamitas? Scriptura septem vocat non annos, sed tempora: quæ causa fuit olim nonnullis varie hæc tempora interpretandi. *Septem tempora*, inquit Theodoret. *alij 7. annos dixerunt, alij tres cum dimidio, neque enim in 4. conuersiones diuina scriptura annum diuidit, sed in duas maxime generales partes, hyemem & æstatem: 7. igitur huiuscemodi partes, tres annos cum dimidio perficiunt.* Ita Theodor. sed nescio an ex scriptura sex mensium anni probari possint. Nec minus temporum nomine trimestria spatia, quam semestria intelligi possent: nemo enim est cui 4. anni tempora non sint audita. Quidam etiam 7. tempora in 7. menses contraxerunt. *Septem porro annos*, inquit Epiph. *quæ illi 7. tempora Daniel prædixit, supplicationibus ipse suis super eo ad Dominum, in totidem menses commutauit*, quæ totidem fere verbis habet Dorotheus, qui & addit. *Septem namque mensium spatio sibi ipse restitutus, sex annos qui desiderabantur, & menses quinque coram Domino prostratus fuit, impietatem suam & omnem iniquitatem confessus.* XIII. *Quandiu durauit hæc ferita.* *Non tres annos cum dimidio.* *Aut 7. menses.*

HÆC nullum habet in scriptura fundamentum, & contra cõmunissimam omnium interpretationem traduntur. Nam Iosephus 7. tempora septennium semel iterumque interpretatur. Imo Daniel ipse tempus, & tempora, & dimidiũ temporis, quæ ponit c. 7. [a] deinde c. 12. [b] per mille ducentos 90. dies exponit, qui tres annos cum dimidio efficiunt: eademque phrasi, & expositione D. Ioan. in Apocal. vtitur. Tertul. item. [c] *Diu*, inquit, *pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus*, &c. Itaque traditiones illæ ad Iudaicas fabulas amandari possunt, quo eas Pererius quoque relegat. Id enim si contigisset, vt idem ait, minime fuisset à scriptura prætermissum: siquidem ea res maxime commendabat & Danielis gratiam apud Deum; & admirabilem Dei erga peccatores resipiscentes ac pœnitentes bonitatem, atque indulgentiam. XIV. *Sed potius annos septem.*

a v. 3. b v. 11. c l. de pœnit. in fi.

b v. 25. SVPEREST vt ipsius rei gestæ seriem cum scriptura narremus. *Omnia hæc*, inquit Daniel. [b] *Venerunt super Nabuchod. regem*, quo autem ordine, quaque occasione, sic explicare pergit. *Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat*, id est in solario supra tectum palatij, vnde circumquaque vrbis prospectus patebat. Theodoretus habet hæc paulo ampliora. *Et post 12. menses*, inquit, *in templo regni*, id est in palatio, *in Babylone deambulabat, & super mœnia ciuitatis cum omni gloria sua, & super turres eius incedebat*, &c. & eius admirans magnitudinem, pulchritudinem, & magnificentiam fastu vanissimo tumens dixit. *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* XV. *Occasio mutationis regis.*

c l. 10. c. 11. MVLTO erat antiquior Nabuchodonosore Babylon, sed eius se conditorem appellat, eo quod eam vehemẽter amplificasset, ornasset, locupletasset: sic enim scribit Iosephus [c] ex Beroso l. 3. rerum Chaldaicarum. *Spoliis*, inquit, *bello partis Beli templum, & alia quædam magnifice exornauit. Auxit etiam & reparauit antiqua vrbis* XVI. *An conditor Babylonis Nabuch.*

*ædificia, munito & fluminis alueo, ita ne hostes eo possent vbi ad ciuitatis incommodum.* Tres quoque murorum ambitus intra vrbem extruxit, & totidem foris circundedit, omnes è coctilibus laterculis. Cumque memorabilibus operibus ciuitatem muniisset, & portas in templorum modum ornasset, paternæ regiæ contiguam extruxit aliam regiam; cuius substructiones, & reliquam magnificentiam forte superuacuum esset dicere: vnum silere non possum, quod tam amplum, & superbum ædificium intra quindecim dies absolutum est. In hac regia moles saxeas fornicibus suspendit, montium speciem referentes, superne consitas variis arborum generibus atque ita celebratos illos pensiles hortos absoluit: eo quod vxor educata in Media, concupisset quandam patriæ suæ similitudinem. Hæc eadem referuntur à Iosepho l. 1. contra Apionem, vtrobique quidem totidem verbis, vt ait, non sine aliqua tamen diuersitate. Sed redeamus ad Nabuchod.

XVII. *Iterum cōdemnatur diuinitus, & furere incipit.*

CVMQVE *sermo adhuc esset in ore regis, vox de cœlo ruit, Tibi dicitur Nabuchod. rex, regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eycient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te*, &c. Hæc est iteratio sententiæ damnationis regis, qua reipsa addicitur in septennium pœnæ dementiæ, & amissionis regni, vitæ & victus ferini. Nam subditur. *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est.* Videtur à principio, cum furere cœpisset, vinculis fuisse ligatus, & quidem, vt par est credere, mollioribus; sed iis diffractis, validioribus, atque adeo ferreis: dictum enim fuerat, [a] *Alligetur vinculo ferreo, & æreo.* Sed cum vna cum vinculis insania & rabies cresceret, & ipse ratus se feram, quam maxime fugere conaretur, vt reliquæ solent belluæ, videntur domestici, consilio Danielis vsi, eum foras, non sine charorum gemitu, ac luctu dimisisse. a v. 12.

XVIII. *An eyciatur, ex Theodoreto.*

QVANQVAM de hac dimissione paulo aliter sentire videtur Theodoretus cum ait. *Vt qui dementia, & insania, ac phrenetico morbo correptus erat, & corybantum more furore agitatus, contra omnes rabie insaniebat, necessariis vinculis constrictus fuerat, quæ tamen haud idonea erant, vt ipsum tutus detinerent, sed vagabundus desertis in locis morabatur.* Et infra, *Expulsus est primum propter ipsum morbum. Furore enim & rabie correptus infinita mala perpetrasset, si modo ei facultas data fuisset; deinde etiam propter odium, quod in illum omnes habentes, cum valebat occultare conabantur; cum vero in calamitatem incidisset, omnes ei insultabant ob crudelitatem ipsum abominati.* Sic Theodor. Verum nullum extat eius odij vestigium in script. nullum exemplum crudelitatis in suos: quæ licet non defuissent, natura tamen ita comparatum est, vt huiusmodi grauissimæ calamitates, in talibus præsertim personis, etiam hostiles animos admiratione primum percellant, tum commiseratione emolliant, atque infringant, reputantes se quoque huiusmodi calamitatibus esse obnoxios, si forte voluerit magnus ille regum imperator in eorum crimina, & mores animaduertere.

*Num propter odiū.*

XIX. *Quæ eius nunc vita.*

Ex *hominibus* ergo *abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est*, pluuias scilicet solesque perpessus. Cum gelu & æstu conflictans, necessario alium colorem accepit, ait Theodor. *Donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent*, 70. & Theodoretus habent, *quasi leonum magni facti sunt.* Tertull. de eo agens,[b] ait eum diu pœnitētiam operatum, vnguium aquilinum in morem efferatione, & capilli incuria horrorē leoninum præferente. Hebræo tamen Vulgata consentit, qua significatur hirsutum factum fuisse, vt sicut aquilæ plumis, ita ipse pilis toto corpore hispidus euaderet, & cæsaries per vultum, ceruicem, humerosque fluitaret; vngues autem, in morem auium prædatricum, crescentes rigescerent. Sicque totum septennium noctes diesque eiulans, atque vlulans, per saltus, auiaque discursans, & vbi sors tulisset, & defatigatio compulisset iacens, vitam rex infelix, post homines natos inauditam traduxit: dum interea regnum ab Euilmerodach filio Nabuchodonosoris secundo genito administraretur, vt refert ex Hebræis Tostat.[c] & quidem satis insolenter, etsi haberet præ oculis tam prodigiosum patris exemplum.

b l. de pœnit. fi.

c in 4. Reg. 25. q. 37.



ANNVS MVNDI 3466. QVINTÆ ÆTATIS 527. IOSEDECI PONTIF. 10. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 31. DESOLATIONIS 20. NABVCHODONOSORIS 38. QVI ET 15. IMPERII BABYL. 133. OLYMP. XLVIII. AN. 1. TARQVINII PRISCI 28. VRBIS CONDITÆ 165.

ANNVS ANTE CHRISTVM 587.



ALTER agitur annus ferinæ vitæ Nabuchodonosoris, qui dum ita læsam haberet perturbatamque phantasiam, vt se putaret esse belluam; id enim valent ea verba, *cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Feræ inquam syluestris, non equi, aut bouis, asinive vel cuiuspiam pecudum cicurarum, sed leonis, aut vrsi, apriue: (Nam quod fœnum comesturus dicitur, quod istæ feræ non faciunt, fœnum late pro quouis animalium cibo sumitur, quia eorum quamplurimis fœnum, vel herba communis est cibus.) Ideoque quæ belluarum sunt propria illa cogitaret, amaret, sectaretur; & quæ illæ fugiunt, puta domos, humanamque consuetudinem, ipse quoque omni studio refugeret; Rempublicam, vel hortatore Daniele, Euilmerodach filius eius administrabat, vt Hebræi, omnesque interpretes magna cum probabilitate sentiunt, & iterum in reditu syluestris huius hominis dicetur. I. *Annus 2. Nabuchod. ferina.*

OCTAVAM interim atque quadragesimam agebant Græci Olympiadem, in qua Glaucias quidam, quem aliqui Glyconem vocant, Crotone oriundus victor in Olympico stadio effectus est. Eius meminit Pausanias l. 10. additque hac ipsa Olympiade in Pythicis ludis Amphictyones certamina instituisse cantus ad cytharam vt pridem; cantus item ad tibiam, & ipsarum per se tibiarum, qua de re plura apud eundem leges.[a] Leges & apud Diogenem in vita Pythagoræ hac ipsa Olympiade purpuratum quendam ac comatum Pythagoram, à pueris irrisum, Athletam factum etiam viros superasse. II. *Olymp. 48.*

[a] p. 312. gr.



ANNVS MVNDI 3469. QVINTAE AETATIS 530. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 34. DESOLAT. ET IOSEDEC. PONTIFICIS 23. NABVCHODONOSORIS 41. QVI & 18. IMPERII BABYLONIORVM 136. OLYMP. XLVIII. AN. 4. TARQVINII PRISCI 31. VRBIS CONDITÆ 168.

ANNVS ANTE CHRISTVM 584.



OBSCVRATVS hoc anno Sol, iuxta prædictionem Thaletis Milesij, eundem illustrem atque insignem facit. Apud Græcos, ait Plinius, defectus syderum primus omnium inuestigauit Thales Milesius, Olympiadis quadragesimæ octauæ anno quarto, prædicto Solis defectu, qui Alyatte rege factus est, Vrbis côditæ anno 170. Sic ipse. Abundãt anni vrbis duo, iuxta Dionysij Chronologiam quam sequimur, nisi placet cum Buntingo dicere, eum duas eclipses in vnam confudisse. Rem ipsam narrat Herod. in Clio, Bellum, inquit inter Lydos Medosque quinquennale conflatum est. Quo in bello aliquoties I. *Eclipsis Solis.*

l. 2. c. 12. — l. 1. p. 13.

Medi victores extiterunt, & nocturnum quoddam prælium gesserunt. Sexto autem anno signis collatis, cum æquo marte certarent, inter pugnandum contigit vt repente dies in noctem verteretur. Quam immutationem huius diei futuram Thales Milesius Ionibus prędixerat, hunc ipsum annum pręfiniens quo immutatio facta est.

II. *Bellum Astyagis contra Halyattem.* LYDI ac Medi vbi diem noctescere viderunt, à pugnando destiterunt, eoque propensius ad pacem inter se constituendam festinauerunt, autoribus conuentionis Syennesi Cilice, & Labyneto Babylonio, qui vt iusiurādum intercederet, & reconciliatio affinitate fieret, properarunt, decernentes ab Aliatte Arienam filiam Astyagi Cyaxaris filio nuptum dandam. Hæc Herod.

Ex quo deinde coniugio Mandane Cyri mater nata est. Buntingus ait contigisse hanc Eclipsin in principio Geminorum, instante anno quarto præsentis Olympiadis; verum extremus annus quisque Olympiacus, & initium sequentis ad eundem annum Iulianum pertinent. Fuit hic annus vitæ Nabuchodon. inter feras transactæ quintus. Et Periandri Corinthiorum tyranni vltimus, iuxta Olympionicarum catalogum.



## ANNVS MVNDI 3470. & 71. QVINTAE AETATIS 531. & 32. IECHONIÆ ET TRANSMIGRAT. 35. & 36. DESOLATIONIS ET IOSEDECI PONTIF. 24. & 25. NABVCH. 42. & 43. QVI & 19. & 20. IMP. BABYL. 137. & 138. OLYMP. XLIX. AN. 1. & 2. TARQVINII PRISCI 32. & 33. VRBIS CONDITÆ 169. & 170.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 583. & 582.

I. *Olymp. 49.* YCINVS Crotoniates puluerem Olympicum hoc anno victor non inutiliter collegit; quo anno Isthmica certamina restaurata sunt, quæ à temporibus Cypseli Corinthiorum tyranni neglecta fuerant, vt est in Olympionicarum catalogo: vbi etiam refertur in hunc annum simulatio Solonis ad bellum contra legem suscipiendum inducta. *Solon autor belli insania simulata.* Refert enim Plutarchus in Solone, refert & Laërtius in eiusdem vita, Athenienses diuturno ac graui bello de Salamine insula contra Megarenses afflictos, legem sanxisse, vt qui verbo, scriptóue de ea insula obtinenda retulisset, capite plecteretur. Id patriæ dedecus grauiter ferens Solon insaniam simulauit: interim autem dum eius furor per vrbem vulgatur, ipse elegos meditatus est, quibus id bellum suadebat. Ergo in forum proripuit se pileatus; quo cum vis ingens hominum confluxisset, lapidem præconis conscendit, elegiamque secundissimis auribus cantauit. Itaque mox Pisistrato annitente, lex abrogata, decretum bellum, cuius Solon factus est imperator, & Salaminam obtinuit. Verum ratio temporis non satis commode videtur instituta. Hoc enim bellum longe ante leges à Solone conditas, à Plutarcho memoratur, quando potestas omnis in Republ. ei permissa est, vt nihil opus esset insaniam simulare.

II. *Eclipsis solis.* ALTERO huius Olympiadis anno Eclipsim solis contigisse refert Buntingus, anno, vt scribit Plinius, ab vrbe condita 170. quam cum ea, quam prædixit Thales, videtur confudisse, quæ biēnio ante contigit, (de qua vide etiam Clem. Alexand. l. 1. Strom. ex Eudemo in historiis astrologicis) & quidem sub mensem Maium; hæc autem in autumno, sole tertium libræ gradum perambulante. l. 2. c. 12.

Fuit hic idem annus Tarquinij trigesimus tertius, quo leges à Solone Athenienfibus datas scripsit Gellius; Ego sententiam non muto; & ille negat accuratam se Chronologiam tradere. l. 17. c. 21. Vide supra Olym. 46. an. 3.



ANNVS MVNDI 3472. QVINTAE AETATIS 533. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 37. DESOLATIONIS ET IOSEDECI PONTIFIC. 26. NABVCHODON. 44. ET VLT. EVILMERODACHI 1. IMPERII BABYL. 139. OLYMP. XLIX. AN. 3. TARQVINII PRISCI 34. VRBIS CONDITÆ 171.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 581.



QVATVOR rebus memorabilis est hic annus, [a] Nabuchodonosoris sanitate, regnóque recuperato, móxque eiusdem morte subsecuta; nouo Euilmerodachi regno, & fine carceris Ioachini, de quibus hoc ipso ordine deinceps dicendum. Cæterum de annis regni Nabuchod. & quomodo in hunc annum mors eius cadat, in eius morte dicemus. Nec omittendum, esse hunc annum Sabbaticum ordine 127. Sed erant nunc omnes anni in Iudæa Sabbatici; & terra longa sabbata, iuxta diuinum oraculum, celebrabat. *Donec*, inquit, [b] *compleretur sermo Domini ex ore Ieremiæ, & celebraret terra sabbata sua cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, vsque dum complerentur septuaginta anni.*

*a Dan. 4. 31. 4 Reg. 25. 27.* — *b 2 Paral. 36. 21.* — I. *Res huius anni 1.* — *Annus sabbaticus 127.*

II. IGITVR *post finem dierum*, ait apud Danielem Nabuchodon. id est expleto septennio à iudice Deo præscripto. Sic enim Iosephus quoque interpretatur hos dies. [c] *Nam cum in solitudine*, inquit, *tempus prædictum exegisset, nemine septennio toto audente inuadere dominium, exorato Deo rursum in regnum suum restitutus est*. Sed hæc ipsa ex Daniele rem accuratius persequente accipiamus. *Post finem dierum, Ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui.* Vides ordinem receptæ sanitatis. Primùm oculos tollit in cœlum, vnde ei venturum erat auxilium; tum illo ei superueniente, reformatur interior eius, exteriorque dispositio; humorum, & cerebri, imaginationisque temperies renouatur, redit antiquus rationis, & humanorum organorum vsus; Denique gratias agit præpotenti Deo.

*c l. 10. c. 11.* — *Restituitur sibi Nabucho 1.* — *Et quo ordine.*

III. VERVM illam ipsam oculorum eleuationem, diuinus instinctus antecesserit; alioqui enim ad mortem vsque in eadem sui, Deique obliuione perseuerasset. *Nam*, vt ait Hieronym. *Nabuchodonosor illo tempore tanti furoris fuit, & amentiæ, vt malorum tempore, bonorum, quæ ei Deus promiserat, non fuerit recordatus.* Et sicut huius insaniæ origo non humana fuit, sed diuina; ita debuit diuinitus inchoari curatio. Somno quidem naturaliter consopimur, & sponte euigilamus: at diuinitus immissus hic somnus profundior fuit, quam vt ab eo expergefieret rex ipse per sese. Ita neque peccator vnquam aut ad se, aut ad Deum rediret, nisi illa ipsa redeundi, & resipiscendi cogitatio, ei à diuina misericordia instillaretur.

*Præuia inspiratione diuina.*

IV. ILLA porro gratiarum actio, & laus & glorificatio vberius explicatur his verbis. *Potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Vsque ad præsens tempus*, ait idem apud Theodoret. *existimaueram meipsum maximum, & altissimum esse: nunc autem aperte cognoui omnem hominum naturam, si Deo comparetur, nihil esse.* Sic ipse. Et quoniam ipsum Nihil nullam habet actionem, nullam resistendi facultatem, ideo Deus omnia in hominibus pro suo arbitrio operatur; vnde sequitur. *Iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli*, id est angelis, quibus Deus vsus fuerat administris ad puniendum Nabuchodonosorem, *quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, Quare fecisti.* Ecce vero

*Gratias agit Deo.*

mutatum Nabuchodonoſorem, qui ingentibus beneficiis à Deo cumulatus Deum negligit, ſe ipſe magnifice circunſpicit; nunc tam acerbis, tam diuturnis, tam inuſitatis verberibus afflictus, ac contrucidatus gratias agit: quis hic neget eſſe digitum Dei?

V. *Reſtituitur regno.* RESTITVTVM ſibi, & reconciliatum Deo Nabuchodonoſorem, regno quoque priſtino Dominus reſtituit, qui eſt totius huius hiſtoriæ tragicæ finis. *In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei decoremque perueni, & figura mea reuerſa eſt ad me.* Septuag. habent formã, Hebræ: decorẽ: deformis enim factus fuerat, figura tamen humana remanſerat, vnde Hierony. *Quando dicit ſenſum ſibi redditum, oſtendit non formam ſe amiſiſſe, ſed mentem*, nomine formæ intelligens figuram, & delineationem membrorum humanorum. Pergit, *& optimates mei, & magiſtratus mei requiſierunt me, & in regno meo reſtitutus ſum, & magnificentia amplior addita eſt mihi. Squalens enim ſitu*, ait Theodoret. *vt par erat, & ſordeſcens detonſus, abiectiſque vnguium excrementis, ſordibuſque ablutis, diuinæ gratiæ compos factus, agnouit ſe illum eſſe hominem, qui prius maximum adminiſtrabat regnum.*

VI. *Annitente in primis Daniele.* TRADVNT Epiphan. atque Dorotheus & cum iis Perer. Danielem ſua autoritate, & ſapientia perfeciſſe, vt non ſolum ſine vlla difficultate, & contradictione reciperetur à ſuis, quem ille affirmaret fore ſapientiſſimum, atque virtutibus omnibus regiis decoratum; ſed vt ſummo illius deſiderio tenerentur, & finem ſeptennij, cum magna expectatione & auiditate præſtolarentur. Ex quo conſecutum eſt magnum totius populi gaudium, magna gratulatio, & ſolito maior omnium ordinum erga ipſum amor & reuerentia, vt proxime allata verba ſignificant, quibus concluſio epiſtolæ ſiue publicæ teſtificationis Regis in hæc verba ſubiicitur. *Nunc igitur ego Nabuchod. laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in ſuperbia poteſt humiliare.* Omnia, inquit, cum veritate & iuſtitia moderantẽ agnoſco, atque profiteor eiuſmodi, qui inflatos ſuperborum ſpiritus comprimere poſſit, & conculcare. *Tantum vtilitatis*, ait Theodoret. *ex calamitatibus percepit Nabuchod. vt prophetæ inſtar, de Deo & ſentiat, & loquatur.*

VII. *Curat huius prodigij monimentum extare.* DIVTVRNO ergo totius regni luctu in gaudium commutato, & regè depoſita impietate ad veri Dei cognitionem, deprædicationem, & cultum cõuerſo, hanc totam ipſemet hiſtoriam conſcribendam curauit, & vbique gentium voluit eſſe teſtatam: cuius exemplum, vt diximus, Daniel ipſe fideliter in propheticum librum ſuum tranſtulit.

Cumque in eam curam omni ſtudio incumberet Nabuch. vt Dei erga ſe mirabilia efferrentur, & ea quoque mẽte eſſet, vt par eſt credere, vt verum Dei cultum, paulatim exterminata idololatria, toto ſuo imperio ſtabilire vellet, Deus cuius conſilia & iudicia abyſſus multa, eius bona voluntate contentus, eum breui tempore è viuis eripuit, vt Perer. & Torniellus, aliique merito crediderunt, & quidem ea morte, quam felicitas æterna ſit conſecuta. Sed priuſquam illud excutiamus de tempore mortis huius aliquid dicamus.

VIII. *Quandiu regnarit.* TRES inuenio ea de re non improbabiles ſententias; vnam quæ Nabuchodonoſori regni annos 43. attribuit, in qua eſt Ioſephus, [a] & Beroſus, l. 1. contra Apionem à Ioſepho relatus, quos ſequitur D. Hieron. in c. 5. Daniel. Euſeb. l. 9. Præpar. c. 4. ex Alexand. Polyſtore. Alij 45. vt Chron Hebræorum. c. 28. Geneb. Abulenſis in 4. Regum [a] & alij Media eſt, vt ei 44. annos aſſignemus, quæ cum prima fere coincidit, eo quod illa 37. annum tranſmigrationis totum Euilmerodacho tribuit, cuius nos bonam partem patri eius tribuendam putamus, quod non ſit veriſimile Euilmerodachum totum annum diſtuliſſe eductionem Iechoniæ è carcere. Chron. Hebræorum c. 28. totum annum 37. tranſmigrationis exceptis 5. diebus tribuit Nabuchod. & vult Euilmerodachum, ipſo primo regni ſui die, eduxiſſe Iechoniam è carcere, 25. ſcilicet die menſis 12. anni 37. ex quo ſequitur eum 44. annos regnaſſe, non 45. vt mox idem Chronicum aſſerit. A Caſtro ei etiam 44. annos attribuit. [b] Gordon. [c] Maldon. [d] At quintum & quadrageſimum, ad quem multi regnãdo eum perueniſſe putant, vt videre eſt apud Azor, [e] ne attingere quidem potuit. Nam, vt primo anno regni Nabuch. oſtendimus, & ex ſcriptura patet, [f] primus annus tranſmigrat. eſt 8. Nabuchod. ergo

[a] l. 10 c. 11. ſub fi.
[a] in c. 25. q. 35.
[b] in ca. 10 Ieremi. in 2 probat. 4. ſententiæ, & c. 27. n. 4.
[c] c. 12 n. 6.
[d] in ca. 9 Dan n. 2.
[e] t. 1. l. 6. c. 36.
[f] 4 Reg. 24. 12.

37. est 44. vt liquet ex annis expansis; & tamen in hoc ipso anno 37. regnauit Euilmerod. vt patet ex eodem loco 4. Regum, & vlt. Ierem. non potuit ergo regnare anno 38. qui respondet quadragesimo quinto.

IX. *An saluus sit.*

CÆTERVM de salute Nabuchodonosoris nequaquam temeraria est assertio. Hæc enim videtur esse D. August. sententia. Nam [a] epist. ad Victorianum presbyterum, quæ est de afflictione piorum, agens de tribus viris ab ignibus liberatis, & Daniele à leonibus, ait illa propterea facta fuisse miracula, *Vt eos*, inquit, *verum Deum colere crederent reges, à quibus in illa supplicia tradebatur.* Hi autem fuerunt Nabuchod. & Darius Medus ca 3. & 6. Daniel. *Hoc enim erat in occulto iudicio, & misericordia Dei, vt illis regibus eo modo consuleret ad Salutem. Antiocho autem regi, qui Machabaos pœnis crudelibus interemit, noluit ita consulere, sed eorum gloriosissimis passionibus, cor duri regis acriori seueritate puniuit.* Ex quo patet D. August. non solum de Nabuchodonosore, sed etiam de Dario Medo bene sentire, id colligendo ex miraculis diuinitus coram ipsis, pro eorum salute factis, idemque contrario Antiochi exemplo confirmans. Sed id alibi ex eiusdem Nabuchodonosoris pœnitentia colligit, quæ, vt iam crebro notauimus, non inanem de multorum salute suggerit coniecturam, Deo in hac vita eorum peccata, variis pœnis castigante, vt hic vrens, hic secans, parceret in æternum.

[a] 10. 2. epist. 122.

X. *Hanc videri Augustini sententiam.*

LIBRO ergo de prædestin. & gratia c. 15. & refertur 23. q. 4. c. Nabuchodonosor. *Vnde Nabuchodon.* inquit, *pœnitentiam meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat rursus accepit? Pharao autem ipsis flagellis est durior effectus, & periit.* Hæc quamuis D. August. quasi obiectionem afferat, respondendo tamen nequaquam improbat, sed confirmant. Ait enim. *Hic mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimium altum sapienti corde dijudicat, cur medicamentum vnius medici confectum manu, alij ad interitum, alij valuerit ad salutem? Nisi quia Christi bonus odor, aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem? Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo reges, quantum ad causam ambo captiuum populum Dei possidentes, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti? Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos? nisi quod vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio.*

XI. *Idque confirmatur.*

D. ERGO Augustinus nihil dubitat de alterius regis perditione, alterius salute, sed de huius tam diuersi effectus causa disputat. Nec est quod quispiam arbitretur D. August. de æterna salute non agere, id enim exigit libri argumentum, & alioqui quomodo ei fructuosa fuisset eius pœnitentia, cum ab eius fine vix regiam iterum dignitatem degustarit? Tertull. [a] hanc ipsam comparationem instituit vtriusque regis. Nam vbi dixit pœnitentiam illum in regnum restituisse ait, *Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat. Contra autem Aegyptius imperator, qui populum Dei aliquando afflictum, diu Domino suo denegatum persecutus, in prælium irruit, post tot documenta plagarum, dissidio maris, quod soli populo peruium licebat, reuolutis fluctibus perit. Pœnitentiam enim, & ministerium eius exhomologesin abiecerat. Quid ego vltra de istis duobus humanæ salutis quasi pharis, styli potius negotium, quam officium conscientiæ meæ curans?* Sic ipse; vocans hos duos reges quasi pharos humanæ salutis; vt scilicet iis quasi exemplis ob oculos positis, intelligeremus eos, qui ob culpas suas salubriter in hac vita affliguntur, fœlicitati, reliquos qui ad diuinas plagas obdurescunt, damnationi esse destinatos.

[a] l. de pœnit. in fi.

*Videri & Tertulliani.*

XII. *Et Theodoreti.*

EX eiusdem quoque regis pœnitentia Theodoretus salutem eius conii cit; & quidem ex opposito Balthasaris nepotis eius exemplo. *Omnia*, inquit, *futura prouidens Deus, & perinde aperte ea cognoscens: atque iam præterita, præcognita illius pœnitentia, ita quæ ad eum pertinebant moderatus est: istius autem præcognoscens perpetuam impietatem, morte sedat impietatis incrementum.* Ita Theodor. [b] & cap. 3. ait Deum Nabuchodonosorem, in impietate degere perseuerantem, paulo post mediocriter puniuisse, tum pœnitentem sua clementia dignatum esse. Mediocrem punitionem vocat ferinum illud septennium, collatum ad æterna inferorum supplicia; clementiam autem, beatitudinem, qua illum pœnitentia dignum reddidit.

[b] in ca. 5. Dan. 6.

XIII. *S. quoque Ambrosii.* SANCTVS quoque Ambrosius [a] in eadem videtur esse sententia, vbi inter alia, *Nabuchodonosor*, inquit, *ille feralis, & alienigena princeps diuina animaduersione æmulatus est Manassem pœnitentiam, & culpas suas agnoscentem, vt per emendationem vindictæ cogeretur agnoscere, quem sacrilegium fuerat abnegasse; & virtutibus eum crederet, quem per ferociam spiritus ante nesciisset: vsque adeo, vt qui elatus spiritu pernicaci, Deum se non timuerat ante prædicari, non auderet postmodum super eius incomparabili maiestate mentiri, cum ingenti in se facti admiratione correctus, non desiit solum Deum verum ex toto corde, decretisque præconantibus confiteri.* Hactenus sanctus Ambrosius. Quid est autem non desiisse Deum verum, & quidem solum, ex toto corde confiteri, & decretis, præconiisque celebrare, quam in virtute & pietate ad finem vsque perseuerasse? a l. de pœnit. c. 16.

XIV. *Iosephi.* VIDETVR Diuus Ambrosius ad verba Iosephi [b] alludere, Nabuchodonosorem enim inquit ob impietatem damnatum ad victum ferinum, post multas preces miserante Deo restitutum ad hominum conuersationem, & pristinum imperium, ac deinde per totam vitam agnouisse, & laudasse Dei virtutem, & prouidentiam: sic Iosephus, quæ Sanctus Epiphanius (si tantum Sanctus Epiphanius) multum in vita Danielis amplificat: quæ referre piget, quod ex parte fabulosa sint, vti iam diximus, cum de tempore vitæ ferinæ ipsius egimus. Sed de vita quoque, quam deinceps egit Nabuchodonosor, ea subiecit, quæ non multam merentur fidem: sic enim ait. *Sex itaque annos, & totidem menses supplex precatus est Dominum Deum, & confessus est impietatem suam, & post remissionem sceleris sui principatum illi Deus restituit. Ex eo igitur tempore, neque carnibus vesci, neque vino potare vnquam voluit confitens vsque Deo &c.* quibus simillima scripsit Dorotheus in Synopsi. Ex quibus illa retineamus, in quibus cum multis aliis patribus consentiunt; quæ recentioribus quoque Lyrano, Dionysio, Perer. Torniello merito probata sunt. b l. 10. ant. c. 11. *Epiphanii. Dorothei.* *recentiorũ.*

XV. *Admittẽdam videri hanc sententiam.* CVM enim de eius vera in Deum conuersione, & agnitione potentiæ, & iustitiæ illius, & grauissima eiusdem regis pœnitentia ex scriptura clarissime constet; & fastum omnem atque superbiam, in summam modestiam, atque humilitatem ita commutatam legamus, vt se, cum reliquis habitatoribus terræ, coram Deo quasi nihilum reputet, nec contentus corde credere ad iustitiam, ore etiam confessionem faciat ad salutem, certe de eius salute dubitare nefas esse videretur, si æque de finali perseuerantia constaret. Eam quia Danielis silentium, (qui diu adhuc superstes fuit, & eius exemplo ad reprehensionem Balthasaris vsus est, tanquam laude & imitatione digno) coniunctum cum prædictis patrum testimoniis admodum probabile reddit, nos quoque eidem libenter assentimur, & reliquis principibus pœnitentibus ex Hebraico populo aggregamus. In quo Deus voluit extare omnibus gentibus exemplum, suæ in reges, & principes potestatis, atque dominii: voluit & seueritatis in exigendis pœnis ab iis, qui sibi in grauissimis sceleribus de perfunctoria quapiam pœnitentia blandiuntur: voluit postremo spei, vt quando Nabuchodonosorem, & Manassem post immania scelera pœnitentes, saluosque meminissent, de propria salute, si ad eadem remedia confugerent, non desperarent. *Cur Deus misertus Nabuchod.*

XVI. *Contraria sententia.* VERISMILIVS nihilominus putat Sanctius damnatum esse Nabuchodonosorem, quod nihil ex scriptura habeamus, quod nos in benigniorem explicationem deducat; imo in contrariam potius, cum eo Luciferum adumbratum legamus cap. 14. Esaiæ, vbi legitur, *Infernus subter te conturbatus est, in occursum aduentus tui suscitauit tibi gigantes*, & infra, *detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer* &c. quæ dicta esse contra regem Babylonis propheta ipse testatur: nec est in quem alium de regibus Babylonis illa magis conueniant. *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes crudeliter*: quæ de eo intelligit Diuus Thomas in eum locũ. Hieronymus item in illa verba, *& tu vulneratus es sicut nos. Sermo*, inquit, *potentium & principum terræ ad regem Babylonium dirigitur*, in inferis constitutum, quem ibidem sæpius appellat Nabuchodonosorem patrem Euilmerodachi. Idem sentit in c. 4. Dan. n. 94.

in c. 1. n. 35.

Ribera in Habacuc ex eodem Isaiæ loco.

XVII. *Quibus argumentatur.*

Eandem sententiam confirmat Sanctius ex inconstanti regis huius ingenio, qui iam bis in confessionem laudis eruperat, visis Dei prodigiis in fornace, & ante in inuentione, & expositione somnii, redierit tamen ad insaniam. Addit quod contra datam fidem Iechoniam in carcerem coniecerat, quem tamen postquam in regnum postliminio rediit, vinculis non exemit, sed filio post mortem suam, ipsosque 37. annos, liberandum reliquerit. Neque vasorum quæ ex tẽplo sustulerat, rationem vllam videatur habuisse, quando illis postea Balthasar in ebriorum conuiuio abusus est. Hæc ergo ipsi coniecturam faciunt, aut non omnino regem fuisse conuersum, aut certe post pœnitentiam ad vomitum rediisse.

XVIII. *Refutatur.*

Manendum nihilominus videtur in iam satis probata, & idoneis testibus confirmata sententia. Præsertim cum ille Esaiæ locus, qui maxime premere Nabuchodonosorem, ac damnare videtur, non multum vrgeat, nedum rem conficere videatur. Neque enim sine causa Esaias, imo Dominus, hæc quæ contra regem Babylonis dicuntur, parabolam vocat. *Sumes*, inquit, *parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor &c.* Nam Hieronymus ipse paulo post, *Hæc*, inquit, *ἰδανικῶς legenda sunt, & scena modo, non quod facta sint, sed quod fieri potuerint; nisi forte animas regum quos interfecerat, insultantes regi Babylonio occurrisse credimus*, vt in scena videlicet, atque in theatro. Apparet enim illud *forte* ironicum esse. Addo sanctum Thomam, cuius est hæc oratio in eundem locum. Per ea enim quæ dicuntur, significatur quantum ad potentiam, culpam, & pœnam; propter quæ potuerunt hæc contingere, etsi non contigerunt circa regem Babylonis. Sic S. Thomas, qui deinceps ita sumi parabolas in scriptura confirmat exemplis.

XIX. *Satisfit argumentis.*

Inconstanti porro ingenio fuisse regem non negamus, sed dicimus eum propterea à misericordissimo Domino velociter ab hac vita subtractum esse, ne malitia mutaret intellectum eius; & in eo statu vita priuatum, in quo eum deprehendere volebat, qui ipsum elegerat ad æternam vitam. Itaque peracto hoc postremo fabulæ actu, quamprimum è theatro exire iussus est: quæ causa fuerit, vt Iechoniæ, quem multis fortasse annis non viderat, non fuerit recordatus. Fortasse etiam moriturus, vt olim Dauid, filio dederit in mandatis, vt illum è carcere educeret, & charum insuper haberet. Quid enim prohibet, id quod à filio factum esse constat, à patre moribundo, post tantam commutationem demandatum fuisse? De vasis quoque dicendum videtur ea in thesauro illo delituisse, in quo à principio deposita fuerant, & moribundi regis memoriam effugisse. Hæc igitur nihil impediunt, quominus in prioris sententiæ assertione maneamus.

Dan. 1. 12. Vide Torniellum a. m. 3470. n. 1. & 2.

XX. *Quis successor Nabuchodon.*

Sequitur vt de Nabuchodonosoris successore dicamus, quem licet Scriptura [a] appellet Euilmerodach. Balthasar tamen ei successisse videri potest, ex cap. seq. Danielis, vbi Balthasar regnare perhibetur, patremque suum appellat Nabuchodonosorem, [b] quin & Daniel ipse, [c] & Baruch [d] eum regni immediatum successorem videntur assignare. Respondet Theodoretus [e] Balthasarem fuisse quidem filium Nabuchodonosoris, regnique successorem, sed non immediatum, quod Euilmerodach frater ipsius natu maior, ante regnauerit. Seuerus Sulpitius l. 2. hist. ait post Nabuchodonosorem filium eius Euilmerodach regnum fuisse adeptum, & 12. imperii anno vita functum, fratri minori, qui Balthasar dictus est, locum fecisse: denique Eusebius in Chronic. Balthasarem fratrem Euilmerodachi nominat. Plerique tamen, vt supra diximus, Balthasarem, quem memorat Baruch, primogenitum Nabuchodonosori putant, & ante patrem defunctum: eum autem Balthasarem, quem Daniel c. 5. celebrat, ultimum regem Babyloniorum, existimant filium Euilmerodachi, & Nabuchodon. nepotem.

a 4 Reg 25. 27. Ierem. 52. 31.
b v. 2. 11.
c v. 2. 18. & 22.
d c. 1. 11.
e orat. 5. in Dan. init.

*Ex Script.*

XXI. *Pugnantes Iosephi ex Beroso sententia.*

Certe negari non potest maximam esse diuersitatem, non solum apud recentiores, sed etiam apud antiquos scriptores, de numero, & annis principum, qui à Magno Nabuchodonosore ad interitum imperii Chaldæorum, Babylone regnarunt; vt quibus potissimum fides habenda sit difficillimum sit recte consti-

tuere, præſertim cum ipſi antiqui diuerſis in locis, diuerſa ſentiant, & ſcribant. Nam Ioſephus [a] ex Beroſo l. 3. Chaldaicorum conſtituit Nabulaſſarum regem Babylonis, patrem magni Nabuchodon. cui tribuit 29. annos: tum eius filio Nabuchodonoſori magno 43. Deinde iſtius filio Euilmerodacho annos duos; tum marito ſororis huius, cui nomen Nirigliſſoroor annos 4. huius autem filio Laboroſardocho 9. menſes: tum ſucceſſit Nabonidus quidam, cuius anno 17. Cyrus rerum potitus eſt.

[a] l. 1. contra Apionem.

XXII. *Conſentit cum Polyſtore.*

Alexander Polyſtor apud Euſebium libro nono de Præparatione Euangelica cap. vltimo iſta confirmat, Nabuchodonoſor, inquit, poſt inchoatum murum prædictum lapſus in ægritudinem mortuus eſt, poſt 43. annum regni ſui. Regni autem Dominus factus eſt filius eius Euilmaluruchus. Hic cum res iniuſte, & petulanter adminiſtraret, inſidiis circumuentus, à ſororis ſuæ viro interfectus eſt, ſecundo anno regni ſui: hoc de medio ſublato regnum ſuſcepit, qui ei ſtruxerat inſidias Nerigliſares, regnauitque annos 4. Eius filius Chabaeiſoarachus puer regnauit menſes 9. hic cum multam præ ſe ferret malitiam, ab amicis per inſidias fuſtibus mactatus eſt. Quo ſublato conuenientes coniurati communi ſuffragio regnum dedere Nabonnido cuidam Babylonio, qui ex coniuratione fuerat. Quæ totidem verbis Ioſephus, non ex Polyſtore vt Euſebius, ſed ex Beroſo l. 3. in primo contra Apionem recitauit.

XXIII. *Alia ex eodem Beroſo.*

Idem Ioſephus alibi [c] ex eodem Beroſo [d] patrem Nabuchodonoſoris vocat Nabuchodonoſorem, cui dat annos regni 21. tum Nabuchodonoſori magno eius filio annos 43. Ei porro ſufficit filium Abilamarodachum, cui 18. annos regni tribuit; *quo defuncto*, inquit, *Nigliſſar filius ſucceſſit: cumque regnaſſet annos* 40. *vitam cum morte commutauit. Continuata deinde ſucceſſione, ad Laboſordachum filium regnum peruenit; apud quem cum 9. tantum menſibus hæſiſſet, poſt mortem eius tranſit ad Balthaſarem, qui Babyloniis Naboander nominatur, cuius anno 17. capta eſt Babylon.* Hæc ibi.

[c] l. 10. ant. c. 11.
[d] l. 3. rerum Chaldaicarum.

XXIV. *Improbantur ex repugnantia.*

Qvæ quantum fidei mereantur facile eſt ex diuerſitate coniicere, præſertim cum ex eodem autore Beroſo ſcripta referantur. Nam vt de aliis locis taceam Euilmerodach lib. contra Apionem regnat annis duobus; l. 10. antiq. annis decē & octo. Ibi ei ſuccedit Nirigliſſoroor maritus ſororis. Hic Nigliſſar filius. Ille quatuor annis regnat, iſte 40. ibi per inſidias interficitur: hic naturali morte defungitur. In altero ſucceſſore eſt nonnulla conſenſio. Nam l. 1. contra Apionem Nigliſſoroor filium habet, & ſucceſſorem Laboroſardachum ad 9. menſes; Quo mortuo tranſit regnum ad ignotum quendam Babylonium Nabonidum nomine: qui decimo antiq. dicitur Naboandel & Balthaſar, & vtrique vſque ad Cyrum 17. anni aſſignantur. Cum tantum Balthaſarem filium, ſiue nepotem Nabuchodonoſoris fuiſſe ex ſcriptura conſtet. Vide rem in ſchemate.

| Ioſe l. 1. contra Ap. & Euſ. l. 9. c. vlt. | | |
|---|---|---|
| Nabolaſſar regnat annis | 29. | |
| Nabuchod. magnus | 43. | |
| Euilmerodach. fil. | 2. aut 22. | |
| Nigliſſoroor maritus ſororis | 4. | |
| Laboroſardochus fil. Nirigl. o. m. | | 9. |
| Nabonidus | 17. | |
| | 66. | 9. |

| Ioſeph. l. 10. Ant. c. 11. & 12. | | |
|---|---|---|
| Nabuch ſenior regnat an. | 21. | |
| Nabuch. magnus an. | 43. | |
| Abilamarodach. fil. | 18. | |
| Nigliſſar filius eius | 40. | |
| Laboſordach. fil. eius | o. m. | 9. |
| Balthaſar, qui & Naboādel | 17. | |
| | 118 | 9. |

XXV. *Duo tanti Nabuchod. ſucceſſores.*

Qvæ tanta diuerſitas & principum, & annorum facit, vt eos ſuſpectos habeamus, & ſcripturæ conſentiendo duos tantum reges poſt magnum Nabuchodonoſorem in Monarchia Babylonis collocemus, filium eius, quem ſcriptura vocat Euilmerodachum, & filium filii eius, qui in eadem eſt Balthaſar. Sic enim aperte ſcripſit Ieremias, [e] *Et ſeruient ei*, puta Nabuchodonoſori, *omnes gentes, & filio eius, donec veniat tempus terræ eius.* Quibus verbis intelligi Euilmerodachum, & Balthaſarem ſcribit ibid. D. Hierony. D. Thomas, Rabanus, Lyranus, Dionyſius, Iſidorus: & recentiores, Maldonat. Vatabl. à Caſtro fuſe, Emanuel Sà. Gordonus [f] quoque fuſe & Ribera. [g]

[e] c. 27. 7.
[f] c. 11. chronol. n. 5.
[g] in 1. Zachar. n. 24 & ſeqq.

SVCCESSORES NABVCH. Niglissar, & Labosardach.

Tres quoque reges illos duntaxat, nec plures agnoscunt Theodoret. orat. 5. in Dan. & Sulpit. ante citati, cum Eusebio in chron. licet in eo labantur, quod Balthasarem fratrem existimant Euilmerodachi, cuius filium fuisse omnes alii passim fatentur; nixi illo Ieremiæ loco, vbi filium & nepotem aperte nominat, quos ipsemet Ieremias c. 52. & Daniel c. 5. propriis deinde nominibus appellarunt. In hac sententia sunt Hebræi, & Chronicum Hebræorum c. 28. quod sequitur Genebr. Denique quicumque captiuitatem 70. annorum à primo anno regni Nabuchodon. numerare incipiunt, tres hosce reges Babylonicæ monarchiæ constituunt, cæteros missos faciunt, in quibus maxime Christophorus à Castro, & Ribera locis citatis: nec repugnat Functius in sua Chronologia, aliique nonnulli.

Confirmantur.

XXVI. An alieni à Nabuch.

PERER. l. 6. in Daniel. (in ea verba, Regina autem ingressa in 6. sent. &c. non negat illum Ieremiæ locum de Euilmerodacho filio, & Balthasare nepote intelligendum, sed Niglisar & Labosardach, quos interijcit, ait de semine Nabuchodonosoris non fuisse. At primo repugnat Iosepho, [a] quem refert Hieron. in c. 5. Dan. & antiquis illis, quos sequitur Iosephus, quorum ipse cum Torniello autoritate moti à communi sententia discesserunt. Nam Niglisar à Iosepho ponitur filius Euilmerodachi, & pater Labosardachi: erant ergo de semine Nabuchodonosoris. Deinde si Balthasar, vt suspicatur Perer. ab amicis neci ereptus est, dum Niglisar, & Labosardach regnauerunt, quomodo istis tyrannis potius, quam illi regi legitimo anni tribuuntur? Cum ergo scriptura istos tyrannos prætermittat, quomodo eos quasi veros reges agnoscamus, & suos, imo alienos imperii annos eis tribuamus? Quæro etiam an istis quoque seruierint Iudæi, nec ne; si seruierunt, manca est scriptura vel falsa, quæ tam exacte tres tantum reges numerauit, cum quinque oportuisset esse numeratos. An forte non seruierunt? At quomodo id fieri potest, cum interim essent in Babylonia? An duobus illis regnantibus, Iudæi pro seruis, Chaldæorum domini facti sunt?

a l. 10. ant. c. 12.

XXVII. Idem [illegible] reijciuntur.

QVID quod ex antiquorum illorum positione anni septuag. vel multum excedunt, vel multum deficiunt? præsertim in Pererii, & Tornielli sententia, qui septuag. annos desolationis, siue captiuitatis Babylonicæ nobiscum à 19. Nabuchodonosoris inchoant: sic enim non 70. anni, sed 48. & 9. menses ex 1. contra Apionem; vel centum anni cum iisdem mensibus ex 10. antiq. 12. reperientur. Si quis ergo nobis veteres Iosephi historicos obiiciat, det primum operam, vt illi inter se consentiant, tum vt fideliter referantur. Nam testimonia secum pugnantia fidem facere non possunt, & inconstanter relata, euertunt quod probare contendunt. Nos interim conabimur, vt Ribera monet [b] historiæ humanæ errores ex diuina corrigere: quæ quia principes quidem Chaldæos suggerit, eorum annos non suggerit, illos ex ea mutuabimur, hos ad illius mentem, quantum fieri potest, accommodabimus.

b in 1. Zachar. n. 24.

XVIII. Quomodo digerendi reliqui desolationis anni.

QVONIAM ergo vsque ad solutionem captiuitatis Babylonicæ anni supersunt 44. eorum tres & viginti Euimerodacho, reliquos Balthazari tribuemus: reliquos, vt ignotos homines, silentio præteribimus.

Euilmerodachi anni 23

Euilmerodacho 3. & 20. tribuunt Hebræi in chron. c. 28. & in Thalmud apud Galatin. [c] Ribera [d] ait receptissimam omnium sententiam ei 23. annos tribuere; & pro eo citat eundem Galat. Porchetum, Echium, & Vatabl. in 1. Aggæi: quibus adde Torniellum anno 26. sextæ ætatis, qui ait Berosum, apud Iosephum 1. contra Apionem, non duos, sed 22. ei annos tribuisse, mendo in numeros irrepente, nec pugnare cum aliis, qui 23. ponant non completos, vt ipse, sed inchoatos. (Alexander tamen Polystor secundo regni sui anno ipsum occisum putat) sicque cum Beroso consentit. Adde & Gordon. in chronol. [e] à Castro in c. 29. Ierem. [f]

c l. 4 c. 15. d in 1. Zachar. n. 7.

e & c. 31. n. 5.

XXIX. Iechoniam à vinculis Euilmerodach liberat.

CVM primum autem Euilmerodach in regnum euectus est Iechoniam è carcere liberauit. Id enim Iosephus recitat. [g] *Post Nabuchodonosori obitum Abilmarodachus eius filius regnum suscepit, qui mox Hierosolymorum regem Iechoniam è vinculis dimisit, & inter necessarios amicos habuit, multis muneribus donatum, & apud Babylonem regia sua præfectum.* Ita vertit Gelenius, quia in Græco legitur, ἐπὶ τῶν βα-

f n. 4 & c. 27. n. 4. g c. 12. l. 10. init.

[illegible], cum sit legendum [illegible], vt in l. 4. regum fi. habetur, vt reges antecessisse dignitate dicatur, non autem regiis negotiis præfectus. Pergit Iosephus. *Pater enim eius fidem non seruauerat Iechonia, qui se ei cum vxoribus, & liberis, totaque cognatione sponte tradiderat, respectu solius patriæ, quam nolebat per vim expugnatam dirui.* Sic Iosephus, qui vtique priusquam Nabuchodonosorem perfidiæ accusaret, docere debuit, illum promisisse Iechoniæ, eiusque amicis, tam vitam, quam libertatem, siue solutionem à vinculis: id certe ex Ieremia, [a] vbi ei transmigrationem denunciat, aut ex alio quopiam scripturæ loco non colliget. [a] c. 22. 24.

XXX. *Eadem libertas ex Scriptura.*

Hæc ipsa liberati Iechoniæ historia c. vltimo 4. Regum habetur his verbis. *Factum est autem in anno 37. transmigrationis Ioachin regis Iuda, mense duodecimo, vigesima septima die mensis subleuauit Euilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Ioachin regis Iuda de carcere.* Caput, inquit. Solent enim captiui, & calamitosi incedere demisso capite, vt Achab. [b] Quanquam caput pro re cuius est caput in sacris profanisque libris crebro sumitur. *Et locutus est ei benigne; & posuit thronum eius super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.* Apparet eius patrem plerosque reges è subiugatis populis secum abduxisse captiuos, sicut è Iudæa Ioachimum primo, inde filium eius Iechoniam, postremo eius patruum Sedeciam. Et mutauit vestes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vitæ suæ; siue in eadem mensa, siue in eodem triclinio regis. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à rege per singulos dies omnibus diebus vitæ suæ: neque enim habebat aliunde, vnde se suosue sustentaret. Postrema etiam verba significant alterutrum regem, satis diu vixisse: ad vtrumque enim referri posse putat Vatablus. [c] Cibus quotidianus, inquit, sine intermissione illi dabatur à rege, quan diu vixit ipse Ioachin, vel Euilmerodach. Potuit autem vterque diu adhuc viuere, etiam Ioachinus, qui hoc anno 37. transmigrationis eius agebat 55. annum. De Chaldæo autem idem dici potest iam enim ei 23. annos regni attribuimus, quorum hic est primus.

[b] 3. Reg. 21. 27.

[c] in fi. 4. Reg.

XXXI. *Et ex propheta Ieremia.*

Eandem historiam liberati & honorati Iechoniæ, totidem fere verbis recitat etiam c. 52. Ieremias, cum aliqua tamen diuersitate: nam pro 27. ponitur vigesima quinta mensis. Quæ loca sic conciliant Hebræi in Chron. c. 28. *scito,* inquiunt, 25. *die mensis duodecimi Nabuchodonosorem Iechoniæ hostem excessisse à viuis, & fuisse sepultum.* vicesima autem sexta eum extraxit Euilmerodach de sepulchro, & raptauit, quo ipsius decreta aboleret, vt impleretur, quod de illo scriptum reliquerat Esaias [d] *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obuolutus, cum his qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadauer putridum: die autem 27. eduxit ipsum Iechoniam.* Hactenus illi. Rectius opinor dixerimus vigesimo quinto die, quo mortuus perhibetur Nabuchodonosor, vinculis & carcere solutum fuisse; sequenti inde die vacatum funeri, vigesimo autem septimo Iechoniam insigniter honoratum.

[d] 14. 19.

XXXII. *Quid Hebræi de cadauere Nabuch.*

Avdiendvs nihilominus Hieronymus in illum Esaiæ locum. *Narrant Hebræi huiuscemodi fabulam. Euilmerodach, qui patre suo Nabuchodonos. viuente per septem annos inter bestias, ante regnauerat, postquam ille restitutus regno est, vsque ad mortem patris, cum Ioachin rege Iuda in vinculis fuit. Quo mortuo cum rursus in regnum succederet, & non susciperetur à principibus, qui metuebant ne viueret, qui dicebatur extinctus, vt fidem patris mortui faceret, aperuit sepulchrum, & cadauer eius vnco & funibus traxit.* Ita Hieron. Addit Comest. [e] & Abul. [f] Euilmerodachum tam inhumanum in patrem fuisse, vt exhumatum consilio Ioachini, in trecentas particulas dissectum totidem vulturibus absumendum daret: ne scilicet qui ex homine bestia factus fuerat, & rursus ex bestia homo, ex mortuo iterum fieret viuus, & filium vt antea male mulctaret. Addidisse etiam Iechoniam, quando illi vultures cogentur in vnum, tum patrem eius resurrecturum. Sed hæc non immerito in rabinorum fabulis numerantur.

[e] l. 14. c. 5.

[f] in 4 Reg 25. q 37.

XXXIII. *Carcer Euilmerodachi non improbabilis.*

Illvd probabilitate non caret, quod ex iisdem Hebræis recitat Abulensis l. c. & passim ab interpretibus admittitur, restitum sibi Nabuchodon. filium suum Euilmerodachum, propter malam ipsius septennii administratio-

nem

*apud Mal don. in fi. c.51. Ierem.* nem, vel vt aliis non improbabiliter placet, * propterea quod regnum affectabat, viuo adhuc parente in carcerem coniecisse, & illum ibi cum Ioachino familiaritatem contraxisse; animos enim aliquando etiam fortunæ similitudo conciliat: quo factum fuerit, vt patre mortuo Euilmerodach Ioachinum ad regiam iterum dignitatem euexerit, & aliis omnibus regulis aulæ suæ antetulerit, vt ex scriptura retulimus.

Et sic l. 4. & vltimus Regum cum Ieremiæ prophetia terminantur, vel historia potius vltimo cap. prophetiæ eius comprehensa: nam vltima Ieremiæ prophetia non vltra vigesimum Nabuchod. annum progreditur, qui fuit secundus desolationis annus. Et quia c. vltimum prophetiæ rebus verbisque cum cap. vlt. Regum valde congruit, quidam censuerunt duos vltimos libros Regg. à Ieremia esse conscriptos. Verum vt id de duobus istis libris fatear, quoniam plerique ita sentiunt, certe illa coniectura infirma est; neque enim vltimum caput suæ prophetiæ, saltem totum scribere potuit, cum ea contineat, quæ ab eius obitu contigerunt: neque sine causa in fi. c. 51. scriptum est, *Hucusque verba Ieremiæ*, quæ sunt epilogus omnium prophetiarum eius, vt in eum locum à Castro ex Theodoreto, aliisque retulit. Videntur ergo cætera à Barucho fuisse adiecta, quibus via ad lamentationes sterneretur. XXXIV. *Finis lib. Regum.*

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI. 3472.

a. N. xx. Iosephus l. 10. c. 12. Abilamarodach. Theodoretus in c. 5. Dan. Euilad Marodach duabus dictionibus, quibus Diuus Hieronymus in c. 5. Dan. & omnes interpretes assentiũtur, sicut & omnes chronologi. Alexander Polyhistor apud Euseb. l. 9. c. vlt. eum vocat Euilmaluruchum filium Nabuchodonos. Paulo post Alphæus ex Megasthene eundem vocat Milma-Rodocum: sed vtrobiq; in Græco Eusebii legitur Εὐιλμαλ-λούρουχος l. 1. contra Apionem Euelmaradochus.

N. a. xxxiii. Capella citat Procopium Gazæum, Isidorum, l. 6. Etym. c. 2. Rabb. kimhi, & Moysem, quam sententiam Tostatus amplectitur, q. vltim. in libros Regum Imo quæst. 4. in c. 17. Iudic. & in præfat. 3. Reg. q. 2. ait 4. libros Regg. a Ieremia scriptos esse, sicut lib. Iudicum à Samuele. Genebrardus in chronologia. Mariana in opuscul. pro editione vulgata capite quarto, & alii.

## ANNVS MVNDI 3473. QVINTÆ ÆTATIS 534.
### IECHONIÆ ET TRANSMIG. 38. DESOLATION. ET IOSEDECI PONTIFICIS 27. EVILMERODACHI 2. IMPERII BABYLONIORVM 140. OLYMPIADIS XLIX. ANNO 4. TARQVINII PRISCI 35. VRBIS CONDITAE 172.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 591.



Ne mortuo Nabuchodonosore, & regnante Euilmerodacho semina pietatis recens iacta in solo Babylonico, exortis repente spinis suffocarentur; neue Iechonias ipse, quem apparet tum diuturni carceris calamitate, tum diuinis circa Nabuchodonosorem prodigiis resipuisse; in gratiam bene de se meriti Euilmerodachi, ad pristinum Belis siue Baalis cultum facile reduceretur, ad diuinam prouidentiam pertinuit cognitionem, & timorem sui nouis subinde miraculis facere ac sustentare. Id hoc ipso tempore factum vi- I. *Daniel missus in lacum leonum.*

detur ingenti, & quidem multiplici miraculo Danielis in lacum leonum demissi, simulque inanitas idolorum luce clarius declarata est. Et rationem quidem temporis controuersam esse non dubitamus, prius tamen quam eam attingamus de historiæ ipsius veritate, & authoritate canonica aliquid dicendum est.

II. *Historiæ fides ex S. Athanas. S. Cypriano*

Plvribvs etiam agendum esset, nisi quæ superius de historia Susannæ fusius dicta sunt, in hanc quoque historiam, eodem quo illa modo reuocatam in dubium, conuenirent. Certe nominatim eam Sanctus Athanasius in synopsi in scripturis canonicis numerat: & sancti patres eadem narratione passim, vt cæteris Scripturis vtuntur. Sanctus Cyprianus de oratione Dominica. Sic Danieli, inquit, in leonum lacu iussu regis incluso prandium diuinitus procuratur, & inter feras esurientes & parcentes homo Dei pascitur. Idem ferme repetit libro de Opere & Eleemosynis. Et epistola 56. Daniel cum compelleretur adorare idolum Bel, quem tunc populus & rex colebat, in asserendum Dei sui honorem, plena fidei libertate prorupit. Quo etiam loco vtitur in libro de exhortatione martyrii. Et libro de ieiunio & tentatione ait translationem Habacuc de Iudæa in Chaldæam fuisse corporalem; qualis fuit Philippi, de Azoto in occursum Eunuchi.

III. *S. Basilio. Hilario, Epiphan. Irenæo, Tertullia.*

Sanctvs Basilius homil. in diuites auaros. *Pauit Danielem Habacuc, ab angelo cum obsoniis longe deportatus: & ne vir sanctus inedia premeretur, temporis momento tantum veniendo penetrauit, quantum à Babylonia distat Iudæa.* Diuus Hilarius *Daniel propheta prandio alendus, leonum lacum non timuit.* Sanctus Epiphanius eandem historiam in vita Abacuc refert. Diuus Irenæus. *Quis enim est viuorum Deus, nisi qui est super omnia Deus, quem & Daniel propheta, Cum dixisset ei Cyrus Rex Persarum quare non adoras Bel, annunciauit, dicens, quoniam non colo idola manufacta, sed Deum viuum.* Tertulianus aduersus Psychicos. *An difficile angelo fuerat aliquem aliunde de conuiuio regis ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Eliam transferre, sicut Daniel in lacum leonum esurienti, prandium metensium exhibitum est:* meminit & in lib. de Idololatria.

l. 10. de Trin.
l. 4. c. 11.

IV. *Quo tēpore contigerit.*

Iam quod ad tempus attinet, plerique eam Cyri tempore cōtigisse censuerūt; cui opinioni occasionē dederūt vltima verba c. 13. vbi videtur dici mortuo Astyagi Cyrum Persam successisse: quæ verba cum ad præcedentem historiam Susannæ non possint referri, in qua duodennis erat puer Daniel, ad sequentem referenda videntur, vbi subditur, *Erat Daniel conuiua regis*, puta prædicti Cyri, & ita sentit S. Iren.[a] D. Athan. in synopsi, & Theodor. in Dan. & Ribera in 2. prælud. in prophetas: Vatabl quoque, & Eman. Sa in 14. Danielis ibidemque Sanctius, & quotquot finem c. 13 ad init. 14 pertinere censent, sicut in multis græcis coniuncta sunt. Adde Maldon. qui tamen eam opinionem alibi errorem vocat.

a l. 4. c. 13.
in fi. c. 6 Dan. c. 14. init.

V. *Non sub Cyro.*

Non videntur tamen hæc sub Cyro contigisse, tum quia Daniel non potuisset tunc esse conuiua regis, nec inter amicos eius florere, senio prægrauatus. Nam quo anno Babylon expugnata est à Cyro, Daniel nonagesimum annum, aut iuxta Pererii supputationem, centesimum superabat annum. *Nunquid vigent sensus mei*, aiebat Dauidi octogenarius Berzellai, *ad discernendum suaue, aut amarum, aut delectare potest seruum tuum cibus & potus?*[b] Nec Babylonii à Cyro deuicti ausi essent obstrepere Cyro, nedum ei mortem minari, & inuito Danielem é manibus eripere. Denique Habacuc, qui prandium tulit Danieli, biennio mortuus est ante reditum Iudæorum è Babylone, vt testatur Epiphan. in vita Habacuc. Cōtigit ergo stāte adhuc imperio Babylonis, quod imperāte Cyro euersū fuit.

b 2. Reg. 19. 35.

VI. *Neque Daniele puero.*

Alii censent hanc historiam Daniele adhuc puero contigisse, sub idem tempus, quo historiam Susannæ. Diuus enim Chrysostomus.[c] *Daniel*, inquit, *cum duodecim esset annorum leonum rabiem in omnem mansuetudinem commutauit, & ferociam illorum fide fregit*, alludit ad c. 11. ep. ad Hebr. Idem sentit Maldonatus in c. 14. Danielis. Verum, vt recte ait Perer. hanc opinionem principium huius capitis manifeste refellit. Quomodo enim 12. annorū puer tanti monarchæ conuiua esse poterat, atque adeo honoratus super omnes amicos eius? nec satisfacit illa Mald. interpretatio, erat conuiua regis, id est, viuebat de mēsa regis; id enim violērū est. illud autē nullo modo cōuenit, quod huiusmodi puer

c Homil. 1. in Psal. 50. sub init.

a c. 2. 48. honoratus super omnes amicos eius, quod enim[a] supra dicitur, *Tũ rex Danielẽ in sublime extulit* &c. non erat tunc puer Daniel, quippe res ea contigit 2. anno Imperii Nabuchod. quando Daniel 30. fere agebat ætatis annum, vt ibidem docuimus: sed ne tum quidem contigisse ex eo mihi persuadeo, quod non ausi essent Babylonii, tam insolenter agere cum principe ferocissimo, atque bellicosissimo.

Nec fuisse etiã Balthazarẽ Babylonicum ex eo satis certum videtur, quod Daniel ei esset ignotus, nedum conuiua, & primus inter amicos eius. Ignotum autem fuisse patet ex interpretatione scripturæ c. 5. cum introductus Daniel coram rege ab eo audiuit. *Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iudæ? &c.*

RELIQVVS est ergo Euilmerodach, in quem consentiunt Perer. in c. 14. Dan. & Torniel. anno 48. sextæ æta. quibus libenter assentior: fauet enim tempus, fauent Euilmerodachi mores, quem scriptura hoc ipso beneuolum fuisse docet in Iudæos, quod Iechoniam quamprimum eduxit è carcere, & præ omnibus regulis honorauit. Nominatim autem in Danielem recte affectus fuisse videtur, propter eius in Nabuchod. patrem suum præclara merita, & spectatam iampridem diuinam scientiam, & sanctitatem. Tornello tamen non assentior hanc historiam in vltimum Euilmerodachi annum conijcienti, sed malo eam ad principium regni eius referre. Id enim magis congruit cum recenti memoria benefactorum Danielis in Nabuchod. & cum ætate Danielis, qui in fine regni Euilmerodach agebat annum 70, initio autem 47. Accedit, quod si hoc miraculum tam insigne extremo tẽpore Euilmerodachi contigisset, non esset admodum probabilis obliuio rerum Danielis sub Balthasare, qui ei immediate successit, vt nos supra ex communissima sententia probauimus. VII. *Sed sub Euilmerodacho, & hoc tempore.*

HIS ita constitutis ad ipsam historiam transeamus. *Erat autem Daniel*, inquit ipsemet, *conuiua regis*, non tam in mensa, opinor, propter peculiares Iudæorum circa cibum ceremonias, & principis reuerentiam, quam in reliquæ vitæ consuetudine, *& honoratus super omnes amicos eius.* Nemo quippe ei sanctitate par, nemo fide & beneuolentia in regem defunctum æqualis, qui regni ei conseruati & restituti causa fuit; æternæ quoque salutis præcipuum instrumẽtum. Quæ beneuolentia, ac salutis studium erga præsentem regem, ex hac ipsa historia non obscuris argumentis colligitur: nemo denique ei rerum humanarum diuinarumque scientia vllo modo conferendus, quæ sunt omnia eximii amoris & venerationis incitamẽta: præsertim si cum modestia, & egregia animi moderatione coniuncta fuerint, & suaui quadam morum hilaritate aspergantur. Hæc autem Danielis apud regem gratia inuidiæ fomitem ministrauit; quæ mox inflammata, & velamento religionis, vindicandique numinis circumtecta, in Danielem exarsit. VIII. *Daniel cur charus Euilmerodacho.*

b c. 50. 2. ERAT quoque idolum apud Babylonios nomine Bel, de quo dicebat Ieremias [b] *Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum.* Stabat ergo, inquies, Bel cum capta est Babylon, quomodo ergo nunc à Daniele subuertitur, & templum eius destruitur, sacerdotes eius cum famulis suis à Rege occiduntur? At quis credat in tanta vrbe, quantã in eius ruina demonstrabimus, vnicum Belis templum fuisse, & non plurima, quæ cum suis sacrificulis, illo altero euerso, perdurare potuerunt ad illam vsque cladem. Quin & facile intelligi posset, illud ipsum templum, si vnicum fuisset, & omnium antiquissimi idoli cultui consecratum, atque adeo dicatum Babylonicæ vrbis primo principi, & regni fundatori, eiusque gratæ memoriæ, sub Balthasare fuisse restauratũ. Bel enim idẽ fuisse diximus cũ Nẽrod. IX. *Belis idolũ, & templũ quomodo bis destructum.*

a m. 1931. n. 54. 55. 56. IN hoc ergo idolo nutriendo impendebantur per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, & vini amphoræ sex. Magnam fuisse harum mensurarum capacitatem necesse est, vt panis & vinum carni proportione responderet, qua de re aliquid seorsim dicemus. 1. Ad hũc Belis cibum & potum videtur alludere Ierem. [c] *Et visitabo super Bel in Babylone & eyciã quod absorbuerat de ore eius*, vt notauit Maldonatus ibidem, & deinde Sanctius, qui addit. Hinc apparet, inquit, quantus esset illarum gentium stupor & cæcitas, quæ æreum simulachrum tot sumptibus indigere putabant, cum in eo neque sensum viderent vllum, neque motum, neque aliquod latentis animo X. *Cibus & potus idoli.* 1. 67.

c c. 51. 44.

vestigium. Quod si viuum esse aliquo certo documento cognoscerent, in eo tamen peccarent, quod diuinam naturam humano cibo indigere sibi persuaderent, & tanto cibo, quantum vastissima quædam moles capere non posset. Sic ipse.

XI. *Eum rex colit.* REX *quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum.* Deum enim Hebræorum ad reliquorum deorum suorum cultum adiungendum putauit, non reliquos omnes pro eo deserendos. Nabuchodonosor quoque Bel coluisse ex c. 4. v. 5. aperte colligitur. Hinc etiam agnoscimus regem hunc non fuisse Cyrum, quippe qui ritu Persico Solem adorabat, vt tradit Xenophon, l.8. Pædiæ; & per eum, quem vocabat Mithrem, iurabat, [a] quo tamen in loco Iouem inuocat, & pro tessera militari Iouem seruatorem capit, & Marti pæana clamat exercitus eius. Deos autem Babyloniorum Bel, Nabo, Merodach confregit, atque contriuit, & in Persidem transferendos iumentis imposuit, vt ex Isaia, & Ieremia constat.[b] Nec facile doceri poterit Belum à Persis, & nominatim à Cyro cultum fuisse, vt ei in vastandis Babyloniorum idolis parceret.

a Idem l. 7.

b c. 46. & c. 50.

XII. *Et ad eius cultum Danielem inuitat.* PORRO *Daniel adorabat Deum suum, Dixitque ei Rex, quare non adoras Bel? Qui respondens ait ei, quia non colo idola manu facta, sed viuentem Deum, qui creauit cælum & terrã, & habet potestatẽ omnis carnis,* dominatur scilicet omnibus mortalibus. Alludit ad vocem Bel, quam Dominum interpretantur, eamque vocem vero Deo, non fictitio conuenire significat. *Et dixit Rex ad eum, non videtur tibi esse Bel viuens Deus? An non vides quanta comedat, & bibat quotidie? Et ait Daniel arridens; ne erres Rex. Iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando. Et iratus rex,* quod sibi hactenus tam turpiter illusum audiret ab huius idoli sacrificulis, eis conuocatis ait, *Nisi dixeritis mihi quis est qui comedat impensas has, moriemini. Si autem ostenderitis quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quoniam blasphemauit in Bel.* Putauit ergo lumine naturæ Rex iste Chaldæus, blasphemiam in Deum capite luendam. Eam vero conditionem Daniel non inuitus admisit.

XIII. *Pactum regis super Belis cibos.* ERANT *autem sacerdotes Bel 70.* quibus accedebant vxores non pauciores, & filii, & reliqua familia numero sat magno, ad illa omnia nocte vna deuoranda. *Et venit rex cum Daniele in templum Belis. Et dixerunt sacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras,* ne qua sit fraudis suspicio, *& tu Rex, pone escas, & vinum misce, & claude ostium, & signa annulo tuo, & cum ingressus fueris mane, nisi inueneris omnia comesta à Bel morte moriemur, vel Daniel qui mentitus est aduersum nos. Contemnebant autem* periculi magnitudinem, *quia fecerant sub mensa absconditum introitum, & per illum ingrediebantur semper, & deuorabant ea,* quæ Belo oblata fuerant, & regi populoque illudentes ea à Bele suo absumpta mentiebantur.

XIV. *Fraudi fraus paratur.* ECCE autem fraudem fraude retectam, vt clauum clauo repercussum. Egressis enim è templo sacerdotibus, & appositis iussu regis Beli cõsuetis cibariis, *præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem, & cribrauit per totum templum coram rege, & egressi clauserunt ostium, & signantes annulo regis abierunt.*

*Sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam,* per cuniculum aliquem subterraneum, qui à vicinis ipsorum ædibus, ad ipsam vsque Belis mensem pertinebat: ingressi quoque sunt filii eorum, teneræ adhuc ætatis, qui ad eandem nequitiam instituebantur, & vxores, & reliqua familia, & comederunt omnia, & biberunt, non sine multis in regem, ac Danielem cachinnis, *quibus vltimus esset ille cibus. Surrexit autem rex primo diluculo, & Daniel cum eo. Et ait rex, salua ne sunt signacula, Daniel? Qui respondit, salua rex. Statimque cum aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamauit voce magna. Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam.*

XV. *Retegitur impostura sacrificulorum.* ET *risit Daniel, & tenuit regem ne ingrederetur intro, & dixit, ecce pauimentum, animaduertere cuius vestigia sint hæc. Et dixit rex, video vestigia virorum, & mulierum, & infantium;* vestigia virorum, & infantium magnitudine facile discerni poterant, virorum autem & mulierum diuerso genere calceamenti. *Et iratus est rex,* ita sibi hactenus ab impuris nebulonibus, & lurconibus illusum esse; iubetque sacerdotes istos cum vxoribus & liberis comprehendi, cogitque omnem doli

machinam patefacere. At illi vel tormentis, vel tormentorum metu compulsi *ostenderunt et abscondita ostiola, per quæ ingrediebantur, & consumebant, quæ erant super mensam*: & simul, vt credere par est, infimis precibus veniam à rege, & misericordiam postulantes necessitati, qua ad hoc artificium adacti essent, fame alioqui morituri.

XVI. *Puniuntur.*

Nihilominus rex iuxta oblatam, admissamque pacti conditionem, veteratores illos sacerdotes, eorumque familias neci dedit, ne quis deinceps in religionis, & pietatis causa fucum faceret. Nec tamen satis valuit supplicium ad exemplum; crebro enim deprehensæ sunt id genus fraudes in cultu idololorum perpetratæ, & nominatim cuiusdam sacrificuli Tyranni nomine, in templo Saturni tempore Theodosii imperatoris, matronarum pudori sub specie Numinis impudentissime illudentis: narrat ex Rufino Baronius anno Christi 389. (versus finē.) Neque vero solis istis doli architectis iratus est Euilmerodach, in ipsam quoque fraudis machinam & officinam, delubrum inquam & simulachrum iustissimam indignationem conuertit, *Tradidit* enim *Bel in potestatem Danielis, qui subuertit, eum & templum eius.*

XVII *Danielis cum dracone certamē.*

Seqvitvr alterum Danielis contra idololatriam Babyloniorum certamen; nec tam contra Draconem corporeum, quam spiritualem illum tartareum, qui cum à mundi primordiis inuenisset illud animal suis desideriis opportunum, moribusque consentaneum, in eo deinceps honorari, & sub eius imagine coli voluit. Ergo & in isto Babylonio, turpissime dementatis hominibus, aut etiam tyrannica crudelitate vexatis, adorabatur. *Et erat draco magnus, & colebant eum Babylonii*, vt Epidaurium serpentem, vel sub eius specie Aesculapium [a] Romani, & crocoditum Aegyptii, & dracones Mineruæ custodes Troiani; [b] draconem item Delii, autore Strabone: [c] æneum etiam serpentem Iudæi: adeo vt Ethnicorum plerique eos Heroum suorum patres agnoscerent, Aristomenis Messenii, Alexandri Macedones, Aristodamæ Sicyonii, autore Pausania in Messenicis. [d] E passim serpens quasi loci genius colebatur, quo ex vsu Virgilius lubricum anguem eximis adytis eduxit, qui septem gyros, septenaque volumina trahens, Anchisæ tumulum placide amplecteretur. *Incertus genium ne loci, famulumne parentis esse putet.* Notauit ex Artemidoro [e] Sanctius, draconem sacrum, & creditum mystem, & omnibus mysteriis adesse præsentem. Et sicut cruces aliquibus locis Christiani appingimus, ad conciliandam loco reuerentiam, sic Ethnici angues appingebant: hinc ille Satyricus, *Hic*, inquit, *veto quisquam faxit oletum, pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra Meite.* Sed Babylonem redeamus.

*Serpentes passim culti.*

[a] vide Valer. Maxim. l. 1. c. 8. Ouid. l. 15. Metam. [b] Aen. 2. [c] l. 9. Geogr. [d] l. 4. p. 125. gr. [e] l. 4. c. 69.

XVIII. *Incitatur à rege ad eius cultū.*

Et *dixit rex Danieli: Ecce nunc non potes dicere, quia iste non sit Deus viuens, adora ergo eum.* Indita est mortalibus cognitio nobilitatis viuentium, præ non viuentibus; at Daniel negarat diuinum honorem Beli luteo atque æreo deo, cuius nullus esset sensus, aut motus: nunc autem cum draconi vitam non neget, diuinitatem tamen, cui adoratio debeatur, negat. Ideoque respondit Daniel, *Dominum Deum meum adoro, quia ipse est Deus viuens, iste autem non est Deus viuens*, vitam scilicet à semetipso habens, nec cuiusquam iniuriæ obnoxiam, sed eam potius omnibus largiens, iuxta illud Pauli [f] *cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* Cui rei vt fidem faciat propheta, *Tu autem*, inquit, *rex da mihi potestatem, & interficiam draconem absque gladio, & fuste.* At rex, diuino vtique instinctu, nihil veritus popularem pro deo suo tumultum; aut ratus id minime à Daniele attentatum iri, horrendum draconem formidante, aut certe eum non impune, tam formidolosum negotium suscepturum, postulatam illi potestatem dedit.

[f] Act. 15. 25.

XIX. *Eum Daniel disrumpit.*

Tvlit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, fecitque massas, & dedit in os draconis. Scribit ex Iosepho Gorionide Comestor in historia Danielis, [g] illum non in templo fuisse, sed in fouea quadam latuisse, quē horribili sono, tanquam tunitruo hydraulicis instrumentis excitato, euocabant sacerdotes eius. Ille vero ad huiusmodi sonos excitatus, quandoque emittebat fumum, interdum ignem, interdum sese in conspectum dabat, quando illi sacrificuli glebas ex adipe, aliisque eduliis palato gratis cōfectas in os eius ingere-

[g] c. 14.

bant, quos Daniel, vt putat Sanctius, imitatus, glebas ex materia dissimili confecit; quas cum ille hianti rictu arripuisset, *Diruptus est draco, & insuper insultans* stupido populo *dixit, Ecce quem colebatis.* In Græco est, *ecce numina vestra*, vt tam ad draconem, quam ad Belem referatur oratio. Vtrum autem diuina virtute, an naturali tãtum disruptus sit draco, istiusmodi massæ esu dubitari potest. Existimarim vtrumque concurrisse, Deumque ministerio angelorum hanc massam ita in stomacho draconis inflasse, vt is disruperetur; aut eius faucibus ita adhæsisse, vt spiritu intercluso, halitus cum anima è visceribus profunderetur.

XX. Excitatur in regem seditio. QVOD *cum audissent Babylonij, indignati sunt vehementer, & congregati aduersum regem*, id est in seditionem versi dixerunt, *Iudæus factus est Rex; Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit.* Cum tam multi essent sacerdotes, & permultas familias tam consanguinitate, quam affinitate, & amicitia contingerent, non difficile fuit magnam populi turbam commouere, & per eos reliquum populum; præsertim cum de religionis auitæ interitu non obscure ageretur. *Et dixerunt cum venissent ad regem: Trade nobis Danielem*, alioquin interficiemus te, & domum tuam. Vidit ergo Rex quod irruerent in eum vehementer, & necessitate compulsus tradidit eis Danielem. Potuit non peccare Rex tradendo Danielem insontem; Rogando scilicet eum, vt pro salute publica se ipsum in manus hostium tradi pateretur: quod Daniel spe in Deum collocata, minime recusauit.

XXI. Daniel cõijcitur in foueam leonum. QVI *miserunt eum in lacum leonum*, fossam scilicet subterraneam, vel caueam, *& erat ibi sex diebus. Porro in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues.* Cadauera hominum damnatorum putat Comestor. S. Thomas, Dionysius, Hugo, & Eman. Sà. Maldon. autem explicat duo integra corpora duarum ouium, ita vt illud, *Et*, ponatur pro, *id est.* Verum duæ oues admodum exiguus fuisset cibus septem leonum, ideoque prior expositio videtur præferenda. Et facile fuit in eum vsum reseruare sontes, aut etiam ex variis prouinciis Babylonem transferre: quin & id videtur Babylone fuisse ordinarium reorum supplicium. [a] *Et tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem.* Insigne miraculum Dei feras continentis, & famem earum, temperato natiuo calore moderantis. At quid est quod sex ipsos dies in lacu retentus est Daniel, cum is bestiis in cibum dimidij diei nõ sufficeret: & vnus dies miraculo demonstrando abunde sufficeret? Id certe argumento est non obscuro, Chaldæos quotidie obseruasse num deuoratus esset Daniel, & quotidie plusquam ferina rabie animũ obdurasse, vt cogerent bestias, intolerabili ventris rabie stimulante, deuorare Danielem. Potuit etiam Dominus facile Danielem sine cibo sustentare sextiduum; sed voluit etiam miracula multiplicare. [a] Dan. c. 6. 7.

XXII. Quem Deus ibi pascit per Habacuc. ERAT *autem Habacuc propheta in Iudæa*, non dicit Hierosolymis, sed in quopiam Iudææ angulo. Nam Epiph. in vita Habacuc, è tribu Simeonis eum fuisse dixit, ex agro Bexzochar, *& ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo*, offam videlicet parauerat in lance, vel gabata. *Et ibat in campum, vt ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc, fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum; & dixit Habacuc, Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui*, id est eo impetu, ac celeritate, qua solent spiritus, siue angeli iter facere. *Et clamauit Habacuc dicens, Daniel serue Dei*, Græce, Daniel, Daniel, *tolle prandium quod misit tibi Deus. Et ait Daniel, Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porro Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.* Magno diuinæ in seruos suos prouidentiæ documento.

XXIII. Refertur ex Epiphanio. HANC historiam paulo aliter recitat Epiphan. in vita Habacuc. Non enim meminit Angeli, & ait, prædictã translationem ab ipso domesticis suis. Sic autẽ habet. *Antistites ille reuersus in patriam ministrauit messoribus sui agelli, seminauerat enim hordea. Cæterum statim vt esculenta praparauerat, vaticinatus est suis dicens; Proficiscar ipse in longinquam terram, & reuertar ocyus. Veruntamen si cunctauero diutius, apponite nostris messoribus quod manducent. Et translatus repente in Babylonem, exhibuit prandium Danieli, qui erat in cauea cum leonibus. Deinde egressus astitit messoribus dum iam cœnarent: neque*

*communicauit cuiquam vel tantillum de eo quod contigerat.* Sic Epiph. quod autem subdit. *Annunciauit praeterea Habacuc, paucis post diebus postliminio ex Babylone Hierosolymum populum remeaturum*: non ad praesens tempus, sed ad finem vitæ eius, qui post vigesimum fere annum contigit, vt dicemus, videtur pertinere.

VERVM de hac translatione paulo quoque ante ex D. Cypriano, Basil. & Tertul. diximus, quibus nihil dubium est realem, & corpoream fuisse translationem istam; quamuis Iudæi eam, defectu similis exempli in sacris literis, quas illi recipiunt, eleuare conentur; & in spiritu tantum factam putent, quales fuerunt Ezechielis. Quæ sane perinepta est argumentandi ratio; vnde enim habent, quæcunque sunt in scriptura admirabilia, sæpius contigisse? Num plures mulieres in statuas salis conuersæ sunt, aut plures asinæ in humana verba proruperunt? An status solis temporibus Iosue fidem non merebatur, nisi sexcentis post annis sub Ezechia sol regressus esset? Denique an Enochi & Eliæ translationes suis in corporibus, in quibus adhuc viuere probauimus, factæ non sunt? Verum quæ sunt huius historiæ reliqua videamus. XXIV. *Translationem veram fuisse, atque corpoream.* *Contra Iudæos.*

VENIT *ergo Rex die septimo*, fortasse illa ipsa dies fuit, qua venerat ad eum Habacuc; & venit *vt lugeret Danielem*, quem scilicet iam ab ipso primo die dilaceratum, atque occisum putabat, & die septimo mortis eius, cum lugere voluit, eique lachrymis suis quoquo modo parentare. Hic enim dierum numerus videtur luctui defunctorum destinatus antiquitus. Ideoque viri Iabes Galaad sepelierunt Saul, & luxerunt, ac ieiunauerunt dies septem, [a] & Maria soror Moysi, 7. diebus luget extra castra. [b] Luxitque Iuditham omnis populus diebus septem. [c] Sic enim præcepit Sapiens, *Luctus mortui septem dies.* [d] Et amici Iob *sederunt cum eo in terra septem diebus, & 7. noctibus, & nemo loquebatur ei verbum; videbant enim dolorem esse vehementem.* Luxit ergo Euilmerodach priuatim Danielem, quasi mortuum. Donec 7. die venit in locum mortis eius. XXV. *Euilmerodach luget Danielem.*

a 1 Paral. 10.12. b Num.12. c Iudith. 16.29. d Eccli. 22. 13.

DANIEL autem qui lugebatur mortuus, inuentus est viuus. Nam vt *introspexit* in lacum ex superiore aditu, vnde ad leones deiiciebatur præda, vnde etiam viuus Daniel videtur fuisse datus in præceps, & sine vulnere conseruatus, quia iustus si ceciderit non collidetur, Domino supponente manum suam, *& ecce Daniel sedens in medio leonum*, incolumis videlicet, quasi pastor in medio agnorum, aut ouium. *Et exclamauit voce magna Rex, dicens, Magnus es Domine Deus Danielis; & extraxit eum de lacu leonum. Porro illos qui perditionis eius causa fuerant*, quantum scilicet in ipsis fuerat, *intromisit in lacum, & deuorati sunt coram eo in momento.* Primarios authores huius facinoris, & seditionis in regem coniectos in foueam credibile est: sicque in laqueum, quem iusto parauerant, impij ceciderunt, & pœna talionis mulctati sunt. *Tunc rex ait, Paueant omnes habitantes in vniuersa terra Deum Danielis, quia ipse est saluator, faciens signa & mirabilia in terra: qui liberauit Danielem de lacu leonum.* Quo præclaro elogio Euilmerodach imperator non se quidem Iudæum, quod Chaldæi calumniabantur, sed veri Dei præconem, cultorem, admiratorem professus est, dignumque qui toto terrarum orbe, cum religiosissimo metu, cultuque celebretur. Quanta autem deinceps Danielem beneuolentia complexus sit, facile est æstimare. XXVI. *Et reperit viuentem.*

HÆC dum Babylone agitantur, Ambitio res minime quietas Romæ esse permisit. Filij enim Anci Marcij, qui iampridem se opera Tarquinij de spe regni paterni deiectos gemebãt, eum sæpius de principatu deturbare moliti sunt: & nominatim quarto anno, prius quam eorum factione perimeretur, vt author est Dionysius. Cum enim Neuius ille augur, qui regi numerum siue tribuum, siue centuriarum equestrium augere cupienti restiterat, maxime in Vrbe artis suæ commendatione floreret: siue æmulatione sui ordinis, siue inimicorum dolo, seu verius artibus mali dæmonis, cui isti arioli, magique vehementer addicti sunt, secretisque pactionibus nexi ligatique, de repente sublatus nusquam comparuisset, neque mortis genus eius necessarij coniectare possent, neque cadauer vsquam compareret, populusque eam mortem iniquissime ferret, eam Marcij occasionem auide arripuerunt calumniis regem inuadendi, quasi eius facinoris authorem, qui sibi in perturbandæ Reipubl consiliis aduersarium tollendum putasset. Addebant etiam illam coniecturam quod in tam graui casu XXVII. *Tumultus in Tarquinium excitatur.*

l.3 p 205. gr lat.

authores facinoris inquirere neglexisset, euidenti argumento eius se criminis haud dubie affinem esse.

XXVIII *Comprimitur.* HÆC cum in populo à disertis hominibus & gratiosis, magno studio spargerentur, & rex sacrilegij reus ageretur, indignusq; diceretur qui aduena regno cum esset, impuris manibus regiam potestatem pollueret; magnæ tamen populi parti non persuaserunt, vt eum regno eiicerent. Quin potius cum ipse pro se causam dicere exorsus esset, omnésque calumnias egregie diluisset, facile illam tempestatem discussit: annitente præsertim genero eius Tullio, cui ille alteram filiarum suarum nuptum dederat, qui multum gratia apud populum atque autoritate valebat, suscepto præsertim patrocinio veritatis. Vicit itaque veritas, & seditiosi è foro cum dedecore discedere coacti sunt; moxque reconciliatione per amicos quæsita, regem memorem paternorum beneficiorum, ad veniam facilem inuenerunt. Ipsi autem mala mente præditi, & voluntate iampridem ambitione deprauata, triennio in ficta amicitia permanserunt.

*Inuidiæ dirum versantes pectore vulnus.*

---

## SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 3473.

1. N. x. Fannius dat Artabæ Ægyptiæ tres modios cum triente, sic vt Artabæ tres efficerent 10. modios. *Namque 10. modiis explebitur Artaba triplex.* Quod confirmet D Hieronym super 11. Daniel. Duodecim ergo Artabæ efficiunt 40. modios. Atqui 30 modij, siue Corus, vt ait D. Epiph. l. de pond. in collem, & aceruum collecti faciunt onus cameli. Et infra ait Artabam Ægyptiam fuisse 72. sextariorum. Sed si Persica inquirenda est, quæ videtur eadem cum Medica, & Babylonica fuisse, Herodotus l. 1 ait Artabam mensuram esse Persicam continentem Medimnum Atticum, & insuper tres Chœnices Atticas. Medimnus autem continet sex modios, vt Suidas Fannius Budæus, Villalp. docent Et cum Chœnix sit 48. pars Medimni, vt ait Pollux, & Suidas, tres Chœnices sunt 16. pars Medimni, conficiunt Artabæ duodecim Modios 72. siue Chœnices 612. Chœnix autem fuit diurnus hominis cibus, vt ex communi sententia refert Villalp. t. 3. p. 2. l 3. c. 7. Porro Amphoras vini sex, 70. in metretas verterunt Quamquam amphora duas tantum vrnas contineat, & sextarios 48 vt ait Festus. Metreta capit vrnas tres, & sextarios duos & 70 Nam Epiphan *Sanctus*, inquit, *appellatus congius est sextariorum sex, quæ est 12. pars metretæ*, at sexies duodecim sunt 72. Ibid. etiam D. Epiphan. ait Artabam esse parem Metretæ, & vtramque continere sextarios 72. quorum singuli continent cyathos 12. Nam *Sextarij cyathus pars est, quæ est vncia libræ*, ait Fannius: cyathus vero vnus est haustus mediocris, ex quo patet valde magnam vini vim quotidie huic Belo datam fuisse.

Videtur id tempus solennitati cuilibet destinatum, in rebus tam lætis quam tristibus, de illis vide 2. Par. 30. 20. 23. Esdræ 6 22. Tob. 11. 21. Iudicum 14. 12. 17. Ester 1. 5. 2. N. xxv.

ANNVS MVNDI 3474. QVINTAE AETATIS 535. IECHONIÆ ET TRANSMIGRATIONIS 39. DESOLATIONIS ET IOSEDECI PONTIFIC. 28. EVILMERODACHI 3. IMPERII BABYLONIORVM 141. OLYMPIADIS L. ANNI I. TARQVINII PRISCI 36. VRBIS CONDITÆ 173.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 579.



QVINQVAGESIMA Olympias Epitelidem Laconem illustrauit, vt tradit Dionysius initio libri quarti. Sed eam multo magis septem Graciæ sapientes, quos S. Cyrillus ait in ea maxime celebratos, vnaque Anaximandrum Milesium rerum naturalium philosophum; Secutus est Cyrillus Eusebij Chronicon, vbi illos ait sub hoc tempus Sapientis nomen esse consecutos. Primus Thales Milesius, teste Laërtio in eius vita, id nomen obtinuit, quo tempore, inquit, Damasius Athenis princeps erat, sub quo septem quoque sapientes appellati sunt, vt scribit Demetrius Phalereus in descriptione principum. Sic ipse. Circa hanc ipsam Olympiadem floruisse Thaletem author est Clemens Alexandrinus.[a] Et Eusebius ex Tatiano.[b] Magnam inter eos animorum fuisse consensionem, mutuaque inter se beneuolentia, atque æstimatione certasse, ostendit in Solone Plutarchus. Vbi cum dixisset solam Thaletis philosophiam vltra vsum sese ad contemplandum extulisse, reliquos ait sapientis nomen à ciuili virtute inuenisse eosdemque Delphis, vbi celebratas hominum sermone sententias eos Apollini dedicasse tradit Pausanias,[c] rursumque Corinthi à Periandro ad conuiuium fuisse coactos. — I. *Olymp. 50.* *Septem sapientes.*

AVXIT, inquit Plutarchus, eorum dignitatem famamque tripodis inter eos in orbem circuitus, beneuole & studiose vno alteri eum concedente. Ferunt enim Cois nassam iacentibus, eam capturam à Milesiis hospitib incerta adhuc fortuna, emptam fuisse; extractumq. reti tripodem aureum, quem Helena cum à Troia nauigaret, oraculo monita illuc deiecerat. Ibi principio altercatos cum piscatoribus Milesios, tandemque rem ad arma spectasse. Tum vtrisque Pythiam oraculo præcepisse, vti hominum sapientissimo eum tripodem darent. Ita eum primo Miletum Thaleti missum à Cois, Thalete autem Bianti sapientiæ palmam deferente, ad eum tripodem peruenisse. Ab hoc ad alium tanquam sapientiorem, indéque ab eo rursus alij transmissum, atque ita denuo ad Thaletem rediisse. Denique Mileto Thebas transportatum, atque Apollini Ismenio consecratum fuisse. — II. *Mutuum eorũ amor, & modestia.*

THEOPHRASTVS missum primo tripodem Bianti Prienam tradit, ab hoc Miletum Thaleti, inde ordine ad reliquos, ac postremo ad Biantem relatum, itaque ad extremum Delphos missum. Hæc à multis authoribus vulgata sunt: nisi quod id donum quidam non tripodem fuisse, sed alij pateram à Crœso missam, alij poculum à Bathycle relictum dicunt. Hæc fere Plutarchus. Scribit Pausanias huius tituli amore Anacharsim Scytham venisse Delphos, nec tamen ab Apolline voti compotem factũ fuisse.[d] Quæ laudis cupiditas veræ illum sapientiæ expertem, quæ sui ac Dei cognitione maxime nititur, ostendebat: quod isti ipsi sapientes se nõ ignorasse, tum elogiis posteritati proditis, quæ vulgo circunferuntur, satis docuerunt, tum facto ipso, qui ad Deum denique fontem sapientiæ, præmium sapientiæ retulerunt. — III. *Tripus ab ijs in orbem missus.*

[a] l. 1. Strom. p. 111. B. gr. lat.
[b] l. 10 de præpar. p. 291. gr.
[c] l. 10 p. 319 gr.
[d] l. 1. p. 20. græ.



## ANNVS MVNDI 3476. QVINTÆ ÆTATIS 537. IECHONIÆ 41. ET VLT. SALATHIELIS 1. TRANSMIGRATIONIS 41. DESOL. ET IOSEDECI PONT. 30. EVILMERODACHI 5. IMPERII BABYL. 143. OLYMP. L. ANN. 3. TARQVINII PRISCI 38. ET VLT. VRBIS CONDITÆ 175.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 577.

I. *Esdræ cuiusdam visio.*



NNO 30. ruinæ ciuitatis & desolationis regni Iudæ, qui nunc in cursu est, Esdras quidam, vt l. 4. c. 3. Esdræ legimus, (quem alium ab eo fuisse, cuius est liber canonicus, ex cognominem, tempus ipsum docet. Nondum enim erat is natus, cum iste visionem habuit, quam recitat.) Nimirum fuisse se ait hoc anno Babylone, & in cubiculo suo valde conturbatum, dum pacem peccatorum videret, & piorum desolationem, desertionem Sionis, & abundantiam eorum, qui habitabant in Babylone: & conquestum apud Dominum, vbi inter alia v. 27. *Tradidisti ciuitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. Nunquid meliora faciunt qui habitant Babylonem, & propter hoc dominabitur Sion.* Et rursum. *Factum est cum venissem huc, & vidissem impietates quorum non est numerus, & delinquentes multos vidit anima mea hoc 30. anno.* Iam quippe memoria Nabuchodonosoris, & diuina in eum animaduersio, ex Regis Chaldæi, & populi eius mente euanescebat, *& excessit cor meum, quoniam vidi quomodo sustines eos peccantes, & pepercisti impie agentibus, & perdidisti populum tuum, & conseruasti inimicos tuos. Nunquid meliora facit Babylon quam Sion? aut alia gens cognouit te præter Israel?*

*Et querela de suorum rebus aduersis.*

II. *Responsio pro Deo.* Hæc & id genus alia conqueritur Esdras ille quorum facilis est pro Deo, atque expedita responsio. Nam hæc ipsa cognitio Dei, quam præ aliis gentibus habuerunt Hebræi, nouum beneficium fuit, noua Dei colendi amandique obligatio. Et cum ignorantia Dei alias nationes quoquo modo excusabiles reddat; eiusdem cognitio & beneficentia in Israëlitas irrita, atque inanis, imo grauissimis repensa peccatis, grauioribus pœnis reddit obnoxios. Adde quod aliæ gentes, tanquam mercenarij Dei famuli, recipiunt in hac vita mercedem suam, nec in spe hæreditatis filiorum participant. At veri Dei cultores, & filij adoptione facti, tanquam filij hic erudiuntur, & cum peccant castigantur, & quidem flagello laneo, quod cito frangitur, nec graues infligit plagas, & mox hæredes fiunt regni cœlestis; cum illi ceduntur in virga ferrea, & tanquam vasa figuli confringuntur. Nec pater familias ea in filio tolerat, quæ in famulo, vel mancipio vili.

III. *Responsio Angeli Esdræ facta.* Videamvs autem quid angelus Vriel, qui ca. 4. introducitur, respondeat. Eius quidem responsio est, minime vestigabiles esse vias Domini, & iudicia eius esse abyssum multam, sed id multiplici similitudine declarat. *Vade*, inquit, *pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti, aut reuoca mihi diem quæ præteryt*, quod cum Esdras fieri non posse diceret, vrget angelus, *Si*, inquit, *interrogarem te quantæ sunt habitationes in corde maris, aut venæ in principio abyssi*, vnde scilicet aquæ indesinenter scaturiunt, *aut venæ pluuiarum in cælo, aut qui sunt exitus paradisi, diceres mihi fortassis, in abyssum non descendi, neque in infernum adhuc, neque in cælum vnquam ascendi. Nunc autem non interrogaui te nisi de igne, & vento, & die per quem transisti, & à quibus separari non potes & non respondisti mihi de eis, & quomodo poteris capere altissimi vias?* hæc & plura ibidem in eam sententiam.

IV. *Mors Iechoniæ.* Cap. autem quinto dicit idem Esdras venisse ad se Salathielem ducem populi, ex quo intelligitur Iechoniam patrem eius, sub hæc tempora fuisse defunctum. Et si eius cum Euilmerodacho amicitia perseuerauit, glorioso funere tu- v. 16.

mulatum. Eius salus, sicut & patrui eius Sedeciæ, ambigua est, vt alibi diximus: eorum quippe peccatum legimus, pœnitentiam non legimus. Diu tamen toleratus carcer in peccatorum pœnam, & Danielis præsentia; neque enim duci populi sui morituro defuisse credendus est, aliquid boni pollicentur. Mortuus autem fuerit anno ætatis duodesexagesimo, quandoquidem decem & octo annorum erat cum regnare cœpisset, [a] & inde hic quadragesimus annus est.

a 4 Reg. 24. 8.

V. *Tarquinius templum Capitolinū molitur.*

TARQVINIVS Priscus sub extrema regni sui tempora, aggressus est ædificare templum Iouis, Iunonis, & Mineruæ, vt votum persolueret, quod in postremo contra Sabinos bello nuncuparat. Extrema, inquam, cum Dionysio teste, ne fundamenta quidem illius iacere, morte præuentus potuerit. Ergo conuocatis auguribus, consultisque diis, quis vrbis locus fano ædificando esset aptissimus, ipsisque gratissimus, imminentem foro tumulum legit, qui tum Tarpeius, nunc Capitolium vocatur. Erat is tumulus difficilis aditu, nec in summo planus, sed præruptus, & acuto vertice fastigiatus. Ideoque multis illum ex partibus celsis substructionibus amplexus est, inter quas verticem congesto aggere planam effecit aream, ad excipiendas sacras ædes aptissimam: eodem fere modo, quo Iosephus tradit montem Moria à Salomone præparatum. Tarquinium autem laboriosis hisce substructionibus insudantem, mors inopina, quippe violenta, non tamen immatura occupauit.

l. 4. p. 101. græ. lat.


VI. *Anni vita, regnique.*

OCTOGESIMVM quippe ætatis annum agebat. Nam regni aderat trigesimus octauus; vixerat cum Anco Marcio annos decem & septem; ad eum venit annos natus minimum viginti quinque, vt ratiocinatur Dionysius, cui de annis regni consentit Liuius; vno anno dissentiunt antiqui non pauci. Nam 37. ei tribuunt Solinus, Messala, Eutropius, Eusebius, Sex. Rufus, Cassiodorus, Beda, vna cum tabulis Capitolinis; quos sequuntur Sigonius, Pighius, aliique. Maluit Onufrius illos Romanæ historiæ duces sequi, quos cæteris nos quoque prætulimus: præsertim cum Dionys. non solum recitet vt cæteri, sed probet etiam sententiam suam, atque adeo dicat omnes in 38. annorum numero consentire; antiquiores scilicet quos sequi solet, puta L. Cincium, Q. Fabium Pictorem, Porcium Catonem, M. Varronem, Calphurnium Pisonem, Ælium Tuberonem, &c.

ὡς ἅπαντες ὁμολογοῦσι p. 211.

VII. *Cædis eius modus.*

CÆDIS modum in hunc fere modum refert Dionysius. Anci filios, duos coniuratorum audacissimos selegisse, & habitu pastorali, & falcibus lignatoriis instructos meridie in regiam misisse: ibi mutuis se maledictis incessisse tanquam ob illatam iniuriam. Ac ne manibus quidem temperantes magnis clamoribus regis opem implorabant, vocati intro ad regem, iussique litem proponere, prætexebant se de capris contendere: cumq; inepte multa clamarent, nihil ad rem dicerent, ludibrio erant omnibus, inter quæ ludibria illi falcibus impetunt regis caput; eoque facinore perpetrato se foras proripiunt. Dum intentus in vnum se rex totus auerteret ait Liuius, alter elatam securim in caput deiecit, relictoq; in vulnere telo, ambo se foras eiiciunt. Sed conclamatione facta multis accurrentibus comprehensi, tormentisque admoti, autores insidiarum prodiderunt, moxque meritas dedere pœnas. Ac ne illi quidem, vt dicetur, tam nefarium scelus impune tulerunt, perpetuo exilio, quóniam audacia ad præsentiam defuit, à nouo rege mulctati. De ipsius autem prole mox commodior erit dicendi locus.



ANNVS MVNDI 3477. QVINTAE AETATIS 538. SALATHIELIS DVCIS POPVLI 2. TRANSMIGR. 42. DESOLAT. ET IOSEDEC. PONTIF. 31. EVILMERODACHI 6. IMPERII BABYLONIORVM 144. OLYMPIADIS L. AN. 4. SERVII TVLLII 1. VRBIS CONDITÆ 176.

ANNVS ANTE CHRISTVM 576.

I. *Regnum Seruij Tullij, & ratio temporis.* TARQVINIO Prisco indigna morte sublato, ei successit in principatum Ser. Tullius gener eius, inquit Dionys. init. lib. 4. Anno quarto quinquagesimæ Olympiadis, qua in stadij cursu vicit Epitelides Lacon, principe Athenis Archestratide, & Vrbis conditæ, vt habet Onuphrius in Fastis Consul. & in commentar. suis 176. quem munerum exacte conficiunt 44. integræ Olympiades, quæ hoc anno finiuntur, posito vrbis initio in septimæ Olympiadis initio, iuxta Dionysij Chronologiam. Salathielem porro hic ducem populi nominamus, imitati quartum Esdræ, [a] cui successit Zorobabel, in reditu in Iudæam: itaque ad id vsque tempus Salathielis annos notabimus. a c. 5. v. 16.

II. *Eiusdem genus ex Dionys.* DE huius regis natalibus ita Dionys[b]. Corniculanus quidã in latio vir regij sanguinis nomine Tullius, vxorem habuit Ocrisiam præstanti forma, & pudicitia inter Corniculanas fœminam. Is Tullius cum Corniculum à Romanis caperetur, in pugna interit, Ocrisiam vero tum prægnantem Tarquinius sibi extra sortem è præda capit, vxorique suæ dono dat; quæ omni eius fortuna cognita, paulo post eam manu misit, eique præ cunctis mulieribus maximam semper beneuolentiam, & honorem exhibuit. Ex hac Ocrisia etiam tum ancilla natus est puer, cui mater enutrito proprium & gentilitium nomen imposuit Tullium à patre, appellatiuum vero Seruiũ, quod eum in seruitute peperisset. Dissentit tamen Liuius, qui hoc ipso quod ad tantam adscitus est dignitatem, vt regis eligeretur gener, incredibile putat eum vel serua natum, vel etiam ipsum aliquando seruisse: vultque Seruij nomẽ à patre ad filium fuisse transfusum. Mulierem autem captiuam ob vnicam nobilitatem seruitio prohibitam, partum Romæ, in Prisci Tarquinij domo edidisse. Sic enim legẽdum Liuium ipsa sententia exigit. b Vide Fabulã apud Plin. l. 37. c. 26.

III. *Fit regis gener.* REFERT idem Liuius qui fuerit hic Seruius ad regiam affinitatem assumptus. Puero dormienti ait caput arsisse multorum in conspectu: cumque quidam ad extinguendum ignem aquam ferret à regina retentum, sedatoque iam tumultu moueri vetuisse puerum, donec sua sponte experrectus esset; mox cum somno & flammam abiisse. Hic reginam virum seductum monuisse, puerum hunc magnam in spem, & præsidium domus regiæ destinari. Indéque puerum liberùm loco habere cœperunt, eumque iis artibus erudiri curarunt, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Ergo iuuenis euasit verè indolis regiæ: nec cum quæreretur Tarquinio gener, quisquam Romanæ iuuentutis vlla arte conferri potuit, filique ei suã Rex despõdit. Huc videtur allusisse Virg.

*Ecce leuis summo de vertice visus Iuli*
*Fundere lumen apex, tactuque innoxia molles*
*Lambere flamma comas, & circum tempora pasci*, &c. 2. Æneid.

IV. *Regi multum probatus.* GENVERAT & alteram ex Tanaquilde filiam, quam M. Iunio, patri Iunij Bruti primi Consulis, vxorem dedit: sed & filium regno hæredem destinatum, nisi eum mors viuente adhuc parente occupasset: duobus nihilominus filiis superstitibus relictis Arunte & Lucio; ex quibus Lucius, cui postea Superbi cognomen illaudabilis vitæ merita dederunt, Romæ postremus regnauit. Quæ autem Seruius hic regni candidatus contra Etruscos, Sabinosque gesserit sub Tarquinij Prisci auspiciis, quot ab eo egregiæ fortitudinis encomia, coronasque retule-

retulerit, quamque se omnibus modestia, & morum suauitate probauerit, quam sedulam Regi operam publicis priuatisque negotiis nauauerit, pluribus apud Dionysium leges.

V. *Fit Rex opera Tanaquildis.*

QVOMODO autem regnum Romæ occuparit opera Tanaquildis reginæ, ita deinceps explicat Dionysius. Animaduertens extincti regis vxor Tanaquil, (quod peregrinum nomen in Caiam Cæciliam à Romanis reperies commutatum) quanto in periculo versaretur ipsa, & duo infantuli ex filio defuncto nepotes, imo & omnis regia familia, si regis percussores, filij Anci Marcij, rerum potirentur, aduocato in consilium Seruio Tullio genero suo, statuit rumorem spargere, regem non lethaliter vulneratum, eiusque nomine populo commendare, vt interim dum curatur, Seruio quasi sibi ipsi, vt alias non semel factum fuerat, obtemperent. *Tu autem*, inquit, *accepta cum fascibus etiam armorum potestate, voca insidiatores Tarquinij vitæ in populi iudicium, primosque omnium Marcij filios, & ius in eos stringe; qui se comparuerint, eos capite plectito, sin, quod potius facturos arbitror, causam deseruerint, perpetuo exilio, & bonorum proscriptione mulctato.*

VI. *Eius in eam rem consilia.*

AC *tum ad res imperij componendas versus, comitate, atque omnibus humanitatis officiis conciliabis tibi fauorem multitudinis: posthac vbi visum fuerit tempestiuum, dicemus regem defunctum, & palam ei funus faciemus.* Sic ipsa; quæ etiam postremo petit vt puerulis paternam exhibeat beneuolentiam, & cum ad virilem ætatem venerint, administrandæque Reip. pares fuerint, maiorem natu Romanis præficiat. Hæc ita vt illa optauit quamprimum contigerunt; è puerulis autem Arunte & Lucio Tarquiniis, posterior hic, qui & natu maior a Dionysio dicitur, deinde Rex factus est. Fuisse autem istos Tarquinij Prisci non filios, sed nepotes, contra communem aliorum scriptorum sententiam, accurate probat Dionysius, simulque etiam fidem facit se in reliqua historia veritatis amantem. Nec minus docet quantum valeat temporum accurata notatio ad errores in historiis conuincendos. Ad conciliandos porro reliquos scriptores à quibus dissentit, scribit fieri potuisse, vt paruuli isti mortuo eorum patre, ab auo in filiorum locum adoptarentur, qui natura nepotes erant.

*Tarquinij Prisci nepotes.*

VII. *Initia regni Seruij.*

SERVIVM porro Tullium quadraginta annorũ fuisse ait cum regnum adeptus est, qui vicaria Reip. administratione suscepta, pulsa factione Marcia, firmatas iam imperij habenas ratus, regem Tarquinium, quasi recens tum ex vulneribus mortuum, magnifico funere extulit, ac deinceps regiorum puerorum tutor habitus, simul patrimonium eorum, & Reipubl. negotia curabat. Et quamuis id molestum esset patriciis, indignantibus quod ipse sibi callidè regiam potestatem asseruisset, non à senatu decretam, eumque in ordinem redigere cogitarent, ipse tamen popularis factus patriciorum conatus elusit: quæ pluribus persequitur Dionys. vbi inter alia. *Mox*, inquit, *vt regnum adeptus est agrum publicum diuisit ciuibus, qui ob egestatem mercede seruire cogebantur.* Dionysio tamen repugnat Liuius, cum ait Seruium firmo præsidio munitum, primum iniussu populi, patrum voluntate regnasse. Sed plus fidei Dionysio conciliat rex factus popularis.



ANNVS MVNDI 3478. QVINTAE AETATIS 539. SALATHIELIS 3. TRANSMIGRATIONIS 43. DESOLATIONIS ET IOSEDEC. PONTIF. 32. EVILMERODACHI 7. IMPERII BABYLONIORVM 145. OLYMPIADIS LI. AN. 1. SERVII TVLLII 2. VRBIS CONDITÆ 177.

ANNVS ANTE CHRISTVM 575.

I. *Olymp. 51.*



RATOSTHENES Crotoniates hac Olympiade nomen suum in Olympico stadio celebre reddidit, reliqua vita ignotus. Interea in Iudæa triste silentium ad annos adhuc duodequadraginta. Babylone tam ciues quam peregrini quietam vitam ducunt. Valdéque mihi probabile est Salathielem Euilmerodacho charum fuisse. Valuerit enim apud ipsum Iechoniæ, siue Ioachini sibi dilecti è viuis abeuntis commendatio: valuerit & Danielis apud eundem regem gratia, & authoritas recentibus prodigiis, & perpetua innocentia, ac sanctitate vitæ conciliata. Diuina maxime prouidentia, quæ Dauidis familiam in spem Messiæ sustentabat, egregie patrocinante: adeo vt Iechoniæ filios octo in primo Paralip. legamus, in quibus Salathiel secundo loco nominatur, ex quo deinde natus est Zorobabel, Dux populi in desolatam patriam Cyri permissu reuertentis. Sequens porro annus numeratus fuisset Sabbaticus 128.

*Salathiel.*

II. *Bella Romana sub Seruio.*

REFERRE huc possumus initium belli cum Etruscis. Hæc enim videtur aperta Dionysij mens l. 4. *Defuncto Tarquinio ciuitates quæ se illius imperio submiserant, nolebant amplius stare fœderis conditionibus, dedignatæ parere Tullio homini obscuris orto natalibus, & sublata ad nouas spes, patriciorum cum rege dissidio.* Hoc dissidium initio regni Seruij contigisse ex dictis constat. Pergit autem. *Initium defectionis à Veientibus ortum est. Hi legatis à Tullio missis responderunt, se nec vllum ei principatum concessisse, nec amicitiæ, societatisque fœdus cum eo pepigisse.* Hos autores secuti sunt Cæretani, & Tarquinienses; postremo in armis fuit vniuersa Etruria. Hoc bellum continuatum est annis 20. & alteri alterorum agros non semel cum magno exercitu inuaserunt, collatisque signis, alia super aliis iniere prælia, è quibus omnibus victoriam reportauit Tullius quotiescumque vel cum singulis ciuitatibus, vel cum tota gente dimicatum est: ac tandem tribus clarissimis triumphis decoratus, coëgit eos vel inuitos imperij frenum accipere. Capitolina marmora, primum eius triumphum referunt in annum vrbis 182. secundum 186. Tertius in lapidibus ex parte exesis certo definiri non potest: ex Dionys. 196. colligi potest, vt suo loco dicetur.

## ANNVS MVNDI 3482. QVINTAE AETATIS 543. SALATHIELIS 7. TRANSMIGRATIONIS 47. DESOLATIONIS ET IOSEDECI PONTIFIC. 36. EVILMERODACHI II. IMPERII BABYLONIORVM 149. OLYMPIADIS LII. ANN. I. SERVII TVLLII 6. VRBIS CONDITÆ 181.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 571.



AGIS Eleus Olympiade quinquagesima secunda palmam tulit in stadio, quo tempore Anacreon poëta Lyricus floruisse memoratur; & Phalaris Siciliam totam tyrannide vexasse. Id enim de vtroque Suidas affirmat. Addit etiam illum Olympiade 55. Cyri tempore extinctum fuisse. Polycrati Sami tyranno familiarem fuisse Pausanias quoque testatur in Atticis, aitque primum post Lesbiam Sappho magnam carminum suorum partem in exprimendis amoribus consumpsisse, eique in arce statuam collocatam, habitu hominis per ebrietatem cantantis. Phalaridis tyrannidem apud Eusebium reperies Olympiade 38. & 53. sed ista rectius, cui fauet Ælianus, & Paulus Orosius. Non potuit vtraque, cum 16. tantum annis eam exercuisse tradat Eusebius, aut Hieronymus potius, qui vertit Eusebium. Cum enim Eusebius Phalaridis tyrannidem destructam posuisset Olymp. 38. Hieronymus eam notam ab illo quidem loco non dimouit, sed eam iterum meliore reposuit. I. *Olymp. 52.* *Anacreon.* *Phalaris.*

TYRANNORVM autem cum omnia violenta atque iniusta esse soleant, & in tyrannis Agrigentinus Phalaris non vltimum obtineat locum, duo tamen eius opera, vnũ iustitiæ, alterum humanitatis, illud à Plutarcho, hoc ab Æliano referuntur, ac commendantur. Phalaris, inquit ille in Parallelis, Agrigentinorum tyrannus crudelis hospites torquebat, & excruciabat. Perillus faber ærarius æream buculam confecit, tyrannoque obtulit, vt in ea peregrinos viuos cremaret. Phalaris tum duntaxat iustus, ipsum in eam coniecit, & primum ementitos mugitus edere compulit. Subiicit simile facinus Æmilij Censorini Ægestæ in Sicilia perpetratum, cum ei quidam Aruntius Paterculus equum æneum dono dedisset. II. *Eius duo facinora, in Perillum.* *Equum aeneum.*

*l. 2. c. 4.* Ælianus autem in varia historia, refert Charitonem, virum alioqui impurum quendam vsque adeo Menalippum adolescentem dilexisse, vt cum hic iniuria quapiam à Phalaride affectus, eum perimere statuisset, & Charitonem adiutorem quæreret: is veritus ne in eo conatu deprehensus improuidus adolescens irritas pœnas daret, ab eo impetrauit vt sibi, qui illud idem facinus pridem meditaretur, totum negotium permitteret. Certus se aut rem perfecturum, & amicum vlturum, & patriam liberaturum seruitute; aut non perfecturum, & sic vita sua certæ morti Menalippum erepturum. Ergo cum in facinore à satellitibus deprehensus esset, & tormentis ad declarandos socios vrgeretur, isque tacere pergeret; audita re Menalippus Phalaridem adit, suum id esse facinus, non Charitonis contestatus. Miratus amicitiam Tyrannus, vtrumque liberum dimisit, exulare tamen iussit, & bonorum suorum reditibus frui. *Et Charitonem,*

ANNVS MVNDI 3483. QVINTAE AETATIS 544. SALATHIELIS 8. TRANSMIGRATIONIS 48. DESOLATIONIS ET IOSEDEC PONTIF. 37. EVII MERODACHI 12. IMPERII BABYLONIORVM 150. OLYMPIADIS LII. AN. 2. SERVII TVLLII 7. VRBIS CONDITÆ 182.

ANNVS ANTE CHRISTVM 570.

I. Iubilæus 18.



NONGENTESIMVS est hic annus ab ingressu Israëlitarum in Chananitidem, mirabiliter transmisso Iordane; ideoq; Iubilæus decimus octauus hoc anno agitur. Conficitur ille numerus ex 439. annis qui templi fundationem antecesserunt, secluso illo ipso anno quo fundatum est, ne bis numeretur, 424. annis quibus stetit, & 7. à quo conflagrauit. (439 / 424 / 7 / 900)

Seruius de Etruscis primum triumphat.

Notatus est hic idem annus Seruij Tullij primo de Etruscis triumpho, in Fastis Capitolinis Car. Sig. & Pighij, & quidem 6. Cal. Decembr. Sed cum mitius à Romanis de more tractati essent, in quorum laude verissime potuit Virgil. *Parcere subiectis, & debellare superbos*, cito ad ingenium, & spem pristinæ libertatis redierunt. At Romani dum ipsis eorumque bonis parcebant, suis ipsorum bonis, subditisque parcebant. Nihilominus bellum ab Etruscis iterum præparatum est. Sed priore victoria Seruio regnum ita confirmatum est, vt neque apud patrum animos, neque apud plebem periclitaretur, vt significat Liuius. Addit que inde aggressum pacis longe maximum opus, vt quemadmodum Numa diuini autor iuris fuisset, ita Seruius conditor esset omnis in ciuitate ordinis, atque discriminis.

II. Ornat, & auget ciuitatem duobus montibus.

Hoc porro & sequentibus aliquot annis videtur Seruius ciuitati ornandæ, atque amplificandæ operam dedisse. Eam enim quasi dispositionem ad ciuium in certas classes distributionem præmittit Dionys. l. 4. Nec videtur bellum cum Etruscis fuisse tam vehemens, vt rex prudentissimus belli simul & pacis studia colere non posset: præsertim cum hæc illis vehementer essent profutura. *Vrbi*, inquit, *duos colles Viminalem, & Esquilinũ addidit, singulos iusta oppidi magnitudine, atque ibi loca ciuibus lare carentibus ad ædificandum distribuit. Ipse quoque Esquiliis domicilium statuit, eo regionis eius commodissimo. Hic regum vltimus vrbis pomœria protulit, duobus ad quinque colles additis, nec vlterius processit ædificatio, religionibus, vt fertur, non permittentibus.*

III. Vrbana rusticaque tribus instituuntur.

DISTRIBVTIONEM tribuum Romanarum passim omnes historici Seruio regi tribuunt, sed in numero est nonnulla dissentio. *Ceterum*, ait Dionys. [a] *Tullius postquam septem colles vno muro complexus est*, laxatis scilicet mœnibus, quæ non ita pridem Tarquinius magnifice construxerat, *vrbem in 4. partes diuisit à collibus cognominatas, Palatinam, Suburanam, Collinam, Esquilinam, & quatuor vrbis tribus esse fecit, quæ ad id temporis tres fuerant*, & paulo post, *diuisit etiam vniuersum agrum, vt Fabius autor est in partes 26. quas & ipse tribus nominat, & 4. vrbanis ad illas additis, triginta ex vtrisque tribus constat. Cato certe tot fuisse dicit tum regnante Tullio. Ego libentius accesserim Venonio, qui triginta & vnam tribus numerat.* Hæc ibi. A quo multum dissidet T. Liuius. Nam l. 2 post pulsos reges, mortémque Tarquinij, ait auctas Romæ tribus vsque ad vnam & 30. & li. 6. vbi de Camillo, ait tribus 4. ex nouis ciuibus additas. Ideoque Onuphrius ait Seruium 4. Vrbanas tribus, & 17. rusticas, distinxisse, omnes viginti & vnam. Sed stat Dionys. sequi, dum firmior ratio, maiorque vis ad Liuium trahat, cum Dionysius Fabio Pictore, Catone Maiore, & Venonio nitatur, Liuius nullum afferat pro se testem, cum rem narret sua tempora tot seculis antegressam. Quæ porro de censu dicenda sunt differenda sunt in an. 11. Tullij.

a l. 4 p. 219. gr. lat.

ANNVS MVNDI 3484. QVINTAE AETATIS 545. SALATHIELIS 9. TRANSMIGRATIONIS 49. DESOLATIONIS ET IOSEDECI PONTIFIC. 38. EVILMERODACHI 13. IMPERII BABYLONIORVM 151. OLYMPIADIS LII. ANN. 3. SERVII TVLLII 8. VRBIS CONDITÆ 183.

ANNVS ANTE CHRISTVM 569.



OLYMPIADIS huius anno tertio, Archonte siue principe Athenis Aristodemo, Pittacus Mitylenæus vnus è 7. sapientibus Græciæ mortuus est, cum iam ab Olympiade quadragesima secunda floruisset. Author est in eius vita Laërtius, additque vixisse supra annos septuaginta. Sepultum in Lesbo inscriptum monumento epigramma testatur. I. *Obitus Pittaci Mitylenæi.*

*Sacra suis tumulo hoc lachrymis te Pittace Lesbos,*
*Condidit, ex obitu languida facta tuo.*

Vixit Crœsi Lydorum regis tempore, ad quem eius extat epistola. Cumque rex ille pecuniarum copia tumidus, ad eum pecunias misisset, recipere noluit, duplo plura quam vellet se habere contestatus. Defuncto enim fratre sine liberis, hæreditatem ad se pertinere. Ita Laërtius, & ipsemet in epistola ad Crœsum. Auro, inquit, ipsi non indigemus, contenti modico vitæ stipendio, quantum satis sit mihi, & amicis. Quæ minime nota, aut credita fuisse vulgo necesse est, à quo ἀγάσυρτος dictus sit, ὡς ἐπιπολασμένος, καὶ ῥυπαρός. Quod cupidius omnia ad se traheret, & auaritiæ sordibus inquinatus foret.

Hac ipsa Olympiade quinquagesima secunda Æsopum fabulatorem floruisse, senescente iam Chilone, scribit Laërtius in vita Chilonis. Floruisse tamen Olympiade quadragesima, & quæ Delphis sibi contigerant duobus libris esse complexum tradit Suidas: quem nihilominus apud Crœsum diuersatum esse, & Olympiade 54. defunctum, & Xanthi Lydi famulum, idem Suidas affirmat. Verum plures ille memorat Æsopos. *Floret Æsopus.*

ANNVS MVNDI 3486. QVINTÆ ÆTATIS 547. SALATHIELIS 11. TRANSMIGRATIONIS 51. DESOLATIONIS ET IOSEDECI PONTIF. 40. EVILMERODACHI 15. IMPERII BABYL. 153. OLYMP. LIII. ANN. 1. SERVII TVLLII 10. VRBIS CONDITÆ 185.


ANNVS ANTE CHRISTVM 567.



VICTOR fuit in Olympico stadio Agno quidam Peparethius, ortus videlicet ex Peparetho insula Macedoniæ prope montem Athos, vt ait Plinius quondam dicta Euonus. De qua consule Ortelium in Thesauro Geographico. Est porro hic idem annus Sabbaticus ordine 129. sextus ab euersa Hierosolyma. I. *Olymp. 53.* *Laer. 12.*

Hac Olympiade certabatur Athenis inter Pediæos, Paralios, & Diacrios, tres vrbis partes seditione distractas, & nouandarum rerum cupidas. Primis *Seditio Athenis.*

præerat Lycurgus, secundis Megacles, tertiis Pisistratus, quibus se coniunxerat turba mercenariorum diuitibus infensa. Rebus ita turbatis Solon ex decem annorum peregrinatione reuersus est, priuatimque cum principibus factionum congressus, dissidia componere studebat; Agnitáque simulatione Pisistrati ad tyrannidem aspirantis, eum ad sanam mentem reuocare conatus est. Plutarchus in Solone: quæ tamen paulo post, anno tertio huius Olympiadis, erupit. Sigon. de Temporibus Atheniensium.



## ANNVS MVNDI 3487. QVINTÆ ÆTATIS 548. SALATHIELIS 12. TRANSMIGRATIONIS 52. DESOLATIONIS ET IOSEDECI PONTIFICIS 41. EVILMERODACHI 16. IMPERII BABYL. 154. OLYMP. LIII. ANN. 2. SERVII TVLLII 11. VRBIS CONDITÆ 186.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 566.

I. *Res huius anni, & ratio temporis.*



PVGNATVM est fœliciter à Tullio hoc anno contra Etruscos, & secundus de iis relatus est triumphus. Id enim Capitolina marmora de anno vrbis 186. testantur, quando Rex vniuersum populum primum censuit, in classes digessit, atque lustrauit. Sed hæc paulo distinctius explicanda sunt nobis, ducto à ratione temporis initio. Nam, vt recte notauit Onuphrius,[a] primum lustrum conditum fuisse anno vrbis cond. 186. vel 7. qui erat regni Seruij Tullij vndecimus, vel duodecimus, colligitur ex Censorino, qui in libro de die natali c. 18. inter primum lustrum & septuagesimum quintum, quod ab Vespasiano Augusto V. & Tito Cæsare III. Coss. & Censoribus factum est, annos intercessisse tradit plus minus 640.[b] Nam ab anno vrbis 186. ad annum 826. in quo Vespasianus, & Titus Censores lustrum condiderunt, intersunt anni 640. quos inter vtraque lustra prodit fuisse Censorinus. Temporis quoque rationem confirmat ille triumphus, qui in dictis tabulis Capitolinis reperitur celebratus 8. Cal. Iunij anno Vrbis 186. quo acto verisimile est regem statim census descriptionem inchoasse, moxque lustrum primum condidisse.

[a] l. 1. Fast. vbi de Ser. Tull.

[b] Sic emēdat Onuph. nam in Censor. legitur 650.

II. *Census institutus à Seruio.* COMPRESSIS itaque rursum Etruscis, Censum instituit Seruius rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim, vt antea, sed pro habitu pecuniarum fierent ait Liuius: addit Dionys. Iussit autem omnes ciues dare nomina, suaque bona censere, addito iureiurando, se vere illa, & bona fide æstimasse: adscriptis etiam ætatis annis, & parentum nominibus, atque adeo coniugum, & liberorum: ad hæc quam quisque vrbis regionem, quemue agri Romani pagum incoleret. Ei qui censum neglexisset, pœna proposita, vt bonis in fiscum redactis, virgis cæsus in seruitutem venderetur. Pœnæ timor, & iurisiurandi religio omnes adegit, vt nihil supra, aut infra veritatem quisquam de suis opibus pronunciaret. Accedebat & insitus honoris amor, quo intelligebant prælatum iri tenuioribus copiosiores, quamuis honoribus onera proportione responderent, vti mox intelligetur.

III. *Census primæ classis, eiusq; centuriæ.* PERACTO censu, cum ex scripto & numerum ipsorum, & opes cognouisset, vnam selectam ex omni numero partem cuius census erat maximus, nec minor centum minis, vel vt ait Liuius centum millibus æris. Plinius 110. Gellius 125. quam summam Budæus mille coronatis æstimat, sed sui temporis, id est 35. solid. quæ summa exacte respondet centum minis Dionysij, quia singulæ minæ Atticæ valent 17. Francis Turon. cum dimidio, iuxta æstimationem Roberti Cenalis. Idem Cenalis mille æris 20. francis Turon. respondere ait. Itaque qui centum millia æris in bonis habuit, habuit bis mille francos in bonis; qui 110. bis mille ducentos, qui 125. bis mille quingentos. Ex quibus perspicue intelligi-

l. 33. c. 3. l. 7. c. 13.

*Prisca Romanorum tenuitas.*

tur quam tenuis tum res esset Romanis, apud quos ditissimi quique, minus habebant in omnium æstimatione bonorum, quam nunc permediocri fortuna viri habeant in reditibus annuis. Hanc ciuium partem, primam classem appellauit, quam in 80. centurias distribuit, quas bipertito diuisit, vt 40. iuniorum essent, qui foris bella gererent, ab anno 17. ad 45. totidem seniorum, qui domi ad vrbis custodiam remanerent.

RELIQVO ex populo aliam deinde classem exemit, cuius census erat intra decem millia drachmarum, vsque ad minas 75. quas vocarat centum minas Dionysius, nunc vocat decem millia drachmarum, nimirum centum drachmis cuilibet minæ attributis, & cuilibet drachmæ tribus sol. Turon. cum dimidio. Ergo ad hanc classem pertinebant ij quorũ bona ad minas minimùm 75. peruenerant, id est 1312. francos cum dimidio; aut iuxta Liuium ad 75. millia æris, id est francos mille & quingentos. Ex his conscriptæ 20. centuriæ, eodem modo in seniores iunioresque distributæ, prout annum 45. non attigerant, vel illum superauerant. *IV. Secunda item.*

Tertiam Classem conflauit è reliquis qui minimùm haberent in bonis 50. minas, vel 50. millia æris, id est 875. francos, vel iuxta Liuium mille. Et in hoc ordine tertio 20. constituit centurias, eodem ætatis discrimine. *Ac tertia*

QVARTA fuit 25. minarum Dionysio, vel 25. millium æris Liuio, id est 437. francorum, cum dimidio, vel quingentorum. Et habetur quidem apud Dionysium in hac classe census 20. minarum, errato minime dubio, vt ex quinta classe patet, in quam reiecti sunt quorum facultates censeretur intra 25. minas, & duodecim cum dimidia. Alioqui plerique quartæ classis essent in quinta, & vice versa. In hac ergo quinta classe oportuit ciuem habere minimum 218. francos cum dimidio, Dionysio: Liuio autem vndecim millibus hæc classis censebatur siue 220. francis. Erant in hac quinta classe 30. centuriæ, quindecim iuniorum, & seniorum totidem. Census isto minor reliquam habuit multitudinem, immunem tributorũ, & militiæ, vt aiunt Liuius, & Dionysius, quæ fuit sexta classis, in qua proletarij, & capite censi, quæ vnicam duntaxat habuit centuriam. Addit Dionysius 4. centurias inermes duas fabrùm ad machinas ferendas, & totidem tubicinum, & tympanistarum; quarum illæ additæ erant secundo ordini, aut primo, vt Liuio placet. Istæ autem quarto, aut quinto vt Liuiuus mauult, qui etiam tres horum vult fuisse centurias. Singulisque centuriis præerat vnus centurio, virtutis in bello spectatissimæ. *V. Tres reliquæ classes.*

EQVITVM etiam delectum habuit Seruius rex è ciuibus maximi census, & eorum 18. constituit centurias, ita vt primæ classis essent omnino 98. centuriæ, Secundæ 22. cum opificibus. Tertiæ 20. Quartæ 22. cum tubicinibus, & tympanistis. Quintæ 30. Sextæ vnica, quæ erat egenorum. Quæ rex tam sapienter constituit, vt in primas centurias sicut maxima ex parte belli onera incumbebant, ita maximus eis tribueretur honos. Nam cum cuique tribui certus personarum numerus indiceretur, certum item imponeretur tributum, cum superiores centuriæ essent personis pauciores, fiebat vt fere perpetuo militare cogerentur, & tributa grauia penderent: cum inferiores, quæ numero abundabant, facile numerum imperatum exhiberent, & vicissim quiescerent ac militarẽt. Vectigal quoq; cuiusq; centuriæ hoc minus erat, quo plurib incũbebat illud explere. *VI. Equitum centuriæ.* *Insignis in classium distributione prudentia.*

98 / 22 / 20 / 22 / 30 / 1 / 95

HONOS autem in eo maxime consistebat quod possent suffragiis suis cuncta conficere. Cum enim singulę centuriæ vnicum haberẽt suffragium, prima classis 98. suffragiis gaudebat, sexta vnicum tantum habuit. Et illa si omnes suas haberet centurias inter se consentientes, res confecta erat, cum dimidiam partem omnium suffragiorum vna excederet, nec opus erat à cæteris classibus rogari suffragia: sin minus, ad secundã classem, tertiamque, & reliquas descendebatur, donec plures media parte centuriæ, id est 97. in vnam sententiam consentirent. Itaque grauissima quæque Reipub. negotia, qualis erat præcipuorum magistratuum creatio, ius cõfirmandi, abrogandiue leges, bellum pacémue decernendi ita ad populum pertinebat, vt tamen res tota potentiorũ arbitrio transigeretur, cum comitiis curiatis tantum pauperrimi, quantum ditissimi calculus valeret: itaq; sic callide plebẽ submouit à tractatione reip. Quæ plurib. explicat Dionys. *VII. Honores, & onera optimatũ.*

Desolat. 41. VIII. Lustrum Romæ primum.

Peracto censu iussit ciues omnes in campo, qui omnium ante vrbem est maximus cum armis adesse. Ibi equitibus turmatim dispositis, & peditibus in aciem directis, velitibusque per suos item ordines digestis, lustrauit eos tauro, ariete, & hirco; quas hostias ter circum castra duci iussas Marti, cui sacer est is campus consecrauit. At Liuius, & cæteri suem, ouem, & taurum sacrificari solita testantur; quod vox Suouetaurilia abunde docet. Fuerunt autem vniuersorum ciuium Romanorum, quorum fortunæ tunc censæ sunt 85. millia minus trecentis, vt in censorias tabulas relatum est. Liuius eum numerum quinque millibus diminuit; & addit ex scriptorum Romanorum antiquissimo Fabio Pictore, eum numerum fuisse eorum tantum, qui arma ferre possent, id est à decimo septimo anno ad sexagesimũ. Edixit quoque rex, vt notat Censorinus, [a] vt quinto quoque anno, censu ciuium habito, lustrum conderetur; quod ab ipso quater obseruatum, teste Valer. Maximo successor eius Tarquinius neglexit, nec deinceps alii satis accurate seruarunt; adeo vt octauum lustrum in annum Vrbis 280. cadat, qui decimus octauus, aut decimus nonus esse debuisset.

a de die nat. c. 18. l. 3. c. 4.

IX. Vectigal nascentium morient. &c.

Addo etiam ex L. Pisone in primo Annalium, referente Dionysio, quod nonnullam habeat cum Mosaica institutione similitudinem; ex qua habetur populum crebro numeratum, & persolutum ab iis, qui transibant in numerum viginti annorum, aut qui illos superauerant, dimidium sicli. Sic & Seruius voluit vrbanæ multitudinis scire numerum, tum nascentium, tum morientium, tum eorum qui virilem togam sumebant: statuisseque quot nummos inferre deberent pro singulis eorum cognati, in ærarium Iunonis Lucinæ, siue Ilithyiæ, vt eam Græci vocant pro nascentibus; in Veneris ærarium in in luco situm, quam Libitinam appellant, pro defunctis; in Iuuentutis pro sumentibus virilem togam: vnde poterat nosse annis singulis, quantus esset in vniuersum numerus ciuium, tum quam multi ex his essent per ætatem idonei militiæ.

Exod. 30. 13. ...

# ANNVS MVNDI 3488. QVINTÆ AETATIS 549.

SALATH. 13. TRANSMIG. 53. IOSEDECI ET DESOL. 42. EVILMERODACHI 17. IMPERII BABYLONIORVM 155. OLYMPIADIS LIII. ANNO 3. SERVII TVLLII 12. VRBIS COND. 187.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 565.

I. Pisistrati tyrannis.



SCRIBIT Plutarchus in Solone extremo ex Phania Ephesio Pisistratum Athenis tyrannidem primum omnium occupasse, Comio supremum gerente magistratum; quem tertio anno Olympiadis quinquagesimæ tertiæ Athenis prætorem fuisse notauit Sigonius in Atheniensium temporibus. Sic autem res gesta est, prout ex Plutarcho licet colligere. Tumultuabatur Respublica Athenis tribus diuisa factionibus, quarum antesignani erant Licurgus, Megeles, Pisistratus, qui plebi maxime patrocinabatur, eamque maxime habebat obsequentem. Ergo cum tempus appetere videretur, vt diu iam meditata consilia in lucem ederet, impositis sibi ipsi, & mulis curulibus domi vulneribus, bigis in forum prouectus multitudinis opem contra aduersarios implorauit, à quibus Reipublicæ causa ita esset deformatus. In cuius rem nuper Megarense bellum feliciter confecisset; nec cessaret in dies suas omnes curas in salutem multitudinis conuertere, quam potentiores opprimere ac deuorare conarentur.

Vide Pausan. l. pri. p. 3.

Eius occasio, & modus.

vt ait Herod. l. 1. p. 10. Græc.

QVÆ cum ille oratione maxime ad veritatem composita diceret, & vocis atque actionis, qua multum valebat, suauitas accederet, multis indignantibus ac vociferantibus, proxime ad eum accedens Solon. Non bene, inquit, ô fili Hippocratis, Homericum Vlyssem agis. Nam ille ad decipiendos hostes corpus suum male mulctauit, tu idem facis ad inducendos in fraudem ciues. Cæterum hoc facto Pisistratus id consecutus est, vt multitudo ad eum defendendum esset parata; populoque in concionem congregato, cum Aristo rogationem tulisset, vt Pisistrato, custodiæ corporis causa, quinquaginta clauigeri darentur, id quantumuis repugnante, ac contradicente Solone, impetrauit. Abiit enim è concione Solon, videns egenos ad gratificandum Pisistrato concitatos: diuites vero metu consternatos aufugere: id tamen prolocutus, alteris se sapientiorem esse, alteris fortiorem; sapientiorem quidem plebe, quæ quid ageret nõ intelligeret, fortiorem autem iis qui tyrannidi, quam nasci viderent, se non opponerent. Cum ergo populus legem iussisset, nihil vltra de numero clauigerorum inquisiuit, sed passus Pisistratum quot quot vellet alere, & conducere: ille cum trecentos huiusmodi satellites haberet ad manum, arcem Athenis, & cum arce tyrannidem occupauit.

*II. Et resistit Solon.*

*Accipit à populo satellites.*

*Arcem, & tyrannide occupat,*

Eo demum facto conturbata ciuitate, Megacles, & reliqui Alcmæonidæ ex vrbe profugerunt. At Solon etsi admodum senex, & auxiliis destitutus, nihilominus in concionem progressus, ciuium partim imprudentiam, & molliciem increpauit, qui tyrannidem nascentem non prohibuissent; partim etiam incitauit ad eam iam natam, & constitutam illustriore facinore exscindendam. Sed cum impediente metu nemo commoueretur, vel animum aduerteret, mirarentur potius hominis confidentiam, qui sibi non caueret, ne à tyranno interficeretur, quærerentque qua re fretus nihil tam graue periculum pertimesceret, respondit, senectute. Amicis autem vt fugeret hortantibus non obtemperauit, sed quieti se dedit.

*Plut. in Pericle.*

*III. Solonis constantia.*

PRVDENTER nihilominus Solonem populo charum Pisistratus rerum potitus omni honore, atque obseruatione coluit: consiliarium etiam habuit, & multarum suarum actionum laudatorem. Ita quidem Plutarchus: Laërtius tamen eum deinceps in Ægyptum nauigauisse tradit, atque inde Cyprum profectum, postremo ad Croesum peruenisse. Idque vehementer confirmant vltro citroque datæ à Solone ad Pisistratum, & à Pisistrato ad Solonem literæ, quibus & facinus suum purgat, & Solonem ad reuertendum inuitat, quas durum est fictitias dicere. Nimirum Laërtius Heraclidem Ponticum secutus est, qui scripsit Solonem occupata tyrannide multo tempore vixisse. Plutarchus autem Phaniam Ephesium, qui non toto biennio superuixisse prodidit, mortuumque anno sequente, Hegestrato magistratum tenente post Comium. Et vterque quidem Solonis peregrinationem admittit, sed vnus ante, alter post tyrannidem. Quæ cum ambigua illo ipso tempore fuerint, nobis explorata esse non possunt. Nec absurde fortasse dixerimus peregrinationem Solonis vtroque tempore contigisse; sed priorem fuisse decennii, ad legum suarum confirmationem, vt plerique scripserunt, in quibus Plutarchus, & Laërtius; alteram temporis multo breuioris, ad odium tyrannidis, legibus omnibus inimicæ, Atheniensibus demonstrandum.

*IV. An abier: ex vrbe.*



## ANNVS MVNDI 3489 QVINTAE AETATIS 550. SALATHIELIS 14. TRANSMIGRAT. 54. IOSEDECI ET DESOLAT. 43. EVILMERODACHI 18. IMPERII BABYLONIORVM 156. OLYMPIADIS LIII. ANNVS 4. SERVII TVLLII 13. VRBIS CONDITÆ 158.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 564.

I. Solonis obitus.



LTERO anno ab occupata à Pisistrato tyrannide, Archonte Hegesestrato, quarto quinquagesimæ tertiæ Olympiad. anno mortuus est Solon, octoginta natus annos, & quidem in Cypro, vt ait Laertius, cum patriam tyrannidis causa reliquisset. Ab vno enim de Cypri regibus fuerat amantissime acceptus, & in eius gratiam vrbem suam Solos appellauerat, cum eius consilio alio illam loco condidisset, vt est apud Plutarchum. Qui repugnat Laërtio scribenti eum suis mandasse, vt Salaminam eius ossia transferrent, atque in cinerem soluta per prouinciam disseminarent; idque ex Cratino in Chirone confirmat. At Plutarchus ita vitam Solonis concludit. Cremati Solonis cineres sparsos fuisse apud Salaminam insulam tantum habet absurdi, vt omnino fidem non mereri, sed commentum iudicari possit. Tamen id factum scripsere, cum alii fide digni authores, tum Aristoteles etiam Philosophus. Sic ipse. Nihil ergo cau æ est, cur eis non assentiamur.

II. Qui eius mores.

OBIIT ergo Solon patriam relinquens obnoxiam seruituti, cuius ipse libertatē plurimis legibus atq; institutis firmauerat, & in qua plurima cum sapientiæ laude diutissime vixerat. Non dissimulauit tamen quid in eo arguendum putaret Plutarchus. Negat enim eum fortiter impuris amoribus reluctatum: idque cum ex amatoriis eius carminibus intelligi, tum ex lege quam posuit, ne quis seruus pueros amaret: hæc scilicet in honestorum studiorum numero reponens, dignosque ad ea quodammodo prouocans, à quibus indignos repelleret. Hæc Plutarchus. Et rursum fatetur licentius eum in carminibus suis de voluptatibus disseruisse, quam philosophiæ conueniret. Postremo scribit eum senectutem suam ocio, ludicris rebus, adeoque compotationibus, & musica transegisse; eiusque hoc carmen refert.

*Nunc Veneris mihi grata, & læti munera Bacchi.*
*Musarumque viris dant ea lætitiam.*

III Dedecus antiquorū.

Ex quibus intelligis, Christiane lector, quam vere ille tanto sapientior dixerit. Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Sed hic morbus, proh pudor! non vnius Solonis, sed plurimorum omnino, qui vt taceam poëtas, vel Sapientes, vel Philosophi dicti sunt, quondam fuit: quod dedecus suis locis, nisi pudor impediat, attingemus: quod minus mirabitur, qui eandem infamiam meminerit in ipsos eorum deos transiisse. Vt tanto magis intelligatur quantum Seruatori nostro integritatis, atque innocentiæ principi, debeamus, qui hanc sentinam purgauit, tyrannidem carnis compescuit, & corporis, animique munditiam inuexit in mundum. Rom. 1. 21. & 22.




ANNUS MUNDI 3490. QUINTAE AETATIS 551. SALATHIELIS 15. TRANSMIG. 55. DESOLATION. ET IOSEDECI PONT. 44. EVILMERODACHI 19. IMPERII BABYLONIORUM 157. OLYMPIADIS LIV. ANNO 1. SERVII TULLII 14. URBIS CONDITAE 189.

ANNUS ANTE CHRISTI ORTUM 563.

HIPPOSTRATUS Crotoniates hac in Olympiade coronatus est: in qua Ibycus poeta Lyricus Samum, regnante Lydorum rege Crœso, venisse perhibetur. Et Aesopus Delphos venisse traditur à Suida, ibique e saxis Phædriadibus in præceps datus. Quod ab Eusebio quoque in Olympiadem LIV refertur. Abarim etiam de Scythia in Græciam venisse memorat, de quo pridem diximus aliquid: nam diuersi diuersis temporibus illum extitisse prodiderunt. Vide Gregorium Gyraldum in 3. dialogo de poëtis: illud tantum ex Gregorio Nanzianzeno refero. Ferunt, inquit, Abarim hominem apud Scythas ab Apolline sagittam accepisse, quam iaculans, simul & ipse cum ea ferebatur; itaque velocissime populos transmeans, per eam responsa dabat. Sic ipse. Neque id absurdum reor: neque enim difficile erat dæmoni, quo suggerente vaticinabatur, eodem transferente aëra peruolare sagitta celerius, & immensa terrarum spatia peragrare. Certe vulgo notissimum est plerosque famulos, inito cum dæmone pacto, ab eo huc illucque breuissimo tempore circumlatos, heris suis quæ volebant detulisse, aut nunciasse.

Margin: I. Olymp. 54 Aesopus Abaris. — Monod. in Basil.



ANNUS MUNDI 3491. QUINTÆ ÆTATIS 552. SALATHIELIS 16. TRANSMIG. 56. DESOLATION. ET IOSEDECI PONTIFICIS 45. EVILMERODACHI 20. IMPERII BABYLONIORUM 158. OLYMPIADIS LIV. ANNO 2. SERVII TULLII 15. URBIS CONDITAE 190.

ANNUS ANTE CHRISTUM 562.

PISISTRATUS quarto dominatus sui anno, qui fuit secundus anni Olympiadis quinquagesimæ quartæ, opera æmulorum suorum Megalis & Lycurgi, quibus cum in seditione contenderat, vrbe pellitur, vt refert Herodotus c. 1.[a] sed temporis notam adiecit Carolus Sigonius.[b] Eusebius in chronico, anno huius Olympiadis tertio Pisistratum in Italiam transgressum notat, cum scilicet Athenis pulsus esset: quomodo etiam in chronico Græco legitur. Non absurda tamen est Pontaci suspicio, qui Italiam pro Etruria positam putat, vocem autem Etruriæ ex Eretria deformatam. Nam Herodotus eum Eretriam, quæ vrbs erat in Eubœa insula, vel, vt aliis placet, in

Margin: I. Pisistratus tyrannus. Athenis eijcitur. — a p. 10 gr. — b De Athē. temp.

Thessalia venisse ait, cum iterum tyrannide excidisset, quod Sigonius anno quarto Olympiadis quinquagesimæ sextæ censet contigisse.

II. *Iosedeci pontificatus diuturnitas.* VIDEO diuturnum iam videri posse Iosedeci pontificatum, sed nullus alius reperitur pontifex toto hoc desolationis tempore. Itaque Genebrardus ei in chronol. annos septuaginta pontificatus attribuit; & filii eius pontificatum cum Z robabelis principatu consociat: nec absurdum est, cum Saraias pater eius à Nabuchodonosore occideretur, Iosedecum filium eius valde adhuc iuuenem fuisse, ideoque & pontificis inane nomen, sine pontificiis muneribus, valde diu retinuisse. De ipso ergo sub finem desolationis mentionem iterum facturi sumus.

III. *Regnum Crœsi.* REFERT in hunc, aut sequentem annũ initium regni Crœsi Lydorum regis Eusebius; tardius vtique aliquot annis, quam recta temporis ratio ferat. Constat quippe ex scriptoribus omnibus, Herodot. præsertim, Plutarcho, & Laertio, aditum à Solone Crœsum ipsius regis inuitatu, cuius etiam extant apud Laertium literæ. At hoc tempore Solon iam è viuis abierat, vt præcedenti Olympiade dictum est. Et huc videtur respexisse Plutarchus, cum ait nonnullos congressum Solonis cum Crœso commentitium ex temporum supputatione ostendere voluisse. Atqui ego, inquit, tam illustrem narrationem, totque testibus confirmatam, & quod plus virium habet, moribus Solonis congruentem, eiusque sapientia & animi magnitudine dignam, nequaquam puto propter quasdam annalium ratiocinationes proijciendam; quam cum infiniti hactenus emendare conati sint, nunquam tamen earum cõtrouersias expedire potuerũt. Ergo ne nos quoque operam hic ludamus, ad Astyagem Cyrumque transeamus; præsertim cum res iterum in victoria Cyri attingenda sit.



ANNVS MVNDI 3493. QVINTÆ AETATIS 554.
SALATH. 18. TRANSMIG. 58. IOSEDECI ET DESOL.
47. EVILMERODACHI 22. IMPERII BABYLONIORVM 160. OLYMPIADIS LIV.
ANNVS 4. SERVII TVLLII 17.
VRBIS COND. 192.

## ANNVS ANTE CHRISTVM. 560.

I. *Astyagis regnare desinit.* RIGESIMVS quintus & vltimus agitur annus Astyagis regis Medorum, totidem enim à 31. Nabuchodon. numerantur: quo illum oportet regnare desiisse, cum ei Herodotus, & Diodorus Siculus quinque & triginta duntaxat annos attribuant, quibus potius quam Eusebio hac in re fidem habendam non sine causa censuimus. Quomodo autem regno, Cyri opera deiectus fuerit, paucis ex Herodoto dicendum est.

*Per Harpagi proditionem.* Repete igitur memoria lector Cyrum pridem ablegatum in Persidem ad parentes suos ab Astyage, cum timore successionis Persicæ à Magis leuatus fuisset. Manebat porro Harpago satrapæ alta mente reposita iniuria, quam ab Astyage, in filii sui nece, ac ferali conuiuio acceperat. Et de vltione dies noctesque cogitans, cum per se qui priuatus esset, desperaret voti se compotem fieri posse, Cyrum regia stirpe progenitum, qui in virilem iam ætatem euaserat, per occultas literas ad bellum contra auum excitat, Medorum defectionem promittens, quos ipse interea ab Astyage, qui alioqui eis erat acerbior, alienos, rerumque nouarum cupidos reddebat.

II. *Cyrus Persas à Medis abducit.* HIS literis excitatus Cyrus, partim regnandi cupiditate, fortassis etiam vlciscendi infantiam suam, abiectam olim ab auo volucribus ac feris dilacerandam permotus, Persas suos, tum Medis obsequentes ad defectionem parat

adducere. Libellum scribit, quem se ex ipsa Media coram congregatis Persarum optimatibus accepisse simulat, in quo scriptum erat Cyrum ab Astyage designatum esse Persarum ducem. Eos ergo cum vno die vili ac laborioso opere vexasset: alio die ludis lætissimisque conuiuiis refecisset, diceretque si Medis parere pergerent, se illi similem vitam ducturos: sin se mallent habere principem, seseque in libertatem vendicare, lautiorem, quam cœpissent degustare, vitam perpetuam fore: facile eos ad iugum Medorum excutiẽdum adduxit, ratos populum nepote religiosiorem, fideique retinentiorem esse non oportere. Et alioqui plurimum eius virtuti, prudentiæque confidebant.

III. Et in Astyagem mouet.

Hæc cum Astyages Cyrum moliri accepisset, eum ad se misso nuncio accersiuit: cui ille per eũdem tabellarium renunciat, se prius illuc venturum quam Astyages velit. Quibus auditis Medos in armis quamprimum esse iubet Astyages, copiisque vniuersis Harpagum præficit, oblitus teterrimi facinoris in ipsũ perpetrati. Sæpe enim viri principes immortalem memoriam leiuiculæ offensionis retinent; cum atrocissimarum iniuriarum quas inferunt, statim recordationem deponant. Superbia quippe dominante, malorum suorum acerrimum, atque acutissimum sensum habent, alienorum autem tardissimum, atque obtusissimum. Ergo cum ad arma vẽtum esset, cum ii qui consiliorum Harpagi expertes erant pugnarent, cæteri ad Cyrum transfugerent, facile illi fuit vincere non repugnantes. Astyages nihilominus minas intentans Cyro, cum Magos, à quibus super Cyri fortuna deceptus fuisset, egisset in crucem, omnem armat ætatem, quam in Cyrum ipsemet ducit.

IV. Qui victus capitur à Cyro.

Qvibvs eductis cum Persis confligens fugatur, viuusque capitur. Eique captiuo astans Harpagus insultauit, cædem filii, cœnamque feralem exprobrans Cui proditionem fatenti, ille contra omnium hominum & stultissimum, & iniquissimum esse dixit, quod cum ipsi liceret regem esse, alteri tribuisset imperium Iniquissimum vero quod cœnæ causa Medos in seruitutem redegisset, qui culpæ regiæ affines non fuissent. Hæc ex Herod. qui mox subdit Cyrum nullo alio malo Astyagem affecisse; sed eum penes se, quoad vita excessit, habuisse. Iustinus autem. In eo prælio, inquit, Astyages capitur; cui Cyrus nihil aliud nisi regnum abstulit, nepotemque in illo magis, quam victorem se gessit: eumque maximæ genti Hircanorum præposuit. Nam ipse reuerti in Mediam noluit. Puto legendũ *ipsum*, nempe Astyagẽ; nimirũ ne Medos contra Persas excitaret. Quam etiam causam fuisse existimo, cur eum ne Hircanis quidem præposuerit, sed apud se, vt ait Herodotus, reliqua vita retinuerit. Quæ causa postea Crœso Lydorum regi fuit, vt bello Cyrum aggrederetur. Astyagem enim sororis suæ Arienæ maritum illi eripere cupiebat.

*Ab eoque seruatur.*

V. Relinquit ei regis nomen.

Qvam diuturnam vero vitam egerit, ex quo regno spoliatus est, non est memoriæ proditum. Neque absurde aliqui existimant Cyrum hoc Astyagi, vt materno auo dedisse, vt dum viueret rex Medorum appellaretur; vt quem scilicet tanquam male de se meritũ regno priuauerat, ei tanquam auo inane regis nomen indulgeret. Quin etiam ad maiorem eius consolationem crediderim cum Pererio, quem sequitur Torniellus, Darium Medum, quem à Græcis, certe à Xenophonte Cyaxarem appellari, ab aliis Astyagem iuniorem diximus, post Astyagem seniorem, à quo fuerat adoptatus, à Cyro quasi precario in Media regnare permissum; vt sibi Medos magis magisque conciliaret, quos sciebat Persis inuitissime obtemperare, quorum iampridem Domini fuerant. Id docet illa captiui Astyagis apud Harpagum exprobratio, Medos innocentes illius scelere ex dominis factos esse seruos, & Persas, qui hactenus serui fuissent, nunc dominos effectos esse Medorum. Verum de Cyro & Dario Medo proxime iterum, & sæpius deinceps dicendum erit.

17 in Dan. sex æt an. 47 n. 1. an. desol. 8.

*Et regnum Mediæ Dario.*

# ANNVS MVNDI 3494 QVINTAE AETATIS 555.

SALATH. 19. TRANSMIGRAT. 59. IOSEDECI PONTIF. ET DESOL. 48. EVILMEROD. 23. & vlt. IMPERII BABYL. 161. OLYMPIADIS LV. AN. I. CYRI REGIS PERSARVM, ET DARII MEDI I. SERVII TVLLII 18. VRBIS CONDITÆ 195.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 557.

I. *Mors Euilmerodachi.*



EVILMERODACHVS magni Nabuchodonosoris filius hoc anno, & vitæ, & regni finem accepit, iuxta ea quæ primo eius anno, ex communi sententia retulimus. Hoc inquam anno Olympiadis quinquagesimæ quintæ ineuntis, in qua idem qui supra Crotoniates Hippostratus alteram è stadio palmam tulit. Res porro ab Euilmerodacho gestas à scriptura præteritas, nec à prophanis, quod sciam scriptoribus traditas, nox ob cura recondit. Iosephus enim, sicut & cæteri quos sequitur, eius tantum regni annos, & quidem parum inter se consentientes tradunt, vt eodem loco declaratum est. Neque tamen dubitandum videtur, quin à tanto Monarcha, tot annis aliquid dignum memoria gestum sit. De eius morte ita Berosus l. 3. apud Iosephum, [a] huius regni Dominus effectus Euilmerodachus, propter iniquitates, & libidines, προςὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως, καὶ ἀσελγῶς, passus insidias à marito sororis suæ Niglissoroor interemptus est. a l. 1 cótra Apionem.

II. *Initia regni Cyri.*

CÆTERVM celeberrimus est hic annus Cyri Persarum initio, quod in annum primum quinquagesimæ quintæ Olympiadis omnes referunt. Idque tam certum putant, vt hinc vltro, citroque multorum annorum confirmationem petant. Id sentit & sequitur Eusebius in chronico; & in l. 10. de præparatione capite tertio, vbi ex Africano ita scribit. *Post captiuitatis annos Cyrus Persis imperauit, quo anno Olympias quinquagesima quinta acta est, sicut ex Bibliothecis Diodori, & historiis Thalli, & Castoris, Polybii quoque, & Phlegontis inuenire est, sed & cæterorum, quibus Olympiadum cura fuit: omnibus enim idem tempus consonat. Cyrus igitur primo imperii sui anno, qui erat annus* ( primus scilicet ) *quinquagesimæ quintæ Olympiadis, primum per Zorobabelem cum Iesu filio* Iosedech *primam, & particularem populi dimissionem fecit.* Hæc ibi ad verbum, vbi 7. habes huius chronologiæ testes, quorum recentissimus est Eusebius, qui iterum ex eodem Africo, [b] hoc quasi fundamento nititur, ad stabiliendam expositionem hebdomadarum Danielis; aitque ab initio regni Persarum ad vigesimum Artaxerxis, qui fuit 83 Olymp. annus quartus 115. annos numerari, qui retrocedendo perueniunt ad primum Olympiadis quinquagesimæ quintæ. Nec opus est pluribus hoc probare, in quo veteres omnes recentioresque consentiunt; sitque hic primus Cyri annus in initio Olympiadis 55. certior, quam probationes quæ ad id probandum afferri solent. [c] b & eos secutus est D Hieron. super cap. 9. Daniel. l. 8 de demonstr. c. siue demonst. 2. c Vide Perer. l. 11. q. 2.

III. *An eo pertineat solutio captiuitatis.*

VNICA est obiectio magni momenti, quippe ex scripturis petita, quæ palam, nec vnico in loco affirmat, primo anno Cyri solutam esse septuaginta annorum captiuitatem, & Iudææ desolationem. At nos hic quadragesimum octauum tantum eius annum numeramus. Respondendum est, ex d 2. Paral. 36. 1. Esdr. 1. 6. 3.

multorum certissima, verissimaque doctrina, duplex regnandi initium Cyro esse tribuendum, alterum in Perside, quod in hunc annum cadit; alterum Babylone, quãdo ea capta, imperium Babyloniorum transiit in iura Persarum, & de hoc primo anno imperii scriptura, & omnes passim interpretes intelligendi sunt: quod nos quoque libenter damus, atque ab eo anno quintam operis nostri partem, Deo bene propitio, auspicabimur. At initium regnandi eius necessario multis ante annis accipiendum est, quibus post multas regiones, gentesque debellatas, contra Babylonios denique arma conuertit, quibus deuictis imperator factus, Monarchiæ Persarum initium dedit. Ita sentit Ribera in cap. 1. Zachariæ,[a] & Torniellus anno sextæ ætatis 48. numero secundo: Functius in sua chronologia, Samer. in sua item & alii, quibus Hebræi annumerandi sunt, qui dum tres, quatuorue annos imperio Cyri attribuunt, non autem triginta, vt omnes passim historici, de imperio tantum, siue monarchia, non de regno Persico intelligendi sunt. In iis denique est Scaliger in Eusebium, & Leunclauius in Chronologia Xenophontis,[b] vt omittam plerosque alios sectarios, qui magno consensu initium regni Cyri ab initio imperii eius disterminant.

*An potius ad initium imperii deuicta Babylone. Initium regni & imperii diuersa.*

[a] num 8 & seq.

[b] Vide Ciceron. l. 1. de diuin. num 46. p. 263. Buntingus Capell. Heluicus & c.

IV. *Probatur ex Herodoto.*

EADEM sentiunt scriptores antiquissimi. Nam Herodotus l. 1. ex quo Astyagem à Cyro deuictum descripsit, multas prouincias, populosque enumerat, quos Cyrus partim sua, partim Harpagi opera sibi subiecit: quam enumerationem ita concludit. *Porro Cyrus vbi continentem vniuersam suæ ditionis fecisset, Assyriis bellum intulit. Assyria cum alia multa sunt magna oppida, tum vero celeberrimi nominis, ac validissimum Babylon, illic, vbi euersa ab istis Nini regio extiterat.* Vides Herodotum Assyriam pro Chaldæa, siue Babylonia sumere. Quomodo ergo dici potest initium regni eius à Babyloniorum deleto imperio, vel quod idem est, à soluta Iudæorum captiuitate ducendum esse? & non potius à morte Astyagis, iuxta illud Daniel.[c] *Et rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius.*

[c] 13. 64.

V. *Iustino itẽ.*

IVSTINVS quoque l. 1. ait post deuictum captumque Astyagem regem Medorum, initio regni, ciuitates, quia Medorum tributariæ fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitrantes à Cyro defecisse; quæ res multorum bellorum Cyro causa, & origo fuerit. Domitis demum plerisque, cum aduersus Babylonios bellum gereret, *Rex Lydorum Crœsus Babyloniis in auxilium venit, & cæt.* Iampridem ergo regnabat cum aduersus Babylonios arma sumpsit.

*Et Beroso.*

Berosus quoque Chaldæus l. 3. apud Iosephum (l. 1. contra Apionem) de vltimo rege Babyloniorum agens, quem Nabonidum vocat, scriptura Balthazarem; *Eius regni*, inquit, *anno septimo decimo egressus Cyrus ex Perside cum magno exercitu, vniuersa Asia subacta, impetum fecit in Babylonem vrbem.*

VI. *An & Eusebio.*

IN hanc sententiam Eusebium quoque in Chronico Ribera trahit. Nam initio Olympiadis quinquagesimæ quintæ, nulla facta mentione deuictæ Babylonis, sic ait, *Principium regni Persarum; Cyrus Medorum destruxit imperium, & regnauit Persis, subuerso Astyage rege Medorum.* Verum cum in eodem anno laxatam à Cyro captiuitatem Hebræorum dicat, quod nisi occupata Babylone, in qua Iudæi erant non contigit, patet eum Cyri regni, & imperii annum confudisse. Xenophon quoque in Pædia, etsi oratoris magis, quam historici partes agit, probabilitatem tamen secutus, non prius Babylonis victorem facit libro septimo, quam Armeniorum, Hircanorum, Phrygum, Cappadocum, Arabum, Assyriorum victor & dominus esset effectus; *quorum omnium armis*, inquit, *Persas quidem equites instruxit non pauciores quadraginta millibus; multos vero captiuorum equos in socios vniuersos distribuit.* Quid enim probabilitatis habet Cyrum priuatum adhuc, statim infinitarum gentium victores, & dominos Babylonios aggressum esse? nisi plane dementissimum dicamus, quem tradunt fuisse prudentissimum: & non potius per quædam incrementa, à paruis initiis ad summa feliciter peruenisse?

*Ex Xenophonte.*

*Et ratione.*

VII. *Alia probationes eiusdem distinctionis.*

DEINDE, vt recte idem Ribera argumentatur, Cyrus paulo post subiugatos Babylonios, expeditionem suscepit contra Massagetas, vt Herodo-

tus, Iosephus, Iustinusque testantur; in quo bello occisus est: at quis credat eam expeditionem 30. annorum fuisse, quos regno Cyri passim omnes attribuunt, cum ne paucorum quidem mensium fuisse videatur? quid quod Xenophon eum septimo non 30. imperii sui anno mortuum dicit, nonne satis ostendit, se non de regno eius Persico, sed de Monarchia totius Asiæ intellexisse? Quod si eo tantum tempore Cyrus regnare cœpit, quo Babylonios subiugauit, cum scriptura dicat [a] eum Astyagi successisse, oportebitne Darium quidem Medum ante regnasse; non enim regnauit viuo Astyage, ne duos simul Mediæ reges ponamus. [a] Daniel 13. fi.

VIII. Confirmatur ex Scriptura libri Esdræ.

Accedat postremo non inanis ex ipsismet sacris literis coniectura. Scriptum est [b] anno secundo aduentus Iudæorum in Iudæam templum inchoari cœptum. fuit is secundus annus à subactâ à Cyro Babylone, nam primo anno dimissi fuerant, at cap. 4. scriptum est hostes Iudæorum reiectos à societate ædificandi, impediuisse eos, & turbasse in ædificando variis artibus, quandiu vixit Cyrus, qui eis fauebat, & cuius voluntate templum ædificare cœperāt: at in principio regni Assueri, siue Cambysis, qui Cyro successit, scripserunt inimici Iudæorum ad ipsum, & impetrarunt vt ædificatio intermitteretur, vsque ad annum secundum regni Darii regis Persarum. [c] Cum ergo Iudæi ab inimicis impedirentur ab ædificando templo, quod illi Cyri iussu tanto cum gaudio ædificabant, quomodo si adhuc 28. annos regnauit Cyrus, tanto tempore Iudæi neminem legatum ad Cyrum cum querelis miserunt? Quomodo ille tanto tempore eos audire non potuit, aut noluit, in negotio cui fauebat ipse, & quod eius imperio susceptum fuerat? Vtique miserunt, si non statim, ne molesti fierent, certe aliquanto post, sed sine fructu: eo quod ad Massagetas expeditionem pararet, aut iam ad eos profectus esset, & rem ad suum reditum distulisset: quòd eorum aduersarii fortasse, etiam ipsi apud Cyrum contra eos ex iure agerent. [b] 1. Esdræ c. 3. v. 8. [c] 1. Esdr. 4. 24.

IX. Et Iosepho in eadem historia.

Confirmat hæc Iosephus, [d] cum ait Cuthæos, aliosque hostes Iudæorum rogasse satrapas, & eos quibus commendata erat hæc ædificatio, vt Iudæos impedirent, quominus vrbem ac templum valerent instaurare. *Illi vero*, inquit, *pecuniis etiam corrupti, vendiderunt Cuthæis suam circa demandatum officium cessationem, & negligentiam, Cyro nesciente, vtpote distracto in alia negotia, qui & ipse demum Massagetico bello periit*: ita Iosephus. Ex quibus recte colligimus imperium, siue Monarchiā Cyri ab eius regno distinguendam esse, vt supra de regno & imperio Nabuchodonosoris dicebamus: & regnum quidem Cyri ab Olympiade 55. iuxta certissimam omnium sententiam esse inchoandum, & protrahendum prout plures, vel pauciores eius imperio crediderimus esse tribuendos, siue tres, vt volunt Hebræi, siue 7. vt Xenophon, Ribera, Torniel. Imperium autem à subiugata Babylone, & soluta Hebræorū captiuitate incipere oportere: & de primo anno imperii accipiendum esse finem 2. Paral. & initium primi Esdræ: de anno autem regni, illud Daniel 13. fi. *Et Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius*; vtique quod ille habebat in Media & Perside, non autem in Chaldæa & Babylone, in qua Balthasar Chaldæus regnabat, non Astyages Medus. [d] Li. 11. c. 2.


Conclusio huius loci.

X. Darius Medus in Media regnat.

Hoc ipso anno existimo Darium Medum, siue Cyaxarem in Media, Cyro permittente regnare cœpisse, vt anno superiore dicebamus, & pacem inter eos affinitate firmatam. Nam Cyaxares ei filiam, quam habebat vnicam, in matrimonium dedit, & nomine dotis etiam regnum pactus est, vt scilicet illud non belli iure tantum, deuicto Astyage, sed pacis quoque iure, accepta in vxorem regni hærede, possideret. Ita Xenophon l. 8. *Cyaxares*, inquit, *filiam ad ipsum mittit, quæ ei coronam auream, & armillas, & torquem, & medicam vestem, quam fieri potuit pulcherrimam afferebat. Ac dum puella Cyrum coronaret Cyaxares ait. Equidem hanc ipsam tibi Cyre vxorem trado, quæ mea est filia. Nam & pater tuus patris mei filiam vxorem duxit, qua tu natus es*, Et mox. *Addo nomine dotis Mediam vniuersam, cum natam ex me sobolem sexus virilis nullam habeam.* Hæc ipse. In eo tamen non probandus quod id factum post victoriam Babylonicam tradit. Cum enim eo tempore Cyaxares, siue Darius Medus 62. esset annorum, filiam eius non

puellam nubilem, sed propemodum anum esse oportuisset.

Firmam porro fuisse hanc pacem, vel ex eo coniicere licet, quod, vt tota docet Xenophontis narratio, iunctis armis animisque, omnia in Asia bella gesserunt, quodque, vt scriptura tradit, cum eo Babylonem expugnarit, denique tandem morienti successit. Eodem igitur tempore deiecto Astyagi, qui Persis imperabat & Medis, vt ex Herodoto constat, ei Cyrus in Perside, Darius autem in Media successit, sed ille vi, iste precario.



ANNVS MVNDI 3495 QVINTAE AETATIS 556.
SALATH. 20. TRANSMIGRAT. 60. IOSEDECI PONTIF.
ET DESOL 49. BALTHAZARIS 1. IMPERII BABYL. 162.
OLYMPIADIS LV. AN. 2. CYRI REGIS
PERSARVM, ET DARII MED. 2.
SERVII TVLLII 19 VRBIS CONDITÆ 164.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 558.



BALTHASAREM hoc anno Chaldæorum imperio præficimus, post exactos 23. annos Euilmerodachi, quos ei communior sententia tribuit: quam etiam secuti, imo & scripturam ipsam, reliquos vel tyrannos, vel fictitios reges exautorauimus, qua de re quia copiose in morte Nabuchodonosoris actum est, nihil est quod hic eadem inculcemus. Imperium porro ipsius, vsque ad occasum monarchiæ Babyloniorum producimus, quoniam hunc eius vltimum fuisse principem ex scriptura constat: ex qua dum Hebræi tres duntaxat eius regni annos collegerunt, quia trium tantum illa meminit, inepte fecerunt. Non enim si tertii anni meminit, Danielis 8. & non reliquorum, ideo reliqui nulli fuerunt. Adde quod Iosephus, & reliqui antiquiores, quos eodem anno vltimo Nabuchodonosoris retulimus, vltimo regi Babyloniorum, quem Nabonidum & Naboandel, & Balthasarem appellant, septendecim annos tribuunt, quos Torniellus sequitur, & Perer. init. l. 8. Seuerus Sulpitius dat ei 14. Herodotus Labynitum vltimum Babyloniorum & Assyriorum regem vocat, à Cyro spoliatum imperio, & matrem eius Nitocrim clarissimam fœminam, & Semiramidi supparem, sed annos regni eius non prodit. Xenophon autem l. 7. vbi occisum refert, etiam nomen tacuit, tacuit & Iustinus. Nos ei unum & 20. quot supersunt vsque ad vltimum desolationis annum, tribuemus. I. Regnum Balthazaris. Quot eius anni.

EORVM hic primus erit, Danielis eximia prophetia, quæ septima cap. continetur, nobilitatus; vbi refert se in nocturno somnio vidisse quatuor cœli ventos in mari magno, puta Mediterraneo; Nam oceanum Hebræi non norant, sed magnum illud dicebant, mari mortuo, aut mari Tiberiadis comparatum. Vidit ergo in mari magno 4. ventos inter se confligentes, quibus idem plane quod bestiis significari censuit Maldonat. *Nam eo ipso*, inquit, *quod 4. ventos, & 4. bestias vidit, & quid 4. bestiæ, non quid 4. venti protenderent declarauit, indicat idem per 4. ventos, quod per 4. bestias significari: alioqui non minus 4. ventorum, quam 4. bestiarum significationem exposuisset.* Sic Gen. 41. septenis vaccis, & septenis spicis idem significatur. Eadem est Ruperti in Danielem,[a] & Sanctii in hunc ipsum locum sententia. II. Somnium Danielis de 4. ventis, totidémque bestiis. III Idem vtrique significari.

a L. 1. c. 12.

AT, inquies, venti inter se pugnant non bestiæ: & hæ ascendunt de mari

non illi, & cum bestiæ aliæ aliis succedant, venti simul sunt. At non est necesse vt quæ in aliquibus sunt similia vni tertio, in omnibus sint similia inter se. In pluribus enim similia sunt. Nam venti 4 sunt, sicut & bestiæ; & circa mare versantur, illúdque conturbant, & mortalibus damna multa, & terrores incutiunt. Sed & bestiarum quoque pugna significatur, præsertim quartæ, & reuera pugnarunt inter se monarchiæ istæ, dum altera alteram vi oppressit, ac sustulit. Quamquam 70. non pugnam referũt ventorum inter se, sed maris duntaxat impulsum, & Vatablus interpretatur maris eiectionem de loco suo, non ventorum conflictum: nec mare minus solet ventos, quam marina monstra producere. Denique neque Daniel ait simul ventos fuisse, aut pugnasse inter se, sed fuisse in mari, & in eo commouendis fluctibus depugnasse.

IV. *Confirmatur ex Theodoreto.*

NEQVE sane alienus est Theod. ab ista sententia, etsi aliter à principio sentire videatur. *Mare itaque*, inquit, *vitam vocat, vtpote quæ infinitas habeat maximas procellas, ventos autẽ ipsum impellentes, rerum mutationes*, id est, regna mutata, quæ sunt ipsæmet bestiæ, nam subdit. *Sicut enim austro flante, ad anticam partem fluctus accurrunt; & borea mare concitante, rursus vnda ad australem partem impellitur, ita quando Assyrij orbis terrarum gubernacula obtinebant; omnes subiectos populos ad se trahebant, translato autem ad Persas regno, translatus est etiam subiectorum ad illos concursus: cumq; Macedones sceptra rursus obtinuissent, omnes omissis illis quibus prius obediebant, his vsitatum afferebant tributum. At vero vbi Romani omnium gentium imperio potiti sunt, ad occidentem omnes, nulla habita Macedonum ratione, concurrunt*, &c.

V. *Bestia prima imperium Babyloniorum.*

SED omissis ventis bestias ipsas videamus, quarum prima quasi leæna, & alas habebat aquilę, & euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor eius datum est ei. Quibus verbis omnium consensu Imperium Chaldæorum exprimitur sub persona Nabuchodonosoris, qui illud vehementissime amplificauit; cuius maior fuit, quam aliorum regum, cum bestia similitudo. Nam in istis morum duntaxat, at in illo etiam corporis & iudicij siue phantasiæ, vitæ, victusque similitudo fuit. Ipse fuit quasi leo, alæ autem duæ duo eius filij Euilmerodach, & Balthazar, quorum vterque euulsus est, dum violenta morte interiit, alter domestico scelere, alter externo. Alas imperij regna Persarum, & Medorum licet intelligere, quæ prius aut subdita, aut fœderata Babyloniis, ab iis opera Cyri euulsa sunt: moxque sublata est bestia etiam ipsa de terra, imperio Babylonico concidente.

VI. *Altera Persarum.*

ALTERA bestia similis fuit vrso in cuius ore tres erant ordines, cui dicebatur *surge comede carnes plurimas.* Non est cuiquam dubium regnum Persarum vrso conferri laborum patientissimo, & victus paucissimi, quod sanctus quoque Hieronym. annotauit. Cuius imperij conditor Cyrus trium clarissimorum regnorum dominus à principio factus est, Babyloniorum, Persarum, atque Medorum; & deinceps reliquarum gentium, quæ fere ab istis regebantur, quæ sunt carnes plurimæ, quas à Deo permissus est comedere, vt vult Maldon. quamuis D. Hieronym. ad illud tempus referat, quo ad suggestionem Amanis Agagitæ, Iudæi omnes iussi sunt trucidari: improbante Maldonato, qui negat hic de Iudæorum oppressione, sed de Persarum potestate agi; improbante & Sanctio. Perer. mauult ad insatiabilem eius regnandi cupiditatem referre, quam ipsi interfecto exprobrauit Tomyris Scytharum regina, vt est apud Herodotum, atque Iustinum, qua de re suo loco.

VII. *Tertia Græcorum, siue Macedonum.*

SEQVITVR tertia bestia pardo similis, & alas habebat quasi auis quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei. De qua bestia satis est audire D. Hieronymum. *Tertium*, inquit, *regnum Macedonum, de quo in statua legimus, venter & femora eius ex ære. Pardo bestia velocissimæ & [illegible] comparatur, quæ præceps fertur ad sanguinem, & saltu in mortem ruit: & alas habebat quatuor, nihil enim Alexandri victorijs velocius fuit, qui ab Illyrico, & Adriatico mari, vsque ad Indicum Oceanum, & Gangem fluuium, non tam prælijs, quam victorijs percucurrit; & in sex annis partem Europæ, & omnem Asiam, sibi subiugauit. Quatuor autem capita, eosdem dicit duces eius, qui postea successores regni extiterunt, Ptolemæum, Seleucum, Philippum, Antigonum. Quodque additur, & potestas data est ei, ostendit non Alexandri fortitudinis, sed Domini voluntatis fuisse vt tanto imperio potiretur.* Id autem aperte Iosephus confirmat. [a] Vbi

[a] l. 11. ant. c. 8.

ait Alexandrum Parmenioni roganti, cur cum ipse adoraretur ab omnibus, idem ipse nunc Iudæorum pontificem adoraret: respondisse non hunc se adorasse, sed eum honorem Deo, cuius esset pontifex, exhibuisse. *Hunc enim*, inquit, *vidi & antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traycere; nam suo ductu positurum me Persarum imperio*: Hæc ibi, quæ pluribus suo loco dicentur.

VIII. *Quarta Romanorum.* SVPEREST quarta bestia *terribilis, atque mirabilis, ac fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: & habebat cornua decem; de quorum medio cornu paruulum ortum est, quod tria de primis cornibus euulsit, & oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Hanc quartam bestiam, siue quartum imperium, quod passim omnes probati authores Romanum imperium interpretantur, non nominat propheta; siue quia voluit vt quidquid ferocius cogitauerimus in bestiis, hoc Romanos intelligeremus, vt ait D. Hieronym. siue quia ex plurimis nationibus Romanorum ciuitas conflata, omnium vitiis quasi totidem bestiis, abundabat; vt innuit Theodoret. siue quia ea Respub. non vnam quandam formam tenuit, sed variis temporibus variam, Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam, mixtas inter se, atque temperatas. Rursum monarchiam cũ qua cœperat, maiore potestate & licentia restaurauit, vt idem significat Theodoret. & quia potentia & fortitudine hoc imperium alia antecessit, ideo quod de aliis tacitum fuerat de ea traditur, quod fuerit terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis. omnes nationes vel ferro conficiens, vel tributo, & seruituti subiugans, vt ait D. Hierony.

*Cur nulli peculiari bestiæ comparetur.*

IX. *Quæ eius decem cornua.* QVI de cornibus ita subdit. *Ergo dicamus, quod omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se diuidant; & vndecimum surrecturum esse regem paruulum, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est Ægyptiorum regem, & Africæ, & Aethiopiæ; quibus interfectis, etiam septem alij reges victori colla submittent.* Quod autem os & oculos cornui attribuit, ad hominem per cornu signatum respexit, sicut cum supra [a] cor humanum arbori tribuit, vt notauit Maldon. qui superbiam iis significari ait. S. autem Hieronymus humanam Antichristi naturam, ne quis eum verum hominem neget futurum, sed diabolum, vt quidam putauerunt: cum tamen illum rectorem, & assistentem duntaxat habiturus sit. Denique Theodoretus per oculos prudentiam, astutiamque designari ait, qua ille plurimos decepturus est, Iudæorum præsertim, quorum se Messiam mentietur.

*Cornu paruulum, eiusque os, & oculi.*

*a c. 4. v. 13.*

*o Antichristum,*

X. *Non Turcam intelligi.* HOC cornu paruulum de Turca interpretatur Vatablus. *Sub hoc*, inquit, *imperio Romano exoritur paruum cornu, id est gens ignobilis & obscura Turcarum, quæ iam vicit duo cornua, nempe Imperium Constantinopolitanum, & Sultanum Aegypti; superest tertium cornu superandum, quod quia factum nondum est, ignoramus.* Alij vero hæc tria cornua iam ab eo superata dicunt Asiam, Græciam, Ægyptum. Sed hoc commentum, quamuis in illud Tornielus inclinare videatur, refutat angelus interpres, qui de certa quadam persona se loqui aperte significat, eique tribuit duntaxat tres annos regni cum dimidio, quod regno Turcarum non conuenire, nemo nõ videt. Nec obstat quod primum iam imperium in cursu erat. Nam eodem modo de capite aureo statuæ dubitari potuisset, de quo Daniel supra.[b]

*b c. 2. v. 37. & 38.*

XI. *Iudicium Dei in consummatione seculi.* SVB huius autem temporis finem fiet quod postremo vidit Daniel. *Aspiciebam*, inquit, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda. Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus, fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Conscientiæ videlicet singulorum, in quibus lex diuina scripta est, contra quam, aut secundum quam quidquid factum fuerit, singulis, Deo illustrante abscondita tenebrarum, innotescet. Hoc tamen iudicium, in quo Deus ipse iudex est, videtur priuatum de Antichristo, & iis qui tum cum ipso morientur. Nam generale quod post aliquanto futurum est, Christum habebit iudicem. Hæc est species terribilis iudicij Dei in causa Antichristi, quibus pleraque, & in Apocal. [c] & Matth. 25. habentur simillima, quibus &

*c c. 4. 2.*

non illi, & cum bestiæ aliæ aliis succedant, venti simul sunt. At non est necesse vt quæ in aliquibus sunt similia vni tertio, in omnibus sint similia inter se. In pluribus enim similia sunt. Nam venti 4 sunt, sicut & bestiæ, & circa mare versantur, illúdque conturbant, & mortalibus damna multa, & terrores incutiunt. Sed & bestiarum quoque pugna significatur, præsertim quartæ, & reuera pugnarunt inter se monarchiæ istæ, dum altera alteram vi oppressit, ac sustulit. Quamquam 70. non pugnam referũt ventorum inter se, sed maris duntaxat impulsum, & Vatablus interpretatur maris eiectionem de loco suo, non ventorum conflictum: nec mare minus solet ventos, quam marina monstra producere. Denique neque Daniel ait simul ventos fuisse, aut pugnasse inter se, sed fuisse in mari, & in eo commouendis fluctibus depugnasse.

IV. *Confirmatur ex Theodoreto.* Neque sane alienus est Theod. ab ista sententia, etsi aliter à principio sentire videatur. *Mare itaque,* inquit, *vitam vocat, vtpote quæ infinitas habeat maximas procellas, ventos autẽ ipsum impellentes, rerum mutationes,* id est, regna mutata, quæ sunt ipsæmet bestiæ, nam subdit. *Sicut enim austro flante, ad anticam partem fluctus accurrunt; & borea mare concitante, rursus vnda ad australem partem impellitur, ita quando Assyrij orbis terrarum gubernacula obtinebant; omnes subiectos populos ad se trahebant, translato autem ad Persas regno, translatus est etiam subiectorum ad illos concursus: cumq; Macedones sceptra rursus obtinuissent, omnes omissis illis quibus prius obediebant, his vsitatum afferebant tributum. At vero vbi Romani omnium gentium imperio potiti sunt, ad occidentem omnes, nulla habita Macedonum ratione, concurrunt,* &c.

V. *Bestia prima imperium Babyloniorum.* Sed omissis ventis bestias ipsas videamus, quarum prima quasi leæna, & alas habebat aquilę, & euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor eius datum est ei. Quibus verbis omnium consensu Imperium Chaldæorum exprimitur sub persona Nabuchodonosoris, qui illud vehementissime amplificauit; cuius maior fuit, quam aliorum regum, cum bestia similitudo. Nam in istis morum duntaxat, at in illo etiam corporis & iudicij siue phantasiæ, vitæ, victusque similitudo fuit. Ipse fuit quasi leo, alæ autem duæ duo eius filij Euilmerodach, & Balthazar, quorum vterque euulsus est, dum violenta morte interiit, alter domestico scelere, alter externo. Alas imperij regna Persarum, & Medorum licet intelligere, quæ prius aut subdita, aut fœderata Babyloniis, ab iis opera Cyri euulsa sunt: moxque sublata est bestia etiam ipsa de terra, imperio Babylonico concidente.

VI. *Altera Persarum.* Altera bestia similis fuit vrso in cuius ore tres erant ordines, cui dicebatur *surge comede carnes plurimas.* Non est cuiquàm dubium regnum Persarum vrso conferri laborum patientissimo, & victus paucissimi, quod sanctus quoque Hieronym. annotauit. Cuius imperij conditor Cyrus trium clarissimorum regnorum dominus à principio factus est, Babyloniorum, Persarum, atque Medorum; & deinceps reliquarum gentium, quæ fere ab istis regebantur, quæ sunt carnes plurimæ, quas à Deo permissus est comedere, vt vult Maldon. quamuis D. Hieronym. ad illud tempus referat, quo ad suggestionem Amanis Agagitæ, Iudæi omnes iussi sunt trucidari: improbante Maldonato, qui negat hic de Iudæorum oppressione, sed de Persarum potestate agi; improbante & Sanctio. Perer. mauult ad insatiabilem eius regnandi cupiditatem referre, quam ipsi interfecto exprobrauit Tomyris Scytharum regina, vt est apud Herodotum, atque Iustinum, qua de re suo loco.

VII. *Tertia Græcorum, siue Macedonum.* Seqvitvr tertia bestia pardo similis, & alas habebat quasi auis quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei. De qua bestia satis est audire D. Hieronymum. *Tertium,* inquit, *regnum Macedonum, de quo in statua legimus, venter & femora eius ex ære. Pardo bestia velocissimæ & impetuosæ comparatur, quæ preceps fertur ad sanguinem, & saltu in mortem ruit: & alas habebat quatuor, nihil enim Alexandri victorijs velocius fuit, qui ab Illyrico, & Adriatico mari, vsque ad Indicum Oceanum, & Gangem fluuium, non tam prælijs, quam victorijs percucurrit; & in sex annis partem Europæ, & omnem Asiam, sibi subiugauit. Quatuor autem capita, eosdem dicit duces eius, qui postea successores regni extiterunt, Ptolemæum, Seleucum, Philippum, Antigonum. Quodque additur, & potestas data est ei, ostendit non Alexandri fortitudinis, sed Domini voluntatis fuisse vt tanto imperio potiretur.* Id autem aperte Iosephus confirmat. [a] Vbi

[a] l. 11. ant. c. 8.

ait Alexandrum Parmenioni roganti, cur cum ipse adoraretur ab omnibus, idem ipse nunc Iudæorum pontificem adoraret: respondisse non hunc se adorasse, sed eum honorem Deo, cuius esset pontifex, exhibuisse. *Hunc enim*, inquit, *vidi & antea hoc ipso habitu, cum adhuc essem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Asiam possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora exercitum traijcere; nam suo ductu potiturum me Persarum imperio*. Hæc ibi, quæ pluribus suo loco dicentur.

VIII. *Quarta Romanorum.*

SVPEREST quarta bestia *terribilis, atque mirabilis, ac fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: & habebat cornua decem; de quorum medio cornu paruulum ortum est, quod tria de primis cornibus euulsit, & oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Hanc quartam bestiam, siue quartum imperium, quod passim omnes probati authores Romanum imperium interpretantur, non nominat propheta; siue quia voluit vt quidquid ferocius cogitauerimus in bestiis, hoc Romanos intelligeremus, vt ait D. Hieronym. siue quia ex plurimis nationibus Romanorum ciuitas conflata, omnium vitiis quasi totidem bestiis, abundabat; vt innuit Theodoret. siue quia ea Respub. non vnam quandam formam tenuit, sed variis temporibus variam, Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam, mixtas inter se, atque temperatas. Rursum monarchiam cū qua cœperat, maiore potestate & licentia restaurauit, vt idem significat Theodoret. & quia potentia & fortitudine hoc imperium alia antecessit, ideo quod de aliis tacitum fuerat de ea traditur, quod fuerit terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis. omnes nationes vel ferro conficiens, vel tributo, & seruituti subiugans, vt ait D. Hierony.

*Cur nulli peculiari bestiæ comparetur.*

IX. *Quæ eius decem cornua.*

QVI de cornibus ita subdit. *Ergo dicamus, quod omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se diuidant; & vndecimum surrecturum esse regem paruulum, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est Ægyptiorum regem, & Africæ, & Aethiopiæ; quibus interfectis, etiam septem alij reges victori colla submittent.* Quod autem os & oculos cornui attribuit, ad hominem per cornu signatum respexit, sicut cum supra [a] cor humanum arbori tribuit, vt notauit Maldon. qui superbiam iis significari ait. S. autem Hieronymus humanam Antichristi naturam, ne quis eum verum hominem neget futurum, sed diabolum, vt quidam putauerunt: cum tamen illum rectorem, & assistentem duntaxat habiturus sit. Denique Theodoretus per oculos prudentiam, astutiamque designari ait, qua ille plurimos decepturus est, Iudæorum præsertim, quorum se Messiam mentietur.

*Cornu paruulum, eiusque os, & oculi.*

*a c. 4. v. 13.*

*Id est Antichristum.*

X. *Non Turcam intelligi.*

HOC cornu paruulum de Turca interpretatur Vatablus. *Sub hoc*, inquit, *imperio Romano exoritur paruum cornu, id est gens ignobilis & obscura Turcarum, quæ iam vicit duo cornua, nempe Imperium Constantinopolitanum, & Sultanum Aegypti; superest tertium cornu superandum, quod quia factum nondum est, ignoramus.* Alij vero hæc tria cornua iam ab eo superata dicunt Asiam, Græciam, Ægyptum. Sed hoc commentum, quamuis in illud Tornielus inclinare videatur, refutat angelus interpres, qui de certa quadam persona se loqui aperte significat, eique tribuit duntaxat tres annos regni cum dimidio, quod regno Turcarum non conuenire, nemo nō videt. Nec obstat quod primum iam imperium in cursu erat. Nam eodem modo de capite aureo statuæ dubitari potuisset, de quo Daniel supra. [b]

*b c. 2. v. 37. & 38.*

XI. *Iudicium Dei in consummatione seculi.*

SVB huius autem temporis finem fiet quod postremo vidit Daniel. *Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, & vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda. Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus, fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius, millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Conscientiæ videlicet singulorum, in quibus lex diuina scripta est, contra quam, aut secundum quam quidquid factum fuerit, singulis, Deo illustrante abscondita tenebrarum, innotescet. Hoc tamen iudicium, in quo Deus ipse iudex est, videtur priuatum de Antichristo, & iis qui tum cum ipso morientur. Nam generale quod post aliquanto futurum est, Christum habebit iudicem. Hæc est species terribilis iudicij Dei in causa Antichristi, quibus pleraque, & in Apocal. [c] & Matth. 25. habentur simillima, quibus &

*c c. 4. 2.*

Christi victoria de Antichristo, & omnib. inimicis suis describitur, & mox eiusdem de omnibus mortalibus iudicium, quorum conscientiæ, & consilia cordium in conspectu omnium gentium manifestabuntur.

XII. *Acceleratum.* VIDETVR autem significare iudicium acceleratum propter blasphemias Antichristi. Ait enim Hierony. propter Antichristum blasphemantem, omnia simul regna deletum iri, nec vltra fore regnum terrenum, sed sanctorum conuersationem, & aduentum filij Dei triumphantem, vnde subdit. *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur.* Verum illud *propter* Sanctius exponit *postquam*, in hanc sententiam: postquam audire cœpi sermones illos grandes, expectabam finem illius, cuius lingua tam impudens atque infrœnis fuisset. *& vidi quoniam interfecta esset bestia, & perijsset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni.* D. Ioann. in Apocal. ait hanc bestiam, & pseudoprophetam eius, viuos proiectos esse in stagnum ignis ardentis sulphure. [a] Denique venit filius Dei, quia omnem potestatem dedit filio pater, *& honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur,* sicut priora illa bestijs repræsentata. Cum his visionibus admirabilibus conterritus esset Daniel, accessit in somnis quoque ad aliquem, qui sibi in hoc iudicio assistere videbatur; à quo pleraque eorum, quæ explicata sunt, didicit, quæ non est necesse persequi pluribus. a c. 19. 20.

XIII. *Chilo Ephorus.* FLOREBAT hoc tempore Chilo Lacedæmonius, vnus de septem Græciæ sapientibus, qui hac ipsa Olympiade Ephorus fuit, vt ait Laërtius in eius vita, ex Sosicrate, idque sub Euthydemo, rege opinor Spartano: quod tamen nomen in regibus istius temporis non inuenio. Addit etiam eum primum instituisse, vt Ephori regibus adiungerentur, quod alij Lycurgo tribuere malunt, vt Satyrus: certe Eusebius, qui anno tertio huius Olympiadis Chilonem Ephorum fuisse dicit, primum Ephorum Lacedæmone ponit Olympiade quinta, qua de re ibi diximus aliquid. Extat eius ad Periandrum tyrannum epistola apud Laërtium, in qua *felicem*, inquit, *tyrannum censeo, cui in sua domo absque sanguine contigit mori.* Ex quo id mutuatus est Satyricus. Hic idem Chilo, si Herodoto credimus, de Pisistrato tyranno Atheniensium vaticinatus est. Cum enim pater eius Hippocrates in Olympicis sacrificasset, ahena plena carne & aqua, absque igne efferbuerunt, ita vt aqua redundaret. Quod portentum conspicatus Chilon, suasit ei ne vxorem duceret, aut ductam eijceret, & si ex ea filium sustulisset abdicaret; quod videlicet is in damnum patriæ natus esset. b a.m. 3294. n. 1. l. 1. p. 20. gr.

ANNVS MVNDI 3496. QVINTAE AETATIS 557. SALATHIELIS 21. TRANSMIGRATIONIS 61. DESOLATIONIS ET IOSEDECI PONTIFIC. 50. BALTHASARIS 1. IMPERII BABYLONIORVM 163. CYRI ET DARII MEDI 3 OLYMP. LV. AN. 3. SERVII TVLLII 20. VRBIS CONDITÆ 195.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 557.

I. *Daniel ab aula recedit.*




CREDITVR Daniel sese ex impij regis curia subduxisse; ex quo factum sit, vt regi sub eius mortem esset incognitus. Quamquam illa ipsa ignoratio Regis ex præsenti quoque temulentia potuit esse profecta. Nam non potuit plane ignorare Danielem, vnius, aut plurium etiam prouinciarum suarum præsidem. Vnde [b] in fine visionis, quæ anno sequenti contigit, dicitur Daniel, postquam ex ægritudine conualuit, sese regijs negotijs de more applicuisse: nec est verisimile, vt notat Maldon. in eum locum, Danielem sine vlla sua culpa de b c. 8. 27.

a c. 48. gradu dignitatis, ad quam ab Nabuchodonosore euectus fuerat; [a] fuisse deiectum.

II. *Pisistratus recipit Tyrannidem.* HVIVS Olympiadis anno tertio, vt scribit Sigonius, Pisistratus exul tyrannidem ridiculo commento recuperauit. Cum enim Megacles, & Lycurgus, quorum opera Pisistratus Athenis pulsus fuerat, inter se ad seditionem vsque dissentirent, ea fatigatus Megacles, Pisistratum misso caduceatore inuitat ad filiæ nuptias, tyrannide in dotem promissa. Accipiente vero conditionem Pisistrato, ambo mulierem quandam subornarunt, Phyam nomine, quæ se Mineruam simularet. Cum ergo eam omni armatura instruxissent, in currumque sustulissent, compositam in eum habitum quo venustissima videretur, in vrbem agunt, præmissis qui præcurrerent præconibus, dicerentque, *Athenienses bona mente excipite Pisistratum, quem Minerua ipsa in suam reducit arcem.* Quod cum illi credidissent, mulierem illam vt deam coluerunt, & Pisistratum recepere. Atque ita recuperata tyrannide Megaclis filiam duxit vxorem. Hæc pluribus Herodotus.

III. *Crœsi sollicitudo.* CYRVS interea paulatim inualescebat, Crœsus autem, cum is iam potens esset, subuereri cœpit ne rebus Persarum augescentibus, ipse quoque principatu, sicut Astyages deiiceretur, atque in solicitudinem venit, si qua ratione posset potentiam Persicam, priusquam magna efficeretur, occupare. Ad quod etiam eiusdem Astyagis cognatione mouebatur, qui sororem suam Arienam haberet vxorem, vt ex lib. 1. Herodoti patet. Multum autem temporis posuit in oraculis toto orbe consulendis, à quibus deceptus est: multum quoque in auxiliis vndique conquirendis.

IV. *Pax Etruscis data.* VIGESIMO anno Seruij Tullij, vt author est Dionysius, coactæ in concilium duodecim Etruscæ gentis vrbes, tam viris quam pecuniis bello consumptis, Romanis iisdem quibus antea conditionibus principatum tradere decreuerunt: moxque per legatos Romano regi supplices facti, rogauerunt vt Etruscos in fidem suam reciperet, neque acerbius aliquid in eos statueret. Eos rex posita ira, & omnium iniuriarum memoria, data pace permisit pristinis stare conditionibus pacis. Tribus tamen populis qui primi defecerant, cæterosque ad bellum contra Romanos cōcitarant Cęretanis scilicet, Tarquiniis, & Veientibus parte agri mulctatis, quem iis distribuit, qui recens Romæ ciuitatem adepti fuerunt.



## ANNVS MVNDI 3497. QVINTÆ ÆTATIS 558. SALATHIELIS 22. TRANSMIGRATIONIS 62. DESOLATIONIS, ET IOSEDECI PONTIFICIS 51. BALTHAZARIS 3. IMPERII BABYL. 164. CYRI ET DARII 4. OLYMP. LV. AN. 4. SERVII TVLLII 21. VRBIS CONDITÆ 196.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 556.



I. *Vaticinium de imperio Persarum & Græcorum.* BALTHAZARIS annus tertius, nobili Danielis prophetia illustratur, octauo illius capite comprehensa: in qua de euersione imperij Persarum per Alexandrū Macedonem, deq; Antiochi Epiphanis in Iudæos crudelitate, impietate, & nefandis sceleribus, quæ post trecentos & 80. circiter annos contigerunt (quando suscitauit Dominus Machabæos) Sanctus propheta vaticinatur. Verum prophetia ipsa cum breui expositione de more historicè proferenda est, cuius tempus & locum à principio fidei faciendæ causa refert. Ait enim, *Anno tertio regni Balthassar regis visio apparuit mihi*, dormienti videlicet, vt ait Theodoretus, Maldon. & Perer. *Ego Daniel post id quod videram in principio*, id est primo anno regni Balthasaris, cuius visionis, hæc quoddam quasi

supplementum est, ad monarchias duas secundam & tertiam pertinens, quas ibi tantum attigerat, de prima autem, vt iam satis nota, nihil necesse erat pluribus agere.

II. *Vbi reuelatum.* Qvod autem de loco, in quo dicitur facta ista reuelatio subdit. *Vidi in visione mea cum essem in Susis castro, quod est in Aelam regione*, dubitationem habet, quomodo Daniel Susis fuisse dicatur, quæ erat Persarum metropolis, quem Babylone fuisse, aut certe in prouincia aliqua Chaldææ satis constat; & non in regione, vel ciuitate hostili. Cui dubitationi recte satisfacit Theodoretus. *Susa, inquit, olim metropolis erat Persarum; quando itaque Persici regni discit euersionem, necessario in illa vrbe sibi videtur inspicere reuelationem.* Ita Theodoretus. Ibi ergo in spiritu fuit, non corpore Daniel: sicut Ezechiel Hierosolymis vidit in spiritu abominationes, quas Iudæi in templo exercebant: idque statim sequentia verba confirmant, cum ait, *Vidi autem in visione esse me super portam Vlai*, sicut ergo in visione fuit super portam illam, id est sibi visus est ibi esse, ita etiam sibi visus est in ea vrbe esse. Iam expositionem, vt textui Hebræo maxime consentaneam, sequitur Aben Ezra apud Maldon. cui ipse quoq; assentitur & Pererius, & nouissime Sanctius. Tigurina quoque interpretatio apud Vatabl. sic habet, *& in visione circumspiciens videor mihi esse in Susis castro, in prouincia Elimaide*, siue Elamitide: quæ propter Iosephum libet confirmare, quoniam is vt dicemus, multum hic à veritate, & scriptura discessit.

III. *Flumius Eulæus, siue Choaspes.* Pergit autem Daniel, *& leuaui oculos meos & vidi, & ecce aries vnus stabat ante paludem*: eadem vox & portam significat, & paludem, siue fluuium, quoniam porta hæc ad fluuium fuisse dicitur, cui nomen Eulæus, cuius meminit Plin. [a] aitque è regione Mediæ ortum ducere, & circuire arcem Susorum, ac Dianæ templum, & Susianam ab Elimaide disterminare. Verum hæc prouinciarũ Persidis distinctio tempore Danielis non fuit, cum ponat Susam in regione Ælam. Scribit etiam istum amnem in magna esse ceræmonia. *Siquidem, inquit, reges non ex alio bibunt, & ob id in longinqua portant.* Sic ipse. Verum hunc fluuium Herodotus videtur appellare Choaspem. Nam cum de expeditione Cyri regis Persarum aduersus Babylonios agit l. 1. sic ait. *Ducit autem Rex magnus exercitum, probe domi comparata re frumentaria, atque pecuaria. Portatur item aqua ex flumine Choaspe Susam praterfluente quo vno ex omnibus fluminibus rex potat. Cuius Choaspis aquam decoctam, & in argentea vasa diffusam, ferentes permulta carruca quatuor rotarum, mulis trahentibus, assidue comitantur, quocunque ille proficiscitur.*

[a] l. 6. c. 27.

IV. *Aries rex Persarum & Medorum.* Cvm ergo Daniel sibi videretur esse in arce Susam *super portam* cui nomen *Vlai*, quasi dicat super portam Rhodani, vel Araris, vidit in campo iuxta eundem fluuium præterfluentem Arietem, habentem cornua excelsa, & vnum excelsius altero, atque succrescens. Hic aries, interprete angelo, [b] Rex Medorum est, atque Persarum, id est regnum, in quo duo cornua sunt Darius Medus, & Cyrus Persa, quorum vterque nunc regnabat in regione sua, sed ille senior, & paulatim deficiens, iste iunior, & succrescens: nam Medorum potentia in Persas transiit.

[b] inf. v. 20.

*Eorumque victoria.* Postea, inquit, *vidi Arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius, fecitque secundum voluntatem suam, & magnificatus est.* Quorum verborum hæc est sententia, Imperium Persarum (nam bestias appellat regna, cornua vero ipsos eorum principes, per quos exerunt vires suas) per reges suos quorum primi fuerunt Darius Medus, & Cyrus Persa, deinde Cambyses, Darius Hystaspis, Xerxes &c. plurima regna, quæ Persis ad Occidentem, Septentrionem, & Meridiem sita sunt, bello aggressi sunt, quæ Persarum potentiæ resistere non potuerunt, sed ab eis subiugata, eorum imperium amplius, magnificentiusque reddiderunt.

V. *Hircus regnum Græcorum.* Qvæ dum contemplatur Daniel, secumque reputat quid per hæc significaretur. *Ecce hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram, porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.* Hircus iste omnium consensu regnum Macedonum est, siue Græcorum, quod Persis ab Occidente sitũ est. Cornu autem illud insigne est Alexander Magnus, Imperij Græcorum

autor, atque fundator, cuius mirabilis in agendo celeritas causa est vt dicatur non tangere terram, id est volare potius, quam currere, sic de Cyro dixit Isaias. [a] *Semita in pedibus eius non apparebit.* Et de Camilla poëta, — *Eius cornu Alexãder.*

a c. 41. 3.

*Illa vel intactæ segetis per summa volaret*
*Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.*

Et Ouidius de Atalanta.

*Signa tubæ dederant, cum carcere pronus vterque*
*Emicat, & summam celeri pede libat arenam.*

quæ celeritas hirco tribuitur, quia soli cornui tribui non poterat: & quia regnum Græcorum eo simul progrediebatur, & propagabatur, quo perueniebat Alexander.

VI. *Ordo victoriarum eius.*

INTER hirci oculos natum asserit illud cornu, ait Theodoretus, propter ingenium, & prudentiam, & sagacitatem mentis ipsius Alexandri. Græci habent venisse ab Africo, id est ex ea regione, ex qua flat λιψ, siue Africus ventus; quia, vt ait Theodoretus, prius Ægyptum deuicit, quam in Asiam contra Darium veniret. In trãsitu etiam Phœnicem, & Palæstinam sibi subiecit. Sed Diodorus, Arrianus, Curtius, Plutar. Iustinus, omnes denique recentiores tradunt Alexandrum ad Grauicum contra Darij duces, ad Issum contra Darium ipsum victorem extitisse, plurimasq; vrbes, ac prouincias, ipsamque Phœniciam, & Tyrum in potestatem redegisse, priusquam in Ægyptum moueret, vt fuse suo loco docebimus. Verum Theodoretum interpretari possumus, de postrema Alexandri in Dariũ expeditione, qua eum funditus debellauit, quod post subactam Ægyptum perfecit, vt mox patebit.

VII. *Deuictum Persarum imperium.*

b v. 6.

PERGIT autem propheta. [b] *Et venit vsque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietem, & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius.* Paucis hisce verbis ingentia rerum gestarum Alexandri volumina complexus est propheta, quæ Theodoretus ita cursim declarat. *Primum,* inquit, *cum illius ducibus congressus in Asiæ regionibus, eius ipsis imperium ademit: deinde cum Darius in Cilicia ingenti cum exercitu occurrisset, alterum prælium committitur, & Darius in fugam vertitur, multisque militibus interfectis, captiuas Darij filias Alexander accipit. Tum rursus post reuersionem ex Ægypto, ad Babylonem instructa acie, & ipsum Darium occidit, & Persicum regnum euertit.*

VIII. *Geminum eius nomẽ.*

THEODORETVS idem explicans duo illa cornua arietis, ab hirci cornu comminuta, contrita ait vtraque fuisse ipsius cornua, eo quod Medi etiam Persæ simul nominarentur; cum Cyrus qui primus regnauit, à patre Persa, & à matre Meda duceret originem. (Sic enim legendum est non viceuersa, quia Cambyses fuit Persa, & Mandane Meda) & quia primus ipsorum rex vtrisque his nominibus appellatus est, necessario illi quoque qui sub eius regno erant, Medos & Persas ipsos nominabant. In vnum enim principatum vtraque regna conuenere. Hactenus Theodoret. Primo quoque lib. Machabæorum dicitur Alexander primus in Græcia regnasse, & percussisse Dariuum regem Persarũ & Medorum; etiam in occasu imperij, remanentibus regnorum titulis, cum quibus illud initium sumpserat. Assuerus quoque ille Estheris maritus, Persarum imperator, perpetuo Persas & Medos coniunctim memorat. [c] Idemque facit Darius Medus, & aulici eius. [d]

c c. 1. 3. 14. 18. 19.
d Dan. 6. 8. 12. 15.

IX. *Diuisio imperij Græcorum.*

SEQVITVR deinceps Alexandri mors, & diuisio imperij eius in quatuor partes. *Hircus autem caprarum,* id est imperium Macedonum, siue Græcorum, *magnus factus est nimis,* regnante magno Alexandro, & nemine in toto orbe ei resistente. *Cumque creuisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt 4. cornua subter illud, per 4. ventos cæli. Quatuor autem cornua,* ait Theodoretus, *quatuor illos reges innuunt, qui eodem tempore simul Alexandro successere.* Ptolemæus enim Lagi Ægypti accepit imperium; Seleucus Nicanor Babylonem obtinuit, & reliquas partes, vsque ad Syriam pertinentes, Antigonus Asia potitus est, Macedonia Antipater, aut, vt quibusdam scriptoribus videtur, Philippus, qui etiam Aridæus dictus est, Alexandri frater. Sic Theodoretus; & D. Hierony. [e] quæ suis locis, temporibusque

e in v. 22.

Deo bene propitio explicabuntur; nunc cætera paucis, vt cœpimus expediamus; ne amantem historiam, oraculæ quamuis historica non capiant.

X. *In quo ortus Antiochus.* De *vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum, & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem, & magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas.* Quæ Sanctius eleganter in sua paraphrasi. Ex vno porro illorum succreuit aliud, principio quidem paruum & infirmum, quod tamen breui robur, & magnitudinem assumpsit, quam totam conuertit in Orientalem & Meridianam plagam, & tandem in terram promissionis vim totam, & bellicum furorem effudit. Et eousque insolentes sibi spiritus arrogauit, vt contra cœlum ipsum suscipiendum sibi bellum existimauerit; religionem nempe & sanctitatem impudenter oppugnans, deiiciens, atque conculcans eos qui in religionis cultu, templique ministeriis principem obtinuerint locum. Quod perinde est ac si stellas à cœlo detrahat, easque profanis pedibus conculcet. Ita Sãctius. Fortitudinem vocat Hieronymus, quam alibi terram inclytam, id est Iudæam, in qua Dominus tot prodigia, indicia potentiæ suæ edidit.

XI. *Quis ille fuerit, ex Hierony.* Pergit ergo Daniel cornuum nomine reges explicare. *Antiochum dicit illustrem,* id est Epiphanem, ait Theodor. *qui Antiochi illius, qui Magnus vocabatur, filius fuit,* Consurget Antiochus Ἐπιφανὴς, ait Hierony. Seleuci frater, qui & Philopater appellatus est; qui cum obses fuisset Romæ, & nesciente Senatu per dolum cepisset imperium, contra Ptolemæum Philometorem dimicauit, hoc est contra Meridiem, & contra Ægyptios. *Et quæ perpetrarit.* Rursumque ad Orientem contra eos, qui res nouas in Perside moliebantur. Ad extremum contra Iudæos dimicans, capta Iudæa ingressus est Hierosolymam, & in templo Dei simulachrum Iouis Olympij statuit. Sic S. Hieronymus; qui etiam fortitudinem cœli filios Israël interpretatur, qui angelorum vallabantur auxilio, contra quos erexit magnificentiam suam, ita vt de sanctis plurimos idololatriæ subiiceret, & velut stellas cœli conculcaret pedibus suis: quibus consentit Theodoretus, & res plenius in lib. Machabæorum continetur.

XII. *Cur propheta hæc obscurius.* Hæc autem videntur hoc loco de industria obscurius demonstrata, atque explicata, ne Iudæi qui nunc Babylone captiui tenebantur, prædictione tantæ calamitatis vehementius affligerẽtur: quæ, si Iosepho credimus, Iudæi vel non intellexisse, vel ad ea non videntur attendisse. Nam l. 10. sub fi. de Daniele agẽs, *Qualis Iosepho Daniel.* eumque cum reliquis prophetis conferens, sic ait. *Et cum alij prophetæ calamitates prædicerent, ideoque malam gratiam apud reges, & multitudinem vulgarem inirent, hic bonarum rerum vates fuit, vt propter faustam ominationem omnium beneuolentiam sibi conciliaret.* Sic ipse. Verum Iosephus, cum hæc loquitur, ad mentem suorum popula- *Improbatur eius sententia.* rium loquitur, non ipsius prophetæ, & rei veritatem. Si enim librum ipse legit, inuenit Danielem, si quis alius, regibus quibuscum vixit seuerissima, atque acerbissima denunciasse.

X II. *Num bonarum rerum vates.* Num bonarum rerum vates fuit magno Nabuchodonosori, cum ei [a] diceret. *Eycient te ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis; septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum.* Num initiora, aut dixit, aut prædixit nepoti eius Balthassari, cum ei non solum eadem ipsa inculcauit, sed addidit etiam. [b] *Tu quoque filius eius Baltassar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia, sed aduersum dominatorem cæli eleuatus es,* &c. non sunt hæc opinor hominis regum sibi beneuolentiam conciliantis, multo autem minus ista prædictio. *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis,* quod ne ipse quidem diffitetur: ait enim. *Hac interpretatione accepta, rex non poterat non vehementer tristari; attamen Danieli suam munificentiam non subtraxit, tanquam malorum prænuncio: si cogitans quod non bona audierit, sui fati culpam esse, non prophetæ. Imo illum viri boni officio functum esse, qui sic interpretatus sit vt erat euenturum, tametsi parum lætus euentus sequeretur.* Non ergo bonarum rerum, & lætarum vates fuit, quod affirmat paulo ante.

[a] c. 4. 22.
[b] c. 5. 22.

XIV. *Aut regibus inde charus, vel populo.* Num regum beneuolentiam sectatus est, cum eorum decreta minacissima contemnens, propositis leonibus, rugientibus, & præparatis ad escam etiã Deo statuit præ hominibus obedire? An forte populo Babylonico acceptus fuit,

cum

cum Bel summum eorum numen destruxit, eius templum euertit, draconem interfecit, sacerdotum imposturas patefecit, eorum septuaginta familias morti dedit, & grauissimæ seditioni, nulla culpa sua, occasionem præbuit? Num denique illi, aut regibus eius, propter faustam ominationem, charus fuit, cum Imperij Babylonici euersionem, semel in statua visa per somnium; iterum in leæna alis aquilæ prædita, tertio in scriptura Balthassari conuiuanti prænunciauit? Danielem opinor ex seipso metitus est Iosephus, qui Græcorum, & Romanorum, quibus seruiebat, gratiam venabatur. Non ita nunc Daniel noster, aut nuper Ieremias, aut olim Micheas. [a] Pseudoprophetarum iste mos est, & ne omnium quidem, cum Balaam etiam domum auro plenam præ veritate prophetica, contemnere potuerit. Hæc nunc quidem pro studio veritatis in Iosepho dissimulare non potui, quem nihilominus, non ita multo post, iterum conuentum à nobis, non in re nihili oportebit.

*Iosephus ad gratiam loquitur.*

a Ierem. c. 26. 8.9. 18. c. 27. 28. 3. Reg c. 22. 8. 13 18 22. &c Num. c. 22. 18 c. 24. 13.

XV. *Danielis prophetia vix intellecta tum Iudæis.*

VT ergo interim ad Danielis prophetiam redeamus, videtur Dominus, qui per os eius loquebatur, obscurius, more cæterorum prophetarum, tristissimum nuncium prædicere, quam aperire maluisse, quod suo postea tempore, illi agnoscerent prænunciatum. *Et magnificatum est*, inquit, *vsque ad fortitudinem cœli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas, & vsque ad principem fortitudinis magnificatum est.* Quis facile tunc Iudæorum, qui erant Babylone, hæc ad se pertinere credidisset? & non potius mysteria abscondita reputasset, præterita potius, iuxta loquendi phrasim, quam futura. Imo ne iugis quidem sacrificij mentio, & deiectio loci sanctificationis satis eis nota esse potuit, cum bona pars captiuitatis nata esset Babylone, partim à quinquagesimo primo, partim à 62. nõnulli etiam ab ipso primo regni Nabuchod. anno, à quibus omnibus nunquam visum erat iuge sacrificium, & locus sanctificationis, & qui Babylonem recentissime venerant, quinquagesimum primum exilij annum agebant. Denique quis affirmare potest, hæc ipsa tunc quæ scribebat Daniel apud se, in populo euulgata fuisse? quæ principibus quidem sacerdotum & populi cõmunicari potuerunt, nec tamen intelligi; cum etiam ipse Daniel, post interpretationem Gabrielis, stuperet ad visionem, & requireret qui interpretaretur, vt quæ non possent ante intelligi, quam rebus, & operibus implerentur, vt ait D. Hierony.

XVI. *Duratio cladis sub Antiocho.*

SVBDIT Daniel audisse se vnum de sanctis dicentem illius temporis desolationem, qua crudelissime debacchaturus erat Antiochus, duraturam sex annis, tribus mensibus, & 20 diebus: hunc enim numerum efficiunt bis mille & trecenti dies. Postea vero templum à Iuda Machabæo emundandum, & sanctificandum, & reducendum ad vsum pristinum; quod post dies multos futurum erat, vt Gabriel Angelus dixit; Id tempus est 390. circiter annorum. Illum autem postquam insurrexerit in principem principum, non humana manu, sed insanabili diuinitus plaga percussum, fœda tabe consumptum iri. D. autem Hierony. addit hunc Antiochum, & persecutionem eius contra Iudæos, typum fore Antichristi, nouissimis temporibus Ecclesiam affligentis, & in statum luctuosissimum redigentis.

XVII. *Iosephi circa hoc vaticinium paraphrasis.*

NVNC absoluta breuiter prophetia, fidem Iosephi in ea narranda expendamus, ex iis quæ textus ipse aperte loquitur, vel communiter patres, doctorésque interpretantur. Et ne illi quippiam per calumniam affingere videamur, eius verba, licet paulo plura, cum Græco textu diligenter collata ponemus. *Extat enim*, inquit,[b] *in eius scriptis, vnde maxime illius prophetiæ certitudo potest colligi*: ait enim se apud Susæ primariam Persidis vrbem cum sodalibus prodisse in campum: & ibi terræ motu repentino exorto, diffugientibus metu amicis, solum esse derelictum, seipsum quoque consternatum, in faciem & manus procidisse. Ibi accessisse quendam excitantem se, & iubentem vt surgeret, ac videret quæ post multa secula euentura essent suis ciuibus. Surgenti deinde ostensum esse arietem magnum enata habentem multa cornua, & in his vltimum cæteris celsius. Versis deinde ad Occidentem oculis, vidisse se hircum delatum per aërem concurrisse cum ariete, & bis cornibus ictum prostrauisse humi, & conculcasse pedibus. Deinde vidisse enatum è fronte hirci cornu maximum, quo defracto, erupisse pro eo quatuor alia, obuersa in ventos singulos.

b Sub fi. l. 10.

DESOLAT. 51.

IOSEPHVS EXAMINATVR.

XVIII. *Reliqua paraphrasis.* DE Antiocho vero Epiphane hæc subdit. Ex his etiam aliud minus exortum scripsit Daniel, quod postquam esset adultum, Deus qui hæc ostendebat, dixit gesturum bellum contra gentem ipsius, & vrbem vi expugnaturum, & ceremonias templi conturbaturum, sacrificiaque vetiturum per dies 1296. Hæc est visio, quam in campo apud Susa se vidisse scripsit, eamque Deum sic interpretatum esse. Arietem significare Persarum & Medorum regna; cornua vero, futuros in his reges, & horum vltimum designari per cornu vltimum, hunc enim fore diuitiis & gloria præstantissimum. Per hircum vero indicari fore aliquem è Græcorum regibus, qui cum Persa bis congressus eum prælio superet, totumq; eius imperium occupet. Per cornu vero illud magnum, ex hirci fronte extans, primum regem significari; & per aliorum quatuor pro illo pullulationem, & ad 4. terræ tractus singulorum versionem, successuros ostendi, post primi regis mortem, & regni inter eos partitionem: hos neque filios eius, neque alioqui ad cognationem ipsius pertinetes, multis annis per orbem habitatum regnaturos. Ex hisque exoriturum quendam regem, qui bellum gerat cum gente Iudæorum, & legibus, & formam institutæ iuxta has Reipub. auferat: spoliatóq; templo, victimas in id induci per triennium prohibeat. Quæ quidem calamitas genti nostræ sub Antiocho Epiphane accidit, ita vt futurum Daniel ante multos annos scripserat. Hactenus Iosephus.

1. XIX. *Examinatur, & arguitur in loco visionis.* TOT propemodum errata quot verba. Errat enim, Primum quod in Susa vrbe visionem factam dicat, cum supra docuerimus prophetam sibi visum fuisse quasi esset Susis, cum tamen esset apud Babylonios, non apud Persas eorum hostes, quod sine transfugij crimine facere non potuisset. Errat 2. quod in campo factam dicat visionem, cum ex vrbe exiisset. At Septuag. quemadmodum & Vulgata, aiunt factam super portam; nec est vllus qui Hebræam vocem *vbal* campum interpretetur, sed portam, fluuium, paludem; aliqui vocem ipsam Hebræam retinuerunt, vt videre est apud D. Hieronym. Quidam etiam in bibliis Xisti *vbal* putauit nomen esse montis Persici, ex quo sibi propheta hanc visionem contemplari videbatur.

2.

3. XX. *Et aliis circunstantiis.* TERTIO quod quasi deambulationis causa cum sodalibus prodiisse dicat, cum rem in somnis Theodoretus contigisse, non semel dixerit, & cum eo interpretes eruditi, in quibus Sanctius, Maldonatus, Perer. Quin & in lecto eum fuisse, & ex visione ægrotasse non obscure dicitur in fine capitis. Et licet rem in vigilia contigisse daremus; perspicuum tamen esset Iosephum Danieli socios ex suo cerebro addidisse, aut si mauis ex Danielis c. 10: vbi non 3. Balthazaris, sed 3. Cyri anno, non in Castro Susis, sed iuxta fluuium tygris vidit visionem, qua perterrefacti eius socij fugerunt, vt ibid. v. 7. legitur.

4. Quarto cum ex eodem suo promptuario terram concutit repentino motu, cuius nullum in textu vestigium, sed bene est quod male introductos socios, terræ motu territos fugat, non magis in admittendo, quam in expellendo verax. Sed vt dixi, duarum visionum circunstantias in vnum permiscuit.

5. XXI. *Quas varie mutat.* QVINTO quod in faciem & manus corruisse velit terræ motu, cum is nullus fuerit, nec à principio visionis visus sit sibi cadere in faciem, sed post eam, ad aduentum angeli Gabrielis. Nec iussus est surgere, vt videret ventura, iam enim visio antecesserat, sed vt eius disceret interpretationem: Nec promittit ostensurum, quæ ventura essent suis ciuibus, nec opus fuit promittere. quia extremum duntaxat visionis ad eos pertinebat. Nec surgenti ostensus est aries, sed antequam caderet.

6. *In ariete.* Sexto errat quod arieti multa attribuat cornua, cum duo tantum in linguis omnibus reperiantur, & in Hebræo clare, *vnum præ secundo excelsius ascendebat*, in Græco, *vnum excelsius altero*.

7. *Et hirco.* Septimo quod hircum, quasi conuersum in volucrem delatum dicat per aëra, pueriliter deceptus, quod propter celeritatem exprimendam scriptura hyperbolem vsurparit, dicens, eum non tetigisse terram. τράγος δ' αἰγῶν ... φερόμενος.

8. XXII. *Errat circa Alexandrum.* OCTAVO quod arietem bis cornibus ictum dicit, & infra explicat duo prælia Græci contra Persam; cum scriptura dicat fracta duo cornua, quæ sunt duo regna, aut vnus rex Darius Medorum ac Persarum dominus, vt pleriq; omnes

interpretantur: cæterum non duo, sed multa fuerunt Alexandri prælia contra Persas, vt iam ex Theodoreto diximus, & suo loco plenius dicemus.

Nono errat, quod non intelligens eum qui conculcauit arietem esse Alexandrum magnum, dicit postea enatum è fronte hirci cornu maximum, quo negari non potest intelligi Alexandrum Macedonem, cuius mox imperium quadripertito diuisum est, cum enatum esse oportuerit antequam concurreret cum ariete, & eum in terram prosterneret. 9.

Decimo quod ex his 4. aliud cornu minus exortum dicat; quasi 4. regna successorum Alexandri, in vnum Antiochi Epiphanis regnum coaluerint, cum scriptura dicat, *de vno autem ex eis*, id est de rege Syriæ, siue Asiæ, qui fuit Antiochus magnus, qui genuit Seleucum Philopatorem, & Antiochum Epiphanem, qui ambo sibi in regno paterno successerunt; quæ cum Iosephus non curauit distinguere, confudit. 10. *Et Antiochum.*

VNDECIMO quod Deum inducat ista Danieli demonstrantem, & interpretantem, omissa Gabrielis angeli mentione, qui tamen solus nominatim inducitur, nulla Dei ad hoc munus facta mẽtione. Sed Iosephus parum pius in sanctos angelos videtur fuisse, qui cum passim in scripturis occurrant, eos fere missos facit. Et ne alia memoria repetam, cum historiam puerorum cõiectorum in fornacem recenseret, quidquid pertinebat ad angelum excutientem flammam ignis, medium fornacis temperantem, & cum iuuenibus deambulantem, quidquid ad Nabuchodonosoris circa eum admirationem penitus prætermisit, nec puto eum vsquam aut Michaëlis, aut Gabr. aut Raphaëlis meminisse. Veritus forte est ne illi ab Ethnicis putarentur coli à Iudæis, instar minorum deorum. 11. XXIII. *Omittit Angelum, aut mutat.*


DVODECIMO quod ait Antiochum prohibiturum sacrificia, ad dies mille ducentos 96. cum scriptura prodat bis mille & trecentos dies. Et licet D. Hierony. dicat quosdam legere duo millia ducentos, ne sex annis tres menses superesse videantur. Sic enim legendum est, & non sex anni, & tres menses. Cum enim tres illos menses putarent redundare, & afflictionem ab Antiocho sex tantum annos durasse, crediderunt legendum in Daniele duo millia ducentos. Et licet 70. Xisti habeant duo millia quadringentos, Theodoretus tamen legit trecentos, vt Vulgata, sicut & Regia, & Hebræa, & omnes antiqui, recentioresque interpretes. De duobus vero millibus dierum nusquam varia est lectio, quam Iosephus corrumpit, mutans tempus totius persecutionis, in tempus desolationis templi. Et ne in numeros erratum irrepsisse quis putet, ipse mox diserte eos dies triennium interpretatur, non satis accurate. Nam 1296. dies, conficiunt triennium, & insuper sex menses, & dies 21. Nec istorum mensium & dierum vllam ipse rationem afferre potest, cum D. Hierony. illi desolationi triennium tantum attribuat: idque clarum sit ex 1. Machab. capite primo & quarto. [a] Ex quibus locis duobus patet eodem mense post triennium sanctificatum templum, quo fuerat profanatum, additis 10. diebus. Itaque si exacte agere voluit, vt præ se tulit, non 1296. dies inducere debuit pro arbitrio suo, sed mille centum & quinque dies, ex illorum duorum locorum collatione. 12. XXIV. *Vt & tempus cessationis sacrificij.*

[Margin: Mi ημέρας 2,3,4,5.] [Margin: a c. 1. v. 57. & c. 4. v. 52.]

NECDVM finis erratorum Iosephi hoc loco. Errat enim decimo tertio quod per cornu excelsius arietis, quod omnes interpretantur Cyrum, qui Dario Medo maior fuit, ipse vltimum Persarum regem effinxit, Darium scilicet Arsami filium: quem tamen Daniel non exprimit, nisi confuse, vt regem Persarum in ariete repræsentatum. 13. XXV. *Errat in Dario Arsami filio.*

Decimo quarto quod victorem regni Persarum, à primo rege Græcorum separet, ita vt illum per hircum significari dicat, & hunc per cornu magnũ ex hirci fronte extans: cum certum sit vnum, atque eundem esse Alexandrum Macedonem per magnum cornu expressum, & ex præcedente expositione patrum atq; doctorum, atq; ipsa textus congruentia clarum sit, hircum regnum Græcorum, sicut arietem regnum Persarum repræsentare. 14. *Et Alexandro,*

Errat postremo quod eos inter quos partitio regni Alexandi futura sit, negat ad cognationem eius pertinere; immemor Philippi, qui & Aridæus dictus est, qui Alexandri frater fuit, vt Eusebius & Hieronymus, Plutarchus, Curtius, & omnes plane fatentur. Et de hac Danielis visione hactenus. 15. *Et eius hæredibus.*




ANNVS MVNDI 3498. QVINTÆ ÆTATIS 559. SALATHIELIS 23. TRANSMIGRATIONIS 63. DESOLATIONIS, ET IOSEDECI PONTIFICIS 52. BALTHAZARIS 4. IMPERII BABYL. 165. CYRI ET DARII 5. OLYMP. LVI. AN. 1. SERVII TVLLII 22. VRBIS CONDITÆ 197.

ANNVS ANTE CHRISTVM 555.

I. *Olympias 56.*



QVINQVAGESIMA sexta Olympiade, ait S. Cyrillus Alexandrinus, Cyro Persarum regnum obtinente, prophetæ fuerunt Aggæus & Zacharias. Etiam tum noti erant Simonides, & Chilon, è numero septem sapientum. Sic ipse, vtique ex Eusebij Chronico, vbi præpropere hi duo prophetæ memorantur; eoquod, confuso initio regni & imperij Cyri, laxatam Iudæorum captiuitatem ineunte Olympiade quinquagesima quinta posuerit. Idem autem Simonidem & Chilonem in præcedentem Olympiadem retulit. Olympionicarum autem catalogus in præsentem: in qua Phædrus Pharsalius palmam è ludicro tulit. Ad eandémque Stesichori mortem refert; de qua, eiusque vita consule Lilium Giraldum in Dialogis poëticis.



ANNVS AB ORBE CONDITO 3499. QVINTAE ÆTATIS 560. SALATHIELIS 24. TRANSMIGR. 64. DESOLAT. ET IOSEDECI PONTIFIC. 53. BALTHASARIS 5. IMPERII BABYLONIORVM 166. CYRI ET DARII MEDI 6. OLYMP. LVI. AN. 2. SERVII TVLLII 23. VRBIS CONDITÆ 198.

ANNVS ANTE CHRISTVM 554.

I. *Ortus Zorobabelis.*



HOC fere anno Balthazaris quinto, Torniel. non improbabiliter existimat genitum a Salathiele filio Iechoniæ, olim rege Iudæorum, Zorobabelem. Id enim consentaneum est iis, quæ 3. Esdræ c. 3.[a] dicuntur, vbi Zorobabel vnus esse dicitur de tribus iuuenibus, qui erant regij corporis custodes, sub initium regni Darij Hystaspis. Et cum res incerta est libenter præeuntem sequor, ne contradicendi spiritu ipse quoque affectus videar, memor illius quod apud Euseb. extat:[b] sumptum ex Iosepho;[c] qui cum de historicorum inter se discrepantia ageret, ait eos partim ignorantia, partim affectione lapsos, quia non veritatis amore, quamuis ita profiteantur, sed eloquentiæ suæ ostentatione scribendi laborem suscepissent; quoniam veteres scriptores facile se superaturos sperabant, & mox. *Vnde fit vt cum historiam scribere profiteantur, non id, sed huius oppositum faciant. Veritatis enim historiæ signum illud est, vt de eisdem rebus eadem omnes conscribant. Illi vero sic se veraces visum iri putarunt, si vnusquisque aliter quam cæteri conscripsisset.* Hæc ibi.

*Scriptorum dissidia.*

a v. 4. & 26.

b l. 10 de præpar. c. 2.


c l. 1. contra Appion. sub init.



ANNVS AB ORBE CONDITO 3500. QVINTAE ÆTATIS 561. SALATHIELIS 25. TRANSMIGR. 65. DESOLATIONIS ET IOSEDEC. PONTIF. 54. BALTHAZARIS 6. IMPERII BABYL. 167. CYRI ET DARII MEDI 7. OLYMP. LVI. AN. 3. SERVII TVLLII 24. VRBIS CONDITÆ 199.

ANNVS ANTE CHRISTVM 553.

SEPTVAGESIMVM iam ab Orbe condito Iubilæum attigimus, quo exciso pridem Assyriorum imperio, etiam Babylonicum ruinam minabatur, inualescente in dies Cyro rege Persarum, illudque crebris carpente victoriis, dum Balthazar, vt extrema docuerunt, in maxima opulentissimaque fortuna, genio, & cuti curandæ insipienter indulget. Fuit hic item annus Sabbaticus ordine centesimus trigesimus primus, qui Iudæis, vt par est credere, patriam quartum iam & quinquagesimum annum desolatam, & longo sabbato priora repensantem, reuocabat in mentem. Nihil interea suggerit sacra historia, quod in hos annos referamus. I. *Iubilæum mundi 70.* *Annus Sabbat. 131.*



ANNVS MVNDI 3501. QVINTÆ ÆTATIS 562. SALATHIELIS 26. TRANSMIGRATIONIS 66. DESOLATIONIS, ET IOSEDECI PONTIFICIS 55. BALTHAZARIS 7. IMPERII BABYL. 168. CYRI ET DARII 8. OLYMP. LVI. AN. 4. SERVII TVLLII 25. VRBIS CONDITÆ 200.

ANNVS ANTE CHRISTVM 552.


ADEST Romanæ vrbis alter secularis annus, quem verisimile est multis Romæ ludis, sacrificiis, conuiuiisque celebratum. Quin etiam facile adducor vt credam lustrum ab eo acceleratum, ad maiorem huius anni celebritatem, cum enim & Rex esset, & huius author instituti potuit in ea lege quam ipse tulisset, tam idonea ex causa dispensare. I. *Annus secularis vrbis.*

SERVII ergo annus 25. 4. eius lustro, præuiáque de more populi Romani censione insignitus fuerit. Quater enim id ab eo factum testatur Valer. maximus vbi de iis, qui infimo loco nati clari euaserunt. *In Seruio*, inquit, *Tullio præcipue fortuna vires suas ostendit; vernam huic vrbi natum, regem dando, cui quidem diutissime imperium obtinere, quater lustrum condere, ter triumphare contigit.* Vnde Dionys. Halycar. hunc regem erga Fortunam vehementer affectum refert, in cuius honorem duo Romæ templa condidisset. Verba eius hæc sunt. *His pace belloque gestis, & duobus Fortunæ, ob perpetuum eius fauorem templis institutis, altero Bonæ Fortunæ in foro boario, altero Fortunæ virilis in ripa Tiberis, prouectus iam ætate interyt.* II. *Quartum Seruij lustrum.* l. 3. c. 4.

VERVM si cum profanis scriptoribus profanè de fortuna ista loqui licet, profecto hæc Bona fortuna vestra, & virilis male omnino beneficium Tullij vel agnouisse videtur tum alias, tum maxime in extrema eius vita, vel rependisse: qui filiis orbus, non minus in vtraque filia, quam in vtroque genero miser III. *An fortunatus sit dicendus.*

fuit, qui eas Fortunas, si quis vnquam regum, sensit inimicas; qui à pupillo suo, quem morti eripuerat, quem filij instar educauerat, quem regni hæredem destinarat, & dixerat, cui filiam suam vxorem dederat, de regia primum dignitate per summam ingrati animi labem deiectus est; moxque non minore impietate comprehensus, per curiæ gradus in comitium ferentes præcipitatus est. Etiam vulneribus contrucidatus, immisso ab eodem percussore obtruncatus fuit: qui filiam habuit, post homines natos propemodum immanissimam, in sororem, in eius maritum, atque adeo in parentem ipsum suum. Qui denique non funere, & pompa regia, sed plebeio, eóque furtiuo, atque nocturno elatus est. Sed hęc vberius in extrema eius vita dicenda erunt.

IV. *Pisistratus iterum exulat.* Scribit Sigonius huius Olympiadis anno quarto, in quo versamur, Pisistratum, qui nuper Athenis tyrannidem simulatę religionis ope receperat, nunc arma sibi à Megacle socero, parari sentientem, vrbe cessisse, & Eretriam se contulisse. Causam dissidij refert Herodotus quod vxoris consuetudine abstineret, siue quod iam filios haberet adolescentes; siue quod Alcmæonidæ, qua ex familia erat vxor, & pater eius Megacles, obnoxij essent crimini piaculari, quod Cylonium dicebatur, de quo supra dictum est. Ideoque nollet è nouo coniugio liberos tollere. Qua re cognita Megacles iratus, positis inimicitiis cum altera factione, cui præerat Lycurgus, in gratiam rediit, & cum iis aduersus Pisistratum coniurauit: quod ille sentiens, in Eretriam profectus est. In hunc annum refert Eusebius Xenophanem Colophonium philosophum, quem satius est cum Laërtio ad Olympiadem sexagesimam differre.



ANNVS MVNDI 3502. QVINTAE ÆTATIS 563. SALATHIELIS 27. TRANSMIGRATIONIS 67. DESOLATIONIS, ET IOSEDECI PONTIFIC. 56. BALTHASARIS 8. IMPERII BABYLONIORVM 169. CYRI ET DARII MEDI 9. OLYMP. LVII. AN. I. SERVII TVLLII 26. VRBIS CONDITÆ 201.

ANNVS ANTE CHRISTVM 551.

I. *Olymp. 57. Simonides floret.* ADROMVS Lacedæmonius in Olympicis hoc anno princeps cursorum fuit. Florebat vero in primis hac Olympiade Simonides, qui in Lyrica poësi eam laudem tulit, vt propter suauitatem carminis Melicertes appellaretur. Melicum eum vocat Plinius non semel, non vtique a patria, fuit enim ex Ceo insula oriūdus, oppido Iuli, vt ait Strabo l. 10. Ingenio autem ita valuit, vt artem memoriæ inueniret, quā ita perfecit Metrodorus Sceptius, vt nihil non iisdem verbis redderetur auditum. [a] Eidem inuentio tribuitur maiorum characterum alphabeti Græci literarumque duplicium; at Plin. Ζ. Η. Ψ. Ω. Tertiam denique Lyræ chordam legitur adiecisse. Sed Simonidem iterum Olympiade sexagesima memorat Eusebius; neque mirum, cum ad annos 80. vixisse tradatur. *a Plin. 7. l. c. 24.*

II. *Crœsi in Persas expeditio.* Hac eadem Olympiade 57. collocat Eusebius expeditionem Crœsi Lydorum regis aduersus Cyrum. Vbi enim in Latino legimus; Ea quæ de Crœso memorantur, quomodo tentaret oracula, his fuere temporibus: in Græco habetur duntaxat. Κροῖσος ἐπὶ Κῦρον ἐστράτευσεν. De qua expeditione copiose primo libro scripsit Herodotus: eam refert Eusebius in annum duodecimum regni Crœsi, qui incidit in secundum huius Olympiadis. Susceptæ à Crœso expeditionis causas tres ex Herodoto colligo. Prima fuit ambitio, ac late dominandi cupiditas, quæ opibus maximis, & fiducia sui nitebatur: quam secūdissimæ res, plurimæque vi-

ctoriæ pepererant; iam enim quatuordecim Asiæ populos intra Halym positos subegerat, vt testatur Herodotus. Itaque se beatum credens, & ab omnibus credi cupiens, etiam sapientem Solonem eum de incerto rerum humanarum exitu monentem, cum fastidio à se dimiserat. Sed eam superbiam mox casus acerbissimus, qui Atym filium dilectissimum illi in venatione sustulit, grauissime castigauit. *Eius causa, prima ambitio.*

III. *Altera metus à Persis.*

DVOBVS annis ea de causa ingenti in luctu positis, cum interea Cyrus Astyagem principatu deiecisset, vereri cœpit Crœsus, ne Persæ in suam ipsius perniciem crescerent; itaque hoc adactus metu studuit crescentem eorum potentiam subuertere. Quæ fuit altera expeditionis causa, priori admodum consentanea: timida enim est omnis ambitio. Eum metum, tum subacta à Cyro Media, multarum pridem domina gentium: tum eiusdem fortuna principis, déque eo pridem edita siue somnia, siue vaticinia, Crœso plurimum obseruata, atque formidata pariebant. Fouebant autem duæ maximæ res, auxilium à superis primum imploratum, deinde copiæ variis ex populis corrogatæ. Nam vbique gentium dimisit nuncios, qui oracula deorum suorum de huius expeditionis euentu consulerent; à quibus improbissime ludificatus est; quos nihilominus ingentibus donariis sibi propitios reddere, & sacrificiis placare frustra conatus est: vtpote quibus de hominibus bene merendi neque voluntas adest, neque facultas. Cumque eadem oracula de auxiliaribus copiis monerent, potentissimos Græcorum, Lacedæmonios atque Athenienses sibi conciliare curauit: illos præsertim, quod isti intestinis cum Pisistrato tyranno discordiis dissiderent. Illos ergo per nuncios cum muneribus adiit, & fœdus cum eis hospitij, ac societatis iniuit.

IV. *Tertia vltionis cupiditas.*

TERTIA expeditionis causa fuit cupiditas vlciscendi Cyri, propter Astyagem Cyaxaris filium, nuper Medorum regem, affinem suum, quem Cyrus Harpagi proditione victum ceperat, atque in potestate habebat. Erat autem affinis Crœso Astyages, quod cum bellum Medos inter ac Lydos quinquennio perdurasset, Lydus Haliattes Crœsi pater, Astyagi Medo filiam suam Crœsi sororem ad pacis vinculum, dederat vxorem. Ergo sororis maritum in libertatem vẽdicare cupiebat, & vtrumque hoc sibi beneficio deuincire. Augebat Crœsi aduersus Cyrum offensionem, quod hic maternum auum contra iura naturæ, atque humanitatis regno spoliasset, & insuper haberet in vinculis. Itaque sperans propitios se habiturum deos suos, iustitiæ vindices & æquitatis, oracula consuluerat; quæ cum responsa captiosa reddidissent, ratus ea à se facere, in expeditionem profectus est. Nec plura opinor hoc tempore gesta. Nam bellum ipsum, geminumq; prælium, & Sardeis cum rege captas, Eusebius, aliique deinceps ad sequentem Olympiadem differunt.

V. *Quid interea Cyrus.*

INTERIM autem Cyrus cum Persis suis, Medisque videtur quieuisse, quod quidem mandatum sit literis; eius enim feruidum ingenium, & cuiusuis rei potius quam otij patiens, vt ei Tomyris Massagetarum regina postea exprobrauit, aliud credi suadet. Historia tamen quod sciam nihil prodit. Nam quæcumque à Cyri ducibus, maximéque ab Harpago in Asia perpetrata sunt, contra Phocæenses, ciues primæ Ionum ciuitatis, Teios, reliquosque Ionas: Inde contra Cares, & Caunios, & Lycios; Cnidios quoque, Pedaseos, & si quos alios inferioris Asiæ populos: quæcumq; item ab ipsomet Cyro in superiore Asia, quam sibi plane subiecit, post deuictum à Cyro Crœsum contigerunt; vt tota Herodoti narratio exigit. Nam quod Iustinus victis Babyloniis Cyrum Lydios, eorumque regem Crœsum inuasisse putat, quod prius contra Cyrum Babyloniis adfuisset, minus probabilis est Herodoto omnium antiquissimo.



ANNVS MVNDI 3506. QVINTÆ ÆTATIS 567. SALATHIELIS 31. TRANSMIG. 71. DESOLATION. ET IOSEDECI PONTIFICIS 60. BALTHAZARIS 12. IMPERII BABYLONIORVM 173. CYRI, ET DARII MEDI 13. OLYMPIAD. LVIII. ANNO I. SERVII TVLLII 30. VRBIS CONDITAE 205.

## ANNVS ANTE CHRISTVM 547.

I. Ratio temporis, Olymp. 58.



CELEBRIS est Olympias quinquagesima octaua, in qua cum aliis rebus, tum maxime iis, quæ à Cyro contra Crœsum, tunc in Asia inferiore potentissimum principem, gestæ perhibentur. Hanc temporis rationem secutus est Sosicrates apud Laertium in Thalete, Eusebius in chronico græco, latinoque, vbi Sardeis captas ponit, quod eodem tempore contigit. Sequitur & Solinus cap 7. idemque colligitur ex Laertio in Periandro: passimque omnes recentiores chronologi, & Sigonius in temporibus Atheniensium.

Hac ipsa Olympiade, atque eius initio Daphnici Apollinis templum conflagrasse narrat libro septimo Pausanias. * *Conflagrauit*, inquit, *hoc templum principatum obtinente Athenis Euriclide octaua, & quinquagesimæ Olympiadis anno primo, qua palmam tulit Diognetus Crotoniates.* Secundum hoc fuisse incendium scribit Eusebius: sed sæpius etiam deinceps eandem cladem miser Apollo passus est cum infinita rerum pretiosissimarum iactura *p. 322. gr.

II. Argiuorũ cum Spartanis pugna.

NARRAT Herodotus, quo tempore Crœsus à fœderatis sibi Lacedæmoniis, vrgente, atque obsidente Lydorum regiam Cyro, auxilia petiit, eos intestino contra Argiuos bello fuisse occupatos: contendebant autem de finibus suis. Cumque placuisset non totis exercitibus concurrere, sed parte aliqua copiarum, trecentos singuli exercitus delegerunt, qui inter se ita pugnarent, vt regio controuersa victorum esset: & ne succumbentibus socii opẽ ferrent, vterque exercitus domum abiit. Isti tanta animorum obstinatione certarunt, vt de sexcentis viris, duo tantum Argiui, & vnus Lacon superesset; cumque illi victoriam sibi vendicarent, quod duo essent superstites, hi quod suus in campo solus perstitisset, & spoliasset hostem, concurrente rursum vtroque populo, Lacedæmonii victores fuerunt.

III Prior Cyrus cum Crœso pugna.

IAM quod attinet ad præcipuam huius temporis historiam, initium bello datum est à Crœso, qui prior Halim, quo fluuio Cyri & Crœsi distinguebantur fines, traiecit infestus, siue pontibus, vt putat Herodotus, siue Thaletis industria, quem in eius castris fuisse Græci putant, in quibus Sosicrates apud Laertium in Thalete, cum is iam esset nonagenarius, quem & hac Olympiade mortuum tradit, sicut & Eusebius in chronico. Traiecto exercitu venit in Cappadociam, in locum qui dicitur Pteria eius regionis tutissimum, iuxta vrbem Synopem, fere ad pontum Euxinum sitam. Interim autem dum Cyrus cogit exercitum, ille prædia Syrorum vastat, & vrbem Pteriorum expugnat, diripitque. Adest Cyrus, diriguntur acies, concurritur, pugnatur acriter, & *multis vtrimque cadentibus, ad extremum noctis interuentu dirimuntur acies, neutri victores, neutrique victi.*

IV. Crœsus auxilia euocat.

POSTERA die cum Cyrus Crœsum supersederet inuadere Lydus; regres

sus est Sardis, in animo habens euocare in auxilium Ægyptios ex fœdere, quorum cum rege Amasi, antequam cum Lacedæmoniis, societatem inierat: accersere etiam Babylonios, cum quibus & ipse fœdus percusserat. Erat autem Babyl. tyrannus ea tempestate Labynetus (hic est quem Scriptura Balthasarem vocat.) Denunciare item Lacedæmoniis, vt ad certam diem præsto essent. Accusarant enim eum sui, quod cum multo maioribus Cyri copiis conflixisset. Hæc destinans Crœsus abit in regiam, dimissis legatis qui sociis edicerent, vt ad quintum mensem Sardis conuenirent. Interea exercitum suum dissipauit, minime credens vnquam fore vt Cyrus, qui sic æquo marte pugnasset, Sardis Lydorum Metropolim oppugnare auderet.

V. *Altera pugna inuaditur à Cyro.*

Qvo cognito Cyrus consilium iniit, vt quam maturrime posset exercitum Sardis promoueret, vt hostem occuparet, priusquam ille iterum Lydorum copias contraheret; quod & factũ est. Perterritus Crœsus tam inopinato nuntio, tamen Lydos in prælium producit, qua gente nulla alia fuit in Asia ea tempestate fortior, equitatu præsertim; quorum vim vt eluderet Cyrus, camelos eis obiecit, quorum neque speciem intueri, neque odorem equi ferre possunt. Itaque vt ad prælium ventum est, quamprimum auersi sunt equi, camelorum occursu conterriti. At Lydi ex equis desiliunt, & pedites cum Persis confligunt, multisque aliquandiu vtrinque cadentibus, tandem Lydi vertuntur in fugam; murosque ingressi à Persis obsidentur.

*Sardis obsidetur. Expugnatur. capitur.*

Hic Crœsus mittit ad socios, vt quamprimum conueniant, opem laturi iam Sardis obsesso: sed tardiora fuerunt auxilia. Nam quartodecimo die ciuitas expugnata est, & direpta. Crœsus viuus in Cyri potestatem venit.

VI. *Num mutus eius filius locutus.*

Prius tamen prodigium contigisse memoratur, quod ita narrat Herodotus. *Captis mœnibus quidam Perses in Crœsum sibi ignotum, vt occisurus vadebat: quem inuadentem se Crœsus cum videret, tamen præsenti clade affectus deuitare negligebat. Id vbi filius eius mutus aspexit, timens patri erupit in vocem inquiens, homo ne perimas Crœsum. Atque hoc ille primum effatus, postmodum per omne vitæ tempus vocalis extitit.*

At hanc esse fabulam, quamuis à Gellio, Iustino, Valerio Maximo, Solino, Xenophonte aliisque celebratam, satis vel ipsomet Herodoto colligi potest: qui paulo superius, cum de alterius filii Crœsi morte ageret, istum surdum fuisse dixit: & experientia docet vtrumque defectum naturaliter esse coniunctum. Vnde ergo didicit illa verba surdus? aut quid aliud potuit, quam inconditum clamorem emittere? Quid quod Plinius Secundus longe dispari commento hunc puerum adhuc infantem semestrem locutum esse tradit? Quod si per os eius, aut angelus, aut dæmon locutus dicatur, quomodo id deinceps perpetuum fuisse dicitur? Sed non hæc vna est apud Herodotum fabula.

*ὦ ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον.*

*L. 1. c. 51.*

VII. *Eripitur incendio.*

Pergit autem Herodotus. parsæ, & Sardibus potiti sunt, & Crœso viuo, cum regnasset annos quatuordecim, totidemque dies fuisset obsessus; amisso magno imperio, vt ei fuerat ab oraculo responsum. Cætera notiora sunt, quam vt fusius perscribantur, quomodo scilicet vinctus compedibus super struam lignorum impositus fuerit, cum 14. Lydorum filiis, vt viuus cremaretur: Solonem ter ingemiscendo inclamauerit, à quo didicerat neminem in vita dici beatum debere: quo agnito Cyrus ipse reueritus fortunæ inconstantiam, eum flammis eripi mandarit: sed cum iam pyra maiore incendio flagraret, quam vt humana diligentia posset extingui, rogatus à Crœso Apollo densissimis imbribus, cum antea sudum esset, flammas extinxerit, Crœsusque seruatus sit, quem Cyrus deinceps apud se honorifice habuerit, eiusque consilio multa peregerit, belli, pacisque temporibus.

VIII. *Fit Cyro à consiliis.*

Et in præsentia cum Persas videret ad diripiendam vrbem Sardis concursare, quò, inquit ille ad Cyrum, tanta frequentia? tuam, inquit Cyrus, vrbem diripere, tuasque opes absumere. Imo vero, inquit Crœsus, neque meam vrbem diripere, neque meas opes, sed tuas. Nihil enim mihi iam cum istis rebus est: moxque dat ei consilium, vt vetet exportari opes, donec decimæ Ioui reddantur, eóque prætextu eas sibi magna ex parte conseruet. Petit etiam non infacete à Cyro, vt sinat se esse gratum Deo Græcorum, missis ad eum compedibus suis, sciscitando num fas ei esse videatur bene de se merentes ora-

culis fallere, & se ad bellum Persis inferendum hortari. Sed ille responsa misit, quibus illum imprudentiæ, non se vt oportuit imposturæ accusaret, qui se rerum futurarum ignarum, oraculorum malitiosa ambiguitate occultaret: sed hæc pluribus, atque artificiosius Xenophon l. 7. Pædiæ persecutus est.

*Exprobrat Apollini.*

IX. *Theognis Anaximander.* CLARVISSE hac Olympiade Theognidem poëtam apud Eusebium in chronico legimus, & apud Cyrillum Alexandrinum l. 1. in Iulianum. De Anaximandro autem philosopho hæc apud Laërtium. Apollodorus Atheniensis illum in chronicis ait secundo anno Olympiadis quinquagesimæ octauæ annum egisse ætatis sexagesimum quartum, ac paulo post obiisse diem: maxime autem sub Polycrate Samiorum tyranno floruisse. Huius Philosophi ortum supra notauimus, anno tertio Olympiadis 42. Plinius prodidit eum hac Olympiade primum obliquitatem signiferi agnouisse. At quî potuit Thales Milesius, tanto ante prædicere eclipsin, quæ contigit Lydis Medisque inter se pugnantibus, nisi cognita obliquitate Zodiaci? l. 2. c. 8.



ANNVS MVNDI 3510 QVINTAE AETATIS 571.
SALATH. 35. TRANSMIGRAT. 75. IOSEDECI PONTIF.
ET DESOL. 64. BALTHAZARIS 16. IMPERII BABYLON.
177. OLYMPIADIS LIX. AN. 1. CYRI REGIS
PERSARVM, ET DARII MEDI 17.
SERVII TVLLII 34. VR-
BIS CONDI-
TÆ 209.

ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 543.

I. *Iosedechus & Iosue pontifices.*



SVB hæc tempora imminente fine desolationis, videtur iam grandæuus Iosedech, vita & inani pontificatu multis annis perfunctus decessisse, eumque filio Iosue, qui & Iesus dictus est, tradidisse. Et Genebrardus in hac captiuitate tam Iosedechum, quam Iosue pontifices nominat. Huic etiam 28. annos tribuit, quem autorem secutus nescio: sed nec quo anno illi exordiantur, notauit. In chronico Hebræorum hac de re altum silentium.

*Darius quamdiu regnarit.* Sulpitius l. 2. historiæ sacræ scribit Darium Medum duodeuiginti annis regnasse: quod fieri nequit. Nã si agit de tempore ante captam Babylonem plures sunt; si de eo quod secutum est, sunt multo pauciores, vt dicemus: opinor duodeuiginti pro viginti duobus, qui verior est numerus, irrepsisse. Nam vigesimus tertius plenus non fuit. Quod autem ait Cyrum post eum vno & 30. annis regnasse, probari non potest. Certe ex iis quæ in fine imperii eius dicemus satis constabit, eum sextum vel septimum annum in imperio minime superasse.

II. *Olymp. 59. Mors Crœsi.* HAC Olympiade, qua Archilochus Cercyræus cursu, Praxidamas Aegineta pugilatu victores facti memorantur, Crœsus mortuus perhibetur, vt est in Olympionicarum catalogo. Et valde probabile est hominem à tanto fastigio ad tantam calamitatem repente deturbatum, mœrore animi cito contabuisse; etsi eum Herodotus etiam ad Cambysum vsque Cyri filium vixisse referat; præsertim si vera sunt quæ scribit Ctesias, Crœsi filium obsidem Cyro datum, in patris conspectu interfectum, eamque calamitatem eius matrem intuitam, è muro se præcipitem dedisse: ipsum autem regem sæpius repetitis vinculis fuisse colligatum.

Pherecidem Syrum Pythagoræ præceptorem hac Olympiade cœpisse innotescere tradit S. Cyrillus in primo contra Iulianum, sicut & Laërtius, itemque

Phocylidem, & Xenophanẽ tragicũ poëtam: at Euseb. differt eos in sequentem.

III. Hac maxime Olympiade Cyrus tam ipse per se, quam per duces suos Asiam pene vniuersam occupauit, aditumque sibi per multiplices victorias, ad Babyloniam denique occupandam, & imperium in Persidem transferendum muniuit. Iones ergo & Aeoles, vt scribit Herodotus, vbi audierũt Lydos, populum sibi vicinum, lateque regnante Crœso imperantem, citra negotium à Persis victos, regemque ipsum, cum principe eorũ ciuitate, in Cyri potestatem venisse, legatos Sardis ad eum miserunt cupientes eisdem conditionibus illi parere, quibus nuper Crœso fuerant subiecti. Quos ille irrisit, exprobrans quod per legatos dudum ad amicitiam inuitati, Crœso renunciare noluissent, nunc rebus ex sententia non succedentibus, parati essent Cyri imperata facere. Cum ergo ita dimissi essent, omnes ad suos reuersi, arma parant, suas quique ciuitates, 12. Ionum erant, totidemque Aeolum, mœniaque communiunt, & de communi consensu legatos Spartam mittunt, de auxiliis sibi aduersus Cyrum mittendis. Qui per legatos etiam ipsi Cyrum adeunt, mandantes vt à Græcis violandis abstineret, alioqui id se minime toleraturos; Eos Cyrus cõtempsit, spondens se daturum operam, vt propria potius incommoda, quam aliena deplorent.

*l. 1. p. 16. græ.*

*Cyrus Asiam sibi subiicit.*

*Ionum legates,*

*& Lacedæmoniorũ contemnit.*

IV. Post hæc Sardis Tabulo homini Persæ commisit, Crœsi autem cæterorumque Lydorum thesauros Pactyæ Lydo tradidit deferendos. Ipse versus Ecbatana contendit Crœsum vna secum ducens, cupiens in superioris Asiæ populos Babylonios, Bactrianos, Sacas; itemque in Aegyptios per se expeditionem suscipere, in Iones vero & Aeoles alium quempiam de suis ducibus mittere. Cumque Cyrus abiret, Pactyas ab eo deficiens Sardis obsedit, contra quẽ Cyrus Mazarem Medum ex itinere misit, qui Pactyam ad fugam compulit, & Lydos ad Persarum mores traduxit. Eo defuncto sufficit illi Cyrus Harpagum, qui multis copiis Ionum ciuitates obsedit, easque partim vi, partim deditione accepit, ac Cyro seruire coëgit: quorum exemplo insulani conterriti, etiam ipsi deditionẽ fecerunt. Cæteris etiam deinceps Asiæ populis iugum Persarum imposuit Harpagus, vt pluribus recenset Herodotus, pluribus de more vtens excursionibus, siue edocẽdi, siue exhilarandi lectoris causa. Sed hæc instituto nostro sufficiunt.

*In superiorem Asiã proficiscitur*

*l. 1. p. 31. græ.*

*inferiorem, Harpagi domat.*

V. Addamvs tamen conclusionem Herodoti circa res hoc tempore ab Harpago, Cyroque gestas. *Inferiorem igitur Asiam*, inquit, *Harpagus euertebat, superiorem ipse Cyrus, vniuersam gentem subigens, nihilque relinquens.* Nõ multo autem illa obtinuisse labore significat, cum addit. *At ego in præsentia illorum gestorum pleraque prudens omittam, ea duntaxat proditurus, quæ illi plurimo labore constiterunt, suntque memoria dignissima.* simul significans Cyri in hac expeditione felicitatem. Recte autem omittit communia, atque vulgaria quæ lucem literarum non desiderant, nec retinere electorem cum fructu, ac delectatione possunt. Prudens enim scriptor, vt ait Horatius, *quæ Desperat tractata nitescere posse, relinquit.*

*Cyri felicitas bellica.*

Sicque nos Herodotus ad Babylonicam expeditionem deducens ait, Cyrum cum continentem vniuersam suæ ditionis fecisset Assyriis bellũ intulisse: late sumpto Assyriorum vocabulo; mox enim in Assyria collocat Babylonem.

VI. Hvivs Olymp. an. 2. Pisistratus exul, post annos 11 quam vrbe cesserat, exercitu comparato, & secundo prælio ad Marathonem cum ciuibus suis facto, vrbe potitus tyrannidem confirmat. Ita ex Herod. Sigonius. Et ratio quidẽ temporis clara est; est enim hic annus 11. ab anno 4. Olymp. 56. quo arma Megaclis soceri fugiens Pisistratus vrbe cessit. Herodot. autem tradit, non nisi vertente 11. anno Pisistratum cum suis Athenas Eretria reuertisse. Eo tempore ciuitates plerasque sibi conciliasse, copias pecuniasque corrasisse, Marathonẽ in Attica occupasse: ibi dum castra haberet, seditiosos qui ad eum ex vrbe & tribubus confluebant, excepisse, denique conflato exercitu Marathone vrbem versus mouisse. Tũ demum Athenienses obuiam infesti prodiere, & castra ex aduerso posuerunt; vbi dum cibo, somno, & ludo indulgẽt Pisistratus impetu facto eos in fugam vertit. Fugientibus autẽ immittit equites, non qui cæderent, sed qui nomine Pisistrati iuberent eos bono animo esse, & ad sua quemque incolumẽ abire. Qua humanitate victi Athenienses eius tyrãnidi se tertio subiecere, quam ille auxiliariorum copiis, pecuniarũ prouentibus & obsidib. Naxum trãslatis diligẽtius stabiliuit.

*Pisistratus tertio tyrannidem occupat.*



## ANNVS MVNDI 3514. QVINTAE AETATIS 575. SALATHIELIS 39. TRANSMIG. 79. IOSEDECI SIVE IOSVE, ET DESOLAT. 68. BALTHASARIS 20. IMPERII BABYLONIORVM 181. OLYMPIADIS LX. ANNVS 1. SERVII TVLLII 38. CYRI ET DARII MEDI 21. VRBIS CONDITAE 213.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 539.

I. *Mors Habacuc.* HOC anno qui fuit Sabbaticus centesimus trigesimus tertius, mortuum esse prophetam Habacuc testatur Epiphan. in eius vita, in hæc verba *Hic propheta de aduentu Domini non pauca vaticinatus est, atque ante biennium, quam populus Babylone rediisset, mors prophetam occupauit, & magnis honorib. in agro suo sepultus est.* Verum, vt supra quoque diximus, cum de eo Babylonem ad Danielem cum prandio translato ageremus, alius omnino hic esse videtur ab eo cuius extat prophetia: quod fuse probat Ribera prælud. 2 in prophet. in Habucuc. Nam cum manifestum sit eum de captiuitate duarum tribuum prophetasse, & aduentu Chaldæorum, quos ipse nominatim dicit esse venturos, ª si demus eum decem annis prophetasse, natum annos 30. quæ est ætas prophetica, vt notat Diuus Gregorius init. in Ezech. fient 40. anni, adde octodecim annos Nabuchod. & 68 desolationis, fient 126. anni, Quomodo ergo paulo ante prandium ferebat messoribus in Iudæa? *a c. 1. v. 6.* 30. 10. 18. 68 — 126

II. *Olymp. 60.* Apollævs Eleensis in Olympicis sexagesima Olympiade coronatus est, circa quam Xenophanes Colophonius claruit, vt author est Laërtius in eius vita. Is Homerum atq; Hesiodum iambis insectatus est, propter eas fabulas, quas de diis inuexerunt. Valde longæuus fuit, vt qui 25. annos natus peregrinationem 67. annorum susceperit. Laudatur eius constantia à Panætio, vt qui filios ipse suos propriis manibus sepelierit, sicuti & Anaxagoras. *Xenophanes, & Pythagoras florent.* Eadem Olympiade floruit Pythagoras Samius, eodem teste Laërtio, fuit is princeps Italicæ Philosophiæ, sicut Ionicæ Thales Milesius. Multa de illius opinionibus apud eundem reperies, vulgo satis cognita. Vixit ad 80. aut vt aliis placet ad 90. annos, habuitque in Pythagorica disciplina successores ad nonam & decimam generationem. Scripsit Heraclides eum Metoponti, cum diutius viuere nollet, inedia vitam finisse: vtique probabilius quam Hermippus, qui ait bello inter Agrigentinos & Syracusanos exorto, Pythagoram exiisse cum sociis Agrigentinis opem laturum: versis autem in fugam, illum fabarum campum circuisse, ibique à Syracusanis fuisse interfectum. Hinc Diogenes.

*Heu heu Pythagoras quid vile legumen adorat?*
*Quem in propriis fama est occubuisse fabis.*
*Nam ne forte fabas fugiens calcaret in agro.*
*Tandem Agragantino*, imo Syracosio *casus ab hoste perit.*

III. *Ratio temporis Babylonica cladis.* Hoc ipso anno primo huius Olympiadis videtur Cyri expeditio aduersus Babylonios inchoata: nam, vt ex Herodoto & Xenophonte facile colligitur, ea biennium minimum tenuit; captam autem Babylonem sub initium 70. anni desolationis inferius ostenditur. Illustris huius rei coniectura ducitur ex c. 51. Ierem. v. 46. vbi biennio ante ruinam Babylonis rumorem belli spargendum dicit, & confirmat Iudæos captiuos, ne illo timore turbentur. *Et ne forte,*

inquit,

inquit, *mollescat cor vestrum, & timeatis auditum qui audietur in terra, & veniet in anno auditio, & post hunc annum auditio, & iniquitas in terra, & dominator super dominatorem*, id est, vt interpretatur à Castro, Vatablus, Isidorus, ne paueatis ad quemcumque belli rumorem per Chaldæam dissipandum. Nam in vno anno belli rumor spargetur, hic est annus præsens, 68. desolationis; in altero autem audietur fama Medorum, atque Persarum iam iamque aduentantium; In alio denique opprimetur Chaldæus, & Darius Balthasari, aut Cyrus Dario succedet. Et hoc tempore vult Iudæos leuare capita sua, quoniam appropinquat redemptio ipsorum.

QVÆ igitur hoc tempore facta videantur, ex Herodoro sic accipe. *Aduersus Nitocris filium Labynitum patris nomen, & imperium Assyriæ habentem Cyrus exercitum duxit.* Et quidem magnum, vt ait Xenophon l. 7. Pædiæ. *Quum via Babylonem ducente progrederetur*, inquit, *subegit Phrygas illius maioris Phrygiæ, subegit Cappadocas, Arabes in potestatem redegit, quorum omnium armis Persas quidem equites instruxit, non pauciores quadragies millibus: multos vero captiuorum equos in socios vniuersos distribuit, Babylonem permagno cum equitatu, perquam multis cum sagittariis, & iaculatoribus venit, cum funditoribus autem innumeris.* IV. Apparatus Cyri cõtra Chaldaeos.

NE quis autem declamatorem Xenophontem causetur, audiat tanto di-
a 51. 42. gniorem fide Ieremiam: huc enim pertinet illud Ieremiæ [a] *Ascendit super Babylonem mare*, id est, immensus exercitus, qui terram operiat *multitudine fluctuum* V. Ex scriptura ipsa.
b 50. 9. *eius operta est.* Et iterum. [b] *Ecce ego suscito, & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum de terra Aquilonis, & præparabuntur aduersus eam, & inde capie-*
c v. 14. *tur*, & [c] *Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum, debella-*
d v. 26. *te eam, non parcatis iaculis*, [d] *venite ad eam ab extremis finibus, aperite vt exeant qui*
e v. 41. *conculcent eam*, [e] *Ecce populus venit ab Aquilone, & gens magna, & reges multi consurgent à finibus terræ. Arcum, & scutum apprehendent, crudeles sunt, & immisericordes, vox eorum quasi mare sonabit, & super equos ascendent, sicut vir paratus ad prælium, contra te fi-*
ver. 43. *lia Babylon.* Nec irritus fuit hic rumor. *Nam* subdit idem propheta, *audiuit Rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus eius, angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem.*

Ex hoc autem timore factum est, vt Chaldæi Babylonem comportarent multorum annorum commeatus, vt ait Herodotus, & Xenophon: denique quasi insultans Chaldæis propheta, & omnem eorum laborum irritum fore denuncians, eo quod Deus velit vltionem expetere cladium populo suo VI. Timor Babyloniorũ.
f c. 51. 11. illatarum, & nominatim templi profani, expilati, incensi, & solo æquati. [f]
*Acuite sagittas*, inquit, *implete pharetras, suscitauit Dominus spiritum regum Medorum, & contra Babylonem mens eius* (Domini) *est vt perdat eam, quoniam vltio Domini est,*
g Et iterum c. 51. 28. *vltio templi sui.* Reges Medorum dixit in plurali, [g] ad significandum, quod supra dicebamus, Cyrum non solum Persarum, sed & Medorum regem fuisse, ex quo Astyagem habuit in potestate: Darium autem regem quoque Medorum fuisse, sed precario, atque vsu solo, dominio ad Cyrum translato, tam iure victoriæ, quam fœdere nuptiali, vt ex Xenophonte diximus. Sed redeamus ad Herodotum.

DVCIT, inquit, *Rex magnum exercitum, probè domi comparata re frumentaria,* VII. Cyrus Babylonem adit.
l. 1. p. 54. g. æ. *atque pecuaria.* Quidam volunt legi regem magnum, non magnum exercitum, quod id esset epithetum regum Persarum. At si is titulus Cyro tributus est, non prius certe datus videtur, quam capta Babylone totius orientis factus est Imperator: quod tempus videtur Herodotus hoc loco anteuertisse: in Græco enim est. *Duxit autem Rex magnus exercitum.* Pergit autem, *Cyrus Babylonem tendens, vbi venit ad Gyndem amnem, qui in Tygrim influit, conabatur eum fluuium traijcere, cum non posset nisi nauibus traijci.* Interim quidam è sacris equis candidis petulanter ingressus fluuium transire conabatur: quem fluuius verticibus contorquens obruendo abripuit. Cyrus perquam ægre ferens hanc fluminis iniuriam, illi comminatus est se tam tenuem eum redditurum, vt posthac facile, vel à mulieribus transiri posset, ne genua quidem tingentibus.

HÆC minatus, expeditione Babylonem intermissa, copias suas bifariam diuisit: dehinc alueos ad funiculum designauit, centenos & octogenos vtrinque VIII. Res ab eo ad Gyndẽ gesta.

ad Gydis oram omnino conuersos, quos distributis copiis effodi iussit. Et opus quidem, vt quod à tanta multitudine fieret, perficiebatur; tamen in eo faciendo eam totam æstatem triuerũt. Hæc ibi. Subdit sequenti vere resumpsisse expeditionem in Chaldæos. Subintelligendum autem est, quod Herodotus tacuit, mediam partem Persici exercitus aliqua ratione fluuium traiecisse, vt vtraque ex parte fossæ illæ centenæ & octogenæ duci possent. Hanc ipsam historiam mutuatus est ab Herodoto autor mirab. sacræ scripturæ, [a] vbi corrigendus est fossarum numerus; pro trecentis enim & 60, quadringentas & 60. habet. Et videtur Cyrus minitans dixisse fluuium in tot se riuos deducturum, quot essent in anno dies. *a l. 2. c. 1.*

IX. *L. Tarquinius regnũ ambit.* Hæc dũ in oriente gerebantur, Romæ L. Tarquinii Seruii Tullii gener, ægre ferebat Soceri tam diuturnum regnum, quod sibi debitum, vt Tarquinii Prisci nepoti, interpretabatur, & omni studio despiciebat, quo modo illud occupare posset, quantumuis vxore dissuadente: altera vice versa Tullii filia eum stimulante. Ea de re ita Dionysius l. 4. *Erant Tullio*, inquit, *duæ filiæ ex vxore Tarquinia, quam et Rex Tarquinius in matrimonium collocauerat* Has puellas iam nuptiis maturas iunxit consobrinis earum Tarquinii nepotibus, maiorem maiori, Iuniorem Iuniori, bene ita comparatos existimans: sed forte fortuna vterque gener moribus suis difficilem nactus est. Lucio enim natu maiori audaci, arrogan- *Mores vtriusque generi & filia Seruii.* ti, naturaque tyrannico, proba, modesta, & erga patrem pia vxor contigit. Contra Arunti iuniori miti, & moderato ingenio prædito, scelesta, infensa patri, nihil non ausura fœmina. Vterque maritus cum innatos sequeretur mores ab vxore traducebatur in contrarios; alter improbus socerum regno pellere cupiens, & cuncta huc conducentia moliens vxoris precibus, lachrymisque flectebatur, alter moderatus nusquam læsurus socerum, sed expectaturus eius e vita exitum, fratris quoque scelestos impetus cohibens, à nefaria vxore in contraria sollicitabatur, hortante vt vir esset, quotidianoque iurgio exprobrante ignauiam. Hæc Dionysius, eisque simillima Liuius, à quibus cæteri. Res autem non progressas hoc anno vlterius, quæ sequenti anno dicemus satis aperient.



## ANNVS MVNDI 3515. QVINTAE AETATIS 576.

SALATHIELIS 40. TRANSMIG. 80. IOSEDECI SIVE IOSVE, ET DESOLAT. 69. BALTHASARIS 21. IMPERII BABYLONIORVM 182. OLYMPIADIS LX. ANNVS 2 SERVII TVLLII 39. CYRI ET DARII MEDI 22. VRBIS CONDITAE 214.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM 538.



I. *Spes & preces Israelitarum.* QVO proprior erat septuagenariæ desolation. templi Hierosolymorum, ac totius Iudææ terminus, hoc magis Daniel propheta cum sociis Aggæo, Zacharia, Malachia; Iosue pontifex cum fratribus suis sacerdotibus, Zorobabel princeps populi cum cognatis & amicis, intenti erant in precibus Deo pro sua libertate offerendis, illud Dauidicum inculcantes. [b] *Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Quoniam placuerunt seruis tuis lapides eius, & terra eius miserebuntur.* Et illud quoque, [c] *Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem. Tũc acceptabis sacr. &c.* Cũq; proponerẽt in cõspectu Domini solennẽ promissionẽ eius à Ierem. pronũciatam, [d] *Hæc dicit*

*b Ps. 101. 14.*
*c Ps. 50.*

*Dominus, cum cœperint impleri in Babylone, 70. anni visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum.* Et iterum. [a] *Et inueniar à vobis, ait Dominus; & reducam captiuitatem vestram, & congregabo vos de vniuersis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reuerti vos faciam de loco, ad quem transmigrare vos feci, & cæt.* Hæc inquam cum proponerent Domino, etiam cum Dauide dicebant. [b] *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti, hæc me consolata est in humilitate mea.*

[a] v. 14.

[b] Psal. 118. 49. 50.

II. *Qua spem illam firmarent.* NEC minus intenti erant in Babylonis cladem, ab eodem propheta prænunciatam, & eodem planè annorũ spacio circumscriptam. *Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas.* Eius rei non obscuram videbant dispositionem, in Cyri, & Darii regum Persarum, atque Medorum apparatu bellico, numerosissimis copiis, rerum hactenus gestarum perpetua felicitate, pugnacibus animis, corporibus laborum tolerantissimis, & inexplebili dominandi cupiditate. Accedebat fortasse Balthasaris ignauia, & maior conuiuiorum, quam præliorum cura; vt qui totam vitam, & regnum in summa pace, & populorum sibi diuinitus subiectorum obedientia transegisset, vt in quo deliquerat, in eodem etiam puniretur.

III. *Cyri præliũ cum Babyloniis.* ACCESSIT hoc anno ad ipsam vrbem Cyrus, cum omnibus copiis suis, eamque prælio vno primum afflixit, deinde opere laboriosissimo oppugnare cœpit. *Cyrus vbi Gyndem mulctauit*, inquit Herodotus, *in trecentos & sexaginta riuos deductum, & alterum vere illuxerat: ita porro ire Babylonem pergit, Babyloniis eum producto exercitu præstolantibus: qui vbi propius ad vrbem promouit, cum eo conflixerunt, prælioque fugati in oppidum se receperunt.* Hoc iam primum omen victoriæ, & indicium timoris, quem Dominus immissurus erat Babyloniis, vt Ieremias prædixerat. Verum Xenophon huius prælii non meminit, imo ait consilium captum à Cyro fame cogendi vrbem ad deditionem, quoniam illi ad pugnandum non exirent. Verum cum hic oratorem potius, ille historicum agat: nemo est opinor, qui Herod. plus fidei nõ tribuendum putet; ideoque Xenophontẽ fere ad confirmationem, Herodotum ad assertionẽ affero; qui de hac obsidione ita pergit.

IV. *Obsidio Babylonis inchoatur.* BABYLONII quia Cyrum iam primum animaduerterant inquietum esse, viderantque omnes pariter gentes aggredientem, comportauerant multorum sane annorum commeatus: ideoque tunc obsidionem nullius momenti ducebant. Qui autem in muro stabant, ait Xenophon, obsidionem hanc irridebant, quod eis commeatus esset copiosior, quam in annos viginti. Quæ Cyrus cum audisset in partes duodecim exercitum diuisit, vt pars quælibet vnum anni mensem in excubiis esset. Quibus iterum auditis, multo etiam Babylonii magis irridebant, qui cogitarent secum Phryges ac Lycios, & Arabes, & Cappadoces futuros contra se in excubiis: quos omnes arbitrabantur, animis erga se magis esse beneuolis, quam erga Persas. Et Cyrus, ait Herodotus, cum iam longo tempore nihil admodum res eius promouerentur, inops consilii erat.

*Vnde obsessis fiducia.*

V. *Cyrus locũ parat deriuando flumio.* XENOPHON ait hoc tempore Cyrum iussisse exercitum latissimam, profudissimamque fossam ducere vndique circa murum, vt aqua fluminis eo deriuata, reliquum vado transiri posset, & exercitus per medium fluminis alueum in vrbem penetrare. Herodotus vero ait aquam deriuatam in lacunam, quam ante multos annos Nitocris regina, multum super Babylonem defoderat, latitudine quoquouersus trecentorum viginti stadiorum, profunditate vero ad aquam vsque. Diodorus Siculus l. 2. meminit huius lacus, quem à Semiramide constructum dicit forma quadrata, ex latere cocto & bitumine, cuius vnumquodque latus trecẽtorum esset stadiorum, profunditas autem 35. pedum: reliquum ergo huius anni tẽpus in egerenda terra lacunæ illius, vt fieret quam capacissima positum est, cuius sub initium anni sequentis vsus fuit. De hoc consilio sic loquitur Herodotus. Tandem Cyrus, siue alius ei anxio suggessit, siue ipsi in mentẽ venit, quid in rẽ esset, sic statuit faciendum. Instructis vniuersis copiis, partimqua fluuius vrbem ingreditur, partim à tergo qua egreditur, præcipit vt dum alueum cernerent posse transiri, illac vrbem inuaderent. Ita constructis atque

admonitis suis, cum inutiliori exercitus parte, abiit ad stagnum. Eo vbi peruenit, quæ Babyloniorum regina fecerat circa flumen, & circa stagnum, eadem & ipse fecit.

VI. *Iudæi vrbe cedunt.* Hoc ipso tempore multi Iudæorum Babylone fugisse videtur; tanto quippe ante præmonuerat eos Ieremias [a] *Fugite at de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam, nolite tacere super iniquitate eius*, id est, nolite ibi subsistere, ne exscindamini cum ipsis, qui propter scelera sua disperdendi sunt. Et iterum. [b] *Egredimini de medio eius populus meus, vt saluet vnusquisque animam suam, ab ira furoris Domini.* Videntur autem ad Persas, & Medos, tam præteritis Esaiæ & Ieremiæ oraculis admoniti, quam præsentibus Danielis, & sociorum, confugisse. Quo etiam factum videtur, vt Dario ac Cyro tanto erga se clementioribus vsi fuerint: qua etiam occasione dici potest Cyrum concepisse votum illud, cuius fit mentio 3. Esdræ, [c] vbi Zorobabel Darium alloquens, *Memor esto*, inquit, *voti tui, quod vouisti ædificare Ierusalem, in die qua regnum accepisti, & omnia vasa, quæ accepta sunt ex Ierusalem remittere, quæ separauit Cyrus*, quando vouit exscindere Babylonem; & vouit remittere illuc, sic enim in textu Græco [d] habetur. Illud autem *separauit*, de animo & voluntate separandi accipiendum est: separare enim non potuit, quæ nondum habebat in sua potestate.

*Ad Cyrū transfugiunt. Eiusdem votum.*

[a] c. 51. 6. [b] v. 45. [c] c. 4. 44. [d] 1. c. 4.

VII. *Tarquinii, & Tulliæ molitiones in regem.* Hæc dum Babylone geruntur, magnoque, nec irrito conatu clades eius præparatur, Romæ quoque res nouas vehementiore conatu L. Tarquinius, & Tullia coniux Aruntis Tarquinii fratris, moliuntur. Nam ista illum ambitione iam præcipitem in furorem agit, eique per atrocissima facinora viam ad regnandum munit. Fuisse autem inita hoc anno consilia, ex eo colligitur, quod anno sequenti, qui fuit quadragesimus regni Tullii, Aruntem defunctum esse, Dionysius ait se in Annalibus inuenisse. Non possunt autem nefaria scelera, & vehementer periculosa facile suscipi, & breui tempore tuto, & occulte in rem deduci; sed aliæ ex aliis nectendæ sunt fraudes, & variis subinde difficultatibus & impedimentis occurrendum: denique quod vna hora fit, multis sæpe mensibus, aut annis etiam præparatur.


VIII. *Et consilia nouarum nuptiarum.* Tullia igitur natu minor quæ Arunti nupserat, ferox mulier, & nata parricidiis, vt ait Dionysius, quærebat quomodo se liberaret à molesto coniuge, quem ad scelesta contra patrem consilia impellere non valebat. Tandem naturę peruersitate ad desperatam audaciam prouecta, & putans sororis virum suis moribus maxime conuenire, accersit eum in colloquium, quasi de rebus necessariis: semotisque arbitris silentium primum proditoriis consiliis impetrat; tum ad ambiendum regnum, patrique eripiendum omni ratione, atque artificio inflammat.

*quo fine.* Et quoniam intelligebat hæc furia, in L. Tarquinii regno nihil sibi acquisitum iri, quæ tamen regina audire cupiebat, consilium cum eo init de illius vxore, & marito suo occidendis, vt vtrique mox patefacto, per talia scelera, nuptiis loco, contraherent matrimonium, atque exturbato, vel occiso etiam rege parente regnarent.

IX. *Tullia ad Tarquiniū oratio.* Vxor tecum degit, inquit ista, prorsus moribus tuis dissimilis, quæ suis te illecebris & incantamentis emolliuit, teque imprudentem ex viro reddet hominem nihili: quemadmodum mihi quoque vir est meticulosus, & nil virile habens, qui me deprimit, ampla fortuna dignissimam. Quod si tibi contigisset me vxorem ducere, mihique te habere maritum, non tam diu vitam priuatorum hominum vixissemus. Quin igitur, inquit, nosmetipsi erratum fortunæ corrigimus permutato coniugio? At id non fortunæ erratum, sed prouidi parētis consilium fuerat, vt alter ab altero corrigeretur, aut ad aliquam mediocritatem temperaretur: vide autem quam corrigendæ fortunæ viam ineant. Quin tu, inquit, vitam vxori adimis, ego vero mox pari modo maritum meum tractauero; quibus extinctis coniuncti, secure conficiemus quod superest, è medio sublatis tam molestis obstaculis. Etenim etiamsi cæteris in rebus iniuste agere verearis, certe regni causa audenda sunt omnia.

X. *Ambitio cruenta, & iuris contēptrix.* Hanc sententiā mutuatus est Dionysius, à Iulio Cæsare (aut vterque potius ab Eteocle Euripidis) qui, vt retulit etiam Marcus Tullius, crebro vsurpabat

illud. *Nam si violandum est ius regnandi gratia violandum est, aliis rebus pietatē colas. Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id vnum, quod omnium sceleratißimum fuerat, exceperis.* Ita Cic. 3. offic. At, inquies, cur diuorsio non inuenerunt remedium cupiditatibus suis? forte mulieri apud Romanos, ius repudii non fuit, sicut nec apud Hebræos. Et repudii vsus tardius Romam inuectus est: & timere potuit mulier, à qua consilium profectum est, ne illi dum viuerent conatibus suis obsisterent, & rem suspiciosissimam Seruio redderent. *Hu auditis*, inquit Dionisius, *Tarquinius libenter conditionem accepit, moxque data & accepta fide, ac delibato incestarum nuptiarum fructu, abiit.* Quæ autem secuta sint annus proximus explicabit.



## ANNVS MVNDI 3516. QVINTAE AETATIS 577 ET VLT. SALATH. 41. ET VLT. TRANSM. 81. IOSED PONT. ET DESOL. 70. ET VLT. BALTHAZ. 22. ET VLT IMPER. BABYL. 183. ET VLT. OLYMP. LX. AN. 3. CYRI REGIS PERSARVM, ET DARII MEDI 23. ET VLT. SERVII TVLLII 40. VRBIS CONDITÆ 215.

## ANNVS ANTE CHRISTI ORTVM. 537.

Dan. 5 6 9. Ierem 50 51 Esaiæ 13 14.



CELEBERRIMVS est hic annus, & rebus maximis insignitus, quas huius anni titulus indicat. Hoc enim anno Iudæorum captiuitas, & seruitus Babylonica terminatur: Balthasar in mediis epulis prodigiosam scripturam videt, quam Daniel interpretatur; moxque vita cum regno priuatur: Imperium Chaldæorum concidit: Darius vix vnum annum imperat, eique succedit Cyrus: Daniel apud Darium in lacum leonum iterum mittitur, ac diuinitus liberatur; moxque orans magnum mysterium septuaginta hebdomadarum addiscit. Accedent postremo infaustæ Tarquinii, & Tulliæ nuptiæ, gemino parricidio copulatæ, de quibus omnibus antequam dicamus, aliquid de tempore libandum est. *I. Res anni huius.*

PRIMVM igitur ponendum est totum hunc annum ad 70. annorum captiuitatem, diuino decreto pronunciatam, ac definitam pertinere, vt ex Ieremia 25. & 29. constat, quæ anno quoque superiore retulimus. Deinde Darium successisse Balthasari in regno Chaldæorum. Id asserit Daniel in fi. cap. 5. Cyro videlicet id socero seni indulgente. Præterea Darium non totum annum regno Chaldæorum potitum, qui iam vigesimum tertium annum Medis, Cyro annuente, imperabat. Quoniam primus Cyri, & Monarchiæ Medorum & Persarum, & solutæ captiuitatis annus, in vnum eundemque incurrunt, vt patet ex fine 2. Paral & init. 1. Esdræ, quæ fusius disputat Pererius. 1. Theodoretus autem orat. 9. in Dan. ait hunc Darium breui admodum tempore regnasse. Finitur quoque hoc anno Quinta regum ætas, vt in eius initio, primo Samuelis anno monuimus. *II. Ratio temporis.* *li 10. q. 2.*

VT ergo à Babylonis clade ducamus initium, à qua reliqua fere pendent, & tempore quoque posteriora sunt, existimo minime ingratum fore lectori, si aliqua de illius vrbis magnificentia dicamus, quam tanti imperii pene parens Magnus Nabuchodonosor, qui tot alias regnorum metropoles, & viderat, & euerterat, gloriabundus, cum quadam admiratione celebrat, dicens. *Nonne est hæc Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis* *III. Babylonis magnificentia.*

*mea, & in gloria decoris mei?* Viderat ille Niniuem in Assyria, Alexādriam in Ægypto, Hierosolymam in Iudæa, Gazam in Palæstina, Tyrum & Sidonem in Phœnicia, Damascum in Syria, Susam in Perside, Ecbatanam in Media, & tamen de sua Babylone dicebat, nonne hæc est magna Babylon, quam ego ædificaui in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Omnium quippe aliarum opibus locupletata, sexcentorum regum, & principum copiis roborata, & innumeris ædificiorum miraculis decorata fulgebat.

IV. *Et descriptio ex Herodoto.* Hvivsmodi *vrbs*, inquit Herod. l. 1. *In ingenti planicie sita est, forma quadrata, magnitudine quoquo versum centenûm vicenûm stadiorum. in summa 480. in circuitu 4. laterum vrbis; Tanta est Babylonici oppidi magnitudo: quod ita exornatum est, vt aliud nullum eorum, quæ nos nouimus.* Sic ipse; Is numerus stadiorum conficit sexaginta millia passuū, id est 20. leucas gallicas, si singulis tria passuum millia tribuamus. Idem spatium Babyloni tribuit Plin.[a] cum ait eam sexaginta millia passuum muris complexā; & Philost. in [b] vita Apollonij Non parum de hac amplitudine detrahit Diodorus Siculus l. 2. cum ait, Semiramidem, postquam ad hanc vrbem condendam adiecit animū, architectis hinc inde, fabrisq; delectis, ac necessariis ad sumptus faciendos comparatis, ex toto regno ad operis structuram, vicies centena hominum millia coëgisse: tum trecentorum sexaginta stadiorum muro vrbem ita circundedisse, vt mediam amnis interflueret. Mox etiam ex Clitarcho recitat, eiusdem ambitum fuisse trecentorum sexaginta quinque stadiorum; eo quod anni dies stadiorum numero æquare studuisset.

*Et Diodoro Siculo.* *Murorum longitudo.* [a] l. 6 c. 26. [b] l. 1 c. 18.

V. *Conciliantur.* Verum non difficiliter conciliari possent, si cum Diodorus se de Babylone Semiramidis scribere profiteatur, dicamus Herod. de posteriore Babylone, quā Nabuch. ædificauit, vt scriptura testatur, id est multum amplificauit factus Monarcha, fuisse locutum: sicque deinceps in quibus dissenserunt, potest vterq; vere dixisse. Herodotum sine dubio legerat Aristoteles.[c] Cum ait vnam ciuitatem mœnibus non definiri. *Liceret enim*, inquit, *Peloponnesum totam vnis mœnibus circundari. Talis fortasse est Babylon, quæ capta cum esset ab hostibus, ferunt partem aliquam eius ciuitatis tertia die nondum aliquid sensisse.* De murorum latitudine sic Herod. *Deinde murus 50. cubitorum regiorum crassitudine; est autem regius cubitus tribus digitis quam mediocris maior; ducentorum celsitudine.* Ita prorsus etiam Plin. l. c. & Paul. Oros.[d] Diod. non multo aliter. *Erat*, inquit, *tanta operis magnificentia vt mœnium latitudo sex iuxta curribus vehendis sufficeret.* Huc alludit Ierem.[e] *Murus Babylonis*, inquit, *ille latissimus suffossione suffodietur: & portæ eius excelsæ igne comburentur.*

[c] l. 3. polit. c. 2. *Murorum latitudo.* *Ex Herodoto, Diodoro, &c.* [d] l. 2. c. 6. [e] c. 51 58.

VI *Eorundem altitudo ex Ctesia. Philostrato. Diodoro.* Altitvdo vero omnium qui audirent fidem, vt Ctesias scribit, excederet. Nā murum laterib. bitumine conglutinatis coagmentauit, quinquaginta orgyas altum (orgyam Plinius vlnam, alij tres cubitos, alij brachiorum vna cum pectore extensionē, interpretātur.) Philostratus [f] ait muros in altitudinem tria semiiugera, vel semiplethra fuisse sublata; cum essent paulominus vnius iugeris crassitudine. Sic ipse. Addit Diod. quosdam scribere, nō fuisse altiorem murum cubitis quinquaginta, latitudinem vero aliquanto plus spatij obtinuisse, quam duobus curribus satis esset. Ita sensit etiam Strabo cum ait viam super mœnia tam latam fuisse, vt quadrigæ occurrentes facile pertransire possent. Et Q. Curtius; Murus, inquit, instructus laterculo coctili, bitumine interlitus spatium triginta & duorum pedem latitudine amplectitur. Quadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur Quæ fortassis opinio plus fidei meretur. Nam illa altitudo prodigiosa est, & 50. cubiti regij, quos descripsit Herod. cū efficiant 87. pedes cum dimidio, duodecim digitorum singulos, erigunt murum ad altitudinem tantam, vt animus eam ipsam propemodum respuat. Addit quoq; huic opinioni fidem, quod legamus, [f] altitudinem murorum Ecbatanæ fuisse 70. cubitorum, latitudinem autem triginta.

[f] l. 1. c. 18. init. l. 16. *Rursum latitudo probabilior.* [f] Iudith 1.

VII. *Cubicula murorum & turres.* Ad oram muri singula cubicula extruxerant, inquit Herodotus, ad se inuicem conuersa, tanto interuallo, quanto quadriga interagi posset. Turres etiam adiecit, ait Diodorus, ducentas quinquaginta, quarum altitudo, ac latitudo muri amplitudini responderet. Videtur Diodorus prudenter exprimere noluisse, quæ apud alios de altitudine earum turrium legerat, quod eā parum probabilē arbitraretur. Strabo ait turres superasse murorum altitudinem 10. cubitis: Cur-

sius denis pedibus: sed profecto cubitis dictum oportuit; nam reliquæ mensuræ apud eundem, etiam harum turrium, cubitis fiunt. Quin ne cubiti quidem isti decem mihi satis probari possunt, cum legam turres Ecbatanæ, [a] cubitos centum altitudinis habuisse, id est murorum altitudinem 30. cubitis superasse. Quod non pluribus turribus vrbs cingeretur, & ornaretur murus, eam causam affert Diodorus, quod multis in locis vrbs paludibus esset circunfusa, ideoque satis munita iis in locis vrbe, non videretur necessarium plures extruere turres. At si ornatus quoque, vt par est credere, vel Semiramis, vel Nabuchodonosor in opere tanto rationem habuere, longe plures videntur extruxisse. Nam interuallum stadij vnius, quod est sexcentorum pedum, inter duas turres, nimis profecto magnum videtur; & turrium aliquib. in locis solitudo, iniucundam quandam vastitatem oculis exhibet, quam gloriosum Nabuchod. decoris auidum magnopere vitasse arbitror, qui se ait hanc vrbem struxisse, *in gloria decoris sui.*

a Iudith. 1.

*Earum numerus.*

VIII. *porta vrbis, & murus lateritius.*

NON omittendæ sunt portæ. Iosephus ex Beroso, ait Nabuchodonosorem portas vrbis in templorum morem exornasse, id est quæ etiam templa decerent, [b] & vt dixi, Ieremias portas Babylonis excelsas vocat. [c] Fuerūt autem numero centum, vt ait Herodotus, puta in singulis lateribus vicenæ quinæ, æreæ omnes, cum postibus & superliminaribus; totumque opus lateritium fuit. Nam vt idem ait, quidquid terræ in deprimenda fossa efferebant, id in lateres efformabant: bituminosa quippe erat terra, & fornacibus excoquebant, & per tricesimū quemque ordinem laterum, summitates arundinum siue crates arundineas instipatas conglutinabant. Et Ouid. *dicitur altam, Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.* Vt autem celerius opus consummaretur, ait Diod. cuilibet ex amicis stadium, cum impensis ad id necessariis attribuit, & anni spatio negotiū peragere iussit.

b l. 1. contra Apio. & l. 10. ant c. 11. c 51. 58.

IX. *Fossa vrbis, pomæria,*

*Ædium frequentia & celsitas*

EXTRINSECVS vrbem ambiebat, ait Herodotus, fossa alta, atque lata, aquę plena, quæ non minor videtur fuisse illa, quam Cyrus in huius vrbis obsidione imperauit à militibus suis fieri, cuius latitudo vnius iugeri, siue plethri, id est centum pedum fuit, vt ait Xenoph. l. 7. Paulus Oros. [d] *Fossa*, inquit, *extrinsecus late patens, vice amnis circunfluit.* Intrinsecus autem inter murum & domorum ædificia, pomerium antiqui vocauere, via duum plethrorum circumquaque relicta erat, vt ait Diodor. id est ducentorum pedum. Quod spatium media parte diminuit Q. Curtius. Ait enim. Ædificia non sunt admota muris, sed fere spatium vnius iugeri absunt. Ac ne totam quidem vrbem tectis occupauerunt. Per 90. stadia habitatur: nec omnia contigua sunt, credo quia tutius visum est pluribus dispergi locis; cætera serunt coluntque, vt si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius vrbis solo subministrentur. Ita Curtius, qui videtur ab Herodoto dissensisse, ait enim. *Ipsa vrbs plena domibus est, ternarum, quaternarumque contignationum, secta in vias rectas cum alias, tum vero transuersas, quæ ad flumen pertingunt, ad quarum singulas pro numero vicorum ostiola facta sunt in maceria, quæ flumen septebat, & ipsa ærea, & ad flumen idem ferentes.* Paul. Oros. [e] *Domus*, inquit, *intrinsecus qu[illegible] geminæ, habitationes minaci proceritate mirabiles, & tamen magna illa Babylon, illa prima post reparationem humani generis condita, nunc pene etiam minima mora victa, capta, & subuersa est.* Sic Oros. Propter istam porro murorum, arcium, turrium, palatiorum, templorum, hortorum pensilium, domorumque priuatarum altitudinem, videtur Babylon, quamuis in planitie sita esset, vt fatentur omnes, ab Esaia tamen [f] Mons caliginosus, à Ierem. [g] Mons pestifer appellari. Propriéque hæc vrbs sic vocatur, propter altitudinem & erectum vsque ad cœlum superbiæ verticem, vt ait D. Hierony. [h] metaphoricum sensum secutus.

d l. 2. c. 6.

e l. 2. c. 6.

f c 13. 2. g 51. 25.

h in c 21. Isa. v. 4.

X. *Ciuitatem Euphrate diuisa.*

*Qui crepidine vtrinque pratexitur.*

CIVITATEM Euphrates bipertito diuidebat, vt omnes affirmant, & in primis Herodotus. *Eius, inquit, duæ sunt plagæ, quas interfluit fluuius nomine Euphrates, qui magnus, & altus, & celer, ex Armeniis in rubrum mare decurrit. In hunc vterque murus lacertos exporrigit, eiusque incuruæ vtrimque ripæ coctilibus lateribus pro maceria prætexuntur.* Eam maceriam, aut ripæ marginem, Diodorus crepidinem vocat, & quod permirum est, mœnibus latitudine parem fuisse dicit, id est 50. cubitis, vt ait Herodotus, vel 32. vt Curtius & Strabo explicant. Audiamus ipsum Diodorum. *Ab vtroque*, inquit, *fluminis latere crepidinem mœnibus latitudine parem, ad stadia centum magnis sumptibus eduxit.* Sic ipse: At ex sententia Herodoti, etiam

longiorem esse oportuit, saltem 20. stadiis, vt totam vrbem intersecaret: cum singula eius latera 120. stadiis tenderentur: sed memor fuit Diodorus, se non nisi 90. stadia singulis vrbis lateribus attribuisse, quoniam totum ambitum 360. stadiorum fuisse dixit.

XI. *Eique pons impositus.* *Eius longitudo.* VTRAQVE pars ciuitatis ponte iungebatur, qua fluuius angustissimus erat, quinque stadiorum longitudine, vt ait Diodorus, columnis duodenum pedum interstitio, mira in profundum arte iactis. Lapides, vt firmius inter se connecterentur, vncis ferreis distrinxit, & compages plumbo illiquato expleuit: & mox. Pons itaque ille cedrinis & cypressinis trabibus, palmarumque caudicibus, & ramis prægrandibus obtectus, & 30. pedes latus, nulli Semiramidis operum solertia concedebat. Flumen ait Strabo, mediam vrbem perlabitur latitudine stadium occupans. Horti super flumine sunt: vt mirum sit pontem tanto longiorem à Diodoro affirmari.

*Interruptus fuit.* Addit aliquid huic ponti Herod. *Extruxit, inquit, circa mediam ferme vrbem pontem, ex iis quos effoderat lapidibus, ferro eos ac plumbo deuinciens. Hunc sublicis quadratis per quæ Babylonij transirent interdiu committebat, easdem noctu tollebat, hac videlicet causa, ne per noctem transeuntes mutua furta exercerent.*

XII. *Duplex in vrbe regia.* SEQVITVR, quoniam cepimus, vt vtramque ciuitatis regionem adeamus. *In vtriusque ciuitatis plaga medio*, ait Herodotus, *erectus est murus, quorum hic regiam comprehendit, ambitu prægrandi, atque valido. In altero Iouis Beli templum æreis portis, id quod mea etiam nunc ætate existit, duorum vndecumque stadiorum amplitudine, figura quadrata.* Sed de Beli templo mox. Diodorus pro vna regia geminam ponit, alteram ad Orientem trans fluuium, alteram ad Occidentem cis fluuium, qui Meridiem

*Fluuio separatæ.* versus decurrebat. *Regias etiam duas, inquit, ex vtraque pontis regione ad fluuium ædificauit, vnde in totam vrbem prospectum, & quasi claues, ad loca eius opportunissima habitura esset. Cumque mediam Euphrates Babylonem intersecet ad Meridiem festinans, Regiarum alia ad ortum, alia ad occasum vergebat.* Sic ipse: addit etiam, Regiam, quæ ad occa-

*Altera ad occasum.* sum sita erat, triplici muro cinctam fuisse. primum ambitu 60. stadiorum, alterum 40. tertium & intimum, qui arcem cingebat, 30. & in iis turres ad 70. orgyas, siue vlnas in altum erectas stetisse. Turres, & mœnia bestias omnis generis coloribus & figuris ad viuum expressas repræsentasse, eo quod in crudis adhuc lateribus effictæ fuerant, quæ deinde excocta indelebiliter retinebant. Sed in tertio maxime venatio cernebatur, variorum plena animantium, quæ magnitudine 4. cubitos excedebant. Et inter hæc Semiramis conspiciebatur, ex equo Pardalim iaculans, & prope vir eius Ninus, lancea cominus feriens leonem.

XIII. *Ad ortum altera.* DE altera vero regia, quæ ad ortum erat ita paucis. *Hoc palatium*, inquit, nimirum Occidentale de quo hactenus, *tum magnitudine, tum ornatu alteri ex aduersa fluuij ripa longe præcellebat.* Nam extimus illius murus ex cocto latere factus, 30. tantum stadia obtinebat; loco bestiarum arte effictarum, æneæ Nini & Semiramidis, & præfectorumque, & Iouis, qui Belus est Babyloniis, imagines visebantur. Necnon instructæ acies, & venationes multifariæ ad variam spectantium voluptatem propositæ erant. Hæc ibi. Et hæc duo palatia, quæ duarum instar vrbium erant, videtur intellexisse Berosus apud Iosephum, [a] vbi geminam Babylonem à Nabuchodonosore constructam scribit, & vtramque triplici muro cinctam, quæ falso Semiramidi tribuantur. [a Li. contra Apionem.]

XIV. *Cuniculus sub fluuio.* REFERT idem Diodorus cuniculum à Semiramide factum, ex cocto latere atque bitumine, quo ab vno palatio ad alterum traiiciebat, non transito fluuio; quoniam cuniculus is, etsi minimùm quindecim pedes altus, totus Euphratis aquis obruebatur: quod opus vt faceret fluuium ad 260. dies, quibus id opus consummatum est, in lacum illum quem diximus deriuauit, moxque amnem in pristinum alueum reduxit. Hunc cuniculum Philostratus, [b] videtur cum ponte [b Li. 1. vitæ Apoll. c. 18]

*Templum Beli.* confudisse. Quod ad Iouis Beli templum attinet, iam ex Herodoto diximus illud duo vndecunque stadia comprehendisse. Is addit in templi medio constructam fuisse solidam turrim, crassitudine simul & altitudine stadij, cui alia rursus

*Et turris eius, ex Herodoto.* superimposita esset turris, & huic subinde alia, ad octauā vsq. His, ait forinsecus gradus sunt in circuitu adiecti, per quos ad singulas conscenditur turres; in medius gradibus statio, & sedes, in quibus liceat ascensuris sedere, ac conquiescere.

In postrema turri sacellum est aliud, in quo lectus est splendide stratus, & apposita mensa aurea. Statua tamen in hoc sacello nulla est; neque hic noctu cubat hominum aliquis, præter mulierem vnam ex indigenis, quam ex omnibus deus delegerit, vti narrant Chaldæi huius dei sacerdotes. Addit alias his similes impurissimorum, vel dæmonum, vel sacrificulorum imposturas, Thebis in Ægypto, & Pataræ in Lycia.

XV. Ex Diodoro, & S. Hierony.

Diodorus ait totum hoc opus vetustate collapsum fuisse, summæ autem altitudinis extitisse: & huius adiumento Chaldæos syderum illic contemplationi vacantes, ortus & occasus exacte notasse. De hac turri D. Hierony. [a] *Arx*, inquit, *id est Capitolium illius vrbis, est turris, quæ ædificata post diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim de lato in angustias coarctata, vt pondus imminens facilius à latioribus sustentetur. Describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus, auroque fulgentes, & multa alia, quæ pene videantur incredibilia.* Ita Hieronym. qui alludit in primis ad hunc Herodoti locum.

a c. 14. in Esa. v. 22.

*Vsus contemplationis syderũ.*

XVI. *Eius ornamenta aurea. Statua. Mensa. Sella Altaria.*

Porro in Babylone, præter hæc commemorata, aliud est sacellum inferius, quod Iouis magnam habet statuam, eamque auream; pone mensam, & ipsam auream, simul & sustentaculum cum sella, omnia aurea; adeo vt Chaldæi octingentorum talentorum auri opus æstiment. Id est decem auri milionibus, dando 125. libras auri singulis talentis, vt vult Epiphanius, & centenos aureos singulis auri libris. Pergit Herod. Extra templum altare est, & ipsum aureum, atque præter hoc aliud altare ingens, in quo solennes hostiæ immolantur, quandoquidem aureum illud non licet hostiarum sanguine polluere, præterquam lactentium. Et mox. Eratque in hoc templo etiamdum illo tempore statua duodecim cubitorum, è solido auro, quam postea Xerxes Darij Hystaspis filius abstulit, sacrificulo, qui prohibebat statuam loco moueri, interempto.

XVII. *Alia ornamenta turris ex Diodoro. Statua Iouis. Rhea. Iunonis.*

Quæ licet fidem videantur excedere, tamen à Diodoro etiam amplificantur, quæ non pigebit adscribere, ad totum hunc locum concludendum. In summo ascensu, inquit, tres ex auro statuas, malleo ductas, Iouis videlicet, Iunonis, & Rheæ erexit. Iouis imago pedibus insistenti, ac veluti ambulanti similis erat, pedum 40. longitudine, & pondere mille talentorum Babyloniorum. Rheæ effigies eiusdem ponderis in aureo throno residens, leonesque duos ad genua stantes, ac prægrandes iuxta colubros ex argento, triginta talentorum pondo singulos. Illic etiam Iunonis simulachrum octingenta talenta pendens, quod dextra serpentem capite prehensum, sinistra gemmatum sceptrum tenebat.

XVIII. *Mensa, & eius supellex. Carchesia. Thuribula. Crateres.*

Mensa omnibus communis, ex auro malleis elaborata, pedes 40. longa, & 17. lata, quingentorum talentorum pondere, apposita erat; in qua Carchesia duo, (id est cuiusdam poculi genus) talentûm 30. Aderant etiam thuribula numero quidem paria, sed pondere trecentûm talentorum. Crateres insuper aurei tres, quorum Ioui dicatus, talenta Babylonia mille & ducenta pendebat; cæterorum singuli sexcẽta. Verum ista Persarum reges postea sacrilegio abstulerunt: Sacrilegio scilicet parta, sacrilegio periere. Hactenus Diodorus, quæ non admodum videbuntur absurda, si quis æstimet vasa aurea, & argẽtea, quæ ipsemet Nabuch. Hierosol. tam ex templo Domini, quam ex domo regis abstulit, [b] & intulit in templum, & thesauros Dei sui. [c] Omitto pensiles Babylonis hortos, quos supra ex Iosepho referebamus; omitto & obeliscos, & id genus alia, ne diutius in hac excursione lectorem defatigem, de quibus Diod. Strabo, Plin. & alij, vt ad tantæ vrbis expugnationem, à Dario & Cyro factam, aliquando veniamus.

b 4. Reg. 24. 13
c Dan. 1.

XIX. *Occupatæ vrbis ratio.*

Rationem occupatæ vrbis Herodotus tradit, vt superiore anno dicere cœperamus. Abiisse videlicet Cyrum cum infirmiori parte exercitus sui, & lacum illum trecentorum quaquauersum stadiorum ambitu, profunditate autem 35. pedum præparasse, vt scilicet educto limo quamplurimũ fluminis caperet. Quo facto, aperto paludis ostio, admissoq; flumine, alueum eius pristinum vadosum ac permeabilẽ reddidit. Hunc quoq; lacum agnoscit Diod. in quem olim transfusum Euphratem dicit, cum cuniculus ille ædificatus est à Semiramide. At pro eo multas fossas inducit Xenophon à militibus præparatas. Neutrum satis videtur conuenire cum eo, quod scribit Berosus apud Ioseph. [c] Nabuch. videlicet prouidisse ne posthac possent hostes fluuium auertere, & ad vrbem accedere.

c 1. contra Apionem.

XX. *Euphrate reddito vadoso.*

CERTE cum accessisse constet, & quidem aditu per medium Euphratem inuento, necesse est non satis prouisum fuisse à Nabuchodonosore isti periculo: aut Deum, qui hanc ciuitatem euersam volebat, omnem istiusmodi prouisionem irritam reddidisse. Ieremias quoque siccatum fluuium agnoscere, videtur.[a] *Siccitas*, inquit, *super aquas eius erit, & arescent, quia terra sculptilium est.* Et iterum.[b] *Ecce ego dicit Dominus iudicabo causam tuam, & vlciscar vltionem tuam, & desertum faciam mare eius, & siccabo venam eius.* Quæ postrema verba, etsi plerique de immensis diuitiis, & thesauris Chaldæorum interpretentur, priora tamen pleriq; omnes de Euphrate, ad ingressum Cyri vadoso effecto explicant. In quibus Vgo. Lyra. Vatabl. à Castro, Sanctius, eóque referri etiam potest Esaias, *Qui dico profundo Desolare, & flumina tua arefaciam.*[c] vbi Babylonem vocat Abyssum, siue profundum, vt ait Theodoret & Vatablus.

*Ex Ieremia.*

a c. 50. 38. b c. 51. 36. c c. 44. 27.

XXI. *Per eius alueum vrbi inuaditur.*

QVOD vbi factum est, Persæ qui ad hoc ipsum instructi, ac parati erant, vt ait Herodot. per alueum vnde fluuius Euphrates abscesserat, mediorum fere femorum tenus, gnauiter Babylonem introierunt. Quos babylonij, si factum Cyri prius aut audissent, aut sensissent, haud dubie contempto eorum ingressu, pessimo exitio affecissent. Nam obseratis omnibus, quæ ad flumen ferunt ostiolis, conscensisque septis, ipsi pro ripis stantes, illos progressos veluti in cauea excepissent. Sic Herodotus. In quo diuinam prouidentiam Babyloniorum vltricem licet animaduertere. Nec dissimulabo videri Esaiam ad hæc multiplicia ostia[d] allusisse, cũ Dominus de Cyro Babylonis expugnatore. *Ego*, inquit, *aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo.* Hi erant in primis Babylonij, qui, etiam obsessi, obsidentes irridebant; pergit, *Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Quorsum hæc toties iterata portarum mentio? quare malimus in vniuersum dicere, Cyrum multarum vrbium fore victorem, eique portas ære ferróue munitas, apertum iri, quam in particulari existimare, ad eas quoque tam multas portas Euphratis allusum fuisse, quas Herodotus æreas fuisse dixit, quæ ad flumen in eius crepidine ducerent, & vicis Babylonicis, ex vtraque fluminis parte, responderent?

d c. 45.

*Diuina in eo prouidentia.*

XXII. *Cur ex improuiso capti.*

CAVSA autem cur ex improuiso deprehensi sunt, fuit eodem autore Herodoto, quod cum eis is dies festus esset, exercendis choreis, & oblectationibus opera dabatur. Quem diem de industria captatum esse à Cyro scribit Xenophon. *Ac fossæ quidem*, inquit, *iam actæ erant, Cyrus vero cum audisset celebrari Babylone festum quendam eiusmodi diem, quo Babylonij omnes nocte tota potarent, & comessarentur, quamprimum eo die tenebræ accessissent, magna mortalium multitudine adhibita, fossarum ostia versus amnem aperuit hoc cum factum esset, aqua noctu in fossas manabat, & alueus fluuij per vrbem tendens, hominibus permeabilis esse cæpit.* Huius diei festi causam Hebræi commenti sunt, quam refert D. Hierony.

XXIII. *Hebræorũ opinio.*

TRADVNT Hebræi, inquit, huiusmodi fabulam, quod vsque ad septuagesimum annum, quo Ieremias captiuitatem Iudæorum dixerat esse soluendam, irritam putans Dei pollicitationem Balthazar, falsúmque promissum, versus in gaudium fecerit grande conuiuium, insultans quodammodo spei Iudæorum, & vasis templi Dei: sed statim vltio consecuta est. Existimo sane alicui deorum suorum festum diem Babylonios eo die celebrasse; quo pertinet laus deorum super mensam à Daniele memorata. Nec videntur præ fiducia virium suarum, vrbisque munitissimæ, etiam Regibus Medorum atque Persarum vrbem iam pridem obsidentibus, quidquam de solita diei celebritate detrahere, sed potius augere voluisse, vt ex iis patet, quæ supra de obsessorum fiducia, & irrisione Persarum ex Herodoto, ex Xenophõte diximus. Quamquam huic Iudæorũ fabulæ aliquid probabilitatis addunt, allata vasa templi Iudæorum in conuiuium, quæ hactenus in thesauris Beli, & Nabuchodonosoris videntur fuisse conseruata.

XXIV. *Dum aguntur die festo conuiuia.*

QVIDQVID sit hic ille festus, imo infaustus & decretorius est dies, hæc illa conuiuia tota vrbe à rege, ciuibusque celebrata, quorum vnum Danielis quinto refertur, & in quo funestus Regis Balthazaris, & Imperij Babylonici occasus prodigiose repræsentatus, & cum iam iamque immineret, prædictus est. Sed ducentis etiã ante annis ab Esaia[e] qui totam noctis huius faciem, conuiuia, tumultus, cædes, quasi de repente in spiritu sibi repræsentata intuitus, exclamat

e c. 21.

Deso-lat. 70. & vlt.

Balthazaris convivivm et scriptvra.

inter alia. *Emarcuit cor meum, tenebræ obstupefecerunt me, Babylon dilecta mea, posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes*; Hæc ad Balthazarem pertinent; ad Persas autem & Medos. *Surgite*, inquit, *principes, arripite clypeum*. Quo etiam modo eum locum Hierony. interpretatur ibid. & in fi. c. 5. Danielis.

XXV. *Balthasaris conuiuium.*

Balthassar *ergo rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille, & vnusquisque secundum suam bibebat ætatem*, id est sedebant in conuiuio, & epulabatur, eo ordine, quem cuiusque requirebat ætas, siue, vt cæteri interpretes transtulerunt, ait Hieronymus, bibebat ipse rex vinum coram cunctis principibus, quos vocarat, qui scilicet rei bellicæ, vel publicæ præerant, *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberent in eis rex, & optimates eius, vxoresque eius, & concubinæ.* Confestim ad regis imperium allata sunt vasa, & profanæ mensæ adhibita; & inter bibendum hymni in deorum patriorum laudem decantabantur. Vnde recte confirmatur, quod dicebamus, alicuius dei Babyloniorum, siue is Belus, siue alius quispiam fuit, hoc die festum celebratum fuisse. Hoc ex ritu Virgil. [a] conuiuium Euandri personuisse dicit Herculis laudibus. Tyndaridas laudarat in Scopæ conuiuio Simonides, cum ille sordide dimidium eius quod pactus erat daturum se dixit: [b] & Dido impletam mero pateram libauit in mensa, laudans hospitalem Iouem, & lætitiæ datorem Bacchum, & bonam Iunonem. At Dominus zelator honoris sui, & rerum sibi consecratarum, hoc postremo sacrilegio, & profanatione rerum sacrarum, impleri voluit mensuram iniquitatum populi huius.

a l. 8. Æneid.

b l. 2. de orat.

XXVI. *Apparent in pariete digiti.*

Itaqve *in eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ.* Commodum impressa est scriptura in pariete, eo loco, qui ob affixum in aduerso pariete candelabrum, maxime illustris esset; & quidem à regione regis, cuius in primis res agebatur. Nam subdit. *Et rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Verè apparebat manus, sicut & scriptura, quæ ab ea exarabatur; sed non apparebat vera hominis manus, sed quales solent, ab angelis efformari, cum reliquis corporibus, quibus se induunt. Putant aliqui Hebræi fuisse hanc scripturam ab angelo Gabriele factam, & ab eodem prophetæ declaratam, sicut visionem arietis & hirci, vt c. 8. habetur. Est autem rationi consentaneum visam quoque à cæteris conuiuis scripturam, vt Dei iudicium omnibus innotesceret aduersus regem, & eius imperium, neque res perturbatæ Balthazaris phantasiæ tribueretur.

XXVII. *Ingens regis pauor.*

Tvnc *facies regis commutata est*, ex serenitate in pallorem, & aperta pauoris indicia, *& cogitationes eius cõturbabant eum*, tristiũ scilicet rerum præsensione æstuabat, *& compages renum eius soluebantur, & genua ad se inuicem collidebantur*, interno timore tremorem membris omnibus communicante. Signa sunt hæc grauissimi timoris, naturæ quodammodo præsagientis imminentem sibi mortem, quam sæpe bruta ipsa præsentiunt, vt quotidiana docet experientia. Solet enim vis retinendi metu debilitari, eoque intestina laxantur, quo pertinet illud. [c] *Omnes manus dissoluentur, & omnia genua fluent aquis.* Et [d] *Tabescet omne cor, & dissoluentur vniuersæ manus, & infirmabitur omnis spiritus, & per cuncta genua fluent aquæ.* Eoque referenda est renum solutio hoc loco memorata.

c Eze. 17. 7.
d & 21. 7.

XXVIII *Datur opera legendæ scripturæ.*

Videtvr autem operam dedisse Rex quamprimũ vt legeret ipse scripturam, deinde etiam reliqui conuiuæ, idque irrito conatu: statuerat enim Deus vt Daniel euocaretur, vt qui olim contra Nabuchod. sententiam tristem tulerat in salutem, nunc etiam tristiorem ferret in eius nepotem, in perditionem. Exclamauit itaque rex fortiter vt introducerent Magos, Chaldæos, & aruspices, quos vt præmij propositi magnitudine inuitaret ad hoc studium, *Quicunque*, ait, *legerit scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.* Secundum regem videlicet ac reginam, aut si quem tum filium habuit regni successorem. *Tunc ingressi omnes sapientes regis, non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi.* Quo fiebat vt rex atque optimates eius incerto metu, in re tam insolenti, vehementer conturbarentur.

DESOLAT. 70. & vlt

XXIX. *Cur legi nō potuerit.*

BALTHASARIS SCRIPTVRA.

RECTE mirantur plerique, atque inquirunt quod genus literarum, aut quæ forma scribendi hæc esset, quam nemo sapientum Chaldæorum posset agnoscere, quibus non Chaldaica solum lingua, sed Hebræa quoque, cum vtriusque characteribus notissima esset. Verisimile videtur Sanctio, & Maldonato aut diuinitus impeditos Chaldæos, ne scripturam minime obscuram possent legere; aut Hebræorum consuetudine scripta fuisse verba per capita vocabulorum, quæ coniuncta nihil significarent, atque adeo ne legi quidem possent.

XXX. *Regina superuenit conuiuio.*

CONVIVIO superuenit Regina, quam Porphyrius putauit Balthazaris vxorem, Origenes matrem, Iosephus auiam, vt notauit Hieronym. qui reprehendit Porphyrium, quasi stulte putarit vxorem Balthazaris doctiorem in hoc genere fuisse marito. Rationem pro auia dat Theod. quod vxores cum pellicibus conuiuij participes essent, hæc autem recens ingrediatur locum conuiuij, *& verisimile erat eam*, inquit, *vt senio confectam, neque ebrietati, neque lusibus, aut saltationibus cum alijs tunc indulsisse.* Verum auia videretur nimirum ætate prouecta, vxor scilicet Nabuchodonosoris, qui iam à 45. annis mortuus fuerat, & totidem fere ante regnauerat. Sed & Reginæ nomen matri potius, quam auiæ tributum fuit: præsertim si regis mater fuit illa Nitocris Labyniti parens, apud Herodotum, sapientia, & solertia Semiramide superior. Et ita quoque sentiunt Perer. Maldon. Sanctius.

XXXI. *Eius suasu accersitur Daniel.*

REGINA ergo solicita pro re quæ acciderat regi, & optimatib. eius, domum conuiuij ingressa est, alia quippe in aula cum honestis matronis conuiuabatur, nec consuetudinem & conuictum pellicum ferebat, siue vxor erat, siue mater: & Regem monuit vt Danielem, huiusmodi rerum obscurarum scientissimum, & vsu ipso iampridem spectatum, & cognitum, iuberet ad se vocari. Et eum quidem in vrbe tunc fuisse necesse est; ea quippe obsessa, nemini facile patebat accessus, aut discessus. At is mox euocatur ad regem, quem ei minime fuisse familiarem, tam reginæ, quam ipsius regis ostendit oratio: qua petit an ipse sit Daniel, ex eorum captiuorum numero, quos auus è Iudæa traduxerat. Quamquam temulenti hominis, & insuper summo terrore perturbati notitia, atque memoria, valde ad tempus perturbari solent.

XXXII *Quem rex inuitat ad aperiendũ mysterium.*

IGITVR introductus est Daniel coram rege. Ad quem rex ait, audisse se aliquid in ipso esse diuinum, & præ cæteris sapientibus eum afflatum diuinitus, qui nunc introgressi coram se, ne scripturam quidem legere, nedum eam interpretari potuissent. Quod si ipse potuerit. *Purpura vestieris*, inquit, *& torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris.* Hæc postrema verba omnes interpretantur, tertius in regno meo dominaberis, sicut requirunt omnia exemplaria Hebræa, Græca, Latina: vt mirum sit Iosephum dicere Balthazarem pollicitum Danieli se tertiam regni sui partem ei daturum. Calumniatur

*Iosephus arguitur.*

etiam Balthazarem contumeliosa in Deum verba protulisse, cui assensus est Sanctius, cum scriptura tantum dicat eum laudasse deos suos; nisi quis eo trahat illa verba Danielis, [a] *& Deum non glorificasti, aduersus dominatorem cæli eleuatus es*, quod non est βλασφημία. Illud autem ineptum, quod immemor obsidionis Medorum, atque Persarum, à quibus eadem nocte vrbs capta est, & qua durante hanc visionem & conuiuium contigisse, ipsemet paulo ante dixerat, ait Regem præconis voce per totam suam ditionem publicasse, daturum se munera ei, qui scripturam illam exponeret. At nec præconis vlla in textu mentio est, rex enim ipse parum sobrius, parum decore præconis vice functus est; *Exclamauit enim fortiter vt introducerent Magos, Chaldæos, & aruspices.* [b] Nec licuit extra vrbem tunc egredi. Et cum in regia mille essent conuiuæ, satis intelligi potest in eo numero includi sapientes illos diuinorum interpretes, qui maximo in precio erant apud Babylonios, vt necesse non fuerit eos aliunde euocare.

a c.5.v.23.

b c.5.v.7.

XXXIII. *Daniel regem arguit exemplo Nabuchod.*

SED redeamus ad Danielem, qui hac occasione sumpta, regem ad Altissimi cognitionem, & timorem conatur adducere, proposito exemplo admirabili, & domestico aui eius, vt quem secutus erat peccantem, & superbientem, sequeretur pœnitentem. Is ergo respondit regi. *Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da.* Quasi dicat se venalem non habere sapientiam, quam rex prædicabat. Nihilo tamen minus spondet se lecturum, atque interpretaturum quod rogabatur, &

paulo altius petito exordio. *O rex*, inquit, *Deus altissimus regnum, & magnificentiam gloriam, & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo, & propter magnificentiam quam dederat ei vniuersi populi, tribus, & linguæ tremebant, & metuebant eum. Quos volebat interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat. Quando autem eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est: & à filiis hominum eiectus est: sed & cor eius cum bestiis positum est*, adeo vt nihil nisi belluinum cogitaret, aut appeteret, *& cum onagris erat habitatio eius; fœnum quoque vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum est; donec cognosceret quod potestatem haberet altissimus in regno hominum, & quemcumque voluerit suscitabit super illud.*

Tv *quoque filius eius Baltassar non humiliasti cor tuum cum scires hæc omnia*, qui tamen tali ac tanto exemplo ad modestiam proficere debuisti: Quin potius *aduersus Dominatorem cæli eleuatus es*, cuius sacra vasa veritus non es ad profanos vsus conuertere, atque adeo concubinarum ore polluere. *Deos quoque argenteos, & æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt laudasti. Porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas non glorificasti*, quod scilicet fecerat pater eius, de quo legimus. [a] *Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui, quia potestas eius potestas sempiterna.* Et infra. *Nunc igitur ego Nabuchod. laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.*

*XXXIV. Quod Baltasar accommodat.*

*a c. 4. 31.*

Conclvdit Daniel, & interpretatur scripturam in hunc modum. *Idcirco*, inquit, *ab eo missus est articulus manus, qua scripsit hoc quod exaratum est, Mane, Thecel, Phares*, in textu Hebræo, aut Chaldæo potius, Hebraicis scripto literis habetur. *Mene Mene, Thequel, Vpharsin*, id est numerauit, numerauit, vel numerando numerauit, hoc est accurate, & exacte numerauit Deus dies regni tui, eosque compleuit, & ad finem adduxit; quod non solum de regno Balthazaris, sed de toto imperio Chaldæorum, cuius finis in hanc ipsam noctem cadebat accipitur. Eum numerum quidam ad 70. annos referunt: qui scilicet regnum Chaldæorum à regno Nabuchodonosoris ordiuntur; nobis autem, qui illud ab extincto Asaraddone, vltimo Assyriorum principe inchoauimus, hic annus est tertius supra centesimum atque octogesimum.

*XXXV. Interpretatur scripturam.*

Altera vox Thequel, id est appendit, quia *appensus es in statera, & inuentus es minus habens*, id est iniusti ponderis, vt in metaphora perseueretur. Comparat enim regem monetæ leuiori, quæ reiici solet, sicut & ille reiiciendus erat à Deo, vt quondam Saul. Nam Deus in reges maxime intentos habet oculos prouidentiæ ac iudicij sui, quoniam illi alios in terra iudices non habent, & illi nominatim vicariam pro Deo præfecturam in regnis gerunt, ideoque & ab eo diligentius, quasi ad stateram, eorum actiones, merita, & peccata expenduntur, & quod terribilius est, seuerius castigantur. [b] D. Hieronymus videtur hoc *minus* ad diminutionem ætatis referre, quod esset minus victurus, quam eius natura ferret, *vt ante*, inquit, *eum iugularet gladius, quam natura dissolueret.*

*XXXVI. Appensus Balthazar quid.*

*Deus in reges intentus.*

*b Eccli. 7. Sap. 6. 6.*

Tertia pars sententiæ diuini iudicij in Balthazarem, postremo verbo Phares, siue Vpharsin continetur, id est diuisit: & significat regnum eius diuidendum, & dandum Medis, & Persis; vt scilicet pars vna imperij Babylonici Medis cederet, altera Persis, donec breui extincto Dario, & quidem hoc ipso anno, omnia in vnius Cyri potestatem redacta sunt, sub eoque imperium Persarum sumpsit exordium.

Tvnc *iubente rege indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo*, coram mille conuiuis videlicet, & tota familia regis, *quod haberet potestatem tertius in regno suo.* Accepit insigne regium, torquem & purpuram, inquit Hierony. vt Dario, qui erat successurus in regnum fieret notior, & per notitiam honoratior. Nec mirum si Balthazar audiens tristia, soluerit præmium promissum. Aut enim longo post tempore credidit ventura, quæ dixerat; aut dum Dei prophetam honorat, sperat se veniam consecuturum. Sic Hierony. A principio vt notauit Maldon. recusauit munera, ne eorum causa scripturam interpretari videretur: nunc facta interpretatione, & sublata suspi-

*XXXVII. Daniel honoratur à rege.*

*Cur accepit munera.*

cione ambitionis & lucri, regis beneficentia vsus est, non tam sua, quam populi sui causa, quem eo magis protegere poterat, quo apud eius dominos maiore in pretio esset atque honore: vtque Dei per eum prolata sententia, ad ipsius gloriam illustrior esset, atque testatior. Non enim dubitandum videtur quin his auditis, Darij in Danielem beneuolentia, & reuerentia conciliata sit; & Cyri in totam Hebræorum gentem indulgentia.

XXXVIII. *Occupatur Babylon.* EADEM *nocte interfectus est Balthazar Rex Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos.* Hæc est totius fabulæ catastrophe vno verbo comprehensa, sed ea paulo latius explicanda est, ex scriptoribus sacris, atque profanis.

*Ex Herodoto.* *Ex inopinato*, ait Herodotus, *iis Persæ astiterunt, & cum capti essent qui media vrbis incolebant, Babylonij, propter eius tamen magnitudinem non sentiebatur, vt fertur, ab iis qui circa extrema habitabant, sed forte quoniam dies festus eis erat, exercendis choreis, atque oblectationibus opera dabatur, donec plane rem animaduerterunt. Atque ita primum capta est Babylon*, Sic Herod. Xenophon autem ait Cyrum explorato ab equitibus, & peditibus vado, vsum ductoribus Gobrya, & Gadata principibus viris, qui ab Assyriis, siue Chaldæis ad Cyrum defecerant, ingentibus ab eis affecti iniuriis. *Itaque pergebant*, inquit, *& si qui eis obuiam venirent, partim cæsi peribant, partim retro fugiebant, partim clamorem edebant.* Id videtur prædixisse Esaias, [a] agens de hac ipsa clade. *Omnis*, inquit, *qui inuentus fuerit occidetur, & omnis qui superuenerit, cadet in gladio.* [a c. 13. 15.]

*Et Xenophonte.*

XXXIX. *Hostis regiam adit.* CVM his & Gobryæ milites clamores edebant eosdem, velut ipsi quoque comessationum socij: simul pergentes, quà celerrime progredi poterant, ad regiam perueniunt. Videntur hæc à Ieremia adumbrata. [b] *Vox eorum quasi mare sonabit, & super equos ascendent, sicut vir paratus ad prælium, contra te filia Babylon. Audiuit Rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus eius, angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem.* Etsi enim hæc de hostium aduentu dicta sunt; tanto tamen veriora sunt de ipsa inuasione vrbis, atque ipsius regiæ, de qua ita Xenophon. *Et ij quidem qui Gobrya, Gadatæque adiuncti erant, portas regiæ clausas inueniunt: qui vero aduersus regiæ custodes ire iussi fuerant, irruunt in eos, ad luculentum ignem potantes, statimque cum eis hostili more agunt.* [b c. 50. 42.]

*Et ad eum tumultum.*

XL. *Regis turbatio, ex Xenophonte, & Ieremia.* ORTO *autem clamore ac strepitu, cum ij qui erant intus tumultum sentirent, & inspici rex iuberet quid illud esset rei, apertis aliqui portis foras procurrunt.* Sed alij etiam nuntij sponte ad regem crebrique conuolant, quorum turbationem eleganter expressit Ierem. [c] *Currens obuiam currenti veniet, & nuncius obuiam nuncianti, vt annunciet Regi Babylonis, quia capta est ciuitas eius, à summo vsque ad summum*, addit etiam modum, subdit enim, *& vada præoccupata sunt, & paludes incensæ sunt*, id est arundines, & carecta palustria, quæ impediebant ingressum, *& viri bellatores conturbati sunt*, ita sentit Vatabl. à Castro, Sà, alij: quos immerito quidam dicunt de suo diuinare, quasi ægre ferentes diuinam scripturam humanæ cōsentire. Pergit Xenophon. [c 51. 31.]

XLI. *Pugna apud regē, & cædes ex Xenophonte.* EAS *portas enim cum patefactas Gadatæi conspicerent, irruunt, & illos rursus fugientes intro secuti, ac ferientes ad regem accedunt, eumque iam erectum cum acinace, quem strictum tenebat, inueniunt. Hunc Gadatæi & Gobriani numero plures opprimunt, interfectis etiam iis, qui regi aderant, ac partim aliquid obijciebant, partim fugiebant, partim se quacumque re poterant tuebantur.* Sic Xenophon, probabilitatem secutus, & ex parte veritatem assecutus de morte Balthazaris: potius quam ille Iosephi Berosus, qui ait Nabonidum, sic enim Balthazarem vocat, Cyro Asiæ victore, & in Babylonem impetum facienti occurrisse, & pugna congressum victum, & cum paucis fugatum, inclusum fuisse in Borsippensium ciuitate; quo cum venisset Cyrus eum expugnaturus, Nabonidus oppugnationem non expectarit, sed Cyro supplex factus, eius clementiam expertus sit, & ad Carmaniam habitandam missus.

*Et Beroso.*

XLII. *Refutatur Berosus, ex Scriptura.* VERVM hæc, quantumcumque Berosi, aut Iosephi sint, & ab Eusebio, [d] referantur, falsa esse constat, & scripturæ aduersari: licet ibid. Iosephus fidenter subdiderit, Berosi scripta cum sacris in hac historia conuenire. Qui enim fieri id potest, cum ille mortuum velit naturali morte, ista violenta cæde peremptum? ille Borsippi mortuum, ista Babylone, ille amandatum in Carmaniam à Cyro [d l. 9. præpar. c. vlt.]

clementia vso, quam neque scriptura, neque Xenophon, qui eum etiam supra veritatem laudibus celebrat, agnouit. Verum, vt recte notauit Perer. [a] in ea verba: *Eadem nocte interfectus est Balthasar*, quæ Herodotus & Iustinus de Cyro, erga auum suum Astyagem dixerunt, eadem ille erga inimicum facta confinxit. Dixi Xenophōtem ex parte tantum veritatem de cæde Balthazaris assecutum. Nam Ieremias videtur significare somno vinoque sepultos fuisse occisos, cum ait. [b] *Et inebriabo principes eius, & sapientes eius, & duces eius & magistratus eius*, illos scilicet mille conuiuas, *& fortes eius, & dormient somnum sempiternum, & non expergiscentur; ait Rex Dominus exercituum nomen eius.* Nec obscurius paulo superius. [c] *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant dicit Dominus.* Dum scilicet vino in conuiuiis suis incaluerint permittam, vt in compotationibus inebrientur, & ita iugulentur, & sic eum locum interpretatur à Castro, Vatabl. Sà, & Hebræi apud Maldon.

a l.6.q.1.
b c.51.57.
c v.39.

*Occisi dormientes.*

XLIII. *Cyrus in occupata vrbe moderatio.*

VERVM redeamus paululum ad Xenophontem: nam de hac expugnatione plura non habet Herod. Cyrus, inquit, cohortes equitum per vicos passim dimittebat, edicens vt si quos extra domos inuenirent, occiderent; at illis qui adhuc in ædibus essent per Syriacæ linguæ peritos denunciari præconio iussit, vt intus manerent, quod si quis foris deprehēderetur, eum morte mulctandum; & paulo post. Postquam illuxisset, ac sensissent illi qui arces tenebant tum vrbem esse captam, tum regem occisum, arces etiam tradunt: Cyrus eas statim occupat, & præsidiorum magistros, cum præsidiariis in illas immittit. Mortuos sepeliendi potestatem propinquis facit, & præcones proclamare iubet, vt omnes Babylonij arma deferrent. In quacumque vero domo arma deprehenderentur, in ea denunciabant omnibus esse moriendum. Inducit vtique Cyrum Xenophon vbique prudentiæ, & clementiæ, moderationisque laude præstantem: sed vereor vt hæc moderatio satis consentanea sit prophetarum de hac clade oraculis.

XLIV *Num consentanea prophetarum vaticinijs.*

d c.13.16. NAM Esaias [d] testatur indignissimis cædibus in omnes, etiam paruulos, atque innocentes sæuitum iri. *Infantes eorum*, inquit, *allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur.* Et Dauid tanto ante. [e] *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis: beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Et rursum Esaias. [f] *Preciosior erit vir auro, & homo mundo obrizo*: quo significantur militē in hac expugnatione nulli Babylonio parciturum, quantauis auro oblato, & monilibus quantumcumque preciosis; Subdit enim aperte aliquanto post. [g] *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis paruulos interficient, & lactantibus vteris non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum.* Multa in eandem sententiam leges in eodem propheta, toto capite decimo tertio, & decimo quarto.

e Pl. 136.8.
f c.13.12.
g 13.17.

*Isaia.* *Dauidis.*

XLV. *Ieremia.*

h c.50.42. EADEM sensit, dixitque Ieremias. [h] *Arcum, & scutum apprehendent, crudeles sunt, & immisericordes, vox eorum quasi mare sonabit*, &c. Quæ verba hic de Persis & Medis dicuntur aduersum Babylonios, c. autem 6.23. de Babyloniis dicuntur contra Iudæos. Et paulo ante. [i] *Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes eius. Gladius ad diuinos eius, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius qui timebunt. Gladius ad equos eius, & ad currus eius, & ad omne vulgus quod est in medio eius*, &c. Et iterum. [k] *Collidis tu mihi vasa belli*, id est iuxta Hebræum, Assumpsi te, ô Babylon, pro malleo collisore gentium; quando scilicet debellauit eas, & imperium Babylonicum suscitauit. *Et ego collidam in te gentes, & disperdam in te regna*, quæ scilicet imperio tuo subiacent, & in te confluxerunt sicut in mare flumina, aut quæ concurrerint ad defensionem tui, *& collidam in te equum & equitem eius, currum & ascensorem eius*, neque id tantum. *Et collidam in te virum, & mulierem, & collidam in te senem & puerum, & collidam in te iuuenem & virginem, & collidam in te pastorem & gregem eius, & collidam in te agricolam & iugales eius, & collidam in te duces & magistratus. Et reddam Babyloni, & cunctis habitationibus Chaldææ omne malum suum*, eis pœna talionis debitum, *quod fecerunt in Sion in oculis vestris, ait Dominus.*

i c.50.35.
k c.51.20.

XLVI. *Depradatio Babylonis ex Xenophonte.*

POSTQVAM cessatum est à cædibus, versus est exercitus ad prædam, quam Xenophon quasi Cyri ipsius manu distributam significat, vt optima quæque præstantissimis tribuerentur, vt dudum ipse decreuerat. Verum hic historicus non

*Esaia.* *Et Ieremia.*

tam quæ gesta sunt, quã quæ optanda essent significat. At Dominus per Esaiam prædixerat, [a] se velle quasi scopis ad manum adhibitis euerrere, quæcunque innumeris rapinis Babylon tot annis collegerat, & per Ieremiam. [b] *Et erit Chaldæa in prædam, omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus.* Et, [c] *Gladius ad thesauros eius, qui diripientur.* Et, [d] *Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ eius, adhuc modicum & veniet tempus messionis eius. Comedit me, ait habitatio Sion, deuorauit me Nabuchod. reddidit me quasi vas inane, absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea.* Et paulo post, *Propterea hæc dicit Dominus, ego iudicabo causam tuam, & vlciscar vltionem tuam, & desertum faciam mare eius, & siccabo venam eius.* Quæ verba, vt supra dixi, plerique de immensis Babyloniorum thesauris iam constructis, & tributis per totum corpus imperij eius, vt sanguine per venas, decurrentibus merito interpretantur.

a c.14. 23. b 50. 10. c v.37. d c.51. 33.

XLVII. *Prouincia Babylonica potentia.*

De quibus, vt æstimari possint, hanc addo ex Herodoto coniecturam. *Cuius ciuitatis,* inquit, *quanta sit potentia, cum ex aliis multis pandam, tum vero ex hoc, quod cum Regi Magno, omnis plaga cui imperat sit distributa in ipsius, atque exercitus eius alimentum præter tributa; ex duodecim quibus annus constat mensibus, quatuor regio Babylonica, octo reliquis omnis Asia eum alit. Ita huius regionis potentia tertiam Asiæ partem æquiparat.* Eáque Satrapia Tritæchmæ Artabazi filio, qui pro rege tributum hoc exigebat, singulis diebus singulæ argenti plenæ Artabæ penderentur: quæ mensura apud Ægyptios tres modios cum triente capiebat, apud Persas medimnum Atticum cum quadrante, id est sex modios. [e] Porro etiam templa expilata fuisse à Persis iam ante ex Diodoro retulimus, cui addimus Ieremiam; [f] *Et visitabo super Bel in Babylone, & eijciam quod absorbuerat de ore eius,* donaria scilicet preciosa, & vasa aurea, atque argentea.

*Templa expilata.*

e Vide Villalp. t. 3. p. 2. l. 3. c. 4. & 13. f 51. 44.

XLVIII. *Fuga incolarum.*

Hæc dum fierent, multos fuga dilapsos, ex Esaia, atque Ieremia satis constat, qui eam non solum prædicunt, sed etiam suadent. Nam Esaias. *Et erit,* habitator scilicet, aut miles præsidiarius, *quasi damula fugiens,* siue caprea agitata, aut ouis quam nemo colligit, & quo se vertat ignara est. *Vnusquisque ad populum suum conuertetur, & vnusquisque ad terram suam fugiet.* Cui consonat Ierem. [g] *Vox fugientium, & eorum qui euaserunt de terra Babylonis, vt annuncient in Sion vltionem Domini Dei nostri, vltionem templi eius.* Hoc vtique de Iudæis fugitiuis intelligitur, qui fortasse desperantes solutionem captiuitatis, & in lucro ponentes saluare saltem animam suam, Iudæam versus arripiebant iter, sicut alij suam quisque patriam, quasi fugæ terminum intuebantur. Quod videtur Dominus in Iudæis, quos peculiari suæ prouidentiæ reseruabat, non probasse Ideoque subdit vt duces exercitus victores accersant iaculatores plurimos sagittandi peritos, vt consistant per gyrum Babylonis, vt nullus euadat. Et tamen Iudæos, qui fugerunt hortatur ad progrediendum, memores templi Domini. *Qui fugistis,* inquit, [h] *gladium, venite, nolite stare, recordamini procul Domini; & Ierusalem ascendat super cor vestrum,* vt scilicet eam cum templo suo, quam primum licebit, restauretis in patria vestra.

c. 13. 14. g 50. 28. *Et nominatim Iudæorum.* h c. 51. 50.

XLIX. *Seruitus captiuorũ.*

In prædam porro non res tantum, sed personæ etiam venerunt; sic vt non solum Babylonij, qui recens addicti fuerunt seruituti, sed alij quoque quos ex variis gentibus eductos Chaldæi pridem seruos fecerant, nunc quoque seruire coacti fuerint; & victoribus Persis & Medis, non propterea libertatem consecuti sint, sed heros, ac dominos communicarint. Quo videtur pertinere illud Xenophontis. *Edixit etiam Babyloniis agros esse colendos, & tributum pendendum, & iis obsequia præstanda, quibus singuli traditi essent. Persas vero, & Persarum socios, quotquot apud eum remanere vellent, iussit tanquam dominos cum iis loqui, quos sibi traditos accepissent.* Sic ipse.

L. *Danielis captiuitas. Dario à Cyro datur.*

Cum autem in captiuis Daniel vel maxime emineret, quippe qui paulo ante indutus fuerat purpura, & torque ornatus aureo, & tertius in regno Babylonico declaratus; Cyrus, qui Darium Medum passus est Balthazari succedere, & socerum veneratus, & senem, quique nihilominus intelligebat etiam eo viuo se non minus omnia in potestate habiturum, tanto etiam magis passus est captiuos in eius esse iure, atque arbitrio. Ille autem placuit Dario vsque adeo, vt pari eum potestate apud se esse voluerit, quam Balthasar ei vltro ante detulerat, vt [i] aliquanto post planum fiet. Dedit operam Dominus, vt quemadmodum olim iussu Nabuch. Nabuzardan princeps militiæ eius, posuit super Ieremiam oculos

i Dan. c. 6.

a Ierem 39. 11 & 40.4.

suos, eumque multa beneuolentia prosecutus est.[a] Sic & Daniel, qui inuenerat gratiam in oculis regum Chaldæorum, Persis quoque, & Medis charus fieret: de quo priusquam agamus, ad hunc enim etiam annum pertinet illius capitis historia, quæ reliqua sunt de clade Babylonica exequamur.

LI. *Euersio murorum Babylonis quando contigerit.*

Ea tria sunt, euersio murorum, irrisio, & desolatio Babylonis: quæ sine dubio contigisse necesse est, cum tam perspicue à prophetis enuncientur; sed non necesse est hoc tẽpore omnia cõtigisse, cum post decem & octo, vt arbitror annos, Babylonem iterum rebellasse, & deuictam fuisse, euersámq; constet. Nam hoc tempore id contigisse, neque Herodotus, neque Xenophon, aliíue tradiderunt; sed eam potius victorem in potestate habuisse, & pro arbitrio vrbis composuisse negotia, antequam aliò proficisceretur. Imo Herodotus in fi. l. 3. vbi de secunda Babylonis expugnatione agit, ait Darium Hystaspis tum Persarum regem, capta opera Zopyri Babylone, muros eius circumquaq; deiecisse, & portas omnes amolitum esse; *quorum neutrum*, inquit, *Cyrus fecerat prius eidem à se capta.* De euersione murorum quibus maxime gloriabatur Babylon, loquitur Ierem.[b] *Non confluent ad eam*, Babylonem, *vltra gentes, siquidem & murus Babylonis corruet*, & infra.[c] *Hæc dicit Dominus exercituum, murus Babylonis ille latissimus suffossione suffodietur, & portæ eius excelsæ igni comburentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperibunt.* Multos enim habuerunt Babylonij opifices, & seruos ex omnibus gentibus, quos istis operibus lateris & luti, vt quondam Ægyptij, addicebant.[d]

b 51. 44.
c v. 58.
d c. 50. 15.

LII. *De eadem euersione.*

Clamate *aduersus eam, vbique dedit manum*, omnibus scilicet in locis victam se confessa est. Nam arces quamprimum dediderũt præfecti earum, & regia occupata est, & à principio ipsi muri & crepido eorum, vt dixit Xenophon. *Ceciderunt fundamenta eius, destructi sunt muri eius, quoniam vltio Domini est, vltionem accipite de ea, sicut fecit facite ei.* Atqui certum est muros Ierusalem in circuitu destructos fuisse ab exercitu Chaldæorum. Potest tamen hæc pœnæ retributio vniuersè accipi, nec singulariter ad singula applicari. Hos enim muros crebro reparatos fuisse ait D. Hier.[f] *Exceptis*, inquit, *muris coctilibus, qui propter bestias concludendas, post annos plurimos instaurantur, omne in medio spatium solitudo est.* Et in fi. c. 13. *Didicimus à quodam fratre Elamita, qui de illis finibus egrediens, nunc Hierosolymis vitam exigit monachorum, venationes regis esse in Babylone, & omnis generis bestias murorum eius tantum ambitu coerceri.* Et Pausanias. *Babylon*, inquit, *omnium quas vnquam sol aspexit vrbium maxima, iam nihil præter muros reliqui habet.*[g]

e Vt dicitur 4. Reg. 25. 10.
f in c. 14. in Esa.
*Crebro reparatos fuisse.*
g l 8 p. 264. græ.

LIII. *Insultatur Babylonis à prophetis.*

Repræsentant etiam prophetæ Iudæorum, aliorumque populorum irrisiones, quibus Babyloniis oppressis insultatum est. Esa. 14. 3. *Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concussione tua, & à seruitute dura qua ante seruisti, sumes parabolam istam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cedentem populos in indignatione plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est, & exultauit*, &c. Ieremias autem.[h] *Quomodo confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ? Quomodo versa est in desertum Babylon in gentibus? Illaqueaui te, & capta es Babylon, & nesciebas*: te ad tantam redactum iri calamitatem: *inuenta es, & apprehensa, quoniam Dominum prouocasti.* Et iterum.[i] *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes, & ideo commota sunt. Subito cecidit Babylon, & contrita est, vlulate super eam, tollite resinam ad dolorem eius, si forte sanetur. Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam*, &c.

h c. 50. 23.
i c. 51. 87.

LIV. *Babylonis solitudo. Ex Isaia.*

Reliqva est sæpius prædicta, atque iterata à prophetis Babylonis solitudo. Nam Esaias.[k] *Et erit*, inquit, *Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem, & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi. Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Sirenes in delubris voluptatis. Per quæ omnia*, inquit Hieronym. *Vastitatis ac solitudinis signa monstrantur, quod tanta sit depopulatio vrbis quondam potentissimæ, vt præ multitudine dæmonum, ac bestiarum, nullus in eam audeat pastorum, id est deserti appetitor intrare.* Et paulo ante ait pro Babylone Seleuciam, & Ctesiphontem

k 13. 19.

inclytas Persarum vrbes fuisse excitatas, quod ex Plinio videtur esse mutuatus, qui [a] ait Babylonem cætera in solitudinem rediisse, exhaustam vicinitate Seleuciæ, ob id conditæ à Nicatore intra nonagesimum lapidem, aut vt alij legunt quadragesimum. His similia, habet idem propheta. [b]

a l.6 c.26. b c.14.23.

LV. *Eadem solitudo ex Ieremia.*

MVLTVS etiam est in hoc genere Ieremias. Nam.[c] *Cum impleti fuerint ait 70. anni visitabo super regem Babylonis, & super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum, & super terram Chaldæorum, & ponam illam in solitudines sempiternas.* Et rursum. [d] *Confusa est mater vestra,* Babylon, *nimis, & adæquata pulueri, quæ genuit vos: ecce nouissima erit in gentibus, deserta, inuia, & arens. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem, omnis qui transiit per Babylonem stupebit, & sibilabit super vniuersis plagis eius:* & infra non dissimilia vaticinatur iis, quæ Esaias tanto ante prædixerat, [e] de similitudine Sodomę, & Gomorrhæ, de habitaculis draconum, & struthionum: quo sine dubio allusit Ioannes in Apocalypsi. [f] *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ.* Eodem pertinent illa. [g] *Erit Babylon in tumulos,* ex congestis videlicet parietinis testacei montes, atque lateritij, *habitatio draconum, stupor, & sibilus, eò quod non sit habitator.* [h] Denique non de solius Babylonis, sed aliarum quoque, quæ iuris eius erant solitudine, *Factæ sunt,* inquit, *ciuitates eius in stuporem, terra inhabitabilis, & deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis.*

c c.25.12. d c.50.12. v. 30. e c.13.19. f c. 18 2. g c.51 29 & 37. h v.43.

LVI. *Et scriptoribus exoticis.*

VERVM hæc & similia sine vlla dubitatione impleta esse credendum est, & iam ab hac ipsa clade, multum cœpit gloriosa illa Babylon deflorescere, cum domina gentium facta est sub tributo, vt ait Xenophon. Quod autem ex D. Hierony. & Plinio ante attigimus, clarius aperit Strabo l. 16. init. vbi agens de quadam Pyramide Babylonica, quam voluit restaurare Alexander, sed morte præuentus voti compos fieri non potuit. *Posteriorum,* inquit, *nemo curauit; quin etiam reliqua neglecta sunt, & vrbis partem Persæ diruerunt, partem tempus consumpsit, & Macedonum negligentia. Præsertim postquam Seleucus Nicator Seleuciam ad Tygrim condidit, stadiis tantum trecentis à Babylone dissitam. Nam & ille, & posteri omnes huic vrbi maximopere studuerunt, & regiam eò transtulerunt;* & nunc Babylone hæc maior est, illa magna ex parte deserta, vt intrepide de ea vsurpari possit, quod de Megalopoli Arcadiæ magna vrbe quondam dixit Comicus Est magna solitudo nũc Megalopolis. Hactenus Strabo, de qua, aliisque præclarissimis vrbibus inter ruinas & rudera iacentibus, vt Mycenis, Babylone, Nino, Thebis vtrisque &c. consule Pausaniam in Arcadicis. [i]

i l 8 p.264. græ.

LVII. *Epilogus Babylonicæ cladis.*

SIC ergo euersum est imperium Chaldæorũ, & ad Persas, ac Medos ita translatum est, vt licet non statim euersa ac solo æquata fuerit ciuitas, ipsum tamen imperij ius Chaldæis perditum fuerit, & pro dominis omnium, Medorum, ac Persarum serui ac clientes facti sint.

*Cur Cyro potius, quã Dario Medo tribuatur. Ex Hieron.*

At quid est, inquies causæ cur cum Babylonici imperij euersorem omnes profani Cyrum agnoscant, Darij vix meminerint; Scriptura contra in hoc facinore vnum Darium Medum celebret, Cyrum pene prætereat? Nimirum libet audire hoc quoque loco Hierony.[k] *Quod autem,* inquit, *vincente Cyro rege Persarum, & Dario rege Medorum, solus Darius successisse in regno scribitur, ordo ætatis, & propinquitatis, & regni est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat, & maius regnum Medorum, quam Persarum legimus, & auunculus qui prior erat iure natura, successor regni debuit numerari.* Sic D. Hierony.

k Super c. 5 Dan. sub fi.

LVIII. *Et profana historia.*

PROFANI autem scriptores partim hunc Darium Medum Astyagis filium non agnouerũt, vt qui Astyagi solam Mandanem Cyri matrem dederint; quem tamen Iosephus disertis verbis Astyagis filium vocat, alio apud Græcos nomine vocatum: [l] partim breue tempus imperij eius neglexerunt; præsertim cum Cyrum reipsa rerum potitum scirent ex potestate, Darium autem ex generi indulgentia. At scriptura, quæ res non vulgares sub eo contigisse norat, & narratura erat, eius regni ita meminit, vt solum Babylonici imperij scribat hæredem, & centum viginti prouinciarum eius, vt c. 6. Danielis scriptum est, ad quod nos, & rerum, & temporis ipsius ordo deduxit.

l l. 10 c.12.

LIX. *Daniel adit Medos, cum Dario.*

DARIVS ergo, vt scribit Iosephus, *Danielem prophetam assumptum secum duxit in Mediam, eumque in maximo honore apud se habuit. Erat enim vnus è tribus summis satrapis,*

l 10.c.12.

*qui sub se habebant alios trecentos sexaginta satrapas, tot enim à Dario primum instituti sunt.* Verum apertæ fraudis Iosephum arguit scriptura, quæ triplo pauciores satrapas memorat. Sic enim ait, *Placuit Dario, & constituit super regnum satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo, & super eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, vt satrapæ illis redderent rationem, & rex non sustineret molestiam. Nec ambiguum est*, inquit Hieron. explicans causam honoris huius ac beneuolentiæ, *audisse Darium signum atque portentum quod Balthazari acciderat, & interpretationem quam Daniel exposuerat, & quo modo Medorum regnum, Persarumque prædixerat: ideoque eodem honore affectum à Dario ad quem à Balthazare prouectum acceperat.* Iosephi erratum. Et praficit 40. satrapis.

Nec eo contentus Darius, quia videbat Danielem longo interuallo superantem omnes principes, & satrapas, propter abundantiam diuini spiritus, quo plenus erat propheta, cæteri autẽ inanissimi. Ideo *cogitabat constituere eum super omne regnum*, vt ipse vnus proximus esset à rege, vt quondam in Ægypto Iosephus, & proregem ageret pro triumuiro; vnde inuidia exarsit. *Nam principes, & satrapæ quærebant occasionem vt inuenirent Danieli ex latere Regis.* Ita legit etiam D. Hieron. in comm. & refert Hebræos latus regis, Reginam, vel concubinas eius interpretari, dicentes, Medos calumniam de re vxoria Danieli struere voluisse, nec valuisse, quod is esset eunuchus. *At hoc illi dixerint*, ait D. Hierony. *qui propter occasionem vnius verbi longas solent fabulas texere.* Et nos alibi ex Epiphan. & Dorotheo diximus eum non eunuchum fuisse, sed vehementer castum, vt propterea à salacibus Iudæis spado diceretur. Nec apparet tot iam reges virum hoc defectu exprobabilem, & contemptibilem, ad summos honores excitare voluisse. LX. Inuidia collegarum.

Pagninvs vertit *ex parte regni*, & probat Vatab. & Tigurina explicat, in regiis negotiis, quod probat etiam Sa, imo & D. Hierony. Omni sibi studio enitẽdum putant, ait Sanctius, vt omnino à regio latere, & beneuolentia cadat. Nihil tamen inuenerunt aut in vitæ modo, aut in regni administratione verisimile, quo aut à regis gratia & latere, aut à regni administratione depellerent. Quæ est Comestoris, Lyrani, Dionysij, Hugonis expositio: Iosephus. *Itaque*, inquit, *cum tam charus, & honoratus apud regem esset, vt qui ei tanquam diuino libenter de quouis negotio consulenti pareret, non effugit cæterorum inuidiam, quemadmodũ fieri solet inter eos, qui aliquem sibi à rege præferri non patiuntur æquo animo. Cumq; æmuli occasionem calumniæ contra eum quærerent, nullam vnquam eis præbuit. Cum enim contemptor esset pecuniarum, & omnium munerum, turpe sibi ducens etiam pro beneficio licitam gratiam recipere, nullam accusandi ansam inuenire poterant: nec tamen destiterunt quærere quomodo honore deiectum è medio tollerent.* Sic Iosephus. LXI. Offensionẽ ei apud regem quærunt.

Egregia plane laus in primario magistratu, tam varia grauiaque administrante negotia, tanta cum innocentia cuncta gessisse, vt inuidi ipsi neq; culpam in eo, neque suspicionem culpæ reperire potuerint. *Dixerunt ergo viri illi*, ait Daniel. *Non inueniemus Danieli huic occasionem aliquam, nisi forte in lege Dei sui. Tunc principes, & satrapæ surripuerunt regi*, id est per fraudem, & surreptionem obtinuerunt à Rege, quod desiderabant. Chaldaica vox harguisu הרגשו tumultum & fremitum sonat, qualis est seditiosæ & concitatæ turbæ, quo modo accipitur à Dauide initio psalmi secundi, vt notat Sanctius, vt hic armatæ preces intelligendæ videantur, vt sequens quorum narratio postulat. Exigunt ergo vt fiat edictum ne intra 30. dies quisquam ab vllo vel Deo, vel homine quippiam petat præterquam à Rege, pœna proposita vt si quis contra fecerit leonibus obiiciatur deuorandus. *Nunc itaque Rex confirma sententiam; & scribe decretum, vt non immutetur quod statutum est à Medis ac Persis, nec præuaricari cuiquam liceat.* LXII. Danielis integritas, atque innocentia. Extorquẽt decretum Satrapæ.

Mirvm est regem Darium in legem tam iniustam, tam inutilem, tam difficilem consensisse. Nihil ergo æger à medico, nihil à patre filius, nihil miser à locuplete petere poterat, præterquam à rege, qui nec vbique erat, neque omnia poterat. Iniquam legem, quę homini diuinitatis opinionem conciliabat, & supplicũ preces à Deo auertebat, quæ Domini apud famulos, principis apud subditos, mariti apud vxorem, patris apud filios iura, atque autoritatem tãdiu suspensam tenebat: cum vir alioqui bonus esse videretur. Sed partim deceptus fuit, existimans id ad gloriam regiæ maiestatis in primis pertinere, quam solent reges vehementer ambire, præsertim si quoquo modo ea dubia esse videatur, neque præ- LXIII. Unde ea regis facilitas.

uidit quantum inde damni posset emergere: partim etiam tim ore ab æquitate deflexit; vnde intelligitur non magnam fuisse Darij apud suos au thoritatem; ex quo etiam confirmatur, quod sæpius diximus, nomen apud eum regni potius, quam potestatem resedisse. Coniunctim quoque Medorum atque Persarum fit mentio, vt duorum regum atque regnorum vna potestas censeatur; quod D. etiam Hierony annotauit.

LXIV. *Daniel tribus temporibus orat.*

Rex ergo Darius proposuit edictum, & statuit quale prædictum est. *Quod cum Daniel comperisset, id est constitutam legem, ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueuerat.* Hæc tria tempora, ait D Hieronymus fuisse tertiam, sextam, & nonam horam, Hebræis orationi peculiariter destinatas, quod à Tertulliano discere potuit. [a] Porro, inquit, cum in eodem commentario Lucæ & tertia hora orationis demonstretur, sub qua spiritu sancto initiati pro ebriis habebantur; & sexta qua Petrus ascendit in superiora; & nona qua templum sunt ingressi, cur non intelligamus, salua plane indifferentia, semper, & vbique, & omni tempore orãdum? Tamen tres istas horas vt insigniores, in rebus humanis quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant, ita & solenniores fuisse in orationibus diuinis. Quod etiam suadet Danielis quoque argumentum ter die orantis, vtique per aliquarum horarum exceptionem, &c. Additque Petrum ex veteri vsu nonam ad orandum obseruasse.

*ex Tertul.* — *a Contra Psychicos c. 10.*

LXV. *Non in legis contemptum.*

Non est autem quod existimemus Danielem in contemptum regiæ potestatis, atque legis, ita se gessisse, sed sancta libertate vsum, nihil de pristina orandi consuetudine, ac modo remisisse. Itaque sicut versus Ierusalem orationis causa apertis fenestris hactenus orauerat, ita hoc quoque tempore orare perrexit, vt notauit Maldon. *Viri ergo illi curiosius inquirentes, inuenerunt Danielem, orantem & obsecrantem Deum suum, & accedentes locuti sunt regi super edicto,* violato, imo & contempto. Nam *Daniel,* inquiunt, *de filiis captiuitatis Iuda non curauit de lege tua, & de edicto quod constituisti, sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.* Hic animaduertit Rex temerariam fuisse legem suam, & per eam induisse se laqueos ab inuidis præparatos, vt subditum fidelissimum atque amantissimum, sua ipse sententia, morte crudelissima perdere cogeretur.

LXVI. *Accusatur contempta legis, & regis.*

Ergo illi culpam exaggerant, quod ab homine captiuo, & seruilis conditionis commissa esset; quod contra tantum regem, & tot imperiorum Dominũ, quod per contemptum, vt qui sese spectandum præberet in ipsa legis violatione; quod denique sæpius, tribus scilicet temporibus per diem. Quibus sane videntur fauere ij, qui volunt Danielem contemptu edicti ita orasse: In quibus Iosephus. *Daniel vero,* inquit, *nihil hac curabat, sed more solito stans in conspectu omniũ, adorabat Deum suum, & deprecabatur;* at si in conspectu omnium, quid opus erat æmulos curiosius inquirere? Quod scriptura tamen dicit, quæ cum testatur ingressum fuisse domum suã. Sed errauit etiam in ipso decreto. Ait enim eo constitutum vt 30. diebus neque ab ipso, neque à quoquam hominum, vel deorum quicquam petere liceret. Cum tamen in Hebræo sit exceptiua particula laben, id est nisi, & in Græco, ἀλλ' ἤ, non μὴν, & ita legit autor Mirab. [b] Sed leuis est hæc Iosephi vel culpa, vel ignorantia, præ ea quam paulo post in hac ipsa historia referemus.

*b t. 3. D. Aug. l. 2. c. 32.*

LXVII. *Darius satagit eum liberare.*

Nihilominvs Rex vel certus de Danielis innocentia, vel tristis de fidelissimi, sanctissimique magistratus, atque amantissimi subditi iactura. *Posuit cor suum vt liberaret Danielem, & vsque ad occasum solis laborabat vt erueret eum. Nolens,* inquit Hierony. *autoritate regia, sed ratione atque consilio eum de tanto discrimine liberare.* Sicut postea Pilatus Dominum, *sciens quod principes sacerdotum per inuidiam tradidissent eum.* Ex Diodori quoque Siculi l. 17. intelligi potest Persas à se latas leges mutare nequiuisse. Nam cum Darius Charidemum Atheniensem ducem præstantissimum, ob loquendi libertatem apprehensum baltheo, ex lege Persarum morti addixisset, ira mox sedata, eum eripere letho non potuit. Darius itaque veritus fortasse aliquam seditionem, & gratiam tot principum demereri volens, præsertim obstinate persistentiũ in sua sententia, & prętendentium legũ &

edictorum regiorum inuiolabilem autoritatem, cessit inuitus, sicut & Pilatus, & Herodes Herodiadi, non intelligentes illud Sapientis. [a] *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.*

a Eccl. 7. 6.

LXVIII. *Et satrapis inuitus cedit.*

PRÆCEPIT *ergo Rex, & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixitque Rex Danieli, Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te.* Antecessit vtique eam conclusionem causæ expositio, & necessitatis subeundæ legis, & studii pro eo sui, & periculi ab istis sibi ipsi, ac publicæ rei imminentis; itaque fortitudinis eius esse, atque constantiæ vitam suam totius regni saluti sponte concedere; affuturum haud dubie cœlitus auxilium. Ea quoque spes videtur regis consensum in damnationem Danielis extorsisse, quam ei consolandi eius causa, & seipsum quoquo modo excusandi nunc patefecit: cuius etiam spei signum est quod sequitur. *Allatusque est lapis vnus, & positus est super os laci*, quem obsignauit rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem: intelligebat rex minus feritatis in leonibus, quam in hominibus, quos inflammaret inuidia, inuentum iri. *Credidit eum Dei potentia*, inquit Diuus Hieronymus, *& qui de leonibus securus est, de hominibus pertimescit.* Obsignat etiam annulo suorum optimatum, vt neutra ex parte fraus interueniret.

LXX. *Darii in Danielem amor.*

ET *abiit rex in domum suam, & dormiuit incœnatus*, id est dormitum abiit, & in lecto iacuit, *cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* Hæc amoris indicia fuere, quod & pro eius salute, vsque ad solis occasum contendit cum Satrapis, & cum victus necessitate cessit, ad locum supplicii Danielem deduxit, eum consolatus est, & spe animum eius erexit, prouidit ne qua fraus ab inimicis in ipsum admitteretur, denique multa, vt apparet, iam nocte demum rediit, & cibo, vt in graui luctu, abstinuit, qui eum luctus insomnem reddidit. Illud autem spei fuit, & in Deum fiduciæ. *Tunc rex primo diluculo consurgens festinus ad lacum leonum perrexit, appropinquansque lacui Danielem voce lachrymabili inclamauit, & affatus est eum. Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus cui tu seruis semper, putas ne valuit te liberare à leonibus?*

LXXI. *An dubius de potentia Dei.*

NON *quod dubitet de Dei potentia*, inquit Diuus Hieronymus, *de quo supra dixerat, Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te, sed ambiguam sententiam temperat, vt cum Daniel illæsus apparuerit, quanto res incredibilior est, tanto aduersus principes iustior indignatio sit.* Non est tamen absurdum hominem ad hanc diem infidelem, nonnihil fluctuasse, quod Sanctio quoque visum est, & Maldonato. Nisi forte ea locutio magnitudinem potius desiderii exprimit, quam dubitationem vllam, vt propterea potentia de voluntate intelligenda sit, & *valuerit*, sit idem quod, *voluerit*, sicut cum Ioseph heræ dicebat, [b] *quo modo ergo possum hoc malum facere?* id est quomodo inducam in animum hoc scelus perpetrare?

b Gen. 39. 9.

LXXII. *Daniel incolumis inter leones perseuerat.*

ET *Daniel regi respondens ait, Rex in æternum viue; Deus meus misit angelum suum, & conclusit ora leonum, & nõ nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inuenta est in me; sed & coram te rex delictum non feci*, quia nimirum neque rem malam egerat, sed bonam, neque in contemptum prohibitionis vel potestatis, sed diuinæ voluntati & iussioni obsecutus. Autor Mirab sa. scr. [c] *Rex*, inquit, *transacta insomni nocte, mane lachrymabilis ad lacum venit, vbi incolumem cubantem inter leones secura mente Danielem reperit*, & mox. *In hoc tam insigni facto non natura in leonibus mutatur, sed insita à conditionis initio per angelum à Deo gubernatur. Blanditiem enim & lenitatem quas catulis suis leones ostendunt, in Danielem exercebant & sæuitiam & ferocitatem, quam in prædam faciunt, in deuoratis peccatoribus reddebant*, vt sequens narratio docebit.

c L. 2. c. 32.

LXXIII. *Inde educitur.*

TVNC *vehementer rex gauisus est super eo. Et Danielem præcepit educi de lacu, eductusque est Daniel de lacu*, demissum forte per funem, vt iamdudum Ieremias: [d] *& nulla læsio inuenta est in eo*, neque à leonum dentibus, aut vnguibus, neque ab iniuria loci, quia credidit Deo suo: eius videlicet voluntati sese prouidentiæque permisit. *Iubente autem rege adducti sunt viri illi, qui accusauerant Danielem*, vtique ignari imminentis mali; *& in lacum leonum missi sunt ipsi* primum, tum *filii & vxores eorum, & non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec acciperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerent.* Magnitudo miraculi ita obtupefecit impios accusatores, itaque eis omnẽ resistendi vim abstulit, vt qui regi ipsi pridie propemodũ

d c. 38. 11. 13.

formidolosi fuerant, nunc in suo suarumque vxorum, ac filiorum horribili interitu, ne mutire quidem possint, sed iustissimam talionis pœnam in se, suisque subeant, quam illi in Danielem, & suos inferre voluissent.

LXXIV. *Iosephus rē male refert.* CÆTERVM obseruatione dignum est hoc loco, quam studiosus sit Iosephus obseruandi, quod c. præcedenti iactarat. *Palam profitens*, inquit, *me Hebræorum voluminum, in græcam linguam interpretem, & quæ illic continentur bona fide relaturum me promisi, nec addentem quidquam de meo, nec auferentem etiam.* Hæc ibi; quæ ille dixit, cum de Nabuchodonosore in bestiam conuerso ageret: innuens malle se de fide sacrarum literarum, quam scriptorum suorum suscipi certamen. Cum enim incerta, & sibi ipsis dubia recitant homines, fides, inquiunt, sit apud authorem. Illam ergo bonam fidem hoc loco exploremus. *Inimici vero eius*, inquit, *videntes ei nihil mali accidisse, noluerunt hoc Dei prouidentiæ tribuere, sed causam referentes in leonum saturitatem, ausi sunt etiam apud regem hoc asserere. At ille offensus eorum malitia, iussit multum carnium obiici leonibus, & illis iam saturatis, inimicos Danielis in foueam conijci, vt appareat an propter saturitatem eos non attingant: Ac tum demum euidentissimum fuit vatem ope diuina esse seruatum. Nam nemini ex eis pepercerunt, sed non secus ac si fuissent famelici & alimentis caruissent, sine mora eos dilacerauerunt. Acuit autem ferarum rabiem non vexatio famis, quæ iam eis exempta fuerat, sed obiectorum malitia, Deo sic volente, vt ne bruta quidem eam impunitam sinerent.*

LXXV. *Examinatur.* VIDETVR hæc Iosephus ex multorum sensu, atque opinione dicere, quam retulit Aristoteles. [a] *Leo*, inquit, *quamuis in edendo ferocissimus tamen pastus, & fame iam vacans facilis, mitisque maiorem in modum est. Nihil hic suspicatur, nullius suspiciosus est, festiuus, ludibundus, beneuolus admodum suis cum sociis, & familiaribus est.* Ita Philosophus. [a l. 9. de histor. animalium c. 44.]
Hæc igitur Iosephus bona fide, aut sua potius fide retulit, immemor promissi & inscius illarum minarum. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* [b] Auget enim Scripturā, & quidem non satis probabiliter. [b Apoc. 22. 18.] *Scripturā imperite auget.* Quomodo enim saturi erant leones, qui tota nocte esurierant, obserato tanta cura ostio, per quod cibaria illis deiiciebantur? Certe Theodoretus ait Deum superiorem effecisse Danielem feris, fame, atque iracundia concitatis, quod indicat etiam Hieronymus, cum ait rictum leonum, & rabiem conclusam fuisse ab angelo: & Diuus Basilius ait Danielem in lacu leones ieiunare docuisse. Quin neque Iosephus id negat, sed quasi Deus ad gloriam suam mendaciis nostris indigeret, voluit geminare miraculum, vt & famelicæ bestiæ cibo abstinerent, & saturæ quasi rabida fame incitatæ, prædam illico dilacerarent.

LXXVI. *Euulgat miraculum Darius.* SVPEREST publica tanti miraculi, diuinæque potentiæ confessio, qualem iam pridem Nabuchod. visis illustribus Dei miraculis toto regno suo vulgauerat. [c] *Darius* quoque *Rex scripsit vniuersis populis, tribubus, & linguis habitantibus in vniuersa terra* Ex quo intelligitur hæc post cladem Babylonicam, translato ad Medos, Persasque imperio contigisse, eóque facto operam dare voluisse, vt decretum impium, pio & religioso emendaret Videtur etiam Dominus tam illustre miraculum in hæc postrema captiuitatis tempora, & imminentem solutionem reseruasse, vt ei suauiter aditum muniret. Sed audiamus decretum, eius titulus hic fuit [c c. 2. 47. c. 3. 95. 96. 98 c. 4. 34.]

*Titulus edicti regii.* *Vniuersis populis, tribubus, & linguis habitantibus in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur.* Non videtur aliquid esse superfluum in hoc titulo; quoniam salutatio transmitti solet etiam ad non subditos, in quorum notitiam res narranda venire potest; & nunciat omnibus, quæ omnes libenter audiant, & quæ à suis subditis fieri velit: præsertim cum ea pertineant ad illius gloriam, cui nationes omnes, populique vniuersæ terræ, atque angelicæ ipsæ legiones famulantur. Ipsum autem decretum est huiusmodi.

LXXVII *Narratio prodigii.* *A me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscant & paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens, & æternus in secula, & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum. Ipse liberator atque saluator, faciens, signa, & mirabilia in cœlo, & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum.* Videtur fusior deinceps adiecta narratio, qualis hoc toto capite continetur: alluditur autem in prædictis verbis, quibus Dei viuentis meminit, ad historiam c. 14. Danie-

lis, & in æternitate diuini imperii, ad ea, quæ à Nabuchodonosore, & Daniele supra crebro repetita sunt.

LXXVIII. *Darii ad Deum conuersio.*

QVÆ autem de huius regis conuersione scribit Maldonatus sub finem huius capitis, non pigebit adscribere, Nam in ea verba. *Contremiscant, & paueant Deum Danielis. Plus*, inquit, *facit quam fecerat Nabuchodonosor. Nam ille* [a] *tantum edicto publico vetuerat, ne quis de Deo Danielis contumeliose loqueretur; Darius autem non solum ne quis eum contumeliis afficiat, sed iubet etiam vt omnes eum timeant, id est reuereantur, & pro vero* Deo *habeant: vnde coniectura non obscura ducitur, ex animo eum, & vere ad Deum fuisse conuersum. Nam etsi de ea re in vtramque partem disputatur, multique dissentiunt: tamen hoc malo credere, & quia id plures dicunt, & quia verbis Danielis magis est consentaneum; & quia æquum est in re dubia in meliorem partem iudicare.* Sic ipse, cui libenter assentior, præsertim cum ea aperta sit Sancti Augustini sententia, quam supra vltimo Nabuchodonosoris regni anno retulimus; Quod autem idola, cum quibus veri Dei cultus stare non potest, tolli non iussit, si tamen non iussit; id ad breuitatem regni eius referri potest, cum fortasse hæc ipsa ei mortis, quæ ei hoc anno contigit, causa fuerit: accedente dolore, & vltionis desiderio necessariorum, & familiarium eorum, qui iussu eius à leonibus discerpti fuerant, quos de regni primariis satrapis, & prouinciarum præfectis fuisse constat.

a c. 3. v. 96.

*An idola retinuerit.*

LXXIX. *Daniel in multa regũ gratia.*

QVOD autem conclusionis vice additur, *porro Daniel perseuerauit vsque ad regnũ Darii, regnumque Cyri Persæ*: significat, vt clarius textus Hebræus, & 70. dixerũt, prospera fortuna vsum Danielem deinceps apud Darium quandiu vixit; qui & hoc anno moriens vniuersum imperium vni Cyro liberum reliquit: & apud Cyrum, qui eum proxime secutus est, quod confirmat Iosephus, *Ipsum deinde vatem*, inquit, *in maiore etiam quam ante honore habuit, primum inter amicos locum ei tribuens*. Et merito, cum id iam ante tantum prodigium facturus esset. Quo autem mortis genere Darius è viuis excesserit non inueni: nam ne Xenophon quidem eius mortis meminit. Erat autem hoc tempore Daniel nonagenarius; vt mirum sit barbaros illos nihil venerandæ caniciei, ac decrepitæ sancti viri senectuti detulisse.

*Mors Darii.*

LXXX. *Prophetia Danielis, & ratio temporis.*

AD hunc ipsum vltimum desolationis annum, & Darii Medi primum, pertinet prophetia c. 9. Danielis comprehensa. Id enim ipse aperte profitetur, cũ ait, *In anno primo Darii filii Assueri, de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum, anno vno regni eius*: Etsi annus vnus Hebræo more hoc loco primum significat, & in textu Hebræo vtrobique eadem est vox אחת Hachath. quod vnum significat, 70. tamen, qui eam modo primum, modo vnum interpretati sunt, videntur significare voluisse, illum annum primum eius, fuisse vnicum, sicut reuera fuit. Et Sanctius [b] ait constantem esse omnium existimationem post victos Babylonios, vno tantum anno vixisse Darium. Porro tota oratio Danielis, in annum desolationis, pro qua soluenda Deum orat, rectissime conuenit, vt facile ex v. 16. 17. 18. intelligi potest.

b in c. 9 Dan. n. 12.

Porro Assuerus, cuius hic Darius dicitur filius, non proprium personæ, sed honoris & dignitatis est nomen, quod Astyagi patri Cyaxaris, & auo Cyri materno conuenit, vt alibi in eius natiuitate, anno ab hinc 62. dictum est, & hoc quoque loco pluribus confirmat Sanctius.

LXXXI. *Considerat desolationis annos.*

ANNO *ergo*, inquit, *regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni*. Intellexisse se dicit, id est attente considerasse, vt explicat Vatablus, sic etiam supra. *Et ego Daniel intelligebam*, quæ tamen postea se negat intellexisse, sed quæsisse intelligentiam, & à Gabriele accepisse. Iudæi etiam Talmuditæ, vt refert Maldonatus, audent duos hoc loco errores in Daniele notare, vnum est quod existimauerit 70. illos annos à prima captiuitate sub Ioachino esse numerandos, cum essent censendi à captiuitate Sedeciæ: alterum quod existimauerit Ieremiam dicere, Iudæos post septuaginta annos visitatum iri, cum ille id dixerit de Babyloniis; quod tempus iam implebatur, non illud.

c. 8. 5

LXXXII. *Refelluntur, & satisfit obiectis.*

SED primum, vnde quæso homines temerarii ista coniiciunt? certe cum Daniel perspicue meminerit, non captiuitatis, sed desolationis, vtique de capti-

DESOLAT. 70. & ult.

ORATIO DANIELIS PRO LIBERTATE.

uitate Sedeciæ intellexit, à qua cœpit desolatio, non autē à captiuitate Ioachini, qui sunt transmigrationis anni, post quam pluribus annis regnatum est Hierosolymis, nedum in ea fuit celebris illa desolatio. Non minus temeraria est altera accusatio, cum in Ieremia [a] perspicue legatur, *hæc dicit Dominus, cum cœperint impleri in Babylone 70. anni visitabo vos, & suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum*: quæ tanta obscuritas fuit in hoc vaticiuio, aut difficultas in numerandis desolationis annis, cum eorum initium, & finis tam aperte notatus sit in scriptura, vt ab istis, si superis placet, Daniele sapientioribus, [b] Danielem discere oportuerit.

[a] c. 29. 10.

[b] Ezech. 28. 3.

LXXXIII Oratio Danielis pro solutione captiuitatis Babylonicæ

PERGIT autem, *Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiuniis, sacco, & cinere*. Veritus nimirum ne peccata populi Deum incitarent ad producendam vlterius septuagenariam desolationem, non solum solito more versus Hierusalem orat, sed addit etiam ad orationem ieiunium, saccum, atque cinerem. Prius autem quam petat à Domino misericordiam populo suo, pluribus verbis eam conciliare conatur, humillima, sæpiusque iterata confessione peccatorum suorum, & populi vniuersi, ob quæ in præsentem calamitatem & confusionem deuoluti sint, qualem olim Moyses seuerissime pronunciarat. Inde sequitur ipsa petitio. *Auertatur obsecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Ierusalem, & monte sancto tuo*, Et rursum. [a] *Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui, & preces eius, & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, propter temetipsum*. Quasi dicat, vt nullam reperias alibi causam miserendi, inuenies tamen copiosissimam in bonitate tua infinita, *quoniam apud Dominum propitiatio est*, in ipsius videlicet mitissima, clementissimaque natura, quæ vltro liberalis, & benefica est.

LXXXIV. Feruens pro eadem petitio.

VIDE autem exemplum feruentissimæ orationis, quæ durissimum dominum, & vehementer exacerbatum placare possit, multoque magis mitissimum parentis pectus in filios suos, longa iam 70. annorum captiuitate castigatos. *Inclina Deus meus*, inquit, *aurem tuam & audi, aperi oculos tuos & vide desolationem nostram, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum. Neque enim in iustificationibus prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende, & fac; ne moreris propter temeipsum Deus meus: quoniam nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum.*

LXXXV. Quis orationis huius fructus.

TAM feruens, tamque intenta, atque humilis deprecatio prophetæ sanctissimi, non solum obtinuit à Deo, vt statuto tempore desolatio terminaretur, & populus cum libertate rediret in Iudæam, quod statim anno sequenti factum est; sed etiam vt mitteretur ad eum Gabriel angelus, à quo de tempore aduentus Christi doceretur, quoniam temporalis hæc Iudaici populi liberatio, per Cyrum facienda, figura illius erat, qua electus Dei populus de seruitute diabolica, per Christum eripiendus erat. Solet enim Dominus spiritualia bona, etiam vltro, & non rogatus elargiri: vt cum cæcos illuminabat, etiam mentis cæcitatem eripiebat, & fidei diuinæ lumine illustrabat; & sanitatem corporis, animæ sanitate perinsigni liberalitate cumulabat; quæ illi bona, licet tanto maiora, quia non norant, non petebant, & Dominus tanquam se digniora, propria beneficientia inuitatus, elargiri solebat.

LXXXVI. Danielis Doctor à principio Gabriel angelus.

SED redeamus ad Danielem. *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel*, specie enim viri apparebat Gabriel vnus de principibus primis, destinatus ad reuelandum mysterium temporis Christi venturi; qui suo deinde tempore illum sacratissimæ Virgini annunciaturus erat. Sed tamen ita specie viri apparebat, vt ex alis, quibus celeriter volasse visus est, intelligeretur angelus, quales Seraphinos vidit Ezechiel c. 1. & Moyses, ac Salomon Cherubinos sculpserunt in templo, atque tabernaculo. Hunc se Daniel vidisse ait, *in visione à principio*, id est in præterita visione, quam hæc sequitur, vt ait Diuus Hieronymus, quæ scilicet 3. Balthasaris anno contigit, in qua Gabriel Danielem docuit, quæ esset visio arietis & hirci, in qua & nominatur: & ita sentit etiam Theodoretus. Maldonatus autem vult intelligi primam visionem, qua vidit 4. bestias anno primo Balthasaris, quas exposuit c. 7. n. 16. licet ibi non nominetur. Possumus etiam principium visionum Danielis accipere, in quadripertita illa statua, quando

Desolat. 70. & vlt.

Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est, [a] neque enim apparet ratio, cur non ab eodem angelo semper edoctus fuerit.

Praedictio 70. Hebdomadarum. LXXXVII. Offert ei alterius mysterii cognitionem.

ac. 1. 19.

HIC ergo Gabriel celeriter ad Danielem deuolat, vespertinis horis, quo scilicet tempore fiebat vespertinum sacrificium Hierosolymis, cum adhuc templum staret. *Et docuit me*, inquit, *& locutus est mihi, dixitque, Daniel nunc egressus sum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum*, quibus scilicet deprecari cepisti in ieiuniis, sacco, & cinere, *egressus est sermo*, id est decretũ est à Deo vt manifestaretur tibi à me, quod nunc auditurus es, vnde subdit, *Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es*, id est sanctis desideriis salutis, & libertatis populi tui abundas. In præmium ergo zeli tui erga proximum tuum, accipies etiam cognitionem longe augustiorem ea, quam ex Ieremia, de libertate captiuitatis Babylonicæ intellexisti.

LXXXVIII. Tempus 70 hebdomadarum.

TV *ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem*, quia nimirum obscuriora sunt, quæ dicturus sum tibi, corporis animiq; sensus intende, vt ea capias. Vide quot modis excitat attentionem, & rei obscuritatem denunciat, quam Dominus ipse significauit, cum in hunc ipsum Danielis locum intuens dixit, qui legit, intelligat. Eius nobis sententia de more paucis exponenda est, exprobatissima, communissimaque sententia. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna.* Id est intra septuag. hebdomadas, siue annorum septenaria, quæ conficiunt annos 490 quæ dicũtur hebdomades abbreuiatæ, quomodo dicuntur dies abbreuiati Matth. 24. *nisi breuiati fuissent dies illi*, persecutionis scilicet Antichristi, nisi pauci constituti fuissent: sic breuiatæ hebdomadæ dicuntur, quia paucæ futuræ sunt, habita ratione temporis elapsi ab orbe condito, à cuius initio promissus erat Messias. Intra hoc, inquam, tempus continget populo tuo, cui nimirum factæ sunt promissiones de venturo Messia, & vrbi Hierusalem, in qua ille manifestabitur, vt pro totius mundi præuaricationibus, & peccatis, & iniquitatibus satisfiat, per Christum iustum, & iustificantem homines in sempiternum, in æterna beatitudine.

LXXXIX. Intra illud Christus promittitur.

PERGIT Gabriel, *& impleatur visio, & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum*, id est intra idem tempus propheticæ visiones, atque prædictiones finem accipient, & quasi sigillo obsignatæ erunt, vt visui vltra non sint, ad denuncianda futura, Christum maxime, qui est finis totius legis, & prophetarum: nec epistolæ necessariæ sunt, præsente eo qui eas mittebat, quia ipse per se loquetur. *Nam multifariam, multisque modis locutus Deus patribus in prophetis, nouissime diebus illis loquetur in filio*, & figuris res figuratæ succedent: & vngetur oleo lætitiæ præ consortibus suis, vnctione spirituali diuinitatis & gratiæ, Christus Dominus longe sanctissimus, quem pater sanctificabit, & mittet in mundum. [b] Et hæc quidem est summa rei; nunc sequitur plenior, & distinctior illius temporis, & hebdomadarum explicatio.

Ioa. 10. 36.

XC. Distinctior hebdomadarum explicatio.

SCITO *ergo, & animaduerte. Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta dua erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.* Id est, vt autem noris, vnde petendum sit initium harum hebdomadum, scito initium capiendum esse ab eo tempore, quo princeps Persarum, in cuius potestate erit Iudaicus populus, permittet iterum ædificari Hierosolymam. Ab eo enim tempore vsque ad Christi manifestationem, cum baptizabitur in Iordane, & cœlitus audietur, *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, cum publice prædicare incipiet Euangelium regni, & ducem se præbebit, ac præceptorem gentibus [c] & qui 29. annos pene latuerit, palam exibit dux, qui regat populum Dei Israel [d] ab eaque permissione; vsque ad Christum ducem interfluent sexaginta nouem hebdomades, ita vt in septuagesima sit initium manifestationis Christi. Intra autem illas hebdomadas 69. imo intra 7. primas, quas seorsim tibi numero, rursum vici & plateæ Ierusalem, & muri eius ædificabuntur, per exiguo temporis spatio, diebus scilicet 52.

Vnde petẽdum initium earũ, & finis.

c Esa. 55. 4. d Mich. 5.

XCI. Tempus mortis Christi.

2. Esdræ 6. 15. v. 6. Dan. 9.

PERGIT angelus. *Et post hebdomades sexaginta duas, occidetur Christus, & non erit*

*populus eius, qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.* Quæ verba hanc habent omnino sententiam. Postquam elapsæ fuerint septem illæ, & sexaginta duæ hebdomades, siue sexaginta nouem, occidetur Christus, intra proxime sequentem hebdomadam septuagesimam, cuius criminis pœna erit, vt non ita multo post adueniat Romanus populus, cum Imperatore, siue duce Tito, qui ciuitatem, & templum dissipet, & funditus euertat, qua euersione, & vastitate finietur id bellum, cuius finem sequetur statuta ac definita à Deo desolatio, cuius nullus erit finis, vt mox dicetur ab eodem Angelo.

XCII. *Explicatur vltima hebdomada.* SVPEREST conclusio prophetiæ huius, & paulo plenior explicatio hebdomadis vltimæ, quæ est septuagesima. [a] *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.* Quasi dicat, hæc postrema hebdomada insignis erit primò, eo quod Christus Messias stabiliet in ea, ac confirmabit fœdus nouum euangelicæ legis ab Ieremia clarissime prænunciatum, [b] cum multis ex populo isto, qui eum negaturus est, qui doctrina eius, ac miraculis victi, se illi adiungent. Maxime autem post aduentum Spiritus sancti, per Apostolorum prædicationem, & miracula. Deinde quia in dimidio eiusdem hebdomadæ, hostiæ, & sacrificia Iudaica, per Christi mortem deficient, sic vt inania, & inutilia plane reddantur, vtpote per Christi sacrificium impleta; figura vero deficit, & inutilis redditur præsente re figurata. Denique post quadraginta circiter annos, obsidebitur à Romano exercitu Ierusalem, & capietur, & templum Romanorum Idolis, ac sacrilegiis abominandis polluetur, & desolabitur, & desolationis Iudaici populi & templi, & ceremoniarum eius nullus erit terminus, nullus finis.

[a] v. 27. [b] c. 31. 31.

XCIII. *Quomodo Christus mortuus in fine hebdomada 70.* SVNT qui secuti Petrum Comestorem, in quibus Dionysius, Perer. Torniel. volunt Christum quidem mortuum esse in fine hebdomadæ septuagesimæ, sed hebdomadam, quæ seorsim ponitur, & in cuius medio deficit hostia, & sacrificium, volunt constare ex tribus annis cum dimidio hebdomadæ septuagesimæ, & tribus annis cum dimidio sequentis hebdomadæ, scilicet septuagesimæ primæ, si vltra numerandæ essent hebdomadæ; ita vt priore parte hebdomadæ istius singularis, contineatur Baptismus, prædicatio, miracula, passio, & mors Christi Domini; posteriore autem, eiusdem resurrectio, missio Spiritus sancti, prædicatio Apostolorum, quibus extincta Christi morte sacrificia, paulatim defecerunt, atque vsurpari desierunt, tanquam inania, deinde etiam & noxia.

XCIV. *Confirmatur ea expositio.* QVÆ expositio licet tres annos cum dimidio addat hebdomadibus, nihil tamen in eo absurdi habet, neque præter mentem Angeli, qui numero integro 70. hebdomadarum contentus, modicum id tempus toti summæ addere neglexit; quod crebro in scriptura fieri videmus. Recte etiam conuenit eidem; quia in dimidio hebdomadæ, vna cum morte Christi deficit hostia, & sacrificiũ, quę ægre, ac valde coacte dicitur defecisse in Christi baptismo. Denique de industria videtur Angelus hanc hebdomadam vnam maluisse appellare quam vltimam, quasi aliquid peculiare à reliquis habentem. Existimat tamen Sanctius [c] hic non designari partes duas hebdomadæ vnius, sed vnam simpliciter hebdomadam, sine vlla partium diuisione. *Alia expositio.* Quasi dicas in vna hebdomada, quæ erit omnium postrema duo contingent admiranda, nimirum confirmatio pacti, siue testamenti Christi in sanguine ipsius, & testamentum antiquum cum suis hostiis interibit: quæ nimirum eodem tempore facta sunt. Cum enim nouum testamentum institutum est, eadem opera vetus est antiquatum, & non in vna parte hebdomadæ nouum institutũ est fœdus, in altera vetus abdicatum. Idq; confirmat, quia medium, siue dimidium aliquando abundat, vt cum dicitur in medio populi, maris, aut gregis, pro in populo, mari, grege.

[c] in c. 9 Daniel n. 136. & 137.

XCV. *Improbatur* AT enim in hac expositione, illa verba *in dimidio hebdomadis* superflua sunt, & inania: quod durum videtur in tam serio, tantique momenti vaticinio. Vt dissimulem medium & dimidium pro eodem ab ipso sumi, quæ non parum differũt, cum dimidium diuisionem inferat, non medium: nec recte pro medio populi, maris, aut gregis, dimidium eorum dixeris. Itaque in priore expositione standũ

uiuetur, quam idem Sanctius pro sua modestia minime improbat. Verum hac de re nunc satis, reliqua in regno Artaxerxis Longimani, in quod plerique omnes fatentur initium hebdomadarum cadere, Deo fauente dicentur. Quod reliquum est nunc aliquid de Romana re dicamus.

TRADIT Dionysius Halicar. l. 4 se in Romanis annalibus inuenisse Aruntem fratrem Tarquinii Superbi natu minorem, anno quadragesimo regis Tullii, in quo nunc versamur, esse defunctum. Id cuius scelere factum fuerit, minime dubiũ relinquit tum Tulliæ vxoris eius, cum Tarquinio cõiuratio, de qua supra dictum est, tum quod proxime cõsecutum est, Superbi cum ipsa matrimonium. Tarquinius enim, vt ait Dionysius, sine mora duxit Tulliam, ipsius tantum voluntate; nec patre nec matre connubium probantibus. Vt vero coniuncta sunt ingenia duo nefaria, nataque parricidiis, regno pellere Tullium, si sponte nollet cedere, machinati sunt. Sed hæ omnes machinæ, ante quatuor annos optatum finem sortiri non potuerunt. XCVI. *Aruntis Tarquinii mors.*

ATQVE ita peruenimus aliquando, Christiane lector, ad Quintæ ætatis mundanæ finem, ætatis regum Hebræorum, qua populus ille, sicut in virili ætate, maxime floruit, & à qua ad senium progressa, non minorem decessionem virium, ac dignitatis accepit, ea accessione, quam illi Dauidis virtus, ac pietas à magno illo regnorum authore, ac moderatore Deo impetraret. Aetatis quæ in Samuele propheta inchoata, in Hierosolymorum vastitate, & Iudaicæ gentis exeunte septuagenaria captiuitate terminata est: tanta rerum varietate referta, quantam nulla superior ætas vidit, aut certis prodidit monimentis. Et vt omittam priorem huius ætatis partem centum ac viginti annis comprehensam, & Salomonis morte conclusam: quanta rerum sylua, his quadrigentis & quinquaginta septem annis, qui à diuisione Salomonici regni ad hanc diem fluxerunt, in Assyria, & Chaldæa, in Græcia, atque in Italia explicata est? XCVII *Anacephalæosis Quintæ Aetatis.*

NATVM est statim ab initio in regno Hebræorum nouum Israelitarum regnum, in perniciem innumerabilis populi, qui se dementissimæ vitulorum seruituti pertinacissime mancipauit, adeo vt totis 255. annis, reges 19. id est omnes ad vnum, scelestissimi Ieroboami vestigia presserint, & vero Deo patrum suorum deserto, idola coluerint, donec sibi diuinam vltionem, irreuocabili decreto ab Assyria vsque accerserent; & à Deo suo vicissim repudiati atque abiecti, in perpetuis sordibus volutarentur. Dauidis quoque familia, pro scelus! pene alternatim pios impiosq; reges in throno Domini collocauit Sed quæ Dei bonitas in Dauidem fuit, qui è filiis eius impii fuerunt, vix toto regni tempore seruierunt idolis, vix sine pœnitentia excesserunt è viuis, etiam Manasses ille, sub quo gloriosissima illa Iuditha de Holoferne triũphauit; & eorum demum peccata, populique Iudaici, cum aliis subinde cladibus punita, tum luctuosissima templi deflagratione, totius prouinciæ desolatione, ac vastitate, & populi septuagenaria captiuitate expiata sunt. XCVIII *Regnum Israel, & Iuda.*

IN quo Regum curriculo dum 4. fere seculis spatia longiora conficimus, excisum vidimus in Asarhaddone Assyriorum imperium, cum totis mille & quadringentis annis stetisset; vidimus & exortum sub Merodacho Babylonicum principatum, & intra tres supra centum & octoginta annos regnante Balthasare disturbatum. Vidimus in Græcia institutas Olympiades, aut verius restitutas certissimam, omnium pene rerum in Græcia gestarum, temporum notam, quarum quæcumque illustriora visa sunt, breui oratione perstrinximus, dum excitato Græcorum imperio, res ab eis gestas latius persequamur. Vidimus denique deiectam in Italia Albanam rempublicam, & Romanam eius ex cineribus rediuiuam; & à sex adhuc regibus ita ornatam, atque amplificatam, vt plurimis circumquaque populis dominetur, annos iam quindecim supra ducentos. Denique euersa Babylon, Medique Persis subiugati, quintam mundi ætatem finientes, vnà nos ad Imperium Cyri, & Sextam cum eo ætatem deduxerunt. XCIX. *Exotica rei eiusdem temporis.*

IMMINET illa nunc nobis, amice lector, nonnihil, si verum fateri volumus, continenti, ac pertinaci labore fatigatis. Propediem tamen, Deo bene propitio, resumpto spiritu, renouato stadio, repetito labore ouantem Iu- C. *Deo grates laudesque.*

dam, & Babylonis ornatum spoliis reducemus in patriam. Nec laborem iam exantlatum male collocatum duxerimus, si pium lectorem adiutorem habuerimus gratiis diuinæ maiestati agendis, habendisque, pro suauissima, planeque paterna in nos prouidentia, quæ maiora aggressos, quam naturæ, aut doctrinæ præsidia ferrent, non deseruit tamen medio in cursu; sed vltra etiam prouectos. ad optatum quarti iam voluminis finem perduxit; memor omnes totius operis apices ipsi vni ab initio esse consecratos. Gloria itaque Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Gloria vnigenito filio Dei Iesu Christo Domino nostro. Tibi quoque gloria Maria Mater Dei beatissima, Virgo incomparabilis, pro animi corporisque viribus ad hanc diem præter spem, præter merita, præter superioris ætatis consuetudinem conseruatis, & ad reliquum stadii cursum, si ita placuerit, fouendis, atque propagandis.

*DEO OPTIMO MAXIMO, BEATISsimaeque Deiparæ, laus, & gloria, & gratiarum actio, in omnem æternitatem. Amen.*

QVARTI ANNALIVM VOLVMINIS, & quintæ mundi ætatis.

FINIS.





# INDEX
# COPIOSVS ET ACCVRATVS
## RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ HOC QVARTO ANNALIVM ECCLESIASTICORVM Tomo continentur.

## LECTORI CANDIDO SAL.

*Hoc quoque quarto volumine, Candide atque erudite Lector, molestum atque odiosum, necessarium tamen laborem suscepimus colligendi, & eo quem cernis ordine, digerendi quæ toto hoc libro fusa, sparsimque tractata reperiuntur: molestiam sæpius iam probauit experientia hominis alioqui non fastidiosissimi, res ipsa necessitatem, Indicem enim animam libri merito dixere, cuncta vt mortua sine eo in chartis, quasi in sepulchro iacere, ac latere videantur. Voluntas ergo gratificandi tibi deuorauit molestiam meam: imo molestia mea, tuam occupare volui, ac tollere. Nemo enim libros attigit, quin sibi sit conscius quanto tædio, temporisque iactura exanimes isti libri peruolutentur, quibus nos eximit fidelis, copiosus, & certo iudicio collectus, ac digestus index. Vtere ergo, mi Lector, ac nostræ de te bene merendi voluntati faue. De cæteris nihil necesse est, sæpius iam in prioribus indicibus monitum, commonefacere.*

### A



M.

N.

## O.

S

T.

*DEO LAVS.*

FINIS.



# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE; QVAE EX OCCASIONE IN QVARTO HOC ANNALIVM ECCLESIASTICORVM Tomo explicantur.

## LECTORI S.

Ex occasione inquam explicantur: neq;enim visum est operæpretium earum authoritatum catalogum texere, quæ sacram historiam, quam habemus in manibus, continent: quales sunt quæ ab historia Roboami in 3. Regum ad quarti finem, & in 2. Paral. quæ item in libris Tobiæ, & Iudithæ, & prophetia Ionæ continentur. Omnia enim describenda fuissent, itaque eas omittemus hoc loco, nisi si quæ insigniorem aliquam habeant difficultatem, aut expositionem. BENE VALE.

2. Esdr. *Usque ad piscinam quæ grandi opere con-*
c.3.16. *structa est*, an.m.3319 n 3.
4. Esdr. *Tradidisti ciuitatem tuam in manibus inimi-*
c.3. 27. *corum*, 3476.n.1.
Ib. v.31. *Nũquid meliora facit Babylõ, quam Sion?* ib.
C.4. v. *Vade pondera mihi ignis pondus*, &c.3476.
5. num.3.
C.5. v. *Et venit ad me Salathiel dux populi*, 3476.
16. n 4.& 77.n.1.

Ex Tobia.

Tobiæ. *Cum captus esset (Tobias) in diebus Salma-*
c.1.v.2. *nazar*, a.m.3314.n.14.& 3315.nu.2.& deinceps.
C.1.18. *Post multum vero temporis mortuo Salma-nasar*, 3319.n.10.
C.1.24. *Post dies vero 45. occiderunt regem*, a.mun. 3324.n.17.19.
C.2.v. *Hanc autem tentationem ideo permisit Deus*
12. 3331.n.2.& seqq.
C.3.1. *Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis*, 3335.n.2.
C.3.v. *Perrexit in superius cubiculum domus suæ*,
10. 3335.n.6.
C.6.v.2. *Ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum*, 3335.n.25.
C.6.16. *Ostendam tibi quibus prævalere potest dæmonium*, 3335.n.4.
C.14.3. *Quinquaginta & sex annorum lumen oculorum amisit*, 3331.n.1.

Ex libro Iudith & Esther.

Iudith. *Habuit cum eis mysterium consilij sui*, an.m.
C.2.v.2. 3346.n.3.& 4.
Ibid. c. *Ut omnes deos terræ exterminaret*, &c. a.m.
3.13. 3346.n.4.
C.5.23. *Et iterum possident Ierusalem, vbi sunt sancta eorum*, 3346.19.
C.9.3. *In diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum*, 3346.71.72.
Esther. *Quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris*,
c.4.14. an.m.3126.n.3.

Ex libro Iob.

Iob. c. *Sederunt cum eo in terra septem diebus*, a.m.
2.13. 3473 n.25.
C.12.12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*, a.m.3060.17.

Ex libro Psalmorum.

Psal. 15. *Quoniam non derelinques animam meam in*
10. *inferno*, a.3216.n.40.
Ps.30.21 *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum*, 3430.11.
Ps.39.8. *In capite libri scriptum est de me*, &c. a.m. 3216.n.38.
Ps.49.16 *Quare tu enarras iustitias meas*, a. 3138.n 10.
Ps.50.v. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua*
20. *Sion*, &c.3515.n.1.
Ps.54.18 *Vespere, & mane & meridie narrabo*, a.m. 3127.n.27.& 3516.n.64.

*Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros* Ps.103.
*tuos*, i.vr.3146.n.7. 4.
*Immolauerunt filios suos, & filias suas dæ-* Ps.105.
*moniis*, a.m.3139.n.78.3297 n.11. 37.38.
*Ex vtero ante luciferum genui te*, a. 3448. Ps.109.
n.19. v.3.
*Dormitauit anima mea præ tædio*, &c. a.m. Ps.118.
3127.n.8. 18.
*Adolescentulus sum ego, & contemptus*, a. Ps.118.
m.3393.n 8. 141.
*Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet*, Ps.136.8
&c 3516.n.44.

Ex libro Prouerb.

*Responsio mollis frangit iram, sermo durus* Prou.
*suscitat furorem*, 3060.22. 15.1.
*Reseruatus est impius in diem malum*, &c. a. C.16.4.
m.3297.n.3.
*Munera de sinu impius accipit, vt peruertat*, C.17.23.
&c.3138.n.60.
*Adolescens iuxta viam suam, etiam cum* C.22.6.
*senuerit non recedet ab ea*, 3151.67.

Ex lib. Ecclesiastæ.

*Cogitauit abstrahere à vino carnem suam*, a. Eccles.
3433.n.6. c.2.3.
*Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere*, &c. C.5.3.
a.m.3094.n.22.
*Væ tibi terra cuius rex puer est*, an.m. 3395. C.10.16.
num.3.

Ex lib. Sapientiæ.

*Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ* Sapien.
*prouidentiæ nostræ*, 3095.14. c.9.14.
*Subitaneis cooperti sunt tenebris*, a.m.3146. C.19.16
n.10.

Ex libro Ecclesiastici.

*Ne glorieris in contumelia patris tui*, &c. a. Eccli.c.
m.3060.n.20. 3.12.13.
*Est confusio adducens gloriam, & gratiam*, C.4.28.
a.m.3139.n.70.
*Noli quærere fieri iudex nisi valeas virtute* C.7.6.
*irrumpere*, &c.3138.60.& 3516.n.67.
*Luctus mortui septem dies*, a.m.3473.n.25. C.22.13.
*Quam speciosum caniciei iudicium*, &c. an. C.25.6.
m.3060.n.17.
*Mortuus est pater eius, & quasi non est* C.30.4.
*mortuus*, a.m.3080.n.2.
*Qui offert sacrificium ex substantia paupe-* C.34.24
*rum*, &c.3427.n.4.
*Non est inuentus similis illi*, &c. a.m. 3204. C.44.
n.14 & 3337.n.3. 20.
*Et dereliquit post se de semine suo gentis* C.47.27
*stultitiam*, &c.a.m.3060.n.20.
*Et quis potest similiter sic gloriari*, ann. m. C.48.4.
3139.n.26.
*Qui vngis reges ad pœnitentiam, & prophe-* C.48.8.
*tas facis successores post te*, ann.m. 3124.

Ex Threnis, & Baruch.



FINIS.

## AVTHOR LECTORIS.

*Tunc demum errandi finem faciemus, Lector beneuole, cum & viuendi. Quin & præclarè nobiscum actum iri putamus, si ea dum progredimur, diminuamus, quod spero hoc præsertim tomo nobis contigisse. Allaboraui certe diligentius, vt emaculatus exiret, & Dei & tui causa. Nec tamen satis assequi potui, quid sequebar, nonnulla mihi, plura etiam typographis exciderunt, & vt cætera relinquam prudentiæ tuæ, de his duntaxat, monebo.*

### *Errata.*

PAG.7.n.22. suscitat p.8. vers. penult. lege commixtam.p 17.n.23.le.cōtingit.p.20 n 38.lege rigens,p.26.li.6. censentur p.28 l ignauia Roboami.p.29.n.11.l atas,p.33.n.1.l. certe p.36 n.2.l.regni p 37 n.3.aggressio. p.43. init.Achabi l.Ieroboami p.68 fi.3.l omnisque eius familia,& amici p.70.n.2 l 7.quæ.p.79.l.9 quę verba.p.87.n. 5.fruebatur.p 93.in titulo l. Eliæ 4.p.100 Eliæ 5. p.108 adde Eliæ 6 & 2.3131,adde Eliæ 10 & ita in seqq p.99.n. 16.requirebat,p.110 l.penult.vsurparit.p.111.n.6.eadem hora p.115 n.1.Oreades.p 123 n.4.notam.p.125.n.11.Iosepho.p 126.l.penult.l.Eandem.p.133.n.9.l.ac regi.p.135.n. 16.deciperetur.p.155.n.20 opere n.5.p.157.n 37.l.27. & sic deinceps p.159.l 3 interpretatur.p.162.n.41.l.antea innotuit p 164. init pontificum,p 173 n. 79. desperatione.181.n 9 l.par esse p.189 n 31.l.compotem.p.199.n.4.l mundatum.p.200 l.1.vicerat.p 204.n.5 adde.Benadad obsidet Samariam,p.210.n.20.videbis.p.260.adde marg.n.VII.p.266.n.2.elogiū & in fi. p.vacasse p. 268 n. 6 deferebant p.277.fi perstitit p.281.n.5. calumnia.p.300.n.10.adsunt viri,p 306.n.8.addo. Primum contra eos bellum.p.319.n.1 fi.quam.p.324.n.18.prophetam vorat.p.328.n.26. l 36. & sic deinceps p 335.l.3. culpandus, & mox calumniantē.p 362 l 4 vtitur.p.367.n.4 à Manahem p 379.adde marg n V p.384 marg l.Tarutii p.389 n.3. comburentur,p 392.n.1. Ephororum.p.416.n 4 marg.l.ex quibus lecti,p.427.n 9.patrem 439.n.2.aufugerunt.p. 442 n.12.marg.Oriente.p 461.n.18.octingenta,l.octoginta p 466.n 40.leg.sacco.p.469. n.52.marg. Eas.p.471. n.61 missurus sum.p.486.n 12.execranda,p.500.n 1.marg.cæcitas p 504 n.4 fin adde,denique Herodotus etiā Assyriæ oppidum ait esse Babylonem,p 511.n 25. ad deuorandum.p 517 li.vlt.l.accumulata,p.519. n.66. videatur munus,p.523 n 14.marg. Transitus ab p.528. numer.2. marg. regni Numæ p. 532.numer. 19. regem Ioachin pag.533.numer 24 marg.aut auos,p.536 in fi.anni pone epitaphium,quod est p 784, p 541.n.1. eam vrbem.543 n. 6 Mercator item.545.n.20 marg.de templo,p 553.schol.tribuendum,p.562.n 40.ex dispersione, ibid.marg. Bethulia,p 586 n 2. contra Apionem,p.590 n 13. Quandiu autem p.615.n.14.marg. Num starent,p. 628. n.5.marg. Quam ædificiorum,p 629 n.1 marg.templi restauratio necessaria, dele.p 637.n.1.marg cuiates essent,p.639.n.7. turnis.p.649.n.2.fi.adde Quamquam Magdolum est etiam vrbs in Aegypto,p 670 n.15.modo de nationibus, p.679.n.11.ita eos,dele eos,p.687.n.1 aut potius.n 2.attigisse,p.689 n.6.in promisso. p.691.n.16. fi. hi omnes, 699 n.49 fi.parum fidei 702.n.2 vnum tamen,p.705 n.17.vsusque sit pro tractatu 36.in Ioannem dele.& pone in marg.vide tract.36 in Ioan.p 713.n 13 lege,Nam vt sæpius iam dictum est ipsi etiam nunc p.719.n 4 Cap.etiam 10 p.752.indicio transfugarum.p.761.n.22.fi iam aberat.p.762.lin.2.pro quinque aulicis; & l. 4.quinque reliquam,dele quinque,p 770 lin.vlt.promittitur,776.n.2.atque vtrique ibid.apostatę.p.781 n 23.ætate mirabiliora n 26 interfecerunt eum.n.27.eius ministro,p.793.n 14.marg.Ausithidem,p.795 n 37 pone 27.& sic deinceps ad finem anni.p.798.n 42.marg per legatos petunt,p.781.lege 804.p. 813.n 7.licet Darium Hystaspis, p.288 n.12 lege quem ex 4.tribubus,841 n.11,aliosque sonos,p.845.n.2 marg.restituitur sibi, & mox recuperatæ, 848.l. 3. Manassem pœnitentem,n.15 probabilem reddit,855.l.vlt,fouere ac 855 n 9. eundem fuisse 856.n 15. marg. Retegitur, & mox animaduerte eotus,p.858.n.n.19 disrumperetur, n. 23.Antistes, p. 864.n. 3. filiamque ei, 874. n.1. eius ossa, [illegible] oracula,897.l.7,Persæ &,p.907.n.10.marg.ciuitas,p 919.n.62. vt sequens quoque 923. n. 81. Anno vno.